Flores historiarum per Matthaeum Westmonasteriensem collecti: praecipue de rebus Britannicis ab exordio mundi usque ad annum Domini. MCCCVII. chronicon ex chronicis, ab initio mundi usque ad annum Domini. MCXVIII deductum: auctore Florentio Wigorniensi monacho cui accessit continuatio usque ad annum Christi MCXLI per quendam eiusdem coenobii eruditum. Subiectus in Calce operis index rerum satis locuples / [Matthew].

Contributors

Matthew, of Westminster.
Reading, Robert de, -1325.

Publication/Creation

Francofurti, West Germany : Typis Wechelianis apud Claudium, Marnium & heredes Ioannis Aubrij, 1601.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/w4tb2r89

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



m
n

4127

85993

FLORES HISTORIARVM

PER MATTHÆVM WEST-
monasterienſem collecti:

PRÆCIPVE DE REBVS BRITANNICIS:
Ab exordio mundi vſque ad annum Domini
MCCCVII.

Et

CHRONICON EX CHRO-
NICIS, AB INITIO MVNDI VSQVE AD
annum Domini MCXVIII. deductum:

Auctore FLORENTIO WIGORNIENSI monacho.

Cui acceſſit
CONTINVATIO VSQVE AD ANNVM CHRISTI
MCXLI. per quendam eiuſdem cœnobii eruditum.

Subiectus in calce operis INDEX rerum ſatis locuples.

FRANCOFVRTI,
Typis Wechelianis apud Claudium
Marnium & heredes Ioannis Aubrij.
M. DCI.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

CHRONICON EX CHRO-

NICIS ET INSTO RIARVM ANTIQVE-

RA TRANSCRIPTORVM FLORES:

PER MATTHAEVM WEST-

MONASTERIENSEM COLLECTI:

HISTORIARVM

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HABES hic ſtudioſe Lector Matthæum VVeſtmonaſterienſem, Florilegum vulgo dictum, denuo reuiſum, & innumeris pene mendis, quibus prior editio ſcatebat, fideliter expurgatum. Huius recognitionis cauſam ſi deſideras: hinc ortam intellige, quod nuper incidimus in vetuſtiſsimum illius hiſtoriæ exemplar, non ſolum elaboratius ſcriptum, ſed in multis locis ita vndique abſolutum, vt merito videri poſsit ab ipſo authore primo ſic emiſſum. Neq; hoc nouum videri debet, aut vlla admiratione dignum, quod pleroſq; authores ea affici iniuria cernas, vt eorum ſcripta (poſteritatis dolo) ab origine reddantur degenera: Cum eo impudentiæ prorupere nonnulli, vt eiſdem addendo & ſubtrahendo, quoſlibet, licet pios, pro ſuo cuiuſq; arbitrio, quæque vel nephanda patrocinari cogerent. Quæ eorũ impia fraus, (& ſi ſubtiliter obumbrata) tandem tamen veterum exemplarium cum Neotericis collatione, ſit manifeſta. Hæc codicum diligens examinatio, vt vbique locorum multum: ita nobis plurimum adferre lucis in hoc authoris opere, tute iudicabis, ſi oculis aliquantulum defixis in vtriuſque editionis tenorem huius ſcripti, à communi (quod fere in omnium manibus tenetur) inauditam diſcrepantiam, præſertim ab anno. 1245. vſq; ad 1265. diligentius tecum conſideraueris. Quos annos vt olim ſcriptos, ſic iam integre reſtitutos etiam author libri Roſſenſis, qui tã proxime Florilegum imitatur, luculentiſsime teſtatur, in quibus videre licebit technas & fraudes quorundam, quamobrem tam ſtudioſe multa eraſerunt, vt ſi ſolum annos. 1245. & 1247. diligenter comparaueris, protinus apparebit quo animo tã contracte in omnibus fere exemplaribus abuſi ſunt hiſtoria. Tanta enim fuit olim temporum nequitia, tam effrenata veritatis ſupprimendæ cuiuſque libido, vt nihil dubitarint ad occæcãdas hominũ mentes, veterũ ſcriptorum, vel vniuerſas periodos, multo minus verbula intrudere, extinguere, commutare, prout cuique libitum fuerat, quæ quidem mens mala & animus malus non in iſtiuſmodi ſolum Authorum veterũ monumentis reperientur, ſed in his etiam authoribus qui de rebus diuinis, maxime ſeriis & ſacris ſcripſere. Quid quæſo hiſce maioribus propoſitũ erat, qui Rabani Magnentii Mauri, natione Scoti, abbatis Fuldenſis, opera, adhuc fere ante ſeptingentos annos ſcripta in publicum exponi decernentes, quam tenebris perſtringere hominum mentes, in illius, quem edidit, libri de vniuerſo ſiue de rerum naturis (adhuc ni fallor inexcuſi) cap. 11. lib. 5. De eccleſiaſticis officiis? Qui nequiter, & iniurioſe ab hiſce verbis (Sacramentum ore percipitur, virtute ſacramenti interior homo ſatiatur,) hanc ſubſequentem ſententiam. (Sacramentum enim in alimentum corporis redigitur, virtute autem ſacramenti æternæ vitæ dignitas adipiſcitur.) &c. quaſi ſpuriam & illegitimam penitus abraſere. Cum tamen hæc ſententia, priori coniuncta, in quolibet veteri exemplari (ante Gulihelmi conqueſtoris tempora edito) paſsim reperiatur: & communi etiam conſenſu Patrum illius temporis, pro orthodoxa veritate ſit admiſſa. Sed ea ſemper fuit improborum quorundã nimis importuna nequitia, ea fraus & diabolica cor-

Rab. Maurus.

ruptio, vt nihil vnquam minus ferre potuerint quam, veritatis ſplendorem, & ſynceræ religionis integram puritatem. Cuius ſententiæ lectionē, ingenue teſtatur Gulihelmus Guil. Malm. Monachus ille de Malmesburia, qui quamuis reprehenſione dignum præfatū dogma conſtituerat (quod irritam fecerit de ſcholaſtica tranſubſtantiatione opinionem) tamen ita primitus à Rabano ſcriptum eſſe aperte prodit, in exemplaribus illius monaſterii, quæ tunc temporis ibidem adſeruabātur. Iſta ſi experiri animus eſt, Prologus in Amalarium de diuinis officiis, quem fratri ſuo Roberto dedicauerat, patefaciet: hoc enim opus fratris ſui cauſa & rogatu in ſummam contraxit. Ita impiorum cōſilio, pleriſq; vſu veniſſe animaduertimus, vt quicquid reuerendi Patres diuino afflati numine, ſanctè, & ſobrie de cœna dominica ſenſere, hi furtim eximendo, transferendo, immutando, finem nullū faciunt, vſq; dum horum authoritatem Romanæ eccleſiæ & priuati cuiusq; deliramentis turpiter inſeruire faciant. Inde orta ita pernitioſa rerum omniū confuſio, vt niſi magna eſſet quorūdam diligentia (ſed maior Dei bonitas) nihil integri, nihil ſinceri, nobis vnquam apparuiſſet. Eo ſiquidem impudentiæ progrediebatur quorundam eccleſiaſticorum Patrum improbitas, vt dū honorē, lucrum, authoritatem, libidinē, & quiuis præterea auide ſectarentur, nihil curauerunt quā populum denſa caligine obrutū, veluti in carcere detinere, quo minus, nefanda ſua flagitia, & crudelē tyrannidem animaduerterent. Sed hæc quæ dicimus maxime iis perſpicua erunt, qui non grauabū- Matth. Paris. tur Matthæi Paris, Angli hiſtoriographi (cuius hic ſcriptor acerrimus imitator fuit) lectioni incumbere. Is enim cum Romanorū Pontificum, incredibilem ſuperbiam, ambitionem, auaritiam, impietatem (veluti ab humano genere aliena) perhorreſcens: paulo liberius in eos inuexiſſet: boni Patres, eius ſcilicet & ſubſequentis ætatis, effecerunt, vt aut perquam pauciſſima exemplaria illius ſcripti in lucem emitterentur, aut exponerentur admodum mutila & lacera, ne dum eorum Pontificum Romanorum tyrannidem, quam in omnes exercuerunt, fortiter concuſſerint huiuſmodi authores, principum animos in illius contemptum, ita vndiq; deducerent, vt ſeruilis iugi (quo acerbius premebantur) pertæſi, tandem libertatem quærerent. Hic eſt mos, hæc cōſuetudo, illius ſubdolæ & vulpinæ generationis, cui ita indeſinenter inoleuit, vt nō modo prioris ætatis Patrum ſcribentium operibus, pro ſua cuiuſq; voluptate impie abuterentur, ſed pri- Conc. Trident. dem Concilii Tridentini publico decreto cautum eſt, (vt per alphabeticum ſuum ordinem commenti ſunt) vt omnes omnium ſcriptorum libri ab inquiſitoribus denuo reuiſantur, & vt libere quicquid illis viſum fuerit, ex illis eximatur, & repudietur, vt etiam quiſque de eccleſia, tanquam Ethnicus expungatur, qui Papale faſtigium, qui illius vitā & religionem acriter defendere non laboret, qui deniq; Romanam eccleſiam, pro Catholica non indubitanter adoret. Ita fit vt dum ille in omnes ſine modo & ratione imperium foras exerceat, dum domi ſtuprum, homicidium, idololatriam ſecure committat, dum liuore & inuidia turgens, improbitatis ſuæ virus in pios eiaculetur, nos ſilentio, (quaſi omnia rectè gerantur) ſub Anathematis pœna, aſtringi diiudicauit. Nec aliunde proficiſcuntur iſta, quam ab inſatiabili gloriæ retinendæ deſiderio, cui metus, inſeparabili modo coniunctus, ad lucem extinguendam, & coercendam dicendi libertatem (quo ſecurius in regum corda vim exerat) ſine intermiſſione ſuadet. Hinc veterum monumentorū ſuppreſſio, extinctio, mutatio, & noua quædam (laute quidem ſed ſubtiliter) reformationis nomine, promulgarunt. Cum ergo tanta olim fuit & nunc ſit temporum iniquitas: cum inuidorum rabies ita inhumaniter excandeſcat, cum furto & malo dolo, ita ſtudeant paſſim, vt inter centum vnius vix opera, ad manus noſtras Ioan. Carnot. peruenerint incorrupta: non ſine cauſa, ſalubre Iuonis epiſcopi Carnotenſis conſiliū probandum & amplectendū iudico. Is enim epiſcopus (vt refert Petrus Cantor Pariſienſis, in libro quem ſcripſit de verbo abbreuiato) cum cauſam quandā coram Alexandro

tertio

tertio defendisset: videns eius in pronunciando mutabilitatem, nec (quamuis ex libro decretorum suam corroborauerit sententiam,) assensum eius potuisse obtinere: ex indignatione quadã, librum illum decretorũ quasi vilẽ & abiectum, ante pedes Papæ proiecit: & cum omnia secũ diligenter repetendo, nec ecclesiasticos Canones, nec principum placita, immo nec magistratuum decreta, quicquam cõtinere in se firmum aut inuiolabile cerneret: sed in corde Papæ omnia fixa & refixa pro libito voluntatis suæ conspiceret, cum Esaia prorupit in hanc sententiam.

Recurrendum est inquit magis ad testimonium & legem diuinã vt ex ea alleges, vel ex æquitate manifesta, vel viua ratione probes, quibus nullius vnquam authoritas potest refragari. Esa. 8.

Quomodocunq; enim (ait Beda in libro de Ratione temporum, cap. 66. Peruertantur hominũ testimonia, corrumpãtur, aut mutilentur: nihilominus Hæbraicam in diuinis codicibus veritatem, puram ad nos peruenisse. (etiam non refrangantibus hostibus Iudæis) in confesso est, Horum consilium vt sanctum pium & salutare, multo (mea opinione) melius est suauiter amplecti, quam hominum tã incerta testimonia ita auide sectari, in quibus nec vis, nec veritas vlla, certo constare (per istos peruersos librorum ventilatores) possit. Ea namque est nostra fragilitas, vt errabundi, præcipites, sine discretione nimis in horrenda dilabimur: ea inuidorũ peculiaris malitia, vt si quid spiritus bonitate absoluatur: aut immersum obliuione teneant, aut calumniis impetere, ac lacessere nunquam desinant. Ita ex huiusmodi scriptionibus, vel ex humanis traditionibus, qui fidei & conscientiæ stabilimentum quærit, tantopere à recto discedet tramite, vt nihil quam vanidam vmbram & phantastica deliramenta, assequi aliquando poterit. Hanc inconstantem & abruptam scriptorum mutilationem, cum multi ægre ferant, ita inter reliquos, olim ante aliquot annos, Vincentius Beluacensis, vir diligens & religiosus (in Prologo Speculi Historialis, grauiter accusat, dicens. Siquidẽ faciendi plures libros nullus est finis: & curiosi lectoris non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Ad istud ipsũ prouocauit me (inquit) plurimũ falsitas & ãbiguitas quaternorũ, in quibus authoritates sanctorũ adeo plerũq; mendaciter à scriptoribus vel notariis intitulabantur cũ scribebantur: vt quæ hæc sententia vel cuius authoris esset omnino nesciretur. Dũ (verbi gratia) quæ Augustini vel Hieronymi erat, ascribebatur Ambrosio vel Gregorio, vel Isodoro, vel contra. Aut verborum aliqua parte dempta vel addita, vel mutata sensus authoris corrumpebatur, & sic de dictis philosophorum aut poetarum, sic de narrationibus historicorum plerumq; fiebat, dum vel vnius nomen pro alio sumebatur, vel dictorum veritas simpliciter euertebatur, Sed quid in calumniatorum, accusandis dolis, ita anxie moramur? cum si eousq; extenderetur oratio, quo duceret materiæ copia, historiographum potius æquaremus, qualem nunc in manibus habemus, quã præfatiunculam constituentis partes ageremus. Hoc ergo amputato dicendi genere, ad authorem propius accedemus, si prius admonuero qui libri sunt eius proprii, qui aliũde petiti, & quẽ præeuntem sit potissimũ subsecutus. Matthæus Paris, Cœnobij Albanensis monachus, circa annum domini. 1286. Historiam binã, maiorem vnam, alteram minorem sedulo conscripsit. Maior vt vocatur, quæ nunc sub prælo est, & Deo fauente propediem in publicum prodibit, ab Adamo originem trahens, ad Gulielmi Neustrii victoriã, & hinc ad Henrici Tertii, annum, 1287. est exporrecta. Hanc historiam ad Gulielmum vsque prædictũ ita prope expressit & sequutus est Florilegus: vt parum aut nihil, ab eius scribendi methodo declinauerit, atq; hæc eadem est prior pars Matthæi VVestmonasteriensis dicta historia, qui claruit circa annum domini. 1375. quam nunc & in manibus habemus: & ipse author Florilegus appellatur. Sane hanc priorem partẽ historiæ, Albanensem monachum scripsisse, etiamsi aliæ deessent demonstrationes, ex scri-

Beda.

Vincentius Beluac.

Matth. Paris

ptis quibusdam exemplaribus non obscure colligitur: quod tã multus est in describendo Albanum, Britonum Prothomartyrem, & primũ Cœnobii sui patrem, vt in annogratiæ. 330. & quod de fundatore illius Cœnobii (Offa scilicet) & de translatione dicti Albani tam officiose cõmemorat, vt in anno. 794. vbi de fundatione Cœnobii VVestmonasterienſis fere nihil ascripserit, vel in vita regis Æthelberti, cuius suasu primo fundatam esse illam ecclesiam per ciuem quendam Londinensem, & ornatius factam, & quasi de nouo ædificatam, per Edouardum confessorem scribunt quidam historiographi, quã certe occasionem, illam ecclesiam extollendi, non omisisset Matthæus VVestmonasterienſis, si verisimile esset eum fuisse illius historiæ primum authorem. Quanquam aliquantulum se prodit in parte posteriore post Conquestum, videlicet in an. 1222. de libertatibus ecclesiæ VVestmonasterienſis loquens, & 19. anno regis Henrici tertii sumptus suos exponens, etsi Matthæum Paris & illic, vt in multis aliis annis, sequutus est. Sic etiam paucis mutatis verbis prologũ prædicti Matthæi Albanensis suis scriptis vel ipse præfixit, vel alius quispiam incogitanter eius nomine abutẽs, assuebat. Minor vero Matthæi Paris historia à Gulihelmo exordium sumens nonnihil à maiore discrepat: authoris enim industria, in ea res gestæ & aliter reuisæ tractantur & contrahuntur magis: quod opus nõ alibi in antiquo charactere scriptum (quantum scio) quam in musæo clarissimi domini Comitis Arundelensis nunc temporis extat. Pars tamẽ libri sui posterior præsertim ab an. 1250. ad an. 1260. merito reputatur pro nouissima portione prioris historiæ magnæ, vt ex manu ipsa & scriptionis genere certissime apparet. Quæ in prædicto comitis libro subsequũtur, & extensa pertingunt ad vltimũ Henrici Tertii annum videlicet. 1274. non Matthæi Albanensis labor: sed fratris cuiusdam illius Cœnobii (forte Gulielmi Risehanger) & methodo & scribendi ratione multo inferioris, erat. Absolutis hisce duabus historiis idem Matthæus Paris aliud fabricauit opus (cui, quod obscurioribus locis nonnihil adferret lucis, & sua scripta redderet locupletiora) Additamentorum titulum ascripsit, ad quem in vtraq; historia lectores relegare solet, vt Florilegus etiam eius imitator, alicubi facit. Hic Additamentorum liber (dignus certe qui orbi historiæ causa cõmunicetur) adhuc delitescit, sed quorum aut negligentia, aut inuida, nescio. Extitisse eum, nõ modo illius tituli (in Matthæi Paris & Florilegi scriptis) frequens repetitio, sed quod maius est, Roberti Talboti, theologiæ Baccalaurii, manuscriptum testimonium (quod in eius possessione illum tenebat) satis superq; confirmare debet. Hæc Matthæi Paris opera cum maiori eorum parte, quæ Additamentorum libro continentur, studio & solertia, Thomæ VValsingham olim monachi Albanensis, in ordinem digesta, publice diuulgãtur. Hic enim multorum temporum gesta, vsq; ad an. 1423. aliorum collectionibus addens in vnum & historicum cõtulit omnia librum, quem nomine regis Henrici Sexti, illico consecrauit, hic in lucem prodit, sub nomenclatura historiæ magnæ. S. Albani (ni fallor) quod & ipse author patefacit in anno. 1384 illius auctarii, quod absoluendæ historiæ causa, communiter vocatæ Polichronicon, Ranulphi monachi Cestrensis, assui curauit. Nec rara est hæc Ranulphi historia, sed vndiq; tam scripta quam excussa, & Treuisæ interpretatione cum suis annotationibus elaborata, venalis, & in Anglicam linguam diuersis ætatibus translata, quem Ranulphum non dedignatus est imitari, Iohannes de Tinmouthe, cuius ordinẽ & modũ scribendi sollicite admodũ exprimit, quãuis alicubi fusius, alicubi contractius. Hoc opus vocatur Historia aurea in duobus magnis voluminibus extensa, quã historiã dominus Gulielmus VVintershul, quondã. S. Albani monachus, conscribi fecit, & ad vsum Claustralium in libraria Conuentus illius seruari voluit. Nec mireris (amice lector) quod deprehendas hunc Florilegum, ita stricte Matthæum Paris imitari, vt illius quasi vestigia premere cernas: cũ populare

hoc

hoc erat, & omnibus præsertim monasticis commune acri monumentorum eruendorum desiderio (aliorum exemplo quos presßim sequebantur) teneri. Cum hi (nec iniuria ad hoc motiꝰ eo maiorem & gloriam, & gratiā ab Edouardo Primo quoſq; reportare viderunt, quo bibliothecarum suarum testimonia, magis illustria, pro testificanda subiectione Scotorum, quam Anglorum regibus præstiterunt, quidam abbates exhibuerunt, ad hoc ipsum præsertim publico regis & regni decreto euocati. Hanc imitationem obseruantes, Gualterus Couentrensis, Rogerū Houenden: scriptor monasterii de Abbington, Gualterum Hemingforde Canonicum Gisbornensem: Chronicū Roffense (hunc nostrum Florilegum) suis scriptis ad viuum deliniarunt, nisi vbi quæ peculiaria eidem Roffensi monasterio Chronicum Roffense tractauit, Florilegus intactum prætermittit. Cæterum ne historiarum obruaris multitudine, & hinc ducaris in confusionem: (Anglus cum sis, & Anglorū gesta scire desideres) Matthæi Paris & Matthæi V Vestmonasterii scriptis, præ cæteris incumbe: horum lectioni si operā adhibeas, non solum quæ domi suis temporibus gerebantur, sed quæ tractabantur foras luculēter addisces. Barbaros esse fateor, nec renuo si dicas varie corruptos, at pro luminis scintilla, qua tum fruebātur, vtiles Dei ministros assero, quos è profundis tenebris & obscura nocte suscitauit, ad retegendam plusquā monstrosam Romanorū Pontificum, vim & tyrannidem qua detinebamur miserè captiui. Ea est enim erga suos diuina clementia, vt ad vindicandam libertatem, quā suis est elargitus: è mortis vmbra, & inferorū portis erigat eos, quibus (pro instrumentis) animus est vti. Cui credibile est adduci potuisse monachos (tam parum de vita & fortuna sollicitos) vt pro veritate propaganda, ne Papatum quidem (à quo immobiliter pendebant) insolentiæ & impietatis accusare non timescant: nisi quod tam impudens & ad cœlum vsq; extensa Romanorū tyrannis fuit, vt vel lapides ipsi (si omnes mortales tacuissent) vociferantes ipsam prodidissent. Diuina ergo hæc motio est, & cœlitus erecta, qua, dum monachi oblatam iniuriā docent, ad eā propellendam, diuina maiestas nos inuitat. Nunc intelligis Candide lector, ad quos potißimum scopos scriptor VVestmonasterienſis opera sua digeßit. Quæ reliqua sunt, tibi totum committimus. Hoc iam restat, cuius te admonitum esse velim, ne scribentis barbarie, à lectionis voluptate immature auoceris. Neue attonitus admireris, quo animo, tam absurda interdū deliramenta & insipida phantasmata, hic author scriptis suis interposuerit. Poteris equidem (& lubens fateor) tam incredibilium animaduersione, ab omni, & spe boni, & veritatis opinione prorsus auocari. Sed si & temporum iniquitatem (in quibus is vixerat) & rerum omnium tumultuarium ordinem, diligenter consideraueris: nec tantum tibi mirari suberit, nec ita multum arguendus ille, quod pro seculi sui vanitate cum aliis in religionis Christianæ misteriis aberrauerit. Ista si non incogitanter præterieris, magnæ commoditatis particeps discedes, & me inculpatum (vti spero) reputabis, qui fidelis officio functus, non destiti incredibilia inserere, dum authoris opera cum veris exponere potius, quam illis prætereundis eius labores & tempori & mihi, melius inseruire facerem. Si hæc præstiteris, vt tu fructum reportabis, ita, ego lubentius operam dabo, vt posthac pleniora cōgerantur quæ desunt ad historiæ complementum: quibus, & Deo sua amplior reddetur gloria, regno maior securitas, cuique suauior consolatio, & diabolicæ machinæ facilius dißipabuntur. Hisce interim fruere, & vale.

Gualt. Couentren. Rog. Houeden. Gualt. Hemingf. Chron. Roffens.

Marcell. Paling.

Hiſtoria placeant celebres, mihi credite vitam
Inſtituunt, quæ ſint fugienda ſequenda q, monſtrant:
Fabula non omnis ſpernenda eſt, recta legatur,
Iſta iuuant, eadem pariter ſine crimine proſunt.

CICERO DE ORATORE.

Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, Magiſtra vitæ, vetuſtatis nuntia.

FLORES

FLORES HISTORIARVM MATTHÆI WESTMONASTERIENSIS MONACHI, IN vtraque literatura eruditi.

PROLOGVS.

TEMPORVM *summam, lineamq; descendentem ab exordio mundi, cum successionibus quorundam regnorum, & regum, ad eruditionem futurorum duximus annotare, vt ex breuibus, lector deuotus plura colligere possit. Sed quid contra quosdam auditores pigros dicemus, qui obtrectando dicunt quid necesse est vitas vel mortes, seu diuersos hominũ casus literis mandare? Prodigia cœli & terræ, vel aliorum elementorum scriptis impressa perpetuare? Nouerint isti, bonam vitam & mores præcedentium, ad inuitationem subsequentium proponi. Malorum vero exempla non vt imitentur, sed vt potius vitentur, describi. Prodigia autem vel portenta præterita, famẽ, vel mortalitatem, vel alia supernæ vindictæ flagella fidelibus innuunt. Ideo memoriæ per literas commẽdantur, vt si quando similia euenerint: peccatores, qui se iram Dei in aliquo incurrisse meminerint, mox ad remedium pœnitentiæ, per hæc Deum placaturi festinent. Ob hanc itaque causam (licet aliæ non desint) Moyses legislator in historia diuina, innocentiam Abel, Cain inuidiam, simplicitatem Iacob, dolositatem Esau, malitiam vndecim filiorum Israel, bonitatem duodecimi, scilicet Ioseph, pœnam quinque ciuitatum per consumptionem ignis & sulphuris manifestat: quatenus bonos imitemur, malorum esse sequaces abhorreamus, vt peccati fomitem fugiendo, radicitus eneruemus, & hoc non solũ Moyses, sed & omnes diuinæ paginæ tractatores, & in historicis, & in moralibus libris faciunt, virtutes commendando, vitia detestãdo, Deum timere simul & amare nos admonent. Non sunt igitur audiendi, qui Chronicorũ libros & maxime à catholicis editos, dicunt esse negligendos, per quos quicquid humanæ sapientiæ & saluti necessarium est, per memoriam inuenire, per intelligentiam cognoscere & per facundiam proferre studiosus valeat indagator.*

CAPVT I.

De primordiali opere sex dierum.

SEx diebus Deus rerum creaturam formauit. Primo, condidit lucem. Secundo firmamentum cœli in medio librauit aquarum, ipsis aquis ac terra cum cœlo superiore, ac virtutibus, quę in ea conditorem laudarent, ante horum sex dierum exordium creatis. Tertio, congregatis in suum locum aquis, quæ cuncta contexerant, aridam iussit apparere. Quarto, sydera in firmamento cœli posuit, qui nunc quantum per coniecturam Æquinoctij colligitur, 12. Kalendarum Aprilium dies vocatur. Quinto, natatilia, volatilia, & animãtia creauit. Sexto animalia terrestria & ipsum hominem Adam in agro Damasceno formauit, de cuius latere dormientis, matrem omnium viuentium Euam produxit, qui nunc (quantum credibile videtur) 10. Kalend. April. dies appellatur. Vnde merito creditur (si non verior sententia vicerit) eodem 10. Kalend. April. die, Dominum fuisse crucifixum. Dicebat enim, vt vna eademque non solum hebdomadis, sed & mensis die, secundus Adam, pro generis humani salute viuifica, morti sopitus, productis è latere suo cœlestibus sacramentis, sponsam sibi sanctificaret Ecclesiam, quo videlicet die primus Adam ipse creauerat, eiusq; de latere costam tollens, mulierem formauerat, cuius adiutorio, genus propagaretur humanum.

Cap. II.

De peccato Adæ.

ADam in Paradiſum, vnde quatuor flumina oriuntur, translatus, cum vxore cæteriſq; animantibus ac rebus nomina impoſuiſſet: de pomo comedendo, vxori ſuæ adquiescuit. Vnde, pro verecundia nuditatis, factis *perizomatibus, à domino de paradiſo eiecti, de terra maledicta, in ſudore vultus ſui panem adquirunt. Deinde collocatis à domino ante hoſtium paradiſi Cherubin cum gladio flammeo, non ſolum primi parentes, ſed & tota ipſorum progenies, à Paradiſi delitiis, ſunt eiecti.

** Id eſt, Pudendorum velaminibus vel ſubligaculis.*

Cap. III.

De generatione Adæ.

ADam cognouit vxorem ſuam, ſcilicet non in Paradiſo, ſed iam reus & eiectus. Et licet lator legis Moyſes generationes Adæ, feſtinans ad tempora Abrahæ patris Hebræorum prætermiſerit: plures tamen Adæ ſubticuit filios & filias. Sed Methodius martyr orauit, dum eſſet in carcere, & reuelatum eſt ei à ſpiritu ſancto, de principio & fine mundi, quod & orauit. Et ſcriptum (licet ſimpliciter) reliquit, dicens, quod virgines egreſſi ſunt de Paradiſo, ſcilicet Adam & Eua & anno vitæ Adam quinto decimo, natus eſt ei Cain, & ſoror eius Calmana. Poſt alios, 15. annos natus eſt ei Abel, & ſoror eius Delbora. Deinde vitæ ſuæ, id eſt, Adæ. 130. Cain occidit Abel, & luxerunt eum Adam & Eua. 100. annis, & tunc natus eſt ei Seth, 30. anno primæ chiliadis, id eſt, primæ ætatis.

De die & hora nemo ſcit.

Cap. IIII.

De morte Abel. Primum homicidium.

CAin agricola dolens ſua munera, & non fratris fuiſſe reprobata, licet à domino increpatus, fratrem ſeptiformi peccato puniendus, interfecit. Poſtea vagus & inſtabilis ſuper terram factus eſt, poſtquam à domino eſt maledictus.

Cap. V.

Generatio Cain.

COgnouit Cain vxorem ſuã Calmana, quæ peperit ei Enoch. Enoch genuit Irad. Irad. genuit Maniael. Maniael genuit Matuſael. Matuſael genuit Lamech. Hic duas habuit vxores, Ada ſcilicet & Sellã. De Ada genuit Iabaal. De Sella vero Tubalcaim & Noema. Iſte Lamech primus hominum bigamiam introducens, cum virum in vulnus, & adoleſcentem in liuore occidiſſet, vxoribus, ob hoc ſibi pœnam in ſetuplum deberi, prædixit. Iabaal adinuentis portatilibus paſtorum tentoriis, primus greges ſecundum qualitatem, genus, & ætatem diſtinxit. Iabaal pater canentium in cythara & organo, id eſt, muſicæ artis inuentor, in columna lateritia, & altera marmorea, contra incendium & diluuiũ ipſam artem ſculpſit. Tubalcaim ferrariæ artis inuentor, ſculpturę operum in metallis fabricator fuit, cuius malleorum ſonitu, Iabaal delectatus, proportiones vocum, primus ex eis perpendit.

Prima Bigamia.

Muſica orta à paſtore.

Ars ferraria reperta vna cum ſculptura.

Cap. VI.

De numero annorum prima ætatis.

ADam, vt ſuperius dictum eſt, genuit Seth. Seth genuit Enos. Enos genuit Cainan. Cainan genuit Malaleel. Malaleel genuit Iareth. Iareth genuit Enoch. Iſte Enoch placens Deo, translatus in Paradiſum, viuit cum Helia, qui quibuſdam literis inuentis, librum (vt in epiſtola Iudæ continetur) ſcripſit, ſub quo etiam Adam creditur mortuus. Enoch genuit Matuſale. Matuſale genuit Lamech. Lamech genuit Noe. Vixit autem Adam nongentis triginta annis. Seth 912. Enos 905. Cainan 910. Malaleel octingentis nonaginta quinque. Iareth nongẽtis ſexaginta duobus. Enoch. 365. Matuſale nongentis. 69. Lamech ſeptingentis. 77. Noe vero cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham & Iaphet.

HIC TERMINATVR PRIMA ÆTAS, HABENS SECVNDVM Hebraos annos. 1656. ſecundum ſeptuagintainterpretes. 2242.

Capvt Primvm.

De arca Noe & diluuio.

ANno vitæ Noe. 100. inundante diluuio, cum ſeptem animabus Arcam intrauit, quam ſpacio centum annorum loquente ſibi Domino. 20. annis prius fecerat. Et excreſcentibus aquis ſuper terram. 100. quinquaginta diebus domino pluente. 40. diebus & noctibus, viceſima ſeptima die menſis ſeptimi cum ſtetiſſet Arca ſuper montes Armeniæ, & poſt quadraginta dies coruum emiſiſſet, & poſtea columbam ferentem ramum oliuæ, viceſima ſeptima die 2. menſis egreſſus eſt de Arca, eodem ſcilicet die quo intrauerat anno reuoluto, cum 17. luna ſecũdi men-

di mensis intrasset. Et accepto sacrificio, cum concessionem carnis comedendæ sine sanguine suscepisset, & in signum diluuii præteriti, non futuri, & incendii venturi iris posita fuisset: vino, quod primus excoluerat inebriatus, & à Cham irrisus, huic maledicens, & reliquis filiis benedicens, obiit.

Cap. II.

De tribus filiis Noe.

TRibus filiis Noe texũtur generationes septuaginta duæ, quindecim scilicet de Iaphet, triginta de Cham, decem & septem de Sem, qui disseminati sunt per orbem. Sem obtinuit Asiam, Cham Africam, Iaphet Europam: quorum genealogias veteres ita distinguunt. Primus de genere Sem in Asiam veniens, prouincias in hunc modum disposuit.

Orbis diuisus inter filios Noah.

Cap. III.

De primis gentilium regnis.

CRescente post diluuium populo, exorta sunt quatuor principalia regna Assyriorum ab oriente, vbi primus regnauit Belus, Siciniorum ab occidẽte, vbi Egialeus, Scytharum ab aquilone, vbi Tanus, Aegyptiorum à meridie, vbi Myneus. Belo successit Semiramis vxor sua, quæ Babyloniam caput regni constituit. Cui Ninus qui inuentor Idolorum fuit, faciens imaginem Belo patri: Tandem Sardanapalus à quo Arbaces regnum ad Medos transtulit. Super quos tandem Astyages regnans, data filia tua principi Persarum, de quo Cyrus ortus est, ab eo est superatus. Quo mortuo, regno ad Persas translato, Darius filius Astyagis cum eodem Cyro conregnauit.

Assyrii.
Belus.
Sicinii.
Scythæ
Ægyptii.
Ninus Idolorum inuẽtor.
Sardanapalus.
Regnum ad Medos trãslatum.
Cyrus.

Cap. IV.

Distinctio Regionum

ORbis siue mundus noster habitabilis qui vndique clauditur oceano, tres habet partes principales, scilicet Asiam, Africam, & Europam. Asia autem est capacissima. Sunt enim in ea istæ regiones, India, Parthia, Syria, Persia, Media, Mesopotamia, Cappadocia, Palęstina, Armenia, Cilicia, Chaldea, Bissamia, Lydia. In Africa hæ sunt prouincię, Lybia, Cyrenæ, Pentapolis, Æthiopia, Tripolitania, Ægyptus, Gætulia, Natabria, Numidia, Syrtes maiores & minores. In Europa hæ sunt regiones, Italia, Hispania, Germania, Macedonia, Thracia, Dalmatia, Pannonia, Gallia, Achaia, Britannia, maior & minor, Hybernia, Aquilonales insulę infra oceanum. Primus homo de genere Iaphet venit ad Europam, Alanus nomine, cum tribus filiis suis: quorum nomina sunt hæc, Isicion, Armenion, Negno. Isicion habuit quatuor filios. Hi sunt, Francus, Romanus, Alemannus, Brito. Armenion habuit quinque filios, qui sunt hi, Gothus, Valagothus, Cœbidus, Burgundus, Longobardus. Negno habuit quatuor filios, quorum hæc sunt nomina, VVandalus, Saxon, Bogarus, Targus. Ab Isicione primogenito Alani, ortæ sunt 4. gentes Latini, Franci, Alemanni & Britanni. Ab Armenione, filio secũdo orti sunt Gothi, Valagothi, Cœbidi, Burgundi, Longobardi. A Negnone autem filio tertio, exorti sunt Bogari, VVandali, Saxones, & Tharinci. istæ autem gentes diuisæ sunt per totam Europam. Fuit autem Alanus, vt aiunt, filius Fretheuir, filii Ogomun, filii Thay, filii Boyb, filii Simeon, filii Mayr, filii Athach, filii Aurtaach, filii Cephet, filii Cozech, filii Abrech, filii Ra, filii Esra, filii Isram, filii Bach, filii Iohan, filii Iabach, filii Iaphet, filii Noe. De Asia autem & Africa alibi dicetur.

Asia quas continet regiones.
Africa.
Europa.
Europa à quibus cœpit habitari.

Cap. V.

De generatione Sem.

SEm centum annorum erat quando genuit Arphaxat, biennio scilicet post diluuium. Arphaxat genuit Sale vel Cainan. Sale condidit ciuitatem, quam de nomine suo Salem appellauit, qui genuit Heber, à quo dicti sunt Hebræi, vel ab Abraham, quasi Abrahæi. Heber genuit Phaleg, cuius tempore filii filiorum Noe increduli pacti Dei, quod pepigerat cum Noe de diluuio non futuro, composuerunt lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento, vt ędificarent turrim, cuius altitudo tangeret cælum: quod si inundaret diluuiũ, in summitate eius manerent securi. Et quoniam arte propria, existimauerunt se euadere posse diluuii periculum & incendii, facta est ibidem in agro, scilicet Sennaar, linguarum diuisio, seu confusio, ita quidem vt nec vnus eorum intelligeret vocem proximi sui. Ideoque diuisit eos dominus in diuersas regiones, & cessauerunt ędificare turrim. Vocatũq; est nomen loci illius Babel, id est, confusio, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ. Phaleg vero in cuius familia remansit Hebræa lingua, omnium antiquissima, ideirco dictus est Phaleg, id est ab aliis diuisus. Phaleg genuit Ragau, Ragau genuit Saruch, qui genuit Nachor. Iste Nachor, cum exisset de Chaldæa, ducta in vxorem Melcha, filia fratris sui extincti, moratus est in Catram Mesopotamiæ. Mortuo ibi patre suo, & Abraham in terra Chanaan peregrinante, hos tres fratres, Hus, Bus, & Bathuel, cum aliis quinque genuit. De

Salem ciuitas aquo condita.
Hebræi vnde dicti.
In diuisione linguarum, quis retinuit Hebraam.

quorum vno, scilicet Bus, descendit Balaam, qui secundum Hebræos dicitur in Iob, Eliud Buzites. Iste Nachor genuit Thare, qui non valens ferre iniurias sibi illatas, de adorando igne in Chaldæa, vbi & filium suum primogenitum Aran extinxerunt, peregrinatus est cum Abraham, & Nachor, & familia Aran in Carram Mesopotamiæ, vbi completis ducentis quinque annis, Thare mortuus est.

CAP. VI.

De Nino rege magno Assyriorũ, & Semiramide matre eius.

TEmporibus Thare regnauit Ninus, rex Assyriorũ potentissimus, reginæ Semiramidis filius. Hæc virum mentita, 30. & duobus annis regnum Assyriorum potentisime gubernauit. Quæ vt callidius virum mentiretur, brachia & crura veste virili, caput vero tyara tegebat. & ne forte nouo habitu aliquid occultare videretur eodẽ ornatu & populum vestiri iubet, quem morem vestis exinde gens illa vniuersa tenet. Magnas denique res gessit. Quæ nec contenta, mulier virilis animi, terminis, quos adquisitos à viro susceperat. Æthiopiam bello pressit, Indis bellum intulit, quos præter illam nullus ante subegerat. Hæc Babyloniam ciuitatem ædificauit, eamque muro circumdedit, & vt esset caput regni Assyriorum instituit, quæ tandem à filio suo interfecta est. Qui dum matri successisset, contentus elaborato à parentibus regno, belli studia deposuit & velut sexum cum matre mutasset, raro à viris visus, inter feminarum turbas consenuit. Cuius exemplum eius posteri prosecuti responsa gentibus per internuncios dabant. Post Ninum denique reges, 36. regnum Assyriorum continua possessione tenuerunt, vsq; ad Sardanapalum per annos mille trecentos.

Vestitus Assyriorum.

Babylon ædificata à Semiramide.

Reges Assyriorum raro conspiciuntur.

Regnum Assyriorum post Ninum reges habuit 36. duranit 1300. annis.

CAP. VII.

VIxit autem Noe post diluuium. 850. annis. Sem. 600. annis. Arphaxat. 338. annis. Hober. 464. annis. Sale. 433. annis. Phaleg. 239. annis. Ragau siue Reu 239. Sarug. 230. Nachor. 139. Thare vero vixit. 70. annis, & genuit Abram, anno videlicet 43. memorati Nini regis Assyriorum.

De numero annorum secundæ ætatis.

Abram natus.

Ætas secunda.

IN THARE TERMINATVR SECVNDA ÆTAS, HABENS secundum Hebræos Annos 1292. secundum 70. interpretes 1072.

CAP. PRIMVM.

Thare pater Abram, Aran Nachor.

Aran pater Melcha, Loth, Sara.

Nachor pater Hus, Bus Batuel. Batuel pater Laban, Rebecca. Sara vxor Abrã.

Agar, Cethura, ancilla Abram.

Isaac, Ismael

Madan, Madian filii Abram.

Arithmetica, Astrologia quando tradita & quibus.

Circumcisio cur data sit.

Arabes ex Ismaele.

THARE vt dictum est, genuit Abram, Aran, & Nachor. Aran genuit Melcha, Loth, & Saram. Iste Loth cum exisset de Sodomis, subuersis quinque ciuitatibus, genuit hos duos Moab & Amon de filiabus suis ebrius factus. Nachor genuit Hus, Bus, & Batuel, ex Melcha filia Aran. Batuel, genuit Laban & Rebeccam. Abram habuit vxorem Saram nomine, filiam scilicet Aran fratris sui. Habuit etiam duas ancillas, Agar Ægyptiam, & Cethuram. Ex Sara genuit Isaac, ex Agar Ismael, ex Cethura Madan & Madian. Ismael genuit Naiaboth & Cedar. Iste Abram suffocato Aran fratre suo, adoptans filium eius Loth, ducta in vxorem Sarai, cum patre peregrinatus est in Carram. Inde mortuo patre venit in Sichem, & inde Pentapolim, Postea collocans tabernaculum inter Bethel & Hay, cum in Ægypto vxorem simulasset sororem, rediens in conuallem Mambre, habitauit confœderatus tribus fratribus. Abram Ægyptiis Arithmeticam & Astrologiã tradidit, à quibus ad Græcos postea deuenerunt. Qui cum de occisione quatuor Regum veniens, à Melchisedech decimas accipiente honoratus fuisset: signum dandæ prolis in pecudibus & auibus suscepit. Deinde cum esset annorum septuaginta quinque, & impugnaretur à Chaldæis & Mesopotamitis per inuidiam, eo quod ipsi colerent ignem & effigies deorum, ipse autem coleret Deum vnum creatorem cunctorum, & assereret illi solummodo honorem cultus & gratiarum deberi retributionem, creaturam autem virtute & administratione conditoris disponi, & non propria virtute subsistere: ad imperium domini relicta gente & patria sua, venit in terram Chanaan, accipiens promissionẽ, quod in gentem magnam excresceret nimis, mutato nomine ab Abram, in Abraham, qui interpretatur, pater multarum gentium, & quod in semine eius benedicerentur omnes gentes. Denique diuinitus præceptum accepit, vt se cum sua sobole circumcideret, non vt ipse Deus aliquid superfluum in homine creasset, quod postea iuberet abscindi, sed vt inter alias gentes, hoc corporis signo, electi viri soboles noscerentur. Et cum esset iam senior, genuit Isaac. Præcedenti tamen tempore, vt dictum est, genuerat Ismael, vnde Arabes, & aliæ gentes se esse ex genere Abrahæ gloriantur. Circumcisus est etiam Isaac, natiuitatis suæ die octauo. Præterea cum iam esset grandæuus Abraham, præcepit ei iterum Deus prefatum filium suum

Isaac,

Isaac, sibi immolari in monte Morin. Quod quidem ille creatori amplius, quam suo affectui cupiens deseruire, voluit adimplere. Sed nunquam credentibus dura diuinitas, suspendit virum angeli voce, à filii nece, ostendens ei, quem immolaret pro filio, arietem, vt absque pietatis dispendio tanti sacrificium consummaretur viri. Post hæc autem cum esset Isaac iam sexagenarius, genuit Esau, & Iacob patriarchas Idumeæ, & Israeliticæ gentis. *Idumæi ex Esau. Israelitæ à Iacobo.*

CAP. II.

CIrca hos dies, ortum regnum Argiuorum, vbi primus regnauit Inachus, cuius filia Io fuisse perhibetur, vxor Osyris, quæ vt magna dea est in Ægypto culta, eo quod ibi iuste regnauerit, & homines ibidem literis informauerit. *De regno Argiuorum & Argiui Ino, Io, dea Ægypt. Rex iustus.*

CAP. III.

MEmoratus Isaac, cum laborante in partu Rebecca, & oraculum audiente de Esau seruituro Iacob, apud Abimelech in Geraris peregrinatus, cum vxorem duxisset sororem suam, centuplum de semine colligens, tribus puteis eruderatis, & quarto facto in Bersabee, ibidem fœdere inito cum Abimelech & Phicol, Esau reprobato, ignarus benedixit Iacob, qui fratre suo tum in primogenitura, tum in benedictione supplantato, in Mesopotamiam proficiscens, cum prouisione iuxta Luzam titulum erexisset, & pro Rachel & Lia seruitium quatuordecim annorum apud Laban complesset, pacto de aliis septem annis pro gregibus, mutatione virgarum vix completo, cum vxoribus & filiis vndecim, à Laban furto sublatis idolis à Rachel, recedens in Galaad est comprehensus. Inde cum Laban fœdere inito, in lapidibus ad Manaim, vbi castra angelorum vidit proficiscens, ordinatis turmis, vadum Iaboch transiens, matutina lucta læso neruo cum angelo completa, mutatione nominis facta, præmissis muneribus, fratri suo tremebundus occurrit. Cuius filia Dina à Sichem oppressa, & Sichemitis in dolo occisis, iussu Dei ipse in Bethel altare erexit, & domum purgauit. *De filiis Isaac, Esau, & Iacob, & generatione eorum.*

ESAV Hispidus venator, venditis primogenitis à lenticula fulua dictus Edom ductis vxoribus Chananæis, Iudith & Basemath, supplantatus à fratre in benedictione, redeunti Iacob de Mesopotamia cum quadringentis viris, pacifice occurrit. Matrem quoque Esau & Iacob, scilicet Rebeccam, adduxit Eliezer seruus Abrahæ Isaac, de Mesopotamia, sororem Laban, filiam Batuelis. *De Esau, Idumæi erant.*

CAP. IIII.

TEmpore filiorum Isaac, vt quidam tradunt, fuit secundus rex in Edom, Iob de genere Hus filii Nachor, post Balæ, qui & in Genesi dicitur Iobab pronepos Esau. Sed Hebræi dicunt eum, vt diximus, descendisse de Hus, primogenito Nachor. Eodem tempore Balaam, qui in Iob Eliud dicitur, descendit de Bus qui à Balac rege conductus, vt malediceret Israel, ei benedixit, loquente prius sibi asina, & de ortu stellæ, & saluatoris prophetauit. *De Iob, & Balaam, & Acna. Iob. Balaam*

CAP. V.

MEmoratus autem Iacob, genuit duodecim Patriarchas, de quorum stirpe, duodecim tribus Israel, originem habuerunt. Habuit namque ex Lia, quæ Lippa dicebatur, Ruben, Simeon, Leui, Iudam, Isachar Zabulon, & Dinam filiam quæ à Sichemitis legitur oppressa. Ex Bala genuit Dan & Neptalim Ex Zelfa genuit Gad & Aser. Ex Rachel quæ pulchra dicebatur, genuit Ioseph & Beniamin. Iste Ioseph genuit Manassen & Effraim, quorum vterque, facit tribum per se, remota tribu Leui à sorte hæreditatis. *De natiuitate duodecim Patriarcharum.*

CAP. VI.

CIrca hos dies Apis filius Phorcei rex argiuorum, transuectus est nauibus in Ægyptum. Qui, cum ibi mortuus fuisset, appellatus est Serapis, omnium maximus Ægyptiorum Deus. Serapis autem, nõ Apis ideo appellatur, eo quod Sarcophagum Ægyptii Soron appellant, vbi eum sepultum venerari ceperunt, priusquam ei templum conderent. Huius filius fuit Argus, à quo sunt Argi appellati. *De Serape Deo Ægypti Apis, alias, Serapis idolũ Ægyptiorum.*

CAP. VII.

IOseph, 15. autem cum esset annorum, pascebat gregem cũm fratribus suis, adhuc puer, & erat cum filiis Nalæ & Zelfæ, vxorum patris sui. Cumque fratres suos apud patrem accusasset, & somnia plura fratribus narrans somniasset: inuidebant ei, atque Ægyptiis vendiderunt. Sed dum moraretur Ioseph in Ægypto, anno secundo sterilium annorum *De Iopseph & eius venditione.*

descendit eo etiam Iacob in animabus septuaginta duabus,& habitauit ibi, & per ordinẽ filiis suis ibidem benedicens vitam finiuit.

Cap. VIII.

De Iuda & eius generatione.

IVdas filius Iacob,ex vxore nomine Sue,genuit Her, Onam & Zela. Ex Thamar genuit Phares & Saram. Istam Thamar,cum dedisset Iudas duobus filiis suis,Her,& Onam, & illi ob ignominiosum scelus perissent: remisit viduam in domum paternam, timens eam tradere Sela quod fieri debebat secundum legem,causa suscitandi seminis. De qua postea sedente in biuio,mutato habitu, vadens Iudas cum Iram opilione,ad tondendas oues,Sue vxore sua mortua, Phares & Zaram ad vnum concubitum genuit,suspicans esse scortum. Quæ postea ad patibulum ducta, tanquam in adulterio deprehẽsa per arrabonem annuli, baculi,& armillæ se liberauit.

Cap. IX.

De morte Israel, & natiuitate. Moysi.

MOrtuo autem Israel in Ægypto,& in terram Chanaan translato, & ibidem sepulto creuit populus Hebræorum mirabiliter annis multis, vsque dum incrementis eius inuiderent Ægyptii,& ipsa eorum fœcunditas, eis fieret importuna. Tunc cœperunt eos affligere laboribus multis,sed tandem diuina miseratio respexit populũ.Egressus est namque in diebus illis de domo Leui, vir nomine Amram, qui accepta vxore stirpis suæ, nomine Iochabeth,genuit ex ea Aaron,Moysen,& Mariam.Denique cum creuerat Moyses iubente domino,eduxit populum de Ægypto, in portentis & prodigiis magnis,& siccis vestigiis transierunt rubrum mare.Quos cum persequeretur rex Ægypti, pœnitentia ductus quod eos abire siuisset, ingressus est ipse cum curribus & equitibus suis medium ficci maris.Sed subito refusa est super ipsum à tergo omnis moles aquæ,& obrutus est ibi cum vniuerso agmine suo. Vnde extant nunc in eodẽ littore,huius signi certissima monimenta. Tractus nempe rotarum & vestigia equitum & peditum ibidem adhuc conspiciũtur, & si casu turbentur,sole renascente, diatim diuinitus reparantur. Verum postquam transiuit mare rubrum populus Hebræorum fuit in deserto Sina annis quadraginta, quorum primo anno per manum Moysi susceptit legem à Deo.Inter illos tamen annos non calceamẽtum aut vestis illorum est attrita,nec vlla capillorum vel vnguium excretio eis est dominata.Sed velut immortalitate iam reddita immutabilem hominis formam,eorum simplex seruauit integritas.Hos autem per noctem columna lucis tanquam dux itineris præcedebat,& eadem per diem nubis habens speciem, ne fessos solitudo vasta conficeret, ab æstus iniuria defendebat.

Aaron, Moyses, Maria.

De exitu populi Israelitici de Ægypto duce Moyse.

Indicia Pharaonis ac exercitus eiusdem.

Cap. X.

De figmentis Poetarũ. Quo tempore Israel Ægypto exiit.

Athena à quo condita, & vnde sic dicta.

Lanificii, vini, & olei vsus, vnde.

Atlas.

Mercurius.

Deucalion.

Phaethon.

EDuxit autem Moyses eundem populum ex Ægypto,nouissimo tempore Cecropis regis Athenienſium, qui ipsam Athenienſium condidit ciuitatem in honorem Minerua, & ab eius nomine Atticos Athenienses appellauit. Minerua quippe græce Athanathe Parthene, id est, immortalis virgo vocatur, quoniam sapientia cuius esse Dea credebatur, nec mori potest nec corrumpi. Hæc Ogygii temporibus ad lacum qui Tritonis dicitur,virginali fertur apparuisse ætate. Vnde tanto procliuius Dea est credita, quo minus eius origo innotuit. Porro Athenienses,lanificii, vini,& olei vsum primi finitimis populis tradidisse feruntur. Fertur etiam de Cecrope, quod primus bouem Ioui mactauerit.Hac præterea tempestate, ferunt homines de luto formasse, quod optimus sapientiæ doctor extiterit. Huius frater fuit Atlas, qui & ipse summus Astrologus fuit. His etiam diebus reperitur fuisse Mercurius nepos Atlantis ex Maia filia sua, homo multarum inuentor artium. Cecropi vero Carnao succeſſit,sub quo Deucalionis diluuium fuit, tunc etiam Phaethontis fuit fabulosum incendium.

Cap. XI.

De numero populi Israel præter Leuitas. Numer.1.

DVm morarentur in deserto Sina filii Israel,præcepit Dominus Moysi & Aaron vt numerarent eos per cognationes & domos ac familias, & nomina singulorum à vicesimo anno,& supra omne,sexus masculini, qui possent ad bella procedere, & inuenti sunt de tribu Ruben filii Israel primogeniti.46.millia quingenti. De tribu Simeon 70300. De tribu Gad. 45650. De tribu Iuda. 74600. De tribu Isachar. 54400. De tribu Zabulon

buloth 57400. De tribu Ioseph, scilicet filiorum Effraim 40400. De tribu Manasse fratris Effraim. 32200. De tribu Beniamin 35400. De tribu Dan. 62700. De tribu Aser, 41500. De tribu Neptalim, 53400. Summa autem filiorum omnium Israel, sexcenta tria millia quingenti quadraginta. Leuitæ autem non sunt numerati cum eis, sed iubente domino constituti sunt ad portandum tabernaculum testimonii, & omnia vtensilia eius, & erant in ministerio eius, ac per gyrum tabernaculi castra metabantur.

CAP. II.

De quadraginta duabus mansionibus Israelitici populi, dum fuerunt in deserto, per tres annos.

PRimi anni, prima mansio populi Israel, in deserto fuit Ramesse, secunda, Sochot, tertia Echam, quarta Phiairoth, quinta Mara, sexta Helim, septima desertum Sin, octaua Dephea, nona Alus, decima Raphidim, vndecima desertum Sinai. Secundi anni mansio prima fuit, sepulchrum concupiscentiæ, secunda mons Sepher, tertia, mons Seroch, quarta, Rechima, 5. Remon Phares. 6. Lebna. 7. Ressa. 8. Chelata. 9. Arada. 10. Maceloth. 11. Chaach. 12. Thare. 13. Melcha. 14. Esmena. 15. Bameia Cham. 16. mons Galgag. 17. Rechebatha. 18. Ebrona. 19. Asion Gaber. 20. Cades. Tertii anni 1. mansio, mons Hor. 2. Salmana. 3. Phinon. 4. Oboth. 5. Ieabarim. 6. Gibongad. 7. Hemond. 8. Blataim. 9. Abarim. 10. Campestria Moab.

CAP. XIII.

De Iosue, & exploratoribus Iericho.

MOrtuo Moyse, successit Iosue filius Nun, in ducatu populi Israel, iubente domino, qui missis exploratoribus in Iericho Sethim, post septem dies Iordanem siccis pedibus cum omni populo transiuit. Duodecim lapides de alueo in siccum tulit, aliis. 12. de alueo in siccum reportatis, populum in Galgala, secunda circumcisione, innouauit. Ciuitatem Iericho septem diebus, sacerdotibus clangẽtibus buccinis, in septimo septies destruxit, Achorque, qui de anathemate regulam auream, & chlamydem coccineam tulerat, propter quod dominus iratus in Hay. 36. viros occiderat, lapidauit. Ciuitatem Hay per insidias accendit, Gabaonitas in seruos lignarios & aquarios recepit. Quinque reges, qui obsederant Gabaon, producto diei spatio, sole & luna stantibus, 24. & reges qui cum Iabin, interfecit. Altari constructo in Ebal, benedictiones & maledictiones acclamari præcepit, terramque aliis secundum concessionem, aliis secundum traditionem distribuit. Duas tribus & dimidiam, quæ in reditu suo post. 14. annos, altare iuxta tumulos Iordanis construxerant, liberans dimisit, fœdus à populo de colendo Deo, per aquæ effusionem initum, in volumine scripsit.

CAP. XIIII.

De figmentis gentilium temporibus Iosue.
Bacchus.
Europa.
Radamanthus.
Minos.
Sapedon.
Busyris.
Phœnix.
Cadmus.
Apollines duo.
Perseus & Andromeda.

TEmporibus Iosue, Liber pater fertur ostendisse vitem hospiti suo in Græcia. Et his iterum temporibus, rapta perhibetur Europa, cuius filii fuerunt, Radamanthus, Sarpedon, & Minos. His quoque diebus, Busyris filius Neptuni, ex matre Lybia, Paphi filia, suis diis, suos hospites immolabat. Phœnix & Cadmus de Thebis, Ægyptiorum ciuitate in Syriam profecti, in regione Tyri & Sidonis regnauerunt. Sed Cadmo recidente in Græciam, terra à Phœnice, Phœnicia dicta est. Et Europa filia Phœnicis, Iupiter mixtus est, & Danaus per 1. filias Ægisthi fratris sui, filios interfecit, vno tantum superstite qui post eum regnauit. Sed in his temporibus Latona peperit Apollinẽ, non illum, cuius oracula solebant consuli, sed illum, qui cum Hercule seruiuit Admeto, qui tamen sic est Deus creditus, vt plurimi illum, vnum eundemque Apollinem fuisse opinentur. Hoc præterea tempore, Liber pater bellauit in India, qui multas legitur in exercitu fœminas habuisse, quæ Bacchę sunt appellatæ, non tam virtute, quam furore famosæ. Per idem quoque tempus Perseus, & Andromeda vxor eius, in cœlum recepti esse referuntur.

CAP. XV.

De iudicibus, qui iudicauerunt Israel.
Iudices populi Israelitici.
Iosue. 15.

POst mortem Iosue Bennun, qui Moysi successit, Hebræorum populus mansit sub iudicibus annis multis, quorum nomina sunt hæc, Othoniel, Aioth, Delbora, Gedeon, Abimelech, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Abdon, Sampson, Hely, Samuel, qui vnxit Saulem in regem. Memoratus autem Othoniel, percussit Cariathsepher, vnde habuit vxorem Axam, quæ petiit à patre suo irriguum superius cum irriguo inferiori. iudicauit autem Israel 40. annis. Huic successit Aioth, qui cũ esset ambidexter, percusso Eglon, rege pingui, Israel liberauit, & ipse defendit Israel, & eodem anno vitam finiuit. Iudicauit Israel, 80.

Barach. Lapidoth.

annis, Sangar occidit sexcentos viros vomere vno. Delbora vxor Barach vel Lapidoth, occiso Sisara, per Iahel vxorem Abner Cinei; dato poculo lactis, tandem Iabin interfecit, cuius princeps fuit Sisera, & canticum cecinit. Delbora iudicauit Israel quadraginta annis. Gedeon salutatus ab angelo, cui supra Petram carnes obtulit, ab ara destructa dictus Ierobaal, suscepto signo in vellere, cum trecentis, aquam more canum lambentibus, laternis fractis & tubis clangentibus, quatuor reges Oreb, Zeb, Zebe, & Salmana strauit. Abimelech filius Ierobaal de concubina, in Sichem factus rex super Sichemitas. 70. fratres suos interfecit, superstite, qui parabolam de oliua, & ficu, & vite, & rhamno Sichemitis proposuit. Eandem etiam Sichem cum principe suo Gaal, per Zebul destruxit, & fragmine molæ per manum mulieris in oppido Thesbe periit. Abimelech de Ierobaal regnauit super Israel tribus annis. Thola succedens Abimelech, iudicauit Israel. 23. annis, & Iair annis 22. Iephte à filiis Israel vt spurius abiectus, in regione Thob, commorans, postea super eos princeps factus, superatis Ammonitis voto alligatus, filiam post planctum virginitatis duorum mensium & 40. dierum immolauit. Quadraginta. 2. millia de Ephraim per Schiboleth, & Sibboleth, Checholat, diiudicans ad vada Iordanis, trucidauit. Iephte iudicauit Israel. 6. annis. Abesan post eum iudicauit Israel 7. annis, Ailon 10. annis. Abdon siue Labdon 8. annis. Sampson 20. annis. Iste Sampson Manue filius, de stirpe Dan, cui natiuitas eius per angelum est prædicta, Nazareus, vxore ducta in thamnata, parabola de leone cõuiuis proposita, per dolum mulieris soluta, cum segetes hostium ligato igne ad caudas vulpium incendisset, & mille viros mandibula asini aquam dante in Ramothlesbi trucidasset, & portas Gazæ in montem tulisset, tandẽ dolo Dalidæ rasis crinibus à Philistæis excæcatus, molæ deputatus, in templo Dagon renascentibus capillis, plures strauit mortuus quam viuus.

CAP. XVI.

De raptu Helena, & fabulis Poetarũ. Raptus Helena. Regnum Argiuorum ad Micenas. Triptolemus Minotaurus. Centauri. Cerberus. Phrix. Helle. Gorgon. Bellerophon. Amphion. Dædalus. Oedipus. Anthæus. Ganimedes. Danae.

INter annos illos quibus populus Hebræorum, post mortem Iehu, alternauit sub iudicibus & humilitates laborum & prosperitates consolationum, Alexander Paris Helenam rapuit & regnum Argiuorum ad Micenas est translatum, vbi regnauit Agamemnon. Per idem etiam tempus celebres apud Grammaticos fabulæ sunt inuentæ. Fabula scilicet de Triptolemo, quod iubente Cerere, anguium portatus alis, indigentibus terris frumenta volando circumtulerit. De Minotauro, quod bestia fuerit inclusa laberintho, quo cum intrassent homines, inextricabili errore inde exire non poterant. De Centauris quod equorum hominumque fuerit natura coniuncta. De Tricerbero quod sit triceps inferorum canis. De Phrixo & Helle eius sorore, quod vecti ariete volauerunt. De Gorgone quod fuerit crinita serpentib. & aspicientes se conuertebat in lapides. De Bellerophonte, quod equo pennis volante sit vectus, qui equus Pegasus dictus est. De Amphione, quod cytharæ suauitate, lapides mulserit, & attraxerit. De fabro Dædalo & filio eius Icaro, quod sibi aptatis pennis volauerint. De Oedipo, quod monstrum quoddam, quod Sphinx dicebatur humana facie quadrupes, absoluta, quæ ab illo proponi solebat, velut insolubili quæstione, suo præcipitio perire compulerit. De Anthæo, quẽ necauit Hercules, quod filius fuerit terræ, propter quod cadens in terram, fortior soleret assurgere. De Ganimede, puero ad stuprum rapto, quod nefas non Iupiter, cui ascribitur, sed rex Tantalus, fecisse refertur. Danaë etiam per imbrem aureum, ipsius Iouis fertur adepta fuisse concubitum, vbi subintelligitur mulieris pudicitia, auro fuisse corrupta.

CAP. XVII.

De excidio Troiæ & natiuitate Bruti. Æneæ adductus in Italiam. Ascanius. Alba. Syluius. Brutus.

HAc tertia mundi ætate, cum iudicasset Labdon Israel tribus annis, factum est Troiæ excidium, expletis à mũdi initio quatuor millibus 19. à diluuio, mille, 777. à natiuitate Abrahæ, quadragesimo millesimo tertio anno Nini regis Assyriorum. 835. ante vrbem conditam annis. 404. ante primam quoque Olympiadem annis. 406. capta est Troia. De cuius excidio Æneas Veneris & Anchisę filius, ad Italiam venit, post excidium anno tertio. Qui cum Turno Dauni Tuscorum filio dimicans, eum interemit, eiusque sponsam Luiniam Latini regis filiam, in coniugium accepit. Regnauit autem Æneas Latinus tribus annis quo vita decedente regnum suscepit Ascanius, eiusdem Æneæ filius, quem apud Troiam ex Creusa coniuge genuerat, & secum in Italiam veniens, adduxerat. Hic condidit Albam super Tiberim genuitque filium, cuius nomen erat Syluius. Hic furtiuæ veneri indulgens, nupsit cuidam nepti Lauiniæ, eamque fecit prægnantem. Cumque dies partus accessisset, edidit mulier puerum, & in natiuitate eius mortua est. Traditur autem ille obstetrici, & vocatur Brutus. Postremo cum ter quini anni essent emensi, comitabatur iuuenis patrem in venando, & inopino ictu sagittæ, patrem pro bestia interfecit. Quo mortuo, expulsus est ab Italia, indignantibus parentibus ipsum tantũ facinus commisisse.

CAP.

CAP. XVIII.

EXulatus ergo Brutus, adiit partes Græciæ, & inuenit ibi progeniem Heleni, filii Priami, qui sub potestate Pandrasi regis Græcorum, in seruitute tenebatur, Pirrus etenim filius Achillis, post euersionem Troiæ, prædictum Helenum complureſque alios secum in vinculis abduxerat, & vt necem patris sui in ipsos vindicaret, in captionem teneri præceperat. Agnita igitur veterum conciuium prosapia, moratus est Brutus apud eos. In tantum autem militia & probitate vigere cœpit, ita vt à regibus & principibus præ omni iuuentute patriæ amaretur. Erat enim inter sapientes sapiens, inter bellicosos feruens, & quicquid auri vel argenti, siue ornamentorum adquirebat, totum militibus erogabat. Diuulgata itaque per vniuersas nationes ipsius fama, Troiani cæperunt ad eum confluere, orantes, vt ipso duce, à seruitute Græcorum liberarentur. Quod leuiter fieri asserebant, cum in tantum iam intra patriam multiplicati essent, ita vt septem millia (exceptis paruulis & mulieribus) computarentur. Erat præterea quidam nobilissimus iuuenis in Græcia, nomine Assaracus, qui partibus eorum fauebat. Ex Troiana namque matre natus erat, fiduciamque in illis habebat maximam, vt auxilio eorum inquietudini Græcorum resistere quiuisset. Arguebat enim eum frater suus, propter tria castella, quæ sibi moriens pater donauerat, & ei auferre conabatur, quia ex concubina natus fuerat. Erat autem frater eius, patre & matre Græcus, asciueratque regem cæteroſque Græcos, parti suæ fauere. Inspiciens ergo Brutus & virorum multitudinem, & Assaraci castella, quæ sibi patebant, securius petitioni eorum adquieuit. Erectus igitur in ducem, conuocat vndique Troianos, & oppida Assaraci muniuit. Ipse autem, & Assaracus, cum tota multitudine virorum & mulierum quæ eis adhærebat, nemora & colles occupant. Deinde literas suas regi dixerit, petens celsitudinem potentiæ suæ, vt sineret populum ad aliarum terrarum nationes accedere, vel in terra sua ad pristinam dignitatem redire. Pandrasus ergo vehementi commotus ira, exercitum grandem collegit, vt Troianos persequeretur, & maiori subiiceret seruituti. Dum autem deserta, quibus eos adesse autumauerat, per oppidum Sparatinum peteret: egressus est Brutus cum tribus millibus virorum, ipsumque nihil huiusmodi præmeditatum, ex improuiso inuasit, totumque exercitum eius dispergẽs, maximam partem interfecit. Ad vltimum vero (Marte sibi existente propitio) Antigonum fratrem regis, & Anacletum eiusdem socium retinuit, atq; vinculis mancipauit.

Vt Brutus in exilium pulsus, ad regem Græcorũ diuertit.

Brutus exul in Græcia.

Pandrasus.

CAP. XIX.

BRutus vero potitus victoria, oppidum secentis militibus muniuit, captiuosque suos custodibus tradens, nemorum abdita iterum petiuit. At Pandrasus ob fugã suam, fratrisque captionem anxius, populum dilaceratum resociare vacauit, oppidumque cum resociato populo obsidere progressus est. Arbitrabatur enim Brutũ immisisse se intra ipsum cum Antigono cæterisque captiuis quos ceperat. Vt igitur mœnibus accessit, indixit vt alii egressum inclusis abnegarent, alii cursus fluminis auerterent, alii crebris arietibus, cæterisque machinationibus, murorum compagem dissoluerent. Brutus vero obsessis opem subuectare affectans, nocte sequente castra Græcorum inuadere disposuit, vt labore fessos, & pigros somno, & quasi ab hostium incursione securos, miseranda cæde afficeret, affectosque suæ voluntati subiiceret. Dispositis ergo cateruis, Brutus cum sociis suis hostium cuneos audacter penetrans, ad regis tentorium, quod super omnia adire æstuabat, peruenit. Quo facto, enses otius euaginant cubicula sopitorum ingrediuntur, letiferos ictus ingeminant, & nullam pietatem habentes, castra in hunc modum deambulant, quæque sibi obuia crudeliter laniantes. Brutus vero Pandrasum regem omni solatio destitutum, viuum retinuit, ipsumq; vinciri, & reuerenter conseruari præcepit.

Vt Brutus regem Pandrasum bello ceperit.

Brutus Pandrasum capit.

CAP. XX.

BRutus vero, tanta lætus victoria, quæsiuit à suis, quid à Pandraso petendum laudarent. Illi vero, cum diuersis affectibus, diuersa affectarent; surrexit Mempritius vir consilio magnus, indictoque silentio ait. Regem interficere cupiditate dominandi, nefas mihi videtur, cum omnibus licitum sit pro patria pugnare. Sed laudo vt petamus ab illo filiam suam ad opus duci nostri & cum ea aurum & argentum, naues & frumentum, & cætera itinerinostro necessaria, vt aliquam regionem desertã adire, vbi nos & tota nostra posteritas in æuum, soli regnare possimus. Cumque omnibus, hæc sententia placuisset: Bruto iubente, rex in medium reuerenter adductus est. Edoctus vero de proposito eorũ, demissa voce respondit, Quoniam aduersi dii, me, meumq; fratrem Antigonũ in manus vestras tradiderũt, parendũ est petitioni vestræ, ne vitam, quę vestro arbitrio mihi adimi vel concedi potest, amittã, do duci vestro filiã meam Innogen, do aurũ & argentũ, frumentũ, vinũ & oleũ, & quicquid itineri vestro necessariũ censueritis. Maritata itaq; filia Bruto, cęteriſq; omnib. rite peractis, rex liber à carcere, & Troes ab eius potestate secundis vẽtis abcedunt.

Vt Brutus filiam Pandrasi regis duxerit in vxorem.

CAP. XXI.

Vt Brutus nauigando mansionem quaſierit.

COmpletis igitur proſpero ventorum flatu duobus diebus & vna nocte, applicuerunt in quandam inſulam Leogeciam vocatam, quæ antiquitus vaſtata, à nemine habitabatur. Exeuntes è nauibus venerunt ad quandam ciuitatem deſertam, in qua templum Dianæ, & ipſius imaginem, reſponſa dãtem, ſi forte ab aliquo peteretur, repererunt. Suggerunt duci commilitones, templum adire, atque litatis donis à numine inquirere, quæ patria eis ſedem certæ manſionis præberet. At Brutus conſiliis eorum adquieſcens, ante aram deæ, vas ſacrificii, plenum vino & ſanguine candidæ ceruæ dextra tenens, vocem in hæc verba diſſoluit.

VT BRVTVS DIANAM CONSVLVERIT.

Brutus conſulit Dianã.

Diua potens nemorum, terror ſylueſtribus apris,
Cui licet anfractus ire per æthereos,
Infernasque domos, terreſtria iura reſolue.
Et dic quas terras, nos habitare velis.
Dic certam ſedem, qua te venerabor in æuum,
Qua tibi virgineis, templa dicabo choris.

Hæc vbi nonies dixit, circuiuit aram quater, fuditque ſanginem & vinum quod tenebat, in focum, atque procubuit ſuper pellem ceruæ, quam ante aram extenderat, inuitatoq; ſomno tandem obdormiuit. Erat tunc quaſi tertia hora noctis, qua dulciore ſomno mortales premuntur. Tunc viſum eſt illi, deam ante ipſum aſtare, & cum in hunc modum affari.

RESPONSIO DIANÆ.

Diana reſponſum. Angliæ deſcriptio.

Brute ſub occaſu ſolis, trans Gallica regna,
Inſula in occeano eſt, vndique clauſa mari,
Inſula in occeano eſt, habitata gigantibus olim.
Nunc deſerta quidem gentibus apta tuis
Hanc pete, namque tibi ſedes erit illa perennis,
Hic fiet natis, altera Troia tuis.
Hic de prole tua reges naſcentur, & ipſis
Totius terræ ſubditus orbis erit.

CAP. XXII.

Vt Brutus Corinæum inuenerit.

TAli itaque viſione expergefactus dux, ſodalibus, quæ audierat, indicauit. At illi maximo fluctuantes gaudio, ad naues illico reuertuntur. Sulcantes æquora, curſu triginta dierum, venerunt ad Africam. Deinde ad aras Philænorum, & ad lacum Saliuarum, & nauigauerunt inter Ruſcitadam & montes Azaræ. Porro flumen Maluæ tranſeuntes petierunt columnas Herculis, & Tirrenum æquor, vbi iuxta littora inuenerunt quatuor generationes de exulibus Troiæ, quæ Antenoris fugam fuerant comitatæ. Erat autem dux eorum Corinæus, vir magni conſilii, audaciæ & virtutis. Hunc Brutus aſſociauit ſibi, & populum cui præſidebat. Venerunt inde ad Aquitaniam, & oſtiũ Ligeris ingreſſi, ſitum explorauerunt regionis. At Corinæus cum. 200. viris naues egrediens, victualia viriliter congerebat. Cumque id Goffario, qui tunc in Aquitania regnabat, nunciatum fuiſſet: cum Gallis & Aquitanis obuiam veniens, ereptioni prædæ vacabat. Inito tandem certamine, dira pugna committitur vtrobique. Sed Corinæus intra turmas eorundem ſeſe denſa acie intromittens, hoſtes coegit in fugam, & forte amiſſo gladio, adminiſtrabat bipennem. Huic brachium cum manu amputat, illi ſcapulas à corpore ſeparat, alii caput vno ictu detruncat, alterius cruta à ſummo diſſecat, omnes in illum, & ipſe ſolus in omnes ruebat. Quod Brutus aſpiciens, motus amore viri, venit cum vna turma, & regem Goffarium cum Pictauenſibus & Gallis, in fugam propellit. Affuit ibi quidem Tros nomine Turnus, nepos Bruti, quo fortior ſiue audacior, nullus, excepto Corinæo, aderat. Hic ſolo gladio ſuo, de viros peremit, ſed ab irruentibus Gallis citius quam debuerat, proh dolor, interfectus eſt. De nomine vero ipſius Turonorum ciuitas vocabulum traxit, quia ibidem vt teſtatur Homerus, ſepultus fuit. Et licet Bruto, tanta victoria maximum ingeſſiſſet gaudium, magno tamen angebatur dolore, quod nepotem ſuum amiſerat iuuenem tantæ probitatis. Nec mora, aſſenſu ſuorum claſſem ſuam petiuit, replens eam vniuerſis quæ adquiſierat, naneſque ingreſſus, proſperis ventis, promiſſam adiens inſulam, in Totoneſio littore applicuit.

Plinius Maluanam Appellat.

Corinæus Bruto iunctus. Goffarius Aquitaniæ rex.

Turonorum ciuitas vnde.

CAP. XXIII.

ERat tunc nomen inſulæ Albion, quæ à nemine, exceptis paucis gigantibus, inhabitabatur. Amœno tamen ſitu locorum, & copia Piſcoſorum fluminum, nemoribus præ-

lecta

lecta affectum habitandi Bruto sociisque inferebat, Peragratis ergo quibusque prouinciis repertos gigantes ad cauèrnas montium fugant, patriam donante duce sortiuntur, agros incipiunt colere, domos ædificare, ita vt in breui tempore, terrã ab æuo inhabitatam cenſeres. Denique Brutus de nomine suo, insulam Britanniam appellat, socios, suosque Britones. Volebat enim ex deriuatione nominis memoriam habere perpetuam, vnde postmodum loquela gentis, quæ prius Troiana, siue curuum Græcum nuncupabatur, dicta fuit Britannia. At Corinæus portionem regni, quæ illum contingebat, ab appellatione sui nominis Corinæam vocat, populumque suum Corinæensem, exemplum ducis insecutus. Ideo præcipue illam regionem, quæ nunc à Cornu Britanniæ, Cornubia appellatur eligit, quia super omnia cum gigantibus congredi æstuabat. Plus enim ibi abundabãt, quam in vlla prouinciarum, quæ in consocios suos fuerunt distributæ. Nempe vt in historia Britonum legitur, ipse luctamen iniit cum quodam gigante, Goemagog nomine, cuius statura erat duodecim cubitorum, ipsumque in humeris ponens, vsque ad littus maris detulit, atque per abrupta saxorum, deorsum proiiciens, in multa frusta concidit.

Vt Brutus ad Insulam Albion veniens, terram militibus suis affluẽter distribuit.

Albion post Britannia, & Britones. à Bruto.

Cornubia vnde.

CAP. XXIIII.

Diuiso tandem regno, affectauit Brutus ciuitatem ædificare. Affectum itaque suum exequens, circuiuit totius patriæ situm, donec ad Thamesim fluuium proueniens, locum nactus est proposito suo idoneum. Condidit itaque ciuitatem ibidem, eamque Troiam iam nouam vocauit. Quæ postea per corruptionem vocabuli, Trinouantum dicta fuit. Deinde ciuibus, iure victuris, eam dedicauit, deditque legem, qua pacifice tractarentur. Regnabant tunc in Troia filii Hectoris, expulsis posteris Antenoris. Regnabat etiam in Italia Syluius Æneas, Æneæ filius, auunculus Bruti Latinorum tertius. Regnabat tunc in Iudea Heli sacerdos, & arca testamenti à Philistæis capta est.

Vt Brutus Trinouãtum condiderit. Troianoua Alias, Trinouantum. nunc Londinum, quando cœpit ædificari.

CAP. XXV.

Svperius memoratum est, quod iubente domino, remota est tribus Leui, à sorte hæreditatis, vt ministraret in tabernaculo fœderis, & offerret sacrificia & hostias pro peccatis. Iste Leui genuit Caath, Caath ex vxore Iochabeth, genuit Isnar & Amrã. Isnar primogenitus genuit Core. Amram genuit Aaron & Moysen. Iste Moyses ducatum præbuit filiis Israel, ab Ægyptia seruitute, vt superius dictum est. Aarõ genuit Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Supra dictus Core litigauit cõtra Aaron de sacerdotio in deserto, eo quod ipse fuerat de primogenito Isnar, & ideo cum. 250. igne diuino periit. Dathan quoque & Abiron, Nadab & Abiu, tunc sunt absorpti. Ab Eleazar fuerunt sacerdotes descendentes vsque ad tempora Christi, secundũ originẽ iudicum, regum & prophetarũ. Huic successit Phinees, Phinees Abisue, Abisue Boezi, Boezi successit Ozi, à quo translatum sacerdotiũ ab Eleazar ad Heli, qui fuit de Thamar, & priuati sunt sacerdotio Azaria, Meraioth, Amarias, & Achitob. Heli vero in arguendis filiis tepidus, Ofniscz. & Phinees, qui cum eo sacerdotio fungebantur, & sacrificia altaris irreuerenter tractarent, à domino legitur reprobatus. Qui audita strage filiorum suorum, & arcam domini à Philistæis captam, de sella retro cadens fractis ceruicibus, expirauit. Iudicauit autem Israel. 40. annis.

De Leuitis, & captione arcæ Philistæis. & de morte Heli sacerdotis.

Filii Aronis.

Translatio Sacerdotii.

CAP. XXVI.

Fvit autem in diebus eius, vir nomine Helcana, per Core de Isnar descendens qui duas habuit vxores, Fenennam fœcundam, & Annam sterilem. Quæ votum faciens de masculo, si Deus ei daret, quod faceret eum Nazaræum: peperit prophetam Samuelem & iudicem, qui liberauit Israel à Philistæis, per agnum immolatum in lapide adiutorii, in terminis posito ad petitionem Israel. Saulem sibi à domino ostensum, in regem vnxit, tribus signis confirmans vnctionem, præceptum ei dans, quod quia postea transgressus est, reprobatus à domino in tanta angustia est positus, vt Samuelem mortuum, magica arte sciscitaret per Pythonissam. Descendit autem per multas successiones ex Abel de tribu Beniamin, de cuius filio Cis, natus est rex Saul. Iste Saul genuit Ionatham, Iesui, Melchisua, & Isboseth, cum duabus, filiabus Merob & Michol.

De Helcana & Samuele, & Saule.

Saulis filii & filiæ.

CAP. XXVII.

Tempore quo regnauit Saul in Iudæa, Brutus Britãnorum rex, ex vxore sua Innogem, tres filios genuit, quibus erant nomina, Locrinus, Albanactus, & Kamber, Hi postquã Pater eorum in 24. anno regni sui, ab hoc sæculo migrauit, & in vrbe quam condiderat, sepultus est diuiserunt regnum Britanniæ, & secesserunt vnusquisque in locum suum.

De morte Bruti & successione filiorum eius.

Filii Bruti.

Locrinus

Locrinus, qui primogenitus fuerat, possedit mediam partem insulæ, quæ postea de nomine suo appellata est Loegria. Kamber autem partem illam, quę est vltra Sabrinum flumen, quæ de nomine ipsius postmodum Cambria dicebatur, quæ regio modo Wallia nuncupatur. At Albanactus iunior, possedit partem quæ nunc Scotia appellatur, & ex nomine suo Albaniam nominauit. Illis deinde concordi pace, diu regnantibus, applicuit Humber rex Hunnorum in Albaniam, & commisso prælio cum Albanacto, ipsum interfecit, Locrinus ergo primogenitus associato sibi Kambro fratre suo, venit obuiam Hunnorum regi citra flumen, quod nunc Humber vocatur vbi inito congressu, Humbrum regem compulit in fugam, qui vsque ad flumen diffugiens, submersus est intra ipsum, & nomen suum flumini reliquit. Ab hac victoria Locrinus tres rapuit puellas, quarum vna miræ pulchritudinis erat nomine Estrildis, filia cuiusdam regis Germaniæ. Cuius amore captus, voluit eam maritali sibi thoro copulare. Quod cum Corinæo compertum fuisset: indignatus est vehementer, quoniam Locrinus pepigerat, sese filiam eius ducturum. Adiit ergo regem, & tam minis, quã blanditiis, Locrinum quod pepigerat, exequi coëgit. Duxit ergo filiam Corinæi, nomine Guendolœnam, nec tamen amoris Estrildis oblitus est, sed facto in vrbe Trinouantum subterraneo specu, furtiuam Venerem cum illa ducere satagebat. Estrildis interea grauida facta, edidit filiam quã Habren vocauit. Guendolœna vero grauida facta, peperit filium quem vocauit Maddan. Defuncto tandem Corinæo, deseruit Locrinus Guendolœnam, & Estrildem in reginam erexit. Vnde Guẽdolœna supra modum indignans, adiit Cornubiam, vbi exercitu congregato, Locrinum inquietare curauit. Conserto denique prælio, iuxta flumen Sturam, Locrinus ictu sagittæ percussus interiit, cum 10. annis regnasset. At Guendolœna paterna furens insania, iubet Estrildem & filiam Habren, præcipitari in fluuium. Qui tunc de nomine eius Habren, nunc vero per corruptionem Sabrina nuncupatur. Volebat enim honorem æternitatis illi impendere, quia maritus suus eam genuerat. Tunc Homerus, clarus rhetor & poëta habebatur, & Samuel propheta floruit in Iudæa.

Cambria. Scotia, ante Albania.

Humber, rex Hunnorum inuadit Scotiam alias, Albaniam.

Nuptiæ coactæ.

Sabrina vnde dicta.

Zelotypia mulierbris.

Homerus quo tempore vixit.

CAP. XXVIII.

De Madan, & filiis eius.

MAddan vero diademate insignitus, genuit duos filios, Mempricium & Malim, regnumque pacifice annis, 40. tractauit. Quo defuncto, discordia orta est inter predictos fratres, quia vterq; totam insulam possidere volebat. Mempricius vero fratre interfecto, tantam tyrannidem in populum exercuit, quod fere quenque nobilissimum regni perimere satagebat, sed vicesimo regni sui anno, dum venationem quæreret, iter faciens, & à sociis secedens, à multitudine rabiosorum luporum deuoratus est.

Mempricius tyrannus a lupis deuoratus.

CAP. XXIX.

De genealogia Saluatoris.

LInea genealogię Saluatoris, in hac mundi ætate tertia, ab Abraham sumpsit exordium. Abrahã (vt dictũ est) genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob, genuit Iudã & fratres eius, Iudas genuit Phares & Zarã de Thamar, Phares genuit Esrom, Esrõ genuit Arã, Arã genuit Aminadab, Aminadab geniut Naasson. Iste Naasson egressus est de Ægypto, princeps in tribu Iuda, & itaverũ est, q; dixit Dominus ad Abraham in Genesi, q; quinta generatione, exierũt filii Israel de Ægypto, facta computatione, secũdum tribum regiã, vt generationes vocemus, non personas, sed successiones, q; potes videre computando à Iuda ad Naasson. Nam quinquies dicitur ibi genuit. Si vero in litera illa contineatur quarta generatione, in tribu sacerdotali, sumẽdus est ordo cõputantib. à Leui ad Eleazar. Naasson aũt genuit Salmõ. Iste Salmon duxit Raab meretricẽ in vxorem, quæ recepit exploratores in Iericho, & abscondit in stipula lini super murum & liberauit domum suam per filium coccineum positum in fenestra, dum destrueretur Iericho. Salmon genuit Booz de Raab. In diebus Booz, Elimelech vir de Bethlehem, cum vxore sua Noemi, & filiis suis Maalon & Chelion, tempore famis peregrinatus est in Moab, vbi acceptis vxoribus filiis suis, Ruth videlicet & Orpha, & mortuis filiis & patre, rediit Noëmi cum Ruth Moabitide, de qua Booz genuit Obeth, suscitans semen propinquo defuncto. Obeth autem genuit Isai, vel Iesse. Binominis enim erat. Iesse autem genuit Dauid, & fratres eius. Istum Dauid, reprobato Saule propter inobedientiam, Samuel prophe-
ta vnxit in regem.

Raab.

Isai vel Jesse, pater Dauid.

IN SAVL TERMINATVR TERTIA ÆTAS, HABENS *secundum Hebræos Annos 942. secundum septuaginta interpretes, duos minus.*

CAP. I.

De regnō Dauid.

DAVID, vt prædictum est, minimus fratrum, in regem electus à domino, per Samuelem est inunctus in Bethlehem, in signum regis. Postea in Ebron in regem super tribum Iuda, septem annis & sex mensibus. Tertio super totū Israel 33. annis. Saulem psallendo mitigans à morte Goliæ, animam Ionathę sibi conglutinans, gener regis factus est. Cuius inuidia, ob laudem virginum erga se suscitata, cum eius cautelam centum præputia donando, frustrasset; ictum lanceæ dum psalleret, manu declinauit, insidiasque satellitum, astutia Michol statuam in lecto ponentis, euasit. Saulem in Naioth prophetantem, beneficio Samuelis illæsus vidit. Ionathæ exercenti se sagittis, fœdus iurauit. In Nobe, panes sacerdotales comedit, simulato furore apud Achis. Receptoque Abiathar solo de sacerdotibus à Doeg peremptis, latrunculis occisis, Ceilam liberauit. Ciphum aquæ, & hastam Saulis, eo dormiente, clam tollens, transuadauit, ab irruentibus hostibus dominum suum regem liberans. Eiusdem postea persequentis, oram chlamydis præcidit. Nabal viro stulto mortuo, Abigail vxorem duxit. Ab Achis in Siceleg rediens, Amalechitas percussit, nuncium mortis Saulis occidens, carmen lugubre plangens composuit. Mortuo Isboseth, solus in Ierusalem regnauit, de ea quæ prius Solima dicebatur, Iebuseum eiecit, & Mello ædificauit. Stratis Philistęis in Baalpharasim, arca domini in Ierusalem reducitur, saltans Dauid coram arca à Michol irridetur, promissa prole, domū domino ædificare prohibetur: Moab funiculis metiens, percussit, Philistæos & Idumæos in valle Saliuarum prosternens, Israel de manibus eorum liberauit. Officiales dignitates distribuit, Vriam manu Ammonitarum occidit: Absolon prius sibi reprobatum, postea se persequentem, fugit, quo peremptō, & Achitophel suspenso, Ierusalem rediit, populo numerato, iram Dei sibi obtinuit.

Isidorus commendans regem Dauid.

DAVID rex & propheta, ortus de genere Iuda, filius Iesse, natus in Bethlehem, puer pastor ouium, inter fratres ætate iunior, sed mente præstantior, à domino in regno vocatus, à propheta in regem vnctus, belliger in acie, in certamine singularis, in triumpho gloriosus, vincendo veteranus, patiens in aduersis, prudens in periculis, in peccato proprio dolens, in alieno funere lugens, pronus ad pœnitentiam, velox ad veniam, in conuictu mitis, ad misericordiam facilis, qui inimico regi, dum posset, non nocuit, nec tantum reseruauit traditum, sed & vindicauit occisum. Hic leonem & vrsum sine gladio interfecit, cytharæ suauitate immundum spiritum depulit, gygantes expugnauit. Igitur 40. regni, aut. 70. ætatis anno, diem vitæ suæ supremum consummauit, sepultusque est in ciuitate sua Bethlehem, quæ alio vocabulo dicitur Ephrata, vbi etiam Dominus noster Iesus Christus, secundum carnem est genitus, vbi etiam & Rachel, cum Beniamin peperisset, occubuit, vbi etiam sepulchrum Iesse, patris Dauid ostenditur. Est autem hic locus in tribu Iuda, sexto ab Ierusalem milliario, positus contra meridiem, itinere, quo pergitur Ebron.

CAP. II.

De Ebrancō rege, qui condidit Eboracum.

TEMpore quo regnauit in Iudæa Dauid, defuncto Mempritio Britonum rege, Ebrancus filius eius regnum suscepit, & annis 40. in eo regnauit. Hic primus post Brutum, classem in partes Galliarum dirigens, cum victoria reuersus est. Deinde trans Humbrum condidit ciuitatem, quam de nomine suo vocauit Kaerbranc, id est ciuitas Ebranci. Tunc regnauit in Italia Syluius Latinus. Condidit etiam vrbem Alclud, versus Albaniam, & oppidum montis Agned, quod nunc castellum puellarum dicitur. Genuit etiam 20. filios, & 30. filias, quas omnes in Italiam ad Syluium Albam, qui post Syluium Latinum regnauit direxit, & ibi maritatæ sunt nobilioribus Troianis. Post illum, Brutus cognomento viride scutum, regni gubernacula suscipiens, duodecim annis regnauit. Huic successit Leyl filius eius.

CAP. III.

De Salomone, & templi constructione.

DEfuncto Dauid rege, iam quarta mundi ætate, Salomon filius eius successit, inunctus à Nathan propheta, & Sadoch sacerdote. Deinde occiso Ioab, & Semei, & Adonia fratre suo, & accepta à Deo post immolationem sapientia, templum domino Hierosolymis ædificauit, regni sui anno quarto, & egressionis Israel de Ægypto, quingentesimo secundo, aduentus vero Abrahæ de Mesopotamia Syriæ, ad Chananæorum terram, millesimo atque vicesimo, & à tempore diluuii, millesimo & quadragintesimo. His quoque diebus memoratus Leyl rex Britonum, ædificauit ciuitatem, & eam de nomine suo Kaerleyl, *Leyl.* id est

Rudhud. id est, ciuitatem Leyl vocauit. Regnauit autem annis xxv. Post hunc, regnum suscepit Rudhudibras filius eius, hic condidit Kaerkeynt, id est, Cantuariam, & Kaerguyent, id est Guintoniam, atque oppidum montis Paladur, quod nunc Septonia vocatur.

De vita & morte Salomonis. SALOMON filius Dauid, editus ex Bersabe, in Ierusalē, antequam nasceretur vocatus sapientissimus omnium, dominici templi dedicator, fœlix imperio paternis meritis impar, dilectus à Deo, discretus in iudicio, in sententia iustus, in regno pacificus, qui popposcit sapientiam, & impetrauit, ita vt sciret omnem dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, vires lapidum & herbarum, naturas animalium, & cogitationes hominum. Cuius principia fuerunt bona, nouissima mala. Nam post miram virtutum gloriam, amore deprauatus fœmineo, & acceptam sapientiā perdidit, & in profundum idololatriæ fluenta ruina demersus 40. annis regnauit, 52. vitam peregit. Dehinc finem imperio & vitæ dedit, sepultusque est in ciuitate patris sui Bethlehem.

CAP. IIII.

De Roboam, & segregatione decem tribuum, à regno Dauid & Salomonis. *Regina Saba.* *Roboam.* AEdificato vt dictum est, à Salomone templo. x. die Septembris illud solenniter consecrauit. Domus saltus cum domo regia mirabiliter constructur. Regina Saba honorifice suscipitur. Sed vita laudabilis, amore illicito miserabiliter maculatur. Post Salomonem regnauit filius eius Roboam, contra quem exurrexit Ieroboam, de tribu Effraim, & segregauit decem tribus à Iuda, & à domo Dauid. Quod non casu, sed Dei iudicio contigit, propter Salomonis offensam, qui postquam illud nobilissimum Hierosolymis construxisset templū, blandimento mulierum seductus, in idololatriam est prolapsus. Sed noluit miserator & misericors dominus, eum patris sui regno priuare, donec deficeret, propter Dauid seruum suū. Proinde postquam singulæ partes, sicut scriptum est, singulos reges habere cœperunt: remansit cum tribu Iuda, & tribu Beniamin, etiam tribus Leui, quæ sacerdotalis erat, & Dei proprio seruitio mancipata. Et ex eo tempore istę tres tribus regnum Iudæ, reliquæ vero tribus, regnum Israel cœpit appellari. Adhęserunt quoque Israelitico populo tribus duæ, Manasses, scilicet & Effraim, quæ non sunt de tribus. 12. Nam Ioseph vnus de. xii. patriarchis, non vnam sicut cæteri patriarchæ singulas, sed duas, quas modo nominauimus, tribus fecit. Porro Ieroboam, mente peruersa, in Samaria, & in toto regno suo instituit idololatriam. Timuit enim, veniendo ad templū Dei, quod erat in Ierusalem, quo secundum diuinum mandatum sacrificandi causa, vniuersæ genti illi veniendum erat, populus seduceretur, & stirpi Dauid tanquam regio semini, redderetur, vnde (sicut iam dictum est) populum Israeliticum nefanda impietate maculauit. Nam ad suasionem Abdo prophetæ, viam prauam non deserens Achiam Sylonitem, per vxorem, de salute pueri consulens, tristē nunciū suæ desolationis audiens, expirauit. Regnauit autem 22. annis.

Diuisio Trium.

CAP. V.

De Regibus Israel. DIuiso itaque regno, post Ieroboam, regnauit super Israel in Samaria, Nadab filius eius duobus annis synecdochice. Iste Nadab obsidens Gebbethon vrbem Philistinorum, occisus est à Baasa & regnauit pro eo 24. annis synecdochice. Iste Baasa, licet correctus ab Iehu propheta, cum contra Asa ædificassēt Rama, impeditus per Benhadab, mortuus est. Fuit autem iste Benhadab ex antiquioribus regibus Syriæ, qui infestauerunt regnum Israel. Huic Baasa, successit Hela filius eius, & duobus annis regnauit synecdochice qui temulentus siue ebrius factus, à Zamri interfectus est, & regnauit pro eo septem diebus. Nam obsessus ab Amri, succensus est in Thersa. Huic succedens Amri, regnauit pro eo duodecim annis, synecdochice. Iste Amri, tribus annis antequam solus regnaret, contendit cum Thebin, & ędificata Samaria, obiit. Post eum regnauit Achab, filius eius 22. annis synecdochice. Hoc tempore floruerunt prophetæ, scilicet Helias, Micheas & Abdias.

De vita & morte Heliæ prophetæ. HELIAS Thesbites, sacerdos magnus & propheta, atque habitator solitudinis, fide plenus deuotione summus, in laboribus fortis, in industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ strictus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus, verberauit tyrannos, interfecit sacrilegos, multisque virtutum signis effulsit, ac trienni siccitate, clausit imbribus cœlum. Orauit rursum, & cœlum dedit pluuias. Mortuum mulieris filium suscitauit, cuius virtute hydria farinæ non defecit, vas olei perpetuo fonte manauit. Cuius verbo super sacrificium, ignis de cœlo descendit. Hic duos quinquagenarios cum militibus, cœlesti igne combussit. Iordanem transiens, tactu melotæ abrupit. Post hæc, igneo curru in cœlum raptus ascendit, venturus iuxta prophetiam Malachiæ, in finem mundi, ac præcessurus Christum, & nunciaturus vltimum eius aduentum, cum magnis virtutibus prodigiisque signorum, ita etiam vt bellum gerat antichristus aduersus eum, & qui eum bello

victurus

victutus est,& occidet. Cadauera quoque eorum in plateis insepulta iacebunt. De hinc suscitata à domino plaga magna,regnum Antichristi percutiet. Post hęc veniet dominus, &interficiet Antichristum gladio oris sui,& eos qui adorauerunt eum,& regnabit dominus cum omnibus suis in gloria sempiterna. In diebus huius Heliæ prophetę, Bladud, filius Rudhudibras regnum Britanniæ suscipiens, tenuit viginti annis. Hic ædificauit vrbem Kaerbadun, quę nunc Badonia nuncupatur, fecitq; in ea calida balnea ad vsus mortalium apta, quibus præfecit numen Mineruę, in cuius æde inextinguibiles posuit ignes, qui nunquam deficiunt in fauillas, sed quum tabescere incipiunt, in saxeos globos conuertuntur. Docuit etiam necromantiam per regnum Britanniæ, nec præstigia facere quieuit, donec alis sibi paratis, ire per summitatem aeris tentauit, ceciditque super templum Apollinis infra vrbem Trinouantũ, in multa frusta contritus. Huic successit Leyr, filius eius,& regnauit 40. annis. Hic ædificauit ciuitatem super flumen Soram, quæ Britannice Kaerleyr, Saxonice vero Leyrcestre nuncupatur. Tempore vero quo Helias sacerdotes Baal interfecit, Achab regi Israel, successit Ochozias filius eius duobus annis. Ochoziæ vero successit Ioram frater eius 12. annis. Porro Ioram occidit Iehu, quem vnxit discipulus Elisei in dissipationem domus Achab, secundum prophetiam Heliæ. Regnauit autem Iehu 28. annis. Cui successit Ioacham filius eius. 17. annis, sub quo Helisæus prophæta defunctus est, vir vita præclarus,& miraculis glorioſus, & sepultus in Samaria.

De Bladud Rege Britonum.

De Helisæo Propheta.

HELISÆVS Heliæ discipulus, ex Amelmoth oppido cognominatus ex tribu Ruben ortus est, in cuius ortu aurea vitula in Galgalis mugitum dedit, eiusque vox in Hierosolymis personuit. Tunc quidem præsagus vates prædixit. Hodie in Hierusalē natus est, qui cunctam destruet idolatriam. Hic gemino Heliæ glorificatus spiritu, plurimis atque magnis virtutum signis, emicuit. Iordanem transitu suo diuisum, refrænatis vndis, retro conuertit. Aquas Iericho steriles, dimerso vasculo, ad fœcunditatem perduxit. Pueros insultantes sibi, verbo bestiis tradidit. Sanguineas aquas in necem hostium decurrere fecit. Inter hæc, sterilem conceptionem verbo fœcundauit, eiusque filium mortuum suscitauit, ciborumque amaritudinem temperauit. Denique ex decem panibus plebe refecta, reliquias collegit,& Naaman leprę stigmatibus lauacro Iordanis purgauit, lepra quoque maledictum discipulum aspersit. Ferrum securis in Iordanem insertum (ligno in aquis missō) supernatare fecit. Hostem Syriæ cæcitate percussit, mortem incredulo prædicauit, fragore quadrigarum hostem fugauit, obsidionem dispersit, famen repulit, post mortem exanimi cadaueri vitam dedit, cuius sepulchrum hodie in Sebastia ciuitate ostenditur, honore satis dignum,& magna habitum veneratione. Ioacham vero regi Israel, successit Ioas filius eius 16. annis. Post Ioas vero regnauit Ieroboam filius eius. 41. annis. Huius temporibus Oseæ, Amos, Ioel,& Ionas Prophetabant. Hieroboam regi successit Zacharias filius eius mensibus sex quem necauit Sellum seruus ipsius. Post Sellum, qui vno mense regnauit, suscepit regnum Manaen decem annis. Iste Manaen datis mille talentis argenti Phul regi Assyriorum, vt ab eo recederet, dono falsorum vitulorum, iram eius in se prouocauit. Post Manaen, regnauit Phaceias filius eius, duobus annis. Phaceiæ vero successit Phacee filius Romuliæ, sub quo prophetauit Naum, qui Phacee regnauit 20. annis. Iste vero non restitit Teglatphalasar, quin captiuaret duas tribus & dimidiam, & de Tribu Zabulon & Nephtalim equipollens dimidiæ tribus. Huic successit Osee, quem captiuauit Salmanassar rex Assyriorum, transferens Israelitas in Assyrios, in vrbibus videlicet Medorum, iuxta flumen Gozam. Sub eodem Osee, licet dedisset licentiam eundi ter in Hierusalem, captiuatæ sunt decem tribus à Salmanassar, inter quas Tobias, cuius historia nota est, captiuatus. Obsessa tribus annis Samaria, Cutheis, vel Iacobitis, vel Samaritanis impleta est, qui ob timorem leonum, lege recepta, non abiecerunt idola.

Tobias.

CAP. VI.

QVi contemporanei fuere regibus Israel memoratus tractaturi, à Roboam, filio Salomonis, sumamus exordium. Iste Roboam, cum diuisisset dominus regnum, decem tribubus secutis Ieroboam, duas tantum cum Leuitica retinuit,& dictum est illud regnū Iuda: quia peccatis suis exigentibus, Susach rex Ægypti Hierosolymam veniens, templum domini spoliauit. Hic etiam pro scutis aureis sublatis, scuta ærea substituit. Hac tempestate prophetabant Achias, Iehu, Amos, Ioel & Zacharias,& Helias translatus à domino nusquam comparuit. Roboam autem qui 17. annis regnauit, successit Abias tribus annis. Abiæ successit Asa. Iste Asa munitis Gabea & Masphat ciuitatibus, de lapidibus & lignis quę collegerat Baasa in Rama, redargutus est à Iehu, quod spem in Benhadab posuisset, dolore pedum, quem prophetæ intulerat, ponendo eum in neruum, obiit. Regnauit autem 51.

De regno & regibus Iuda.

Susach rex Ægypti spoliat Hierosolymam.

annis. Huic succeſſit Ioſaphat.25. annis, & poſt Ioſaphat regnauit Ioram 7. annis. Quo regnante, receſſit Edom, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituit ſibi regem. Poſt eum regnauit Ochozias vno anno, qui & Ozias & Azarias vocabatur. Quem Azariam, cum filio ſuo Ioas, & nepote ſuo Amaſia, Euangeliſta Matthæus à Chriſti genealogia ſecluſit. Poſt Azariam regnauit Athalia 6. annis, & poſt illum Ioas, qui bono vſus principio, ſed fine peſſimo, interfecit Zachariã, filiũ Ioiadæ ſacerdotis, inter tẽplũ & altare, & regnauit. 40. annis. Et poſt Ioas, Amaſias, qui regnauit 29. an. apud Aſſyrios aũt circa hos dies regnauit Sardanapalus, homo muliere corruptior. Sẽper. n. inter fẽminatũ cõtubernia verſabatur. Ad quẽ admitti cũ quadã die præfectus eius Arbaſtus, ꝓpoſitus Medorũ obtinuiſſet: inuenit eũ inter ſcortorũ greges, muliebri habitu, purpurã colo nentẽ, & inter virgines penſa diuidentem, cũ & corporis mollitia, & oculorum laſciuia, omnes ſecum poſitas fœminas anteiret. Quo viſo, regreſſus ad ſocios, quod vidit refert, negatque continuo, illi ſe prorſus parere poſſe, qui ſe malit eſſe fœminam quam virum. Et fit mox coniuratio Medorum aduerſus gentem Aſſyriorum, & indicitur bellum Sardanapalo. At ille, cum reſiſtere rebellibus gentibus non potuiſſet, in regiam ſe recepit: vbi extructa, & accenſa pyra, ſe ſuaſque diuitias igne cremauit, ſicque defuncto Sardanapalo Aſſyriorum rege, 36. translatum eſt in Medos Aſſyriorum regnum, per Arbaſtum Medorum præfectum. Cucutritque poſtmodum regnum Medorum per ſucceſſiones temporum, atque regum vſque ad Aſtyagen auunculum Cyri, per trecentos quinquaginta annos. Verum reges Medorum non computantur in numero regum illuſtrium, vſque ad memoratum Cyrum, quamuis fuerint & Chaldæorum viribus prædi ti, & Babyloniæ nomine clari. Et hoc pariter eſt notandum, quia eodem tempore, quo apud Latinos regnauit rex Procas, Amulii & Numitoris, pater, auus autem Rheæ Syluiæ, quæ mater Remi & Romuli fuit, illo etiam tempore translatum eſt ad Medos regnum Aſſyriorum per Arbaſtum prædictum.

Sardanapalus.

Regnum Aſſyriorum translatum ad Medos.

CAP. VII.

Qualiter Leyr rex Britonum, filias ſuas probauerit.

CIrca hos dies, Leyr rex Britonum cum eſſet ſenio cõfectus, & filium non haberet tres filias, quas habuit, diuiſo regno, nobilibus copulare maritis diſpoſuit Sed vt ſciret quæ illarum potiore regni parte dignior eſſet, conuenit ſingulas, ſciſcitans ab eis, à qua fortius amaretur. Cui, cum duæ reſpondiſſent, quod patrem magis quam ſeipſas diligerent, tertia quæ iunior erat, ſororum adulationem intelligens, ait. Ego te ſemper vt patrem dilexi, & non aliter, & ſi à me magis extorquere deſideras; dico tibi, quia quantum habes, tantum vales, & ego te tantum diligo. Quo audito, rex cum indignatione reſpondit. Quoniam in tantum ſenectutem meam ſpreuiſti, quanto te plus cæteris dilexi, ego te diligere indignabor, nec vnquam partem in regno meo, cum ſororibus tuis habebis. His itaque dictis, predictas duas puellas, ducibus Cornubiæ & Albaniæ, cum medietate Britanniæ maritauit, ita videlicet, vt poſt mortem eius, totius inſulæ dominio fruerentur. Tandem cũ huius fama ad aures Aganippi Francorum regis, peruenifſet: continuo nuncios ſuos ad regem præfatum direxit, rogans vt filiam ſuam iuniorem, nomine Cordeillam, legitimo ſibi matrimonio copularet. At rex in prænominata indignatione adhuc perſeuerans, ita reſpondit. Se illam libenter daturum, ſed ſine terra, pecunia, auro, vel argento, quod ita factũ eſt. Deinde poſt aliquantulum temporis, cum Leyr rex cępit ſenio torpere, inſurrexerunt in illum prædicti duces, quibus Britanniam cum filiabus diuiderat, & abſtulerunt ei tenum, atque regiam poteſtatem. Rex igitur ignarus quid ageret, deliberauit tandem filias adire, quibus regnum diuiſerat, vt ſi fieri poſſet, ſibi dum viueret, & 40. militibus ſuis ſtipẽdia miniſtrarent. Quæ, cum indignatione verbum ex ore ipſius capientes, dixerunt eum ſenem eſſe, delirum, & mendicum, nec tanta familia dignum. Sed ſi vellet, relictis cæteris cum ſolo milite remaneret. At rex, cum ad memoriam priſtinæ dignitatis reductus fuiſſet, cum fletu rugitum emiſit, dicens. O Cordeilla filia, quam vera ſunt verba illa, quæ mihi reſpondiſti? ſcz. quantum habes, tantũ vales tantumq; te diligo. Dum habui, valui, Modo nõ habeo, ideo nõ valeo. Vnde conſtat, quod nõ me, ſed mea munera dilexiſtis. Hæc & his ſimilia ſæpius in animo reuoluens, diſpoſuit tandem filiã ſuam, quæ erat in partibus tranſmarinis adire, vt illius animum, cuius gratiam penitus non demeruerat, miſer deiectuſq; probaret. Mare igitur cum feſtinatione ingrediens, fælici curſu applicuit in partibus tranſmarinis. Veniens itaque Cariciam, vbi filia ſua erat, direxit ad illam nuncium ſuum, qui ipſum ad tantam productum miſeriam indicaret. Quo audito, commota eſt Cordeilla, & cum lachrymis quæſiuit, quot ſecum milites habuiſſet. Indicante nuncio, quod cum ſolo milite, & vno armigero aduentaſſet. Præcepit illico, vt patrem ſuum ad aliam ciuitatem perduceret, ipſumque ibi balnearet, & foueret, & regalibus veſtiret indumentis. Iuſſit etiam, vt quadraginta milites cum nobili apparatu

retinens

retinens, Aganippo regi Francorum sese adueniſſe nunciaret. Quo facto, indicauit per nuncium regi, & filiæ ſuæ, ſe à regno Britanniæ per generos ſuos fuiſſe expulſum, & ad ipſos veniſſe, vt auxilio eorum patriam ſuam recuperare quiuiſſet. At illi cum Conſulibus & proceribus, obuiam venientes, honorifice illum ſuſceperunt, legatos per vniuerſam Galliam deſtinantes, præceperunt vt milites, & omnes qui poſſent ad bellum procedere, cum equis & armis quantotius conuenirent, ad Britanniam ituri cum patre reginæ. Quo facto, duxit Leyr ſecum filiam ſuam, cum collecta multitudine bellatorum, pugnauitque cum hoſtibus, & victoria potitus eſt. Deinde, cũ vtroſque poteſtati ſuę ſubmiſiſſet, in tertio anno mortuus eſt. Mortuus eſt etiam Aganippus rex Francorum. Cordeilla ergo filia regis gubernacula regni Britonum adepta, ſepeliuit patrem in quodam ſubterraneo ſpecu, quod ſub Sora fluuio intra Legeceſtriam, fieri præceperat.

CAP. VIII.

CVm igitur Cordeilla regnum per quinquennium pacifice tractaſſet, cœperunt eam inquietare duo filii ſororum ſuarum, Marganus & Cunedagius, de quibus ſororibus, illos genuerant Maglaurus & Henninus, duces Cornubiæ & Albaniæ, qui etiam iuuenes præclarę probitatis famam habebant. Marganum autem genuit Maglaurus, Cunedagiũ vero Henninus. Hi itaque, cum poſt obitum patrũ in ducatibus eorundem ſucceſſiſſent indignati ſunt Britanniam fœminæ ſubditam eſſe. Collectis ergo exercitibus, in reginam ſurrexerunt, nec à ſęuitia ſua deſiſtere voluerunt, donec quibuſque prouinciis vaſtatis, prælia cum ipſa commiſerunt. Eam quoque ad vltimum captam, in carcerem poſuerunt, vbi ob amiſſionem regni, dolore obducta ſeſe interfecit. Exinde partiti ſunt iuuenes inſulam cuius pars illã quæ trans Humbrum extenditur verſus Kataneſiam, Margano ceſſit, alia vero quæ in alia parte fluuii ad occaſum ſolis vergit, Cunedagio ſubmittitur. Emenſo deinde biennio, acceſſerunt quidam, quibus turbatio regni placebat, ad Marganum, animumque illius ſeducentes, aiebant turpe & dedecus eſſe, ipſum cum primogenitus eſſet, totius inſulæ non dominari. Cumque his & aliis plurimis modis incitatus fuiſſet, duxit exercitum per prouincias Cunedagii ignemque accumulare incepit. Orta igitur diſcordia, obuiauit ei Cunedagius cum omni multitudine ſua, factoque congreſſu, cædem intulit non minimam, & Marganum in fugam perpulit. Deinde ſecutus eſt eum fugientem à prouincia in prouinciam, tandemque interfecit eum in pago Kambriæ, qui poſt interfectionem, de nomine ſuo Margan, hucuſque à pagẽſibus appellatus eſt. Potitus itaq; victoria Cunedagius, monarchiam totius inſulæ adeptus eſt, eamque triginta tribus annis glorioſe tractauit.

De mortẽ Cordeillæ.

CAP. IX.

EOdem tempore, condita eſt inclyta Roma à geminis fratribus, ſcilicet Remo & Romulo, cuius regni primordia, paucis expedire curabo ita tamen vt non modum poſitæ breuitatis excedam.

De Roma & eius conditoribus.

Nota.

Ita quippe gens ipſa late per orbem terrarum arma circumtulit, vt qui res, prout fuerunt, & vires eius legunt, non vnius gentis, ſed humani generis facta diſcant. Nam ad conſtruendum eius imperium, contendiſſe virtus, & fortuna videbantur.

PRIMVS in Italia, vt quibuſdam placet, regnauit Ianus. Deinde Saturnus, Iouem filium ſuum è Græcia fugiens in ciuitatem, quæ ex eius nomine Saturnia dicta eſt, cuius ruinæ, hactenus cernuntur in finibus Tuſciæ, haud procul ab vrbe. Hic Saturnus, quia in Italia latuit, ab eius latebris, Latium appellata eſt. Ipſe autem rudes adhuc populos, domos ædificare, terras incolere, plantare vineas docuit, atque humanis moribus viuere, cum antea ſemiferi glandium tantummodo alimentis vitam ſuſtentarent, & aut in ſpeluncis, aut frondibus, virgultiſque contextis caſulis, habitarent. Ipſe etiã eis, nummos æreos primus inſtituit, pro quibus meritis, ab indocili & ruſtica multitudine, Deus eſt appellatus.

De regibus Italiæ.

Ianus.

Saturnus.

Iupiter.

POST Saturnum, in Italia regnauit Picus filius eius. De quo fabuloſe dicitur, quod à quadam famoſiſſima maga, iCrce nomine, ob cõtemptum eius amoris, in auem ſui nominis, quæ pica dicitur, ſit mutatus. Poſt Picum regnauit Faunus, filius eius, qui fuit pater Latini, cuius mater Carmentis Nicoſtrata, creditur Latinas literas reperiſſe, vnde quidam dixit.

De Pico.

Faunus.

Carmentis notulas inuenit callida noſtras.

QVIBVS regnantibus. 150. anni referuntur euoluti. Regnante tamen Latino, qui Latinam linguam correxit, & Latinos de ſuo nomine appellauit, Troia à Græcis capta eſt, à natiuitate Abraham 843. anno. Nini regis Aſſyriorum annis 835. ante vrbem conditam, annis 44. ante primam Olympiadem, annis 46. Capta igitur Troia, vt ſupra dictum eſt, Æneas

Latinus.

Troia capta.

Æneas.

neas Veneris,& Anchiſæ filius,in Italiam venit. Anno tertio poſt Troiæ excidium, cum Turno dimicauit,eumque interfecit. Erat autem Turnus Dauni Tuſcorum regis filius, cuius ſponſam Lauiniam Latini regis filiam, in coniugium accepit, de cuius etiam nomine Lauinium oppidum, quod conſtruxerat, appellauit.Regnauit igitur Æneas ſuper Latinos tribus annis,poſtquam regnum obtinuit. Poſt hunc regnauit in Italia Aſcanius, qui & Iulus,eiuſdem Æneæ filius,& Syluium poſthumum hæredem reliquit, fratrem ſcilicet ſuum, Æneæ ex Lauinia filium, quem ſumma pietate educauit. Deinde Aſcanius Iulium procreauit, à quo familia Iuliorum exorta eſt, paruulum, qui nec dum regendis ciuibus idoneus erat. Aſcanius autem cum 38. annis regnaſſet, obiit ſuſcepitque pro eo regnum Syluius Poſthumus, & regnauit 29. annis. Qui ideo Poſthumus eſt dictus, quia poſt mortem patris eſt editus,Syluius vero,quia rure & & ſyluis fuerat educatus, à quo omnes Albanorum reges, Syluii vocati ſunt. Poſt Syluium Poſthumum, regnauit Æneas Syluius,annis.31.Poſt quem Latinus Syluius regnauit,annis.50. Tunc apud Hebræos Dauid regnauit. Latino Syluio ſucceſſit Alba Syluius, annis.39.Albæ Syluio ſucceſſit Ægyptus ſiue Atis,filius eius, annis.24. Cui Capis Syluius, ſuperioris regis filius, ſucceſſit, & regnauit annis 28. qui Capuam in Campania condidit. Cui Carpentus Syluius Capis filius ſucceſſit,annis 13. Cui Tyberinus Carpenti filius ſucceſſit,annis 9.Ab huius nomine Tyberis fluuius dictus eſt,eo quod in eum decidens,extinctus eſt, qui prius Albula dicebatur.Poſt hunc Agrippa Syluius regnauit annis 40.Tunc Homerus in Græcia floruiſſe perhibetur.Huic ſucceſſit Aremus Syluius Agrippæ ſuperioris filius,annis.19. Hic præſidium Albanorum inter montes,vbi nunc Roma eſt,conſtruxit, qui ob impietatem, fulminis ictu interiit.Huic Auentinus Syluius ſucceſſit, annis. 37. qui in eo monte qui nunc pars vrbis eſt,mortuus ac ſepultus,æternum loco vocabulum dedit. Cui Procas Syluius Auentini filius ſucceſſit,& regnauit annis.23.& tunc Fidon Argiuus menſuras & pondera reperit,cum apud Hebræos Zacharias in Iudæa,& Ieroboam in Iſrael regnarent. Huic Procæ Syluio,ſucceſſit Amulius eius natu maior filius annis.43.Illi,Numitor Procæ regis iunior filius, qui à fratre Amulio,regno pulſus,in agro ſuo vixit. Rhea Syluia, filia Numitoris,adimendi partus gratia,virgo Veſtalis electa eſt. Quæ cum ſeptimo patrui anno,geminos edidiſſet infantes, iuxta Legem,quam tunc habebant,in terra viua defoſſa eſt. Verum paruulos, prope ripam fluminis expoſitos Faſtulus regii paſtor armenti, ad Accam Laurentiam,vxorem ſuam detulit, quæ ob pulchritudinem & rapacitatem corporis queſtuoſi,lupa à vicinis appellabatur. Vnde & ad noſtram vſque memoriam cellulæ meritricum,lupanaria dicuntur. Pueri vero cum adoleuiſſent,collecta paſtorũ & latronum manu valida,interfecto apud Albam Amulio,auum ſuum Numitorẽ, in regnum reſtituunt.

Aſcanius. Syluius.

Æneas Syluius. Latinus Syluius. Alba Syluius. Ægyptus. Capis Syl. Carpentus Syluius. Tyberis fluuius. Agrippa. Homerus. Aremus Syluius. Auentinus. Procas Syluius. Ponderum & menſurarum inuentor. Amulius. Numitor. Vnde Lupanar.

ROMANVM igitur imperium, quo neque ab exordio vllum fere minus neque incrementis toto orbe amplius humana poteſt memoria recordari, à Romulo exordium habuit,qui Rheæ Syluiæ,veſtalis virginis filius,& (quantum putatus eſt) Martis,cum Remo fratre,vno partu editus eſt.Romulus cum inter paſtores latrocinaretur,decem & octo annos natus,vrbem exiguam in Palatino monte conſtituit,decimo Kalend.Maias,Olympiadis ſextæ anno tertio,quadringenteſimo.19. poſt Troiæ excidium ſiue vt placet Oroſio,quadringenteſimo quarto,ante ſex annos,quam decem tribus Iſrael à Senacherib,rege Chaldæorum,transferrentur in montes Medorum. Condita ergo ciuitate, quam ex ſuo nomine Romam vocauit, à qua & Romanis nomen inditum eſt,hæc fere egit. Condito templo,quod Aſylum appellauit,pollicitus eſt cunctis ad id confugientibus, impunitatem,quam ob cauſam multitudinem finitimorum,qui aliquã apud ſuos ciues offenſam contraxerant,ad ſe confugientem,in ciuitatem recepit. Latini deniq; Tuſcique paſtores, & tranſmarini Friges,qui ſub Ænea, Arcades,qui ſub Euandro duce influxerant,eo conuenere,& ita quaſi ex variis elementis congregauit vnum corpus, vt vnum populum Romanum efficeret.Centum ex ſenioribus elegit,quorum conſilio omnia ageret,quos ſenatores propter ſenectutem,patres ob ſimilitudinem curæ, nominauit. Mille etiam pugnatores delegit,quos à numero,milites appellauit. Tunc cum vxores ipſe, & populus ſuus non haberent, inuitauit ad ſpectaculum Ludorum,vicinas vrbi Romæ nationes, atq; earum virgines rapuit,anno quarto ab vrbe Roma condita. Tunc vna virginum pulcherrima,cunctorũ acclamatione rapientiũ,Thalaſſo duci dono Romuli decernitur,vnde in nuptiarum ſolennitatibus, Thalaſſo vulgo clamitant,quod ſcz.talis nupta ſit,quę Thalaſſum habere mereatur.Commotis bellis propter raptarum virginum iniuriam, Cecinenſes vicit,Antennates,Cruſtuminos, Sabinos, Fidenates, Bizantes, quæ omnia oppida vrbem cingunt. Tunc etiam virgo Tarpeia,Sabinorum clypeis in monte obruta eſt, qui ab eius nomine Tarpeius eſt appellatus,in quo poſtea Capitolium eſt conſtructum. Pepigere tamen Romani fœdus cum Sabinis quorum filias rapuerant,& firmas amicitias adeo,vt Sabinorum

Oroſius lib. 2. c. 4. p. 69.

De Remo & Romulo conditoribus. Quotempore condita ſit Roma.

Aſylum.

Vnde Senatores. Vnde militũ appellatio.

binorum rex Tatius, pariter regnaret cum Romulo. Sabini quoq;, & Romani vnus populus efficiebantur, quo tempore, Romani ad confirmandam coniunctionem, nomina illorum præponebant suis nominibus,& inuicem Sabinis Romanorum: & ex illo tempore,consuetudo tenuit,vt nemo Romanus sit,absque prænomine.Propter hanc societatem, cum Sabinorum more, Romulus hastam ferret, quæ eorum lingua Quiris appellabatur, Quirinus est dictus.Romani vero siue à Quirib· id est,hastis,siue à Quirino, Quirites,nominari cœperũt. Remus Romuli frater,deniq; à Fabio,duce Romuli ,nescio an fratris voluntate,rastro pastorali extinctus est. Causa eius interitus hæc fuit, quod ad tutelam nouæ vrbis vallum non posse sufficere increpauerit, ciusq; angustias saltu transilierit. Romulus vero, cum apud paludem Capuæ nusquam comparuisset, anno regni sui. 39. ad Deos transisse creditus est, & Quirini nomine consecratus. Deinde Romæ per quinos dies senatores imperauerunt,& his regnantibus, vnus annus completus est.

Sabini & Romani vnus populus efficiuntur.
Vnde Romani.
Remus interficitur.
Romulus disparuit.

CAP. X.

POst Romulum Numa Pompilius,rex apud Romanos creatus est, cum apud Hebræos Ezechias regnaret. Qui bellum nullum gessit, sed non minus ciuitati, quam Romulus profuit. Nam (sicut alter Moyses) leges Romanis moresque constituit, qui consuetudine præliorũ, iam latrones, ac semibarbari videbantur. Et descripsit annum in decem menses, prius sine aliqua supputatione confusum, & infinita Romæ sacra ac templa constituit,vel, vt aliis placet,duos menses anno addidit,Ianuarium & Februarium,cum antea decem tantum apud Romanos fuissent à Romulo instituti. Capitolium quoq; à fundamentis ædificauit,,in religione sacrorum præcipuus,qui sacra & ceremonias,omnemq; cultum deorum docuit. Pontifices,augures,cæteraq; sacerdotia,& secreta quædã imperii pignora descripsit,Ianumq; bifrontem. Illi primus,focum Vestę virginibus colendum tradidit, vt ad simulacrum, custos imperii,cœlestium siderum flamma vigilaret. In tantum enim vanitate est deceptus,vt plurima,diabolo dictante, conscriberet,quæ postea,si ad hominum notitiam peruenirent,nimium obesse cognouit,sed quia ea incendere timuit, iuxta suum latenter sepulchrum,vbi neminem accessurum credidit,sub humo abscondit. Decedente vero tempore quidam rusticus, dum in eodem agriculturam exerceret loco aratro eradente,hæc scripta reperit. Prætori obtulit Prætorq; senatui.Senatus autem, vt vidit, miũ detestatus,exhorruit,incendioq; tradens,concremauit, ne aliqua curiositate, ad hominum notitiam tantum facinus seu nefas diabolicum peruenirent. Morbo decessit imperii sui anno. 41. Numa vero regnante,Glaucus primus, ferri inter se glutinum excogitauit, quo tempore Esaias & Osee Prophetauerunt. Huic successit Tullus Hostilius,qui omnem militarem disciplinam,artemq; bellandi instituit,primusq; regum Romanorum, purpura & fascib. vsus est Manasse in Iudæa regnãte.Vrbem autẽ amplificauit adiecto Cęlio monte.Cum 32.annis regnasset,fulminis ictu percussus,cum domo sua arsit. His temporibus, Bizantium ciuitas condita est, quæ postea Constantinopolis est appellata.Post hunc Ancus Martius Numæ Pompilii ex filia nepos, suscepit imperium, Iosia regnante apud Hebræos.Ab vrbem illiaria 16.in ipso fluminis,marisq; confinio Hostiam ciuitatem condidit, contra Latinos dimicauit, Auentinum montem ciuitati adiecit,& Ianiculum. Eo regnante,Epidaurus condita est, quæ postea Dyrrachium est appellata. Morbo periit,anno imperii sui.23.Post hunc regnauit Tarquinius Priscus.Hic numerum senatorum duplicauit, Sabinos vicit,& non parum agrorum eis sublatum vrbis territorio copulauit,primusq; triumphans Romam intrauit,muros fecit,atq; cloacas,Capitoliũ inchoauit, duodecim Tuscię populos subegit.Hic 37.anno imperii sui,per Anci superioris filium,occisus est.Eo regnante Ario Methymnæus à Delphine in Tænarum dicitur transportatus.Tunc fuit Massilia cõdita.Eodemq; tempore Hierusalem à Nabugodonosor rege subuersa est.Post hunc Seruius Tullius regnauit annis 34.quo regnante, Balthasar imperabat Chaldæis, sub quo Daniel scripturã mysticã in pariete legit & interpretatus est. Hic Seruius Tullius Sabinos subegit, montes tres,scilicet Quirinalem, Viminalem, Esquilinum vrbi adiecit. Primus omnium, censum ordinauit. Sub eo tempore Romæ censu habito ,inuenta sunt capita bellatorum 87000. Tandem idem Seruius Tullius occisus est,scelere generi sui Tarquinii Superbi,filii eius regis,cui successerat ipse, & filiæ, quã Tarquinius habebat vxorem.Post hunc Luci⁹ Tarquini⁹ superbus 7.atq; vltim⁹ regũ: inuasit imperium. Quo tempore ad relaxationẽ Cyri regis Persarũ,reuersi sunt Hierosolymam Iudęi.42400.Ille primus excogitauit diuersa genera tormentorũ,vincula, taureas, fustes, laminas,carceres,cõpedes,catenas,exilia,metalla.Templũ Ioui in Capitolio ędificauit, postea Ardeã ciuitatẽ oppugnans, imperiũ perdidit,expulsus à Romanis.Nam cũ filius eius Tarquini⁹ iunior nobilissimã Romanę ciuitatis matronã, nomine Lucretiam Collatini vxorẽ, & nobiliss. viri Bruti propin

Numa Pompilius Rex creatur,qui leges Romanis & mores constituit.
A quo mensium inuentio.
Tullus Hostilius.
Bizantium, alias, Constantinopolis.
Ancus Martius.
Tarquinius Priscus.
Seruius Tullius.
Tarquinius Superbus.
Lucretia.

quam violenter ſtupraſſet, illaq; de iniuria ſibi facta, Collatino marito, & patri ſuo, & Bruto propinquo, & cæteris amicis & parentibus cõqueſta fuiſſet, coſq; ad vindictam faciendam iuramento cõſtrinxiſſet, tandem fœditatem ſtupri in ſe commiſſam, in ſe vindicans, in conſpectu omnium ſe ipſam peremit. Sicq; Romę regnatũ eſt per ſeptẽ reges annis 243.

CAP. II.

HInc conſules cœpere, pro vno rege, duo, hac de cauſa creari, vt ſi vnus malus eſſe voluiſſet, eum alter habens poteſtatem ſimilem, coerceret, & placuit, ne imperium diutius quam annum haberent, ne per diuturnitatem poteſtatis, inſolentiores redderentur. Fuerunt igitur primo anno conſules, Lucius Iunius & Brutus, qui maxime egerat, vt Tarquinius pelleretur. Placuit ergo, ne quiſquam in vrbe remaneret, qui Tarquinius vocaretur. Anno nono poſt reges exactos, cum gener Tarquinii iunioris, Porſenna rex Tuſciæ ad iniuriam ſoceri vindicandam, ingentem collegiſſet exercitum, noua Romæ dignitas creata eſt, quæ Dictatura appellatur, maior quam conſulatus. Eodem anno etiam Magiſter equitum factus eſt primo, qui Dictatori obſequeretur. Nec quicquam ſublimius poteſt dici, quã Dictatura antiqua, huic imperii poteſtati, maxime quoq; cum Octauianus Auguſtus, & ante eum Caius Cæſar Dictaturæ nomine atque honore, regnauerunt. Dictator autem Romæ primus fuit Largus, Magiſter equitum, primus Spurius Caſſius. 16. anno poſt reges exactos. Seditionem populus Romæ fecit, tanquam à Senatu atq; Conſulibus, opprimeretur. Tum etiam ipſe Spurius Caſſius ſibi Tribunos plebis, quaſi proprios iudices & defenſores creauit, per quos contra Senatum & Conſules tutus eſſe poſſet. Eodem tempore, cõcedente Xerxe Perſarum rege, Nehemias Iudæam venit, muros vrbemq; reſtituit, Anno. 302. ab vrbe condita, imperium conſulare ceſſauit: & pro duobus conſulibus decem facti ſunt, qui ſummã poteſtatẽ tenerent, ac decemuiri nominati ſunt. Anno. 315. ab vrbe condita. Fidenates venientes contra Romanos rebellauerunt. Sed à Romanis victi defecerunt, ac deinde poſt. 20. annos iterum venientes rebellauerunt: Sed Dictator Furius Camillus miſſus cõtra ipſos, vicit eos, & ciuitatem eorum antiquiſſimam diu obſidens cepit, & poſtea cepit Faliſcos non minus nobilem ciuitatem. Deinde Galli Senones Romam venientes, eam ceperunt, nec quicquam defendi potuit præter Capitolium. Quod cum diu obſediſſent, à Camillo, qui vicina ciuitate exulabat, Gallis ſuperuentum eſt, & grauiſſime victi ſunt. Ita Camillus Romam ingreſſus Romulus ſecundus eſt appellatus, quaſi patriæ liberator. Tunc Heſter reg. clara habetur, & Plato philoſophus floruit.

HESTER regina, filia fratris Mardochæi, de ſtirpe Beniamin, captiua de Ieruſalem in vrbem Suſis translata, atque ob aſpectum formæ & perſpicuam virginitatis excellentiam, regis Perſarum connubiis copulata eſt. Hæc vt populum ſuum liberaret à periculo, morti ſe obtulit: amicumque regis, aduerſus populum Dei nefaria perſuadentem, cruci tradendum perſuaſit, quam Mardochęo parauerat: gentemque liberam ab excidio eruit, atque à ſeruitute eripuit. Iacet ſepulta in Suſis vrbe Medorum, in qua etiam regnauit. Anno. 365. ab vrbe condita, pro duobus Conſulibus facti ſunt tribuni militares, ſub quibus res Romana creſcere cœpit. Sequenti anno in medio vrbis, inferna ſubito patuerunt, quod cum diutius ita maneret & cunctis terrorem inferret, tandem interpretantibus aruſpicibus, quod viui hominis ſepulturam expeteret, Marcus Curtius equum conſcendens, ſe in id barathrum armatus iniecit, ſicque concluſum eſt. Interea Titus Quintius Dictator, aduerſus Gallos, qui ad Italiã venerant, miſſus eſt. Galli autẽ, quarto milliario ab vrbe, trans Anienem fluuiũ conſederunt, vbi nobiliſſimus de Senatoribus iuuenis Lucius Manlius, prouocantem Gallum ad ſingulare certamen, progreſſus occidit, & ſublata torque aurea, colloque ſuo impoſita, in perpetuum cognomen Torquati, & ſibi & poſteris, triumphaliter accepit. Tunc Galli fugati ſunt, ac etiam mox victi per Caium Sulpitium. Alia vice, quidam ex Gallis, vnum ex Romanis, qui eſſet optimus, prouocauit. Tunc ſe Marcus Valerius tribunus militum obtulit, & cum proceſſiſſet armatus, coruus ei ſupra dextrum brachium ſedit. Mox commiſſa cum Gallo pugna, idem coruus alis & vngibus Galli oculos verberauit, ne recte poſſit aſpicere. Ita à Tribuno Valerio interfectus, non ſolum victoriam ei, ſed etiam nomen dedit. Nam poſtea idem Coruinus eſt dictus, ac propter hoc meritum, annorum. 20. & trium cum eſſet, conſul factus eſt. Tunc quidem nox dilatata eſt, & vſque ad plurimam diei partem tendi viſa eſt, tunc etiam ſaxa de nubibus ceciderunt. Eodemque tempore magnus Alexander natus eſt. Iam Romani potentes eſſe cœperunt. Bellum enim in centeſimo & triceſimo milliario ab vrbe, apud Sannites gerebatur, qui medii ſunt inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. Si ingentem illorum opulentiam quæras: aureis & argenteis armis, diſcolori veſte, vſque ad ambitum, ornan-

Valerius Coruinus.

Saxa de nubibus.

Alexander magnus.

ornãtur. Si insidiarium fallaciam: noueris, gentem illam saltibus fere, & montium fraude grassantem. Si rabiem ac furorem, sacrilegiis, humanisq; hostiis in exitium orbis agitatam. Si pertinaciam. sexies rupto fœdere, ipsis hostibus animosiorem. Romani igitur aduersum Samnites, pro Campanis & Fidicinis, bellum susceperе. Omnium siquidem non modo Italia tantum, sed pene toto orbe terrarum pulcherrima est Campaniæ plaga. Lucius Papyrius cursor, cum honore dictatoris, ad illud bellum profectus est. Qui cum Romam redire cupierat, Fabio Maximo Magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit ne se absente pugnaret. Ille, occasione reperta, fœliciſſime dimicauit & Samnites deleuit, ob quam rem à Dictatore capite damnatus,, quod se vetante pugnasset, ingenti fauore militum & populi liberatus est, tanta tunc Dictatori Papyrio seditione commota, vt pene ipse interficeretur. Postea Samnites, Romanos Tito Veturio, & Spurio Posthumio Consulibus, apud caudinas furculas angustiis locorum ingenti dedecore conclusos, viceruntQuorum dux Pontius, in tantum vsus est victoriæ securitate, vt Herennium patrem consulendum putaret: vtrum clausos occideret, an parceret subiugatis. Vt viuos tamen dedecori seruaret, elegit. Nam vniuersum Romanum exercitum turpiter captum, armis etiam vestimentisque nudatum, tantum singulis vilioribus operimentis ob verecundiam corporum tegendam concessis, sub iugo missum seruitioque subiectum longum agere pompæ ordinem coegerunt. Sexcentis autem equitibus Romanis in obsides receptis, oneratos ignominia cæteros, vacuosque Consules remiserunt, sub tali conditione pacis, qualis facienda Samnitibus placuit. Sed si fidem fœderis quam sibi Romani seruari à subiectis volunt, ipsi subiecti Samnitibus seruauissent: hodie aut omnino non essent, aut Samnio dominante seruirent. Posteriore autem anno, iubente Senatu, pax cum Samnitibus firmata, soluta est, Luciusque Papyrius Consul aduersus eos directus est: qui adeo tunc apud Romanos bellicosus habebatur, vt cum diceretur in Italiam transgredi Alexander rex Epirotarum, germanus Olympiæ matris Alexandri magni, Romani inter cæteros duces, hunc præcipue eligerunt, qui Alexandri impetum sustineret. Congressi itaq; Samnites cum Papyrio superati sunt, quorum septem millibus subiugo missis, Papyrius de Samnitibus triumphauit. Eodem tempore Appius Claudius censor aquam Claudiam induxit, & viam Appiam strauit. Circa hæc tempora Iaddus apud Hierosolymam pontifex extitit, cuius frater Manasses, templum in monte Garizi construxit. Samnites, reparato bello, Quintum Fabium Maximum vicerunt, tribus millibus hominum occisis. Postea cum pater eius Fabius Maximus, legatus datus fuisset, & Sãnites vicit, & plurima ipsorum oppida cœpit. Deinde, Publius Cornelius Rufinus, & Marcus Curius Dentatus, ambo Consules, contra Samnites missi, ingentibus prœliis eos vicere, ita ruinas ipsas vrbium diruentes, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec inueniri facile possit, Tum bellum cum Samnitibus per annos 49. actum, sublatum est, neque vllus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigauerit. Eodem tempore Tarentinis, qui iam in vltima Italia sunt, bellum à Romanis indictum est, quia legatis Romanorum iniuriam feciſſent. Hi Pyrrhum regem Epiri contra Romanos in auxilium popoſcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Iste mox ad Italiam venit. Tunc quoq; primum Romani cum transmarino hoste dimicauerunt. Missus est contra Pyrrhum, Consul Publius Valerius Leuinus, qui cũ exploratores Pyrrhi cœpisset, iussit eos per castra duci, & ostendi omnem exercitum Romanorum, sicque eos dimitti, vt renunciarent Pyrrho, quæ apud Romanos agerentur. Commissa mox pugna, cum iam Pyrrhus fugeret, Elephantorum auxilio Romanos vicit, quos incognitos Romani expauerunt. Sed nox prelio finem dedit: Leuinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus vero Romanos mille octingentos cœpit, & eos summo honore tractauit, occisos sepeliuit, quos cum aduerso vulnere, & truci vultu etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad cœlum manus dicitur, cum hac voce. Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent. Post id, Pyrrhus Romam perrexit, omnia ferro ignique vastauit, Campaniam populatus est, atque ad Prænestе venit decimo octauo milliario ab vrbe. Mox terrore exercitus, qui eum cum Consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhum de redimendis captiuis missi, ab eo honorifice susceptі sunt, captiuosq; sine precio Romanis misit, vnum ex Legatis Romanorum Fabricium nomine, sic admiratus, cum eum pauperem cognouisset, vt 4. parte regni sui promissa sollicitare voluerit, vt ad se transiret. contẽptusq; est Pyrrhus à Fabricio, ob quæ, cum Pyrrhus Romanorum ingenti admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem æquis conditionibus peteret, præcipuũ virum, nomine Cyneã, ita vt Pyrrhus partẽ Italiæ, q̃ iam armis occupauerat, obtineret. Cyneas Legatus, postero die, q̃ ingressus fuerat Romã, eque-

Pyrrhus Epirotarum rex.

P. Valerius Leuinus à Pyrrho victus.

Pyrrhus de Romanis.

equestrem ordinem,& Senatum propriis nomibus salutauit. Pax tamen quam offerebat displicuit, remandatūq; est Pyrrho à senatu,eum cum Romanis pacem habere non posse, nisi ex Italia recessisset. Tunc Romani iusserunt captiuos omnes, quos Pyrrhus reddiderat,infames haberi,eo quod armati capi voluissent,nec antea eos ad veterem statum suum posse reuerti, quam sibi spolia hostium occisorum bene nota retulissent. Ita Legatus Pyrrhi reuersus est à quo cum quæreret Pyrrhus, qualem Romam comperisset, Cyneas Legatus dixit, se regum patriam vidisse, scilicet tales illic fere omnes esse, qualis vnus Pyrrhus rex apud Epirum & reliquam Græciam putaretur. Missi sunt iterum contra Pyrrhū, Publius Sulpicius, & Decius, Consules. Certamine commisso, Pyrrhus vulneratus est elephanti interfecti, viginti millia hostium cæsa,& ex Romanis. 5. millia, Pyrrhus Tarentū fugatus est. Interiecto anno contra Pyrrhum Fabricius missus est, qui prius inter legatos sollicitari non poterat, 4. regni parte promissa, Tunc, cum vicina castra ipse & rex Pyrrhus haberent, medicus Pyrrhi, nocte ad eum venit, promittens veneno se Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur, quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum suum regem Pyrrhum, eiq; dici quæ contra caput eius medicus proditor spopondisset. Tunc rex admiratus eum fertur dixisse. Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quā sol à cursu suo, auerti potest. Tunc rex Pyrrhus ad Siciliam profectus est. Fabricius victis Tarentinis, triumphauit. Sed Pyrrhus ad patriam rediens, apud Argos ciuitatem Græciæ est occisus. Apud Iudæos hoc tempore, pontifex maximus Simon Oniæ filius claruit, cui cognomentum Iustus fuit. Eo tempore pluribus in locis de fontibus cruor fluxit, & de nubibus in specie pluuiæ lac descendit. Anno quadringentesimo septuagesimo septimo cum iam clarum vrbis Romæ nomen esset arma tamen extra Italiam mota non fuerant. Vt igitur cognosceretur, quæ copiæ Romanorum essent, census est habitus. Inuenta autem sunt ciuium capita, ducēta nonaginta duo millia, trecēta triginta quatuor, quanquam à condita vrbe nunquam bella cessassent. Contra Afros bellum susceptum est,& de illis in Sicilia primo & secundo, triumphatum est. Duillius etiam commisso prælio, ducē Carthaginensium vicit. 32. naues cepit. 24. mersit, septem millia hostium cepit, tria millia occidit, neque vlla victoria Romanis gratior fuit, quod inuicti terra, iam etiam mari plurimum possent. Inter hæc apud fluuium Bagradam Aulus Regulus, serpentē mirę magnitudinis occidit, cuius corium centum viginti pedum longitudinem habuit, Romamq; delatum, aliquandiu cunctis miraculum fuit. Hoc tempore, argenteus nummus primū in vrbe Romæ signatus est. Eodem tempore Afri commisso prælio cum Romanis, Marcum Regulum Romanorum ducem, quem bello cœperāt, petiuerunt vt Romam pergeret, & pacem a Romanis obtineret, ac permutationem captiuorū faceret. Ille Romam cum venisset, inductus est in Senatum, sed nihil quasi Romanus agere voluit. Dixit enim se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset Romanum esse desiisse,& vt dictum confirmaret, vxorem suam à complexu remouit,& senatui suasit, ne pax cum Afris fieret. Illos namque asseruit, tot casibus ita fractos, vt nullam spem recuperationis haberent, dixitq; non vtile esse Romanis, vt tot millia captiuorum, propter vnum se senem,& paucos alios, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur, itaq; obtinuit. Nam Afros pacē petentes, nullus Romanorum admisit. Nec post illam persuasionem, ad Carthaginenses à Romanis compulsus est ille redire, quoniam Romani nitebantur eum vi detinere. Sed quia ille Carthaginensibus iurauerat, iuramentum sponte compleuit. Regressus Regulus responsum Romanorum nunciauit. At Carthaginenses eum inauditis atq; horrendis cruciatibus, necauerunt. Inclusum enim illum in angusto ligno vbi stare cogebatur, clauisque acutissimis vndique confixo, vt se in nullam eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, abscissis oculorum palpebris, per nimiam vigiliam necauerunt. Eodem tempore in Piceno flumine sanguis effluxit,& apud Tuscos, cœlum ardere visum est,& nocte luce multa fulgente, tres simul lunæ apparuerunt.

Pyrrhus fugatus.

Pyrrhus de Fabricio.

Simon pont. max. Iudæorum, Prodigia,

Census.

Serpens occisus ab Aulo Regulo 120. pedum longitudine.

Fides Reguli & amor in patriam.

Crudelitas Carthaginēsium in Regulum.

Prodigia. Tres lunæ simul visæ.

CAP. XII.

De regibus Iudæ, qui post Amasiam regnauerunt. Anarchia.

HIs itaque beuiter expeditis, ad Iudaicam, historiam reflectendus est stylus. Post præfatum igitur Amasiam regem Iudæ, mansit populus sine rege. 13. annis, quod probatur per libros regum, & per collationem annorum regum Iudæ, & regum Israel. Deinde regnauit Ozias 52. annis,& post eum Ioathan, 16. annis. Hic ædificauit portam domus domini, quæ in actibus Apostolorum Speciosa vocatur ab Hebræis porta Ioatham, ab aliis, Turris gregis. Hac etiam tempestate prophetauerunt in Iudæa, Osee, Amos, Esaias,& Ionas. Porro post Ioathan regnauit Achaz 16. annis. Post Achaz Ezechias 28. annis. Cuius anno. 6. Salmanassar rex Assyriorum descendens in Samariam, transtulit. 10. tribus Israel, & fecit eos accolas in terra Assyriorum, & eos, qui dicebantur Chusæi, introduxit

pro

pro eis in terrã ipsorum. Qui vero seruire cœperunt ibi diis alienis, immisit eis dominus leones, qui deuorarent eos. Quod cũ rex Salmanasser comperisset, misit vnum de sacerdotibus captiuis, qui legis Israeliticæ doctrinis eos imbueret & ad cultum Dei terræ illius eos conuerteret, si forte ab eis hæc molestia, siue maledictio hac medela, recederet. At illi quidem pentateuchum Moysi receperunt, sed deos patrum suorum non deseruerunt: imo postmodum in monte Garizim altare statuentes, templum, q̃ erat Hierosolymis, quo ire, & sua Deo vota persoluere, lege præceptum erat, nunquam ingredi voluerunt. Et hos Samaritanos à Samaria legimus appellatos, à quorum commercio Iudæi prorsus abstinebant. Porro anni quibus diuisus est populus Israel à Iuda, & à domo Dauid, sunt trecenti sexaginta. Super Iudam vero, post Ezechiam regnauit Manasses 55. annis. Post Manassen Amon duobus annis. Post Amon Iosias, 31. annis. Hic congressus est, cum Nechao rege Ægypti, & occisus est in campo Mageddo. Hac vtique tempestate prophetauerunt in Iudæa Ieremias, Olda, & Sophonias. Sed & post Iosiam, regnauit in Iudæa Ioachaz tribus mensibus. Quibus nondum expletis, Nechaus memoratus rex Ægypti veniens in Hierusalem, cepit Ioachaz, & duxit eum in Ægyptum, & posuit super regnum eius Eliachim quem vocauit Ioachim, siue Iechoniam, filium Iosiæ. Condemnauit autem Iudæam centum talentis argenteis, & talento auri. Anno quoque regni Eliachim, 11. Nabugodonosor rex Babylonis venit in Hierusalem, exigens ab eo tributum, quod Ægyptiorum regi soluere solitus erat, quod ille tribus annis reddere non erubit. Tertio vero anno, audiens Ægyptios contra Babyloniam dimicaturos, soluere distulit. Vnde Nabugodonosor, sicut rebellem, eum interfecit, & tria millia virorum Iuda captos in Babyloniam duxit, inter quos erat propheta Ezechiel adhuc puer. Tunc etiam constituit eis regem Ioachim, qui & Iechonias nominatur. Quem Iechoniam, non multis diebus interiectis, Nabugodonosor, vndecimo videlicet anno regni, venientem sibi obuiam cum matre, & cum quibusdam de populo, cepit, & duxit in Babyloniam, constituitque pro eo super Iudam & Hierusalem, Sedechiam patruum eius, quem & vocauit Mathanian. Sed & hic Sedechias nõ multo post, contra Nabugodonosor rebellare cœpit, qui adiurauerat eum per dominũ, & contra munificum largitorem hostiliter agebat. Et tunc secundo reuersus est Nabugodonosor, 11. videlicet anno regni Sedechiæ, & duxit illum in Babyloniam captiuum, & murum ciuitatis euertit & templum exussit & vniuersa vasa domus Domini secum asportauit, & posuit in templo DEI sui. Daniel quoque & 3. pueri, Ananias, Azarias, & Misael, qui erant de genere regio, captiui ducti sunt, quos sua liberalitate eruditi fecit Nabuchodonosor prouincialibus literis, pariter & Chaldæis. Ignis etiam altaris holocaustomatum sublatus est à sacerdotibus & in profundo siccoque puteo absconditus, & diligenter ibi tutatus. Tunc & Ieremias propheta fecit comitari secum tabernaculum fœderis, & Arcam, & Altare incensi vsque in mõtem Abarim vbi quondam ascenderat Moses, vt videret domini hæreditatem, Inuenitque ibidem Ieremias speluncam, & intulit ea illuc, offerens sacrificium consummationis templi. Obstruxit denique ostium speluncæ, & latent ibi hæc omnia vsque in præsentem diem. In Arca autem continebantur vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Mãsit ergo regnum Iudaicæ gentis, vsque ad præsentem templi vastationem ac euersionem, annis nongentis quatuordecim & 6. mensibus, decemque diebus. Quam vastationem non tam sua præsentia legitur Nabugodonosor peregisse, quam per Nabuzardan principem militiæ suæ. Ipse enim post regressionem regis in Ægyptum, ab eo transmissus, templum penitus euertit, & murum ciuitatis subruit, & populum qui ibidem remanserat, in Babyloniam captiuum duxit. In eodem Sedechia, terminatum est regnum, in quo secundum Iosephum regnatum est annis quingentis & quatuordecim, & mensibus septem, & diebus decem, secundum vero librum regum, nõ plene quingenti. Ab ædificatione templi, fluxerant anni. 480. & menses 6, & dies 10. Ab egressu populi de Ægypto mille & 72. & menses 6. & dies decem. Deinceps cura rerum gerendarum sub sacerdotibus fuit, in reditu à captiuitate, nisi quod circa tempora Christi, pauci fuere reges, qui inferius post sacerdotes sunt annotati.

Finis Regni Iudaeorum.

CAP. XIII.

De sacerdotibus quartæ ætatis.

SAcerdotes in hac mundi ætate quarta, vt refert Egesippus, fuere sexdecim, Abiathar, Sadoch, Achimaas, Azarias, Eleezer, Oziel, Ioiada, Azarias, Amarias, Achitob, Sadoch, Sellum, Helcias, Azarias, Saraias, Iosedech. Isti non solum sacerdotes, sed principes sacerdotum dicebantur, per annos trecentos & 30. Nam euersum est templum anno. 400. atque tricesimo, à conditione sua.

CAP.

Cap. XIIII.

De Sibylla Priamidis filia nobili Prophetissa.

FVit etiam Sibylla Priamidis Regis filia, matre nomine Hecuba, vocata est autē Græce Tyburcina, Latine vero Albunea. Hæc circuiens diuersas Orientis partes, prædicauit in Asia, Macedonia, Herostaia, Pamphilia. Agalguldea, Cilicia, & Galacia. Cumque hāc mundi partem vaticiniis suis illustrasset, inde venit Æthiopiam, Gabaon, Babiloniam, Africam, Libyam, Pentapolim, Maritimam, & Palęstinam. Per omnes has prouincias (spiritu prophetię impleta) pphetauit & bonis bona: & malis mala, prout Dominus ordinauerat. Scimusque, quod in preconiis suis vera annunciauit, & quę in nouissimis erant ventura prædixit. Audientes igitur Romani famam eius, nunciauerunt hæc omnia imperatori. Mittens ergo Imperator, decernente senatu ad eam Legatos, cum magno honore vocatam, fecit eam adduci Romam. Factum est autem tunc temporis, quod centum viri ex Senatu Romani viderunt somnium admirabile, vnum & idem singuli, & simul vna nocte, Videbant autem in noctis visione nouem esse soles in celo, qui sigillatim diuersas in se figuras habebant. Primus erat splendens & fulgens super omnem terram. Secundus splendidior & maior, egregiam habens claritatem. Tertius, sanguineo colore flammigerans, igneus & terribilis, ac demum satis splendidus. Quartus sanguine rubicundus, quatuor ex eo itinera erant versus meridiem radiantia. Quintus tenebrosus, & ianuas habens, sicut in tonitruo tenebroso. Sextus tenebrosus habens aculeum, sicut stimulum Scorpionis. Septimus tenebrosus & terribilis & sanguineus, tetrum habens gladium. Octauus effusus, & sanguineum habens in medio colorem. Nonus tenebrosus, vnum habens tantum radium fulgentem. Cumque Romam ingressa esset Sibylla, Romani eam videntes mirabantur nimiam pulchritudinem eius: erat enim facie venusta, corpore elegans, gestu matura, affluens eloquentia, auditoribus suis dulce prębens eloquium cum discreto documento.

Venientes autem viri qui somnia viderant, (audita celebri fama eius) dicunt ad eam. Magistra & domina, per magnam corporis tui pulchritudinem, & mentis tuæ sapientiam, nec non & oris tui eloquentiam, quam nunquam in aliqua mulierum inuenimus, te deprecamur, vt quoddam mirabile somnium, quod nos omnes, scilicet centum, vna nocte vidimus sigillatim, edisseras & manifestes, quidque futurum prędmonstret aperias. Respondens glorioſa virago, dixit ad eos: Non est equum in sterquilinio & in loco diuersis contaminationibus polluto, sacramentum detegere. Erat enim postquam prædictum somnium seriatim audierat, spiritum habens commotum, & præ nouitate stupefactum. Porro, venite & ascendamus montem Auentinum, & ibi prænunciabo quæ futura sunt ciuitatibus Romanis. Et fecerunt sicut dixit: & iterum scisscitabatur virago ab eis visiones, ipsi vero recitantes, à prius dictis non exorbitarunt. At ipsa. Nouem soles, quos vidistis dissimilis vita erit in filiis hominum.

Cap. XV.

Reuelatio somniorum centum Romanorum, quam Sibylla Regina manifestauit spiritu Prophetia.

PRimus sol prima generatio est, & erunt homines simplices, clari, amantes libertatem, veraces, mansueti, benigni, consolatores pauperum, satis sapientes. Secundus autem sol, secunda generatio est, & erunt homines splendide viuentes, crescentes, Deum timentes, sine malitia in terra conuersantes. Tertius sol tertia generatio est, & exurget gens contra gentem, & multæ pugnæ erunt in Roma. Quartus autem sol quarta generatio est, & erunt homines, quod verum est, abnegantes, & in illis diebus exurget mulier de genere Hebræorum, nomine Maria, habens sponsum nomine Ioseph, & pariet, & erit virgo ante partum, virgo post partum. Qui ergo nascetur ex ea, erit verus DEVS & verus homo, prout prophetæ prædicauerunt: adimplebit legem Iudęorum irreprehensibiliter, & adiunget sua propria in simul, & regnabit in secula seculorum. Amen.

Nascente autem eo, exercitus Angelorum à dextris & à sinistris erunt dicentes, gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eo autem baptizato in aqua à Iohanne præcessore suo: veniet vox de sursum dicens, hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ipsum audite. Erant autem ibi ex sacerdotibus Iudæorum audientes hęc verba, & indignati dixerunt ad eam. Ista terribilia sunt, fileat hæc regina: Respondens Sibylla, dixit: O Iudæi necesse est ita fieri, sed vos non credetis in eum. Nos inquiunt nō credimus, quia verbum suum & testamentum sempiternum dedit sanctis partibus nostris, vt non auferat manū suam à nobis. Respondens eis iterū dixit Deus

cœli

cœli genitus est filius virginis, vt scriptum est, qui similis erit patri suo, & per ætatem vt infans crescet, & insurgent in eum Reges & principes terræ. In diebus illis erit Cæsari Augusto Regnum, & regnabit in Roma, & subiiciet sibi omnem terram. Post hæc conuenient sacerdotes Hebræorum contra ipsum dominum & hominem, cuius nomen erit Iesus, quia multa signa faciet inaudita, nec prius visa, & comprehendent eum, & dabunt ei alapas manibus infestis, & in sacro vultu expuent venenata sputa: dabunt autem verbera super sanctum dorsum eius, & colaphos accipiens tacebit. Ad cibum autem fel dabunt, & ad sitim acetum, & tandem suspendẽt eum in ligno, & occident, & hæc nihil valebunt eis: quia die tertia resurget, & ostendet se discipulis suis, & ipsis videntibus ascendet in cœlum, & regni eius non erit finis. Dixitq; principibus Romanorum. Quintus Sol quinta generatio est, & eliget sibi Dominus Iesus duos Piscatores de Galilęa, & propria lege docebit eos, dicens. Ite, & doctrinam quam accepistis à me docete omnes gentes, & per. 70. & duas linguas instruite omnes gentes. Sextus autem Sol est sexta generatio, & expugnabunt hostes istam ciuitatem annos tres & menses tres. Septimus autem Sol septima generatio est, & exurgent homines, & multas facient persecutiones in terra Hebræorum propter Dominum. Octauus autem Sol octaua generatio, & erit Roma in prędа & desertatione, & pugnantes vlulabunt in tribulationibus & doloribus, dicentes, putas ne viuemus ante partus fiet. Nonus Sol nona generatio: & exurgent principes Romani in perditionem multorum. Tunc exurgent duo reges de Syria, & exercitus eorum augebitur innumerabilis, sicut arena maris, & obtinebunt Ciuitates & regiones & terras Iudęorum vsq; ad Macedoniam, & tunc erit multa effusio sanguinis. Omnes timebunt in aduentu eorum, & disperdent Orientales. Et post hæc surgent duo reges de Ægypto, & expugnabunt quatuor reges, & occident eos, & omnem exercitum eorum, & regnabunt annos tres & menses sex. Et post illos surget Rex per. C. nomine, potens in prælio & regnabit annis. 30. & ędificabit domino templum, & legem adimplebit, & faciet iustitiam in terra propter dominum. Et post eum surget alius, & regnabit paucis temporibus, & expugnabunt eum barbaræ gentes, & occident eum. Post hunc vero erit Rex per. B. nomine, & de. B. ędet Andon Rex, & de Andon procedet alius. A. & de A. egredietur tertius. A. & de hoc generabitur quartus. A. & erit bellicosus nimis, & præliator victoriosus. De ipso autem genera bitur Rex per. R. nomine, & de. R. nascetur. L. & potestatem habebit super decem & nouem reges. Et post hos surget Salicus rex de Francia, nomine per. R. Ipse erit magnus & piissimus, potens & misericors, & faciet iudicium & iusticiam pauperibus: tanta namq; virtutis gratia erit in eo, vt per viam gradiens cacumina montium & arborũ inclinentur ante eum, aqua etiam in occursum eius tardabit, similis autem imperio Romano ante eum non fuit rex, nec post eum futurus erit. Et veniet post eum Rex per. L. nomine, & post hunc regnabit. B. viginti & tres annos super terram. Et de. B. egredietur. A. & ipse erit fortis in prælio & bellicosus, & dum multum ierit per aquam & terram, non dabitur in manus inimicorum, & morietur exul extra regnum, & anima eius in manu Dei. Tũc exurget alius per. V. nomine, ex vna parte Salic⁹, & ex altera Rex, ex altera Lõgobardus, & ipse potestatẽ habebit in terra, & cõtra pugnantes inimicos morietur. Et in dieb. illis erit vnus per O nomine, & ipse potentissimus, & fortis, & bonus, & faciet iusticiam pauperibus, & recte iudicabit. Et de ipso O. procedit alius. O. potentissimus, & erunt sub eo pugnæ inter Paganos & Christianos, & sanguis eorum effundetur, & cor eius in manu Dei, & regnabit annis septem. Et ex ipsius muliere nascetur alius rex per. O. nomine: hic erit sanguinarius & facinorosus, & sine fide & veritate, & per ipsum multa mala erunt, & multa effusio sanguinis, atq; destructæ ipsius potestate erunt vrbes. In aliis namque quã in ipsius regionibus, tribulationes erunt multæ & multa prælia. Tunc exurget gens cõtra gentem in Cappadocia, & Pamphilia, captiuabunturq; gentes in ipsius tempore, eo q; non introierit per ostium in ouile: hic namque regnabit per annos quatuor. Et post eum surget rex per. H. nomine, & similiter in diebus illis erunt multæ pugnæ: Syriam expugnabit & Pentapolim obtinebit captiuando eam, ipse rex ex genere Longobardorũ. Tunc exurget rex per. C. nomine, & expugnabit Longobardos & erunt prælia & pugnæ. Ipse autem rex Salicus erit fortis & potens, sed paucis temporibus durabit regnum eius. Tunc exurgent Agareni, & tyranni, & captiuabunt Tarentum, & Barro, & ciuitates deprędabuntur, & volentes Romam venire sæuient, nec erit qui resistat eis, nisi Deus deorum dominus dominantium. Tunc venientes Iudæi Persidam, disperdent illam, ita vt non recuperentur ciuitates quas deprędabuntur: & accurrentes Persi ponent tentoria iuxta fossam versus Orientem, & expugnabunt Romam, & obtinebunt pacem pauliſper. Et intrabit belligerator rex Græcorum, & destruet templa Idolorum nomine Ierapolim, & veni-

ent Locuſtę & Brucus, & comedent arbores, & fructus Cappadociæ & Ciciliæ, & fame cruciabuntur, & poſtea non erit amplius. Et tunc ſurget alius rex Salicus, vir fortis & belligerator, & indignabuntur contra eum multi vicini & potentes. Et in diebus illius tradet frater fratrem in morte, & pater filium: frater cum ſorore miſcebitur, & vna mulier conueniet alteri, pater & filii, & tota familia, deteſtanda operabuntur in terra, ſenes cum virginibus cubabunt, & ſacerdotes mali cum deceptis puellis, epiſcopi malefactorum ſectatores erunt, & fiet effuſio ſanguinis in terra, & templa ſanctorum polluentur, & erunt in populo fornicationes immundæ, & ſcelus Sodomiticum: ita vt viſio eorum in contumeliis appareat, & erunt homines raptores, cõtumelioſi, odientes iuſticiam, & falſitatẽ amantes, & iudices Romani immutabuntur: ſi hodie adiudicantur, alio die immutabuntur propter pecuniam accipiendam, & non iudicabunt rectum ſed falſum. Et erunt in diebus illis homines periuri, rapaces, & amantes munera falſitatis, & deſtruetur lex & veritas, & fient terræ motus per loca diuerſa, & Inſularum ciuitates & regiones demergentur, & erunt per loca peſtilentiæ hominum, & terra ab inimicis deſolabitur, & non prævalebit eos conſolari vanitas eorum. Poſt hæc autem ſurget rex per H. nomine, ſub cuius tẽpore bella erunt, & duobus annis regnabit. Et poſt hunc ſurget alius rex per. A. nomine, & veniens obtinebit regnum aliquanto tempore, & veniet Romam & captiuabit eam, & non mortificabitur anima eius in manus inimicorum ipſius. In diebus vitæ ſuæ erit bonus, & magnus, & faciet iuſticiam pauperibus & viuet longo tempore. Poſt hunc ſurget alius rex per. H. nomine, & de ipſo. H. procedent duodecim. L. & erit genere Longobardus & regnabit per centum annos. Et poſt eum ſurget rex alius per. H. nomine de Francia. Tunc initium dolorum erit, quale non fuit ab initio mundi, & erunt in diebus illis pugnæ & tribulationes multorum, effuſio ſanguinis, & terræ motus per ciuitates & regiones, & multæ captiuabuntur, & non erit qui reſiſtat inimicis, quia tunc Deus iraſcetur terræ. Roma erit in percuſſione & gladio, expugnabitur, & erit deprehenſa in manu ipſius Regis. Et erunt homines rapaces, cupidi, tyrannni, odientes pauperes, oppressentes inſontes, & ſaluantes nocuos, & erunt iniuſti, nequiſſimi, & damnatores, ex terminis captiuabuntur, & non eſt in terra qui eis reſiſtat, aut eruat eos propter malicias eorum & cupiditates. Et tunc exurget rex Græcorum cui nomen erit Conſtans, & ipſe erit rex Græcorum & Romanorum. Hic erit ſtatura grandis, & aſpectu decorus, vultu ſplendidus, per ſingula membrorum lineamenta decenter compoſitus, & ipſius regnum. 112. annis terminabitur. In illis ergo diebus erunt multæ diuitiæ, & terra abundans dabit fructũ ſuum, ita vt tritici modium denario vno venundetur, modium vini denario vno, modium olei denario vno. Et ipſe erit rex ſcripturam habens ante oculos ſuos. Rexque Græcorum & Romanorum omnia ſibi vendicabit de regnis Chriſtianorum. Omnes ciuitates & inſulas deuaſtabit rebellium, & vniuerſa templa Idolorum deſtruet, & omnes paganos ad baptiſmum conuocabit, & per omnia templa crux Chriſti Ieſu erigetur. Tunc nanque perueniet Ægyptus Æthiopiam manus dare Deo. Qui vero crucem Ieſu Chriſti non adorauerint, gladio punientur. Et cum completi fuerint. 170. anni, Iudęi conuertentur ad Ieſum, & erit omnibus ſepulchrum eius glorioſum. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter.

CAP. XVI.

De Antichriſto.

IN illo tempore ſurget princeps de tribu Dan, qui vocabitur Antichriſtus, hic erit filius perditionis, & magiſter erroris, plenitudo maliciæ, qui ſubuertet orbem, & faciet prodigia & ſigna magna per falſas ſimulationes, deludetque multos per falſas ſimulationes, & artem magicam. Ita vt ignem de cœlo mittere videatur, & minuentur anni ſicut menſes, & menſes ſicut ſeptimanæ, & dies ſicut horæ. Et tũc ab aquilone ſpurciſsimæ exurgent gẽtes (quas Alexander incluſit) Gog & Magog. Hi ſunt. 22. reges, quorum numerus ſicut arena maris. Cum autem aduenerit rex Romanorũ, conuocato exercitu debellabit eos, & proſternet vſque ad interneciõnem. Et poſtea veniet Hieruſalem, & ibi depoſito capitis diademate & omni habitu regali, relinquet Deo patri regnum, & Chriſto filio eius. Regnante autem eo egredientur duo viri clariſsimi Helias & Enoch ad annũciandum aduentum domini Chriſti: & Antichriſtus occidet eos, & poſt tres dies à domino reſuſcitabuntur. Tunc erit perſecutio magna, qualis nec fuit antea, nec poſtea ſubſequetur. Abbreuiabit dominus dies illos propter electos, & in virtute domini occidetur Antichriſtus in monte Oliueti à Michaele Archangelo. Cum hæc Sibylla & alia multa prædiceret futura Romanis, quibus etiam ſignis ad iudicandum venturus eſt dominus, vaticinando innotuit dicens.

DE IVDICIO.

Acroſtichis. Auguſtinus de ciuitate Dei. lib. 18. cap. 23.

Iudicii ſignum tellus ſudore madeſcet.
E cælo rex aduenier per ſecla futurus:
S cilicet vt carnem præſens & iudicet orbem.
V nde Deum cernent incredulus atq; fidelis.
S ic animæ cum carne aderunt, quas iudicet ipſe:
C um iacet incultus denſis in vepribus orbis.
H as vret terras ignis, pontumq;, polumq;.
R eicient ſimulachra viri, cunctam quoque gazam.
I nquirens tetri portas confringet auerni.
S anctorum ſed enim cunctæ lux libera carni
T radetur ſontes æterna flamma cremabit.
O ccultos actus retegens, tunc quiſq; loquetur.
S ecreta atq; Deus reſerabit pectora luci.
T unc erit & luctus ſtridebunt dentibus omnes,
H orrebit cælum, lunaris ſplendor abibit.
E ripitur ſolis iubar, & chorus interit aſtris.
O btundet colles, valles extollet ab imo.
S ic erit in rebus nil vel ſublime, vel altum.
I am montes campis æquantur, cærula ponti
O mnia ceſſabunt tellus confracta peribit.
S icceſſent fontes, torrebunt flumina flammis.
S ed tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto
O rbe, gemens facinus miſerum varioſque labores.
T artareumq; chaos monſtrabit terra dehiſcens.
E t coram hic domino reges ſiſtentur ad vnum.
R ecidet è cælis ignisque, & ſulphuris amnis

HAEC de Chriſti natiuitate, paſſione, reſurrexione, atq; ſecundo aduentu in Græcis verſibus dicta, ſic in capitibus inueniuntur habere Ιησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, quod in translatis in latinum apparet, niſi quod Græcarum literarum proprietas non adeo potuit obſeruari.

SIBYLLÆ dicuntur generaliter omnes fœminæ vates ex lingua Græca: Nam σίβας *Lactantius* Æolico ſermone, Deus βουλὰς Græci mentem vel conſilium dicunt, quaſi Dei mentem. *lib. 1. cap. 6.* Proinde igitur quia diuinam voluntatem interpretari ſolebant, Sibyllæ dictæ ſunt. Sicut autem omnes viros prophetantes prophetas ac vates dicimus, ita omnis fœmina prophetans Sibylla dicitur. Decem autem Sibyllæ aptis autoribus fuiſſe traduntur. Quarum prima de Perſis fuit. Secunda Libyca. Tertia Delphica, in templo Delphi Apollinis genita, quæ Romana bella vaticinata eſt. Quarta Cumæa in Italia. Quinta Erythræa, nomine Eriphila in Babylone orta, quæ Græcis ylion petentibus vaticinata eſt perituram eſſe Troiam, & Homerum mendacia ſcripturum. Sexta Samia, quæ femonote dicta eſt. Septima Cumana nomine Almathea. Octaua, Helleſpontica in agro Troiano nata, quæ ſcribitur Solonis & Cyri fuiſſe temporibus. Nona Phrygia, quæ vaticinata eſt Ancyræ. Decima Tyburtina nomine Albunea. Quarum omnium carmina efferuntur, in quibus de Deo & Chriſto & gentibus ſcripſiſſe manifeſtiſſime comprobantur. Celebratior autem inter cæteras Erythræa quæ Græce Tyburtina dicta eſt (ſicut prælibatũ eſt) fuiſſe perhibetur. Quam eo tempore vaticinatam nonnulli ferunt, quo Roma primo floruiſſe comprobatur, quum videlicet Achaz vel, ſicut alii dicent, qui ei ſucceſſit Ezechias in Iudæa regnauit, hæc ſane de Chriſto quædam manifeſta conſcripſit, vt prænotatum eſt. Cuius carmina vir clariſsimus & famoſus interpres Flaccianus, in quodam Græco codice oſtendit, ita in capite habẽtia Ιησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ. Quod eſt Latine Ieſus Chriſtus Dei filius ſaluator, hi autẽ verſus, quorum primę literæ hunc ſenſum reddunt, ſicut eos quidã latinis, (ſcilicet D. Aug.) & ſtantibus verſibus eſt interpretatus, prædicauit & oſtendit. Præter tamen omnes iſtas ferunt quandam fuiſſe Sibyllam, quæ ab omnibus deſpectum & conculcatum lignum crucis diu in Hieruſalem deſpicabiliter acceptum adorans venerata eſt.

HIC TERMINATVR QVARTA ÆTAS, HABENS SECVNdum Hebræos annos 473. Secundum septuaginta interpretes. 484. Incipit ætas quinta, nono videlicet anno regni Nabugodonosor regis Babylonis, qui vixit post hanc euersionem annis 25.

DESCRIPTIO BABYLONIÆ.

CAP. I.

FACTA, vt dictum est, templi domini euersione, simul & populi Hebræorum in Babyloniam eductione, manserunt ibi annis septuaginta, post quos prophetauerat Ieremias, Iudæorum captiuitatem esse soluēdam. Quo tempore, regnauerunt post Nabugodonosor in regno Persarum, quatuor reges, scilicet Euilmerodach, Labosardach, Egesar, & Balthasar, nec fuit Iudæis spes vlla euadendi de Babylonia, q̄ tunc cunctis vrbibus fortior, opulentior, atq; sublimior erat. Huius enim ambitus circumueniebatur stadiis quadringentis & octoginta sex. Erat etiā in campi planicie, & castrorum facie mœnibus paribus per quadrum disposita. Murorum vero eius latitudo erat cubitorū quinquaginta, habens altitudinem quater tantam, à fronte quoque murorum centum æreæ portæ. Per mediū autem eius Euphrates fluuius transcurrebat, & extrinsecus per circuitū fossa late patens, vice amnis, circūfluebat. Arx autē, quæ intus imminebat, est illa turris, quæ post diluuium à Nemroth, gygante famosissimo, cœpit ædificari, habens in altum quinq; millia passuum, & centum septuaginta quatuor. Latitudo autem eius quatuor millia passuum tenere dinoscitur. Erant præterea aliæ domus intra eandem vrbem, quater geminæ habitationis, nimia proceritate mirabiles, vnde de humana virtute destitui posse incredibile videbatur. Aduenerat illuc Crœsus rex Lydiorū, famosus opibus, vt auxiliaretur Babyloniis, cum aliis regibus & principibus multis. Et cū septimum decimum Balthasar regni sui compleuisset annū, irritā putās pollicitationē Ieremiæ, qua prædixerat vsq; ad annum septuagesimum, captiuitatem Iudæorū esse soluendā, exhiberi fecit in mensa sua, vasa templi domini, & contra ius fasq; bibit in eis. Sed huius criminis pœnas Cyrus, nepos Astyagis regis, diuino admonitus oraculo luit. Nempe educatus apud Persas, cum adoleuisset, congregata Persarum valida manu, auunculo certamen indixit, & facta congressione, illius exercitum fudit, & ipsum Astyagē cepit. Sed nihil ei præter regnum abstulit. Itaq; Cyrus iste dignitatē Medorum ad Persas transtulit, & Syriā, Scythiamq; sibi subiugauit, quibus patratis Babyloniā obsedit. Sicq; Cyrus iste secundum vaticinium Esaiæ prophetæ, qui dudum hæc futura prædixerat, regis & contritum exercitum effugauit, & vrbē intrauit. Quā postquā disponere cœpit, laxata Hebræorū captiuitate, ferme quinquaginta millia hominum regredi permisit in Iudeā, reddens eis vasa tēpli domini aurea & argētea 5. millia quadraginta. Iosedech quoq; de genere Aaron sacerdotem, qui fuerat cum patrib. abductus, redire mandauit, vt ritus veteris solennitatis per assueti sacerdotis scientiā reformaretur. At illi venientes in Hierusalem, cœperunt reædificare tēplū domini. Sed Samaritanis impedientibus, intermissum est opus, donec consummaretur sub Dario, anno secundo regni eius. Et notandum est, quia illo eodēq; tempore, quo à Cyro est Babylonia capta, Roma à prætextati regis Tarquinii superbissima dominatione liberata est. Porro à rege Cyro potentissimo, superbia antiquæ Babyloniæ vindicata, ædificauit ibi hanc, quæ nunc incolitur Babyloniā, abominatus omnem illius veteris Babyloniæ superstitionē, sicq; vetus Babylonia, secundum sancti prophetæ Esaiæ prophetiam, producta est in eremi vastitatē. Hac præterea tempestate, floruerunt in Iudæa Aggæus, Zacharias, & Malachias prophetæ. Porro Cābyses Cyri præfati regis filius, secundus Nabugodonosor appellatur. Sub hoc etiam factū esse putatur, q. Iudith historia continetur. Quo decedente, regnauerunt Magi duo 8. annis. Et his interemptis, Darius Antipastis filius, rex est constitutus, qui Cyri regis filiam in matrimonium suscepit, & regalib. nuptiis sibi regnum firmauit, ita vt non tā in extraneum regnum translatum, quā in familiā Cyri videretur esse reuersum. Et huius Darii, sicut præmissum est, anno. 2. completa est templi ædificatio, quadragesimo sexto videlicet anno postquā cœpit ædificari. Vnde Iudæi, euāgelico sermone, domino dixisse referuntur quadraginta & sex annis ædificatum est tēplū istud, &c. Dario vero, Xerxes filius eius successit. Cuius imperii anno. 7. Esdras scriba legis Dei, ascendit de Babylonia in Hierusalē, referens ad templum domini sacras pecunias argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea talentorum cētum, & vasa aurea talentorū viginti, & celebrauit solēnitatē scenopegiæ. Remeauit etiā Nehemias, ipsius regis pincerna, de Susis castro anno regni eiusdē vicesimo, qui muros vrbis reædificauit, cum summa solicitudine.

Babyloniæ descriptio.

Turris Babel.

Balthasar.

Cyrus.

Noua Babylon, per Cyrū ædificata.

Aggæus.

Malachias.

Zacharias.

Cambyses.

Historia Iudith.

Magi. 2.

Darius.

Templi ædificatio.

Xerxes, Esdras.

Nehemias.

CAP.

Cap. II.

HIs temporibus, Cunedagio, Britonum regi, Riwallo filius eius succeſſit, cuius tempore, tribus diebus pluuia ſanguinea cecidit ſuper terram. Huic ſucceſſit Gurguſtius filius eius, cui Siſillius, , cui Iago Gurguſtii nepos, cui Kimarus filius Siſillii, cui Gorbodego. Huic nati ſunt duo filii, Ferrex ſcilicet, & Porrex, inter quos contentio facta eſt defuncto patre, quis eorum Britannia potiretur. Sed Porrex fratri parans inſidias, illum interfecit. Porro mater eorum cum huius rei certitudinem habuiſſet: propter mortem filii, ira vehementi incanduit. Nacta ergo tempus, quo Porrex ſopitus fuerat, cum ancillis ſuis in multis eum fruſtis crudeliter mactauit. Exinde ciuilis diſcordia multo tempore populum afflixit & regnum quinque regibus eſt ſubmiſſum, qui ſe mutuis cladibus infeſtabant. Succedente tandē tempore, ſuſcitauit probitas iuuenem quendam, filium ſcilicet Clothonis regis Cornubiæ, qui Dunwallo Molmutius vocabatur. Qui, vt regnum patris ſuſcepiſſet, inſurrexit in reges Loegriæ, Cambriæ, & Albaniæ, illosq; interfecit, & deinde ſolus regnauit. Hic leges Molmutinas ſtatuit, quæ vſque hodie inter Anglos celebrantur. Statuit præterea, vt templa Deorum, & ciuitates, talem haberent dignitatem, vt quicunque fugitiuus, ſiue reus ad ea confugeret, ſecurus inter hoſtes ſineretur abire. Statuit etiam, vt araturæ colonum & viæ, quæ ad templa prædicta, ſiue ad ciuitates ducebāt, eadem lege firmarentur. Deinde, cum quadraginta annis regnum in pace tenuiſſet, defunctus eſt, & in vrbe Trinouantum, prope templum Concordiæ, quod ipſe ad confirmationem legum conſtruxerat, eſt ſepultus. Deinde duo filii eius, Belinus & Brennius, regnum inter ſe diuiſerunt, ita ſcilicet, quod Belino Loegria, Cambria, & Cornubia, Brennio vero qui minor fuerat, Northumbria & Albania ceſſerunt.

De regibus Britonum.

Pluuia ſanguinea.

Cap. III.

POST ſupradictum Darium Antipaſtis filium, regnauit in regione Perſarum Xerxes rex potentiſſimus, & magnis opibus affluentiſſimus. Iſte in exercitu ſuo ſeptuaginta millia armatorum, & de auxiliaribus trecenta millia Græciam expugnaturus, legitur habuiſſe. Naues etiam roſtratas mille ducentas, & onerarias tria millia. Sed tanto agmini dux defuit. Nam ſemper in prælio poſtremus, & in fuga primus Xerxes apparuit, erat in periculis timidus, & vbi metus abeſſet inflatus, vnde ante experimentum belli, opibus magnis fretus, montes in planum æquabat, & Maria pontibus onerabat, & immenſas aquarum voragines permeabiles faciebat. Sed vbi ad anguſtias thermopylarum peruenit, qua introitus in Græciam patet, turpiter deuictus eſt. Et cum inde fuiſſet reuerſus, terreſtri naualiq; prælio ſuperatus, etiā ſuis contemptui eſſe cœpit. Deficiente itaq; quotidie regis maieſtate, Artabanus præfectus eius, in ſpem regni adductus, veſperi cum ſeptem robuſtiſſimis filiis domum regiam ingreſſus, eum trucidauit, & regnum eius ſibi vendicauit. Artabano vero Artaxerxes Longimanus ſucceſſit. Hic imperii ſui anno tertio, gentes Perſis ſubiectas, cum ſatrapis & ducibus ſuis, per centum & octoginta dies magnificis & accuratiſsimis epulis pauit. Regina quoque Vaſti, vxor eius, mulierum conuiuium, ſplendide & opulentiſsime celebrauit. Et dum rex reginæ pulchritudinem, inter ſuas delitias, ſuis conuiuis vellet oſtendere, illam ad ſe venire præcepit. At illa faſtu ſuperbiæ tumens, ad eū venire cōtempſit. Qua de re rex ira commotus, illam deſeruit, & Heſter puellam Hebræam, quæ pulchritudine & gratia vultus omnes Babyloniæ puellas videbatur excellere, ſuo coniugio copulauit. Iſte Artaxerxes, totam Græciam bellis edomitam, & ſibi vendicatam, diſcedere ab armis præcepit, denuncians pacis contradictorem morte puniendum. Quod fecit, nō vt genti pace conſuleret, ſed vt aliis bellis occupatus, ab eis quietus redderetur. *Poſt hæc vero, bellum ciuile apud Perſas exortum eſt, cum † Artaxerxes & Cyrus fratres, de regno ambigerēt. Sed cum ediuerſo ambo fratres equis inuecti concurrentes dimicarent, Artaxerxes vulneratus eſt, ſed equi velocitate morti exemptus, euaſit. Cyrus vero, cohorte regia oppreſſus, finē certaminis fecit, & ſic Artaxerxes regni ſui poteſtatē fratricidio confirmauit. Hic etiam contra potentiſsimos Perſarum præfectos Pharnabazum, & Tyſiphonem fœliciter dimicauit Ægyptum magno labore, ſuo ſubiecit imperio. Circa hos deniq; dies floruit Ariſtoteles philoſophus. Poſt Artaxerxem autem, regnauit Artaxerxes, qui cognominatus eſt Oethus.

De regibus Perſarum.

* *Huic ſucceſſit Darius Nothus, qui Lōgimani ſororem duxerat vxorem.*

† *Hic fuit cognomento Mnemon, Darii filius, cui ſucceſſit in imperio.*

Cap. IIII.

IN diebus illis, maxima orta eſt diſcordia, inter prædictos Britonum reges, Belinum & Brenniū, eo quod vterq; totius inſulæ monarchiā æſtuabat habere. Belloq; hinc & inde indicto, tandem diſpoſitis cateruis, conueniunt pugnaturi. Cum igitur multum diei decertando cōſumpſiſſent: victoria Belino ceſſit, & exercitus Brennii maxima pars cæſa, & reſiduum in fugam pulſum eſt. At Brennius vix elapſus, ad Gallos anxius confugit. Cumq;

De diſcordia inter Belinū & Brenniū.

infortunium ſuum principibus regionis propalaſſet, petiuit auxilium, quo regnum amiſſum recuperare quiuiſſet. Porro cum ſibi ab omnibus auxilium negaretur, venit tandem ad Seginum Ducem Allobrogum, & ab eo honorifice ſuſceptus eſt. Moram autem faciens apud ipſum in tantam familiaritatem Ducis aeceſſit, vt omnibus procerib. in curia præferretur. Erat enim in armis furens, in pace tranquillus, in membris bene diſpoſitus, in conſilio expeditus, in arte venandi ſiue aucupandi ſufficienter edoctus. Videns autem Dux tot probitates in vno homine vigere, ſtatuit in animo vt vnicam, quam habebat, filiam ſibi matrimonio copularet. Nec mora, maritatur puella Brennio, principesque patriæ ſubduntur, ſoliumq; ducatus largitur. Nec annus poſt elapſus eſt, cum ſuprema dies ducis ſuperueniens, ipſum hac luce priuauit. Tunc Brennius principibus patriæ theſaurum Ducis affluenter diſtribuens, gratiam omnium ſibi prudenter illexit, & quod pro magno habebant prouinciales, in epulis dandis erat profuſus. Omnibus itaq; in amicitiã attractis, indicauit qualiter à fratre ſuo Belino à Britannia eiectus fuiſſet. Quod cum Magnates calluiſſent, promiſerunt ſe cum ipſo ituros, quocunq; illos conducere affectaſſet. Nec mora, collecto grandi exercitu, mare ingreſſus eſt, ſecundiſque ventis euectus, in Britanniam applicuit. Diuulgato ipſius igitur aduentu, Belinus frater eius, aſcita totius regni iuuentute, obuiam perrexit, cum illo prælium commiſſurus. Sed cum hinc inde ſtantes cohortes, fere commiſceri incepiſſent, accelerauit mater amborum, per diſpoſitas turmas incedens, deſiderans filium videre, quem multo tempore non aſpexit. Vt ergo ad illum, quo filius erat, peruenit locum, brachiis collo eius iniectis, deſiderata oſcula imprimebat. Deinde nudatis vberibus, ſermonem in hunc modum cum ſingultu diſſoluit. Memento fili chariſſime Brenni, memento vberum iſtorum quę ſuxiſti, memento matris tuæ, cuius viſcera te, cum anguſtiis intolerabilib. in lucẽ perduxerunt. Anxietatũ igitur, quas pro te paſſa ſum, reminiſcens, petitioni meæ fratri tuo veniã concede, iramque inceptam compeſce. Super his igitur, & aliis innumerabilibus allegationibus maternis, Brennius commotus, animum ſedauit, & illico galea depoſita, vna cum matre ad fratrem perrexit. Quod Belinus intelligens, abiectis armis, in amplexus eiuſdem cum oſculo ruit, ſicque amici affecti, in vrbem Trinouantum ſeſe receperunt, vbi initio conſilio quid agerent, ſtatuerunt communem exercitum in partes Gallicanas conducere, vt finitimas regiones ſuæ ſubiicerent poteſtati. Deinde emenſo anno transfretauerunt ad Gallias, patriamque vaſtare cœperunt. Quod cum per nationes illas diuulgatum fuiſſet: conuenerunt omnes Gallicani principes in occurſum, & prælium commiſerunt. At Britones victoria potiti, Galli vulneratis cateruis, fugerunt. Quos Britones & Allobroges inſecuti cœperunt, & deditioni coegerunt. Munitis etiam caſtellis & vrbibus, Romam petierunt. Tantam enim militum multitudo comitabatur eos, quod omnes prouincias, per quas tranſitum faciebant, tributum ſoluere cogebant. De iſtis fratribus, hiſtoria Romanorum ſic refert. Trecenta millia Gallorum ad ſedes nouas quærendas profecti, ducibus Belino & Brennio, Romam inuaſerunt, ibique diu morati ſunt. Sed mille libras auri, præmium diſceſſionis à Romanis ſuſcipientes, mox diuerſis agminibus, alii Græciam, alii Macedoniam, alii Thraciam petiuerunt & ſua prole, velut quodam examine, totam Aſiam replerunt. Tantus deniq; terror Gallici nominis, & armorum, inuictaque fœlicitas erat in illis diebus, vt reges Orientis ſine mercenario illorum exercitu, vlla bella gerere nõ præſumerent, neq; pulſi à regno ad alios, quam ad Gallos confugerent. Non enim aliter maieſtatem ſuam tutari, neque amiſſam recuperare ſe poſſe, niſi Gallica virtute, arbitrabantur. Itaque in auxilium regis Bythiniæ euocati, regnum cum eo, peracta victoria, diuiſerunt, eamq; regionem Gallogræciam cognominauerunt.

De probitate Brennii, & qualiter filiam ducis Allobrogi duxerit.

Qualiter Brennius in Britanniam reuerſus in fratre ſuum ſe vindicare voluerit.

Matris interuentu reconciliantur fratres.

Romana Hiſtoria.

Gallogræcia.

CAP. V.

ERANT tunc Romæ, duo conſules, Gabius & Porſenna, quorum conſilio reſpublica regebatur. Qui videntes, fœuitiæ fratrum, neminem poſſe reſiſtere, aſſenſu ſenatorum venerunt ad illos, offerentes eis * dona plurima auri & argenti, annisq; ſingulis tributum ſoluere promiſerunt. Firmato itaq; fœdere, obſidibus ſumptis, reges in Germaniam cohortes ſuas duxerunt. Illis vero recedentibus, piguit Romanos prædicti fœderis, & reuocata audacia, Germanis in auxilium proceſſerunt. Quod cum fratribus relatum fuiſſet, inierunt conſilium quomodo vtrumque populum debellare quiuiſſent. Habito igitur conſilio, remanſit Belinus in Germania, prælium aduerſariis illaturus. Brennius vero Romam adiit, vt ruptum fœdus, in Romanos vindicaret. Diuiſis itaq; in hunc modum agminibus Gabius & Porſenna conſules, caſu inopinato, obuiauerunt Belino, & prælio committere ſatagebant. Nec mora, Romani pondus prælii ferre diutius non valentes, cũ fuga campum deſeruerunt. Quos Belinus ſine pietate inſequens, trucidare non ceſſauit, donec

Gabius & Porſenna cõſules.

** bona.*

Romani tributarii.

Romani fœdifragi.

Romani victi à Belino.

donec superueniente nocte, stragem inceptam perficere non valebant. Dissipatis itaque Romanis Belinus cum victoria Romam adiit, vbi fratrem suum ciuitatem acriter inuadentem inuenit. Vt igitur communem exercitum confecerunt, vrbis mœnia prosternere non cessabat. Et vt maiorem hostibus terrorem incuterent, ante portas ciuitatis obsides Romanorum, in patibulo suspenderunt. Gabius interim & Porsenna consules resociatis agminibus, mandauerunt Romanis, vt matutinali crepusculo de ciuitate exeuntes, hostes acriter inuaderent, & ipsi à tergo superuenientes stragem molirentur facere. Mane igitur facto ciues, à frõte & consules à tergo impetum fecerunt in Allobroges, & Britones ex improuiso, & ceciderunt vtrinq; multa millia armatorum. At fratres crebras irruptiones facientes, hostes retrocedere coegere. Tandem interfecto Gabio, & capto Porsenna, fratribus victoria prouenit, & ciuitas cum conciuium opibus eorum vsibus cessit. Remansit igitur Brennius in Italia, & populum inaudita tyrannide fatigauit. De quo etiam Lucanus poeta eximius sic dixit: *Tarpeiam cum fregerit arcem Brennius*, hoc est, Capitolium. Cuius actus cæteros, quia Romanæ illos declarant historiæ, ne fastidium legẽtibus ingererẽ, prætermittere curaui. Belinus vero in Britanniam reuersus, cum tranquillitate patriam tractauit. Aedificauit autem vrbem, prope Sabrinum mare, super flumen Vscham Kaeruse appellatam, quæ Demeciæ Metropolis fuit, quam multo post tempore Romani vrbẽ legionum dicebant, eo quod ibidem Romanæ legiones hyemare solebant. Fecit etiam in vrbe Trinouantum portam miræ pulchritudinis, quæ vsq; hodie à pagensibus Belingesgate nuncupatur. Quo defuncto, successit ei Gurgunt Barbiruc filius eius, paternorum operum sedulus imitator, ita quidem, quod omnes aduersarios suos ad subiectionem debitã reuocauit. Inter plura etiam quæ laudabiliter fecit, in Daciam exercitum ducens, tributum patri suo debitum sibi reddere coegit. Deinde post victoriam rediens, inuenit 30. naues per Orcadum insulas venientes, viris & mulieribus plenas. Quorum cum aduentus causam inquisisset, dux eorum Partholiam nomine, respondit sese locũ mansionis quærere, petens ab illo portionem regni Britanniæ, vbi sub ipso viuere potuisset. At rex volens eos audire, misit cum eis homines suos ad insulam Hyberniæ, quæ tunc omni incola carebat, eamque illis concessit. Greuerunt itaque ibidem, & insulam vsq; hodie, iure hæreditario tenuerunt. Defuncto itaq; Gurgunt, & in vrbe Legionum sepulto, Guithelinus filius eius regni diadema suscepit. Erat autem ei mulier nobilis Martia nomine, omnibus artib. erudita, quæ etiam legem, quam Britones Martianam appellant, inuenit. Hanc postea, rex Alfredus transferens in Saxonicam linguã, Marchenleage nuncupauit. Defuncto tandem Guithelino, Sisillius filius eius successit, cui Kimarus primogenitus. Cui Elauius eiusdẽ frater. Quo defuncto, successit Morindus filius eius ex cõcubina generatus. Hic, nemini parcebat iratus, quin omnes sibi astantes interficeret. Sed belua quædã immanissima ex partibus Hybernici maris adueniens, huius certaminis pœnas luit. Nam cum fama ad regem penetrasset, quod inauditæ feritatis monstrum incolas iuxta maritima deuoraret, accessit ipse ad illam, & solus cum ea congressus est. Sed, cum omnino nihil profeciisset, accelerauit monstrum illud, & apertis faucibus ipsum, velut pisciculũ, deuorauit. Regnauit post illũ Gorbonianus filius eius. Cui successit Archigallo frater suus. Hic nobiles quosq; deprimere laborabat, & ignobiles exaltare. Magnates vero, à solio regni illum deponentes, Elidurum fratrem eius in regem erexerunt. Qui, cum emenso quinquennio, in Calatrio nemore veniens, fratri deposito casu obuiasset, motus super eo, quantocius accessit ad eũ, & iniectis collo ipsius brachiis, iterata oscula imprimebat, ducens illum in ciuitatem Alclud, in regio thalamo occultauit. Deinde rex, sese fingens infirmum, ad omnes regni Britanniæ fines nuncios direxit, mandãs subiectis sibi principibus, vt ad se visitandum, quantocius properarent. Cumq; cuncti ad regẽ conuenissent, præcepit vt singillatim, & sine tumultu thalamũ ingrederẽtur, quia ipsius infirmitas silentiũ exigebat. Creduli itaq; magnates sermonib. regis, vnusquisq; post alterũ, thalamũ ingressus est. Præceperat autm Elidurus ministris suis, capita singulis amputare, ne se iterum Archigalloni fratri suo submitterent. Ipsi vero, mediante timore, vnanimiter paruerunt. Fœdere itaq; confirmato cepit diadema de capite suo, & capiti fratris imposuit. Ex quo facto, Elidurus Pius postea nomẽ sortitus est, Archigallo secundo, & cũ iã, 10. annis regnasset, defunctus est, & in vrbe Kaerleyr sepultus. Erigitur iterũ Elidurus in regẽ, & pristinæ restituitur dignitati. Sed duo fratres eius, natu minores Vigenius & Peridurus collectis vndiq; armatis, insurrexerunt in eum, & commisso prælio ceperunt illũ, & intra vrbẽ Trinouantum in carcere posuerunt. Exinde diuiso regno, tenuerunt illud septẽ annis, & morte subita superueniente, ambo perierunt. Elidurus igitur extractus de carcere, tertio sublimatur in regnum. Et cum omne tẽpus suum in pietate & iustitia cõpleuisset, ab hac luce migrans, exẽplũ pietatis suis successoribus reliquit.

Obsides Romani suspensi.

Elidurus.

Cap. VI.

Nehemias populo Israel 12 annis ducatũ præbuit.

INterea vero memoratus Nehemias, scriba legis Dei, cum restaurauisset ornatum templi Domini, & ea quæ ad cultum religionis pertinebant, misit nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant sacrum ignem altaris holocaustomatum in puteo sicco, quemadmodum superius continetur. At illi non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, quam & hauserunt, & illi attulerunt. Quam iussit Nehemias aspergi super ligna, & super holocausta, & accensus est ignis ex aqua illa, ita vt omnes mirarentur. Ipse autem Nehemias 12. annis Ducatum præbuit sacerdotii in Hierusalem. Post reditum vero Iudaicæ plebis de Babylonia, per pontifices agebatur rerum summa. Itaq; tam ipse quam Iosedech, qui iubente Cyro à Babylonia rediisse dictus est, & 14. viri, posteri eorum, repręsentauerũt principatum sacerdotii, per ordinem successionis suæ, à reditu p< puli vsq; ad Antiochum Eupatorem, annis 303. quorum, eminentioris famæ fuere Iesus sacerdos magnus, Ioachim, Eliasaph, Simon, Onias, & Gaddus.

Caput VII.

De Alexandro Magno, rege Macedonum.

POrro Gaddi temporibus, Philippus Amintæ filius, Alexandri magni pater, rex Macedonum, Athenienses, Phocenses, Thessalosq; perdomuit, & Cappadociam sibi subiugauit. Quo vita priuato, Alexander magnus ei successit. Qui cum 20. ageret ætatis annũ, regnum adorsus est expugnare Persarum, habens in exercitu peditum 30000. & equitũ 4050. & horum agminum ordines nemo nisi sexagenarius duxit, & si principes castrorũ cerneres, senatum te cernere, non militiæ duces existimares. Nemo deniq; illorum in prælio fugam, sed victoriam cogitauit, nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Porro Darius rex, fiducia virium, non hostem à Persarum finibus arcere, sed intra regni sinum recipere gloriosius ratus, flumen Euphratem, & montem Ciliciæ illis sine impedimento transire permisit, ac demum in campis Adrasti, dirigit aciem aduersus eum. Habuit itaque Darius in ea congressione, 600000. hominum. Sed tam numerosus exercitus mox terga vertit, nõ minus superatus Alexandri arte, quam Macedonum virtute magna cædes Persarum in eo prælio fuit. De exercitu vero Alexandri,* 900. cecidere pedites, & 120. equites. Post hanc victoriam, maior pars Asiæ ad Alexandrum defecit. Deinde plurima Alexander gessit bella cum præfectis Darii, quos iam non tam armis, quam nominis sui terrore, superauit. Iam enim milites Alexandri Persicum aurum, & totius Orientis opes, quasi suam prædam ducebant, nec belli periculorumque, sed diuitiarum acquirendarum meminerant.

** Vt videtur pro nongẽtis, aut nouies centum.*

Cap. VIII.

*De gloriosa victoria Alexandri, cõtra Darium regẽ Persarum, & de numero interfectorũ. * Rex.*

POst hæc autem Darius, cum 400000. peditum, & 100000. equitum in aciem procedit. Occurrit ei Alexander, & committitur prælium ingentibus animis. In eo prælio vterq; vulneratus est *, & tam diu certamen anceps fuit, quoad aufugeret Darius. Exinde magna cædes Persarum secuta est. Cæsa sunt enim 61. millia peditum, & equitum 10. millia, capta vero 40. millia. Ex Macedonibus vero cecidere pedestres, 130. & equites 150. In castris Persarum multum auri & cæterarum opum inuentum est, & inter castrorum captiuos, capta est Darii mater, & vxor, sororque, & duæ Darii filiæ, ob quarum redemptionem, Darius, oblata etiam regni sui dimidia parte, non obtinuit illas. Alexander tamen haberi apud se vt reginas præcepit, filiasque, non sordidius matrimonium dignitate patris, sperare iussit.

Cap. IX.

Vt regnum Persarũ cessit Macedonib.

POst hæc autem Darius, in gratiam victoris Alexandri, vincitur aureis cathenis à cognatis suis, & vinctus vitam finiuit. Cuius corpus Alexander, more regio, sepeliuit. Sicque Persarum regnum cessit in potestatem Macedonum, postquam steterat per annos 231. Interea vero, Alexander Tyrum vrbem florentissimam expugnauit, & Alexandriam super amnem Thanaym ędificauit, & Indiam petiit, vt vltimo Orientis Oceani limbo imperii sui finem terminaret, vbi cum Porro ipsius gentis rege fortissimo, equo vectus, singulari certamine dimicauit. Sed occiso deiectus equo, concursu satellitum suorum, mortem euasit. Subactis deniq; omnibus Orientis gentibus vsque ad flumen Indum & Oceanum, statuit remeare retrorsum. Verum cum Darium regem annis tantum 5. superuixisset, & Babyloniam reuersus fuisset: suorum insidiis, in eadem vrbe, in ipso ætatis & victoriarum suarum flore, vitam veneno finiuit, vitæ videlicet suæ, anno 32. regni vero sui duodecimo.

Cap.

Cap. X.

QVo defuncto, illico translato vel dispersо in multis imperio, Ptolomæo prima Ægyptus, Africę, Arabiæq; pars sorte peruenit. Macedoniam autem Philippus, qui & Arridens dicebatur, frater Alexandri sortitus est. Porro Syriam & Babyloniam, & omnia regna Orientis obtinuit Seleucus, & regnum Asiæ * Antigonus. Deinde alii egregii quiq; viri, qui Magno militauerunt Alexandro, diuersas occupauere prouincias, & reges ex prefectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt verumetiam posteris reliquerunt. Hi tamen omnes, non multo post, mutuis se bellis & certaminibus consumpserunt. Horum tamen Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apiam, Essem, Berceam, & Pellam vrbes inclytas condidit, & in easdem vrbes Iudæos transtulit. Huius præterea Seleuci filius fuit Antiochus Magnus.

De diuisione regni Alexandri post mortem eius.

** Minorem.*

Cap. XI.

PORRO Antiochus iste relaxauit sacerdotes, & scribas, & cantores templi domini à tributis, & regio vectigali, & ab omnibus aliis exactionibus. Verum iste Seleucus atq; Lysimachus atrociter inter se dimicauerunt. Vltimum hoc bellum Alexandri cõmilitonum fuit. Sed his ambobus occisis, Ptolomæus Lagi filius Hierosolymam & Iudæam dolo. 40. annis suam redegit in ditionem.

De Antiocho Magno.

Cap. XII.

POST hunc regnauit Ptolomæus Philadelphus 38. annis qui donaria multa Hierosolymis transmisit, & diuinas scripturas ex Hebraica in linguam Græcam, per septuaginta interpretes, transferri curauit. Hoc tempore Argenteus nummus primo in vrbe est figuratus.

De Ptolomæo Philadelphico, quo tempore fuerit Iesus filius Syrach.

Cap. XIII.

ET post hunc Ptolomæus Euergetes 26. annis sub quo Iesus filius Syrach sapientiæ librum composuit. Huius etiam Ptolomæi filiam, nomine Cleopatrã, Antiochus Magnus sibi legitimo copulauit matrimonio, sumens cũ ea à præfato Ptolomæo partem Syriæ & Samariæ, Iudæam & Phinicen sub nomine dotis. Porro Antiochus iste genuit Seleucum, & fratrem eius Antiochum. Quorum Seleucus Heliodorum Hierosolymam destinauit, vt ærarium templi domini confringeret, & extractam inde pecuniã ad eum deportaret. Sed cum Heliodorus cum suis satellitibus, mandatum eius perficere cupiens, ærarium fuisset ingressus, apparuit ei quidam equus terribilis, qui eum grauiter flagellauit, vnde infecto regressus negotio, ad eum remeauit. Ab hoc proinde Seleuco Parthi defecere, & Arsacem sibi regem constituere. Post Seleuci decessum, adeptus est regnum eius Antiochus, frater eius 24. annis, qui Epiphanes, id est præclarus, appellatus est. Fuit tamen Seleuco filius nomine Demetrius. Verum, post Ptolomæum Euergetem, regnauit in Ægypto Ptolomæus Soter, & huic successit Ptolomæus Epiphanes, Epiphanes quoq; reliquit filios duos, quorum vni Philometor, & alteri, nomen fuit Fiscon.

Cap. XIIII.

HIS etiam temporibus apud Carthaginem fuit Hannibal Amilcaris filius, Pœnorum & Africanorum imperator institutus: fatale, non tam Romanis, quam ipsi Africæ malum. Qui cum esset nouem annorum natus, iurauit, se Romanis nunquam futurum amicum. Et factus imperator, vt Romanorum peruaderet regnum, Pyrenæos montes transgressus, inter ferocissimas Gallorum gentes, ferro viã aperuit, & à Pyrenæo ad Alpes pertingens, cum Scipione, Romæ tunc consule, conflixit, & superauit. Idẽ apud Taximanum lacum Romanum consulẽ Flaminium interfecit, & eius exercitũ penitus deleuit.

De Hannibale.

Taximanũ lacum.

Cap. XV.

SEd & alia vice, apud Cannas, vicum Apuliæ, Lucius Æmilius Paulus, & consulares atq; prætorii viri viginti, ab eo sunt interfecti & plurimi senatores capti & occisi, viri quoq; nobiles trecenti. Varro quoq; consul, cum 50. fugit equitibus. In illa præterea pugna pedestrium virorum 40. millia, & equitum tria millia quingenti periere. Hannibal autẽ in testimoniũ victoriæ suæ, tres modios aureorum annulorum Carthaginẽ misit, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum detraxerat. Itaq; penè omnes Romanæ spei vires, in eo certamine perierunt, & adeo desperauerunt Romani, vt de relinquẽda Italia, nouisq; sedibus exquirẽdis cõsilium ineundũ putauerunt. Sed demum in Hispania duo germani Scipiones. Romanorum consules à ducib. Hãnibalis interfecti sunt. Sed horũ nepos Scipio, qui cognominatus est Africanus, imperium in Hispania pro consulare sortitus, in vltionẽ patris & patrui animum intẽdit, & Pyrenæũ transgressus Pœnorum ducẽ Hasdrubalẽ superauit bello & castris exuit, & omnẽ Hispaniã, à Pyrenæo vsq; ad Oceanũ, in prouinciam redegit. Et tunc tandem Hannibal in Africã redire compulsus est, vt fessis Carthaginensibus

Canna vicus Apulie. Terentius Varro.

ginensibus subueniret, quem Scipio bello susceptũ superauit. In ea pugna interfecti sunt Carthaginensium 20580. Elephanti capti vel occisi.

CAP. XVI.

Carthaginis descriptio. 1030.

DEmum quoq; Carthago à Romanis deleta est, quæ 30000. passuum muro amplexa, tota pene mari cingebatur, absq; faucibus, quæ 3000. passuũ aperiebantur. Porro hic locus murum 20. pedes latum habebat ex saxo quadrato, & altum cubitorum 1040. Arx vero eiusdem vrbis, cui Byrse nomen erat, amplius quam 2000. passuum tenebat. Ex vna parte murus communis erat vrbi, & Byrse, imminens mari. Diruta & concremata est ipsa ciuitas, anno, à conditione sua, 700. sicq; tandem bellum Punicum est finitum.

CAPVT XVII.

De expugnatione Numidiæ, i. Mauritaniæ. Iugurtha. Mauritania.

IN Numidia tũc amicus Romani populi Micipsa regnabat. Quo defuncto, regnauit Iugurtha, qui contra se bellum mouit Romanorum, propter necem Adherbalis & Hiempsalis liberorum Micipsæ. Hac occasione primum expugnata est Numidia à Metello Consule, & demum à Mario domita. Sed & Mauritania, quam Bocchus rex tuebatur, à Romanis est subacta. Cantabri deniq;, Gallacii, & Lucitani Hispaniæ populi, vno pene prælio sunt superati. In Italia quoq; Epirotæ, qui in Illyrico, cum Pyrrho rege suo, contra Romanos conspirauerant, primum pace molliti, demum vero cum Achiuis, & Thessalis edomiti, Romano subacti sunt iugo. Inde fortuna Romana, non contenta terminis Italiæ,

De Attalo Rege Asiæ.

cœpit se porrigere ad procul posita regna. Nam & ipso ferme tempore Attalus rex Asiæ humanis rebus excedens, per testamentum suum Romanos sui constituit hæredes regni.

CAP. XVIII.

De Antiocho illustri Rege Syriæ.

SEd, vt ad Hebraicam reuertar historiam, extinctis iam varia sorte, Alexandri Magni ducibus, regnauit in Syria iam dictus Antiochus illustris, filius Antiochi regis, anno 137. regni Græcorum. Onias in illis diebus, Hierosolymis, summus pontifex habebatur. Cui frater Iason eripere sacerdotium cupiẽs, cœpit Iudaicæ legis iura, non in occulto violare, sed palam omnibus destruere, quasi sacerdotium, quod affectabat, aliter, quam scelere consequi non valeret.

CAP. XIX.

De impietate Iasonis fratris. Oniæ pontificis.

AVsus est enim sub ipsa templi arce gymnasium construere, & optimos quosq; Ephebororum in lupanaribus ponere, eosq;, qui erant Hierosolymis, Antiochenos scribere. Sed hoc impii, & non sacerdotis, Iasonis nefarium & inauditum scelus vltio diuina consecuta est. In leges quippe diuinas impie agere, non cedit impune. Vnde post triennium ipse Iason, qui Dei iura violauerat, & germanũ proprium captiuauerat, iussu regis Antiochi expulsus est in Ammonitidem regionem, & Menelaus quidam, de tribu Beniamin, sacerdotium obtinuit. Verum, huius Menelai actione, Onias pius pontifex, dolo peremptus est per quendam regis præfectum Andronicum. Et non multo post, Menelaus amotus est à sacerdotio, succedente sibi fratre Lysimacho. Sed cum, nec sic à malo desisteret: tandem postmodum deiectus de turre 50. cubitorum, infœlicem exhalauit animam. Lysimachus quoq;, iam multo templi auro asportato, plebeio concursu, secus ærarium lapidatus interiit. Post hæc autem præfatus rex Antiochus ascendẽs Hierosolymam, intrauit in sanctuarium cum superbia, & tulit altare aureum, & candelabrũ, & mensam propositionis, & velum, & cætera templi ornamenta, & regressus est Antiochiam. Demum vero, præcepit omnibus regni sui gentibus, vt esset populus vnus, & prohibuit in templo domini fieri holocausta & sacrificium, præcepitq; Iudæis coinquinari escis immundis, vt transgrederentur mandata Dei.

CAP. XX.

De crudelitate Antiochi, et septẽ fratrib. cũ matre sua interfectis.

IN illis diebus quidam Eleazarus, ætate prouectus, compellebatur carnem manducare porcinam. At ille. Non est (inquit) dignum, Eleazarum nonagenarium transire ad vitam alienagenarum. Et amplectens potius glorioſam mortem, quam odibilem vitã, multis fatigatus suppliciis, decessit, iuniorib. & vniuersæ genti suæ magnum virtutis & fortitudinis exemplum relinquens. Contigit etiam eodem tempore septem fratres cum matre, ad similem cibum flagris compelli, in præsentia crudelissimi regis. Sed & hi magis elegerunt cruciatib. interfici, quam contra ius & fas carnes porcinas manducare. Ad vltimum vero, passa est sancta & memorabilis mater eorum, quæ, pereuntes septem filios sub vnius diei articulo, æquanimiter fuerit contemplata. Sed & aliæ duæ mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse. Quas pueris ad colla sibi suspensis, cum publice per ciuitatem circumduxissent, de muro præcipitauerunt. Præterea apud quemcunq; inueniebantur libri testamenti

ſtamenti domini,& quicumque obſeruabant legem Moyſi, ſecundum regis edictum trucidabantur. Qua de cauſa,territa populi multitudo,reliquit legem domini,ſecundum regis Antiochi mandatum, & ſacrificabant idolis,& infringebant ſabbathum , & ædificabant ſibi aras & templa idolorum , ſecundum ritum gentium, nec ſe ſimpliciter Iudæum quiſquam fatebatur, ſed ſtudia Græcorum æmulabantur,& eis per omnia conſimiles fieri cupiebant,quos hoſtes & peremptores habuerant.

CAP. XXI.

De Iuda Machabæo.

IN illis diebus,Iudas Machabæus ſeceſſerat in deſertum, & ibi inter feras vitam cum ſuis agebat,ne particeps eſſet coinquinationis & præuaricationis. Sed quamuis pauci numero forent hi,qui cum illo morabantur, ita tamen multitudinem gentium,& duces Antiochi regis,bellis contriuerunt crebertimis, vt & templum, quod erat Hieroſolymis,recuperarent, & leges,quæ abolitæ erant, eorum fœlici pertinacia reſtituerentur. Vnde manifeſte claruit, quod nullæ eſſent hominum,aduerſus Deum, vires.

CAP. XXII.

De infœlici morte præfati Antiochi.

INTEREA tamen,Antiochus rex,cum conceptam nequitiam, Deo impediente perficere non valeret, ira tumens Hieroſolymam properabat. Quo dum tenderet,contigit vt de curru corrueret,ſicq; graui colliſione membrorum attritus, lecto decubuit, & miſerabili languore diu fatigatus, interiit. Reliquit tamen hæredem, paruulum filium Antiochum,quem Eupatorem appellauit.

CAP. XXIII.

De Demetrio.

QVOD audiens Demetrius Seleuci filius, cuius ſupra meminimus, à Roma,quã tenebatur obſes, latenter egreſſus,in Syriam venire curauit. Vbi ſecundo fauore populi ſuſceptus, mox exercitum congregauit, & poſtmodum pupillum Eupatorem, & tutorem eius Lyſiam comprehendens, pariter interfecit. Et cum ſediſſet ſuper ſedem patrum ſuorum, acceſſit ad eum ſceleratiſſimus Alchimus,de genere Aaron,Oniæ videlicet *Alchimus.* ſummi pontificis frater,ſed nihil dignum ſacerdotii in ſe retinens. Cum enim offenſionis tempore,propter aſſentationem regis Antiochi, ſponte coinquinatus fuiſſet, populo Dei detrahere,& regem cœpit inflammare multis ſermonibus aduerſus Iudam Machabæum. Dicebat enim,hi, qui dicuntur Aſſidei Iudæorum,quibus præeſt Iudas Machabæus,bella nutriunt & ſeditiones mouent,nec patiuntur regnum eſſe quietum. Vnde ego defraudatus parentum gloria, dico autem ſummo ſacerdotio,veni huc quidem, primo vtilitatibus regis fidem ſeruans,ſecundo,etiam ciuibus conſulens. Nam, prædictorum prauitate virorum, vniuerſum genus noſtrum valde vexatur. Sed de his ſingulis,oro te rex, vt & regioni,& generi noſtro,ſecundum peruulgatam omnibus humanitatem tuam,proſpicere digneris. Tunc miſit rex Hieroſolymis Nicanorem principem Elephantorum,vt & Iudam Machabæum comprehenderet,& Alchimum conſtitueret ſacerdotem.Alchimus autem ferme beluæ animum gerens,cum Hieroſolymam veniſſet , & pretio ſacerdotium comparauiſſet,ne quid ius & fas inuiolatum prætermitteret,iuſſit deſtrui muros domus ſanctæ interioris, opera videlicet ſanctorum prophetarum,expletis trecentis tribus annis ex quo remeauerat Iudæorum populus ex Ægypto. Sed horum criminum pœnas miſer,diu vitare non potuit. Subito enim occluſum eſt os eius, & loqui non potuit , ſed diſſolutus paralyſi miſerabiliter expirauit,ſicque deficientibus ſacerdotibus de genere Aaron , & Iuda Machabæo,pro patriæ legibus decertante ſorte bellica, iam defuncto,Ionathas frater eius adeptus eſt principatum Iudæorum, ſimulq; ſacerdotium.

CAP. XXIIII.

De morte Demetrii.

INTEREA vero, regem Demetrium Alexander Eupatoris filius interfecit. Genuerat tamen Demetrius filium nomine Demetrium, qui memoratum poſtmodum interfecit Alexandrum, qui multis prœliis Parthos fudit, ſed ab his tandem comprehenſus, in Hircania expirauit. Verum rex Alexander filium ſuum, nondum adultum, Triphoni cuidam militi ſuo nutriendum tradiderat. At ille,ſperans Demetrium adoleſcentem eſſe defunctum , occiſo pupillo Anthinocor(ſic enim puer nominabatur , quem Tripho tueri debebat) regnum Syriæ inuadit. Quo cum potiretur, Ionatham fratrem Iudæ, ſummum pontificem Iudæorum , dolo captum interemit. Tripho quoque non multo poſt, ab Antiocho, fratre Demetrii, qui in Aſia educabatur, bello vincitur, & occiditur, rurſuſq; regnum Syriæ ad ſobolem Demetrii reuertitur. Ionathæ vero, Simon frater eius ſucceſſit. Poſt Simonem autem peruenit ſacerdotium ad filium eius Iohannem, qui aduerſus Hircanos dimicans, Hircani nomen accepit. Hircano vero ſucceſſit Ariſtobolus

bolus,qui factus est rex & sacerdos, & Aristobolo successit pariter rex & sacerdos Alexander. Alexander quoque moriens reliquit superstites filios duos, Aristobolum scilicet, & Hircanum. Sed donec adolescerent pueri, Alexandram coniugem suam,temperamento regali præesse voluit, simul arbitram statuens, cuinam potissimum illorum duorum, summum sacerdotium committeret. Illa Hircanum in sacerdotio substituit patri propter senioris ętatis prærogatiuam, Aristobolo fratri nihil publicorum committens officiorum. Post Alexandræ vero mortem, Aristobolus inuasit regnum, ac demum Hircanus sacerdotii dignitatem ei permisit. Postea vero idem Hircanus, excitatus ab Antipatro patre Herodis, primum ad Arabiæ regem se contulit,facti pœnitens, ac demum Pompeio,Romanorum duci,qui in Syriã Tygranẽ regẽ debellaturus aduenerat, querimoniã super fratre suo detulit. Qua occasione idem Pompeius,consul Romanorũ vrbe Hierosolymam oppugnauit, & templum polluit, & Aristobolum pontificem vinctum,cum liberis Romam misit,Hircano vero, pontificatum reliquit, & memoratum Antipatrum procuratorem totius regni constituit. Sicq; deinceps gens Iudæorum tributaria Romano facta est imperio, & ita (sicut dictum est) Aristobolus & Hircanus fratres, de regno inter se dimicantes, primi occasionem tribuere Romanis, vt Iudæam inuaderent. In illis etiam diebus,tam supra nominatus Pompeius quam Gabinius, Consules Romanorum, totam Syriam Romanis subactam,redegerunt in prouinciæ formam,& sic paulatim Oriens Romano subiici cœpit imperio. Interea tamen fit in vrbe Catilinæ coniuratio, quam scripsit Salustius. Verum consulis Ciceronis industria celeriter est sopita, pariter & extincta. Porro Gabinio,Crassus successit, & regi Syriæ Ptolomæo Alexandro, successit Ptolomęus Dionysius.

Cap. XXV.

De quibusdã regibus Britonum.

His quoque diebus, post Elidurum regem Britonum,regnauit Regin Gorboniani filius. Huic successit Marganus Archigallonis filius. Cui Ennianus frater eius,qui sexto anno regni sui depositus est propter tyrannidem, quam in populo suo exercuit,& in loco eius successit Idvvallo Vigenii filius, huic Kimerus, Peredurii filius, cui Geroncius,cui Catellus,cui Coillus, cui Porrex, cui Cherin. Huius tres filii,Fulgenius videlicet,Eldadus & Andragius,post illũ p ordinẽ regnauerũt. Exinde successit Vrianus Andragii filius. Cui Eliud,cui Eledauch⁹, cui Cloten⁹, cui Gurgũcius, cui Morian⁹, cui Bledudo,cui Capetus, cui Oenus,cui Sisillus, cui Bledgaberd,cui Atchiual, cui Eldol, cui Redion, cui Rederchius, cui Samulius,cui Penissel, cui Pyr, cui Capoyr, cui Digneillus, cui Heli. Hic quadraginta annis regnum tractauit. Hic tres genarauit filios, videlicet Lud, Cassibellaunum, & Nennium, quorum primogenitus Lud, regnum post obitum patris suscepit. Exinde, glorioſus ædificator vtbium exiſtens, renouauit muros vrbis Trinouantum, & innumerabilibus turribus eam circumcinxit. Præcepit etiamciuibus, vt domus & ædificia sua in eadem construerẽt, ita vt non esset in longe positis regnis ciuitas,quæ pulchriora palatia contineret. Fuit ipse bellicosus homo, & in dandis muneribus profusus. Et cum plures ciuitates possideret,hanc præ omnibus amabat,& in illa maiori tempore totius anni commanebat, vnde nominata fuit postmodum Kaerlud, & deinde per corruptionem nominis Kaerlunden. Succedente quoque tempore, per commutationem linguarum, dicta fuit Lundone,& postea Lundres, applicantibus alienigẽnis, qui patriam sibi submittebant. Defuncto tandem illo, corpus eius reconditum fuit in prædicta ciuitate,iuxta illam portam,quæ adhuc de nomine suo Portlud,Britanice,Saxonice vero Ludesgate nuncupatur. Nati fuerunt ei duo filii,Androgeus & Tennancius. Qui, cum propter ætatem regnum tractare nequiuissent, Cassibellaunus frater eius,loco illorum, sublimatur. Mox vt diademate insignitus fuit,cœpit ita largitate atq; probitate vigere, vt per remota regna fama illius diuulgaretur, vnde contigit, vt totius regni monarchia sibi,& non nepotibus,cederet. Cassibellaunus tamẽ,pietati indulgens,noluit iuuenes expertes esse regni,sed eius magnam partem distribuit. Vrbem etenim Trinouantum,cum ducatu Canciæ, largitus est Androgeo, Ducatum vero Cornubiæ Tennancio. Ipse autem diademate prælatus,illis & totius insulæ principibus,imperauit.

Cap. 1.

Cap. XXVI.

Vt Iulius Cæsar venit in Britanniam.

Contigit interea vt Iulius Cæsar, subiugata Gallia, ad littus Rutenorum perueniret. Cumq; illinc Britanniam aspexisset: quæsiuit à circumstantibus, quæ patria, & quæ gens intra Oceanum habitaret. Denique cum nomen insulæ à referentibus didicisset,nuncios illico destinauit ad regem,cum minis exigens, vt sibi tributum, sicut ab aliis

nationibus

nationibus, annis singulis solueretur. Cassibellaunus vero rex Britonum, cum nunciorum aduentus causam cognouisset, cum indignatione respondit, sese tributum minime redditurum. Maxime cũ vna eademq; nobilitatis vena, à Priamide & Ænea, Romanis & Britonibus sit communis, libertatẽ, inquit, in tantũ nostra progenies consueuit habere, quod seruitus quid sit, penitus ignorat. Et, si ipsi dii nobis eam conarentur eripere, omni nisu laboraremus resistere, etiamsi pro illa mortem contingeret sustinere. Cumq; reuersis nunciis Iulius Cæsar huiusmodi responsum audiisset, nauigium furibundus parari iubet; vt quod Cassibellauno mandauerat, prosequatur effectu. Optato igitur instante ventorum flatu, in ostium Thamesis fluminis cum exercitu suo applicuit. Erat eo tempore Cassibellaunus rex, cum tota fortitudine regni, consilium quærens à suis, qualiter hostes longius arceret. Aderat ibidem cum eo Belinus princeps militiæ suæ, cum Androgeo duce Trinouantum, & Tenuancio duce Cornubiæ. Affuerunt quoq; tres reges sibi subditi, Cridiosus, videlicet Albaniæ, & Guertha Venedociæ, atque Britael Demeciæ. Denique omnes in hoc consenserunt, vt antequam ciuitatem aliquam aut oppidum cepissent, castra Cæsaris adeuntes, ipsum expellere conarentur. Cõcurrentib. igitur aduersis cæteruis, prælium diu & crudeliter commiserunt. Tandẽ cum casus Nennio obtulisset aditũ cum Cæsare congrediendi, irruens acriter in eum, totisq; viribus † nitens, illum super galeam percussit, admodum lætus se posse cum tanto viro, gladiis discurrentibus, prælium commiscere. At Iulius prætenso clypeo, ipsum viriliter cum ense nudato, semel & secundo in cassidem percutiens, lethaliter vulnerauit. Gladius vero Cæsaris, à cassidem Nennii labens in clypeum eius, viriliter impressus, remansit. Nennius ergo gladium Cæsaris hoc modo adeptus, in hostes irruere non cessauit. Quemcunq; cum ipso attingebat, caput ei, aut membrorum aliquod amputabat. Illi tandem in hunc modum sæuienti obuiauit Labienus Tribunus, atque ab illo interemptus est. Deniq; plurima diei parte emensa, victoria Britonibus peruenit. Superueniente itaq; nocte, Cæsar agminibus laceratis naues conscendit, Galliamq; confusus petiuit. Ab hac autem tergiuersatione, Lucanus poeta eximius in laudem Britonum sic ait.

† *vteni.*

Gladii Cæsaris nomen.

Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Nennius vero frater regis lethaliter (vt dictum est) vulneratus, post diem 15. vitam finiuit. Exequias autem eius facientes, posuerunt cũ illo in sarcophago gladium Cæsaris, cui nomen erat Crocea mors, quia nullus ab eo vulneratus viuus euadebat.

CAP. XXVII.

FVGATO igitur in hunc modum Iulio Cæsare, nulla interim dies præteribat, quin is fugam suam Britonumque victoriam condoleret. Emenso deinde biennio, parat iterum Oceanum trãsfretare, & sese in Cassibellaunum vindicare. Quod cũ Cassibellaunus per internuncios comperisset, in alueo Thamesis fluminis, quo ad vrbem Trinouantum Imperator nauigaturus erat, palos ferreos & crassos subter amnem infixit, vt naues eius, si superuenirent, illiderentur. Iulius autem, cum quæque sibi necessaria parauisset, per Thamesim fluuium, ciuitatem Trinouantum adire disposuit. Sed naues eius præfatis infixæ palis, grande periculum subito incurrerunt. Vnde ad millia milites submergebantur, dũ naues perforatas fluuius ingrediens absorberet. Cæsar igitur huiusmodi naufragium passus, cum suis, qui ex hoc periculo vix fuerant elapsi, magna difficultate terram nactus est. At Cassibellaunus hoc viso, imperium fecit in Romanos, qui viriliter Britonum irruptionibus restiterunt. Veruntamen in fluuio periclitati, maiorem patiuntur stragem, quam inferunt. Vnde supra modum debilitati, Britones triumphum reportarunt. Cæsar vero cum paucis ad naues fugiens, ventorum flatu celeriter euectus ad Morinorum littora peruenit, ingressusque turrim quam antea construxerat, quæ Odrea dicebatur, maiorem ibidem armatorum copiam expectabat.

Vt Cassibellaunus rex Iulium Cæsarem de Britannia fugauit.

CAP. XXVIII.

CAssibellaunus itaq; ob iteratam lætus victoriam, ad vrbem Trinouantum cum vniuersa multitudine regni reuersus, debitos honores, & sacrificia diis suis impẽdere præcepit, qui sibi, de tanto imperatore, concessere triumphum. Mox igitur, vt diis suis solennitates debitas peregissent, epulisq; & potibus sese refecissent, residuum diei in ludis componendis perficere satagebant. Ludentibus itaque ipsis maxima orta est discordia inter nepotem regis, & nepotem Androgei Ducis Trinouantum, ita quod illis altercantib. nepos regis capite est priuatus. Quo occiso, perturbatur curia, & rumor infaustus ad Cassibellaunum penetrauit. Commotus rex super casu nepotis sui, Androgeo iratus mãdauit, vt nepotem suum sibi redderet paratum talem sententiam subire, qualem proceres regni iudicarent, Androgeus vero regi mandauit, sese habere curam de hominibus suis, & ibi

Vt Cassibellaunus ob victoriam iteratam diis libamina obtulerit.

diffiniri debere, si quis aduersus aliquē suorum querimoniā haberet. Sicq; cum indignatione illis ab inuicem recedentibus, Cassibellaunus accelerauit prouincias Androgei deuastare, ignē accumulare, & siniſtra, quæcunque potuit, facere non cessauit. Deniq;, cum rex, multoties ab Androgeo requisitus, furorem nullatenus mitigare voluisset: Androgeus omni solatio destitutus, nuncios cum obsidibus ad Iulium Cæsarem destinauit, auxilium ipsius implorans, vt ipsius adiutus celsitudine, iniuriis Cassibellauni resistere quiuisset. Addidit etiam, quod si per ipsius potentiam pristinæ dignitati posset restitui, ipse per eum tota Britannia potiretur. Sceuam Androgeus filium suum, cum triginta pueris nobilioribus regni, in argumentum securitatis, perdendos ei transmisit, si in aliquo contra eū, vitium incurreret falsitatis. Imperator autem, cum sententiam huiusmodi à nunciis sibi referentibus cognouisset, obsides honorifice custoditi præcepit, ingentiq; fluctuans gaudio, cum tota multitudine sua, naues celeriter conscendit, flatuq; ventorum velociter euectus, in Rutupi portu, qui modo Sandwicum dicitur, cum prosperitate applicuit. Inuenit ibidem Androgeum Ducem Trinouantum, qui fidele sibi promittens obsequium, qualiter procedere debuit prudenter instruxit. Obsederat interea Cassibellaunus rex ciuitatem Trinouantum, sed cum aduentum Cæsaris calluisset, ipsi obuiare festinat. Vt igitur in quandam conuallem prope Doroberniam conuenerunt aduersæ caterue multum ibidē cruoris vtrobique diffundunt. Cumq; multum diei in decertando consumpserant: ecce Androgeus ex quadam sylua, quæ prope erat, cū quinq; millib. armatorū egrediens, exercitum Cassibellauni à tergo inuasit, & licet cum labore, dispersit. At rex cum suis coactus in fugam, montem quendam occupauit arduum & abruptum, in summitate habens coryletum densissimum & saxosum, qui Britonibus ad tempus pro castro habebatur. Obsedit igitur Cęsar montem illum deficiente die, omnes exitus aduersariis præcludens. Emensa iam die secunda, cum Cæsar Britones ad deditionem cogere nequiret, decreuit ibidem eos fame fatigare, nisi Androgeus, in se reuersus, de gente propria pietatem haberet. Ipse namque accedens ad Iulium in hunc modum sermonem dissoluit. Ecce, satis vindicasti te in Cassibellaunum, & Britanniā tibi, meo auxilio, subiecisti. Noluerunt omnipotentes dii nostri, vt dominum meum morte turpissima condemnari, aut vinculis patiar irretiri. Habeto igitur misericordiam de illo, quia me viuente ipse periclitari non poterit. Cæsar ergo ad petitionem Androgei mitigatus talem concordiam inierit, quod Cassibellaunus tria millia librarum argenti annis singulis, nomine tributi, sese de Britannia Cæsari redditurum promitteret. Deinde facti amici mutua dona, alter alteri, contulerunt. Cumq; postmodū anni septem præteriissent, defunctus est Cassibellaunus, & in Eboraco sepultus. Successit ei Tennancius frater Androgei, quia Androgeus cū impatore Romam ꝓfectus fuerat.

CAP. XXIX.

Vt Iulius Cæsar, expletis negotiis, Romā redierit.

IVLIVS igitur, præliis Occidentalibus in decennio consummatis, Romam contra Pompeium properauit, solus æstuans imperare, Nam, vt ait Lucanus,

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Sed cum Pompeio simul & Romanis, ipsius aduentus esset promulgatus, timuerunt: vt non nisi dimisso exercitu veniret in vrbē. Quod Cæsar grauiter ferens, illuc hostiliter contēdit. At Pompeius, & omnis Romanorū senatus tremefacti, Græciā adierunt. Tunc Cęsar vrbē ingrediens ex ærario publico pecuniā tulit, & suis militibus erogauit. Tandē commisso prælio, Pompeium per Syriā in Ægyptum fugauit. Cęsa referuntur in illo prælio Pōpeianorum militum 12. millia, & 34. centuriones. Pompeius vero, statim vt Ægypti littus attigit, iussu Ptolomæi iuuenis, in gratiam Cæsaris occisus est. Deinde Cæsar omniū Orientaliū peruagatus regna, quæq; sibi obuia subiugauit. Inde reuersus Romā, rerū summā ac potestatē solus ordinauit. Sed dum ibidem reipublicæ statū cōtra † maiorum cōsuetudinē dementer instauraret, autoribus Bruto & Cassio in Curia 24. vulneribus cōfossus interiit, post annos tres, & menses sex, quam cœperat imperare. In hac conspiratione, ducentos sexaginta viros fuisse conscios, referunt.

† *Romanorū.*

CAP. XXX.

De imperio Augusti Cæsaris secundi.

SECVNDVS Romanorum monarcha Octauianus Augustus exstitit, quo nullus imperatorum, in bellis fœlicior, in pace moderatior fuit. Adolescentiam suam ciuilibus bellis implicās, omnia quæ adortus est regna, sine difficultate, Romano subiugauit imperio. Sed antequam regni monarchiā obtinuisset, inter ipsum & Antonium socerū suum respublica diuisa manebat. Tandē cum Antonius sese propria manu interemerat, propter Cleopatrā reginam suam, quæ magis Augusto quā sibi adhærere cupiebat, solus mundi climata moderabatur. Extremi nanq; orbis principes, fama sapientiæ & benignitatis ipsius inuitati,

sub

sub ipso viuere, ac rerum gerendarum curam peragere dulce habuerunt. Plus enim apud omnes fauore sui nominis fecit Augustus, quam alius quisquam imperatorum facere armorum robore potuisset. Herodes namq; rex Iudaicæ gentis, qui ab Antonio memorato diadema susceperat, sponte se illi contulit, & licet tremens accessisset ad eũ, quoniã Antonio adhęserat, tale fertur accepisse responsum. Dignus es plurimis imperare, & bonis moribus abundare, qui in aduersis positum non deseris amicũ. Nobis autem indignum esse videtur, vt quem bello vicimus benignitate non vincamus. Et cum hæc dixisset Augustus, imposuit coronam capiti eius, ampliãs illi Gadacon & Hipponem, Samariam & Ipenum, turrimq; Stratonis, & maritimas ciuitates. Pacatis igitur omnibus regnis per orbem vniuersum, omniq; bellorũ fragore sedato, Romam rediit, & rempublicam secundum leges Romanas, vnicuiq; ius suum tribuens, cum tranquillitate disposuit. *Benignitas Octauiani.*

CAP. XXXI.

LINEA Saluatoris nostri in hac mundi ætate quinta, à Salathiel, quem genuit Iechonias iunior post transmigrationem Babylonis, sumpsit exordium. Nã maior Iechonias, de quo superius dictum est, consilio Ieremiæ tradidit se in manus Nabugodonosor regis Babylonis cum quo circiter decem milia Iudæorum transmigrauerunt, in quorum numero fuit Ezechiel cum Daniele, & tribus pueris. Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel genuit Abiud, cuius temporibus Esdras, bibliotheca reperta, rediit Ierusalem cũ 1700. Iudæis, & alienigenas mulieres à consortio Iudæorum eiecit. Eodem tempore Nehemias veniens in Hierusalem, muros cum sex portis in angustia construxit, & populum ab vsuris liberauit. Ignem nouum de stipitibus absconditis à Ieremia susceptum, legente Esdra in Scænopegia, populum ad audiendum legem quater in die, & quater in nocte conuenire fecit, & ad celebrationem sabbathi populum induxit. Abiud autem genuit Eliachim, qui genuit Azor, qui genuit Achim. Achim genuit Eliud, q genuit Eleazar. Iste Eleazar elephantũ effodiens, cum eo cecidit. Eleazar genuit Mathan. Iste Mathan ex vxore Escha genuit Iacob. Defuncto vero Mathan, suscepit Mathat vel Melchi Escham vxorẽ Mathan, & genuit ex ea Heli, qui fuit frater vterinus Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ. Ioseph filius fuit adoptiuus Heli, secundum legem, & non secundum naturam. Vnde legitur in Euangelio Lucæ Euangelistæ, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli. Iste Ioseph habuit sponsam secundum legem Iudæorum, de familia & domo propria, nomine Mariam. De qua, angelo nunciante, natus est verus rex & sacerdos Christus Dei filius, secundum ordinem Melchisedech. *Generatio saluatoris in ætate quinta. Iechonias.*

CAP. XXXIII.

NVNC vero deficiente regno atq; legitimo sacerdotio Iudæorum, Herodes vir alienigena Antipatris principis & Cypidis matris Arabiæ filius, à senatu Romano susceperat regnum Iudæorum, & contra ius & fas Iudaicæ gentis, ignobiles quosq; extulit. Vestem summi pontificis occlusam retinens, nunquam eius vsum alicui concessit. Et vt suam sobolem regio Iudæorum generi commisceret, abiecta Dosida vxore quam prius acceperat, Mariagnem neptem regis Aristoboli, & filiam Hircani summi pontificis sibi copulauit. Et ne forte ab Israelitico semine argueretur extraneus, combussit omnes libros, in quibus nobilitas illius gentis in templo seruabatur ascripta, vt deficientibus probamentis ipse ad hanc pertinere videretur. Nouem legitur habuisse vxores, quarum duæ tantum sine liberis erant. Sed inter omnes alias pollebat Mariagnes excellentissimi gratia decoris, vnde* nec eam offensam habere volebat. Nam 5. ei genuerat filios, quorum duo, Alexander & Aristobolus facetiam virilis animi, omnibus præ se ferebant. Et licet Herodes, Mariagnem in nullo mœstificare vellet: illa non curabat, parem viro refundere gratiam, sed nacta occasione, quia Hircanum auum suum, viri sui insidiis, compererat extinctum, propter regni cupiditatem falso suspectum, odio maximo virum mulier constringebat. Quod audiens Herodes, crimen huius in Mariagnem imponit, quod scilicet suam imaginem in Ægyptum, † Antonio superius memorato, destinasset, & pulchritudinis suæ splendore perstrictum excitaret in se illius libidines, quem præruptum nouerat ad omnes amatorum cupiditates. Et si non multo post secuta sit facti pœnitentia, iussit eam Herodes occidi. Matri itaq; succedere filii memorati, maternæ necis vltores, si possent: asserentes quod ad scelus parricidii, nulla digna causa potest prætendi. His non mediocriter mouebatur Herodes, ita quod nullum sęuitiæ genus prætermittendum putaret, nulli crederet, omnes suspectos haberet. Quod videns Antipater Herodis, & Dosidis supra memoratæ suæ vxoris filius, geminis fretus armis, adulandi scilicet arte, & simulandi versutia, ita germanos apud patrem cœpit vrgere, vt pater humanitatis immemor, apud vrbem Sebasten eis necem inferret. Antipatris tamen animus cruentus, non est expletus mortibus *Vt Herodes regnũ & sacerdotiũ Iudæorum innaſit.* * *Nullo modo.* † *Antonio.*

tibus fratrum peremptorum, sed mens impia, cum nõ haberet fratres quos odisset, patrem latenter persequi cœpit. Quibus rex deprehensis, repente illum decollari fecit. Verunta-men antequam decollaretur, genuit Agrippam Herodem, de quo infra dicetur.

CAP. XXXIII.

De Zacharia & Elizabeth & natiuitate Ioannis Baptistæ.

FVIT autem in diebus Herodis regis Iudææ, effluxis annis regni eius vndetriginta, sacerdos nomine Zacharias, de vice Abię, & vxor eius Aaronica Elizabeth. Dauid enim rex, ampliare volens cultum domini. 24. instituit summos sacerdotes, quorum tamen vnus erat maior, qui dicebatur princeps sacerdotum. Statuit etiam 16. viros de Eleazar, & 8. de Ithamar, & secundum sortem dedit vnicuiq; hebdomadam vicis suæ. Habuit autem Abias octauam hebdomadam, de cuius genere Zacharias, cum in die propitiationis incensum poneret, prædixit ei angelus filiũ nasciturum sibi de vxore. Qui considerans sterilitatem vxoris, & vtriusq; senectutem, non credidit, & ob hoc obmutuit vsque in diem partus. Nomen quoq; pueri, & magnificentiam eum abstinentia, ei indicauit. Concepit autem Elizabeth, & occultabat se mensibus quinq;.

CAP. XXXIIII.

De aduentu Angeli ad virginem Mariam.

MEnse autem sexto, missus est Angelus Gabriel in Nazareth, ad Mariam desponsatam Ioseph. Cumq; ea salutata, dixisset eam parituram Iesum filium altissimi, quæsissetq; quomodo hoc fieret, cum se non cognituram virum, etiam animo vouisset, nisi Deus aliter disponeret: addidit Angelus, non de viro, sed opere Spiritus sancti concepturam eam, & concepisse cognatam suam Elizabeth, sibi indicauit. Permixtæ enim erant sacerdotalis tribus, & regia. Nam & Aaron vxorem habuit de Iuda Elizabeth, sororem Naason, & Ioiada pontifex Iochabeth filiam regis Ioram. Et ait Maria. Fiat mihi secundum verbum tuum. Et statim conceptus est Christus de virgine, plenus homo in anima & carne, ita quod lineamenta membrorum visibus humanis discerni possent. Creditur autem conceptus fuisse 8. Kalend. April. & reuolutis 33. annis, eadem die mortuus. Et notandũ quod duæ fuere sorores in Iudæa, Hymeria videlicet, & Anna, quarum prima, mater fuit Elizabeth, quæ genuit Ioannem, præcursorem Domini. Secunda, tres habuit viros, Salome Ioachim, & Cleopham. Ex Salome genuit Mariam, Zebedæi vxorem, ex qua nati sunt Iacobus maior, & Ioannes Euangelista. De Cleopha genuit Mariam Alphæi, de qua nati sunt Iacobus minor, & Iudas siue Thaddeus. Ex Ioachim genuit Mariam matrem Domini. Et hoc ideo diximus, vt consanguinitatem inter Elizabeth & matrem Domini ostenderemus, sicut ab Angelo dictum est: Ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, &c.

CAP. XXXV.

Vt Ioseph Mariam dimittere cogitauerit.

ET continuo, post recessum Angeli, exurgens Maria, abiit in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth, & mansit ibi Mensibus tribus, ministrans cognatæ suæ, donec pareret. Et cum die octauo circumcideretur puer, Ioannesq; vocaretur, rediit Maria in domum suam in Nazareth. Cumque Ioseph vir suus cognosceret eã prægnantem, noluit eam traducere, sed occulte dimittere volebat. Tunc in somnis ab Angelo monitus vt eam acciperet, indicauit ei puerum de Spiritu sancto fuisse conceptum, & qui populum suum saluum faceret à peccatis eorum. Et accipiens sponsam suam, cum virgine virgo permansit, vt & viri solatio frueretur, & Dei partus Diabolo celaretur.

CAP. XXXVI.

De edicto Cæsaris.

TVnc exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Voluit scire numerum regionum in orbe, quæ Romanæ subeiant ditioni. Numerum etiam ciuitatum in qualibet regione, numerum quoq; capitum in qualibet ciuitate. Præcepit etiã, vt de suburbanis oppidis, vicis, & pagis, singuli conuenientes in suam ciuitatẽ profiterentur, vnde trahebant originem, vnusquisq; nummum pro capite suo deferret, qui decem nummos appenderet, & imaginem Cæsaris, & nominis inscriptionẽ haberet. Iudæa verò, quia in vmbilico terræ nostræ habitabilis esse videtur, prouisum est, vt ab ea inchoaretur. Hæc descriptio prima facta est, à præside Syriæ Cyrino, vel quia prima fuit post præsulatũ Cyrini, vel prima id est vniuersalis & maxima Augusti, quia nec ante, vel post talis facta fuisse perhibetur. Ascendit ergo Ioseph à Nazareth in Bethlehẽ, eo quod esset de familia Dauid, vt profiteretur cum Maria vxore sua prægnante. Cum esset ibi, peperit suum filium primogenitum, nec ante vel post alium, & pannis inuolutum, in præsepio reclinauit inter bouem & Asinum, quos Ioseph secum forte adduxerat, ad deferendum itineri suo necessaria. Et quia propter frequentiam diuitum, ob id ipsum conuenientium, non

etat

erat pauperibus locus in diuersorio, ideo reclinauerunt in præsepio, vt scriptura impleretur. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Et Abacuc: In medio duum animalium cognosceris. Vnctione itaque legitima cessante, vt dictum est, secundum Danielis sermonem, imminebat expectatio gentium IESVS CHRISTVS dominus noster de regum atque pontificum genere, misericorditer carnem assumens.

DE NATIVITATE DOMINI, ET saluatoris nostri, Iesu Christi.

ANNO igitur ab origine mundi quinquies 10200. minus vno, imperii Augusti Cæsaris 42. regni vero Herodis regis Iudææ 30. regnante in Britannia Kimbelino Tennantii filio, Olympiadis autem centesimæ nonagesimæ tertiæ anno 3. indictione quarta, epactis existentibus 11. concurrentibus 5. octauo Kalend. Ianuarii, natus est dominus noster IESVS CHRISTVS, & Dei filius in Bethlehem Iudæ, vt populum gentilem, & Iudaicum sanctificando, sibi connecteret & vniret. Natus est autem sua ordinatissima dispositione, nocte diei dominicæ, quia si tabulas computi retro percurras, inuenies huius anni concurrentem 5. regularem, Ianuarii 3. Quibus iunctis, & sublatis 7. vnus remanet. Itaq; Kalend. Ianuarii in dominica inuenies quod cõcurrit. Nam eadem die, qua dixit, fiat lux & facta est lux, visitauit nos Oriens ex alto, vt illuminaret sedentes in tenebris, & dirigeret in viam pacis. Inchoata est vero, secundum quosdam, sexta ætas, à natiuitate Christi, & secundum Apostolum, qui ait. Cum venerit plenitudo temporis, &c. Secundum alios, à die, qua baptizatus est, propter vim regenerationem datam aquis. Secundum alios à passione, quia tunc aperta est porta, & inchoata est septima quiescentium gloria. Aduentum itaq; suum, ideo Christus, vsq; ad sextam distulit ætatem, vt nouæ legis plenitudinem, prolixitas temporis non auferret. Nam si ante venisset, cuncta forsitan nouæ legis præcepta vetustas temporis deleuisset. Proinde decebat, vt qui sexta die hominem fecerat, sexta mundi ætate eum ad plenitudinem legis perduceret, & iam veterascentem, suo nouo aduentu reficeret.

Ex computatione domus Helia 3897.

Sexta ætas mundi quãdo inchoata.

VT pastores, vno milliario à Bethlehem distantes, custodiebant vigilias noctis, supra gregem suũ, ecce, angelus domini stetit iuxta illos, annunciãs natum saluatorem in Bethlehem & in signum, puerum in præsepio positum indicauit. Mos enim antiquitus erat apud gentiles, in vtroq; solstitio, vigilias noctis facere, ob venerationem solis, qui forte & apud Iudæos, ex vsu cohabitantium, inoleuerat. Et angelo recedente, apparuit multitudo spirituum, dicentium: Gloria in excelsis Deo, &c. Merito, in domini natiuitate, canticum pacis auditur ab angelis, quia eo nascente, facta est pax inter Deum & hominem, inter angelum & hominem & inter Iudæum & gentilem. Transeuntes itaq; pastores vsq; Bethlehem, inuenerunt pastorem magnum in præsepio, narrantes ea, quæ audierant & viderãt. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, cõferens in corde suo. Et licet CHRISTVS putaretur filius Ioseph, eius tamẽ generatio sic erat. Prima enim hominis cõditio, de terra fuit, secũda, de latere viri, tertia, de viro & fœmina, ista de fœmina & spiritu sancto, sine viro. Deinde octauo die circumciditur CHRISTVS, cuius pręputiũ ab angelo, Carolo magno, dicitur delatum in templum domini in Hierusalem, & ab eo translatum Aquisgranum, & post à Carolo Caluo positum in Ecclesia saluatoris apud Carosium, & ibidem reuerenter obseruatum. Et postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt IESVM in Hierusalem parentes eius, & pro eo hostias dederunt, par turturum, & duos pullos columbarum, & insuper redemerunt eum quinq; siclis argenti. Et erat in Hierusalem senex Simeon, qui responsum acceperat à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini, & venit in spiritu in templum, & Iesum in vlnas suscepit. Et eadem hora superueniens Anna prophetissa, loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

De reuelatione pastoribus facta.

Simeon.

Anna prophetissa.

CONFVNDANTVR itaque Philosophi gentilium, qui sua sagaci inuestigatione, mundum & rerum causas ex quatuor Elementis esse compositas æstimare potuerunt: & auctorem mundi in elementis quærentes, inuenire nunquam meruerunt. Tales namq; Milesius, Astrologiæ numeris comprehensis, defectum solis & lunæ prædicere cœpit. Ipse etiam aquam, rerum principium esse putauit. Anaximander eius auditor, non ex humore, sed ex suis propriis principiis, quascumq; res nasci asseruit, & principia docuit esse infinita. Et cum Thales in humore, Anaximenes, in aere, Stoicus in igne, Epicurus in atomis principium rerũ esse dixissent: Plato laudatur, Philosophiam primus in tres partes distri-

Inuectio cõtra philosophos gẽtium, qui rerũ creatorem quærẽtes inuenire non potuerunt.

buisse, moralem scilicet quæ in actione seruatur, naturalem quæ contemplationi deputatur, & rationalem, qua verum à falso decernitur. Pythagoras vero philosophus, interrogatus quid profiteretur, philosophum, id est amatorem scientię se esse, respondit. Nam sapientem se profiteri, arrogantissimum sibi videbatur. Sed hi omnes, quia sine fide quæsierunt sapientiã, perierunt propter suam insipientiam. Nonne istis omnibus sapientiores fuerunt, Veteris & Noui testamenti patres sancti, qui lynceis oculis perspicui Deum, sicuti est, inuenerunt, & illi qui in elementis quæsierunt, nunquam inuenire potuerunt. Abel quoque iustus, decimas dando, & primitias, Deum sibi placabilẽ efficiens, coronã martyrii primus omniũ est adeptus. Enoch septimus post Adã, placens Deo in paradisum trãslatus est. Sed & Noe per fidem, se & filios suos, à periculo diluuii liberauit. Abraham vero credidit Deo, & reputatũ est ei ad iustitiam. Moyses credidit, & scripsit, Trinitatem fecisse cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Dauid sanctus, & eius filius Salomon, necnon Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel, & cæteri prophetæ, Deum verum prædicauerunt, & coluerunt, asserentes naturas à se creatas subsistendi & mouendi initia finemq; ab ipso traxisse, & rationalem animam, quæ animus dicitur, cunctis viuentibus indidisse, humanumq; genus in exordio & progressu fineq; moderasse. Deniq; Spiritu Dei perflati pronũciauerunt nobis, quod autor rerum & moderator, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, nullis sit locis inclusus, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum & terram sua potentia, sed non propria indigente natura, & quod ita administret omnia quæ creauit, vt etiam ipsa proprios agere motus atq; exercere permittat. Deniq; inter sapientes mundi, qui stulti apud Deum reputantur, tanta inuenitur dissonantia, vt difficile aduertatur, cui opinioni, etiam diligens lector quiescat. Nostri vero, licet non fuerint contemporanei, aut condiscipuli, inter se tamen concordes, & in nullo dissonantes inueniuntur. Organa enim Dei fuerunt, & ideo quasi vna & diuina harmonia initium vnum, progressum, & finem esse omnes cognouerunt.

De Magis, & stella, & veneratione dominica.

ANNO diuinæ incarnationis secundo, tres astrologi, suæ artis peritia, siue inspiratione diuina, venerunt Hierosolymam, dicentes, Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus, vt adoremus eum. Quod audiens Herodes expauit, vtpote quem nulla prosapiæ regalis origo contingebat, & *accitis legis doctoribus percontatus est ab eis, vbi IESVS nasceretur. At illi dixerunt ei. In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est in libro Micheæ prophetæ. Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit. Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Hoc autem dolo dicebat, volens eũ interficere, quasi ipse esset futurus rex de semine Dauid, qui regnũ eius posset adipisci. Deniq; Magi peruenientes ad Christi cunabula, inuenerunt eũ cũ Maria matre eius, & procidẽtes, adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Deuotionis autem suæ officio sapienter expleto, ad Herodem redire neglexerunt. Vnde rex maiori suspicione perterritus, prauo vsus consilio, misit, & occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, à bimatu & infra, sperans inter coætaneos pueros, puerum IESVM interficere. Nam ortam didicerat stellam die, qua natus est Dominus, & secundum ortum stellæ, IESVM anniculum esse sciebat, & insuper aliquot dierum, & ideo à bimis & infra annis, vsq; ad ætatis vnius noctis infantem, in pueros desæuiit. Sed Ioseph voce prænonitus angelica, tulit puerum & matrem eius, & fugit in Ægyptum quarto nonas Februarii, & erat ibi vsq; ad obitum Herodis. Vnde dicitur, quod sicut in exitu filiorum Israel de Ægypto, non fuit domus Ægypti, in qua Deo procurante, non iaceret mortuus, ita non fuit modo templum in Ægypto, in quo nõ corruisset idolũ.

*accersitis.

De diuersis opinionibus Maiorum.

TRADVNT quidã tertiadecima die à natiuitate, dominum fuisse adoratum à Magis, & stellam apparuisse eis multo tempore antequam Christus nasceretur, & ita de longinquo venire potuerunt, vel forte super dromedarios sedentes, longa terrarum spatia transmearunt. Sed huic sententiæ contrarium videtur, quod Iosephus refert. Dicit enim Herodem citatum fuisse, à Cæsare Augusto per epistolam, vt Romam iret, accusationi filiorum superius memoratorum responsurus, & Alexandrum filium suum secum Romam traxerit, & veneni sibi parati reum apud Cæsarem postulauerit. Qui cum iter faceret per Siciliam, audiens naues Tarsensium transuexisse Magos, in spiritu vehementi combussit naues Tharsis, vt psalmistę vaticinium impleretur. In spiritu vehementi, &c. Cũ vero corã Cęsare pater disceptasset cum filiis, hac lege facta est reconciliatio, vt adolescentes patri

obedi-

obedirent in omnibus, & ipse regnum dimitteret, cui vellet. Veniens autem Hierosolymã, populum conuocauit, & concordiam à Cęsare factam exponens, hęredem se constitutum proposuit. Tunc certius quam prius in regno confirmatus, iussit pueros occidi. Quorum maxima pars tertio milliario à Bethlehem, ad Austrum sepulta est. Item, Chrisostomus dicit stellam apparuisse per annum ante domini natiuitatem, credebatq; Herodes tunc etiã dominum fuisse natum & sic putabat dominum bimum esse cum adiectione paucorum dierum, & ideo occidit pueros bimos, & deinceps vsq; ad 5. annos, sed non minores bimis, & exponit bimatum infra, secundum rationem numeri. Sicut enim ratione temporis, iuniores bimis inferiores sunt eis, qui post nati sunt, ita ratione numeri, maiores bimis inferiores sunt eis, quia post eos numerãtur. Cui assertioni videtur fidem facere, q̃ quædã ossa innocentium habẽtur adeo grandia, q̃ bimorum esse non possunt. Potest tamen ad hoc dici, q̃ longe maiores tũc homines erãt quantitate q̃ modo. Hic quoq; annus bisextilis erat, constans dieb. 366. bisextilis inde dictus, quod sextus Kalend. Martii bis pronũciatur.

Chrys.

Anno diuinæ incarnationis tertio, per astutiam Antipatri superius memorati, iterum facti sunt suspecti Alexander, & Aristobolus Herodi. Ob hoc autem Augusto scribens pater, filios in multis accusauit. Misit ergo Cæsar Saturninum & Piarium legatos cum rescripto, vt coram his duobus coacto consilio procerum, filios iudicaret, & de eis, si conuincere eos posset, faceret q̃ vellet. Auditis autem hinc & inde partibus, legati illos damnandos pronunciauerunt, non tamen morte. Tunc apud Sebasten pater coniecit eos in vincula, complices vero eorum apposuit torquere pater, vt cõfessione eorum certior aretur, si in animam suam aliquid machinarentur filii. Confessus autem est quidam, multa sibi promissa ab Alexandro, si patri venenum propinaret. Confessus est autem & tonsor de promissis sibi muneribus, si dum patri pararet barbam, cum iugularet. Addiditq; dixisse Alexandrum, non esse spem in sene ponendam, qui canos tingebat, vt videretur adolescens. His motus Herodes, missis spiculatoribus, iussit filios occidi, & asportari in Alexandriam, ibiq; sepeliri cum Alexandro auo suo materno. Deinde condidit testamentum Herodes, & Antipatrum regẽ futurum instituit, & Herodem, qui cognominatus est Antipas, substituit Antipatro. Antipater vero intolerabile odium populi excepit, cũctis scientibus, quod fratribus suis, conseruisq; calumnias ingessit. Ob hoc etiam pater eum iam non recto oculo aspiciebat. Ad hæc etiam Antipater molestus erat patri, quod fratrẽ sibi substituerat, eo, quod ad filios ipsius Antipatri regnum transire noluisset. Alia quoq; maior causa inuidiæ in patrem orta est ei. Nam pupillos filiorum, quos occiderat, paterna dilectione fouebat, aliis nepotibus eos copulans matrimonio. Erant autem secundum Iosephum, paruuli relicti de Aristobolo, Herodes Agrippa, qui Iacobum cum gladio occidit & Herodias, quam post abstulit Herodes Antipas fratri suo Philippo. Timuit ergo Antipater, ne ad pupillos frattum suorum quandoq; regnum reuocaret Herodes, quia eos ex matre contingebat. Commouit etiam Feroram furore in odium Herodis, adeo, vt Feroras secederet à patre, & habitaret in terra, quæ concessa ei fuerat trans Iordanem. Ipse vero Antipater, etiam patre volente, quibusdam excogitatis occasionibus, Romam properauit, efficacissimum venenum à quadam venefica Arabica comparans, & apud vxorẽ Feroræ reponens, quod, interim dum ipse abesset, per ministrum, quem ipse conduxerat, patri propinaretur. Dum autẽ Antipater Romæ esset, mortuus est Feroras, accepitq; Herodes de veneno reposito apud vxorem Feroræ, per ancillam à domina sua iracunde recedentem. Itaq; euocata relicta fratris, afferre venenum iubet eam. Illa vero, quasi allatura, egressa de tecto, se præcipitem dedit. Sed semiuiua allata ad regem, ait. Cum moreretur frater tuus, vir meus, ait mihi, affer huc mulier venenum q̃ reliquit nobis Antipater, meq; vidente in igne consume, ne ad inferos conscientiam, fratricidii vltricem, feram. Ego vero magnam eius partem in ignẽ fundens, modicũ mihi propter dubios casus, quia te metuebam reseruaui. Cumq; pyxidem pertulisset, expirauit. Acceptisq; pluribus argumẽtis aliis, quod Antipater in mortem patris grassaretur, Herodes eum mature reuocauit, matremq; illius repudiauit. Cumq; filium de parricidio publice accusasset, præsente Varo præside Syriæ, qui illis diebus Hierosolymam venerat, posuit eum in carcerem apud Iericonta. Cumq; complices filii quæreret pater, vt eos cum filiis, exquisitis perimeret suppliciis, graui morbo impeditus est. Eodem anno Ioannes Euangelista natus est.

Vt Herodes vxorem & filios interfecit.

Anno diuinæ incarnationis quarto, Cæsar Augustus annum Imperii sui 45. agebat. Quo tempore duo sophistæ erant in Hierusalem, quos non pauci adolescentum sectabãtur, cum leges exponerent. His opportunum visum est, languente Herode, vt aquilam auream deiicerent, quam rex, super maximam portam templi, contra patrias leges,

De vltione diuina in Herodem.

poluerat. Qua deiecta, rex commotus, animi magnitudine morbum superat, in concionẽ procedens, in omnes Hierosolymitas iniuriam hanc refundere nitebatur. Sed ad preces populi, in solos auctores vltus est. Illos ergo, qui in funibus demissis aquilam conciderant, viuos incendit cum duobus sophistis. Deinde variis affligebatur languoribus. Nam febris non mediocris erat, prurigo intollerabilis in omni corporis superficie, assidue colicis vexabatur tormentis, pedes intercutis vitio tumuerant, putredo testiculorum vermes generabat, creber anhelitus, interrupta suspiria, quæ ad vindictã Dei ab omnibus referebantur. Ipse Iordanem transiens apud Calitropen, aquis calidis vtebatur. Cumq; corpus eius oleo calidiori fouere medicis placuisset, in arcam plenam demersum ita dissolutum est, vt etiam lumina, quasi mortuus, resoluta torqueret. Tunc tamẽ ad clamorem astantium vix respicere visus est.

De filiis Kimbeleni, & accusatione Antipatri, filii Herodis.

Anno diuinæ incarnationis 5. Kimbelinus rex, cum Britanniam 10. annis tenuisset, genuit duos filios, Guiderium, scilicet, & Aruiragum, quorum primogenitus Guiderius, defuncto patre, vt inferius patet, regni gubernacula suscipiens, cum gaudio & pace subiectum sibi populum tractauit. Circa hos vtiq; dies Herodes legatos Romã mittens, in multis filium suum Antipatrum accusauit.

Detestanda Herodis crudelitas.

Anno diuinæ incarnationis 6. Herodes rediens Hiericho, cum audisset Iudæos, cum gaudio mortem suam expectare, ex omni Iudæa nobiliores collectos iuuenes concludi præcepit in hippodromio, id est, in carcere Circi, præcipiens Salome sorori suæ, vt cum animam efflaret, statim illos occideret, ita vt omnis Iudæa tam in morte, quam in vita ipsius plangeret. Et hic annus bisextilis erat.

De morte Herodis miserrima.

Anno diuinæ incarnationis 7. nuncii, quos Herodes Romam miserat, reuertentes tulerunt epistolam à Cæsare, vt Antipatrum in exilium daret, vel si mallet, morte damnaret: quo nuncio audito paululum recreatus, cum pomum (quo libenter vescebatur) petisset, cultellum quoque ad incidendum popoposcisset, statimque cum tussis violentia distenderetur, circumspiciens ne quis arbiter impediret, se percussurus, dexteram sustulit. Sed Asciabus consobrinus eius dexteram continuit, statimq; vlulatus, quasi rex mortuus esset, in regia domo exortus est. Quo audito, Antipater exultans, custodibus multa promittebat, vt eum soluerent. Quod cum accepisset Herodes grauius tulit exultationẽ filii, quam mortem, & continuo missis satellitibus, occidit eum, sepeliriq; præcepit in Hircania. Statimque mutans testamentum, Archelaum filium suum regni scripsit successorem, ita tamen vt ab Augusto susciperet diadema. Post mortem autem filii, quinque diebus exactis, Herodes qui miserabiliter vixerat, miserabilius vitam finiuit, anno imperii Augusti 49. Sepeliuit autem eum Archelaus in Herodio, iuxta ipsius mandatum. Et sedens pro tribunali, dixit se etiam à regis nomine velle temperare, donec à Cæsare confirmata foret successio, promittens, quod patre melior, in omnibus appareret.

Regnum Iudæorum in tetrarchias diuiditur.

Orta est autem seditio in Iudæa, quæ in nouis regibus solet accidere. Quam cum Archelaus sedare non posset, missa grandi manu satellitũ, circiter 9000. occidit, Romamque profectus est, Philippo fratre regni procuratore relicto. Profectus est etiam Herodes Antipas, vt de regno habendo, cum fratre disceptaret. Tandem, de consilio Senatus, Cæsar monarchiam Herodis distribuit: mediam partem, Iudæam scilicet, & Idumæã tradens Archelao. Mediam vero partem in duas secuit tetrarchias, cessitq; in partem Herodis regio trans flumen, & Galilæa. Ituria vero, & Trachonitis Philippo destinata sunt. Sicq; tres fratres remissi sunt in Iudæam, cum sedissent Romæ quatuor mensibus, rei euentum expectantes. Archelaus vero in sibi subditos, crudelius patre desæuit.

Vt Iesus rediit de Ægypto

Anno diuinæ incarnationis 8. qui est annus Archelai secundus, Angelus dixit ad Ioseph, vt rediret cum matre & puero in terram Israel. Cumq; audiret quod Archelaus pro patre regnaret in Iudæa, noluit illo ire, sed iuit in Galilæam, & mansit in Nazareth.

Trogus hucusq; scripsit.

Anno diuinæ incarnationis 9. Cæsare Augusto imperii sui 51. agente annum, Trogus Pompeius chronica sua terminauit, in quibus quasi mundi præteriti cursum ad memoriam posterorum reduxit. Ita namq; Romanorum rempublicam, & arma, quæ gens illa late per orbem terrarum circumtulit, ab initio vsque ad præsens tempus prosequitur, vt qui res eius legerit, ad construendum Romanum Imperium, virtutem & fortunam discat contendisse.

De Archelao rege.

Anno diuinæ incarnationis 10. Athenienses res nouas contra Romanos molientes, opprimuntur, magnatibus seditionis interfectis. Per idem tempus Archelaus in contumeliam generis sui, repudiauit Mariagnem, fratris sui filiam, quam pater ei dederat vxorem, duxitque Glasiram, filiam regis Capadociæ, fratris sui Alexandri quondam vxorem,

rem,& mortuo Alexandro, Iubæ regi Lybiæ nuptam,mortuoq; Iuba,apud patrem modo in viduitate degentem. Quę cum in Iudęā rediisset,nupta Archelao,videre visa est instantem sibi Alexandrum,& dicere. Nonne tibi satis fuit licitum matrimonium,sed rursus reuersa ad penates meos,fratri meo impudenter coniuncta es? Te ergo, licet inuitam,recuperabo. Quæ,exposito hoc somnio, vix biduo superuixit.

ANNO diuinæ incarnationis vndecimo, qui est annus Imperii Augusti Cæsaris 52. regni vero Archelai regis Iudææ gentis 5. Caruinus orator inedia confectus obiit. *Caruinus orator obiit.*

ANNO diuinæ incarnationis duodecimo, puer Iesus remansit in Hierusalem post parentes suos,& post triduum inuentus à parentibus suis, sedens in medio doctorum,audiens & interrogans illos. Et mirabantur omnes super prudentia & reponsis illius. *Iesus remansit in Hierusalem.*

ANNO diuinæ incarnationis. 13. Augustus cum Tyberio filio suo censum Romæ agitans,inuenit hominum nonagies trecenta & septuaginta millia. *Romani numerantur.*

ANNO diuinæ incarnationis. 14. qui est annus Imperii Augusti Cæsaris. 55. Archelaus rex crebro accusatus,ad Cæsarem citatus accessit. Qui quinq; diebus antequam vocaretur,nouem aristas plenas & maximas à bobus comedi somniauerat. Dumq; accitos vates consuleret, Simon, Esseus genere, aristas annos, & boues rerum mutationes interpretatus est,eo quod agros arando verterent & mutarent. Ideoq; eum nouem annis regnaturum,variasq; ante expertum rerum mutationes,moriturum. Nono igitur principatus sui anno,Romam veniens, à Cæsare damnatus,in exilium pellitur, apud Viennam ciuitatem Galliæ quando solis eclipsis fuit. *Archelai somnium.*

ANNO diuinæ incarnationis. 15. Cæsar Augustus,cum regnasset annis 57. Mensibus sex & diebus decem, Nolæ morbo percussus, vitam finiuit. Cum enim 42. anno regni eius, natus esset dominus,qui 15. anno Tyberii Cæsaris fuit tricenarius, patet, Cæsarem mortuum,domino quintum decimum agēte annum. Mortuus est autem anno vitæ suæ 77. apud Acellam ciuitatem Campanię, & sepultus in Martio campo, super omnia gloriatus, vrbem, quam lateritiam inuenerat,se marmoream reliquisse. *De morte Augusti Cæsaris.*

ANNO diuinæ incarnationis. 16. Tyberius Claudius Iuliæ filius Augusti Cæsaris priuignus, ad imperium sublimatus,imperauit annis 22. Iste primum in magna modestia reipublicæ præfuit, ita vt quibusdam sibi suadentibus, ad augenda prouinciis tributa,respondit. Boni pastoris esse pecus tondere, & non deglubere. *Tyberius Claudius imperator.*

ANNO diuinæ incarnationis. 17. Liuius Ortensis historiographus vitam finiuit. Quo etiam anno,secundum quosdam, Augustus Cæsar obiit. Nam dimidium annum, & dies qui secuti sunt pro anno integro,ponunt hi,qui hanc opinionem sequuntur.

ANNO diuinæ incarnationis. 18. qui est annus Tyberii Cæsaris secundus, Ouidius poeta eximius in exilio periit. Fuerat enim proscriptus ab Augusto Cæsare,& in Pontum insulam missus, propter vxorem eius,de qua habebatur suspectus. Dictum est autem, quod de ea libros metrice composuerat, & ideo ab eodem est in exilium relegatus. *Ouidius poeta eximius in exilio periit.*

ANNO diuinæ incarnationis. 19. Valerius historiographus, Romanorum dicta descripsit & facta. Eodem anno Germanicus Drusi filius Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Augusto Cæsare missus fuerat,triumphauit. *Valerius historiographus.*

ANNO diuinæ incarnationis. 20. tredecim vrbes terræmotu corruerunt, Ephesus, Magnesia,Sardis. Monestene,Hiero,Cæsarea Philadelphia,Thimolus, Themus, Cyme, Smyrna,Apolonia,Hircania. *Terræmotus.*

ANNO diuinæ incarnationis. 21. Fenestella, historiarum scriptor, & carminum, septuagesimo ætatis suæ anno moritur,Cumisq; sepelitur indictione decima. Eodem anno,artifex quidam excogitauit vitri temperamentum, vt flexibile esset,& ductibile. Qui, dum admissus fuisset ad Tyberium Cæsarem,porrexit ei phiolam, qua ille indignatus, in pauimentum proiecit. Artifex autem sustulit phiolam de pauimento,quæ complicauerat se tanquam vas æneum, deinde martellum de sinu protulit,& phiolam correxit. Hoc facto,Cæsar dixit artifici. Num qui alius scit hanc artem vitrorum? Postquam ille iuraus negauit alterum hoc scire,iussit illum decollari,ne dum hoc cognitum fieret,aurum pro luto haberetur, & omnia metallorum pretia abstraherentur. Quia reuera,si vasa vitrea non frangerentur, meliora essent quam aurea vel argentea. *Artificium vitri.*

ANNO diuinæ incarnationis. 22. in Britannia mortuo rege Kimbelino, cuius temporibus natus est dominus,successit Guiderius filius eius,qui Romanis triburum consuetum reddere contempsit, quod nullus antecessorum suorum,à tempore Iulii Cæsaris,ausus fuerat attentare. *De morte Kimbelini regis Britonum.*

ANNO

Notæ proditionem.

ANNO gratiæ 23. Tyberius Cæsar multos reges ad se vocatos, nullum remisit, sed regnis eorum in prouincias redactis, vbi reges fuerant, procuratores constituit.

De venditione sacerdotii.

ANNO gratiæ 24. missus est à Tyberio Cæsare, procurator Iudeæ, Valerius Graccus, qui quæstum pietatem putans, palam vendebat sacerdotii Principatum, qui amouens Annam, Ismaelem pontificem designauit.

Theatrum incenditur.

ANNO gratiæ 25. qui est annus Tyberii Cæsaris nonus, Pompeii theatrum incenditur, 15. indictione.

ANNO gratiæ 26. Graccus Iudææ procurator, Ismaelem sacerdotem amouens, Eleazarum Annæ filium subrogauit.

ANNO gratiæ 27. idem Procurator Eleazarum arcens, Simonem sacerdotem constituit.

ANNO gratiæ 28. amoto Simone, Iosippus qui & Caiphas, subrogatur. Quo facto, Valerius Romam reuertitur. Fuit quidam rex, nomine Tyrus, qui quandam puellam nomine Pilam, filiam cuiusdam molendinarii, nomine Atus, carnaliter cognouit, & de ea filium generauit. Pila autem ex nomine suo, & nomine patris sui, qui dicebatur Atus, vnum nomen composuit, & nato puero, imposuit nomen Pilatus. Cum autem Pilatus tres annos haberet, ipsum Pila ad regem transmisit. Habebat autem rex filium de regina coniuge sua, qui fere Pilato coetaneus videbatur. Isti, dum annos discretionis attigissent, sæpius luctamine, pugno, & funda adinuicem colludebant. Sed regis legitimus filius, vt & genere erat nobilior, sic in omni loco, Pilato inueniebatur strenuior, in omni genere certamis aptior. Ob hoc Pilatus, inuidiæ liuore commotus, & felleo dolore stimulatus, fratrem suum latenter occidit. Quod rex audiens, vehemēter doluit, & concione conuocata, quid de scelerato & homicida faciendum sit, requisiuit. Quem omnes, reum esse mortis, vnanimiter acclamauerunt. Rex autem ad se reuersus iniquitatem iniquitate noluit duplicare, sed ipsum pro tributo, quod annuatim debebat Romanis, in obsidem misit, tum volens innoxius esse ab occisione filii, tum à tributo Romanorum cupiens liberari.

De ortu Pilati.

De exilio Pilati in Ponto insula.

TVNC temporis erat Romæ, filius regis Francorum quem similiter rex Romam miserat pro tributis. Huic Pilatus associatus, cum se ab eo moribus & industria præcelli videret: eum, inuidiæ stimulis agitatatus, occidit. Sed cum Romani, quid de eo faciendum esset, inquirerent, dixerunt. Hic si superuixerit, qui fratrem necauit, obsidem iugulauit, reipublicæ plurimum vtilis erit, & colla ferocium hostium, ferox ipse, domabit. Dixerunt igitur, Cum reus mortis habeatur, in Ponto insula gentibus illis, quæ nullum patiuntur iudicem, iudex præficiatur, si forte eius nequitia ipsorū contumacia edometur, si non, quod meruerit patiatur. Missus igitur Pilatus ad gentem ferocem, & suorum iudicum peremptricem, non inscius ad quos missus sit, & quam pendula vitæ suæ sententia sit, tantæ rei consulens, vitam seruare voluit, & gentem nequam ipse minis, & promissis, supplicio, & precio penitus subiugauit.

Pilatus super Iudæam & Hierusalem principatum obtinuit sub Herode.

Pilatus Iudæa procurator efficitur.

HERODES autem, hominis illius industriam vt audiuit, eius versutiis congaudens, ipse versutus, eum ad se muneribus & internunciis inuitauit, & super Iudæam & Hierusalem potestatem & vicem suam tradidit. Prædictus Pilatus, cum pecuniam innumerabilem congregasset, nesciente Herode Romam adiit, infinitam pecuniam Tyberio imperatori obtulit, & ab eo sibi dari, quod ab Herode tenebat, muneribus impetrauit. Missus est ergo à Tyberio Pontius Pilatus Iudææ procurator, sub quo Herodes Antipas in honorem Tyberii Tyberiadem nominauit. Huiuscemodi de causa facti sunt inimici Pilatus & Herodes, quoad, tempore passionis domini, eum sibi reconciliauit, eo quod dominum ad se misit. Alia causa inimicitiæ assignatur in historiis scholasticis. Quidam enim se filium Dei faciens, multos de Galilæis in Garezim duxit, vbi dixit se ascensurum in cœlum. At superueniens Pilatus, ipsum cum omnibus occidit, timens ne similiter Iudæos seduceret. Ob hoc facti sunt inimici, quia Herodes præsidebat Galilæis, & vtraque causa potuit esse vera.

Scelus.

ANNO gratiæ 29. Seruius Plautus corrupti filii reus, & conuictus, semetipsum in iudicio peremit.

De prædicatione Ioānis, & baptismate.

ANNO gratiæ 30. Ioannes baptista in deserto, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, prædicauit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quia ad pœnitentiam baptizandos mouebat, & non nisi quos pœnitentes videbat, baptizabat.

De Baptismo Domini.

EODEM anno IESVS, veniens à Galilæa in Iordanem ad eum, baptizatus est ab eo. Et ipse IESVS erat incipiens quasi 30. annorum, id est, 30. inceperat annum, videlicet 13. diebus illius anni peractis. Et secundum hoc vixit IESVS tantum 32. annis & dimidio.

dimidio. Sed Ioannes Chrysostomus aliter sensit. Opinio etiã quorundam est, eodẽ anno Dominum Apostolos vocasse, Euangelicã doctrinam inchoasse, ieiunasse, tentatũ fuisse, simul & miraculum vini feciſſe, quia legitur eũ & discipulos eius inuitatos ad nuptias. Sed aliorum sententia probabilior est, quæ dicit. Hæc omnia illum ante incarcerationem Ioannis Baptistæ feciſſe, sed tamen occulte, & post publice, & hunc ordinem prosequimur sine præiudicio alterius opinionis.

De binis Apostolorum vocatione.

LEGIMVS tamen in Euangelio, Dominum bis vocasse Apostolos. Primo scz. quando vidit Nathanaelem sub ficu, sed nõ perfecte tunc secuti sunt eum, quia redierunt ad artes pristinas. Secundo quoq; vocauit, cum turbæ irruerent in eum, & ipse vidit ibi duas naues stantes secus stagnum. Et tunc, relictis omnibus, secuti sunt eum perfecte.

Cõuertit dominus aquã in vinum.

ANNO gratiæ, 31. Dominus tertiadecima die, secundum præfatam opinionem, aquam in vinum conuertit, in nuptiis architriclini, matre hoc à filio impetrante. Eodem etiam anno Ioannes incarceratus legitur ab Herode. Hoc vtique anno facta legitur secunda Apostolorum vocatio, in qua duodecim elegit ad prædicandum fidem Euangelii, & perhibendum testimonium veritati, inter quos vnum habuit, cuius malo bene vtens, sacramentum suæ passionis impleuit, & Ecclesiæ suæ, ad tolerandum malorum iniurias, exemplum præbuit.

De ortu & origine Iudæ proditoris, & qualiter adhæsit Pilato, & misera morte ipsius.

LEGITVR in quadam historia quod quidam vir fuit in Ierusalem, nomine Ruben, qui alio nomine dictus est Simon, de tribu Iuda, vel secundum Hieronymum, de tribu Isachar, qui habuit vxorem, quæ Cyborea nuncupata est. Quadam igitur nocte, cum sibi mutuo debitum exoluissent, Cyborea obdormiens somnium vidit, quod perterrita cum gemitibus & suspiriis, viro suo retulit dicens. Videbatur mihi, quod filium flagitio sum parerẽ, qui totius gentis nostræ perditionis causa existeret. Cui Ruben, nefariã, inquit, rem, nec relatu dignã profaris, & spiritu, vt puto, pythonico raperis. Cui illa. Si me concepisse sensero, & filium peperero, absq; dubio non spiritus pythonicus extitit, sed reuelatio certa fuit. Procedente igitur tẽpore, cum filium peperisset, parentes plurimum timuerunt, & quid de eo facerent, excogitare cœperunt. Cumq; filium abhorrerẽt occidere, nec vellẽt destructionẽ sui generis enutrire, ipsum in fiscella positum, mari exponunt, quẽ iã marini fluctus, ad insulã quæ Scarioth dicitur, propulerunt. Ab illa igitur insula, Iudas Scariothes appellatur. Regina autem loci ipsius, carens liberis, ad littus maris, causa spaciandi processit, & fiscellã à maris fluctib. iactari videns, aperiri præcepit. Inueniensq; ibidẽ puerum elegantis formę, suspirans ait. O si solatiis tãtis subleuarer sobolis, ne regni mei successore priuarer. Puerũ igitur secreto nutriri fecit, & se grauidã simulauit. Tandẽ se filiũ peperisse mẽtitur, & p totũ regnũ fama celebri diuulgatur. Principes ꝑ susceptã sobole vehemẽter exultant, & ingenti gaudio plebs lætatur. Ipsum igitur, secundũ magnificentiã regiã, educari fecit. Nõ multũ vero tẽporis post, regina de rege cõcepit, & suo patri filiũ parturiuit. Cũ aũt pueri aliquantulũ iam creuissent, ad inuicẽ sæpius colludebãt, & puerũ regiũ Iudas crebris iniuriis molestabat, & ad fletũ sæpius ꝓuocabat. Regina aũt hoc moleste ferens, & Iudã ad se nõ pertinere sciens, ipsum crebrius verberabat. Sed, nec sic, à molestia pueri desistebat. Tandẽ res pãditur, & Iudas non verus reginæ filius sed inuẽtus fuisse aperitur. Quod Iudas vt cõperit, vehementer erubuit, & fratrẽ suum putatiuũ, filiũ regis, latẽter occidit. Ob hoc capitalẽ sententiã timens, cum tributariis in Hierusalẽ aufugit, seque curiæ Pilati tũc præfidis mancipauit. Et quoniã res similes sibi inuicẽ sunt habiles, Pilatus Iudã suis morib. inuenit cõgruere, & ideo cœpit ipsum valde charũ habere. Vniuersæ igitur curię Pilati Iudas præficitur, & ad eius nutũ omnia disponuntur. Quadã igitur die Pilatus de palatio suo in quoddã pomeriũ aspiciens, illorũ pomorũ tanto desiderio captus est, vt pene deficere videretur. Erat autẽ illud pomeriũ Rubẽ, patris Iudæ, sed nec Iudas patrẽ nec Ruben filium agnoscebat, quia & Ruben ipsum in marinis fluctib. periisse putabat: & Iudas, q̃s pater aut quæ patria sua fuerit, penitus ignorabat. Pilatus itaq;, accersito Iuda, ait. Tanto illorũ fructuũ captus sum desiderio, quod, si his frustratus fuero spiritum exhalabo. Concitus igitur Iudas in pomeriũ insilit, & velocius mala carpit. Interea Rubẽ venit, & Iudã mala carpentẽ inuenit. Fortiter igitur cõtendunt ambo, & iurgiũ superaddũt. Post iurgia, surgunt ad verbera, & mutuis se iniuriis affecerũt. Tandẽ Iudas Rubẽ in ea parte, qua ceruix colli cõnectitur, lapide pcussit, pariter & occidit. Poma igitur sustulit, & Pilato q̃d acciderat enarrauit. Iam die inclinante, & nocte superueniente, Ruben mortuus inuenitur, & subitanea morte præuentus fuisse putatur. Tunc Pilatus omnes facultates Ruben, Iudæ tradidit, & Cyboream vxorem Ruben, in coniugem, Iudæ dedit. Quadam igitur die cum Cyborea grauiter suspiraret, & Iudas vir eius, quid haberet, diligenter interrogauit, illa respondit.

Heu,

Heu, infelicissima sum omnium fœminarum, quia infantulum meum marinis fluctibus immersum, & virum meum morte præuentum inueni. Sed & dolori meo Pilatus addidit dolorem, qui me miserrimam nuptum tradidit, & inuitã, ter in coniugiũ copulauit. Cumq; illa omnia de infantulo enarrasset, & Iudas, illa quæ sibi acciderant, retulisset, inuentũ est, quod Iudas matrem suam in vxorem Duxerat, & quod patrem suum occiderat. Pœnitentia igitur ductus, suadente Cyborea, dominum nostrum IESVM CHRISTVM adiit, & suorũ delictorum veniam implorauit, & CHRISTI discipulus est effectus, qui postea, intrante in illum Satana, dominum suum vendidit & magistrum triginta argenteis, Iudæis scz. qui eum vinctum adduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato, sub quo passus est, crucifixus, mortuus, & sepultus. Et, sicut Euangelica testatur historia, ipse Iudas vidẽs, quod damnatus esset, proiecit argenteos in templo, & abiens laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et exiuit Diabolus cũ anima illa sordida & immunda per ventrem eius scz. sed non per os eius, sicut introierat post buccellam, vt sic parceret ori, quo Saluatorem osculatus fuerat. Non enim tam viliter debuit inquinari, q; tã glorioſum scz. os CHRISTI cõtigerat. Dignum enim erat, vt viscera quæ proditionẽ conceperant, rupta caderent. Guttur vero quo vox proditionis exierat, laqueo arctaretur. Sæpe etenim modus pœnæ exprimit modum culpæ, vnde abscinditur homini caput corporis, quia ipse sibi abscidit caput mentis, id est rationem. Sic & Iudas mortuus est in aere, tanquam aeris potestatibus suciandus. Congruum enim erat, vt separaretur ab angelorum & hominum regione, qui offensus fuerat vtrisque, & ideo motus & locus pœnæ congruit culpæ.

De trãsfiguratione Domini.

ANNO gratiæ, 32. principium fuit vicesimi iubilęi, secundum Hebræos. Hoc quoque anno, transfiguratio Domini facta creditur 8. Idus Augusti, quam prohibuit Dominus reuelari, ne passio eius impediretur. Hoc etiam tẽpore, assumpsit Dominus noster IESVS CHRISTVS, 72. discipulos, qui illum præcederent in omnem locum, quo erat ipse venturus, ex quibus putatur fuisse Matthias, qui prædicto Iudæ succesſit, Ioseph vero, qui vocabatur Iustus, Cleophas quoq; qui frater esse Ioseph patris Domini perhibetur, & Barnabas, cuius supra meminimus. Isti omnes missi sunt in præparationem Euangelii ante dominum, vt magister superueniens honoratior haberetur.

De passione Domini.

ANNO gratiæ, 33. traditus est dominus noster IESVS CHRISTVS, à discipulo suo, & passus sub Pontio Pilato, vt prædictum est, & 8. Kalend. April. crucifixus, luna 15. & tertia die resurrexit, mense qui apud Hebræos, Nisam appellatur. Ascendit in cœlum 3. Nonas Maii & Idibus eiusdem, spiritus sanctus super Apostolos descendit. De hac quoq; passione Dominica Pilatus Tyberio Cæsari scripsit in hunc modum.

Epistola Pilati ad Claudium imperatorem.

PONTIVS Pilatus, Claudio suo salutẽ. Nuper accidit, quod & ipse probaui, Iudæos, per inuidiam, se suosq; posteros crudeli damnatione, peremisse. Nam cum promissum haberent patres eorum, quod Deus illis mitteret de cœlo sanctum suum, qui eorum merito rex diceretur, & hunc se promiserit per virginem ad terram missurum: iste, me præside, Hebræorum Deus cum venisset, & vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse, mortuos suscitasse, ventis imperasse super mare siccis pedibus ambulasse, & multa alia mirabilia fecisse, cum omnis populus Iudæorum hunc Dei filium dicerent, inuidiam* contra eum passi sunt principes sacerdotum, mihiq; eum tradiderunt, & alia pro aliis mentientes, dixerunt, illum Magum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi arbitrio eorum. At illi crucifixerunt eum, & sepulto ei custodes adhibuerunt. Ille vero, militibus meis custodientibus eum, die tertia resurrexit. Sed in tantum exarsit nequitia eorum, vt darent eis pecuniam, dicentes. Dicite, quia discipuli eius corpus ipsius rapuerunt. Verumtamen milites, cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt. Nam, & illum resurrexisse testati sunt, & à Iudæis se pecuniam accepisse, & ideo suggesi hoc, ne quis aliter referens mentiatur, & existimet credendum mendaciis Iudæorum. Tunc Cæsar, cum suffragio magni fauoris, retulit Epistolam ad senatum, postulans vt Christus Deus haberetur. Sed senatus consecrationem Christi recusauit, indignatione cõmotus, quod, non secundum morem, prius Epistola sibi delata fuisset. Tunc senatus edictò constituit, Christianos ab vrbe esse exterminandos. Sed Cæsar super hoc indignatus, accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. Ex illa denique die, cœpit immutari laudatissima Cæsaris prius modestia, in pœnam contradictoris senatus. Nam adeo crudeliter desæuit in Romanos, quod vix aliquem eorum reliquit incolumem. Sicque contigit, vt qui CHRISTO spreuerant duce saluari, à Cæsare proprio puni-

*circa.

Cæsar Epistolã misit ad Senatum, vt Christus Deus haberetur.

punirentur. Indignum enim erat, vt consecratio Christi humanis assertionibus indigeret.

Matthias Apostolus ordinatur.

INTEREA vero, Hyerosolymis Apostoli Matthiam Apostolum ordinauerunt, & 7. diaconos, quorum nomina sunt hæc, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus aduena Antiochenus, à quo orta est hæresis Nicolaitarum. Hic cũ ad prædicandum fuisset profectus, pulcherrimam ducebat secum vxorem. Sed cum quadam die, à sociis de zelotypia increparetur, produxit eam in medium, vt si quis vellet, ea abuteretur. Vnde quidam hæretici putant, vti posse legitime promiscuis & illicitis carnalibus copulis, eius libidinis contemptum nequiter, pro sua libidine explenda, suscipientes. Proinde, cum prædicatio verbi Dei, procul per diuersas prouincias, sese diffunderet, Philippus descendens in Samariam, prædicauit ibi verbum Dei. Erat tunc in ciuitate magus quidam nomine Simon, populum seducens, qui virtus Dei ab eis vocabatur, qui videns signa quę faciebat Philippus, credidit & baptisatus est ab eo. Sed cum post dies paucos Petrus & Ioannes adueniissent, & manus super capita credentium imposuissent, accipiebant Spiritum sanctum. Quod cernens Simon, obtulit pecuniam, vt hanc potestatem acciperet. Cui Petrus: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Quibus verbis Simon confusus recessit, verbi Dei fulmen ferre non valens. Eodem tempore Iacobus, frater domini, Hierosolymis patriarcha ab Apostolis ordinatus est, qui fuit Alphæi, & Mariæ, sororis matris domini, filius. Deinde Apostoli ituri in orbem vniuersum, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, symbolum fidei composuerunt, vt ad diuersas nationes profecturi, non diuersum, sed vnum omnes prædicarent. Et sic Petrus inuasit Põtum, Galatiã, Cappadociam, & Bithyniã. Andreas adiuit Achaiam, Thomas Indiam, Ioannes Asiam, Matthęus Æthiopiam, omnes vnanimiter fidẽ Euangelii prędicantes vbiq;, domino cooperante, & sermonem eorũ confirmante, sequentib. signis.

De diuisione Apostolorũ.

ANNO gratiæ 34. Stephanus diaconus & protomartyr, Hierosolymis lapidatus est à Iudæis, & Saulus adolescens obseruabat vestimenta lapidantium Iudęorum. Petrus tenuit Cathedram Antiochiæ septem annis.

Stephanus lapidatur.

ANNO gratiæ 35. Paulus Apostolus ad fidẽ cõuertitur, & apud Damascũ ab Anania baptizatur, qui illico ingrediens synagogã, confundebat Iudęos, qui habitabant Damasci. Deinde à Hierusalem vsque ad Illyricum, omnes prouincias sua prædicatione impleuit.

Paulus conuertitur ad fidem.

ANNO gratiæ 36. Matthæus Apostolus Euangelium scripsit, & de Apostolo Euangelista factus est. Eodem anno Tyberius Claudius, cum imperasset annis 22. insidiis Caligulæ extinctus est.

Matthæus edidit Euangelium.

ANNO gratię 37. Caius cognomento Caligula, imperium suscipiens, imperauit annis tribus, mensibus decem, & diebus * duobus. Iste quia in exercitu natus fuerat, cognomentum calceamenti militaris, id est, caligulæ sortitus est. Hic imperii sui primo anno, regnum Iudæorum tradidit Herodi Agrippę, Aristoboli filio, addens ei Tetrarchias Philippi, Lysaniæ, & Herodis, qui Ioannem Baptistam decollauerat, & Dominum Iesum alba veste indutum, remiserat ad Pilatum.

Caius imperator efficitur.

* Vndecim.

CVM Tyberius morbo lepræ graui teneretur, nunciatur eidem quod Hierosolymis medicus quidam esset, qui omnes morbos solo verbo curaret, nesciens quod eum Iudæi & Pilatus occidissent. Dixit itaque Volusiano sibi priuato. Vade citius trans partes marinas, diceśque Pilato, vt hunc medicum mihi mittat, qui me pristinæ sanitati restituat. Cum autem ille ad Pilatũ veniisset, & mandatum imperatoris exposuisset eidem, territus Pilatus quatuordecim dierũ inducias postulauit. Intra quod spacium, dum Volusianus quandã matronã, q̃ fuit familiaris Iesu, nomine Veronicã vbi Christus Iesus inueniri posset, interrogasset, ait. Heu Dominus meus, & Deus meus erat, quẽ Pilat⁹ per inuidiã traditũ condemnauit, & crucifigi præcepit. Tunc ille nimis dolens ait: Vehementer doleo, quia quod mihi dominus meus iusserat, explere non valeo. Cui Veronica. Dominus meus, cum prędicando circuiret, & ego eius præsentia nimis inuita carerem, volui mihi ipsius depingi imaginem, vt dum eius priuarer præsentia, mihi saltem præstaret solatium imaginis suæ figura. Cumque linteum pictori deferrem pingendum Dominus mihi obuiauit, & quo tenderem requisiuit. Cui cum viæ causam aperuissem: à me petiit pannum, & ipsum mihi venerabili sua facie reddidit insignitum. Huius ergo imaginis aspectum, si dominus tuus deuote intueatur, continuo sanitatis beneficio potietur. Cui ille. Est ne huiusmodi imago, auro, vel argento comparabilis? Cui illa, non. Serio affectu deuotionis tecum igitur proficiscar, & videndam Cæsari imaginem deferam, & reuertar. Venit igitur Volusianus cum Veronica Romam. Dixitq; Tyberio imperatori. Iesum à te prius desideratum Pilatus, & Iudæi morti tradiderunt, & per inuidiam cruci affixerunt. Venit igitur mecum matrona

De impressione faciei saluatoris, quæ Veronica dicitur.

quædam, ipsius Iesu imaginem deferens, quam si deuote prospexeris, sanitatis tuæ beneficium mox obtinebis. Cæsar igitur pannis sericis viam sterni fecit, & imaginem sibi præsentari præcepit. Qui mox, vt eam fuit intuitus, pristinam assecutus est sanitatem. Et hæc imago, vsque hodie, Romę in Ecclesia Apostolorum principis, populo demonstratur, quę & à portatrice, à quibusdam Veronica appellatur.

Pilatus accusatur à Veronica, super tunica inconsuta.

Anno gratiæ 38. Pontius Pilatus iussu Cæsaris capitur, & Romam perducitur. Audiens Cæsar Pilatum Romam aduenisse, nimio furore repletus, eum ad se adduci fecit. Pilatus autem tunicam domini inconsutilem detulit, quam indutam coram imperatore portauit. Mox vt imperator eum vidit, omnem iram deposuit, & ei protinus assurrexit, nec dure sibi in aliquo loqui præualuit, & qui in eius absentia videbatur tam terribilis & ferus, nunc in eius præsentia inuenitur quodammodo mansuetus. Cumque eum licentiasset, mox contra eum terribiliter excandescit, se miserum clamitans, quod ei furorem sui prætoris minime ostendisset, statimque eum reuocari fecit, iurans & contestans quod filius mortis est, nec fas sit eum viuere super terram. Qui vt eum vidit, continuo eum salutauit, & omnem animi ferocitatem abiecit. Mirantur omnes, mirabatur & ipse, quod sic contra Pilatum, dum abesset, excandesceret, & dum præsens esset, nil ei aspere loqui posset. Cumque hoc tertio ageretur, superuenit Veronica, dicens Cæsari. Domine Cęsar, Domini mei Iesu inconsutili tunica, quam ei fecit propriis manibus gloriosissima mater sua, iniquus iste vestitus, omnem hominem ad se placat. Tunc Cęsar ipsum illa tunica expoliari fecit, & contra eum ferocitatem animi mox resumpsit. Cumq; de hoc imperator plurimum admiraretur: dictum est sibi, quod illa tunica fuisset Domini Iesu,

De exilio & morte Pilati.

Tvnc Imperator ipsum in carcere recipi iussit, donec sapientium consilio deliberaret, quid de eo fieri oporteret. Data est igitur in Pilatum sententia, vt exilio relegaretur, & morte turpissima damnaretur. Pilatus vero à Cæsare, apud Viennam Galliæ vrbem, exilio relegatus, propria seipsum manu & cultello proprio interfecit, & tali morte vitam miseram terminauit. Cognita Cæsar morte Pilati, dixit. Vere mortuus est morte turpissima, cui manus propria non pepercit. Mole igitur ingenti alligatur, & in Tyberim fluuium mergitur. Spiritus vero maligni, & sordidi, maligno & sordido corpore congaudętes, & nunc in aere raptantes, mirabiles inundationes in aquis mouebant, fulgura, tempestates, tonitrua, & grandines in aere terribiliter generabant, ita vt cuncti timore horribili tenerentur. Quapropter Romani, ipsum à Tyberis fluuio extrahentes, derisionis causa Vigennam deportauerunt, & Rodano fluuio immerserunt. Vigenna enim dicitur, quasi uia gehennæ, quia erat tunc locus maledictionis. Sed ibi nequam spiritus affuerunt, ibidem eadem operantes. Homines ergo illi, tantam infestinationem dęmonum non ferentes, vas illud maledictionis à se remouerunt, & illud sepeliendum, Losaniæ ciuitatis territorio, commiserunt. Hi, cum nimis præfatis infestationibus grauarentur, à se remouerunt, & in quodam puteo montibus circumsepto immerserunt, vbi adhuc, relatione quorundam, quædam diabolicæ machinationes ebullire videntur. In historiis scholasticis legitur, quod Pilatus accusatus est apud Tyberium de violenta innocentium interfectione, & quia Iudęis reclamantibus, imagines gentilium in templo ponebat, & quia pecuniam repositam in Corbanam, in suos redigeret vsus, inde faciens aquæductum in domum suam, & pro his omnibus deportatur in exilium, Lugdunum, vnde oriundus fuerat, vt in opprobrium gentis suæ moreretur.

Herodes cum Herodiade æterno damnatur exilio.

Anno gratiæ 39. Imperator Herodem à regno spoliatum, vna cum Herodiade adultera æterno damnauit exilio, & puellam saltatricem terra deglutiuit viuam.

Caius imperator pro Deo se coli præcepit.

Anno gratiæ 40. Cæsar templum, quod erat Hierosolymis, iussit prophanari sacrificiis gentilium, Iouis statuam ibi collocat, seque vt dominum cœli & terræ coli & adorari præcepit. Denique omnibus odiosus effectus, à suis protectoribus occisus est. Reperti sunt in secretis eius libelli duo, in quibus continebătur electorum nomina virorum morti destinatorum conscripta. Inuentaque ibi est arca ingens vàriorum venenorum repleta. Sed successore ei⁹ Claudio iubente, tradũtur in mare proiecta, non sine magno piscium exitio.

Claudius imperator. 4. Petrus papa primus.

Anno gratiæ 41. Claudius Caligulæ patruus, ad imperium sublimatus, imperauit annis tredecim, & mensibus octo.

Hvivs regni exordio, Petrus, cum prius Antiochenam rexisset Ecclesiam, Romã veniens, salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, ibique cathedram Episcopalem 25. annis tenuit vsque ad vltimum videlicet Neronis annum.

Marcus Euangeliũ scripsit.

Anno gratiæ 42. Marcus Euangelista Euangelium, quod Petro narrante, conscripserat, primum Aquileiæ prædicauit, ibiq; ordinato Hermagora discipulo suo, ad Ægyptũ peruenit.

ANNO gratiæ. 43. Herodes Agrippa voluit affligere quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum, fratrem Ioannis, gladio. Videns autem quia placeret Iudæis de nece Iacobi, apprehendit Petrum apostolum & in carcerē proiecit. Sed Angelus domini, illum à compedibus soluens, illæsum abire fecit. *Petrus à compedibus liberatur.*

ANNO gratiæ 44. Tyberius Claudius in Britanniam transuectus, quod ante Iulium Cæsarem, nec post, quisquam attentare ausus fuerat, in ciuitate Kaerperis, quæ nunc Porcestria appellatur, applicuit. Guiderius enim Britannorum rex tributum, Romanis à multo tempore consuetum, reddere contempserat, vnde Claudius indignatus, illud repetere cogitauit. Sed Guiderius, cum aduentum Claudii cognouisset, Romanorum exercitum petiuit, commissoque prælio Romanos ad naues fugere coegit. Quod videns Lælius Hamo, princeps militiæ imperatoris, armis propriis abiectis arma cepit Britannica, & quasi contra suos pugnare cœpit. Hortatur Britones ad insequendum, festiuum promittens triumphum. Didicerat enim linguam eorum & mores, quia inter Britannicos obsides Romæ fuerat educatus. Denique paulatim accedens ad regem, ipsum nil tale præmeditantem mucrone peremit. Deinde inter hostes elapsus, sese cum nefanda victoria inter suos recepit. At Aruiragus frāter regis, cum ipsum peremptum cognouisset, armis indutus regiis, quasi ipse Guiderius esset, Britones ad persistendum suasit. Tandem Romani in duas partes dilapsi, campum hostibus turpiter dimiserunt. Aruiragus igitur hostes insequi non cessauit, donec super ripam maris illos occupans, Lælium Hamonem ex improuiso peremit. Portus autem ille ab illo tempore vsque in hodiernum diem portus Hamonis, id est, Hamptonia nuncupatur. Claudius interea viribus resociatis, Kaerperis, id est, Porcestriam viriliter oppugnans, muros diruit, & ciues subegit. At Aruiragus hostiliter insequitur iam Wintoniam ingressum. Deinde ciuitatem obsidens, diuersis machinamentis illam opprimere nitebatur. Claudius vero, valuis apertis, ad præliandum cum suis egressus est. Sed antequam acies conuenissent, per internuncios, talem concordiam inierunt, quod videlicet Claudius filiam suam Aruirago maritaret, & Aruiragus regnum Britanniæ à Romanis sub tributo teneret. Paruit Aruiragus, & consilio suorum Cæsari subiectionem fecit. Mox Claudius propter filiam suam misit, & interim Orcadas insulas auxilio Aruiragi suæ protestati submisit. Emensa deinde hyeme, redierunt legati, cum filia nomine Genuisa, & Aruīrago lege maritali copulata est. At Aruiragus in honorem Claudii, & tantarum nuptiarum memoriam, ædificauit vrbem, quæ de nomine eius Kaerglou, id est ciuitas Claudii, & nunc Gloucestria nuncupatur. Deinde Claudio Romam reuerso, regimen prouincialium insularum Aruirago cessit. Eodem anno, Herodes Agrippa ab angelo percussus & toto tumens corpore miserabiliter animam eructauit. Cui successit Agrippa filius eius, & vsque ad extremum templi excidium, perdurauit. *Claudius imperator Britanniam inuasit.* *Guiderius rex occisus.* *Aruiragus rex Britanniæ.*

ANNO gratiæ 45. qui est annus duodecimus post passionem domini, beata virgo Maria in cœlum ab angelis assumpta est, peruixit, mansit in domo beati Ioannis Euangelistæ, cui Christus eam commēdauerat in cruce. Et eodem anno, inter Theram & Thesiam, insula de profundo emicuit, triginta stadiorum spatio extenta. *Mater Domini assumpta est in cœlum.* *Insula repente emicans.*

ANNO gratiæ 46. Marcus Euangelista, firmatis ecclesiis per Lybiam, Marmoricam, Ammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, ad vltimum tentus à paganis, Alexandrię martyrium compleuit. Eodem anno, Paulus cum Barnaba, apostolatu susceptо, gentibus prędicauerunt. *Marcus Euangelista martyrizatur.*

ANNO gratiæ 47. procuratore Iudęæ Cumano, in Hierosolymis tanta seditio est exorta, in diebus azymorum: vt in portarū exitu populo coarctato, triginta millia Iudæorum cæde prostrata, & compressione suffocata referantur. *Nota Hierosolymis seditionem.*

ANNO gratiæ: 48. descriptio Romæ facta est sub Claudio, & inuenta sunt ciuium Romanorum, sexagies nouies centena, & quadraginta quatuor millia. *Populus Romanus describitur.*

ANNO gratiæ 49. Claudius imperator Iudæos tumultuantes à Roma expulit. De qua Lucas Euangelista, in actibus Apostolorum refert. *Iudæi à Roma expelluntur.*

ANNO gratiæ 50. Imperator decimum imperii sui agebat annum. Cuius temporibus fames grauissima per Syriam facta est. Sed Christianorum necessitatibus, Helena Allabenorum regina, ad fidem Christi conuersa, frumenta largissime ministrauit. *Fames Syriā inuasit.*

ANNO gratiæ 51. tanta fames Romæ fuit: vt medio foro imperator correptus à populo conuitiis, & panis fragminibus turpissime infestaretur. *Fames Romæ fuit.*

ANNO gratiæ 52. Aruiragus Britannorum rex in tantam prolapsus est superbiam, quod Romanæ potestati, noluit diutius subiectione teneri. Vespasianus igitur à Claudio missus, cū in Rutupię portu applicare incepisset, Aruiragus illi obuians prohibuit, ne portū *Aruiragus rex Romanis tributum denegauit.*

ingrederetur. At Vespasianus, retortis velis, in Totonesio littore applicuit, & ciuitatem quæ Britannice Karpenhuelgoit, nunc autem Exonia appellatur, obsedit. Elapsis inde septem diebus Aruiragus superuenit, prælium que cum Romanis commisit, & vtrorumque exercitu valde lacerato, mediante Geuuisa Claudii filia, duces amici facti sunt. Tunc Vespasianus Romam rediit, & Claudius in Britannia remansit.

Coepit deinde Senatum Aruiragus deligere tantamque largitatem & probitatem habere, vt per totam Europam ipsius fama diuulgaretur. Vnde Iuuenalis Imperatori, de Rombo capto, sic dixisse perhibetur. Iuuenal. Satyr. 4. fol. 61.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus.

Claudius imperator veneno perit.

Anno gratiæ 53. Claudius Imperator Britannicum filium suum exortem Romani faciens imperii, Neronem, maritum Octauiæ, filiæ suæ, in imperium adoptauit. Nec multo post, idem Claudius veneno periit.

Nero imperator efficitur quintus.

Anno gratiæ 54. Nero quintus ab Augusto, Imperii dignitatem adeptus, imperauit annis 13. & mensibus octo. Hic, Caii auunculi sui, erga omnia vitia & scelera non solum sectator, sed etiam in omnibus transgressor apparuit. Cuius Imperii anno primo post Marcum Euangelistam Anianus Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotium suscepit.

Festus Iudææ procurator constituitur

Anno gratiæ 55. Festus Iudææ procurator, à Nerone constitutus, Felici successit. A quo etiam Paulus Apostolus Romam vinctus mittitur, & per biennium in libera custodia retinetur.

Anno gratiæ 56. Longius quondam Pilati præsidis miles, in passione Christi miraculo ad fidem conuersus, & postea in Cæsaria Cappadociæ ab Apostolis instructus ac Episcopus factus, hoc anno martyrio vitam finiuit.

Paulus in Hispaniam venit.

Anno gratiæ 57. Paulus ad Hispaniam dicitur peruenisse, & Arelatæ Trophium, Viennæ crescentem, discipulos suos ad prædicandum reliquisse.

Festus obiit.

Anno gratiæ 58. Festo Iudææ procuratori successit Albinus. Quo etiam tempore Nero, in re militari omnino nihil ausus, Britanniam pene amisit.

Petrus Apostolus Linũ & Cletum presbyteros ordinauit.

Anno gratiæ 59. Petrus Apostolus ordinauit duos Episcopos Linum videlicet, & Cletum, qui omne ministerium in vrbe Romana populo subministrarent, & infidelibus fidem Christi prædicare non cessarent.

Nero vxorẽ suam & sororem patris sui interfecit.

Anno gratiæ 60. Nero Agrippinam vxorem suam, & sororem patris sui interfecit, qui etiam tantæ luxuriæ fuit, vt frigidis & calidis lauaretur vnguentis, retibusque aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebat.

Nero matrẽ suam occidi, & scindi iussit.

Nero, nefariæ mentis ductus vesania, matrem occidi & scindi iussit, vt videret qualiter in eius vtero fouebatur. Physici vero sui, eum, de matris arguentes proditione, dicebant. Iura negant, & fas prohibet, vt filius matrem necet, quæ ipsum cum tanto dolore peperit, & cum tanto labore & sollicitudine enutriuit. Quibus ille. Faciatis ergo me puero impregnari, & postea parere, vt quantus dolor matri meæ fuerit possim scire. Hanc insuper voluntatem pariendi conceperat, eo quod per vrbem transiens, quandam mulierem vociferantem audierat. Dicunt ei, non est possibile, quod naturæ est contrarium. Nec est scibile, quod rationi non est consentaneum. Dixit eis Nero. Nisi me feceritis puero impregnari, & parere, omnes vos crudeli morte faciam interire. Tunc illi, eum impotionantes, ranam sibi occulte ad bibendum dederunt, & eam artificio suo in eius ventre excrescere fecerunt. Et subito venter eius naturæ contraria non sustinens, intumuit, ita vt Nero se puero grauidum existimaret, faciebantque eum seruare diætam, qualem nutriendæ ranæ nouerant conuenire, dicentes, quod propter conceptum, talia eum obseruare oporteret. Tandem dolore nimio vexatus, medicis ait. Accelerate tempus partus, quia languore vix anhelitum habeo respirandi. Tunc ipsum ad vomitum impotionauerunt, & ranam visu terribilem, humoribus infectam, & sanguine edidit cruentatam. Respicienſque Nero partum suum, ipsum abhorruit, & mirabatur adeo monstrosum. Dixerunt autem, quod tam deformem fœtum protulerit, ex eo, quod tempus partus noluerit expectare. Et ait. Fui ne talis de matris egressus latibulis? Et illi, etiam. Præcepit ergo, vt fœtus suus aleretur, & testidini lapidum seruandus includeretur. Redeuntes igitur Romam, ranam in testudine latere inuenerunt, & ipsam extra ciuitatem proiicientes, combusserunt. Vnde & pars illa ciuitatis, vt aliqui dicunt, vbi rana latuerat, Lateranum à latente rana, nomen accepit. Hic, sicut habetur in chronicis, virum in vxorem duxit.

Lateranensis basilica.

Statius Rethoricam docuit.

Anno gratiæ 61. Statius Suesullius Tholosensis in Gallia Rethoricam docuit, in illa arte in omnibus vir perfectus.

Anno gratiæ 62. Iacobus frater Domini, qui iustus appellababtur, & Hierosolymi-

solymitarum erat Episcopus, à Iudæis lapidatus & pertica fullonis excerebratus est. In cuius sedem Simeon secundus assumitur. *Hierosolimus lapidatur.*

Anno gratiæ 63. Maria Magdalena migrauit ad dominum, quæ pedes Saluatoris lachrymis rigauit, & capillis capitis sui siccauit. *Magdalena migrauit ad Dominum.*

Anno gratiæ 64. Albino procuratori Iudææ successit Florus, cuius luxuriam & auaritiam Iudæi, cum cæteris flagitiis non ferentes, contra Romanos rebellare cœperunt. Ad quos domandos mittuntur à Nerone Vespasianus, & filius eius Titus, qui plurimas Iudææ vrbes ceperunt, & funditus destruxerunt. *Iudæi contra Romanos rebellare cœperunt.*

Anno gratiæ 65. Persius poeta moritur, Lucretius à Nerone interimitur. Lucanum etiam præceptorem suum, in Balneo sanguine minurum, vita priuauit, eo quod in iuuentute flagellauerat eum, dicens se ipsius aspectum sustinere non posse. *Persius poeta obiit.*

Anno gratiæ 66. Simon Magus Romam veniens, suis magicis artibus populum dementari fecit, ita quod à nõnullis adoraretur vt Deus. Sed Dominus omnipotens, sicut in actibus Apostolorum legitur, per Apostolum suum Petrum vanitates eius & insanias detexit, adeo quidem quod alto corruens, fractis ceruicibus, expirauit. Tunc Nero confusus, iussit apprehendere Perum. Sed Petrus ab vrbe exire ad tempus cupiens, vbi ventum est ad portam, vidit sibi occurrere Christum, & adorãs eum, ait, Domine quo vadis? At ille Venio Romam, iterũ crucifigi. Intelligens Petrus quod in se Dominus erat passurus, qui patitur in sanctis, non corporis dolore sed compassione misericordiæ, rediit in vrbem, & mox à persecutoribus captus cruci adductus est. Crucifixus est igitur capite deorsum, & Paulus qui dudum vinctus tenebatur in vrbe, eadem die capite truncatus est. *De Simone mago, & passione Petri & Pauli.* *Petrus & Paulus patiuntur.*

Anno gratiæ 67. Nero vrbem Romæ iussit incendi. Et, vt similitudinem ardentis Troiæ conspiceret, per sex dies & sex noctes ignis vehemens ipsius pauit aspectum. Quem ex altissima turre prospectans tragico habitu Iliadem lætus decantabat. Dum hæc Romæ agerentur, Vespasianus gentem Iudaicam miserabili plaga afflixit. Iocapata enim ciuitate capta, cæsa sunt in ea. 40000. Ioppen capta est, & in mari submersi sunt sine bello quatuor millia & quingenti. In Tarichia capta, interempti sunt, 6700. & sex millia iuuenum ad Neronem destinati, alios 1200. necauit, 30400. vendidit. In captione Gamale, 4000. perempti referuntur, 5000. præcipitio perierunt, alia 2000. quæ sequebantur Ioannem principem, in *Galgala interfecti sunt, tria vero millia captiuitati adiudicati sunt. Deinde Iericho destructa est, & *92000. & 200. perierunt. De hac subuersione, contra improbos Iudæos, ita prophetauit Esaias, dicens. Vęgenti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerũt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, alienati sunt retrorsum. In hac clade Iosephus historiographus, & dux belli Iudæorum, cum à Romanis esset interimendus, Vespasiano pronunciat de morte Neronis, & ipsum post eum imperatorem futurum, & sic ad tempus mortis euasit periculum. *De miseranda Iudæorũ afflictione.* *Giscala. * 12*

Anno gratiæ. 68. Galba in Hispania imperator creatus, & Nero Romæ, ab omni populo, hostis publicus pronunciatus est. Quem cum Nero imperatorem creatum ab exercitu Romano cognouisset: totus animo ac spe concidit, & ignominiosissime ab vrbe fugiens, ad quartum lapidem sese ipse interfecit, atq; in eo Cęsaris omnis familia consumpta est. Galba Romam veniens, imperauit mensibus sex, & diebus totidem. *Mortuo Nerone, Galba successit imperator.*

Anno gratiæ. 69. Otho ex oppido Ferentano splendidis ortus parentibus, Romam venit, & in medio foro Galbam perimens imperium inuasit, & tribus, mensibus imperauit. Vitellius interea, per Germanicas legiones in Gallia imperator creatus, versus Romam iter arripuit. Sed Otho illi obuians, cum eo dimicauit, illumque ter in prælio vicit. In quarto autem prælio cum Otho suos vinci comperisset, seipsum interfecit. Sicq; Vitellius Romam veniens, octo mensibus imperauit. *Otho imperium inuasit.*

Anno gratiæ. 70. cum Vitellius multa crudeliter ac nequiter Romæ ageret, minutissimorum ictuum punctionibus est excarnificatus, & ad vltimum in Tyberim mersus, cõmuni caruit sepultura. Vespasianus itaq;, cognita Neronis morte & Vitellii interfectione, multis Iudæorum vrbibus captis, ad obsidionem vrbis Hierosolymorum se contulit. Vbi innumeram multitudinem Iudaicæ gentis ob diem festum ibidem congregatos obsederat. ibiq; Tito filio suo procuratore constituto Romam venit. Electus enim à senatu, propter nobilitatem generis, & audaciam rei militaris, nec Romanis deesse voluit, nec Iudæis parcere, quos filius infestauit. *De morte turpissima Vitellii.*

Anno gratiæ 71. Vespasianus imperium adeptus, imperauit annis 9. mensibus. 11. & diebus 22. Titus vero filius eius interim magna ac diutina obsidione Iudæos premebat. Nam cũ apud eos corrupta essent legis iura, & violata religio, deseruit eos Deus quia *De imperio Vespasiani, & persecutione Iudaica*

nec solum illos vrgebant Romani, sed & ipsi inter se domesticis seditionibus laborabant. Sectabantur enim luxuriæ effusiones, vnguentorum odores, calamistris capillos crispabant, stibio oculos depingebant, & amictu muliebri induebantur, earumque molliciem affectabant, voces etiam effœminare, sexum mutare, fracto gressu incedere, comam pascere, vultum dealbare, genas punicare, barbam vellicare, & cum his omnib. sçuitiam intollerabilem, exercere studebant. Versabatur inter eos dira seditio, pax sepulta erat, fides arebat, famesque pecuniæ regnabat, ita quod nihil sibi videbatur honestum, quod pecunia erat vacuum. Habebant huius turpitudinis fautores duos, quorum vnus erat Ioannes, vir leuis, populi lues, dolis nulli secundus, cui nunquam defuit affectus nocendi, dolo existens callidus, doctus mendaciis, fallaciam virtutem esse credebat, charissimos circumueniebat. Alter vero Simon dicebatur, crudelitate non dispar, & ipse durus erat, & immitis, & qui nullo affectu ad pietatem flecteretur. Isti sub obtentu conseruandæ libertatis, in nobiles sæuiebant. aut enim falso crimine afflicti vincebantur, aut in carcere positi iugulabantur. Sacerdotes quoq; peregrini, qui sacerdotio interuentu pecuniæ fungebantur, ad omne nefas arbitrio iniquorum principum ignobile vulgus pertrahebant. Sed dum hæc à Iudæis agerentur, Romani muros Hierusalem machinis, cunctisq; bellicis instrumentis subuertere nituntur. Nec fuit intermissio vlla, nec vllæ dabantur induciæ. Iudæis desperatio audaciam dabat, Romanis gloriæ cupiditas virtutem augebat. Cæsi sunt mortales multi, dum propugnacula murorum crebris ictibus soluerentur. Fugientibus tandem Iudæis, Romani, non sine suorum læsione ac sanguinis effusione, extremum ciuitatis intrauere murum. Tunc bellum rursus accenditur, quia adhuc muri duo vincendi restabant. Hortatur milites Titus, incluſi defensioni vacabant. Inuasit interea fames miserabilis obsessos, adeo, quod ciuitas plena cadauerum iacebat. Filii parentibus, & parentes filiis, de ipsis faucibus cibum rapiebant, alii equorum cadauera, alii arborum cortices detrahebant. Matresque assatis pueris vescebantur, plerisque etiam vomitus & stercora aliorum esca fuere. Euoluto itaque quadriennio, postquam obsessa est ciuitas, Titus non sine suorum sanguinis effusione muros ascendit, & vrbis munitiones obtinuit, templum & sancta sanctorum polluit, vasa sacra diripuit, aurum & argentum, & gemmas precioſas suis militibus erogauit. Fessi denique tanta strage Romani, quærebant quibus captiua mancipia venderentur, sed quia plurimi venales, & pauci inueniebantur emptores, triginta vno numismate vendebantur. Captiui vero nonaginta & septem millia sunt abducti, quidam etiam eorum bestiis ad deuorandum sunt proiecti. Hoc templi supremum excidium, anno 1102. contigit à conditione sua, & 8. die 7. mensis concremata est ciuitas, & templum funditus est euersum. Acta autem sunt hæc in paschali solennitate, quam phase appellabant Iudæi. Dignum enim erat, in eisdem diebus phase, illos interfici, in quibus mundi saluatorem & suũ si vellent, despicabiliter flagellatum, in ligno crucis suspenderunt. Hanc vtique subuersionem futuram ostendit Dominus in Euangelio, quando lachrymatus est super ciuitatem Hierusalem dicens: Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & ad terram prosternẽt te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidẽ super lapidem, eo q; non cognouisti tempus visitationis tuæ. Eodem tempore, Petro Apostolo, in cathedra Romana, Linus Papa secundus successit, & sedit vndecim annis, mensibus. 3. & diebus 12.

Iudæorum dispersio.

Anno gratiæ. 72. Iudæa à Tito capta, & Hierosolyma subuersa, facta est dispersio Iudęorum per orbem vniuersum. Quam dispersionem multa pręcurrerunt signa. Nam super vrbem Hierusalem sydus, gladio simile, stare videbatur, & cometa anno vno perseuerauit. In Pascha, Orientalis porta templi obserata, quæ vix à 20. hominibus claudebatur, nocte, vltro aperta est. Currus & acies armatæ, similiter visę sunt per aëra ferri. In Paschali solennitate, lumen nocte in templo, sicut in die, dimidia hora, refulsit. Bos ad hostiã adductus, in medio templi agnum peperit. In Pentecoste vox audita est in templo: Migremus hinc, migremus hinc, migremus hinc, Iesus filius Aniani, vir plebeius, quatuor annis ante *bellum, ita clamabat: Vox ab Oriente, vox ab Occidẽte, vox à quatuor ventis, vox in Hierosolyma & templo, vox in maritos nouos, nouasq; nuptas, & in omnem hunc populum. Verberatus etiam, nulli maledicens vel benedicens, per 7. annos, & quinq; menses indesinenter clamabat: Vę Hierosolymis. Nec voce raucus effectus est, nec clamare cessauit. In obsidione super murũ clamauit: Væ vrbi nefariæ, vę phano, vę templo, & cum addidisset, væ etiam & mihi, lapis enormiter missus eum peremit.

*templum.

De morte Aruiragi regis.

Anno gratiæ. 73. Aruiragus, Britonum rex, expletis vitæ suæ diebus, Claudio Cęstriæ sepultus est. Successit ei in regnum Marius filius suus, vir miræ sapientiæ & prudentię, qui Romano populo in tantam amicitiam cecidit, vt tributum, quod exigebatur ab eo, sine contradictione impendere curaret.

Anno

ANNO gratiæ 74. Colossus erigitur Romæ, habens altitudinis, pedes centum & septem. *Colossus Romæ erigitur.*

ANNO gratiæ 75. Rex Pictorum, Rodericus, de Scythia veniens, in Aquilonalẽ Britanniæ partem applicuit, ac prouinciam illã deuastare cœpit. At Marius Britonum rex illum hostiliter petens interfecit. Deinde dedit populo deuicto, qui cum Roderico venerat partem Albaniæ ad inhabitandum, quæ Catenesia nuncupatur, terram desertam, & omni habitatore vacuam. *De aduentu Pictorum in Britanniam.*

ANNO gratiæ 76. Picti, qui cum Roderico in Britanniam venerant, vxores non habentes, filias & cognatas Britonum petierunt ab eis. At illi, vt passi fuere repulsam, transfretauerunt in Hyberniam & ex illa patria mulieres reducentes, pueros susceperunt, & ad similitudinem suam, homines videlicet modicæ staturæ, genuerunt. *Picti mulieres sibi ex Hybernia assumunt.*

ANNO gratiæ, 77. Ex Pictis & Hybernensibus Scoti originem habuerunt, quasi ex diuersis nationibus compacti. Scot etenim illud dicitur, quod ex diuersis rebus in vnum aceruum congregatur. Deinde vero terra illa, quæ prius Albania dicebatur à Scotis Scotia nuncupatur. *Vnde Scoti.*

ANNO gratiæ 78. Marius Britannorum rex, ab hoc seculo transiens, Coillum filium habuit successorem. Hic ab infantia Romæ nutritus, à senatu multũ dilectus est. Soluens enim tributum, quod petebatur ab eo, in pace & trãquillitate regnum suum moderabatur. *Defuncto rege Mario Coillus succedit.*

ANNO gratię 79. Ioannes Euangelista in Ephesiorum Ecclesia clarus habetur. Nam septem ibidem Ecclesiis, quarum nomina in Apocalypsi leguntur, constructis, ministros in eis idoneos ordinare curauit. *Ioannes Euangelista apud Ephesum clarus.*

ANNO gratiæ 80. Vespasianus Romæ profluuio ventris interiit, anno vitæ suæ. 70. Dicunt tamen alii, quod febre correptus, vitam finiuit. *Vespasianus imperator obiit.*

ANNO gratiæ. 81. Titus Vespasiani filius, imperauit annis duobus, & totidem mensibus, vir omni genere virtutum mirabilis, adeo vt amor & delitiæ humani generis dicerentur. Hic in imperio tantæ bonitatis fuit, vt nullius omnino sanguinem fuderit, sed coniuratos aduersum se coniurationis dimitteret, atque in eadem familiaritate qua ante habuerat, retineret. *Titus Vespasiano succedit.*

ANNO gratiæ 82. Titus imperii sui annum agebat secundum. Hic amphitheatrum Romę ædificauit, & in eius dedicatione quinque millia ferarum occidit. Iste etiam in tantum facundissimus extitit, vt causas Latine ageret, poemata, & tragœdias græce componeret. Dixit similiter sese perdidisse diem, in qua nihil boni fecerit. Tandem cum ingenti omnium luctu in vrbe Roma defunctus est. *Nota sensum Titi.*

Eodem anno Cletus Papa tertius in cathedra Romana sedit annis 11. mense vno & diebus 11. *Cletus Papa tertius.*

ANNO gratiæ. 83. Domitianus frater Titi iunior imperium sumens, imperauit annis 15. & mensibus 6. Is in tantam superbiam prolapsus est, vt Deum sese ac dominum vocari & coli iusserit, secundusque post Neronem extitit, qui Christianos, Ecclesiamque Christi, datis edictis, crudelissime conuellere conatus sit. *Domitianus imperator.*

ANNO gratiæ 84. Ioannes Apostolus ad Pathmon insulam à Domitiano in exilium missus, Apocalypsim ibidem scripsit, quæ latine, reuelatio dicitur, vel interpretatur. *Ioannes Apostolus in exilium pellitur.*

ANNO gratiæ 85. Domitianus imperator, Pantheon, id est templum in honorem omnium deorum, ædificauit. *Pantheon construitur*

ANNO gratię 86. apud Alexãdriã, Aniano qui Marco successerat, Habilius successit.

ANNO gratiæ 87. Flauia Domicilla, Flauii Clementis consulis, ex sorore neptis, in insula Pontiana ob fidei testimonium exulat, & Quintilianus rhetor clarus habetur. *Quintilianus rhetor claret.*

ANNO gratiæ 88. Domitianus mathematicos & philosophos ab vrbe Romana depulit.

* ANNO gratiæ 89. Domitianus Iudæos de semine Dauid, acerbitate tormentorum interfici præcepit, ac si futurus esset rex, qui regnum eius posset adipisci. *Domitianus Iudæos persequitur.*

ANNO gratiæ 90. Capitolium, forum Traiani, thermæ Traiani, ludus matutinus, Pantheon, Micha aurea, Vespasiani templum Romæ fiunt. *Nota opera Romæ.*

ANNO gratiæ 91. Domitianus imperator de Dacis & Germanicis laudabiliter triumphauit.

ANNO gratiæ 92. Domitianus statuas aureas & argenteas sibi in capitolio poni iussit. Eodem anno Cletus Papa à Domitiano martyrio coronatus est. *Cletus Papa martyrizatur.*

ANNO gratiæ 93. Clemens Papa quartus, sedit in cathedra Romana annis nouem, mensibus duobus, & diebus * decem: *Clemens Papa 4. nouem.*

Doctores mittuntur versus occidentem.

ANNO gratiæ,94.Clemens Romanæ sedis Episcopus,ad locandum in Galliis nouæ fidei fundamentum, industrios ac magnificos viros destinauit. Parisiensibus Dionysium, Siluanectensibus * Nicasium, Ebroicensibus Taurinum, Arelatensibus Trophimum, Narbonensibus Paulum, Tholosensibus Saturninum, Arumnis Astremonium, Lemouicensibus Martialem, Turonicis Gratianum, Cenomannicis Iulianum, Beluacensibus Lucianum, Ambianensibus Firminum, Lugdunensibus Photiuum, per quos innumera multitudo hominum ab idolorum cultura recessit.

**Regulum, Rotomagensibus.*

Vt Ioannes in feruentis olei dolium mittitur.

ANNO gratiæ 95. Ioannes Apostolus, à Domitiano Cæsare in feruentis olei dolium missus perhibetur, à quo tam immunis exiuit à pœnis, quam à corruptione carnis semper manserat alienus.

Nota Martyres.

ANNO gratiæ 96. Apollonius & Euphrates insignes philosophi habentur. Dionysius atque Nicasius cum sociis suis martyrio coronantur. Domitianus omnes de genere Dauid, interfici præcepit.

Sanctus Dionysius martyrizatur.

ANNO gratiæ 97. passus est sanctus Dionysius, beati Clementis Papæ discipulus cũ sociis suis Rustico archiepiscopo, & Eleutherio archidiacono, sub Fecennio Sisinnio proconsule, ciuitate Parisiis, 7. idus Octobris. Eodem tempore passus est beatus Nicasius cum sociis suis, sub eodem proconsule, in pago Rotomagensi.

De morte Domitiani imperatoris.

ANNO gratiæ 98. Domitianus in vrbe Romana, in palatio, à senatu interfectus est. Cuius cadauer populari sandapila, per vespiliones exportatum, atque ignominiose pollutum est. At Nerua senex, imperium adeptus, imperauit anno 1. mensibus 4. & diebus 8. Hic primo edicto suo cunctos exules, quos Domitianus relegauit, reuocari præcepit. Vnde Ioannes Apostolus, hac indulgentia liberatus, Ephesum rediit. Et quia concussam, se absente, per hæreticos vidit ecclesiæ fidem, Cherinti & Ebionis hæresim, ibidem damnauit. Astruunt enim mundum ab angelis factum, & Iesum hominẽ fuisse tantum, nec resurrexisse. Resurrectionem quoque mortuorum non credebant. Contra hanc hæresim à fratribus compulsus, Apostolus Euangelium scripsit ostendens in exordio eius, in principio fuisse verbum, & ipsum esse Deum, per quem omnia facta sunt. Nerua imperator afflictæ reipulicæ consulere cupiens, Traianum virum sapientissimum in filium sibi moriens, adoptauit.

Ioannes apostolus migrauit ad dominum.

ANNO gratiæ.99. Traianus, Romanum suscipiens imperium, imperauit annis 19. mensibus 6. & diebus 15. Huius temporibus, Ioannes Apostolus, cum esset annorum 99. præsentibus suis discipulis, facta oratione, migrauit ad Christum.

De triumphis Traiani imperatoris.

ANNO gratiæ 100. Traianus trans Danubium multas gentes subegit, Germaniam quoque trans Rhenum in pristinum statum reduxit.

ANNO gratiæ 101. Traianus Seleuciam & Ctesiphontem, ac Babyloniam occupauit, atq; vsque Indiæ fines, post Alexandrum, primus accessit.

Post Clemẽtem Anacletus successit.

ANNO gratiæ 102. Post obitum beati Clementis, Anacletus sedit in cathedra Romana annis 9. mensibus decem, & cessauit sedes diebus 13.

Simon martyrizatur.

ANNO gratiæ 103. Traiano aduersum Christianos persecutionem mouẽte, Simon Cleophæ filius, Hierosolymorum episcopus crucifigitur, cui successit Iustus.

Ignatius martyrio coronatur.

ANNO gratiæ 104. Sanctus Ignatius, Antiochiæ vrbis Episcopus, Romam perductus, bestiis traditur ad deuorandum. Kalend. Februarii.

Alexander Papa martyrizatur.

ANNO grtiæ. 105. Alexander Romanus episcopus, martyrio coronatur, & septem ab vrbe milliaria, via Numantina, vbi decollatus est, sepelitur.

Zacharias martyrizatur.

ANNO gratiæ 106. Zacharias senex, Viennensis ecclesiæ episcopus, martyrio coronatur. Cuius prædecessores fuere apostolorũ discipuli, primus Crescẽs, deinde Martinus.

Plinii pietas in Christianos.

ANNO gratiæ.107. Plinius orator & historicus, qui inter cæteros iudices persecutor ecclesiæ datus fuerat, nemini mortem grauem intulit, sed rescriptis leuioribus illico temperauit edictum.

Rome domus aurea incenditur.

ANNO gratiæ,108. Romæ domus aurea, à Nerone condita, repentino conflagrauit incendio.

Pantheon fulmine incenditur.

ANNO gratiæ,109. Pantheon Romæ, quod Domitianus fecerat, admirantibus cunctis, fulmine concrematum est.

Terræmotus.

ANNO gratiæ.110. Antiochenam ciuitatem terræmotus pene totam subruit, & alias per orbis partes, ciuitates multas.

Euaristus Papa 6.

ANNO gratiæ 111. post Anacletum, Romanæ sedis episcopum, Euaristus papa sextus successit, annis decem.

Iudei bella excitant.

ANNO gratiæ 112. Iudæi sub vno tempore, quasi effrænata rabie, per diuersas terrarum

rum nationes exarserunt,& bella atrocissima gesserunt, donec digna cæde iussu imperatoris, sternerentur.

ANNO gratiæ. 113. Verus Viennensis Episcopus, qui vnus fuit ex discipulis & auditoribus Apostolorum,fidei confessione & doctrina claruit. *Verus Episcopus claret.*

ANNO gratiæ. 114. Phoca Cynopis ciuitatis Episcopus, glorioſissime martyriũ duxit, cuius sacratissimæ reliquiæ translatæ sunt in Galliæ ciuitatem Viennam,ibiq; in Ecclesia sanctorum Apostolorum repositæ. *Phocæ martyrium.*

ANNO gratiæ.115.natus est Coillo,regi Britonũ, vnicus filius, quẽ vocauit Luciũ,qui factus est patri gaudiũ & exultatio,quia in senectute,& quasi ab hærede destitutus,genuerat eum. *Coillo regi natus est filius.*

ANNO gratiæ.116.Iustus apud Alexandriam sacerdotio fungebatur.

ANNO gratiæ.117.Traianus apud Seleuciam Isauriæ vrbem extinctus est,cuius exusti corporis cineres Romani in columna marmorea condiderunt. *De morte Traiani imperatoris.*

ANNO gratiæ. 118. Aelius Adrianus, Romanum adeptus imperium, imperauit annis. 20. & vno. Erat enim consobrinæ Traiani filius, vir industrius & discretus, & qui de facili ad pietatem flecteretur. *Adrianus imperator.*

ANNO gratiæ. 119. Adrianus imperator iustissimis legibus rempublicam ordinauit, ita vt à senatu pater patriæ diceretur.Eruditus etiam lingua Latina & Græca, Athenis Bibliothecam miri operis extruxit. *De probitate imperatoris.*

ANNO gratiæ. 120. post Papam Euaristum Alexander sedit annis. 8. mensibus. 5.& diebus.2.Hic cõstituit verba Domini super panem & vinum in canone recitari, & aquam benedictam in habitaculis hominum spargi. *Papa Euaristus.*

ANNO gratiæ. 121. Imperator Adrianus per Quadratum Apostolorum discipulum, & Aristidem Athenienſem, virum fide & sapientia plenum, ac per Serenum legatum, libris de Christiana religione compositis instructus est & eruditus. Vnde præcepit per Epistolam, proconsuli Asiæ destinatam, vt nemini liceret Christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare. *Adriani clementia in Christianos.*

ANNO gratiæ. 122. Adrianus imperator Iudæos rebellantes & Palæstinam prouinciam quondam suam depopulantes, vltima cæde perdomuit in vltionem Christianorum. *Imperator Iudæos rebelles edomuit.*

ANNO gratiæ. 123. Aelius Adrianus Hierosolymam reædificauit,& illam de suo prænomine Aeliam vocari præcepit. Iussit etiam ne cui Iudæorum introeundi in illam esset licentia, Christianis tantum ciuitate permissa. *Reædificatio Hierosolymæ.*

ANNO gratiæ. 124. Coillo Britonum rege defuncto, Lucius filius eius regni diademate insignitus est.Hic omnes actus bonitatis patris sui sequens ab omnibus tanquam ipse Coillus habebatur. *De Lucio rege Britonum.*

ANNO gratiæ. 125. primus ex gentibus Marcus Hierosolymorum Episcopus constituitur, cessantibus his qui à passione Domini vsq; in præsens tempus fuere. Nam primus omnium Hierosolymorũ Episcopus Iacobus frater Domini fuit.2. Simon, Filius Cleophę 3. Iustus. 4. Zacheus. 5. Tobias. 6. Beniamin. 7. Ioannes. 8. Matthias 9. Philippus. 10. Seneca. 11. Iustus. 12. Leui. 13. Effrem. 14. Ioseph. 15. & vltimus, Iudas. *De Episcopis Hierosolymitanis.*

ANNO gratiæ. 126. Aquila Orator,genere & natione Ponticus, clarus habetur, qui post septuaginta,secundus interpres diuinæ legis extitit. (confessione refulsit.

ANNO gratiæ.127.Iustus Viennensis Ecclesiæ Episcopus, Illustrissimus in Christi *Secundus diuinæ legis interpres Aquila.*

ANNO gratię 128.Post Alexandrum Sixtus Papa 8.sedit in cathedra Romana annis 10.mensibus 3.& diebus viginti,& cessauit sedes diebus duobus. *Iustus Viennensis Episcopus claret Sixtus Papa Octauus.*

ANNO gratiæ 129.Publio Athenarum Episcopo,& Apostolorum discipulo,martyrio ob fidem Christi coronato,Quadratus,cuius supra meminimus,succeſſit, qui Ecclesiã Christi grandi terrore dispersam,tua industria congregauit. *Publius Episcopus martyrizatur.*

ANNO gratiæ 130. Basilides hæresiarcha Ecclesiam Christi multa maculauit perfidia,à quo Basilidiani sunt appellati, qui sectæ illius adhęserunt. Hi inter cæteras blasphemias,quas de Christo componunt,ipsum passum negant. *Basilides hæreticus. Basilidiani Christum passum negant.*

ANNO gratiæ, 131.Cornelius Antiochiæ constituitur Episcopus quartus. Eodem tempore,passio beati Cuthdrati Episcopi, & Apostolorũ discipuli celebratur. Qui persecutione Adriani Ecclesiam grandi terrore dispersam,fide sua & industria congregauit.

ANNO gratiæ 132.Nicopolis & Cæsarea, terræmotu corruerunt. Eodem tempore apud vrbem Tiburtinam,passa est sancta Symphrosia, cum,7. filiis,quæ primo palmis cęsa deinde crinibus suspensa,nouissime in flumen præcipitata est. *Passa est Symphrosia martyr.*

ANNO gratiæ. 133. Hymenæus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus præfuit. Eodem tempore,Romæ passio sanctæ Sabinæ martyris sub Adriano imperatore illustrissime celebratur. *Passio sanctæ Sabinæ.*

bratur, quæ gladio percussa, cum palma martyrii, ad cælestia conuolauit.

ANNO gratiæ 154. Syluius Iulianus perpetuum composuit edictum. Adrianus, cum insignes Athenis feciſſet ædes, bibliothecam mirandi operis extruxit.

ANNO gratiæ. 135. Iudæi in arma versi, Palęstinam depopulati sunt. Eodem tempore depositio beati Aristidis celebratur, qui Adriano principi, de religione Christiana libros offerens, quod Iesus solus esset Deus, eleganter perorauit.

ANNO gratiæ 136. Bellum Iudaicum, quod in Palęstina gerebatur, finem accepit.

Marcus primus ex gentibus Hierosolymorũ Episcopus.

ANNO gratiæ. 137. Hierosolymis primus ex gentibus Marcus constituitur Episcopus, cessantibus his qui ex Circumcisione fuerant.

Imperator Antoninus.

ANNO gratiæ. 138. Antoninus, cognomento Pius, imperator creatus, annis. 20. & non plenis. 3. mensibus, imperauit. Hic adeo tranquille vixit, vt merito pius & pater patrię sit appellatus.

Thelesphorus papa. 9.

ANNO gratiæ. 139. Thelesphorus Papa nonus sedit in cathedra Romana annis 11. mensibus. 3. & diebus, 20. & cessauit sedes diebus. 7.

Nota pietatem.

ANNO gratiæ. 140. Antoninus cum filiis suis, Aurelio & Lucio, in omni regno Romano, cautionibus incensis, cunctorum debita relaxant.

ANNO gratiæ. 141. Iustinus Philosophus librum de Christiana religione compositum Antonino tradidit, eumque benignum erga Christianos fecit, qui non longe post suscitata persecutione prodente Crescente Cinico, pro Christo sanguinem fudit.

De hæresi Valentiniana.

ANNO gratiæ. 142. Hæresis Valentiniana & Martionis, Ecclesiam Christi fraudulenter impugnat, cuius pestis inuentores, æonas, id est scelera quædam, in originem creatoris inducunt. Christum quoque de virgine corpus non assumpsisse, sed per eam, quasi per fistulam, transiisse profitentur.

De Galeno medico.

ANNO gratiæ, 143. Galenus insignis medicus, & Pergami genitus, Romæ clarus habetur. Eodem tempore sub Antonino imperatore, sanctus Alexander Episcopus martyrium sumpsit, qui post multa tormentorum genera gladio occubuit.

Pius Papa decimus.

ANNO gratiæ 144. Pius Romanæ Ecclesię ordinatur Episcopus. Eodem tempore apud Spoletum, sancti Concordii presbyteri passio celebratur, qui post varia tormenta, ad vltimum gladio percussus, martyrium compleuit.

Herus Episcopus.

ANNO gratię 145. Antiochię constituitur Episcopus Herus. Sub eisdem diebus sanctus Pontianus, iubente Antonino imperatore, martyrii palmam post multarum tribulationum ignes, ad martyrii gloriam laudabiliter peruenit.

ANNO gratiæ 146. Alexandriæ Episcopatum suscepit Marcus. Per idem tempus apud Smirnam, sanctus Polycarpus Episcopus temporibus Antonini igni traditus, & ad purum examinatus, à domino meruit coronari.

De hæretico Valentino.

ANNO gratiæ 147. Valentinus hæreticus agnoscitur, & permanet vsque ad Nicetum. Circa eosdem dies beatus Philippus Episcopus in vrbe Cortina, sanctitate perfectus, obdormiuit in domino.

ANNO gratiæ 148. Vesomedius Cretensis, citharœdorum carminum musicus poeta agnoscitur.

Sanctus Papyrus martyrizatur.

ANNO gratiæ 149. Taurus Hyretius Platonicæ sectæ philosopus clarus habetur. Eodem tempore, apud Pergamum sanctus Papyrus Episcopus efficitur martyr gloriosus.

Higinus Papa. 11.

ANNO gratiæ. 150. Higinus Papa sedit in cathedra Romana annis quatuor, mensibus tribus, & diebus sex. Hic clerum composuit, & in ordinibus gradus distribuit.

ANNO gratiæ. 151. Apollonius Stoicus, & Basilides philosophi illustres habentur. Sub eodem tempore, Maria virgo, iubente Antonino principe, per martyrii palmam fœliciter migrauit ad Dominum.

Sancta Fœlicitas martyrizatur.

ANNO gratiæ. 152. Adrianus Nicomedienſis & Maximus Tyrius agnoscuntur. Per idem tempus sancta Fœlicitas cum septem filiis suis, iubente Antonino imperatore, decollata est pro Christo.

Celadion Episcopus.

ANNO gratiæ. 153. Alexandrinæ Ecclesiæ Celadion Episcopus floruit.

Pius Papa. 12.

ANNO gratiæ. 154. Pius sedit in cathedra Romana, annis. 11. mensibus tribus, & diebus. 21. & cessauit sedes diebus. 22.

Pascha quo die celebrandum.

ANNO gratiæ. 155. Hermes librum scripsit, qui dicitur Pastoris, in quo præceptum angeli continetur, vt Pascha semper die dominica celebretur.

ANNO gratiæ. 156. Polycarpus auditor beati Ioannis, Romam veniens, multos ab hæretica labe compressit, qui Valentini & Cerdonis fuerant nuper doctrina corrupti.

ANNO gratiæ 157. Iustus Viennensium Episcopus, & Lugdunensium Photinus, in

Ecclesia

Ecclesia CHRISTI, clari habentur.

ANNO gratiæ. 158. Antoninus cognomento Pius, ad duodecimum ab vrbe lapidem, morbo correptus, interiit.

ANNO gratiæ. 159. MARCVS ANTONINVS Verus Romanum assecutus imperium, imperauit ANNIS 19. & mensibus 11. Hic asciuit sibi ad imperii partem Aurelium Commodum propinquum suum vsque ad hoc tempus singuli AVGVSTI fuerunt. *Antoninus imperator moritur.*

ANNO gratiæ. 160. MARCVS ANTONINVS, & AVRELIVS COMMODVS bellum contra Parthos mirabili virtute & fœlicitate gesserunt. Quo etiam tempore, persecutio Christianorum, quarta iam post Neronem vice, in Asia & per Gallias excitata est. *Marcus Antoninus imperator.*

ANNO gratiæ. 161. PIONIVS & POLYCARPVS, discipuli beati Ioannis & Smirneorum Episcopi, illustre duxere martyrium.

ANNO gratiæ. 162. In Galliis plurimi pro CHRISTO sanguinem glorioſe fuderunt. Inter quos Iustus Viennensis Episcopus, longo tempore exilio maceratus, martyr efficitur gloriosus. *In Galliis plurimi moriuntur.*

ANNO gratiæ. 163. Cataphrygum hæresis exorta est, dicta à Phrygia prouincia, vbi illius authores extiterunt. *Cataphrygum hæresis.*

ANNO gratiæ. 164. Anicetus sedit in cathedra Romana, annis vndecim. Hic constituit, vt clerici comam non nutriant. *Anicetus Papa 13.*

ANNO gratiæ. 165. PHOTINVS LVGDVNENSIS Episcopus, senex mirabilis, cum aliis. 48. ex Lugdunensi & Viennensi vrbibus, martyrium suum impleuit. *Photinus.*

ANNO gratiæ. 166. Seuerinus, Exuperius, & Fœlicianus, apud Viennam coronãtur martyrio. *Seuerinus.*

ANNO gratiæ. 167. tanta lues in vltionem martyrum per Italiam diffusa est: vt passim villæ & agri, sine cultore & habitatore remanerent, nec etiam Gallia, ab hac peste, euasit illæsa. *Mortalitas.*

ANNO gratiæ. 168. terræmotus, cum interitu ciuitatum, & inundationes fluminum, per diuersas prouincias, crebrescebant. Agmina quoque locustarum agros penitus infestabant. *Terræmotus.*

ANNO gratiæ. 169. Aurelius Commodus, dum in vehiculo cum fratre sederet, morbo, quẽ Græci apoplexiam vocant, interiit. Quo defuncto, Marcus Antoninus reipublicæ aliquantulum solus præfuit. *Aurelius Commodus.*

ANNO gratiæ. 170. MARCVS ANTONINVS, LVCIVM COMMODVM filium suum assumpsit in regnum. Qui etiam leges seueriores nouis constitutionibus temperauit.

ANNO gratiæ. 171. Marcus cum filio suo, omnia simul fiscalium negotiorum calumniosa monumenta, in forum congesta, iussit incendi.

ANNO gratiæ. 172. Mellitus Asianus, Sardicensis Episcopus, Marco Antonino imperatori, pro Christianis, apologeticum tradidit. *Mellitus.*

ANNO gratiæ. 173. MONTANI hæretici sunt exorti, dicti eo quod tempore persecutionis in montibus latuerunt, qua occasione, se à corpore Ecclesiæ catholicæ diuiserunt. *Montani hæretici.*

ANNO gratiæ. 174. MARCVS ANTONINVS imperator, cum filio suo Lucio, Marcomannicum bellum fœliciter peregit. Sed postquam gentes barbaræ, Vandali scilicet, & Sarmatæ, totum pene Germanicum & Romanum exercitum circumcinxerant: quidã milites Christiani, qui cum imperatore erant, in magna constantia nomen Christi inuocantes, hostes perterritos in fugam coẽgerunt. Quod imperator senatui literatorie significans, victoriam suam Christo gaudenter attribuit. *Marcus Antoninus.*

ANNO gratiæ. 175. SOTHER Papa post Anicetum, sedit in Cathedra Romana annis. 9. mensibus 3. & diebus. 21. & cessauit sedes diebus. 22. Hic constituit, quod nulla monialis, sacra vasa vel pallam sacratam contingeret, vel incensum in thuribulo poneret. *Sother Papa 14.*

ANNO

Tatianus hæresiarcha. ANNO gratiæ. 176. Tatianus hæresiarcha, suo dogmate, Ecclesiam Christi obfuscare conatur, à quo etiam Encratitæ exorti sunt, dicti, eo quod carnes abominãtur. Hunc errorem Seuerianus auxit, à quo Seueriani.

Seuerianus hæreticus.

Theophilus. ANNO gratiæ. 177. Theophilus præsul sextus Antiochiæ Ecclesiæ floruit, & Pinitus Cretensis, Gnosiæ vrbis Episcopus.

Pinitus.

Marcus Antoninus imperator. ANNO gratiæ. 178. Marcus Aurelius Antoninus imperator, in Pannonia constitutus, repentino morbo correptus interiit. Quo defuncto, Lucius Antoninus Commodus filius eius, imperauit annis. 13. Hic aduersum Germanos bellum fœliciter gessit.

Commodus imperator. ANNO gratiæ. 179. Lucius Antoninus, luxuria & indignitatis dedecore deprauatus, inter gladiatores sæpissime armis in ludo depugnauit & in amphitheatro, feris sese frequenter obiecit. 10

Capitolium Romæ incenditur. ANNO gratiæ. 180. Capitolium Romæ fulmine proiectum est, ex quo, facta inflammatione, bibliothecam maiorum studio compositam, & ædes alias iuxta sitas, rapaci turbine concremauit.

ANNO gratiæ. 181. Lucius imperator, senatores, & maxime illos, quos aduertit nobilitate & industria excellere, interfecit.

Irenæus Episcopus. ANNO gratiæ. 182. Irenæus, Episcopus Lugdunensis, insignis habetur, & Dionysius discipulorum Christi auditor, Corinthiorum Ecclesiam tunc regebat.

ANNO gratiæ. 183. imperator, Colossi capite sublato, suæ imagini, caput eius iussit apponi. 20

ANNO gratiæ. 184. Theodotion Ephesi⁹, diuinæ legis interpres terti⁹, clarus apparuit.

Britannia primo fidem Christi suscepit. ANNO gratiæ. 185. Eleutherius Papa 15. sedit in cathedra Romana annis. 15. mensibus 6. & diebus. 5. & cessauit sedes diebus 6. Eodem tempore, Lucius Britannorum rex, ad eundẽ Papam epistolas direxit, petens ab eo vt Christianus efficeretur. Beatus vero pontifex compertæ regis deuotione, misit ad illum doctores religiosos, Faganum & Deruuianum, qui regem ad Christum conuerterent, & lauacro salutari abluerent. Quod cum factum fuisset, concurrerunt ab Baptismum nationes diuersæ, exemplum regis sequentes, ita vt in breui, nullus inueniretur infidelis. Beati igitur doctores, cum per totam Britanniam paganismum deleuissent, templa quæ in honorem plurimorum deorum fundata fuerant, vni Deo, eiusdemq; sanctis dedicauerunt, diuersisq; ordinatorum cœtibus repleuerunt. Constituerunt q; in diuersis ciuitatibus regni. 28. Episcopos, qui tribus Archiepiscopis & sedibus Metropolitanis submittebantur. Prima sedes Londini erat, cui submissa est Loegria & Cornubia, quas prouincias Sabrina à Kambria sejungit. Secunda apud Eboracum, cui subiecta est Deira & Albania, quas magnum flumen Humbri, à Loegria secernit. Tertia in vrbe Legionum, cui subiacuit Kambria, id est, Wallia, quam Sabrina à Loegria secernit. Hanc vrbem super Oscam fluuium in Glamorgantia olim fuisse sitam, veteres muri & ædificia protestantur. 30

Fides Christi in Britannia confirmatur. ANno gratiæ. 186. Beati Antistites Faganus & Deruuianus Romam reuersi, quæ fecerant, impetrauerunt à Papa beatissimo confirmari. Quibus peractis, redierunt in Britanniam præfati doctores, cum alijs quam plurimis, quorum doctrina gens Britonũ, in fide Christi, in breui fundata refulsit. Istorum autem nomina & actus in libro reperiuntur, quem Gildas historicus de victoria Aurelij Ambrosij conscripsit. 40

Gildas

Lucius rex Ecclesias Britanniæ libertatibus munuit. ANNO gratiæ. 187. gloriosus Britonum rex Lucius, cum infra regnum suum, veræ fidei cultum, magnificatum esse vidisset, possessiones & territoria Ecclesiis, & viris Ecclesiasticis, abundanter conferens, chartis & munimentis omnia cõmuniuit. Ecclesias vero cum suis cœmiteriis, ita constituit esse liberas, vt quicunque malefactor ad illa confugeret, illæsus ab omnibus remaneret. Deinde in dilectione Dei, & proximi fœliciter viuens, regnum suum in tranquillitate maxima moderabatur.

Eleutherii decretum. ANNO gratiæ. 188. Eleutherius, Romanæ vrbis Episcopus, constituit vt nulla esca à Christianis repudiaretur, quæ tamen rationalis & humana esset. 50

Lucius Commodus imperator. ANNO gratiæ. 189. Egesippus, Hierosolymitanus Episcopus. 19. & Ecclesiasticæ historiæ scriptor veracissimus, clarus habetur.

ANNO gratiæ. 190. Lucius Commodus imperator, cunctis incommodus, in domo Vestali strangulatus interiit.

Helius Pertinax imperator. ANNO gratiæ. 191. Helius Pertinax, imperator à senatu creatus, sex mensibus imperauit, quib. vix expletis, scelere Iuliani, in palatio cæsus est, qui post eum, septem mensibus imperauit. Hunc Seuerus bello ciuili victum, interfecit.

Seuerus imperator. ANNO gratiæ. 192. Seuerus genere Afer, Romanum consecutus imperiũ, imperauit annis.

annis.18.Hic natura sæuus,multis sæpe bellis laceratur.Fortissime quidem rempublicam, sed laborioſissime rexit.

ANNO gratiæ.193. Seuerus, Pestenninun Nigrum,qui in Ægypto & Syria ad tyrannidem aspirauerat apud * Cizecum vicit,& interfecit. *Azotum siue Crecum.

ANNO gratiæ. 194. Iudæos & Samaritas rebellare conantes,ferro Seuerus coercuit, Parthos,Arabes,Alabenosque superauit.

ANNO gratiæ. 195. post Neronem, Seuerus quintam persecutionem in Christianos excitauit, plurimiq; sanctorum per diuersas prouincias, martyrio coronantur,inter quos, Leonides pater Origenis,& Clemens, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus,martyrium compleuerunt. *Quinta persecutio Christianorum.*

ANNO gratiæ. 196. Irenæus Lugdunensis,cum maxima multitudine diuersi sexus, & ætatis,martyrium pro Christo susceptt. *Irenæus moritur.*

ANNO gratiæ. 197. Claudius Albinus,qui se in Galliis Cæsarem fecerat, apud Lugdunum interfectus est. *Claudius Albinus.*

ANNO gratiæ. 198. Victor Romanæ sedis pontifex effectus, 16. mansit in ea decem annis, mensibus duobus, & diebus decem & cessauit sedes dieb. 6. Hic constituit Pascha à luna. 14. primi mensis, vsque in 21. celebrari. *Victor Papa 16.*

ANNO gratiæ.199. Apoloni°, vir discretissimus, scribit aduersum Montanũ, Priscã & Maximillam hæreticos,qui Spiritum sanctum non Apostolis, sed sibi traditũ affirmarunt. *Montanus, Prisca, & Maximilla hæretici.*

ANNO gratiæ. 200. Serapion, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus,& Apolonius senator,martyres efficiuntur.

ANNO gratiæ. 201. Inclytus Britannorum rex Lucius, in bonis actibus assumptus, Claudiocestriæ ab hac vita migrauit ad Christum, in Ecclesia primæ sedis honorifice sepultus est. Quo defuncto, dissidium inter Britones surrexit, quia absq; hærede decessit, & Romana potestas infirmata est. Mansit itaq; Britannia in dissidio vsque ad aduentum Seueri,qui eam postea Romanæ restituit dignitati. *Lucius rex Britannorũ obiit.*

ANNO gratiæ. 202. imperãte Seuero,Perpetua & Felicitas apud Carthaginem Africæ,in castris bestiis deputatæ sunt pro Christo, deuorandum, nonas Martii,& cum eis Reuocatus,& Saturninus. Secundolus vero diu in carcere positus,quieuit in Christo

ANNO gratiæ.203. Panthenus,Stoicę sectę Philosophus,primus in Indiã à Demetrio Alexandriæ Episcopo ad docendum missus, opere & exemplo Ecclesiã Christi instruxit. *Panthenus.*

ANNO gratiæ 204. Symmachus,diuinæ legis interpres quartus,insignis habetur. *Symmachus.*

ANNO gratiæ. 205. Seuerus imperator in partes Britannicas bellum transfert, vbi grauibus præliis sæpe gestis maximam insulæ partem sibi subiugauit. Partem vero quam ad tempus subiugare nequibat,trans Deiram coëgit in fugam,à quibus sæpius diris rebellionibus fatigatus, multos de suis militibus frequẽter amisit. Decreuit igitur receptam insulæ partem,à gentibus indomitis,fossatis & muris distinguendam, vt hostes atrocissimos à se longius arceret. Constituxit itaq; fossatum magnum, murumq; fortissimum, crebris turribus communitum, per centum triginta duo millia passuum,à mari vsque ad mare,& custodibus dispositis ad Eboracum contendit. *Seuerus in Britannia murum à mari vsque ad mare, cõstruxit.*

ANNO gratiæ. 206. Fulgentius,dux populi profugati cum muro sese, suosq; præclusos cognouisset, transfretauit in Scythiam, vt Pictorum auxilio restitueretur pristinæ dignitati. Cumq; ibi omnem patriæ iuuentutem collegisset, cum maximo nauigio reuersus est in Britanniam,atq; Eboracum obsedit.quod cum Seuero nunciatum fuisset,illico cum suis obsidionem petiuit.Sed cum pugnam acrius confeciſlent, interfectus est Seuerus imperator,& Fulgentius lætaliter vulneratus. Reliquit vero Seuerus duos filios, Bassianum & Getam: ex quibus Britanni Bassianum elegerunt, quia matre Britannica natus fuerat: Romani vero Getam, qui ex vtraq; parte illos contingebat. Proinde fratres pugnam commiserunt, in qua Geta interficitur, & Bassianus victoria potitur. Deinde cum omni celeritate Romam profectus est. *Seuerus in Britannia interfectus.*

ANNO gratiæ. 207. Bassianus Aurelius Antoninus Caracalla principatũ adeptus, imperauit annis. 7. patre Seuero asperior in omnibus apparens. Hic etiam libidine adeo feruebat,quod nouercam suam Iuliam,vxorem duxit. *Bassianus Imperator.*

ANNO gratiæ. 208. Hiericho, quinta editio diuinæ legis reperta est cuius author non apparet. *Diuinæ legis quinta editio reperitur.*

ANNO gratiæ.209. Zephyrinus Papa. 17. sedit in cathedra Romana annis 8.mensibus 6. & diebus.10.& cessauit sedes diebus. 6. *Zephyrinus Papa 17.*

ANNO gratiæ. 210. imperante Bassiano, Symmachus hęresim suam diffudit, prædicando *Symmachi hæresis.*

dicando Christum de Ioseph semine fuisse natum, legemq; Mosaicam, Iudaico ritu, fore seruandam.

Alexander Cappadocensis Episcopus.

ANNO gratiæ. 211. Alexander Episcopus Cappadocensis, cum, desiderio sanctorum locorum visendi, Hierosolymam veniret, viuente adhuc Narsisso, eiusdem vrbis episcopo persenilis ætatis Domino per reuelationem idipsum monente, in loco Narsissi Episcopus constituitur.

Tertullianus

ANNO gratiæ. 212. Tertullianus Afer, Centurionis proconsularis filius, omnium Ecclesiarum sermone celebratur. Qui postmodum in Montani dogma dilapsus, aduersum Ecclesiam volumina scripsit.

Bassianus occiditur.

ANNO gratiæ. 213. Bassianus imperator contra Parthos bellum mouens, inter Edessam & Carras ab hostibus circumuentus occisus est.

Macrinus imperator.

ANNO gratiæ. 214. Macrinus præfectus imperium inuadens, vno anno imperauit. Emenso autem anno, à militari tumultu interfectus est.

ANNO gratiæ. 215. Marcus Aurelius Antoninus adeptus imperium, tenuit 4. annis.

Nicopolis, quæ prius Emaus vocabatur.

ANNO gratiæ. 216. in Palęstina Nicopolis, quæ prius Emaus vocabatur, vrbs condita est. Hæc est Emaus, quam Dominus, post resurrectionem suam, suo ingressu sanctificare dignatus est.

Sabellius hæreticus.

ANNO gratiæ. 217. Sabellius hæresiarcha apparet, qui vnam personam, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, prædicandam esse astruxit.

Alexander imperator.

ANNO gratiæ. 218. Alexander, senatus ac militum voluntate, imperator creatus. 13. annis digno æquitatis præconio imperauit.

Calixtus Papa 18.

ANNO gratiæ. 219. Calixtus Papa 18. sedit in cathedra Romana, annis 5. mensibus duobus, & diebus totidem, & cessauit sedes, diebus 6. Hic constituit ieiuniũ quatuor temporum fieri per annum, ad impetrandum aeris serenitatem, & frugum abundantiam.

Sexta diuinæ legis editio reperitur.

ANNO gratiæ. 220. sexta editio diuinæ legis Nicopoli reperta est, cuius autor non apparet.

ANNO gratiæ. 221. Hyppolitus Episcopus, qui multorum opusculorum conditor extitit, temporum canonem conscripsit, & hucusque perduxit:

ANNO gratiæ. *222.* Mammæa, imperatoris mater Christianissima, Origenem presbyterum audire curauit, eumq; ab Antiochia accitum, summo honore habuit.

ANNO gratiæ. 223. Alexander imperator, in Persas expeditionem mouens, Xerxem regem eorum victor oppressit.

*Vrbanus Pap. 19. * per.*

ANNO gratiæ. 224. Vrbanus tenuit cathedram Romanam annis octo, & mensibus 10. & diebus 11. & cessauit sedes diebus 19. Hic multos nobiles ad fidem Christi,* & martyrium roborauit.

Sancta Cecilia moritur.

ANNO gratiæ, 225. Almachius Romanæ vrbis prefectus, in Christianos atrociter sæuiens, beatam Ceciliam ad Martyrii palmam perduxit. Cuius miraculis & exemplis, Tiburtius, Valerianus & Maximus, martyrium laudabiliter compleuerunt.

ANNO gratiæ. 226. Alexander imperator, Xerxem, regẽ Persarũ, glorioſissime vicit.

Vlpianus claret.

ANNO gratiæ. *227.* Vlpianus iurisconsultus, assessor Alexandri, insignis habetur. Eodem tempore, plurimorum martyrum martyrium celebratur, quos Alexander imperator capitali sententia damnauit.

ANNO gratiæ. *228.* Terninus presbyter Antiochenus, Hyppolitus, Berillus, & Hostrenus, clari scriptores habentur.

Calepodius martyr.

ANNO gratię. *229.* passus est beatus Calepodius presbyter, sub Alexandro imperatore, quẽ fecit gladio occidi, & corpus per ciuitatẽ trahi, atq; ad extremũ, in Tyberim iactari.

Palmatius martyrizatur.

ANNO gratiæ. 230. Zebennus, Antiochiæ Episcopus, clarus habetur. Eodem tempore Palmatius cõsul, cum vxore, & filiis, & sociis, 40. promiscui sexus, illustre martyrium duxit.

Origenes.

ANNO gratiæ. 231. Origenes in Alexandria, cum se propter amorem regni cœlestis castrasset, & licenter cum viris & mulieribus habitasset, ab Alexandria Hierosolymam venit, ob quam causam, per orbem vniuersum legitur diffamatus, qui tam excellentis ingenii fuit, vt in omni doctrina cunctos sui temporis doctores excelleret. In fine, presbyter infatuatus, & deceptus, dixit, quod Filius nõ potuit videre Patrem, nec Spiritus sanctus Filium. Animas quoq; in mundi principio, dixit peccasse, & per diuersitates peccatorum, diuersa tormenta meruisse, & hac de causa mundum factum fuisse. Filium quoq; adhuc passurum, & dæmones, sicut homines redempturum. Ille cum bene dixit, nullus melius, cum male nullus peius.

ANNO

ANNO gratiæ.232.Pontianus sedit in cathedra Romana,annis 5.mensibus 2.&diebus 2. *Pontianus Papa.20.*

ANNO gratiæ.233.Alexander imperator apud Maguntiacum, à tumultu militari interfectus est,postquam annis tredecim imperasset. *De morte Alexandri.*

ANNO gratiæ.234.Maximinus,nulla senatus voluntate, imperator ab exercitu, postquam bellum in Germania prospere gesserat,creatus,tribus annis imperauit. *Maximinus imperator.*

ANNO gratiæ.235.Maximinus imperator aduersus Ecclesiarum prælatos persecutionem mouit,& maxime propter Mammæam Alexandri matrem, cui successerat, & eius familiam Christianissimam,vnde plurimi, per palmam martyrii, ad cœlica regna aduolarunt. *Maximinus imperator aduersus prælatos desæuit.*

ANNO gratiæ.236.Pontianus,Romanæ sedis Episcopus, martyrio coronatur, & in cœmiterio Calixti papæ,sepultus est. *Pontanus Papa.*

ANNO gratiæ.237.Antherius sedit in cathedra Romana, mense vno,& diebus 15. quibus peractis,per martyrium,iubente Maximino,cælum adiit.Sed paucis diebus elapsis idem Maximinus à Pompeio interfectus est. *Antherus Papa.21.*

ANNO gratiæ.238.Gordianus Romanum aslecutus imperium, annis sex imperauit.Nam Pompeius interfector Maximini,&frater eius Albinus,qui imperium vsurpauerant:in palatio sunt interfecti.Eodem anno Fabianus papa sedit in cathedra Romana annis 14.mensibus vndecim,& diebus totidem. *Gordianus imperator. Fabianus Papa.*

ANNO gratiæ.239.Lucianus Africanus,inter scriptores Ecclesiasticos,insignis habetur. Qui etiam in Philosophicis studiis, atque omni Græcorum, doctrina instructissimus prædicatur. *Lucianus.*

ANNO gratiæ.240.Origenes in Cæsarea Palestinę,Theodorum cognomento Gregorium & Athenodorum,Episcopos,diuina Philosophia imbuit. *Origenes.*

ANNO gratiæ.241.* Florentius Viennẽsis Episcopus, vita & doctrina claruit. Mãsit autem vsq; ad Galieni & Volusiani imperium,exulq; martyrium compleuit. ** Florentius.*

ANNO gratiæ.242.Fabianus Romanam rexit Ecclesiam.In cuius promotione, Spiritus sanctus in specie columbæ,super caput ipsius descendit. *Fabianus Papa.*

ANNO gratiæ.243.Gordianus admodum puer,in Oriẽtem Parthicum profectus, suorum fraude,prope Circeam super Euphratem est occisus.

ANNO gratiæ.244. Philippus Imperator constitutus, imperauit septem annis, & Philippum filium suum,consortem imperii fecit. *Philippus imperator.*

ANNO gratiæ.245. Imperator Philippus,omnium imperatorum primus, efficitur Christianus,& vsque in finem Christianus permansit. *Primus imperator Christianus.*

ANNO gratiæ.246.Origenes aduersus quendam Celsum,Epicureum Philosophũ, qui contra nos libros scripserat,octo voluminibus disputauit,& eiusdem libros Hieronymus quinque millia se legisse testatur. *Multitudo librorum Origenis.*

ANNO gratiæ.247.natiuitatis Christi annus,à Christianissimo imperatore Philippo,celebratur. *Natiuitas Christi celebratur.*

ANNO gratiæ.248.post annum tertium imperii Philippi,millesimus, à conditione Romæ,annus expletus est.

ANNO gratiæ.249.Papa Fabianus constituit,vt singulis annis nouum chrisma conficiatur,vetus incendatur. *Vt nouum chrisma singulis annis conficiatur.*

ANNO gratiæ.250. Philippus,tam pater quam filius,licet in locis diuersis, ambo tamen à tumultu militari,& Decii fraude,sunt interfecti.

ANNO gratiæ.251.Decius ciuilis belli inuentor,anno vno,& mensibus tribus imperauit.Hic ob odium Philippi,cui successerat,ad persequendos, interficiendosq; Christianos, feralia dispersit edicta,& septimus post Neronem in Christicolas desæuit. Hac quoq; tempestate,in vrbe Romana passus est beatus Fabianus.Et apud Ephesum, septem sancti dormientes delituerunt in monte Cælio. Hierosolymis passus est Alexander Episcopus, Romæ Laurentius & Hippolitus. *Decius imperator Christianos persequitur.*

ANNO gratiæ.252. Gallus,cum filio suo Volusiano,regnum adeptus, annis 11. & mensibus,4.illud tenuit Quo tempore,pestilentia ingens per omnes pene prouincias Romani imperii extenditur, ob vltionem proculdubio, violati nominis Christiani. Eodem tempore Origenes presbyter supramemoratus, defunctus est.Cuius scripta, in locis quibusdam reperiuntur,hæretica prauitate vitiata. Astruxit enim,quod omnes qui in peccatis,licet maximis,vitã finierunt,diabolumq; & omnes eius satellites, post lõga tẽpora purgandos,regno Dei restitui,& rursus aliquos ad tormenta relabi,atque reuerti.Et has vices *Gallus&Volusianus imperatores.*

alternantes beatitudinũ& miseriarũ,omnes rationales creaturas, dicit semp fuisse & semper fore. Hic mille,& eo amplius tractatus,& multos cõmentarios edidisse legitur,& seipsũ castitatis gratia castrauit,licet non secundũ scientiam fecit. Fecit etiã istud,ac si nauis gubernator,tempestatem futuram videns,gratia declinandæ tempestatis, nauis gubernaculum iratus frangat,ac nauem fluctibus immergat.Eodem tempore,Cyprianus, doctorum lumen Carthagini clarus habebatur. Tunc Cornelius, Romanæ vrbis Episcopus, tenuit cathedram annis duobus,& totidem mensibus,& diebus decem. Hic rogatus à quadam matrona Lucinia,corpora Apostolorũ Petri & Pauli,de catatumbis noctu leuauit, & Lucinia corpus beati Pauli posuit in prædio,in via Hostiensi,vbi decollatus fuit.Corpus beati Petri Cornelius Papa posuit iuxta locum, vbi crucifixus fuerat. Eodem anno,Gallus & Volusianus,dum contra Aemilianum, nouis rebus studentem, bellum ciuile moliuntur, occisi sunt.Aemilianus tamen tertio mense suæ tyrannidis extinctus est.

Cornelius Papa.

Valerianus cum filio suo Galieno imperauit.

ANNO gratiæ. 253. Valerianus, cum filio suo Galieno, imperauit annis 15. Hic ita primum sanctos venerabatur,vt eius domus Ecclesia Dei à fidelibus crederetur.

Lucius Papa.

ANNO gratiæ. 254. Lucius, Romanæ vrbis Episcopus, tenuit cathedram annis tribus,& mensibus tribus,& diebus totidem.

Octaua Ecclesia grauis persecutione.

ANNO gratiæ. 255. Valerianus, in Christianos octaua persecutione mota, statim à Sapore rege Persarum captus, luminibusque orbatus, ignominiosissima apud Persas seruitute consenuit donec vixit.Galienus tam claro Dei iudicio perterritus,pacem Ecclesiis, tepida satisfactione,restituit.

Sanctus Cyprianus martyrizatur.

ANNO gratiæ. 256. Cyprianus,Carthaginensis Episcopus,martyrio coronatur.Cuius vitam, & passionis volumen,diaconus eius Pontianus scripsit,& fidelibus ad ædificationem reliquit.

Stephanus Papa.

ANNO gratiæ. 257. Stephanus sedit in cathedra Romana, annis quatuor, mensibus tribus,& diebus totidem. Hic constituit sacerdotes & Leuitas,vestibus sacris, in vsu quotidiano non vti,nisi in Ecclesia tantum.

ANNO gratiæ. 258. Germani,tota Italia hostiliter penetrata, Rauennam vsque perueniunt.

ANNO gratiæ. 259. Græcia, Macedonia, Pontus, & Asia, Gothorum inundatione delentur.

ANNO gratiæ. 260. Sixtus tenuit cathedram Romanam, annis duobus, mensibus vndecim,& diebus sex,& tunc cessauit.

ANNO gratiæ. 261. Posthumus per cędes, diebus 21. in Gallia tyrannidem inuasit, ac per 10. annos ingenti virtute ac moderatione vsus, dominantes hostes expulit, qui tamen seditione militum interfectus est.

ANNO gratiæ. 262. Victorinus, à Gallis imperator creatus, post paululum, apud Viennam occisus est.

ANNO gratiæ. 263. Dionysius Papa, sedit in cathedra Romana annis duobus, & mensibus totidem.

Gregorius Neocæsareæ Episcopus.

ANNO gratiæ. 264. Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus,Ecclesiam volens ædificare,à monte quodam impediebatur. Cumque locus non sufficeret Ecclesiæ construendæ,montem precibus amouit, Ecclesiamq; fundauit.

ANNO gratiæ. 265. Fœlix tenuit cathedram Romanam, annis 2. mensibus 10. & diebus 25. Per idem tempus,Lupicinius,Viennensis Ecclesiæ Episcopus clare floruit.

Galienus imperator perimitur.

ANNO gratiæ. 266. Galienus imperator,cum rempublicam deseruisset,& Mediolanil ibidini inseruiret,interfectus est.

Claudius imperator.

(præfuit.

ANNO gratiæ. 267. Claudius, voluntate senatus imperio sumpto, annis duobus

Eutychianus Papa.

ANNO gratiæ. 268. Eutychianus Papa sedit Romæ,annis 8. mensibus 10. & diebus 3.& cessauit sedes diebus octo.

ANNO gratiæ. 269. Claudius Gothos, iam annis. 15.Illyricum Macedoniamque vastantes,bello adorsus,incredibili strage deleuit. Cui à senatu,clypeus aureus,in curia,& in capitolio statua equestris aurea decreta est. Sed continuo apud Smyrnium morbo correptus interiit.

Disputatio contra haresim.

ANNO gratiæ 270. Quintillus frater Claudii, vnicæ moderationis vir, ab exercitu imperator electus. 17. imperii sui die interfectus est. Eodem tempore Madion,Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, aduersus Paulum Samosatenum Episcopum Antiochiæ, qui dogmatizabat Christum communis naturę hominem fuisse tantum notariis excipientibus, disputauit.

ANNO

ANNO gratiæ. 271. Aurelianus imperium adeptus, annis quinque,& menſibus ſex tenuit,vir in excellentia militari excellens.

ANNO gratiæ.272. Aurelianus,expeditione in Danubium ſuſcepta,Gothos magnis prælijs profligauit.

ANNO gratiæ. 273. Aurelianus vrbem Romanã muris firmioribus cinxit,atq; eam inuincibilem fecit. Eodem anno Paulus ſuperius memoratus, de ſua hæreſi, apud Antiochiam conuincitur,& damnatur. *Vrbs Romana muris cingitur.*

ANNO gratiæ. 274. Aurelianus,cum perſecutione aduerſus Chriſtianos agi decerneret,fulmen ante eum magno pauore circumſtantium ruit, ac non multo poſt in itinere eſt occiſus. *Aurelianus perimitur.*

ANNO gratiæ. 275. Tacitus tenuit imperium menſibus ſex, quo apud Pontum occiſo, Florianus obtinuit imperium diebus.88.& apud Tharſum interfectus eſt. Per idem tempus Eutychianus Romæ Epiſcopus, martyrio coronatus, in cœmiterio Calixti ſepelitur,qui manu propria. 342. martyres ſepeliuerat. *Eutychianus Papa moritur.*

ANNO gratiæ. 276. Caius Romanæ vrbis Epiſcopus, ſedet annis vndecim, & menſibus quatuor. Quo etiam anno Probus imperium adeptus, annis ſex,& menſibus quator,illud tenuit. *Caius Papa.*

ANNO gratiæ. 277. Anatholius, Laodiceæ Syriæ Epiſcopus,plurimo ſermone celebratur. Cuius ingenij magnitudo,de libro quem ſuper paſcha compoſuit,& decem libris Arithmeticæ inſtitutionis,poteſt aperte cognoſci. *Anatholius inſcripturis claret.*

ANNO gratiæ.278. Hæreſis inſana Manichęorum exoritur,cuius author Manes extitit.Hi duo principia eſſe docent,vnum boni & alterum mali,vnum lucis & alterum tenebratum.Ex Deo,quaſi ex fonte quodã,animas manare aſſerunt, Vetus Teſtamentum reſpuunt, Nouum ex parte recipiunt. Eodem tempore Simplides Viennenſis Epiſcopus,vir miræ ſanctitatis,floruit. *Hæreſis Manichæorum.*

ANNO gratiæ. 279. Probus imperator Gallias à barbaris iamdudum occupatas,per multa & grauia prælia deletis tandem hoſtibus,ad perfectum liberauit. *Probus imperator, Gallias liberat.*

ANNO gratiæ 280.Probus duo bella geſſit, vnũ in Oriente,quo Saturninum tyrannum ſubactum oppreſſit,& cepit. Aliud,quo Proculum & Bonoſum, apud Agrippinam, magnis prælijs ſuperatos interfecit. Archelaus, Meſopotamiæ Epiſcopus, librum diſputationis ſuæ, quã habuit aduerſum Manichæum de Perſide, exeuntem Syro ſermone compoſuit, qui translatus,à multis Græcis habetur. *Idem duo bella geſſit.*

ANNO gratiæ. 281. Probus Imperator, apud Syrmium militari tumultu interfectus eſt.Cuius anno ſecundo, ſecundum Hebræos initium fuit. 86.iubilæi. Continentur anni, 4250. *Carus imperator.*

ANNO gratiæ. 282. Carus imperio potitus, imperauit annis. 2.cum filiis Carino & Numeriano.

ANNO gratiæ. 283. Phierius,presbyter Alexandriæ, ſub Theona Epiſcopo, populum docuit,& ſermones,diuerſorumque tractatuum libros compoſuit. Inuenitq; elegantiam expoſitionis,ita vt Origenes iunior vocaretur.

ANNO gratiæ 284.Carus bello Perſico, poſtquam duas nobiliſſimas vrbes, Cœlon, & Cteſiphontem cepit,& de Perſis triumphauit, ſuper Tigridem in caſtris, fulmine percuſſus, interiit.

ANNO gratiæ. 285. Diocletianus Romanum adeptus imperium,annis. 20. illud tenuit,qui ſtatim, vt poteſtatis copiam habuit, Aprum,interfectorem Numeriani,manu propria interfecit. *Diocletianus imperator.*

ANNO gratiæ.286.erat in Britannia quidam iuuenis Carauſius,ex infima gente procreatus, qui Romam profectus, petiuit licentiam à ſenatu, vt maritimam Britanniæ ab incurſione barbarica nauigio tueretur. Tandem, cum falſis ſuis promiſſionibus, ſenatum illuſiſſet, quæ petiit,impetrauit, & cum chartis ſigillatis Britanniam petiuit. Mox ingreſſus mare cum ſociis piratis,in comprouincialibus inſulis,prędia diripiebat,ciuitates & oppida,nulli parcendo, ſubuertebat. Confluebant ad eum,quicumque in aliena aſpirabant, quos donariis aſſiduis confœderare curauit. Timidum tamen habens,ſibi male conſcius, animum. Britonibus dixit, quod ſi ipſum regem facerent, exterminatis Romanis,totam inſulam à gente barbarica liberaret. Annuentib.cunctis,regni diadema ſuſcepit,& ſeptem annis regnauit,tributumq; conſuetum Romano ſenatui reddere contempſit. *De inſolentia cuiuſdam iuuenis in Britannia.*

ANNO gratiæ. 287. Caius Romanæ vrbis Epiſcopus, ſub Diocletiano imperatore, martyrio coronatus eſt. *Caius Papa martyrizatur.*

Marcellinus Papa. ANNO gratiæ. 288. Marcellinus sedit in cathedra Romana, annis 7. mensibus duobus, & diebus. 25. & cessauit sedes, annis. 7. mensibus 6. & diebus 10.

Diocletianus Maximianum consortem imperii facit. ANNO gratiæ. 289. Diocletianus Carinum, quem Carus Cæsar in Dalmatia reliquerat, difficillimo bello, & maximo labore superauit.

ANNO gratiæ. 290. cum in Gallia Amandus & Aelianus pernicioſos tumultus excitassent: Diocletianus Maximianum, cognomento Herculeum, Cæsarem imperii consortem fecit, misitque in Gallias, qui facile agrestium hominum confusam manum, virtute compescuit militari.

ANNO gratiæ. 291. per omnes fere Romani imperii fines, subitarum fragores turbationum concrepuerunt. Vnde permotus Diocletianus, Constantium, Maximianum, Galerium, & Maximinum ad diuersas destinauit prouincias, vt rempublicam manu militari tuerentur.

Alectus in Britanniam missus. ANNO gratiæ. 292. Carausio contra Romanos in Britannia rebellante, senatus legauit Alectum, vt tyrannum interficeret, & Britanniam Romanæ restitueret dignitati. Qui appulsus in insulam, prælium commisit, & Carausium interfecit. Deinde cladem maximam Britonibus intulit, qui republica relicta, Carausii se commiserant iussioni. Sumpto itaq; regni diademate, insulam tenuit per triennium.

Diocletiani vestes. ANNO gratiç. 293. Diocletianus, primus gemmas vestibus, & calceamentis inseri iussit, dum sola purpura retro principes vterentur.

Vnde vvalebroc dicitur. ANNO gratiæ. 294. Asclepiodotus Dux Cornubiæ, auxilio Britonum, inuasit Alectum, dum Londoniis diis patriis proposuisset offerre. Alectus vero, cum aduentũ Asclepiodoti comperisset, relicto sacrificio, egressus est contra ipsum, & acerrimam ingerens pugnam ab Asclepiodoto in fugam coactus est, & totus eius exercitus dissipatus. Quibus fugientibus, multa millia & Alectum peremit. At Leuius Gallus, Alecti collega, residuos Romanos collegit in vrbe Londino, vt Asclepiodoto resisteret, aut necem imminentem euitaret. Britanni vtique ciuitatem acerrime inuadentes, muros ciuitatis diruere satagebant. Factoque agmine denso, inuaserunt Romanos, & vna die omnes interfecerunt, supra torrentem infra vrbem qui postea de nomine ducis, Britannice Nantgallum, Saxonice vero Walbroke dicebatur.

Asclepiodotus Britanniæ diadema suscepit. ANNO gratiæ. 295. Asclepiodotus, annuente populo, Britanniæ diadema suscepit, & cum recta iustitia illud. 10. annis tractauit.

ANNO gratiæ. 296. Constantius Herculei Maximiani priuignam accepit, scilicet Theodoram. Ex qua sex filios, fratres Constantini, sustulit.

Constantius vicit. ANNO gratiæ. 297. Constantius Cæsar in Gallia, primo prælio ab Alemannis exercitu suo profligato, vix ipse surreptus est. Sed secuta est secunda victoria, ita, vt paucis horis. 70000. Alemannorum cæsa referuntur.

Maximianus Herculeus. ANNO gratiç. 298. Achilleum contra Romanos in Ægypto rebellantem, & Quinquegentianos, Maximianus Herculeus bello superauit.

Diocletianus vicit Achilleum. ANNO gratiæ. 299. Diocletianus Achilleum, obsessum per octo menses, apud Alexandriam cepit & interfecit.

ANNO gratiæ. 300. Galerius Maximianus, cum duobus iam prælliis aduersum Narsẽũ conflixisset, tertio cõflictu victus est, amissisq; copiis armatorũ, ad Diocletianũ refugit.

Ambrosius docuit rhetoricam. ANNO gratiæ. 301. Ambrosius apud Africam florentissime Rethoricam docuit, & aduersum gentes volumina celebria edidit.

ANNO gratiæ. 302. Marcellus sedit in cathedra Romana, annis. 5. & mensibus. 6. Per idem tempus Coelus, Dux Kaercolun, id est, Colcestriæ, insurrexit in Asclepiodotum regem Britanniæ, & conserto prælio ipsum interfecit, & eius regnum obtinuit. Romani vero legauerunt Constantium senatorem, qui Hispaniam, aliasq; terras quam plures ipsis subdiderat, vt Britanniam Romanę redderet dignitati. Porro Coëlus rex Britonum, cum aduentum ipsius cognouisset, timuit cum ipso præliari, qui fama ipsius sapientiæ & audaciæ illum fore inuincibilem asserebat. Vt igitur Constãtius applicuisset in insulam, direxit Coëlus legatos ad illum, pacemque petiit, & subiectionem promisit. Cuius petitionibus adquiescens Constantius, nihil præter solitum tributum ab ipso petebat. At pace firmata, & obsidibus datis, Coëlus elapso mense vitam finiuit. Deinde Constantius regni diadema adeptus, Helenam Coëli regis filiam, virginem valde speciosam, artibusq; liberalibus & instrumentis musicis ad perfectum eruditam, in societatem thori recepit. Caruit enim pater eius alia prole, quæ post illũ regni solio potiretur, vnde eã ita eruditam esse procurauerat, vt cum honore & tranquillitate regnũ post ipsum moderari quiuisset. Suscepit ex ea

Helena mater Constantini.

filium

filium Constantius,& vocauit eum Constantinum.

ANNO gratię.303.qui est annus imperii Diocletiani.21.orta est persecutio Christianorum,post Neronem decima,qua fere deleta est Christianitas, per orbē vniuersum. Nā Diocletianus in Oriente,Maximianus Herculeus in Occidēte, vastari Ecclesias & Christianos interfici, præceperunt.Proponitur etiam edictum,vt cunctæ per orbem terratum Ecclesiæ ad solum vsque complanarentur, scripturæ sacræ in mediis foris igni comburerentur,qui Ecclesiis præerant in vinculis ponerentur,ac demum Diis immolare, exquisitis suppliciis cogerentur.Tunc quidam timore perterriti cedebant, quidam vero diuina virtute suffulti,ad superna tormētis conuolabant·Passa est,sub hac clade,legio sanctorum Thebeorum, continens milites sex millia sexcentos, & sexaginta sex,qui iubente Maximiano,pro fide Christi laudabiliter martyrium compleuerunt. Ex hac autem martyrum multitudine,nomina nobis sunt aliqua comperta,scilicet Mauricii,Exuperii, Cādidi, Victoris,Innocentii,atque Vitalis.Sed cætera nomina,quæ nobis sunt incognita, in libro vitæ continentur ascripta. Apud Castrum Solodorum, passio Victoris,& Vrsæ celebratur. Martyrium etiam Gereonis, sociorumque eius, 328. apud Agrippinam Coloniam impletur.Hæc persecutio tam crudelis & cruenta sæuiebat, vt intra vnum mensem 17. millia martyrum passi inueniantur.Nam & Oceani limbum transgressa,Britannis lampades sanctorum martyrum clarissimas accendit.Siquidem in ea passus est sanctus Albanus, de quo presbyter Fortunatus,in laudem martyrii, sic ait.

De magna persecutione Diocletiani & Maximiani.

Albanum egregium fœcunda Britannia profert.

QVI videlicet Albanus,cum perfidorum principum mandata aduersum Christianos desęuirent,clericum quendam persecutores fugientem hospitio recepit.Quem dum orationibus continuis,ac vigiliis studere cōspiceret,subito diuina respectus gratia, exemplum fidei illius cœpit æmulari,ac salutaribus eius exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatrię tenebris,corde integro efficitur Christianus.Istius clerici nomē,licet Romanæ taceant historiæ, in historia Britonum tamen expressa continetur. Dicitur enim quod Albanus,charitatis gratia feruens, confessorem suum Amphibalum à persecutoribus insectatum,in domo sua primum occuluit,& deinde,mutatis vestibus, sese discrimini mortis obtulit, imitans in hoc Christum,animam suam pro ouibus ponentem.

IGITVR singulis diebus,cum iam in vesperam hora declinaret,magister & discipulus,hominum frequentiam deuitantes,ad domum remotiorem,quæ tugurium vulgo solet appellari, se * proripiunt, noctem totam ibidem in Dei laudibus transigentes. Et hæc faciebant ne secretum suum palam fieret infidelibus,qui cultores Christianæ religionis, non in fide sequi,sed persequi fideles contendebant. Verum aliquanto tempore interiecto,gentilis quidam ad iudicem audacter ingressus,quod factum fuerat indicauit,nihil omnino reliquit intactum,quo facilius, vel obesset innocentibus, vel iudicem impelleret ad furorem.Quibus cognitis,iudex mox iracundiæ furore succensus, Albanum & magistrum illius ad suam præsentiam iussit euocari,vt cum ea,qua dignum erat,reuerentia,diis suis victimas immolarent.Nolentes autem vi,& violentia comprehendi, vinculis arctari, & aris Deorum,victimæ modo,iugulandos imponi. Sed huiusmodi decretum Albanum non latuit,qui principis insidias modis omnibus cupiens præuenire, hortatur Amphibalum vt,vrbe secedēs,sibi præcaueat,dans ei chlamydem auro textam,quo tutior ab hostibus redderetur.Vestis enim huiusmodi tantæ,tunc temporis,apud omnes dignitatis, tantæque fuit reuerentiæ,vt illa indutus, hostium cuneos penetraret illæsus. Ipse vero magistri sui caracallam sibi retinuit,certissime sciens,quod non æquis oculis eam sæuientes aspicerent inimici.Igitur Amphibalus, Albani adquiescens precibus, ante lucis exortum fugam arripuit,per viam tendens, quæ de ciuitate vergit ad Aquilonem Albanus vero eū conducebat,quamdiu ambobus visum est expedire.Cumque discederent ab inuicem,& vltimum sibi valefacerent,quis eorum lachrymas,sine lachrymis,ad memoriam valeat reuocare? Itaque in Walliam Amphibalus ad martyrium festinat, Albanus autem habitu magistri vestitus est,vt vel hoc modo gentilium animos in se solum facilius prouocaret.At vbi dies exortus est,equites efferatis animis in ædes Albani irruunt,& vniuersa perlustrātes,ipsū tandē in tugutio reperiunt in habitu peregrino,nudis pedib. ante crucē Domini, quā sibi magister suus reliquerat,precibus incumbentē.Mox illū inhumane rapientes,vinculis constrictū ad præsentiā iudicis pertraxerunt. Qui tunc,cū vniuersa ciuitate, aris assistebat,vt Diis suis hostias immolarēt. Albanus vero,vt se seruū crucis ostēderet, signū Dominicum in manibus iugiter præferebat. Quem iudex vultu atrocissimo perspiciens vt Diis offerret libamina, imperauit. Cui beatus Albanus : Diis vestris falsis nullo modo

*De prædicatione sancti Amphibali, & conuersione Albani; *Diuertunt:*

facrifico,qui nec ſibi,nec aliis aliquando profuerunt. Tunc,ex præcepto iudicis, Albanus apprehenſus extenditur ad flagella, ſed inter verbera verba Dei iugiter reſonabant. Cumque lictorum manus fatigarentur, & res effectum non haberet, ſub cuſtodia iudicis ſex menſibus,& eo amplius iubetur detineri. Sed mox iniuriam martyris elementa teſtantur. A tempore namque comprehenſionis illius vſque in diem, quo carcere fuerat abſoluendus,terram ros aut pluuia non infudit,ſed in dies ſingulos tota regio ſub ſole ardentiſſimo torrebatur:non agri,non arbores,quicquam fructuum protulerunt,elemento contra impios dimicante. Iudex autem,& ciues Verolani,plagam huiuſmodi non ferentes, Albano crimen imponunt,congregatiſque in vnum omnibus, ipſum ſibi præſentari fecerunt. Et dum ſtaret in medio multitudinis, omnes vnanimi conſenſu, in ſanctum Dei mortis tulere ſententiam. Ipſe crucem Domini,quam manu tenebat,frequenter deoſculans,& adorans,cauſam ſuam Domino commendabat. Albanus igitur de iudicio ad ſupplicium trahebatur. Cumque iter agentes,ad flumen rapidiſſimum peruenerunt,oratione ad Deum emiſſa, inter vndas,viam populo patefecit. Tunc miles ille,qui trahebat Albanum ad ſupplicium,viſo miraculo,enſem proiicit,fatetur errorem,& à ſancto veniam deprecatur. His ita geſtis,inimici veritatis hominem arripiunt, dentes excutiunt, & omnia illius oſſa immiſericorditer confringunt,& ſi nihil in corpore remanſit illæſum,fides tamen, quæ feruebat in pectore,lædi non potuit. Tandem mõtis cacumen aſcendentes, inuenerunt illic turbam hominum ſine numero,qui ſub ſole ardenti ſiti ęſtuantes extremum ſpiritum iam trahebant. Quorum miſeriis Albanus condolens, in montis cacumine fontem orando produxit. Extinxerunt ſitim homines infideles, ſed adhuc tamen humanum ſanguinem ſitiebant. Quid plura? Ex omni populo carnifex vnus eligitur, qui ſcelus prę omnibus perpetraret. Qui mox ſummis viribus enſem * vibrans in ceruicẽ,vno ictu caput martyris amputauit: ſed oculis ferientis ſimul cum capite martyris in terram cadentibus, ipſe totus efficitur tenebroſus. Crux vero,quam vir ſanctus iugiter in manibus ferre conſueuerat, fœlici iam cruore reſperſa, ſuper herbam decidit, eamque quidam Chriſtianus occulte rapuit,& ignorãtibus paganis abſcondit. Quo facto,miles ille, quem paulo ante ſemiuiuum pagani reliquerant, anniſu,quo poterat, montem manibus reptando conſcendit. Tunc iudex viri vulneribus inſultans, ait: Obſecra nunc Albanum,vt oſſa tua dignetur in ſtatum priſtinum reformare. Ego (inquit) credo,quod beatus Albanus, ſuis ſanctis meritis, mihi poterit integram reddere ſanitatem,& ad clementiam perducere ſaluatoris. Tunc caput martyris reuerenter aſſumens,illudque corpori deuotus apponens, deſperatum corporis robur recuperare cœpit,& ſanus effectus, Albani meritum, Chriſtique potentiam, omni populo audiente,non deſtitit prædicare. Deinde terram aperiens, humo corpus Albani operit,& tumulum deſuper ipſe compoſuit. Quo viſo,miles ille,ab hoſtibus crucis,apprehendi iubetur,& nimis horrendo ſupplicio, ſanctum illius corpus diſcerpentes ad vltimũ, caput gladio amputarunt. Sicq; miles ille, in fide Chriſti pſeuerans, vna cũ beatiſſimo Albano,corona martyrii meruit ſublimari. Nocte igitur inſecuta, viſa eſt columna lucis è tumulo beati martyris cœlos penetrare,per q̃ deſcendẽtes angeli,& aſcẽdentes totam noctẽ in Dei laudibus deducebant. Inter cętera vero q̃ canebant,vox iſta frequentius eſt audita. Alban⁹ vir egregius martyr extat glorioſus. Cumq; ad hoc ſpectaculũ ſubito fieret cõcurſus paganorum, vnus ex omnibus in hanc vocem prorupit. Hæc miranda, quæ vidimus, Chriſtum Dei filium,liquido conſtat,operari. Eamus,& inquiramus virum Dei, quia ſicut noſtis, Albanum prædicando conuertit ad Chriſtum. Cumq; omnibus iſta ſententia placuiſſet,ad mille homines verſus Walliam iter arripiunt,& virum Dei Amphibalum ibidem inuenerunt,regionis illius hominibus,verbum vitæ prædicantem. Cui, aduentus ſui cauſam exponentes,crucem, quam ſuo quondam Albano commendauerat, cruore reſperſam obtulerunt. At ille Deo gratias agens, nouis auditoribus fecit de religione ſermonem. Cui mox illi conſentientes, ſignaculum,quod in Chriſto eſt,ab eius ſacris manibus,alacriter ſuſceperunt. Et cum dies aliquot prętериiſſent,fama facti Verolamium peruolauit. Ciues vero,nimio furore commoti, totis viribus cum ingenti ſtrepitu iter ineunt, ac ſi eſſent ad prælia proceſſuri. Audientes autem celebre nomen Amphibali, poſt dies aliquot ad eum,fama ducente,perueniunt,& in circuitu eius,quos quærebant,verbis illius inueniunt intendentes. At gentiles, diabolica inuecti furia,in ſanctos Dei gladiis ſęuientibus irruunt,atq; corporibus eorũ minutim dilaceratis,beatas cœlo animas cum gaudio intulerunt. Sicq; pater à filio,fratres à fratribus,ciues à ciuibus, trucidantur. Ex hoc ſacro collegio, vnus omnino ſuperfuit,qui,in via corporis infirmitate detentus, adeſſe non potuit. Sãctus Amphibalus,vallatus corporibus occiſorum,beatas animas Domino cõmendabat

Albanus fontem orando de monte produxit.

* *Librans.*

dabat,in quem cruenti carnifices, omnem iracundiam suam refundentes, & brachia loris dirissimis constringentes,ante equos suos versus ciuitatem Verolamium, nudis incedere pedibus compulerunt.Sed quo magis Albano suo appropinquauit,eo amplius aspe-
ritas viarum, & laboris iniuria mitigatur.Et dum iter agitur,hominem languidum,videntibus cunctis,vinctus Amphibalus à vinculis infirmitatis absoluit. Denique cum sua iam possent mœnia cernere ciuitatis, paululum in loco deserto scuta reclinant, & hastas telluri defigunt. Cæteris quiescentibus,solus Amphibalus requiem non habebat, sed suos persecutores,verbum salutis docuit,quod verbum Dei non potuit alligari.Nunciatur interim in ciuitate quod ciues in patriam remeassent,& quod magistrum Albani secum re-
duxissent. Dictum est etiam quod omnes,pro quibus iter tam laboriosum assumpserant, in extremis finibus perierunt. Iudex autem,cum talia cognouisset, coram omni populo dixit.Egrediamur vniuersi & inimico nostro occuramus,vt qui dignoscitur offendisse,ab omnibus sibi vindictam sentiat irrogari.Tunc alter alterum,vt velocius eat,hortatur,& in suum excitant inimicum.Tendentes ergo per viam,quę de ciuitate vertit ad Aquilonem, vrbem fere vacuam reliquerunt.Et venientes ad virum Dei, inuenerunt eum vinculis irretitum.Quem mox atrocius arripientes expoliauerunt,viscera; eius ferro patefacta, palo in terram confixo circumligantes,sanctum Dei in circuitu pali ambulare fecerunt. Vir Dei Amphibalus inter tales,& tot angustias constitutus,cum nulla daret doloris indicia,inimici crucis acriores effecti eum quasi ad signũ statuunt,cultelliscq; & lanceolis, quod reliquum erat corporis confodiunt,& confringunt.Tunc plurimi constantiã beati martyris intuentes,& magis magisq; admirantes,Christianę se fidei subdiderunt,excelsa voce Deũ deprecantes,vt meritis beati martyris,& intercessione, æternæ vitę participes fieri mererentur.Quo cognito,speculatores mille viros morti tradiderũt,beato Amphibalo intuente,eorumq; animas Deo commendante.His ita gestis feruent impii in necem innocentis, & vt beatum spiritum eiiciant,saxorum grandine grauiter cõquassant.Ille vero, in oratione persistens,nec in partem alteram, vel ad horam declinauit.Sed cum tandem inuictum spiritum cœlo esset redditurus, duo angeli cœlesti fulgore radiantes, de supernis ad eum veniebant,qui beati viri animam nimio candore fulgentem,secum assumentes,in cœlum cum hymnis & laudibus detulerunt.Voxque de cœlo ad eum facta est, audientibus cunctis,in hunc modum: Amen dico tibi,quia hodie cum discipulo tuo Albano eris in paradiso.Tunc quidam fidelis in Christo,beati martyris corpus clam auferens,sub terra reuerenter occultauit.Eodem tempore passi sunt in Britannia,Aaron & Iulius cum aliis pluribus viris & fœminis,qui ad desiderabile cœlestis Hierusalem gaudiũ per martyrium conuolarunt,existente tamen beato Albano Angloru protomartyre,qui Britanniam primitiuo sanguine purpurauit.Sub eadem autem clade passus est Pamphilus, cuius vitam Eusebius,Cæsariensis Episcopus,tribus libris comprehendit

mille martyres.

Anno gratiæ.304.Diocletianus Nicomediæ,Maximianus Herculeus Mediolani purpuram deposuerunt.Attamẽ cœpta semel persecutio, vsque ad septimũ annum Constantini,feruere non cessauit. *Imperatores purpuram deponunt.*

Anno gratiæ.305.Galerius,Romanum adeptus imperium,tribus annis imperauit. Eodem etiam anno, qui persecutionis est annus tertius, Constantius,vir summæ magnitudinis,Eboraci in Britannia diem clausit extremum. Cuius filius Constantinus,Britanniæ regnum suscipiens,in maxima tranquillitate & honore præesse studebat. *Galerius imperator.*

Anno gratiæ.306.Maximinus & Seuerus,à Galerio Maximiano Cęsares facti,persecutiones in Christianos accumulant.Passus est autem ea tempestate Petrus Alexandrię Episcopus,& cum eo plures Ægyptii. Passus est etiam Lucianus, Antiochenæ Ecclesiæ presbyter,& Romæ,Timotheus,10.Kalend.Iulii. *Vndecimà persecutio in Christianos.*

Anno gratiæ.307.Constantinus,Constantii & Helenę filius, in Britannia ex rege imperator creatus,annis viginti & mensibus decem imperauit. *Constantinus imperator.*

Anno gratiæ.308.Nicolaus,vir sanctitate & virtutibus insignis, Mitrhæ metropolis Episcopus consecratur. *Sanctus Nicolaus.*

Anno gratiæ.309.Eusebius sedit in cathedra Romana, annis 2. & totidem mensibus.Eodem anno Galerius vitam finiuit,& Constantinus solus imperauit. *Eusebius Papa.*

Anno gratię.310.Pascasi⁹ in Viennẽsi Ecclesia floruit, & Phileas Ægyptius librum, de laude martyrii,elegantissime cõposuit,& tandẽ per martyriũ gloriose vitam terminauit. *De Pascasio & Phileas.*

Anno gratiæ. 311.Melchiades sedit in cathedra Romana, annis 3. mensibus octo, & diebus totidem. *Melchiades Papa.*

Anno gratię.312.Maxentius,Herculei Maximiani filius, Romę Augusti⁹ est appellatus, *Constantinus Romam pergit.*

latus,qui tyrãnidem in populo Romano exercens,quosq; nobilissimos subuertere nitebatur. Incumbente ipsius sæuitia,fugerunt exterminati ad Constantinum in Britanniam, & honorifice excipiebantur ab ipso. Denique, cum multi ad ipsum confluxissent, incitauerunt eum in odium Maxentii,talia sæpe referentes illi,tu solus de genere nostro es,quod amisimus expulso Maxentio nobis reddere potes,Romanumq; imperium quod tibi debetur,nobis auxiliantibus poteris obtinere. Est namq; tibi copia auri & argenti,ac robustissimorum militum maxima multitudo. His igitur, & aliis incitatus Constantinus stimulis, parauit nauigium,Romanorum consilio,in omnibus adquiescens.

Cessante persecutione, pax est Ecclesiæ reddita.

Anno gratiæ. 313. Constantinus, Romam veniens, tres auunculos Helenæ matris suę. Trahernium scilicet,Marium,& Leolinum,cum innumera militum multitudine secũ conduxit. Expulsoque Maxentio tyranno, proscriptos omnes,pristinæ restituit dignitati. Tres quoq; auunculos matris suæ in ordinem senatorium promouit, & deinceps monarchiam mundi cum tranquillitate tractauit. Eodẽ anno,cessante persecutione Christianorũ,pax Ecclesiis data est,quę per 10. annos præteritos durauerat,aut quiddã simile,vt Beda in historiarũ l. 1.c. 6.cõmemorat:dicẽs. Interea Diocletian⁹ in Oriẽte,Maximinian⁹ Herculeus in Occidente, vastari Ecclesias,affligi interficiq; Christianos,decimo post Neronẽ loco,præceperũt. At vbi turbo persecutionis,elapsis decẽ annis,cõquieuit,progressi in publicum fideles Christi,qui se tempore discriminis syluis remotis, locis desertis, abditisve speluncis occuluerant,sanctorum Ecclesias ad solum vsque destructas renouant, Basilicas sanctorum martyrum fundant,construunt & perficiũt, ac veluti victricia signa propalant, dies festos celebrant,sacra conficiunt.

Hoc deniq; tempore Basilica in honorẽ beati Albani construitur, Anglorũ protomartyris,Beda in historiarũ.l.1.c.6. taliter referente. Passus est beatus Albanus,die 10. Kal. Iuliarũ iuxta ciuitatẽ Verolamiũ, quæ nunc à gente Anglorum Warlancestria vel Watlingecestria appellatur,vbi postea tẽporum,Christianorum serenitate,Ecclesia est mirandi operis atq; eius martyrio condigna, fabricata. 10. scilicet anni post passionem eius elapsis. In quo videlicet loco,vsque in hodiernum diem, curatio infirmorum,& frequentiũ operatio virtutum non desinit celebrari. Quod autem ciuitas memorata, nomine censetur bifario,hęc ratio. Ab alueo enim quę Warlame dicitur,& ad Oriẽtalem ciuitatis plagã defluit,Warlancestria. A via autem regia, quæ Watlingestrete nuncupatur, & ad partem ciuitatis iacet Occidentalem,Watlingecestria nominatur. Pax quoq; in Britannorum Ecclesiis,vsque in tempora Arrianæ vesaniæ,permansit illibata.

De Octauio Genisseorum rege.

Anno gratiæ. 314. Octauius,Genisseorum rex, insurrexit in proconsules Romanæ dignitatis,quibus regimen Britanniæ fuerãt commissum,& ipsis interfectis solio regni sese insigniuit. Cumq; id Constantino,Romæ nunciatum fuisset,misit Trahernium, auunculum matris suæ,cum tribus legionibus,vt insulam Romanæ restitueret dignitati. Appulsus itaque Trahernius in insulam, ciuitatem Kaerperis, quæ nunc Porcestria dicitur, infra duos dies cepit. quo diuulgato Octauius in manu forti venit sibi obuiam, & prælio commisso,Trahernium agminibus laceratis in fugam conuertit. At ille Albaniã petens, æquoreo cursu prouincias cœpit deuastare. At Octauius,turmis resociatis, in prouincia, quæ Westmarlande dicitur dimicauit cum eo. Sed consternatus Octauius fine victoria diffugit,Traherniusq; insecutus eum,diadema illi cum regno eripuit. Porro Octauius Norwegiam petens à rege Humberto, auxilium postulauit.

Sanctus Siluester Papa.

Anno gratiæ. 315. Sanctus Siluester sedit in cathedra Romana,annis. 23.mensibus 10. & diebus 11. & cessauit sedes diebus 15. Describitur autem hic vir sanctus,aspectu fuisse angelicus,sermone nitidus,opere sanctus,consilio magnus, fide catholicus, spe patientissimus,charitate diffusus, orphanorum & viduarum consolatio, monachorum & clericorũ sustentatio,laicorũ & pauperũ defensio,matronarũ & virginum subleuatio. Talibus igitur, ac tantis virtutibus decoratus,coram Deo & hominibus honorabilis habebatur.

Octauius regnum,amissum recuperat.

Anno gratiæ. 316. Octauius supra memoratus,propter amissum regnum anxius,familiaribus suis fecit edictum,vt omni nisu Trahernium interficere conarentur. Denique dum quadam die Trahernius ab vrbe Londoniæ recederet, Comes quidam sub municipio oppidi, in quadam conualle delitescens, ipsum interfecit. At Octauius in Britanniam reuersus,Romanis dissipatis,regnum occupauit,& illud annis multis pacifice gubernauit.

Fugit sanctus Siluester.

Anno gratiæ. 317. Sanctus Siluester, persecutionem Constantini imperatoris fugiens,in monte Seraphi delituit.

Pietas Constantini.

Anno gratiæ. 318. Constantinus Augustus cum plurimam de Christianis stragem fecisset,Elephantino morbo grauiter est percussus. Cumq; consilium haberet vt balneum sibi

sibi faceret de sanguine innocẽtum puerorum, adducti sunt tria millia ad eum. At eorum matres, solutis crinibus, pectoribusque nudatis, coram eo prostratę gemitum dantes, & vlulatum, horrorem illi nimium & suis magnatibus incusserunt. Tunc imperator, tale facinus abhorrens, iussit filios matribus reddi cum donis amplissimis, vt quę flentes venerant, gaudentes reuerterentur. Hoc opus pietatis respiciens Deus, nocte sequenti misit ad eum Apostolos Petrum & Paulum, qui talia sibi referebant. Quoniam effusionem innoxii sanguinis horruisti Constantine, missi sumus à Deo dare tibi salubre consilium recuperandæ sanitatis. Mitte igitur ad Siluestrum, Romanæ ciuitatis Episcopum, qui in monte Seraphi latitat, per quem, cum in vnum Deum credideris, & in piscina lauacro baptismali ablutus fueris, ab omni lepræ contagione mundaberis. Exurgens igitur imperator, Siluestrum ad se venire fecit, & omnia, quæ sibi dicta & visa fuerant, diligenter exposuit. Tunc sanctus Siluester illum in fide roboratum baptizauit. Qui consurgens à fonte Christum se vidisse confessus est, & à lepra perfecte mundatus, iussit imperiali edicto, Deum verum, vnum omnipotentem, à tota vrbe coli, & huius præcepti contemptores puniri.

Constantinus iussit Ecclesias construi.

Anno gratiæ. 319. Constantinus imperator, iam perfectus Christianus, licentiam dedit libere restaurare & fabricare in honorem Christi Ecclesias, ac eisdem per totum fere Romanum imperium priuilegia dedit, vt populus Christianus, ordinatis libere Episcopis & Episcopatibus, viueret liber & indemnis.

De hæresi Arriana.

Anno gratiæ 320. hæresis Arriana exoritur, dicta ab Arrio Alexandrino presbytero, qui coæternũ Patri Filium non agnoscens, diuersas in Trinitate substantias astruxit, vnã maiorem alia asserẽs contra illud Dominicum: Ego & pater vnũ sumus. Ad damnationem istius & integræ fidei reformationem, ex orbe terrarum concilium à Constantino congregatur 318. Episcoporum.

Consilium Arelatense.

Anno gratiæ. 321. sacratissimum Arelatense concilium sexcentorum Episcoporum colligitur, Mauritio eiusdem ciuitatis tunc existente Episcopo.

De hæresi Donatistarum.

Anno gratię. 322. Donatistarũ hęresis in Africa exoritur, à Donato quodã initium habens, qui de Numidia veniens, totam pene Africam sua persuasione decepit, asserens minorẽ Patre Filium, & minorẽ Filio Spiritum sanctum, catholicosq; post lapsum baptizandos.

Constãtinus multitudinẽ barbarorum vicit.

Anno gratiæ. 323. Gens multa barbarorum collecta est, super flumen Danubium, parata ad bellum contra Romanos, quod audiens Constãtinus parauit exercitum, & profectus est obuiam eis. Nocte vero sequente venit ad eũ vir splendidissimus, dicens ei. Constantine, respice in cœlũ, & vide. Intuens autẽ in cœlũ, vidit signũ sanctę crucis, & iussit antecedere se signũ, confidens in eo, quia in eo splẽdido fulgore radiante, viderat inscriptũ. In hoc signo vinces. Quo viso, crucem sibi consimilem fecit, pro vexillo imperiali, signo hostibus nimis terribili. Et superuenientes barbari ceciderunt in prælio, miserabiliter trucidati, & mortua est ex eis infinita multitudo. Deditque Dominus victoriam Constantino, per virtutem sanctæ crucis.

De inuentione sanctæ crucis.

Anno gratiæ. 324. Helena Constantini mater, diuinis admonita visionibus, Hierosolymam petiit, crucemque dominicam diligenter quærens, pro vna, tres reperit. Sed perturbat reperti muneris lætitiam vniuscuiusque crucis indiscreta proprietas. Denique ex tribus inuentis crucibus, per quandam languidam, quę per veram crucem perfecte curabatur, indubitanter certificabatur. Clauos quoque, quibus dominicum corpus fuerat affixum, ad filium materno affectu deferens, frenos inde componere iussit, quibus in anciti bello vteretur, vt prophetia adimpleretur. Et erit in die illa, quod in freno equi, sanctum Domino vocabitur.

Claui quibus transfixum est corpus Dominicum.

Constantinus Ecclesiam beati Petri fabricauit.

Fabricatur Romæ Ecclesia, quæ Hierusalem appelatur.

Anno gratiæ. 325. Constantinus fecit baptisterium Romæ mito opere, iuxta Basilicam beati Ioannis Baptistæ, quæ appellatur Constantiniana, vbi prius baptizatus fuerat. Et Basilicam beato Petro de templo Apollinis, nec non & beato Paulo. Corpus quoque vtriusq; ære circumdedit quinq; pedum glorioso.

Ecclesia S. Laurentii.

Anno gratiæ. 326. imperator iussit fieri Basilicam, in palatio Sorano, quæ appellatur Hierusalem, vbi partem sanctæ crucis deposuit, & Basilicam beatæ martyris Agnetis, rogatu Constantiæ filiæ suæ, vbi ipsa Constantia, soror Augusti, baptizata est.

Decrhismatis cõsecratione.

Anno gratiæ. 327. idem imperator fecit Basilicam in honorem sancti Laurentii martyris via Tyburtina in agro Verano, vbi idem martyr sepultus fuit.

Disceptatio S. Siluestri Papæ contra Iudæos.

Anno gratiæ. 328. sanctus Papa Siluester constituit, vt sanctum Crisma, non à presbyteris, sed ab Episcopis veneranter consecraretur.

Anno gratiæ. 329. congregati sunt coram Constantino, & Helena matre eius, sapientiores Iudæorum, 120. vt disceptarent contra Papam Siluestrum, asserentes fidem

Christi-

Christianorum esse inanem, & non à Deo, sed ab hominibus ratione carentibus, inuentam. Quibus sanctus Siluester agmine fultus, 24. Episcoporum viriliter resistens, authoritatibus tam Veteris, quam Noui testamenti omnes cõfusos reddidit, & elingues. Quorum maxima pars, relicta Iudaismi cæcitate, ad fidẽ Trinitatis quam infestabant, sunt conuersi. Per taurum quoq; ferociss imũ, in pastura Iudæorũ necatum, nec potentium resuscitare, sed postea per beatum Siluestrum suscitatum, multorum est fides Christianorũ roborata.

Ecclesiæ fabricatæ. ANNO gratiæ 330. imperator Constantinus fabricauit Ecclesiam beato Petro & * Paulo apostolis, via * Lauicana, inter 2. lauros.

**Marcellino martyribus.* **Labicana.*

ANNO gratiæ. 331. imperator construxit Mausoleum, miro opere fabricatum, vbi 10
Mausolum. postmodum matrem suam in Sarcophago preciosissimo sepeliuit.

ANNO gratiæ. 332. imperator fecit Ecclesiam, in ciuitate Hostia iuxta portam vrbis Romæ, in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & S. Ioannis Baptistæ, & in ciuitate Albanensi, basilicam in honorem eiusdem sancti.

Idem construxit Ecclesiã. ANNO gratiæ. 333, imperator Constantinus construxit Ecclesiam in vrbe Neapoli, miro opero, omnibus apostolis & martyribus, & in Drepana ciuitate Bithyniæ, fabricauit Ecclesiam in honorem martyris Luciani. Vrbemque nouis ædificiis instaurans, ex vocabulo matris suæ, Helenopolim nuncupauit.

Gentilium templa subuersa. ANNO gratiæ. 334. Romæ ordinantur Episcopi Marcus & Iulius. Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt. Edicto Constantini gentilium templa subuersa sunt. 20

Constantinus beato Petro & Paulo Romam reddidit. ANNO gratiæ. 335. imperator Constantinus vrbem sui nominis titulo insignitam, in Tracia statuens, sedem Romani imperii, & caput Orientis esse voluit, & caput mundi Romam, quam beatis Petro & Paulo sub testamento tradidit. Nobiliores quoque Romanorum, ac totum pene senatorum ordinem cum vxoribus & liberis, in secunda noua Roma, scilicet Constantinopoli, habitare constituit.

Iuuencus presbyter. ANNO gratiæ. 336. Reccius, Augustinensis Episcopus, famæ habetur celeberrimæ, & Iuuencus presbyter Hispanus, qui Hexametris versibus, quatuor libros Euangeliorum composuit.

Imperator statuit, aras Deorum cõfringi. ANNO gratiæ. 337. imperator statuit, citra vllam hominum cædem, paganorum tẽpla claudi, araſque Deorum omnes confringi. 30

Firmianus Rethoricam scripsit. ANNO gratiæ. 338. Firmianus, qui & Lactantius, Arnobii discipulus, Nicomediã, ad scribendum Rethoricam se contulit

ANNO gratiæ. 339. Iacobus, Nizibenæ ciuitatis Episcopus qui in Nicęna Synodo, cum aliis Episcopis, Arrianam hæresim damnauit, insuper multorum scriptor librorum, in Ecclesia clarissime fulsit.

Mors sancti Siluestri, & imperatoris Constantini. ANNO gratiæ. 340. magnificus imperator Constantinus vitam laudabilem, glorioso fine, terminauit. Quo etiam anno sanctus Siluester, viam vniuersæ carnis ingressus, migrauit ad Dominum. Dignum plane & omnino conueniens, vt, qui simul circa incrementum Ecclesiæ perseueranter laborauerant, simul reciperent promeritam pro labore retributionem. 40

De heredibus Constantini. ANNO gratiæ 341. Constantius, cum Constantino & Constante fratribus, imperauit annis 14 Eodem anno Marcus sedit in cathedra Romana, annis duobus, mensibus octo & diebus viginti.

Sanctus Nicolaus obiit. ANNO gratiæ. 342. Iacobus Nizibenus Episcopus, vir in scripturis humanis & diuinis eloquens, obiit. Eodem anno sanctus Nicolaus, Mirreæ metropolis Episcopus, migrauit ad Christum.

ANNO gratiæ. 343. Iulius sedit in cathedra Romana, annis. 11. mensib. 2. & diebus 7.

Impietas Arrianæ sectæ. ANNO gratiæ 344. impietas Arriana, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis, primum Athanasium, Alexandrinæ vrbis Episcopum, postea alios præclaros Episcopos persecuta est. 50

Maximinus Episcopus. ANNO gratię. 345. Maximinus Treuirorũ Episcopus claret, à quo Athanasius, dum à Constantino quæreretur ad pœnam, honorifice est susceptus, & protectus.

Synodus Arelatensis. ANNO gratię. 346. Nectarius, Viennensis Ecclesiæ Episcopus, in doctrina fidei extitit gloriosus, ille in Synodo Arelatensi primus interfuit, & Patris, & Filii, & Spiritus sancti vsiam vnius esse naturę, & potestatis, Deitatis, & virtutis docuit, & in Ecclesia prędicauit.

Antonius heremita obiit. ANNO gratiæ. 347. Antonius monachus, 105. ętatis suę anno in heremo migrauit ad Dominum.

De reliquiis beati Timothei. ANNO gratiæ. 348. reliquiæ beati Timothei Constantinopolim referuntur.

ANNO gratiæ. 349. dum Arrius hæreticus, Constantii fauore fretus, Constãtinopolim

lim ad Eccleſiã pergeret, contra fideles Chriſti, de fide dimicaturus, diuertẽs per forũ Conſtantini vt ventrem purgaret, omnia viſcera ſua cum vita & hæreſi, ibidẽ repente reliquit. *De morte turpiſſima Arrii hæretici.*

Anno gratię. 350. Conſtantio Romam ingreſſo, oſſa ſancti Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Euangeliſtæ, Conſtantinopolim delata, ibidem honorifice deponuntur. *Oſſa S. Andreæ, & S. Lucæ.*

Anno gratiæ. 351. Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, qui pulſus ab Arrianis in Phrygiam exulauerat, cum apud Conſtantinopolim, Conſtantio librum porrexit, ad Gallias repedauit. *Hilarius per Arrianos exulat.*

Anno gratiæ. 352. hæreſis Anthropomorphitarum, in Syria & Macedonia naſcitur, ab Anthropo quodã inducta, qui Ieſum tantũ humanã formã habere aſſerebat, & corporis partibus Deum eſſe diſtinctum, quod Catholicæ fidei eſt contrarium. Eodem tempore, floruit Paphnutius Epiſcopus, virtutibus clarus. *Hæreſis Anthropomorphitarum.*

Anno gratiæ. 353. Donatus, artis Grammaticæ ſcriptor & inſtitutor, Romæ illuſtris habetur. *Donatus Grammaticus.*

Anno gratiæ. 354. Euſebius Cæſareæ Paleſtinæ, in ſcripturis diuinis ſtudioſiſſimus, primum in hæreſim Arrianam lapſus ſed correctus moritur. *Euſebius obiit.*

Anno gratiæ. 355. Euſtachius, Antiochiæ Epiſcopus, aduerſum Arriana dogmata opuſcula componens, tandem exulauit. *Euſtachius Epiſcopus.*

Anno gratiæ. 356. Euſtachius, Antiochiæ Epiſcopus, cum exularet, Liberius ſedit in cathedra Romana annis decem.

Anno gratię 357. Marcellus, Ancyranus Epiſcopus, contra Arrianos multa ſcribẽs, Sabellianæ hæreſeos arguitur, ſicut meminit Hilarius. Porro ille defendit ſe non eſſe illius dogmatis, cuius accuſatur.

Anno gratiæ. 358. Baſilius, Ancyranus Epiſcopus Macedoniæ, cum Euſtachio Sebaſteo, princeps fuit, & artis medicinæ peritus.

Anno gratiæ. 359. Lucifer, * Carelanus Epiſcopus, à Conſtantio in exiliũ pellitur, eo q; Nicenã fidẽ damnare nollet. Sed ab exilio reuerſus hæreticis conſenſit, & à cõmunione Eccleſiæ recedens cum authore ſuo Lucifero, qui mane oriebatur, cadere non diffugit. * *Carelatenus.*

Anno gratiæ. 360. Euſebus, Vercellenſis Epiſcopus, à Conſtantio pro confeſſione fidei Catapolim exilio pellitur, vnde reuerſus fraude Arrianorum interficitur. *Perſecutio Arriana ſanit.*

Anno gratiæ. 361. Hilarius, Pictauorum Aquitaniæ Epiſcopus, procuratione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, de Synodo in Phrygiam ſub Conſtantio pulſus in exilium 12. libros aduerſum Arrianos confecit. Et librum de Synodis ad Galliarum Epiſcopos, ab exilio reuerſus, conſcripſit.

Anno gratiæ. 362. Conſtantius imperator, Liberium Romanæ ſedis Epiſcopum, ad perſecutionem Arrianorum, expulit in exilium, quo pergentem Fortunatius, Aquilenſis Epiſcopus, primus ſollicitauit, & fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos intruſit. *Conſtantius in hæreſim labitur.*

Anno gratiæ. 363. Serapion, Thaneos Epiſcopus, elegãtis ingenii, ſub Conſtantio, in confeſſione fidei præclarus, moritur. *Serapion moritur.*

Anno gratiæ. 364. Acarius, Neocæſareæ Epiſcopus, in tantum ſub Conſtantio claruit, vt Fœlicem Romæ Epiſcopum pro Liberio cõſecraret, qui anno integro permanſit. Eodem anno imperator Conſtantius periit, & Iulianus imperium adeptus, duobus annis, & 8. menſibus imperauit. Hic ex clerico imperator effectus, in culturam lapſus eſt idolorũ, martyriaq; inferẽs Chriſtianis, callidis eos odiis tranſmiſit ad ſuperna. Inter alios vero, qui in toto orbe pro Chriſto paſſi inueniuntur, Ioannes & Paulus Romæ martyriũ illuſtre duxerunt. Idem, in odium Chriſtianorum, templum Hieroſolymis, Iudæis reparare permittit. Qui, cum ex diuerſis prouinciis collecti, noua fundamẽta conſtruerent, ſubito nocte oborto terræmotu, ſaxa ab imo fundamenti concuſſa longe lateq; referuntur diſperſa. Igneus etiam globus, ab interiore loco templi egreſſus, ædes plurimas eorum ſuo proſtrauit incendio. *Mortuo Conſtantio ſucceſſit Iulianus.*

Anno gratiæ. 365. Pagani apud Sebaſten, Paleſtinæ vrbem ſepulchrũ beati Ioannis Baptiſtę inuadentes, oſſa diſpergunt, eadẽ rurſus collecta, & cremantes latius per agros ſpargũt, ſed Dei prouidentia affuerunt quidã monachi ex Hieroſolymis cũ aliis mixti, qui omnia quę poterant ablata, prius ad patrẽ ſuum Philippum, deinde ad ſummũ pontificem reuerenter detulerunt. Eodẽ tempore apoſtata Iulianus oſſe venerabilis Iacobi, Nizibeni Epiſcopi, extra ciuitatem iubet efferri. Nec multo poſt, cum exercitum contra Perſas ordinaret (incertũ eſt à quo) perimitur, inteſtina ſua per aëra proiiciẽs, inſano furore Chriſtum Dominũ blaſphemauit: viciſti (inquiẽs) Galilęe, viciſti. Imponitur tamẽ hoc miraculũ matri Saluatoris, quæ per beatũ Mercurium, militẽ ſuũ, hanc vindictã mirabiliter perpetrauit. *Oſſa beati Ioannis Baptiſtæ ſpargũtur.*

Liberius sedit in cathedra Romana.

ANNO gratiæ.366.Liberius,Romanæ vrbis Episcopus,Fœlice defuncto,ab exilio reuersus,sedit iterum in cathedra Petri annis.5.Eodem anno Iouinianus imperiũ adeptus vno anno & octo mensibus præfuit, & regnauit. Qui sese statim Christianum affirmans paganis se præesse nolle asseruit.Quibus auditis totus exercitus, qui per Iulianum nomen Christi abiecerant,Christianos sese esse confessi sunt. Sed tanti imperatoris pia, lætaque principia,mors immatura præuenit.Eodem tempore synodus Antiochiæ, à Mileto suisq; collecta est,in qua Macedonianũ dogma praue firmatum est. Dictum est autem à Macedonio,Constantinopolitano Episcopo,qui Spiritum sanctum,Deum esse negauit.

Valentinianus imperator.

ANNO gratiæ.367.Valentinianus,cum Valente fratre imperauit annis decem. Eodem tempore, Apollinaris, Laodicenus Episcopus, multimoda nostræ religionis scripta composuit.Sed incautus postea à fide deuiãs,hæresim sui nominis instituit,dicens, Christum tantummodo corpus sine anima suscepisse.

De hæresi Photini.

ANNO gratiæ.368.hæresis Photini & Eunomii agnoscitur. Fuit enim Photinus Siranæ vrbis Episcopus,qui astruxit,Christũ à Maria per Ioseph,nuptiali coitu,conceptum.

ANNO gratiæ.369.Gothi apud Histrum bifarie,inter Frigedernum & * Alaricum diuisi sunt.Sed Frigedernus,Alaricum Valentis auxilio superans, huius beneficii gratia, de catholico Arrianus cum omni gente Gothorum effectus est. Hoc tempore, Hilarius Pictauiensis scribit.

**Athuricum.*

ANNO gratiæ.370.Vulfila Gothorum Episcopus, Gothicas reperiens literas vtrunq; testamentum in linguam propriam transtulit.

*Damasus Papa. *31.*

ANNO gratiæ.371.Damasus sedit in cathedra Romana annis 18.mensibus duobus & diebus decẽ, & cessauit sedes 21. *diebus.Damasus papa de adulterio accusatus per 44. Episcopos purgatus est.

Fit Basilica sancti Laurentii martyris.

ANNO gratiæ 372.Damasus Papa fecit Basilicã iuxta atrium in honore sancti Laurentii, & eam donis amplissimis decorauit.

ANNO gratię.373.Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo baptizatus, Christianos persequitur.

ANNO gratiæ374.Damasus Papa construxit Basilicam Catatumbis, vbi iacuerunt corpora sanctorum Petri & Pauli,& plateam,vbi corpora sancta iacuerant,versibus decorauit.

Octauius rex Britonũ obiit.

ANNO gratiæ.375.Octauius Britonum rex supra memoratus,confectus senio, diem clausit extremum. Qui vnicam tantum habens filiam,masculina prole carebat. Mansit itaque in dissidio aliquandiu Britannia, quia diuersi diuersa sentiebant, cui puellam cum regno maritarent.

Damasus instituit dicere Gloria patri, in fine psalmi.

ANNO gratiæ.376.Damasus constituit dicere in Ecclesia,in fine psalmorum, Gloria Patri,&Filio,& Spiritu sancto.

ANNO gratię.377.Gratianus Romanum adeptus imperium,annis 6.imperauit.Eodem tempore,sanctus Ambrosius consecratus est Episcopus Mediolanensis, cuius industria omnis Italia in fide Christi robur suscepit.

Monachi nolentes militare trucidantur.

ANNO gratiæ.378. Valens cum Gratiano,lege data,vt monachi militarent,nolentes fustibus iussit occidi.

Maximianus senator rex Britonũ efficitur.

ANNO gratiæ.379.magnates Britanniæ, vt firma pace fruerentur, miserunt legatos Romam,vt Maximinianum senatorem inuitarent ad coniugium filiæ Octauii regis superius memorati. Erat enim patre Britannus à Leolino Constantini auunculo procreatus, matre vero natione Romanus, ex vtraque parte regalem originem ducens. Cumque nuntii Maximiano causam sui aduentus intimassent,illico adquieuit,quia ab Imperatoribus Gratiano & Valentiniano plurimum infestabatur.Britanniamq; petens, Francorum vrbes & mœnia subuertens,sibique subiiciens, auri ibidem & argenti copiam adquisiuit. Sed cum tandem in portu Hamonis applicuisset, obuiauit ei Conanus nepos regis Octauii,cum tota iuuentute regni,præliari cupiens,qui omni nisu in regnum anhelabat. Porro fauentibus Britannis,expulso Conano,filiam regis Maximiano lege maritali copularunt. At Conanus vltra modum indignans,Scotiam petiuit,&exercitum colligere vacauit.Deinde,cum omni multitudine suæ gentis, Humbri flumen pertransiens, quasque prouincias cœpit depopulari.Porro Maximianus superueniens,illum bello superauit, sed tãdem interuenientibus amicis concordiam inierunt.

*De primo rege Francorũ. * Athica.*

ANNO gratiæ.380.Rebellantes Alemannos, Franci inter Danubium & Mæotides paludes, iuncti Romanis, superauerunt. Vnde imperator Valentinianus, lingua * Achaica Francos, à feritate & duritia, atque audacia, primus voluit appellari. Qui post paulu-

paululum, cum tributa Romanis negarent, & Romanorum imperium ferre non possent, egressi à Sicambria, peruenerunt in extremis partibus Rheni fluminis in Germanorum oppidis, qui ibi aliquot annis cum principibus suis Marcomiro, & Subnone resederunt. Vbi primum regem Pharamundum sibi statuentes, legibus se subdunt, quas priores eorum Guisonastus, & Salegastus inuenerunt.

ANNO gratiæ. 381. Titus, Hostienus Episcopus, acerrimus contra Manichæos disputator, moritur. Eodem tempore Athanasius Alexandrinus Episcopus multas Arrianorum perpessus insidias sub principe Valētiniano moritur. Priamus rex Francorum primus, sex annis regnauit. *Titus Episcopus moritur.*

ANNO gratiæ. 382. Theodosius, Romanum assecutus imperium, annis 16. imperauit. Cuius temporibus Gregorius Nazianzenus, vir eloquentissimus & præceptor Hieronymi, debitum naturæ persoluit. *Gregorius Nazianzenus moritur.*

ANNO gratię. 383. Basilius Cæsariensis, & Effrem, Edissenæ Ecclesię diaconus mo(riuntur. *Basilius.*

ANNO gratiæ. 384. Sanctus Martinus nascitur. Eodem anno Theodosius Alanos, Hunnos & Gothos, magnis multisque prælijs deuicit. Et Maximus, Pictos & Scotos Britanniam incursantes superat. *Sanctus Martinus.*

ANNO gratiæ. 385. Arriani, Theodosii principis studiū fidei non ferentes, post quadraginta annos Ecclesias, quas vi tenuerant, reliquerunt.

ANNO gratiæ. 386. Francorum rex Marcomirus, inter triginta quatuor dies obiit. Niceta, Viennensis Episcopus, in doctrina præclarissimus, insignis habetur. *Marcomirus rex Francorum.*

ANNO gratiæ. 387. Iustus, Lugdunensis Episcop⁹, qui post modum relicta sede vitam Anachoreticā pręelegit, in Ægypto moritur. Eodem anno, synodus 150. patrum Constantinopolim congregatur aduersus Macedonium hæreticum, Damaso Romę residente. *Concilium Constantinopoli celebratum.*

ANNO gratiæ. 388. Siricius sedit in cathedra Romana, annis 15. mensibus 11. diebus 25. & cessauit sedes diebus viginti. *Siricius Papa*

ANNO gratię. 389. Theodosius, Arcadium filium suum, consortem imperii sui fecit. Eodem tempore, mortuo Auxentio Episcopo, sectæ Arrianæ prauitatis assertore, cum inter catholicos de electione tractaretur, & Ambrosius vir consularis ad populos sedandos aduenisset, subito vox infantis insonuit, Ambrosium futurum Episcopum. Moxque Ambrosius, tunc catechumenus, capitur & baptizatur, & octaua die cum summa lætitia Episcopus ordinatur. Et cum non multo post, idem Ambrosius verbum Dei in Ecclesia Dei seminaret, Arrianorum quidam vidit angelum Dei ad aurem stantis Episcopi, indicantem ei quid populo nuntiare deberet. Quo viso miraculo, fidem quam prius expugnauerat, cœpit defendere. *Theodosius imperator filium suum consortem facit imperii.*

ANNO gratiæ. 390. Maximus rex Britonum, propter auri & argenti copiam infinitam, & robustorum militum multitudinem, in tantam superbiam est elatus, quod regno suo sibi non sufficiente, partes Gallicanas subuertere, sibique disponeret subiugare. Parato itaque nauigio Armoricarum regnum, quod postea, minor Britannia dicebatur, petiuit. Tantam igitur militum multitudinem secum adduxit, quod vniuersam fere Britaniam omni armata manu vacuam reliquit. Cum ergo velis secundis in regione prefata applicuisset, & depopulationi prouinciarum operam dedisset, obuiauit ei Vnibaldus, Dux illius regionis, cum 15. millibus armatorum. Sed in primo congressu in fugam conuersus est, & maxima pars exercitus eius est interfecta. Vocauit igitur * Maximus Conanum cui, vt supra dictum est regnum Britanniæ eripuerat, & dedit illi regnum Armoricanum, & minorem Britanniam iussit appellari. At Conanus, inclinato capite gratias agens, promisit se fidelem in obsequio suo, dum viuerent, permansurum. Deinde conuocatis cateruis, ciuitates & oppida sibi viriliter subiugarunt. Obstantes vero, aut flammæ, aut exterminio tradiderunt. Sicque fugientibus cunctis omnia Gallicana, infra annum, in suam suscepit potestatem, pueris tamen parcens, atq; mulieribus. Porro quoscunque in aliena aspirare callebat, sibi associans, argento & auro distributo, spoliis suis & quæstibus gaudere libere permittebat. *Maximus rex Britanniæ partes Gallicanas sibi subinganit.* ** Maximianus.*

ANNO gratiæ. 391. Maximus tyrannus regnum, quod ceperat, Britannico populo replere cupiens fecit edictum, vt centum millia hominum de Britannia ad eum conuenirent ad terram illam replendam sumpta de plebe, & 30. millia militum, qui Episcopos iam ordinatos tuerentur ab hostib. irruptionibus. Cumq; omnia ad votum compleuisset, distribuit singulis nationibus terras affluenter, & syluas cum fluminibus piscosis, quibus illa regio abundabat. Conanumq; omni populo præficiens, regem illum ibidem constituit, patriamq; minorē Britanniam, vt prænotatur, nuncupauit. Tunc Maxim⁹, cum tota multitudine *Maximus rex Britanniam 130. hominum millibus euacuauit.*

titudine sua progrediens, interiorē Galliā adiuit, grauissimisq; prælijs illatis, totā Germaniā sibi subiugauit. Thronum autē imperij sui apud Treueros statuēs, in duos imperatores adeo debaccatus est, quod Gratiano interempto, Valētinianum ex vrbe Roma fugauit.

Conanus rex vxores ad Britanniam adduxit.

ANNO gratiæ. 392. Conanus, Armoricanorum Britonum rex volens commilitonibus suis de sua natione coniuges dare, ne cum Gallis commixtionem facerent, misit ad Dionotum regem Cornubiæ, cui Maximus Britanniam commendauerat dum absens fuerat, vt huius rei curam gereret, & puellas cum festinatione ad eum destinaret. Dionotus igitur viso Conani nuntio, collegit per diuersas prouincias filias nobilium, numero 11000. de cæteris vero ex infima gente procreatis. 60000. quæ omnes in vrbe Londinensi naues ingressæ sunt. Erant autem quædam ex eis, quæ castitatem nuptiis præferentes, maluissent vitam amittere, quam hoc modo maritis, etiam nobilibus copulari. Nauigio itaque per Thamesim fluuiū mare ingresso, subita tempestate exorta, omnes periclitari cœperunt, & in maiori parte sunt submersæ. Vndecim quoq; millia virginum, quæ apud Coloniam passæ leguntur, ab hac clade, inciderant in nephandum exercitum Wannii regis Hunnorum, & Melgæ Ducis Pictorum, qui iussu Gratiani, Maritimas nationes, clade dirissima opprimebant. Isti puellis prædictis obuiantes, & earum pulchritudinem inspicientes, cum eis disponunt lasciuire. Quod cum puellæ abnegassent, & paganos Christianissime despicabiliter contempsissent, irruunt ambo in illas. Et sic cæsæ gladiis cruentatis, per martyrium castę cohortes ad regna cœlestia conuolant. Tunc nephandi duces, cum didicissent Britanniæ insulam armato milite vacuatam iter illac arripiunt, & regnum inuadunt, quod rectore caruit ac defensore. Abduxerat enim secum Maximianus, vt prædictum est, omnes milites & iuuenes bellicosos, imbelles & rusticos relinquens in regione. At duces præfati, de vulgo stragem immanem facientes, vrbes & oppida vastare cœperunt. Cum igitur tanta calamitas Maximo nunciaretur, misit Gratianum senatorem cum duabus legionibus, qui hostes acerrima cęde affectos in Hyberniam fugauerunt. Maximo interea Romæ interfecto, Britones qui cum illo erant ad conciues suos in minorem Britanniam aufugerunt. Gratianus igitur, cum necem Maximi cognouisset, diademate suscepto in regem sese promouit. Deinde tantam in Britones tyrannidem exercuit, quod plebs congregata eundē trucidauit, quo perempto, reuersi hostes prędati Britanniam oppressione dirissima, & diutina afflixerunt.

Maximus Romæ interfectus.

ANNO gratiæ. 393. floruerunt in ecclesia Dei Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nissenus, Hilarius Pictauiensis, Martinus Turonensis, Ambrosius Mediolanensis, Hieronymus abbas Bethlehemensis, & Pachomius abbas Ægyptius.

Hieronymus chronica sua finit.

ANNO gratiæ. 394 Hieronymus chronica sua finit, Gennadius incipit. Eodem tempore, S. Patricius Scotus in Hyberniam venditur cum suis sororibus: vbi cum esset regis Porcarius, Angelico sæpe fouebatur alloquio.

ANNO gratiæ. 395. Hieronymo sacras scripturas vtriusq; testamenti, in latinam transferente linguam, editio septuaginta interpretum vilescere cœpit.

Abacuc & Micheæ prophetæ.

ANNO gratiæ. 396. corpora Abacuc & Micheæ prophetarum reuelantur.

ANNO gratiæ. 397. corpora Nazarii & Celsi martyrum, Mediolani ab Ambrosio reperta leuantur.

Arcadius imperator.

ANNO gratię. 398. defuncto Theodosio, imperatore magno Arcadius & Honorius filii eius, annis. 14. imperarunt. Qui monarchiam mundi inter se diuidentes, vnus Romę, alter Constantinopoli, imperii sedes statuerunt principales. Quorum tempore Donatus Epirensis episcopus virtutibus refulsit, qui draconem immanem, in ore eius expuēdo, necauit: quem, octo iuga boum ad locum incendii, ne aëra corrumperet, vix trahere potuerunt.

Ambrosius hymnos componit.

ANNO gratię. 399. Ambrosius hymnos in ecclesia primus canendos instituit. Eodem tempore Arsenius ex senatore efficitur monachus. Per idē tempus gentiū templa, Theodosio iubente, per orbem vniuersum subuertuntur, ac pro eis Christi templa vbique construuntur.

Isto anno S. Martinus obiit.

Mors Ruffini.

ANNO gratiæ. 400. Ruffinus Magister orientalis militiæ, imperii cupiditate fractus, studioq; principandi rebellans, à Stilicone, Magistro militiæ occidentalis, perimitur. De cuius interitu Claudianus poeta eximius, sic ait:

Iam non ad culmina rerum
Iniustos creuisse queror, tolluntur in altum,
Vt lapsu graniore ruant.

Messalianorum hæresis.

ANNO gratię. 401. Messalianorū hęresis est exorta: eorū scil. qui sola oratione dicunt dæmo-

dæmones ex hominibus effugari posse.

Anno gratiæ. 402. fuit quidã hæreticus, Eunomius nomine, qui in mersione præsumpsit baptizare dicens non Trinitate sed in morte Christi baptizari oportere, & eos, qui in Trinitate erant baptizati, rebaptizabat. *sis in Ecclesia oritur. Eunomius hæreticus.*

Anno gratiæ. 403. Sanctus Ambrosius laudabiliter vitã finiuit. Cuius acta & mores Paulus, Nolanus Episcopus, ad Augustinum Episcopum claro sermone describit. Eodem tempore in Italia Sisinnius & Alexander martyrio coronantur. Per idem tempus Stilico, pacem imperatorum perturbare volens, Alaricum, regem Gothorũ, Magistrum militum ordinauit. *De morte S. Ambrosii.*

Anno gratiæ. 404. exorta est hæresis Pelagiana, à Pelagio quodam natione Britannico inuenta. Hic docuit, homines sine gratia Dei, suis meritis posse saluari, vnumquemque ad iustitiam propria voluntate regi, infantes sine peccato originali nasci, & tam insontes esse vt fuit Adam ante præuaricationem, nec ideo baptizandos esse vt à peccato soluãtur, sed vt per adoptionem in regnum Dei admittantur, qui etsi non baptizarẽtur, esse tamen eis extra regnum Dei æternam & beatam vitam, Adam suo solo peccato læsum esse, eumque non ex culpæ merito mortuum esse sed conditione naturæ, qui moriturus fuisset etsi non peccasset. Dicebat etiam, orationes irritas esse quæ fiunt ab Ecclesia siue pro fidelibus, siue pro infidelibus. *Hæresis Pelagiana.*

Anno gratiæ. 405. Anastasius sedit in cathedra Romana annis duobus, & diebus 26. & cessauit sedes diebus, 21. Sub eisdem diebus Pachouius abbas. 110. vitæ agens annum, in virtutibus finiuit. *Anastasius Papa.*

Anno gratiæ. 406. Ioannes Chrysostomus in Ecclesia Dei præclare refulsit. Eodem quoque tempore, Ioannes Constantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus Episcopi floruerunt. *Ioannes Chrysostomus floret.*

Anno gratiæ. 407. natus est puer in castello Iudæ nomine Emaus, perfectus, ab vmbilico, & sursum diuisus, ita vt haberet duo pectora cum brachiis, duo capita, & vtrumque corpus sensus proprios. Sed quando vnum edebat alterum non edebat, vno dormiente alterum vigilabat, & colludebant, & ferme vsque ad adolescentiam viuebant. Porro postquam duobus annis vixissent, vnus mortuus est altero vsque in tertium diem superuiuente. Eodem anno, Innocentius primus sedit in cathedra Romana annis 15. mensibus duobus, & diebus. 20. & cessauit sedes diebus 15. *Innocentius Papa 1.*

Anno gratiæ. 408. Innocentius, Romanæ vrbis Episcopus, dedicauit basilicam beatissimorum martyrum, Geruasii & Prothasii, ex deuotione cuiusdam illustrissimæ fœminæ, nomine Vestina. *Dedicatio.*

Anno gratię. 409. Innocentius Papa constituit, pacis osculum ad missam dari, & oleum infirmorum ab Episcopis consecrari. *Instituitur osculum in Ecclesia.*

Anno gratiæ. 410. S. Alexius Romæ declaratur, qui prima nuptiarum nocte sponsam relinquens, 18. annis pro Christo peregrinatus est. *De sancto Alexio.*

Anno gratię. 411. Sanctus Augustinus, Hipponensis Episcopus, doctrina atq; sanctitate, in Ecclesia Christi, insignis refulsit. *S. Augustinus claret.*

Anno gratiæ. 412. Arcadio imperatori, successit Honorius, & 20. annis imperauit. *Honorius imperator.*

Anno gratiæ. 413. exorta est hæresis Priscillianistarum, à Priscillo quodam inuenta, qui astruxit fatalibus stellis homines colligatos, & ipsum hominis corpus secundum 12. Cœli signa compositum, cõstituens Arietem in capite, Taurũ in ceruice, Geminos in humeris, & Cancrum in pectore. Sicque discurrens per singula membra vsq; ad plantas quas Piscibus attribuit. Coniugium, & carnes despexit. Opificium quoq; humanæ carnis, non Deo, sed angelis malis ascripsit. *Hæresis Priscillianistarũ oritur.*

Anno gratiæ. 414. Honorius imperator Constantium comitem, Magistrum militiæ ordinauit, qui primum in Galliam profectus, Constantinum apud Arelatem cepit, & interfecit. *Honorius Constãtium, principem militiæ fecit.*

Anno gratiæ. 415. hæresis Pelagiana, cum ad audientiam Innocentii Papæ peruenit, consilium apud Carthaginem 224. Episcoporum congregari fecit, eamque conuicit & damnauit. *Consilium apud Carthaginem.*

Anno gratiæ. 416. Orosius presbyter, & historiographus, qui missus est à beato Augustino ad sanctum Hieronymum, pro discenda animæ ratione, claret. *Orosius claret.*

Anno gratiæ. 417. Constantius comes, apud Arelatem consistens, magna rerum gerendarum industria, Gothos, quibus iam *Ataulfus præerat, Placidæ coniunx, Narbone expulit, atq; abire in Hispaniam coegit. *Atulfus.*

Lucianus claret.

ANNO gratiæ. 418. Lucianus presbyter pręclarus habetur, qui reuelationem beati Stephani protomartyris, ac sociorum eius Gręco sermone conscripsit, quam postmodum Auitus presbyter, Hispanus, in Latinum cõuertit: quique reliquas beati Stephani, per Orosium, Occidentalibus destinauit.

Orationis virtus.

ANNO gratiæ. 419. Anianus Aurelianensis Episcopus clarus habetur, qui orationibus suis ab Hunnis Aurelianenses liberauit.

Britanni Romanorum postulant auxilium.

ANNO gratiæ. 420. Scotorum, Pictorum, Norwegensium infestinationem Britãni non ferentes, Romam mittunt auxilium flagitantes, quibus statim missa legio, magnã barbarorum multitudinem strauit, eosque à Britanniæ finibus expulit. Deinde, ob arcendos hostes, murum inter duo maria statuit, qui absque magistro, magis cespite quam lapide factus, nil Britannis operantibus profuit. Nam mox, vt discessere Romani, hostes prędati aduecti nauibus, obuia quæque sibi cædunt, vastant, deiiciunt, & consumunt.

Britanni iterum petunt auxilium Romanorũ.

ANNO gratiæ. 421. Rex Francorum Pharamundus regnauit annis vndecim. Iterum Britanni petunt auxilium à Romanis, qui aduenientes, hostes ad mare propellunt, cõiunctisque sibi Britannis murum saxo solidum faciunt, & à mare vsque ad mare perducunt. Sed in littore Meridiani maris crebras turres per interualla statuunt, terram muniunt sociis valedicentes quasi vltra non redituri.

Zozimus.

ANNO gratiæ. 422. Zozimus sedit in cathedra Romana, annis tribus, mẽsibus octo, & diebus 25. & cessauit sedes diebus 11.

Papa sanctus Hieronymus obiit.

ANNO gratiæ. 423 Hieronymus presbyter vitam in sanctitate finiuit pridie Kal. Octobris, anno ætatis suæ, 91.

Macharius, monachus.

ANNO gratiæ. 424. Macharius monachus Ægyptius signis & virtutibus refulsit.

Bonifacius Papa.

ANNO gratiæ. 425. Bonifacius sedit in cathedra Romana annis tribus, mensibus 8. diebus 13. & cessauit sedes diebus nouem.

De silentio Seueri presbyteri.

ANNO gratiæ. 426. Seuerus presbyter, cognomento Sulpitius, qui vitam beati Martini in libellũ redegit, moritur. Hic in senectute sua à Pelagianis seductus est, sed agnoscens loquacitatis culpam, silentium vsq; ad mortẽ tenuit, tacẽdo corrigens q; loquẽdo deliquit.

Cœlestinus Papa.

ANNO gratiæ. 427. Cœlestinus Papa sedit in cathedra Romana annis 7. mense vno diebus 9. & cessauit sedes diebus 21. Eodem anno, Theodosius iunior, imperium suscipiens, imperauit annis 27.

Valentinianus imperat.

ANNO gratiæ. 428. Valentinianus iunior, Constantii filius, Rauennæ creatus est imperator, & Placida mater eius Augusta nuncupatur.

Hæresis Nestoriana.

ANNO gratiæ. 429. Nestorius, Cõstantinopolitanus Episcopus suę perfidię hęresim detexit. Hic beatam virginem Mariam non Dei sed hominis tantummodo asseruit genitricem, vt aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis, Nec vnum Christum in verbo & in carne credidit, sed separatim, alterum Dei filium, alterum hominis prædicauit.

De fraude diaboli.

ANNO gratiæ. 430. diabolus in specie Moysi Iudæis in Creta apparens dum eos per mare, sicco pede ad terram promissionis perducere promittit, plurimis exultauit necatis. Reliqui qui saluati sunt, ad Christum conuertuntur.

ANNO gratiæ. 431. effera gens Wandalorum, Alanorum, & Gothorum ab Hispanis ad Africã transiens, omnia ferro, flãma, rapinis, similitẽr & Arriana impietate fœdauit. Sed beatus Augustinus, Hypponensis Episcopus & omnium Ecclesiarum doctor eximius, ne ciuitatis suę ruinam videret, tertio obsidionis suæ mense migrauit ad Dominum.

Clodoueus regnat in Gallia.

ANNO gratiæ. 432. Wandali, Carthagine capta Siciliam deleuerunt. Eodem tempore Clodoueus in Gallia regnauit, annis 17.

Scots fidem suscipiunt.

ANNO gratiæ. 433. Scotis in Christũ credentibus, ordinatus à Papa Cœlestino Palladius, primus Episcopus ibidem mittitur.

Romani desolatam Britanniam deserunt.

ANNO gratię. 434. recedentibus à Britannia Romanis, redeunt Scori & Picti, cum Norwegensibus & Dacis, qui totam ab Aquilone insulam indigenis fere vacuam muro tenus, quem Romani ad patriæ defensionem erexerant, capessunt. Quo facto, inuadunt hostes murum, compages eius dissoluunt ac Britones in altis murorum propugnaculis, ad resistendum locatos, vncis ferreis in vallum prosternunt. Erant enim sine rectore indocti ad pugnam, proni ad fugam. Vnde, qui ab hac calamitate euadere potuerunt, in nemorũ, densitatibus, in speluncis, & abditis terræ locis, latibula quæsierunt. Tandem ciuitatibus relictis, vt agni à lupis, plebs miseranda discerpitur. Quid plura? Miserunt iterũ epistolã, lachrymosis ęrumnis refertã, ad Aetiũ, Romanæ potestatis consulẽ hæc inter alia cõtinentẽ. Aetio ter cõsuli gemitus Britonũ salutẽ. Nos mare ad Barbaros, & Barbari ad mare propellunt. Inter hæc autem, duo funerum genera oriuntur. Aut n. submergimur, aut iugulamur.

At

At cum Romani illis nunciassent, sese vlterius nolle tam laboriosis expensis pro eis fatigari, nuntii tristes recedunt, repulsam suis conciuibus nuntiantes. Acta autem sunt hæc, anno * octauo imperii Theodosii iunioris. Cessauit autem hoc anno tributum Britanniæ quod senatui Romano à tempore Iulii Cæsaris, soluebatur. * 23.

ANNO gratiæ. 435. Guithelinus, Londinensis Archiepiscopus scientia & virtutibus insignis habetur. Hic, cum calamitatem Britanniæ, abiectionemque Romanorum miseratus intellexisset, transfretauit in minorem Britanniam, quæ olim Armorica siue Lacania dicebatur, vt auxilium à suis confratribus postularet. Regnabat tunc in illa Aldroenus rex à Conano quartus, cui Maximus tyrannus regnum illud dederat. Qui, viso tantæ reuerentiæ viro illum cum honore suscepit. At archiepiscopus, aduẽtus sui causam exponens in fletum prorupit & dixit. Satis tuę nobilitati patet rex qualiter Maximus, qui hoc regnum vobis contulit, & insulam nostram suis militibus spoliauerit, qualiterque à viris & fœminis nobilioribus vacuam reliquerit, & quam miseriam nos nostrique conciues passi fuerimus qui modo omnibus nationibus præda sumus & rapina. Nã solu m ab hoste deprimimur sed morimur fame, maxime cum omni genere pabuli, excepto artis venatoriæ solatio careamus. *Britanni defuncti regem sibi de minori Britannia postulantes acceperunt.*

AB omni igitur alia spe repulsi, gratiam vestram adiuimus, Serenissime Rex, implorantes vt præsidium adhibeas personaliter accedens: & regnum tibi debitum, expulsis barbaris, ad libitum disponas, populum regas, ac patriam, quæ olim regna longe remota sibi subiecerat ad pristinum statum reducas. Cumque hæc & alia Archiepiscopus diu allegasset, rex in hunc modum respondit. Olim tempus erat quo non negarem insulam Britanniæ recipere, sed quoniam infortunia accesserunt, vilior mihi facta est & meis principibus odiosa. Veruntamen, eo quod aui & ataui mei illam insulam renuerunt, trado vobis Constantinum fratrem meum, & duo millia militum cum eo. Qui si Deus permiserit, patriam ab hostibus liberabit atq; diademate ibidem insignitus, cum gloria & honore regnum possidebit. Vix finem loquendi fecit rex, cum Archiepiscopus vocato Constantino, viro in militia approbato, ei in hæc verba arrisit, Christus vincit, Christus regnat Christus imperat. Assit igitur gratia Christi regi Britanniæ, qui est defensio nostra, vt insulam miserrimam ad pristinam reducat libertatem. Quid plura? Paratis in littore nauibus, eligitur ex diuersis regni partibus supradictus militum numerus. Qui mare ingressi in Totonesio portu prospere applicuerunt. Nec mora, confluxerunt vndique Britones dispersi de latibulis & speluncis, & cũ hostibus congressi victoriam per industriam noui regis & beati Guithelini meritum, sunt adepti. Deinde facta in Cicestria concione, erexerunt Constantinum in regem, eique coniugem dederunt ex nobili Romanorum prosapia ortam, quæ industria beati Guithelini Londinensis Archiepiscopi, fuerat educata: ex qua tres filios inclytos, Constantem scilicet, Aurelium Ambrosium atq; Vtherpendragon, processu temporis generauit. Constantem primogenitum suum Deo sacrificauit, tradens eũ in Ecclesia sancti Amphibali infra Wintoniã, vbi monachalẽ ordinem suscepit, Aureliũ Ambrosiũ atq; Vtherpẽdragon Archiepiscopo Londinensi cõmisit educãdos.

ANNO gratiæ. 436. Sixtus sedit in cathedra Romana, annis octo, & diebus, 18. qui Basilicam sanctæ Mariæ matris Domini, quæ ab antiquo Liberi patris delubrum fuerat miro opere refecit. *Sixtus Papa.*

ANNO gratiæ. 437. Eudoxia, vxor Theodosii principis, ab Hierosolymis remeauit, secum beati protomartyris Stephani reliquias deferens, quę in Basilica S. Laurentii positæ pie à fidelibus venerantur. *De sancto Stephano*

ANNO gratiæ. 428. Bleda & Attila fratres & multarum gentium reges Illyricum, Thraciamque depopulati sunt.

ANNO gratiæ. 439. Maximus, Taurinensis Episcopus vir in scripturis diuinis fulget eruditus.

ANNO gratiæ. 440. Petronius, Bononiensis Episcopus Italiæ vir sanctitate vitæ, & monastico studio exercitatus literisque secularibus vber obiit. *Petronius Episcopus.*

ANNO gratiæ. 441. Iulianus Episcopus & Cœlestinus, Pelagii sectatores agnoscũtur.

ANNO gratię. 442. Leporius presbyter Pelagianum dogma sequitur, præsumens de puritate vitę suę, quã arbitrio suo tantum & conatu proprio, non Dei, se ope obtinuisse credebat. Tamen tandem emendatus correctionis suę librũ, vera fide catholica, cõposuit.

ANNO gratiæ. 443. Leo primus sedit in Cathedra Romana, annis 21. Mense vno, diebus 9. & cessauit sedes diebus 21. *Leo Papa primus.*

ANNO gratiæ. 444. Victor Massilienſis Rhetor, q librũ in Genesim ad filii sui Ætherei

personam commentatus est, in diuinis scripturis non satis eruditus, moritur.

Rex Britonum Constãtinus interfectus est.

ANNO gratiæ. 445. Constantinus Britãnorum rex, quadam die dum venatum iret, à quodam Picto, qui in eius obsequio fuerat in virgulto densissimo, cum cultro interfectus est. Quo defuncto, orta est dissensio inter proceres quis eorum sublimaretur in regnum filii quoque regis defuncti, Aurelius Ambrosius, atque Vterpendragon missi fuerant in minorem Britanniam ad educandum. Qui, si præsentes fuissent, propter ætatem puerilem regnare non possent. Porro Vortigernus consul Geuuiseorum, qui omni nisu in regnum aspirabat, perrexit Wintoniam, & constantem monachum, Constantini filiũ, de claustro extractum duxit Londonias, & eum, vix annuente populo eo quod monachus esset in regem erexit. Guithelinus enim Londoniensis Archiepiscopus tũc defunctus fuerat, nec fuit alter qui in regem illum sublimare præsumpsisset. Sed ipse Vortigernus vices Episcopi gerens, coronam capiti suo propriis manibus impressit. Sublimatus igitur rex, omnia regni negotia Vortigerno disponenda commisit. At Vortigernus, astutus, castella & munitiones regni suis satellitibus tradens, quo modo regem traderet callide cogitabat. Cœpit itaque regis thesauros in custodia, & numerum militum ac seruientium diatim augmẽtabat. Deinde regem adiens, consilium dedit ei vt centum Pictos, quos ad omnem perditionem & dolum promptos nouerat & paratos, in obsequio suo retineret: vt corpus suum diebus ac noctibus, ab incursione hostium, tuerentur.

Constans ex monacho rex.

Nota proditionem magnam.

ANNVENTE rege, supradictus Pictorum numerus cum priuata regis familia est admissus. At Vortigernus, eos ita stipendiis ditabat militaribus, & cibariis refecit delicatissimis, quod quasi adorantes illum, per plateas dignum imperio clamitabant. Cum igitur gratiam omnium se habere cognouisset Vortigernus, inebriauit eos quadam die, dicens cum lachrymis, se à Britannia recessurum, cum non haberet de proprio vnde 50. militibus stipendia prouideret. Deinde, quasi tristis, recedens ad hospitium suum, ipsos potantes in aula reliquit. Quo audito murmurabant Picti ad inuicem, dicẽtes, vt quid monachum istum non interficimus, vt Vortigernus solio regni potiatur. Surgentes igitur inebriati, impetum fecerunt in regem. Illoque perempto, Vortigerno caput regium detulerunt. Quod cum intellexisset Vortigernus, quasi contristatus, in fletum prorupit, vt proditionem factam sub lachrymarum velamine palliaret. At Vortigernus ciuibus Londoniensibus, vt hæc acciderant, conuocatis, Pictos illos iussit occidi, id est, decollari, vt propriam fraudem ab hoc scelere redderet excusatam. Tandem, cum neminem parem sibi conspexisset, imposuit capiti suo coronam Britannię, & supergressus est principes vniuersos. Sublimato igitur eo, cœpit lues omnium scelerum crescere, sęuiebat scurrilis nequitia, odium veritatis, contemptus Dei, litigium, contentio luxus, flagitium, vt vas omnium scelerum solus videretur Vortigernus, & quod maxime regię honestati contrariũ est, nobiles deprimẽs, & moribus & sanguine ignobiles extollens, Deo & hominib⁹ efficitur odiosus.

Vt sanctus Germanus in Britanniã venit.

ANNO gratiæ. 446. hæresis Pelagiana, per Agricolam Pelagii discipulum illata, fidem Britonum fœda peste maculauit. Verum Britanni, cum neque susciperę dogma peruersum, gratiam Christi blasphemando, vllatenus vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare, verbis certando, sufficerent: inueniunt salubre consilium, vt à Gallicanis Episcopis auxilium belli spiritualis inquirãt. Quamobrem collecta ibidem magna synodo, quęrebatur in commune qui illuc in succursum fidei mitterentur. Tandem omnium iudicio, eligebantur Apostoli sacerdotes. Germanus Altisiodorensis, & Lupus Trecasinæ ciuitatis Episcopi, qui ad confirmandam fidem in Britanniam pergere maturarent. Qui cum prompta deuotione preces, & præcepta sanctę Ecclesiæ suscepissent, intrauerunt Oceanum, & licet cũ labore & periculo, decursis in breui pelagi spaciis, optato littore quiete potiuntur. Collecta itaque apud Verolamium synodo, immensa multitudo vitorum etiã cum coniugibus & liberis illuc excitata conuenerat. Aderat populus, expectabatur futurus iudex, astabãt partes dispari conditione cõsimiles, inde diuina fides, hinc humana præsumptio, inde Christus, hinc Pelagius author peruersæ prauitatis. Primo in loco, beatissimi sacerdotes copiam disputandi proponendiq; aduersariis præbuerunt, loquacitatisque garritum euomere permiserunt, qui sola nuditate verborum, diu & inaniter, audientium aures cũ temporibus occuparunt. Deinde antistites venerandi torrentes eloquii, cũ Apostolicis & Euangelicis imbribus, perfuderunt. Miscebatur sermo proprius cum diuino, & assertiones modestissimas lectionum testimonia sequebantur. Conuincitur vanitas, perfidia confusa refutatur, ita, vt ad singulas verborum obiectiones erasse se, dũ nequeunt respondere, confitentur. Populus arbiter vix manus continet, iudiciũ cum clamore contestando. Post diem illũ, ita ex animis omniũ pręstigiosa illa superstitio deleta est, vt sacerdotum &

tum & ipsorum Orthodoxorum doctrinam sitienti desiderio amplexarentur. Compressa itaque peruersitate damnabili, eiusque authoribus confutatis, atque animis omnium fidei puritate compositis,& in vnitate solidatis,sacerdotes autentici beatum Albanum authori Deo per ipsum gratias acturi, petierunt: vt ipsi, cuius certaturi subsidium flagitauerant, gratiarum deuotas, effecti victores, persoluerent actiones. Ad martyris autem perueniens sepulchrum beatus Germanus, omnium Apostolorum diuersorumque martyrum secum reliquias habens, facta oratione, iussit reuelli sepulchrum, precioſa ibidem munera cõditurus,arbitrans opportunum, vt membra sanctorum ex diuersis regionibus collecta quos pares meritis receperat cœlum,sepulchri quoque vnius teneret hospitium. Quib⁹ honorifice depositis ac ordinate sociatis, de loco ipso, vbi martyris effusus erat sanguis,massam pulueris secum portaturus abstulit,in qua apparebat cruor seruatus rubuisse per cædẽ martyris,pallente persecutore. Antistes vero omnib.ad votũ fœliciter cõsummatis,& quę prius dissipata fuerãt,rite ordinatis,ad propria cum gaudio remeauit, Dei ac beati Anglorum protomartyris Albani,cui victoriã ascripsit,gratus acceptor beneficii magnalia prędicãdo. Et his ita gestis, innumera vtriusq; sexus multitudo ad dominũ est cõuersa.

Omnium apostolorum reliquiæ.

Anno gratiæ. 447. cum regis Vortigerni iniquitas, & animi leuitas, omnibus per circuitum nationibus esset diuulgata, insurrexerunt in eum Scoti à Circio,& Picti ab Aquilone, quorum Vortigernus centum concines interemerat,& regnũ Britanniæ acerrima infestatione & labore continuo impugnabant. Nam ferro, flamma, prædis, & rapinis omnia consumentes, gentem peccatricem, quia regio fastui fauebat, contriuerant, & sic plebs simul cum rege contaminata communi percellitur vltione. Et quos de populo miserando hostilis irruptio non attigit, fames prævalida penitus consumpsit, vt sic, quasi inter duas molas, plebs contrita volueretur. Ingruente peste gladius grassabatur adeo quidẽ, vt nec viui sufficerẽt mortuos sepelire. Rex itaq;, cũ populo dẽsolato & bellicis incursionibus fatigato, contra hostiũ irruptionẽ ignarus quid ageret, in desolationẽ inclinauit. Tandẽ omnibus placuit, vt gentẽ Saxonum, de partibus trãsmarinis, in auxilium cõuocarent. Quod diuino nutu dispositum constat esse, vt veniret contra improbos malum, sicut euidentius rerũ exitus comprobauit. Mittũtur interea nuntii, vt, q⁹ prælocutũ est, cõpleatur.

Causa vocationis Anglorum.

Anno gratiæ. 448. Picti cum Scotis aduersum Britones iunctis viribus bellũ susceperunt. Cum vero Britanni partes suas fore impares hostibus iudicarent, sanctorum Antistitum, Germani & Lupi subsidium petierũt. Deniq; cum maior pars exercitus arma capere & bellum parare attentaret: Germanus se ducem prælii futurum pollicetur. Eligit expeditos, circumiecta percurrit,& è regione, qua hostiũ sperabatur aduentus, vallem circũdatã mediis montibus intuetur, quo in loco, ipse dux agminis nouũ exercitũ componit. Et iam aderat ferox hostiũ multitudo, quam appropinquare intuebãtur in insidiis constituti. Tũc subito German⁹ signifer vniuersos admonet & prędicat, vt voci suę vno clamore respondeant. Et sacerdotes, alleluia tertio repetitum, exclamabãt. Sequitur vna vox omniũ, & elatum clamorẽ, repercusso aëre montium cõclusa multiplicant, hostile agmẽ terrore prosternitur,& super se non solum rupes circũdatas, sed etiã ipsam cœli machinam ruere contremiscunt, trepidationiq; iectę vix sufficere pedũ pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma proiiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiã timore prępicites flumen, quod transituri erant, submersos deuorauit. Vltionem suam innocẽs exercitus intuetur,& victoriæ concessæ otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita,& cœlestis palmę gaudia miles religiosus amplectitur. Triũphant Pontifices hostibus sine sanguine cõfusis, triũphant victoria fide obtenta non viribus. Cõposita itaq; insula securitate multiplici, superatisq; hostib⁹ inuisibilibus, vel carne conspicuis, ad propria iterum à quo reuocabantur, reditum moliuntur maturare, quibus tranquillam nauigationem & merita propria, & intercessio beati martyris Albani parauerunt, quietosq; eos suorum desideriis fœlix carina restituit. Meroueus Rex Francorum annis, 10, tunc regnauit.

Bellum non viribus, sed virtutibus obtentum.

Anno gratiæ. 449. gens Anglorum siue Saxonum à Rege Vortigerno inuitata, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur,& in orientali parte insulę locum manendi à rege, quasi pro patria pugnatura, suscepit. Susceperunt ergo locum donantibus Britannis, ea conditione, vt pro patriæ salute & pace contra aduersarios militarent, & ipsi Britanni ipsis militantibus debita stipendia prouiderent. Aduenerunt de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis,& Iutis. De Iutarum origine sunt Cantuarii & Wictuarii. Hæc est ea gens quę Vectam tenet insulam & ea quæ vsq; hodie, in prouincia occidentaliũ Saxonũ, Iutarũ natio nominatur, posita contra ipsam insulam Vectam. De Saxonib⁹ vero ab ea regione, quę nunc antiquorũ Saxonũ natio cognominatur, venere

De aduentu Saxonum in Britanniam.

Saxonum, id est, Westphalia.

venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, & Occidui Saxones. Porro de Anglis, hoc est de illa patria quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore vsque hodie manere desertus inter prouincias Iutarum & Saxonum perhibetur, Orientales Angli, mediterranei Angli, Mercicum Northanhumbrorum gente, quæ ad Boream Humbri fluminis habitat, cæterique Anglorum populi sunt exorti. Duces eorum perhibentur fuisse duo fratres Hengistus & Horsus, qui fuerunt filii Withgisii, cuius pater Witha, cuius pater Wetha, cuius pater Wodem, de cuius stirpe multarum prouinciarum regium genus originem duxit. Cumque tandem in præsentia regis essent cõstituti, quæsiuit ab eis, quam fidem, quam religionem, patres eorum coluissent. Cui Hengistus Deos patrios, scilicet Saturnum, Iouem, atque cæteros, qui mundum gubernant colimus, maxime autem Mercurium, quem lingua nostra Woden appellamus. Huic patres nostri veteres dedicauerunt quartam feriam septimanæ, quæ in hunc hodiernum diem Wodenesday appellatur. Post illum colimus Deam inter cæteras potentissimam, vocabulo Fream, cuius vocabulo Friday appellamus. Frea vt volunt quidam, idem est quod Venus, & dicitur Frea, quasi Froa à frodos, quod est spuma maris, de qua nata est Venus secũdum fabulas, vnde idem dies appellatur dies Veneris. Ad hoc Vortigernus. De crudelitate vestra (potius incredulitas dici potest) vehementer doleo, De aduentu autem vestro gaudeo, quia in tempore congruo vos necessitati meæ, siue Deus, siue alius obtulit. Opprimunt enim me inimici mei vndiq;, & si laborem prælio rum meorum mecum communicaueritis retinebo vos honorifice intra regnum meum, & diuersis munerib. & agris ditabo. Paruerunt illico barbari, & fœdere confirmato in curia eius remanserunt. Eodem anno nunciatum est in Britannia, Pelagianã peruersitatem iterum, paucis authoribus, de nouo pullulasse. Rursusque ad beatum Germanum preces Britannorum deferuntur, vt causam Dei, & belli spiritualis certamen assumere dignaretur. Quorum petitioni festinus obtemperãs, adiuncto sibi Seuero probatæ sanctitatis viro, qui erat discipulus beatissimi patris Lupi, & tunc Treueris ordinatus Episcopus mare cõscendit, & consentientibus elementis, tranquillo nauigio littus attigit Britannorum. Prædicationis igitur antidoto vulnera sanat incredulitatis, & apostema blasphemiæ doctrinæ curat medicina, omniumque sententia prauitatum, cum suis authoribus condemnatur. Factumque est vt in illis locis multo ex eo tempore fides intemerata perduraret. Ita compositis omnibus beati sacerdotes ea qua venerant prosperitate redierunt.

Iterum oritur hæresis Pelagiana.

Vt Vortigernus rex ad bellum prouocatus auxilio Saxonum hostes vicit.

Anno gratiæ. 450. post recessum beatissimorum, à Britannia Pontificum emergentes ex morte Scoti cum Pictis, ex partibus Aquilonis exercitum nimis grandem confecerunt, atque Aquilonares insulę partes cœperunt depopulare. Quod cum Vortigerno fuisset nunciatum, collegit milites, atque trans Humbrum obuiam perrexit nec multum oportuit ciues pugnare. Nam Saxones, qui aderant, tam viriliter præliabantur, vt hostes, qui prius vincere solebant, sine mora in fugam propellerent. Vortigernus ergo per eos victoria potitus, donaria sua ipsis ampliauit, atq; duci eorum Hengisto dedit agros plurimos in Lyndensia, quibus sese suosq; sustentaret commilitones. At Hengistus, cum esset vir astutus, comperta regis amicitia ipsum in hunc sermonem adiuit. Domine mi rex vndiq; inquietant te inimici tui, atq; minantur tibi, dicunt sese conducturos Armoricano tractu Aurelium Ambrosium, vt te deposito ipsum in regem promoueant. Si placet ergo mittamus in patriam nostram, & inuitemus ex ea milites vt numerus noster augeatur. Rex igitur eius consilio ac petitione adquiescens præcepit Hengisto in Germaniam mittere, vt milites ex ea inuitati festinum timiditati suæ conferrent auxilium. Nec mora missa in Germaniam legatione, nuntii reuertentes decem & octo naues electis militibus oneratas detulerunt. Adduxerunt etiam filiam Hengisti, vocabulo Rouwen, cuius pulchritudine Vortigernus illectus, postulauit eam à patre suo. Hengistus vero comperta animi regis leuitate concessit ei filiam suam. Intrauit itaque Sathanas in cor eius, qui cum esset Christianus cum pagana coire desiderabat. Nupsit igitur eadem nocte rex paganæ, quæ vltra modum placuit ei. Vnde procerum & filiorum suorũ incurrit inimicitiam. Genuerat primitus filios ex alia coniuge quorum erant nomina, Vortimerus, Catigernus, & Pascentius. Genuerat etiã ex eadem coniuge filiam, quam in societatem thori suscipiens, filiam ex ea procreauit, vnde à S. Germano & ab omni Episcoporum conuentu est excommunicatus.

De transitu S. Germani.

Eodem anno, vt scripsit Sigisbertus in chronicis suis, S. Germanus ad Rauennam, pro pace Armoricanæ gentis perueniens, & reuerentia à Valentiniano & Placida matre eius susceptus migrauit ad Christum. Cuius corpus honorifico agmine sanctorum ac religiosorum virorum comitatibus, virtute insigni Altisiodoro est delatum. Quo tempore Seuerus presbyter vir miraculis præclarus, destructo idolorum templo, vbi error gentilis centum deos cultura insanissima adorabat, Ecclesiam beati protomartyris Stephani, vt

consecraretur prę foribus Viennę *procurabat. Sed cum reditum beati Germani à Rauenna sustineret, qui se ad dedicationem venturum prædixerat, contigit vt die dedicationis eiusdem antequam officia inchoarentur, beati corpus confessoris Christi germani per Viennam deportatum, in eandē Ecclesiam nouam repausandi gratia portaretur, sicq; viri Dei promissum constat esse impletum. Quæ miracula, quæve virtutum insignia per beatum virum in Britannia Deus operatus est liber de ipsius vita scriptus, legere volentibus indicabit. Beda tamē in historia Anglorum refert, ipsum ab hoc seculo migrasse anno imperii Martiani sexto, qui est annus post hunc octauus.

* *Parabat.*

Philippus presbyter obiit.

ANNO gratiæ. 451. Philippus presbyter, auditor beati Hieronymi, qui de Iob simplici sermone libros edidit, diem clausit extremum.

De concilio Chalcedonensi.

ANNO gratiæ. 452. mortuo Theodosio imperatore, Martianus & Valētinianus, 6. annis imperauerunt. Quorum initio, industria beati Leonis Papæ, Chalcedonense concilium celebratur, vbi Eutyches, cū Dioscoro Alexandrino Episcopo, conuincuntur publice, & damnantur. Erat autem Eutyches abbas Constantinopolitanus, qui Christum post humanam assumptionem negauit existere de duabus naturis, sed solam diuinam in eo asseruit esse naturam.

Vortigernus propter Saxones misit.

ANNO gratiæ. 453. Hengistus, quum Vortigerno filiam suam copulasset, ipsum in hunc modum allocutus est, dicens: audi consilium meum, & inuitemus huc filiū meum Octam cum fratruele suo Abissa. viri enim bellatores sunt, & tibi subdent regiones, quas des eis ad tenuendum de te, quæ sunt in aquilonaribus Britanniæ partibus iuxta murum, inter Deiram & Scotiam, qui detinebunt ibidem impetum barbarorum, & sic citra Humbrum in pace remanebis. Paruit Vortigernus, atque illico, missis legatis, venerunt vocati Octa, Abissa, & Cerditius cum. 300. nauibus armata manu repletis. Quos omnes Vortigernus benigne suscepit, desiderabilibus ditauit donatiuis. Quod cum vidissent Britones, timentes proditionē eorum dixerunt regi vt ipsos ex finibus regni expelleret. Non enim debebant pagani Christianis communicare, quia hoc lex Christiana prohibebat. Imo etiam de coniugio regis detestando murmur resonabat procerum, & querimonia. De quo quidam inuectiue ait, metrice, & eleganter:

Lex connectit eos, amor, & concordia lecti.
Sed lex qualis? amor qualis? concordia qualis?
Lex ex lex, amor odibilis, concordia discors.

Insuper tanta aduentātium multitudo superuenerat, vt indigenis terrori essent, quibus debuerant esse præsidio. At Vortigernus contempsit cōsiliis suorum adquiescere quia super omnes gentes, propter cōiugem suam, eos diligebat.

Deposito Vortigerno rege filius eius successit.

ANNO gratiæ. 454. Magnates, Britanniæ regem Vortigernum penitus deserentes, vnanimiter Vortimerum filium suum in regem sublimauerunt. Qui consiliis eorum, in omnib. adquiescens cœpit expellere barbaros, & insequens eos vsque ad flumen Derewent, vbi victoria potitus est multos trucidauit. Fugit autem cum illis Vortigernus, qui propter vxorem suam quod potuit, quia vxorius erat, auxilium illis impendebat. Tunc Vortimerus victoriam adeptus, cœpit possessiones amissas ciuibus indigenis restituere, ipsosque diligere, ecclesias destructas restaurare, atque viros ecclesiasticos præcipue religiosos, honorare.

Probitas regis Vortimeri.

ANNO gratiæ. 455. qui est annus aduentus Anglorum in Britanniam septimus, gentes Anglorum cum Vortigerno, viribus resumptis, cœperunt iterum Vortimerum, regem Britonum, ad bellum prouocare. Conuenientes autem hinc, & inde apud Aillesford cunei, acriter & diu pugnauerunt. Tandem pondus prælii in Saxones est conuersum, qui & pugnam deseruerunt & campum. Britones vero viriliter insequentes, illorum innumeram multitudinem peremerunt, cæteris autem dispersis, Vortimerus cum victoria ad propria remeauit. Nec multo post Vortimerus, cum fratribus suis, Catigerno & Pascentio, & vniuersæ insulæ populo, Saxonibus bellum indixit. Quibus congregatis, acies disposuerunt ad bellum. Horsus vero frater Hengisti, cui Vortigernus Canciæ prouinciam contulerat & rex à suis conciuibus dicebatur, percussit aciem Catigerni fratris Vortimeri regis tanto impetu, vt ad modum pulueris dispersa dissiparetur. Deinde Catigernum ab equo prostratum interfecit Quod videns rex Vortimerus, frater eius, irruit in eum, & illo interfecto reliquias cohortis suæ ad Hengistū fugauit, totūq; prælii pondus in Hengistū est cōuersum. Et cū probitati Vortimeri resistere nequiuissent, tandem, nō sine magno Britonū detrimento, terga vertetunt. Nam qui nunquam fugerat ante, tunc fatigatus aufugit.

Horso defuncto Saxones Hengistū re-

ANNO gratiæ. 456. Horso defuncto, Saxones Hengistum, fratrem eius, in regnum

Canciæ

gem fecerũt. Cancię ſublimauerũt. Quo etiã anno ter cõtra Britones pugnaſſe legitur. Sed ꝓbitati Vortimeri reſiſtere nõ valens ad inſulã Thanet confugit, vbi quotidie pręlio nauali vexabatur. Tandẽ Saxones cimbas ſuas vix ingreſſi, relictis mulierib⁹ & filiis, in Germaniã redierunt.

Miraculum. Anno gratię. 457. ſanctus Mamertus, Viennenſis Epiſcopus, inſtante ſolennitate vigiliarum dominicæ reſurrectionis, ædes publicas, in vrbe Viennenſium, flammis terribilibus crepuſculo conflagrare conſpexit. Quid multa? Pleno timore populo Eccleſia vacuatur, dũ ſimilem caſum in ſingulis domib. ſinguli metuebant. Perſtitit tamẽ corã altari feſtiuis indutus veſtimentis ſanctus Mamertus, & calore fidei ſuccenſus flumine lachrimarum flammæ compeſcuit poteſtatem. Deſperatione igitur depoſita, reditur ad Eccleſiam, miraculum ſancto viro aſcribentibus vniuerſis.

Vt caput S. Ioannis baptiſtæ reuelatum fuerit. Anno gratię. 458. ſanctus Ioannes baptiſta caput ſuum duobus monachis orientalibus, qui ob orationẽ venerant Hieroſolymã iuxta Herodis quondã habitaculum reuelauit. Quod deinceps Ediſſam Phenicis vrbem perlatum, & digno honore conditum eſt.

Hæreſis Dioſcori pullulat. Anno gratiæ. 459. defuncto imperatore Martiano, Leo maior cum Leone minore 16. annis imperium tenuerũt. Quo etiam tempore, Alexandria & Ægyptus, errore Dioſcori hæretici languentes, immundo repletæ ſunt ſpiritu, caninaq; rabie latrant. Francorum rex Hildericus regnauit annis 26.

De morte Vortimeri regis. Anno gratiæ. 460. Vortimerus rex Britonum & flos iuuenum defunctus eſt, cum quo ſimul ſpes & victoria Britannorum eſt extincta. Diabolus namque in cor nouercę ſuę Rouuen ingreſſus eſt. Illi venenum per quẽdam familiarem ſuum, quo ſubita morte præuentus eſt, & in vrbe Trinouãtum ſepultus, propinauit. Quo defuncto miſit Vortigernus, inſtinctu vxoris ſuæ, in Germaniam propter Hengiſtum, vt veniret in Britanniam priuatim & cum paucis, ne ſi aliter veniret Britones communi impetu ei obuiarent.

Hengiſtus redit in Britanniam, * tribus. Anno gratiæ. 461. Hengiſtus, audito obitu Vortimeri, * quatuor millibus armatorum ſibi ſociatis, in Britanniam eſt reuerſus. Sed cum tantæ multitudinis aduentus Vortigerno principibusque regni nunciatus fuiſſet, indignati ſunt valde, & conſtituerunt eum illis pręliari. Quod cum Hengiſto filia ſua per internũcios clam indicaſſet, gentem patrię, ſub ſpecie pacis, prodere cogitauit miſitque legatos ad regem, dicens, ſe non tantam multitudinem conduxiſſe, vt vel ſibi vel regno aliquã ingereret violẽtiam, ſed æſtimabat Vortimerum adhuc viuere, quem ſuper omnia cupiebat expugnare. Sed quia nunc ipſum eſſe defunctum non hæſitabat, ſeſe & populum ſuum diſpoſitioni ſuę committebat, vt quos optaret, in regno retineret, & reſidui in Germaniam vela retorquerent. Cumque talia regi nuntiarentur, nec non & dies & locus, vt hæc firmarentur, de cõmuni conſenſu præfigeretur, iuſſit rex ciues & Saxones, Kalend. Maii, in pago Ambri conuenire, vt ibidem prædicta firmarentur. Pręcepit autem Hengiſtus cõmilitonibus ſuis, vt vnuſquiſque longũ cultrũ infra caligas haberet, & cum Britones ſecurius colloquium contractarent, vnuſquiſque paratus, facto ſigno Nymet von Seres, aſtantem ſibi Britonem, cultro educto, cito iugularet. Quod ita factum eſt. Hengiſtus vero illico Vortigernum per pallium detinuit. Cæteros autem aſtantes principes nihil talia præmeditantes, circiter quadringentos ſexaginta viros, barones inclytos, & conſules iugularunt. Aderat tunc conſul Claudioceſtriæ, vocabulo Eldol, qui, viſa proditione, arripuit palum, quem forte inuenerat, & quẽcumque illo attingebat, confeſtim confractum ad Tartara dirigebat. Alii caput, alii brachia, alii ſcapulas, quamplurimis etiam crura elidens, terrorem non minimum hoſtibus inferebat: nec prius de eo loco receſſit, donec ſeptuaginta viros conſumpto palo interfeciſſet. Sed tandem cum tantę multitudini reſiſtere nequiuiſſet, diuertit ſe ab illis, atq; ciuitatem ſuam petiuit. Multi hinc & inde ceciderũt. Sed victoriam Saxones habuerunt, quia Britones inermes reſiſtere non potuerunt.

Vt Saxones Eccleſias Britanniæ vaſtauerunt. Anno gratiæ. 462. Saxones, Vortigerno regi mortem comminantes, ligauerunt eum, petieruntque ciuitates ſuas atque munitiones ſuas pro vita. Quibus illico, quidquid affectauerant, conceſſit, vt viuus abſcedere ſineretur. Quod, cum iuramento confirmatum fuiſſet, ſoluerunt eum, atque vrbem Londinenſem primo adeuntes ceperunt. Deinde Eboracum & Lindocolinum, nec non & Wintoniam, quaſq; prouincias deuaſtantes. Ingraſſanteſq; ſubito ciues inuaſerunt, quaſi lupi oues, quas paſtores deſeruerunt. Eccleſias & Eccleſiaſtica omnia ad ſolum vſq; deſtruebant, ſacerdotes iuxta altaria trucidabãt, Sacras ſcripturas igne concremabãt, ſuper ſanctorum martyrum ſepulturas cumulos terrę congerebant: viri religioſi, qui ab hac clade euadere potuerunt, ſpeluncas & nemora loca, atq; deſerta montium & collium prærupta, ſanctorum ſecum reliquias portantes petierunt. Cum ergo tantam cladem inſpexiſſet Vortigernus, inſcius quid contra nefandã gentẽ ageret, receſſit in partes Cãbriæ, & ſeſe in oppidum Genoriũ incluſit. Anno

ANNO gratiæ. 463. pullulauit hæresis Acephalorum, Chalcedonensi concilio repugnantium. Ideo Acephali, id est, sine capite nominantur, quia qui prius illam hæresim introduxit non inuenitur. Hi in Christo duarum substantiarum proprietatem negant, sed vnam naturam in eius persona esse contendunt. *Acephalorũ Hæresis.*

ANNO gratiæ. 464. gens Britonum, in minorem Britanniam, nuncios ad Aurelium Ambrosium & Vterpendragon fratrem eius, qui præ timore Vortigerni illuc missi fuerant, destinantes, postulauerunt obnixius & instanter vt velociter, ex tractu Armoricano, ad illos venientes, Saxonibus & rege Vortigerno expulsis, Britanniæ diadema susciperent. At illi iam adultæ ætatis existentes, iter suum prouide cum nauibus & armatis militibus parauerunt. Quod vbi Vortigerno regi nunciatum fuisset, vocatis Magis suis, quæsiuit ab illis quid sibi in tali euentu foret agendum. Qui respondentes, dederunt ei consilium vt turrim fortissimam ædificaret, quæ ipsum & suos à mortis discrimine tueretur. Peragratis igitur quibusq; prouinciis vt locum congruum inueniret, venit tandem ad montem Erir, vbi locum congruum, vt sibi videbatur, inuenit. Congregatis itaq;, ex diuersis partibus, cæmentariis, iussit construi turrim. At illis à fundamento incipientibus, quicquid vna die operabantur, nocte sequenti tellus absorbebat. Vortigernus vero à Magis causam quærens ruinæ, sciscitabatur quidnam vellet sibi tale portentum. Consuluerunt igitur Magi vt iuuenem sine patre quæreret, vt sanguine ipsius cæmentum & lapides aspergerentur, vt opus inceptum robur firmitatis obtineret. Nec mora, legati mittuntur, ad diuersas prouincias, vt talem iuuenem inuenirent. Venientes, tandem ad vrbem, quæ postea Kaermerdin fuit nuncupata, conspexerunt duos iuuenes litigantes, quorum alter socio improperabat, dicens: Quid mecum contendis fatue? Nunquid tu sine patre natus meæ nobilitati parificari poteris, qui de regio genere ortus, ex vtraq; generis mei parte, clarus resplendeo? At nuncii verbum huius audientes, ceperunt iuuenem cum matre eius, & ad regem illico perduxerunt. Cumq; in præsentia regis essent constituti, cœpit diligenter à matre infantis quærere, quo patre puerum generauit. Ad quem illa. Viuit anima mea domine mi rex, quod cum essem in thalamo regis Demeciæ, patris mei, apparuit mihi quidam in specie pulcherrimi iuuenis, & sæpissime amplectens, oscula mihi multiplicauit. Et cum mecum coisset, subito euanescens recessit. Cumq; ad * me sæpius rediisset, grauidam me tandem reliquit, nec est alter qui iuuenem, istum generaret. Tunc rex supra modum admirans vocauit iuuenem quærens ab eo quo nomine vocaretur. Porro, cum se Merlinum Ambrosium vocari diceret, quæsiuit Merlinus à rege, vt quid ipse, & mater eius ad illius præsentiam fuissent adducti. Cui rex. Magi mei dedere consilium vt iuuenem sine patre perquirerem, cuius sanguine opus meum irroratum firmaretur. Cui Merlinus. Iube Magos tuos coram me venire, & conuincam eos mendacium adinuenisse. Nescientes enim quid sub fundamento sit, per mendacium vobis satisfacere cupiebant. Sed voca operarios tuos & iube terram fodere, & inuenies stagnum sub ea quod opus stare non permittit. Tunc Merlinus ad Magos accedens ait, dicite mihi adhuc vilissimi adulatores quid sub stagno latet? at illi nihil respondentes tacuerunt. At Merlinus conuersus ad regem dixit. Iube hauriri stagnum per riuulos, & in fundo inuenies duos lapides concauos & in illis duos dracones dormientes. Credulus autem rex super verbis illius iussit hauriri stagnum, & admirantibus cunctis reperit verum quod à Merlino dicebatur.

Gaufridus Monumetensis vt hanc gestat fabulam, & S. Guilielmus Neubrigensis grauio hitherto.

* *idipsum.*

ANNO gratiæ. 465. Hilarius sedit in cathedra Romana annis 6. Mensibus tribus, & cessauit sedes diebus decem. Ad cuius petitionem Victorinus paschalem circulum scripsit. 513. annorum. *Victorinus circulũ paschalem scripsit.*

EODEM tempore, cũ sedisset Vortigernus rex Britonũ super ripam exhausti stagni, egressi sunt duo dracones, quorum vnus erat albus, alter vero rubeus. Cumq; alter alteri appropinquasset, commiserunt diram pugnam. Nam igneum fumum exhalantes prævalebat albus, & tandem rubeum vsque ad extremitatem lacus fugabat. At ille, cum se expulsum doluisset, impetum fecit in album ipsumque retroire coegit. Ipsis ergo in hunc modum pugnantibus, præcepit rex Merlino Ambrosio dicere, quid prælium draconũ portendebat. Mox ipse in fletum prorumpens, spiritum hausit prophetiæ, assumptaque parabola ait. *Incipit prophetia Merlini.*

VÆ RVBEO Draconi, nam exterminatio eius festinat. Cauernas ipsius occupabit albus draco qui Saxones quos inuitasti significat. Rubeus vero draco gentem significat Britanniæ, quæ ab albo opprimetur. Montes itaq; eius vt valles æquabuntur, & flumina vallium sanguine manabunt. Cultus religionis delebitur, & ruina Ecclesiarum patebit. Prævalebit tandem oppressa, & sæuitiæ exterorum resistet. Aper etenim Cornubiæ

biæ succursum præstabit,& colla eorum sub pedibus suis conculcabit. Insulæ Oceani potestati ipsius subdentur, & Gallicanos saltus possidebit. Tremebit Romulea domus sæuitiam ipsius & exitus eius dubius erit. In ore populorũ celebrabitur,& actus eius cibus erit narrantibus. Sex posteri eius sequentur sceptrum,sed post ipsos exurget Germanicus vermis, sublimabit illum æquoreus lupus, quem Africana * littora comitabuntur. Delebitur iterum religio, & transmutatio primarum sedium fiet. Dignitas Londoniæ adornabit Doroberniam, & pastor Eboracensis Septimus in Armorico regno frequentabitur. Meneuia pallio vrbis legionum induetur, & prædicator Hyberniæ propter infantem in vtero crescentem obmutescet. Pluet sanguineus imber, & dira fames mortales afficiet. His superuenientibus dolebit rubeus, sed emenso labore vigebit. Tunc infortunium albi festinabit, & ædificia hortulorum eius diruentur. Septem sceptrigeri perimentur, & vnus eorum sanctificabitur. Ventres matrum secabuntur, & infantes abortiui erunt. Erit ingens supplicium hominum, & indigenæ restituantur. Qui faciet hæc, æneum virum induet, & per multa tempora super æneum equum portas Londoniæ seruabit. Exinde in proprios mores reuertetur rubeus draco,& in seipsum sæuire laborabit. Superueniet itaq; vltio tonantis,qa omnis ager colonos decipiet. Arripiet mortalitas populũ,cunctasq; nationes euacuabit. Residui natale solũ deserent,& exteras culturas seminabunt. Rex benedictus parabit nauigiũ,& in aula duodecimi inter bonos vel beatos annumerabitur. Erit miseranda regni desolatio, & areæ messium infructuosos saltus redibunt. Exurget iterum albus draco,& filiam Germaniæ inuitabit. Replebuntur iterum hortuli nostri alieno semine,& in extremitate stagni languebit rubeus. Exinde coronabitur Germanicus vermis, & æneus princeps humiliabitur. Terminus illi positus est, quem transuolare nequibit. Centum namq; quinquaginta annis in inquietudine & subiectione manebit,ter centum vero insidebit. Tũc exurget in illum Aquilo,& flores, quos Zephyrus procreauit, eripiet. Erit deauratio in templis, nec acumen gladiorum cessabit. Vix obtinebit cauernas suas Germanicus draco, quia vltio proditionis eius superueniet. Vigebit tandem pauliſper, sed decimatio Neustriæ nocebit. Populus namque in ligneis equis,ferreis tunicis superueniet, qui de nequitia eius vindictam sumet. Restaurabit pristinis incolis mansiones, & ruina alienigenarum patebit. Germen albi draconis ex hortulis nostris abradetur,& reliquiæ generationis eius decimabuntur. Iugum perpetuæ seruitutis ferent,matremque suam ligonibus & aratris vulnerabunt. Succedent duo dracones,quorum alter inuidiæ spiculo suffocabitur, alter vero sub vmbra nominis redibit. Succedet leo iustitiæ, ad cuius rugitum Gallicanæ turres, & insulani dracones tremebunt. In diebus eius aurum ex lilia & vrtica extorquebitur,& argentum ex vngulis mugientium manabit. Calamistrati varia vellera vestibunt & exterior habitus interiora signabit. Pedes latrantium truncabuntur, pacem habebunt feræ,humanitas supplicium delebit. Findetur forma commertii,dimidium rotundum erit. Peribit miluorum rapacitas,& dentes luporum hebetabuntur, Catuli leonis in æquoreos pisces transformabuntur, & aquila eius super montem Aranium nidificabit. Venedotia rubebit materno sanguine,& domus Corinæi sex fratres interficiet. Nocturnis lachrymis madebit insula,vnde omnes ad omnia prouocabuntur. Vę tibi Neustria,nam in te cerebrũ leonis effundetur, dilaceratisque membris à natiuo solo eliminabitur. Nitentur posteri transuolare superna, sed fauor nouorum sublimabitur. Nocebit possidenti ex impiis pietas,donec sese genitore induerit. Apri igitur dentibus accinctus, cacumina montium & vmbram galeati transcendet. Indignabitur Albania,& conuocatis collaterabilibus,sanguinem effundere vacabit. Dabitur maxillis eius frænum,quod in Armorico sinu fabricabitur. Deaurabit illud aquila rupti fœderis,& tertia nidificatione gaudebit. Euigilabunt rugientes catuli,& postpositis nemoribus infra mœnia ciuitatum venabuntur. Stragem non minimam de obstantibus facient & linguas taurorum abscident. Colla rugientium onerabunt cathenis,& auita tempora renouabunt. Exinde de primo in quartum, de quarto in tertium,de tertio in secundum rotabitur pollex in oleo. Sextus Hyberniæ mœnia subuertet, & nemora in planiciem mutabit. Diuersas portiones in vnum reducet, & capite leonis coronabitur. Principium eius vago affectu succumbet, sed finis eius ad superos conuolabit. Renouabit namq; beatorum sedes per patrias,& pastores in congruis locis locabit. Duas vrbes duobus palliis induet, & virginea munera virginibus donabit. Promerebitur inde fauorem tonantis,& inter beatos collocabitur. Egredietur ex eo lynx penetrans omnia quæ ruinæ propriæ gentis imminebit. Per illam enim amittet vtramque insulam Neustria, & pristina dignitate spoliabitur. Deinde reuertentur ciues in insulam. Nam diffi-

dium

dium alienigenarum orietur. Niueus quoq; ſenex in niueo equo fluuium Peritonis diuertet, & cum candida virga molendinum ſuper ipſum metabitur. Cadwaladrus Conanum vocabit, & Albaniam in ſocietatem accipiet. Tunc erit ſtrages alienigenarum, tunc flumina ſanguine manabunt, tunc erumpent Armorici montes, & diademate Bruti coronabuntur. Replebitur Cambria lætitia, & robora Cornubiæ vireſcent, nomine Bruti vocabitur inſula, & nuncupatio extraneorum peribit. Ex Conano procedet aper bellicoſus, qui infra Gallicana nemora acumen dentium ſuorum exercebit. Truncabit nanq; quęq; maiora robora, minoribus tutelam præſtabit. Tremebunt illum Arabes, & Africani. Nam impetum curſus ſui in vlteriorem Hiſpaniam protendet. Succedet hircus Venerii caſtri aurea habens cornua & argenteam barbam, qui ex naribus ſuis tantam efflabit nebulam, quod tota ſuperficies inſulæ obumbrabitur. Pax erit in tempore ſuo, & vbertate glebæ multiplicabuntur ſegetes. Mulieres inceſſu ſerpentes fient, & omnis greſſus earum ſuperbia replebitur. Renouabuntur caſtra Veneris, nec ceſſabunt ſagittæ Cupidinis vulnerare. Fons vertetur in ſanguinem, & duo reges duellum propter Leęnam de vado baculi committent. Omnis humus luxuriabit, & humanitas fornicari non deſinet. Omnia hæc tria ſæcula videbunt, donec ſepulti reges in vrbe Londinenſi propalabuntur. Redibit iterum fames, redibit mortalitas, & deſalutionem vrbium dolebunt ciues. Superueniet aper commertii, qui diſperſos greges ad amiſſa paſcua reuocabit. Pectus eius cibus erit egentibus, & lingua eius ſedabit ſitientes. Ex ore eius procedent flumina, quæ arentes hominum fauces rigabunt. Exinde ſuper turrim Londinenſem procreabitur arbor, quæ tribus ſolummodo ramis contenta, ſuperficiem totius inſulæ latitudine foliorum obumbrabit. Hinc aduerſarius Boreas ſuperueniet, atque iniquo flatu ſuo tertium illius ramum eripiet. Duo vero reſidui locum exſtirpati occupabunt, donec alter alterum foliorum multitudine adnihilabit. Deinde vero locum duorum obtinebit ipſe, & volucres exterarum regionum ſuſtentabit. Patriis volatibus nociuus habebitur, nam timore vmbrę eius liberos volatus amittent. Succedet aſinus nequitiæ, in fabricatores auri velox, ſed in luporum rapacitatem piger. In diebus illis ardebunt quercus per nemora, & in ramis ilicum naſcentur glădes. Sabrinum mare per ſeptem hoſtia diſcurret, & flutuius Oſcæ per ſeptem Menſes feruebit. Piſces eius calore morientur, & ex eis procreabuntur ſerpentes. Frigebunt Badonis balnea, & ſalubres aquæ eorum mortem generabunt. Londonia necem viginti millium virorum lugebit, & Thamenſis in ſanguinem mutabitur. Cucullati ad nuptias prouocabuntur, & clamor eorum in montibus Alpium audietur. Tres fontes in vrbe Wintoniæ erumpent, quorum riuuli inſulam in tres portiones ſecabunt, qui bibet ex vno diuturniori vita fruetur, nec ſuperueniente languore grauabitur. Qui bibet de altero, indeficiẽte peribit fame, & in facie ipſius pallor & horror ſedebit. Qui bibet de tertio ſubita morte morietur, nec corpus illius poterit ſubire ſepulchrũ: ſed tantum in ingluuiẽ cineres, cinis in aquam, ſi ſuperiecta fuerit, vertentur. Ad hæc, ex vrbe Canuti nemoris eliminabitur puella, vt medelæ curam adhibeat. Quæ, vt omnes arces inierit, ſolo anhelitu ſuo fontes nociuos ſiccabit. Exinde, vt ſeſe ſalubri liquore refecerit, geſtabit in manu ſua dextra nemus Calidonis, in ſiniſtra vero murorum Londinenſium propugnacula. Quocunq; incedit paſſus ſulphureos facit, qui duplici flamma fumabunt. Fumus exortus excitabit Ruthenos, & cibum ſub marinis conficiet, lachrymis miſerandis manabit ipſa, & clamore horrido replebit inſulam. Interficiet eam ceruus decem ramorum, quorum quatuor aurea diademata congeſtabunt, ſex vero reſidui in cornua bubulorum vertentur, quæ nefando ſonitu tres inſulas Britanniæ commouebunt. Excitabitur Daneum nemus, & in humanam vocem erumpens, clamabit: Accede Cambria, & iunge lateri tuo Cornubiam, & dic Wintoniæ, abſorbebit te tellus. Transfer ſedem paſtoris vbi naues applicant, & cætera membra caput ſequantur. Feſtinat namq; dies, qua ciues ob ſcelera periurii peribunt. Candor lanarum nocuit, atq; tinctura ipſarum diuerſitas. Væ periuriæ genti, quia vrbs inclyta propter eam ruet. Gaudebunt naues augmentatione tanta, & vnum ex duobus fiet. Reædificabit eam hericius oneratus pomis, ad quorum odorem diuerſorum nemorũ conuolabunt aues. Adiiciet palatium ingens, & ſexcentis turribus illud vallabit. In vnaquaq; ſtatuetur decurio, qui leges ſubditis dabit. Inuidebit ergo Londonia, & muros ſuos tripliciter augebit. Circuibit eam vndiq; Thamenſis fluuius, & rumor operis tranſcendet Alpes. Occultabit infra illam Hericius poma ſua, & ſubterraneas vias machinabitur. In tempore illo loquentur lapides: & mare, quo ad Galliam nauigatur, infra breue ſpacium contrahetur. In vtraque ripa audietur homo ab homine, & ſolidum inſulæ dilatabitur. Reuelabuntur ſecreta ſubmarinorum, & Gallia præ timore tremiſcet. Poſt hæc, ex Ca-

laterio nemore procedet ardea, quæ insulam per biennium circumuolabit. Nocturno clamore conuocabit volatilia, & omne genus volucrum associabit sibi, in culturas mortalium irruent & omnia grana messium deuorabunt. Sequetur fames populum, atque dira mortalitas famem. At cum calamitas tanta cessauerit, adibit detestabilis ales vallem Galabes, atq; eam in excelsum montem leuabit. In cacumine quoq; ipsius plantabit quercũ, atq; intra ramos nidificabit, tria oua procreabuntur in nido, ex quib. vulpes, lupus, & vrsus, egrediẽtur. Deuorabit vulpes matrẽ, & asininum caput gestabit. Monstro igitur assumpto terrebit fratres suos, ipsosq; in Neustriam fugabit. At ipsi excitabunt aprum detonsum in illa, & nauigio reuecti cum vulpe congredientur. Quæ, cum certamen inierit, finget se defunctam, & aprum in pietatem mouebit. Mox adibit ipse cadauer, & dum superstabit anhelabit in oculos eius & faciem. At ipsa non oblita prẽteriti doli mordebit sinistrum pedem eius, totumq; à corpore auellet. Saltu quoq; facto eripiet ei dexteram aurem & caudam, & infra cauernas montium delitebit. Aper ergo illusus requiret lupum & vrsum, vt ei amissa membra restituant. Qui vt causam inierint, promittent ei duos pedes & aures & caudam, & ex eis porcina membra component. Adquiescet ipse, promissamq; restaurationem spectabit. Interim descendet vulpes de montibus & se in lupum mutabit, & quasi colloquium habitura cum apro adibit illum callide, ipsumque totum deuorabit. Exinde transuertet se in aprum, & quasi sine membris, expectabit Germanos, sed & ipsos postquã aduenerint subito dente interficiet, atq; capite leonis coronabitur. In diebus eius nascetur serpens, qui neci mortalium imminebit, longitudine sua circuibit Londoniam, & quosq; prẽtereuntes deuorabit. Bos montanus caput lupi assumet, dentesq; suos in fabrica Sabrinæ dealbabit. Associabit sibi greges Albaniæ & Cambriæ, qui Thamesim potando siccabunt. Vocabit asinus hircum prolixæ barbæ, & formam ipsius mutabit. Indignabitur ergo montanus, vocatoq; lupo cornutus taurus in ipsos fiet. Vt autem sæuitiæ indulserit, deuorabit carnes eorũ & ossa. Sed in cacumine Vriani cremabitur. Fauillæ rogi mutabuntur in cygnos, qui in sicco sicut in flumine natabunt. Deuorabunt pisces in piscibus, & homines in hominibus conglutient. Superueniente vero senectute efficientur submarini luces, atq; submarinas insidias machinabuntur. Submergent naualia, & argentum non minimũ congregabunt. Fluctuabit iterum Thamesis, conuocatisq; fluminibus vltra metas aluei procedet, vrbes vicinas occultabit, oppositosq; montes subuertet, adhibebit sibi fontẽ Galabes dolo & nequitia repletũ. Oriente ex eo seditiones, prouocãtes Venedotos ad plia. Conuenient nemorũ robora, & cum saxis Gewiseorũ congredientur. Aduolabit coruus cũ miluis, & corpora peremptorũ deuorabit. Sup muros Claudiocestriæ nidificabit bubo, & in nido suo procreabitur asinus. Educabit illũ serpens Maluerniæ, & in plures dolos cõmouebit. Sumpto diademate transcendet excelsa, & horrido racanatu populũ patriæ terrebit. In dieb. eius titubabunt montes Pachacii, & prouinciæ nemorib. suis spoliabũtur. Superueniet namq; vermis ignei anhelitus, q emisso vapore cõburet arbores. Egredientur ex eo septẽ leones capitibus hircorum turpati: fœdore nariũ mulieres corrumpẽt, & proprias communes facient. Nescict pater filium proprium, quia more pecudum lasciuient. Superueniet itaque gigas nequitiæ, qui oculorum acumine terrebit vniuersos. Exurget in illum draco Wigorniæ, & eum exterminare conabitur, facto autem congressu superabitur draco, & nequitia victoris opprimetur. Ascendet namque draconem, & exuta veste insidebit nudus. Feret illum ad sublimia draco, erectaque cauda verberabit nudatum. Resumpto iterum vigore gigas, fauces illius cum gladio confringet. Implicabitur tandem sub cauda sua draco & venenatus interibit. Succedet post illum Totonesius aper, & dira tyrannide opprimet populum. Eliminabit Claudiocestria leonem, qui diuersis præliis inquietabit serpentem. Conculcabit eum sub pedibus eius, apertisque faucibus terrebit. Cum regno tandem litigabit leo, & terga nobilium transcendet. Superueniet taurus litigio, & leonem dextro pede percutiet. Expellet eum per regni diuersoria, sed cornua sua in muris Exoniæ confringet. Vindicabit leonem vulpes Kaerdubali, & totum suis dentibus consumet. Circumcinget eam Lindecolinus coluber, præsentiamq; suam draconibus multis horribili sibilo testabitur. Congredientur dracones, alter alterum dilaniabit. Opprimet alatus carentem alis & vngues venenatas in genas configet. Ad certamen cõueniẽt alii, & alius aliũ interficiet. Succedet quintus interfectis, residuosq; diuersis machinationibus confringet. Transcendet dorsum vnius cum gladio, & caput à corpore separabit. Exuta veste ascẽdet alium, & dexterã caudæ læuamq; iniiciet. Separabit eũ nudus, cum nihil indutus profecerit. Cæteros à dorso tormentabit, & in rotunditatem

regni,

regni compellet. Superueniet leo rugiens immani ferocitate timendus. Ter quinq; portiones in vnum reducet, & solus possidebit populum. Splendebit gigas calore niueo, & candidum populum germinabit. Delitiæ principes eneruabunt, & subditi in belluas mutabuntur. Orietur in illis leo humano cruore turgidus, supponetur ei in segete falcifer, qui dū laborabit mente, opprimetur ab illo. Sedabit illos Eboracensis auriga, expulsoq; domino in currum, quē ducit ascendet. Abstracto gladio minabitur Orienti, & rotarum suarū vestigia replebit sanguine. Fiet deinde piscis in æquore, qui sibilo serpentis reuocatus coibit cum illo. Nascentur inde tres tauri fulgurantes, qui consumptis pascuis conuertentur in arbores. Gestabit primus flagellum vipereum, & à post genito dorsum suum conuertet. Nitetur ipse ei flagellum eripere, sed ab vltimo corripietur. Auertent mutuo à sese facies, donec venenatum cyphum proiecerint. Succedet ei colonus Albaniç. cui à dorso imminebit serpens. Vacabit ille tellurem subuertere, vt patriç segetibus candeant. Laborabit serpens venenum diffundere, ne herbæ in messes proueniant. Lethali clade deficiet populus, & mœnia vrbium desolabūtur. Dabitur in remedium vrbs Claudii, quç alumnam flagellantis interponet. Stateram namq; medicinæ gestabit, & in breui renouabitur insula. Deinde duo consequentur sceptrum, quibus cornutus draco ministrabit. Aduenier alter in ferro, & volantem equitabit serpentem. Nudato corpore insidebit dorso, & dexteram caudæ iniiciet. Clamore ipsius excitabuntur maria, & timorem secundo iniicient. Secundus itaque sociabitur leoni, sed exorta lite congressum facient. Mutuis cladibus succumbent mutuo, sed feritas belluæ prævalebit. Superueniet quidam in tympano & cithara, & demulcebit leonis feritatem. Pacificabuntur igitur nationes regni & leonem ad stateram prouocabunt. Locata sede appensas studebit, sed palmas in Albaniam extendet. Tristabuntur ergo Aquilonis prouinciç, & ostia templorum reserabunt. Signifer lupus conducet turmas, & Cornubiam cauda sua circumcinget. Resistet ei miles in curru, qui populum illū in aprum mutabit. Vastabit igitur aper prouincias, sed in ꝓfundo Sabrinæ occultabit caput. Amplexabitur homo leonem in humo, & fulgor auri oculos intuentium excæcabit. Candebit argentum in circuitu, & diuersa torcularia vexabit. Impositoꝙvino, inebriabuntur mortales, postpositoque cœlo in terram respicient. Ab eis vultus auertent sydera, & solitum cursum confundent. Arebunt segetes his indignantibus, & humor conuexi negabitur. Radices & rami vices mutabunt, nouitasq; rei erit in miraculum. Splendor Solis electro Mercurii languebit, & erit horror inspicientibus. Mutabit clypeum Stilbon Archadiæ, vocabit Venerem galea Martis. Galea Martis vmbrā conficiet, transibit terminos furor Mercurii. Nudabit ensem Orion ferreus, vexabit nubes Phœbus æquoreus, exibit Iupiter licitas semitas, & Venus deseret statutas lineas. Saturni syderis libido corruet, & falce recurua mortales perimet. Bis senus numerus domorum syderum deflebit hospites ita transcurrere. Commutabunt Gemini complexus solitos, & vrnam in fontes prouocabunt. Pensa Libræ ex obliquo pendebunt, donec Aries recurua cornua supponat. Cauda Scorpionis procurabit fulgura, & Cancer cum Sole litigabit. Ascendet Virgo dorsum Sagittarii, & flores virgineos obfuscabit. Currus Lunæ turbabit zodiacum, & in fletum prorumpent Pleiades. Officia iam nulla redibunt, sed clausa ianua in crepidinibus Adrianne delitebit. In ictu radii exurgent æquora, & puluis veterum renouabitur. Confligent venti diro sufflamine, & sonitum inter sydera conficient.

De reditu Aurelii in Britanniam.

Cvmqve in hunc modum diu prophetasset Merlinus, quasi in extasim & summā admirationem commouit vniuersos, diuersis diuersa de eo sentientibus. Dicebant namque nonnulli illum Pythonicum spiritum exhausisse, & more dęmonum obscure & amphibologice ænigmatizasse exemplo Balaam, aliis aliter affirmantibus. Vortigernus igitur exitum suum scire desiderans, rogauit iuuenem sibi dicere quod sciebat. Ad quē Merlinus: Ignem filiorum Constantini diffuge si vales. Nam gentem subiugabunt Saxonum, & teipsum infra oppidum Genorium inclusum comburent. Rubebunt sanguine Saxonum facies, & interfecto Hengisto Aurelius Ambrosius coronabitur. Nec mora, cum crastina dies illuxisset, applicuit Aurelius Ambrosius cum fratre suo Vterpendragon, cum innumera manu armatorum. Conuenerunt itaque Britones vndique dispersi, & conuocato regni clero Aurelium in regem erexerunt. Sublimatus autem, Ecclesias ad solum vsque destructas, vt potuit, reparare vacauit. Erat largus in muneribus dādis, sedulus in diuinis obsequiis, modestus, mendaces cum suis adulationibus postponens, pede fortis, equo fortior, & ad regendum militares exercitus peritus. Talibus insignitus virtutibus, celebris & famosus longinquis etiam regionibus habebatur.

Vortigernus incendio periit.

ANNO gratiæ.466.cum Britanni regem Aurelium cohortarentur vt in Saxones impetum faceret,dissuasit rex. Nam prius voluit persequi Vortigernum, deinde exercitum in Cambriam dirigens,oppidum Genorium petiuit. Vt igitur ad illud peruenit, proditionis patri & fratri illatæ reminiscens,astantibus ait: Respicite duces nobilissimi, huius turris mœnia Vortigernũ protegere si possunt,qui fertilem patriã deuastauit,sacras Ecclesias destruxit,& Christianitatem fere à mari vsque ad mare deleuit, & quod magis dolendum censeo patrem meum & fratrem prodidit.

NVNC ciues nobilissimi viriliter agite,& vindicate vos prius in illum,per quem hęc omnia acceſſerunt,& deinde arma vertamus in hostes. Nec mora diuersis machinationibus adhibitis,mœnia diruere nituntur. Postremo cum cætera defecissent, adhibuerunt ignem, qui cum alimentum suscepisset non cessauit donec turrim & Vortigernum combussit.

Sanctus Theodorus multis clarus virtutibus,emicuit.

ANNO gratiæ. 467. Theodorus Episcopus ciuitatis, quæ à Cyro Persarum rege cõdita,Cyriæ nomen accepit,vir in diuinis scripturis ad perfectum eruditus in Ecclesia clarissima columna refulsit.

Alaricus rex Gothorũ interficitur.

ANNO gratiæ. 468. Clodoueus rex Francorum,milliario 10. ab vrbe Pictauis, Alaricum regem Gothorum interfecit. Cuius filius Almaricus euadens, in Hispaniam fugit.

Clodoneus Aquitaniam subiugauit.

ANNO gratiæ. 469. Clodoueus rex Tholosam,Santonas omnemq; terram Aquitanicam subiugauit, & Gothos Arrianos inde expellens, Francos ibi catholicos habitare fecit.

Siluianus claret.

ANNO gratiæ. 470. Siluianus presbyter apud Massiliã scripsit ad Claudianum presbyterum Viennensem, librum vnum expositionis extremæ partis in Ecclesiasten.

Simplicius papa.

ANNO gratiæ. 471. Simplicius sedit in cathedra Romana annis 15. Mense vno, diebus 6.

Hilarius habetur insignis.

ANNO gratiæ.472.Hilarius Arelatensis Ecclesiæ præsul, vir Elemosinarius & pauperrtatis amator,in scripturis diuinis doctor emicuit.

Aurelius Ambrosius cum Hengisto pugnauit.

ANNO gratiæ. 473. Aurelius Ambrosius,Hengistum & Osricum filium suum cognomento Æsc in Cancia ad bellum prouocans, duodecim cuneos Britonum ordinauit in loco qui postea Wipedeflete dicebatur, vbi diu & acriter ex vtraq; parte pugnantes, sanguinem non minimum perfuderunt, sed victoria dubia & adeo lachrymabilis fuit, quod multo postea tempore,nec Saxones fines Britonum,nec Britanni Canciam intrare præsumerent. Saxones vero quendam principem magnum Wiped appellatum,ibidem inter cæteros amittentes,locum belli ad memoriam ipsius Wipedeflete vocauerunt.

Claudianus claret.

ANNO gratiæ.474.Claudianus presbyter Viennensis, vir in rebus Ecclesiasticis ad disputandum subtilis floruit.

Prosper contra Eutychen Epistolam scripsit.

ANNO gratiæ. 475. Prosper Aquitanicæ regionis, aduersum Eutychen dictauit Epistolas de vera incarnatione Christi, & libero arbitrio male sentientem.

Miraculum laudabile.

ANNO gratiæ.476.Hilarius vrbis Romæ Episcopus, probibuit ne Clerici laicali habitu vterentur, presbyteris etiam concubinas suas interdixit. Eodem tempore,dum Clodoueus rex Francorum cõtra Alemannos confligeret, & eius grauiter exercitus læderetur, eleuatis in cœlum oculis,dixit:Domine Iesu Christe,quem vxor mea Chrothildis colit, tuam opem deuotus efflagito. Quod si mihi in hoc certamine victoriam dederis, de cætero credam in tuo nomine baptizatus. Quod cum dixisset Alemanni in fugam coacti sunt,& rex cum triumpho ad patriam remeauit. Tunc,accersito sancto Remigio,baptizatus est cum omni gente sua. Ad cuius consecrationem cum moram faceret minister sanctum chrisma ad manum Episcopi baiulare,cumq; comprimente turba nec adhuc veniret,moleste tulit illud Episcopus, orauitq; ne mora dispendium generaret. Et ecce chrismatica inunctio, in vasculo mirabili,de cœlis allata est ei Angelico ministerio, quod vsq; in præsentem diem in Ecclesia Remensi reseruatur. Quo etiam miraculo abundanti, reges Francorum inungendi consecrantur.

Zeno imperator.

ANNO gratiæ. 477. Zeno Romanum suscipiens imperium, annis 17. regnauit.Eodem anno Ella dux & tres filii eius, Cymen, Plentingus, & Cissa,in Britanniam veniẽtes, in loco qui postea à Cymene Cymenshoara, id est, portus Cymenis dicebatur,applicuerunt. Egredientibus autem illis innumera Britonum turba conuolarunt,& bellum ilico inierunt.Sed Britones campum deserentes, ad proximum nemus, quod Andredesvvold dicebatur fugati sunt. Saxones vero littora maris in Suthsexia occupantes, magis magisq; sibi regionis illius spacia subiugarunt.

AN-

ANNO gratiæ. 478. Zenone imperatore Leonem filium suum quærente interficere, mater eius pro eo alium ei similem obtulit, qui postea in clericatu vsque ad Iustiniani tempora perdurauit. *Materna pietas.*

ANNO gratiæ. 479. corpus sancti Barnabæ Apostoli, & Euangelium Matthæi eius stylo conscriptum, ipso reuelante, repertum est. *Corpus sancti Barnabæ repertum est.*

ANNO gratiæ. 480. Odoacer rex Gothorum Romam obtinuit, quam ex eo tempore reges eorum diutius tenuerunt. *Odoacer rex*

ANNO gratiæ. 481. Theodoricus rex Gothorum vtramq; Macedoniã Thessaliamq; depopulatus est, & Italiam infestus occupauit. *Theodoricus rex.*

ANNO gratiæ. 482. Honoricus Arrianus, rex Wandalorũ exulatis in Africa † 300. & tribus Episcopis Catholicis, Ecclesias eorum clausit, plebemq; variis affecit suppliciis, & innumeram multitudinem pro fide veritatis peremit. Manus linguasq; Orthodoxorum præcidens multorum martyrum millia effecit. † 334.

ANNO gratiæ. 483. Clodoueus, rex Francorum, Regnacarium propinquum suum, & fratrem eius Farronem cepit & interfecit. *Clodoueus in consanguineos sæuit.*

ANNO gratiæ. 484. Timotheus, extincto ab Alexandrinis Protherio, aut voluit aut passus est, ab vno Episcopo, in loco occisi Episcopi sese ordinari. *Cupiditas Timothei.*

ANNO gratiæ. 485. Britones, duce Aurelio Ambrosio, conuenerunt ad pugnam apud Mercredesburne contra Ellam & filios suos, & cum diu & acriter pugnam commisissent, Ella cum filiis suis, non sine dispendio Britonum, campum deseruit. Misit igitur Ella in patriam suam, maiorem quærens copiam armatorum, *Bellum contra Ellam.*

ANNO gratiæ, 486. Fœlix sedit in cathedra Romana annis octo, mensibus 11. diebus 17. & cessauit sedes diebus 5. *Fœlix papa.*

ANNO gratiæ. 487. Aurelius Ambrosius, maxima Britonum multitudine collecta, Saxones ad pugnam prouocare disposuit. Exercitum itaq; suum versus Aquilonem dirigens, Hengistum cum suis Saxonibus trans Humbrum inuenit. Hẽgistus vero cum aduentum ipsius comperisset audacter ei obuiam ibat, & in campo qui Maysbely vocabatur, quo Aurelius erat transiturus subitum atq; furtiuum impetum facere affectans, Britones non præmeditatos disposuit occupare. Quod tamen Aurelium nõ latuit, nec idcirco campum distulit adire, vbi dispositis militaribus vtrobiq; legionibus, congrediuntur acies, cruoremq; non minimum hinc & inde diffundentes, stragẽ maximam peregerunt. Hinc Britones, hinc Saxones, variis casibus vulnerati gladio consumuntur. Demum cum Hengistus socios suos succumbere vidit Britannosq; valere, confestim diffugit, atq; oppidum Kaerconan, quod nunc Cuningeburg appellatur, petiuit. Sciens vero quod omne tutamẽ suum in gladio & hasta consisteret, oppidum intrare noluit, quia illud Aurelio resistere non æstimauit. Insequitur eum Aurelius & quoscumq; in itinere reperiebat amputatis capitibus ad Tartara destinauit. Potitus itaq; victoria Aurelius, Deum cœli ex intimo cordis affectu glorificauit, qui sibi de hostibus concessit triumphare. *Aurelius Saxones ad pugnam prouocans gloriosam victoriam adeptus est.*

ANNO gratiæ. 488. Aurelius Ambrosius, cum p Britanniam hostes quærendo transitum faceret, inuenit Ecclesias ad solum vsq; destructas, vnde vehementer condoluit. Accersitis itaq; artificibus cæmentariis & lignariis, ædificia diuina reparare curauit. Dispositis ergo in eis presbyteris, & clericis, diuinum obsequium ad statum debitum reuocauit. At vbi prophana deorum templa & idola inuenit, à memoria hominum de sub cœlo funditus deleuit vniuersa. Iustitiam & pacem Ecclesiis & viris Ecclesiasticis obseruare studuit & præcepit, multa conferens eis, ex regia munificentia, cum reditibus amplis beneficia, & orare pro regno & Ecclesiæ statu omnibus imperauit. *Aurelius fana destruens, Ecclesias destructas iubet restaurari.*

ANNO gratiæ. 489. Aurelius Ambrosius, Epistolas ad vniuersos Britanniæ fines dirigens, præcepit vt omnes qui potuerunt arma mouere ad eum quantotius conuenirent, & paganos exterminare à Britanniæ finibus non cessarent. Congregatis igitur omnibus, promouit exercitũ Aurelius versus Aquilonem, & Hengistum cum Saxonibus super flumen, quod Don appellatur, aciebus ad bellum instructis, inuenit. Quid multa? Concurrentibus hinc inde cæteruis, acerrimam pugnam commisere, cruorem non minimum diffundentes. Dumq; in hunc modum diutissime decertassent, Dux Claudiocestriæ Eldol, cui ardens inerat desiderium cum Hengisto gradiendi, cum phalange cui præerat, cuneos penetrans, cepit Hengistum per nasale cassidis, summisq; vtens viribus ipsum infra conciues suos pertraxit. Desiderium meũ (inquit) hodie adimpleuit Deus. Victoria enim nobis in manu Dei est. Diffugerunt itaq; Saxones quo impetus quemq; ducebat, quos Aurelius insequens, viriliter trucidauit. Octa vero, filius Hengisti, cum maiori multitudine *Aurelius Hengistum bello victum cepit, & decapitari præcepit.*

dine Eboracum adiuit, Eosa autem & alii multi vrbem Alclud petierunt. Vt igitur triumphauit Aurelius cepit vrbem Conani, & ibidem tribus diebus moratus est. Post hæc, conuocatis ducibus, præcepit decernere quid de Hengisto fieri debuisset. Surgens itaq; Eldadus, Episcopus Claudiocestrensis, & frater Eldol Ducis, iussit omnes tacere, & ait frendens præ ira. Etsi omnes istum liberare vellent, ego eum in frusta concidam. Quid hæsitatis effœminati? Nonne Samuel propheta cum regem Amalech, in bello captum, membratim concidisset, ait? Sicut fecisti matres sine liberis, sic faciam matrem tuam esse sine liberis hodie inter mulieres. Similiter facite de isto altero Agag, qui multas matres suis orbauit filiis. His dictis Eldol educto gladio duxit eũ extra vrbem, & amputato capite ad Tartara destinauit. Successit ei Osric filius eius, cognomento Æsc, super gentem Saxonum in Cancia, à quo reges Canciæ vsq; hodie Aeskynges vocantur. Dederat namq; Vortigernus prouinciam illam Hengisto pro filia sua, vt superius est relatum: & sic eam annis viginti quatuor, quasi iure hæreditario, possidebat.

Vt Octa misericordiam impetrauit.

Anno gratiæ. 490. Aurelius Ambrosius exercitum suum duxit Eboracum, vt Octã filium Hengisti expugnaret. Cumq; ciuitatem obsedisset, timuit Octa vrbem contra multitudinem retinere. Communicato itaq; salubri consilio, egressus est cum nobilibus qui secum erant, & se suosq; in hæc verba præsentauit. Victi sunt dii mei Deumq; tuum regnare non hæsito qui tot nobiles ad te venire compellit. Accipe ergo nos, & nisi misericordiã adhibueris, habe nos ligatos & ad quodcunq; supplicium paratos. Motus igitur pietate Aurelius misericordiam habuit de eis. Exemplo etiam Octæ venit Eosa cæteriq;, qui diffugerant, misericordiã impetrantes. Dedit ergo eis regionem prope Scotiam, & fœdus cũ eis confirmauit. Deinde porrexit ad monasterium Ambri, prope † Kaerbaradot, quæ nũc Saresburia dicitur vbi principes defuncti iacebant, quos Hengistus prodiderat, & pietate motus in lachrymas resolutus est. Deliberans ergo apud se vt locum, quo tot nobiles iacebant, memorabilem faceret, misit Merlinum vatem diligenter quærere, vt consilio ipsius, quod desiderabat, adimplere potuisset. Vt autem Merlinus ad regis præsentiam esset perductus, exposuit ei de morte nobilium memoratorum quomodo prodiderant eos Saxones, & quod voluit locum honore debito venerari. Tunc Merlinus, aliquantulum in extasi mentis positus, tandem respondit, dicens: Si volueris, domine mi rex, opere perpetuo sepulturam eorum decorare, mitte pro chorea gigantum, quæ est in Killardo, monte Hyberniæ vbi talis est lapidum structura, qualẽ nemo huius ætatis oculis prospexit. Grãdes enim sunt & mirabiliter collocati, qui, si sic hoc loco disponantur, stabunt in æternum, memorabile funus prædictum repræsentantes. Adhæc Aurelius in risu solutus Merlino respondit. Nunquid lapides Hyberniæ meliores sunt istius lapidibus regionis, vt ex tam longinquo in Britanniam veherentur? Ad quem Merlinus: Ne vanum rex moueas risum. Nam mystici sunt lapides, & ad diuersa medicamenta salubres. Gigantes eos olim asportauerunt ex vltimis finibus Africæ, vt illic balnea infra ipsos conficerent cum variis infirmitatibus grauarentur. Lauabant namq; lapides variis herbarum confectionibus & fundebant in balnea, quibus curabantur ægrotantes. Nec est lapis qui careat medicina. Cumque hæc audissent Britones, pro lapidibus mittere decreuerunt. Eligitur igitur Vterpendragon frater regis, cum quindecim millibus armatorum, qui si ab aliquo impedirentur, prælio ereptos lapides asportarent. Eligitur etiam Merlinus, vt ipsius ingenio & consilio omnia consummarentur. Paratis igitur nauibus mare ingrediuntur, & velis prosperis in Hyberniam peruenerunt. Cumq; Gillomannius rex Hyberniæ aduentus eorum & causam cognouisset, astantibus dixit. Armate vos viri, armate, quia dum mihi inerit non auferent à nobis etiam minimum choreæ lapillum. Nec mora congrediuntur partes, sed victoria cessit Britonibus. Deinde Killardum montem adeuntes, structuram lapidum in vanum deponere nitebantur. Deficientibus autem cunctis subrisit Merlin', suasq; machinationes cõficiens, leuius q̃ credi potest lapides deposuit, nauibusq; imponens, cum gaudio in Britanniam perduxit. Quod cum Aurelio indicaretur, venit cum Episcopis & Abbatibus & aliis magnatibus in montem Ambri, vbi die Pentecostes coronam portauit, & duabus Ecclesiis metropolitanis pastores instituit, concedens sedẽ Eboraci sancto Sampsoni viro illustri, Dubritio quoq; vrbem Legionum. Cumq; talia ibidem peregisset, præcepit Merlino lapides circa sepulturam nobilium erigere, qui præceptis eius obediens, eodem modo quo in Killardo monte positi fuerant, mirabiliter collocauit. Eodem anno, Idatius Libitanæ Hispaniarum vrbis Episcopus, chronica sua à primo Theodosii consulatu inchoata hucusq; perduxit. Gennadius etiam de viris illustribus librum suum hoc anno terminauit.

† *Kaercarre.*

Anno

ANNO gratię. 491. Sanctus Patricius secundus Hyberniæ Archiepiscopus, anno ætatis suæ 122. in domino quieuit. De cuius sanctitate & miraculis multa leguntur insignia. Nam per annos 40. prædicabat virtutes Apostolicas, dum cæcos illuminabat, surdos audire faciebat, dæmonia ab obsessis corporibus fugabat, incarceratos propriis sumptibus redemptos liberabat, mortuos nouem diuina virtute præditus suscitabat. Abgetoria quoq; 345. & eo amplius scripsit, totidem Episcopos ordinauit, presbyteros autem mille, necnon & 12. millia hominum in regione Connacta ad fidem Christi conuertit. Reges autem 7. qui erant filii Amolgith, in vno die baptizauit 40. autem diebus totidemque noctibus in cacumine collis Hely ieiunauit, vbi tres petitiones pro his Hybernensibus qui fidem Christi susceperant fecit. Primo petiit vt vnusquisq; susciperet pœnitentiam, licet in extremo statu vitæ. Secundo ne ab infidelibus consumeretur in æternum. Tertio ne superuiuat aliquis Hybernensium in aduentu iudicis, quia delebitur per orationem sancti Patricii septem annis ante iudicium. In illo autem colliculo benedixit populum Hyberniæ, & ideo ascendit vt oraret pro eis, & videret fructum laboris sui. Venerunt etiam ad eum ibi aues multicoloris innumerabiles vt benediceret eas, quæ, ad interpretationem sancti, significant omnes sanctos vtriusque sexus Hybernensium peruenire ad eum in die iudicii ad patrem & magistrum suum, vt sequantur illum ante Deum. Quatuor autem modis coæquantur Moyses & Patricius. Primo, angelo sibi colloquente in rubo igneo. Secundo, quod in monte 40. diebus & noctibus ieiunauit. Tertio, quod similes fuerunt ætate 122. Quarto, quod sepulchrum eius non inuenitur, sed in occulto humatus est nemine sciente. In pueritia autem cum esset natione Hybernensis à patre suo, cum duabus sororibus suis, in Scotiam venditus est cuidam homini, qui Cuulcu dicebatur, & porcarius eius erat. Deniq; 17. ætatis suæ anno à captiuitate ad patriam suam reuersus est, & nutu Dei sacris literis eruditus, atque tandem Romam veniens, ibidem tempus suum protrahebat donec eruditior haberetur. Sanctasq; percurrens scripturas diuina mysteria penetrauit. Dumq; ibidem moraretur, missus est Palladius Episcopus à Papa Cœlestino ad Scotos, ad Christum conuertendos. Qui primo verbum Dei in Scotia prædicans, tandē ad Britanniam peruenit, & in terra Pictorum defunctus est. Audita vero morte Palladii, Patricius, Theodosio & Valentiniano imperantibus, à Papa Cœlestino, ad partes occiduas missus est, vt vexillum sanctæ crucis gentibus prædicaret. Cumq; ad Britanniam peruenisset, prædicauit ibi verbum Dei, & à gentibus incolis gratanter est susceptus. Deinde ad Scotos se conferens, prædicauit verbum Dei, quod non potuit alligari. Tandem à Matthæo Archiepiscopo ad Episcopalem gradum promotus, hoc nomen Patricii in ordinatione suscepit, qui Nannus antea vocabatur. Ordinati sunt etiam cum eo Ansilius & Iserninus, & cæteri nōnulli ad ordines inferiores, vt sub ipso duce Deo militarent. Tunc accepta benedictione in nomine sanctæ trinitatis, nauem ascendit, & perueniens ad Britanniæ insulam, prædicauit ibi multis diebus. Deinde ad Hyberniam succinctus ad Euangelium, cum thesauris spiritualibus transcendens baptizauit eos, multos Deo lucrifaciens, & annis ibi octoginta Euangelizans, vbi tandem ad culmen religionis prouectus, plenus dierum, & virtutum signis clarus multimodis, quieuit in Christo.

De sancto Patricio Hybernensi.

ANNO gratiæ. 492. Ella, qui regionem Australium Saxonum, vt supra dictum est, occupauerat, venit ex partibus Germaniæ, militare adducens subsidiū, cuius fretus auxilio Andredcestriam vrbem munitissimam obsedit. Quo audito conuenerunt vndiq; Britones ad modum examinis apum, & assilientibus Saxonibus, à tergo semper assistentes cū viris sagittariis, hostes acriter infestabant. Dimissis ergo mœnibus, pagani gressus & arma dirigebant in eos. Ad Britones pedum velocitate, & corporum agilitate illis præstātiores, syluas petebant, atque iterum ad mœnia tendentibus paganis, rursum à tergo infestabant. Hac arte Saxones diutius fatigati, stragem non minimam sunt perpessi. Tunc Saxones exercitum in duas partes diuidentes partem vnam mœnibus ciuitatis, alteram, ad debellandos Britones assignarunt. Ciues vero diuturna fame fatigati & macerati, cum iam pondus infestantium paganorum diutius ferre nequiuissent, omnes in ore gladii perierunt, ciuitatemq; hostes funditus deleuerunt. Locus autē ciuitatis vsq; hodie transeuntibus, ostenditur desolatus. Mansit ergo ibidem Ella, cum tribus filiis suis, & regionem illam quæ vsq; hodie Anglice Sutsexe, latine autem regio Australium Saxonum dicitur, colere cœpit.

Ella rex Andredcestriā cepit.

ANNO gratiæ. 493. Anastasius Romanum sumens imperium, annis 25. imperauit. Et sciendum est, quod anno quo Zeno mortuus est, Anastasius imperare cœpit. Erant anni secundum Romanos, ab Adam 5989. & secundum supputationem Alexandrinorum 5983.

Anastasius Imperator.

ANNO

Cerdicus primus rex Occidentalium Saxonum, venit in Britanniã.

ANNO gratiæ 494. Gelasius sedit in cathedra Romana annis 4 mensibus 8. & diebus 19. Eodem tempore Cerdicus & filius eius Kenricus, cum 5. nauibus in Britanniam applicuerunt in loco qui postea de nomine eius Cerdioshoara, id est, portus Cerdici dicebatur. Quo die conuenit vniuersa multitudo regionis contra eos, & pugnam viriliter cõmiserunt. Saxones vero coram nauibus immobiliter stabant, donec noctis tenebræ litem diremerunt. Inuentis autem Saxonibus asperis, Britanni sese subtraxerunt, & pagani in terra hostili, non sine frequentibus bellis incolarum, littora maris ibidem magis ac magis occupare cœperunt. Ab isto quoque Cerdico reges Occidentalium Saxonum originem habuerunt.

Acatius hæreticus.

ANNO gratiæ 495. Anastasius Imperator Acatium hæreticum reuocare cupiebat, sed Romani non consenserunt. Erat autem Constantinopolitanus Episcopus, sed Deo & sanctæ Ecclesiæ effectus est odiosus.

Acatius fulmine periit.

ANNO gratiæ 496. Acatius hæreticus memoratus fulminis ictu periit. Per idẽ tempus Pascentius filius Vortigerni, qui in Germaniam, vt superius relatum est, diffugerat, in manu valida & armata, in Aquilonari parte Britanniæ applicuit, vt sese patremque suum in Aurelium regem Britonum vindicaret. Cumque id regi nunciaretur, collegit exercitum & obuiam perrexit. Hi vltro ad prælium venientes pugnam commiserunt, sed Pascentius tandem victus est, & in fugam propulsus.

De morte Aurelii regis Britanniæ.

ANNO gratiæ 497. Pascentius memoratus, ad Gillomannium regem Hyberniæ se cõferens, postulauit auxilium vt se in Aurelium vindicaret. Gillomannius vero, quia Aurelius Choream gigantum ab Hybernia violenter asportauerat, memor iniuriæ auxilium promisit. Paratis itaque nauibus, transfretantes in vrbe Mœnenia applicuerũt. Quo diuulgato Vther frater Aurelii, quia ipse infirmus iacebat, contra Gillomannium & Pascentium in Cambriam perrexit. Sed Pascentius antequam pugnam cum Vther fratre regis iniret, cum Aurelium Wintoniæ infirmari cognouisset, corrupit quendam Saxonem, Eopam nomine, donariis multis, vt Aurelium regem veneno prodere procuraret. At proditor habitum monachi suscipiens, versus Wintoniam iter arripuit. Postremo vrbem ingressus est, & se medicum fingens regiis ministris obsequium suum obtulit, qui nihil potius quam medicum expectabant. Qui tandem ad regis præsentiam perductus venenum ei porrexit. Quo hausto, præcepit illi nefandus proditor vt dormiret, recepturus ilico sanitatem. Nec mora, illabente per poros corporis & venas veneno, mors pariter subsecuta est. Deinde proditor ille, latenter elapsus, à curia recessit. Sed dum Wintoniæ ista gererentur, Gillomannius & Pascentius in Cambria contra Vther fratrem regis pugnam acerrime commiserunt. Sed tandem conualuit Vther, & interfectis Gillomannio atque Pascentio victoriam reportauit. His ita gestis, apparuit stella miræ magnitudinis & claritatis, vno tantum radio contenta, ad cuius radium erat globus igneus in similitudinem draconis extensus, & ex ore eius duo radii procedebant, quorũ vnus longitudinẽ suam vltra Gallicana climata extendere videbatur: alter vero versus mare Hybernicum vergens, in septem radios minores terminabatur. Hoc sydere viso, Vther nimio terrore percussus, sapientes suos solicitabat, vt quid stella portenderet indicarẽt. Qui respondentes, dixerũt. Te quidem sydus & igneus draco sub sydere significat. Radius autem, qui versus Gallicanam plagam porrigitur, portendit filium tibi futurum potentissimum, qui plurima regna, quæ sydus contegit, possidebit. Alter vero radius filiam innuit, cuius filii & nepotes regnum Britanniæ succedenter possidebunt. Festina ergo dux nobilissime, festina. Defunctus est enim ille frater tuus rex Britonum inclytus, Aurelius Ambrosius, cum quo simul militia & gloria Britonum expirauit. Nec mora venerunt nuncii casum regis indicantes, & ipsum iam ab Episcopis & Abbatibus regni more regio sepultum infra Choream gigantum, quam ipse fieri imperauit.

De coronatione Vther pendragon.

ANNO gratiæ 498. Anastasius sedit in cathedra Romana, anno vno, mensibus 11. & diebus 24. Per idem tempus, Vther frater Aurelii regis Britonum defuncti, audito casu fratris, cum festinatione Wintoniam venit, & conuocato populo regni & clero Britanniæ diadema suscepit. Reminiscens itaque de sydere supradicto, iussit fabricari duos Dracones ex auro, ad similitudinem draconis quem in radio stellæ inspexerat, & vnum in Ecclesia primæ sedis Wintoniæ obtulit, alterum vero sibi retinuit in prælio deferendum. Ab illo igitur tempore vocatus fuit Britannice Vtherpendragon: Anglica vero lingua Vther Drake Heued: Latine vero Vther caput Draconis. Vnde vsque hodie mos inoleuit regibus terræ huius, quod pro vexillo Draconem in bellicis expeditionibus ante se statuerint deferendum.

ferendum. Sub his diebus, Octa filius Hengisti atque Eosa cognatus suus cum soluti essent à fœdere, quod cum Aurelio pepigerant, moliti sunt regi Vther bellum mouere, & suos fines dilatare. Maxima igitur Saxonum multitudine stipati Aquilonares Britanniæ prouincias inuaserunt, & munitiones ab Albania vsq; ad Eboracũ penitus destruxerunt. Postremo cũ vrbem Alclud obsidere incepissent, superuenit Vtherpendragon cum tota fortitudine regionis, & cum illis pugnam commisit. Restiterunt viriliter Saxones & Britones in fugam propulerunt, insecutiq; sunt eos pagani vsque ad montem Danet. Dum sub sole dies emicuit occupauerunt montem Britones, illumque pro refugio habuerunt, quid agerent ignorantes. Tandem salubri consilio decreuerunt nocturnum in hostes impetum facere, atque ipsos soporatos & inermes occupare. Statuti itaque per turmas & armati, castra hostium petunt, eosque acriter inuadunt. Qui ita ex improuiso occupati inutiliter prælium reddiderunt, cum cæteri ex præmeditatione audaciam recepissent. Tandem sunt capti Octa atq; Eosa, & Saxones penitus sunt dissipati. Denique omnibus pacificatis rex Londonias perrexit, Octam quoque & Eosam ibidem in carcere seruari fecit. Festo eitiam Paschali imminente præcepit proceribus regni ibidem conuenire, vt sumpto diademate, sanctum diem honore debito celebrarent. Paruerunt ilico cuncti, & rex festiuitatem cum gaudio celebrauit. Aderat inter cæteros nobiles Gorlois Dux Cornubiæ cum vxore sua Igerna, cuius pulchritudo omnes Britanniæ mulieres superabat. Hanc rex cum inspexisset, subito incaluit amore illius, & illi soli nectaria pocula inceſſanter & aromatica cibaria dirigebat. Quod cum maritus eius comperisset, iratus valde, sine licentia à curia recessit. Rex itaque valde indignatus, Cornubiam cum festinatione petiuit, in vrbes eius & oppida ignem accumulans. At vltimum cum Dimilioch peruenisset, comitem obsessum ad prælium prouocauit. Comes vero inconsulte agens, oppidũ egressus est. Sed inter primos corruit lethaliter vulneratus, & socii eius penitus sunt dissipati. Rex vero, post mortem illius, vxorem eius duxit matrimonio sibi copulatam, genuitq; ex ea filium & filiam. Filius autem Arthurus dicebatur, filia vero Anna. Sed Arthurus vt celebris haberetur mira probitate promeruit.

De duobus Apostolicis.

Anno gratię. 499. mortuo Papa Anastasio in sede Apostolica duo consecrantur, Symmachus videlicet, atque Laurentius. Et cum inde maxima dissensio Romæ haberetur, decreuit senatus Romanus vt ambo pergerent ad regem Italiæ Theodoricum. Quod cum factum fuisset, adiudicauit rex vt qui prius fuit ordinatus, & cui maiór pars populi faueret, sedem Apostolicam obtineret. Tunc Symmachus in sede confirmatus Laurentium in Miscena Ecclesia Episcopum ordinauit. Sed post annos tres, accusatus est Symmachus, & Laurentius reuocatus. Tunc Symmachus, synodo cõgregata centum, & quindecim Episcoporum, à crimine sibi obiecto, coram omnibus eleganter se purgando, suam manifestauit innocentiam. Et tunc iterum proiectus est Laurentius, Symmacho restituto. Symmacho autem de medio sublato, loco ipsius, decretum est Laurentium in sede Apostolica subrogandum.

Constitutio noui Episcopatus in Gallia.

Anno gratiæ. 500. Clodoueus rex Francorũ, Ecclesiæ Remensi, ex regia sua munificentia innata, multa prædia contulit. Remigius, multa earum parte data Ecclesiæ * Lugdunensi, sedẽ Episcopatus ibidẽ, vt ampliaretur dignitas & honor Ecclesiasticus, cõstituit.

* *Laudunesi. Vnde Portesmuth nomen sortitur.*

Anno gratiæ. 501. Port & duo filii eius, Bleda & Magla, cũ duabus nauib. applicuerunt in Britãnia, in loco qui de nomine Port, Portesmuth nomẽ accepit. Porro Ducẽ regionis illius expellẽtes, maris littora occuparũt, & locũ tunc desertũ inhabitare cœperunt.

Liberalium artium trãslatio.

Anno gratiæ. 502. Symmachus Patricius & gener eius Boetius omnium liberalium artium libros de Græco in Latinum transtulerunt.

Condigna vltio Trinitatis.

Anno gratiæ. 503. in Africa Olympus quidam insanissimus, dum in balneis sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito iaculo cœlitus superuenienti combustus est.

De Baptismo cuiusdã haretici.

Anno gratiæ. 504. Constantinopolim dum Deuterus, Arrianus Episcopus, quendam nomine Barbam baptizaret, insuper male distinguens Trinitatem diceret, baptizo te Barba in nomine Patris, per Flium, in Spiritu sancto, aqua disparuit.

Alamundi regis sophisma.

Anno gratiæ. 505. Alamundus rex Saracenorum, ab orthodoxis baptizatus, cum eum vellent Eutychiani seducere, refellit eos hac fabulosa inductione dicens, q̃ literas acceperat de morte Archangeli Michaelis. Illis respondẽtibus hoc impossibile esse, eo, quod Angeli impassibilis essent naturæ. Quomodo ergo (inquit) secũdum vos nudus crucifixus Christus est, nisi duarum naturarum esset, quandoquidem nec Angelus mortuus est.

De institutione dicendi, Gloria in excelsis, ad missas.

Anno gratiæ. 506. Symmachus Papa instituit, omni die dominico vel martyrum natalitio, Gloria in excelsis ad missas canere, quem hymnum Thelesphorus Papa nocte tantum

tantum natalis Domini cantari instituit,& in eo ad Angelorum verba ea quæ sequuntur, adiecit.

Sanctus Samson & S. Dubritius floruerunt.

Anno gratiæ 507. floruerunt in Britannia,sanctus Samson Eboracensis Archiepiscopus,& S. Dubritius vrbis Legionum Archiepiscopus.

Hormisda Papa.

Anno gratiæ 508. Hormisda sedit in cathedra Romana annis 9. diebus 17. & cessauit sedes diebus 6. Eodem tempore,Cerdicus & filius eius Kenricus, Britones ad prælium prouocauerunt. Infirmabatur enim Vther rex Britonum,nec se potuit in latus aliud declinare. Vnde Ducem Nathanlioth, principem militiæ Britonum ordinauit. Conuenientibus autem Saxonibus & Britonibus pugnam acriter commiserunt. Saxones aciebus Britonum perforatis Ducem Nathanlioth peremerunt. Corruerunt etiam cum eo ex Britonibus 5000. virorum,& Saxones cum victoria lætantes recesserunt.

Octa & Eosa de carcere emanserunt.

Anno gratiæ 509. custodes carceris, quo Octa & Eosa tædiosam agebant vitam, donariis corrupti, fugerunt cum eis in Germaniam,atque cum classe maxima in exitium Britanniæ redierunt. Commisit itaq; rex Vther exercitum Britanniæ Lotho consuli Leyli,viro strenuissimo. Cumq; in hostes progressum fecisset, multoties ab eis repulsus est, quia Britanni noluerunt ipsius consiliis obedire.

Anno gratiæ 510. Anastasius Imperator Lodouico Francorum regi literas de consulatu misit,& coronam auream,& ex illa die consul est appellatus.

Saxones Ecclesias Britanniæ destruxerunt.

Anno gratiæ 511. videntes Saxones qui Britanniam inhabitabant, Vtherpendragon regem graui infirmitate depressum: conuenerunt omnes in vnum, vt omnes insulanos à finibus suis expellerent,& iunctis viribus fertilem patriam sibi in perpetuum subiugarent. Perlustrantes itaque quasque prouincias,cum neminem sibi resistere cognouissent,totam fere insulam à mari vsq; ad mare deuastare cœperunt. Nec Prælatis Ecclesiarum vel rebus Ecclesiasticis parcentes: Christianitatem pene totam in insula deleuerunt. Insulani autem regem infirmum deferentes, ad montium abrupta, & syluarum latibula confluxerunt,secundum illud antiquum prouerbium. Cui caput infirmum cætera membra dolent.

Vther prouectus in lectica Saxones vicit

Anno gratiæ 512. rex Britonum Vtherpendragon de regni subuersione,& Ecclesiæ sanctæ oppressione procerumq; desolatione,nec non & populi dispersione vehementer commotus: cõuocatis omnibus regni sui magnatibus acriter eos de superbia,& segnitie increpauit. Conuitia etiam multa cum opprobriis inferens, iurauit quod ipsemet illos in hostes conduceret,vt animos omnium ad statum & audaciam pristinã reuocaret. Præcepit ergo feretrum sic fieri quo portaretur,cum alterius modi progressum infirmitas denegaret. Impositoitaq; rege in lectica,cum tota fortitudine regni Verolamium perrexit, vbi iam nefandi Saxones vniuersam patriam affligebant. Cumq; edocti essent Octa & Eosa de aduentu Britonum,regemq; eorum in feretro aduenisse, dedignati sunt cum illo prœliari quia in vehiculo veniebat. Receperunt itaq; se infra vrbem, valuasq; præ indignatione patentes reliquerunt. At Vther iussit ocyus vrbem obsidere & mœnia vndiq; complanare,stragemq; non minimam Saxonibus inferẽtes,mœnibus subuersis,iam essent ingressi nisi demum resistere perstitissent. Mane autem facto egressi sunt Saxones cateruis bellicis dispositis,Britones ad prælium prouocantes, restiterunt audacter Britones, inuadunt viriliter Saxones,& necem mutuam vtrobiq; conficiunt. Deniq; post multas cruentas congressiones,regi Britonum cessit victoria interfectisq; Octa & Eosa,cæteri Britonibus terga dederunt. Exhilaratus igitur rex in tantam mentis alacritatem & lætitiam prę victoria est erectus,vt qui prius sine alterius adminiculo surgere nequiret, leui conamine iam resedit in loculo ac si pristinam sanitatem recepisset.

Iohannes Papa.

Anno gratiæ 513. Iohannes sedit in cathedra Romana annis 2.& mensibus 9. Eodem anno,Virgo S. Genouefa Parisiensis octogenaria transiit ad dominum.

De morte Ellæ regis Saxonum.

Anno gratiæ 514. venerunt nepotes Cerdici, Scupha,& Wihgarus, cum duabus nauibus in Britanniam,& applicuerunt in Occidentali parte Britanniæ. Venerunt ergo Duces Britonum contra eos ad prælium,sed fortitudo eorum ilico dissipata est. Facta est fortitudo Cerdici terribilis valde,nempe vniuersam insulam hostiliter pertransiẽs vix inuenit qui repugnaret. Vnde in dies singulos aucta est magnificentia Paganorum. Eodem anno Ella quem omnes Saxones pro rege habuerunt defunctus est. Regnauitque pro eo Cissa filius eius. De cuius nomine Ciceſtria quam ipse fundauit,nomen sortita est.

Fœlix papa.

Anno gratiæ 515. Fœlix sedit in cathedra Romana annis 4. mensibus 2.& diebus tredecim. Hic clerum à populo in Ecclesia segregauit, qui antea permixti federe consueuerant.

Anno

ANNO gratiæ. 516. Cũ rex Britonum Vtherpendragon apud Verolamiũ infirmitate grauatus iaceret: direxerunt Saxones maleficos vnanimi consensu in cultu pauperrimo, qui regem veneno perdere procurarent. Qui Verolamium vsq; superuenientes, quomodo regem perderent soliciti explorabant. Tandem inter cætera vnum prælegerunt, quo propositum suum ad effectum perducerent. Erat autem extra ciuitatẽ fons aquæ nitidissimę, de quo bibere consueuerat, quia potus alios sumere fastidiuit. Fontem itaque aggressi proditores nephandi, ipsum vndique infecerunt veneno efficacissimo, adeo quod aqua deriuata procul corrumperetur. Vt autẽ potasset rex ex ea, festinæ morti succubuit, & prę-
10 ter illum homines nonnulli, donec comperta fraude cumulum terræ superposuerunt. Hic quoque fons creditur esse ille quem inuictus martyr Albanus, dum traheretur ad martyrium, sitienti populo de terra arida procliui montis produxit.

De morte Vtherpendragon, & opinione de fonte venenato.

DEFVNCTO autem rege, conuenerunt pontifices cũ clero regni & populo, ipsumq; infra Choream gigantum more regio humauerunt. Quo facto, Dubritius vrbis Legionũ Archiepiscopus, sociatis sibi Episcopis, & magnatibus, Arthurum filium eius, iuuenem 15. annorum, in regem magnifice erexerunt. Erat enim inauditæ virtutis atque largitatis, vnde tantã gratiam promeruit, vt à cunctis & etiam ab hostibus commendaretur. Confluebat autem ad eum tanta militum fortitudo, tantaque militantium multitudo, quod sufficienter quæ illis ministraret stipendia distribuenda non haberet. Inuitauerant igitur eo tempore Saxones conciues suos ex Germania, & duce Colgrino subiugauerant sibi totã
20 iusulæ partem, quæ à flumine Humbri vsq; ad mare Catanesiũ dilatatur. Quo audito Arthurus, cum subdita sibi gente, Eboracum petiuit à Saxonibus tam subactum. Colgrinus aũt aduentum Arthuri comperiens, cũ multitudine maxima, iuxta flumẽ Duglas obuiari perrexit. Et facto congressu, Arthurus Colgrinum in fugã coegit, ac fugientẽ insequutus eum infra Eboracum obsedit. Baldulphus vero frater Colgrini, circa maritima aduentum Saxonum expectans, proposuit nocturnam in Arthurum facere irruptionem. Sed Arthurus per exploratores præmonitus, misit Cadorem, Ducem Cornubiæ, cum equitibus sexcentis & tribus millibus peditum, ad viam qua hostes veniebant: qui inopinatum impetum facientes, pluribus interfectis & laceratis, cæteros in fugam compulerunt.

De coronatione Arthuri regis inclyti.

ANNO gratiæ. 517. venit dux Cheldricus de Germania cum nauibus septingentis,
30 & in Albaniam applicuit. Timuerunt itaq; Britanni, contra tantam multitudinem dubium inire certamen. Vnde Arthurus obsidionem Eboraci relinquens, ad vrbem Londoniæ cum exercitu suo recessit. Deinde habita cum suis deliberatione misit nuncios in minorem Britanniam, ad regem Hoëlium, qui ei calamitatem Britanniæ intimarent. Erat autem Hoëlius filius sororis Arthuri ex Dubritio, rege Armoricanorum Britonum, generatus. Vnde audito periculo, quod auunculo suo imminebat, copiosum iussit parari nauigium, collectisq; quindecim millibus armatorum, proximo ventorum flatu in potu Hamonis applicuit. Excepit illum Arthurus cum gaudio & honore debito. Eodem anno virgo de Brigida migrauit ad dominum.

Arthurus propter militare subsidium misit vltra mare.

ANNO gratiæ. 518. Bonifacius sedit in cathedra Romana annis duobus, & diebus
40 septem. Per idem tempus Arthurus rex Britonum, collecto exercitu grandi, vrbem Kaerlindcoit, quæ nunc Lincolnia dicitur, petiuit, vbi inuentis Saxonibus stragem fecit ex eis inauditam. Ceciderunt namque ex illis vna die sex millia hominum, qui partim fluminibus submersi, partim telis perforati, partim in fugiendo trucidati, vitas & animas miserabiliter exhalarunt. Arthurus vero fugientes insecutus non cessauit, donec ad nemus Calidonis peruenerunt, ibiq; ex fuga confluentes Arthuro resistere conati sunt, sese viriliter defendentes. Quod Arthurus intuens, iussit arbores circa partem illam nemoris incidi, & truncos ita in circuitu locari vt egressus eis penitus negaretur. Volebat namque eos ibidẽ tam diu obsidere, donec omnes inedia interirent. At Saxones quo vescerentur nõ habentes, eo pacto petierunt egressum vt saltem Germaniam nudis corporibus petere sinerен-
50 tur. Tunc Arthurus inito consilio, petitioni eorum adquieuit, & retinens eorũ opes, & spolia, reddendiq; vectigal & obsides, solummodo recessum concessit.

De victoria Arthuri in nemore Calidonis.

ANNO gratiæ. 519. Iustinus, Imperator Romanorum, imperauit annis octo. Hoc etiam anno Boëtius, Papæ exul, librum de consolatione philosophiæ edidit.

Iustinus Imperator.

ANNO gratiæ. 520. pœnituit Colgrinum, Baldulphũ, & Cheldricum Saxones pactum cum Arthuro fecisse. Vnde in Britanniam reuertentes in Totonesio littore applicuerunt, & ad vltimum vrbem Badonis obsederunt. Rumore itaque diuulgato, Arthurus obsides eorum suspendi præcepit. Deinde obsidionem petens præcepit omnibus ad arma conuolare. Ipse loricam indutus galeam simulacro draconis insculptam capiti adapta-

De admirãda inuictissimi regis Arthuri pugna contra Saxones.

uit. Humeris quoque suis clypeum vocabulo Pridwen appendit, in quo imago sanctæ Dei genetricis picta, ipsam ad memoriam sępissime reuocabat. Accinctus etiam Caliburno gladio optimo, lancia nomine Iron, dexteram suam decorauit. Deinde cæteruis dispositis audacter Paganos inuasit. Ipsi autem tota die viriliter resistentes, Britones assidue prosternebant. Vergente tandem ad occasum sole, Saxones proximum occupant montem, illum pro castro habituri. At vbi sol diem reduxisset Arthurus cum exercitu suo montis cacumen ascendit. Sed in ascendendo multos suorum amisit. Saxones namque ex summitate occurentes, facilius vulnera infligebant. Britanni tamen maxima probitate cacumen montis adepti, hostibus strages acerrimas ingerebant. Quibus Saxones pectora prætendẽtes, omni nisu resistere perstiterunt. Cumq; multum diei in certando consumpsissent: Arthurus tandem, abstracto Caliburno, nomen beatæ Mariæ virginis inuocauit, atque rapido impetu sese intra densas hostium acies immittens, quemcunque attingebat sine ictus nugatoria iteratione perimebat. Nec cessauit impetum facere, donec octingentos 40. viros solo gladio interfecit. Ceciderunt illico Colgrinus & Baldulphus frater eius, & cum eis multa millia Barbarorum. At Cheldricus, viso sociorum periculo, cum reliquiis exercitus in fugam conuersus est. Iussit itaq; rex Cadorem Cornubiæ Ducem illos insequi. Qui postremo cum nihil tutaminis accepissent, laceratis agminibus Thanet insulam petierunt. Insequitur eos ibidem Dux, nec quieuit donec perempto Cheldrico, cæteros in deditionem accepisset. Eodem anno Iohannes sedit in cathedra Romana annis duobus.

De quarta victoria regis Arthuri.

**Caperetur.*

Anno gratiæ. 521. Boëtius exilio fatigatus, à Theodorico Gothorum rege perimitur. Eodem anno nunciatum est Arthuro, Scotos atque Pictos in vrbe Alclud Hoëlum regem obsedisse, vbi infirmatus iacebat. Quocirca properabat ei in auxilium aduenire, ne à barbaris quoquomodo * opprimeretur. Cuius aduentum cum hostes cognouissent, apud Mureif, fugam inierunt. Quos Arthurus insequens ibidem obsedit. Qui de nocte egredientes, stagnum Lumonoy intrauerunt. At Arthurus, nauibus collectis, insulam circuiuit, ipsosq; per dies 15. tanta fame afflixit, vt ad millia morerentur. Quo facto, venerunt Episcopi illius regionis nudis pedib. ad regem cum lachrymis, rogantes vt de populo misero misericordiam haberet, & patriæ portiunculam inhabitare permitteret sub iugo perpetuæ seruitutis. Commotus ergo rex super lachrymis Episcoporum, & eis veniam concessit & annuit postulatis.

Arthurus ecclesias renouat.

Anno gratiæ. 522. Agapitus sedit in cathedra Romana, mensibus 11. Huic successit Siluerius anno vno. Per idem tempus, cum rex Arthurus ciuitatem Eboraci esset ingressus, instante natiuitatis domini die visa sacrarum Ecclesiarum desolatione, vehementer condoluit, vbi conuocato clero & populo, Piranno capellano suo Archiepiscopatus sedẽ concessit. Ecclesias per totam Britanniam destructas renouat, nobilesq; regni Saxonibus expulsos reuocat, terras eis & possessiones paternas affluenter subministrat.

Vt Arthurus vxorem duxerit.

Anno gratiæ. 523. cum rex Arthurus Britannię insulam ad statum pristinum reuocasset: vxorem duxit nomine Guenhumaram, ex nobili Romanorum genere procreatã. Hæc in thalamo Ducis Cornubiæ educata, totius insulæ mulieres pulchritudine superabat. Tunc inuitatis quibusq; magnificis ex regnis longe positis, tantam in domo sua cœpit habere facetiam, vt in induendo siue in arma ferendo, loquendo & se gerendo, longe manentes populos ad æmulationem sui prouocaret. Sicque fama largitatis atque probitatis illius, per diuersas regiones diuulgata, regibus transmarinis, his amorem accenderat his timorem non minimum incusserat.

Vigilius Papa.

Anno gratiæ. 524. Vigilius Papa sedit in cathedra Romana annis sedecim, & diebus 26. & cessauit sedes mensibus tribus, & diebus quinq;.

Arthurus prouincias sibi conterminas subingauit.

Anno gratiæ. 525. rex Arthurus parata classe maxima, Hyberniæ insulam petiuit cui applicanti Gillamurius rex, cum populo patriæ obuiauit. Tandem Gillamurio capto, cæteri principes in deditionem sunt coacti. Deinde Holandiam, Guthlandiam, atq; Orcadum insulas, ferro flammaq; consumens, has omnes regiones cõstituit sub tributo. Quo facto, Britanniam reuersus est.

De hæresi Acephalorum.

Anno gratiæ. 526. Acephalorum hæresis conuincitur & damnatur. Dicti Acephali, id est, sine capite. Nullus enim illius hæresis author inuenitur. Hi trium capitulorum Chalcedonensis concilii sunt impugnatores. Duarum substantiarum in Christo proprietatem negant, & vnam in eius persona naturã prędicant. Astruunt etiam Paulum Apostolum in suis Epistolis præcepisse fœminas debere fieri diaconas, quia eas cõmemorat post diaconos.

An-

ANNO gratiæ. 527. Iustinianus Romanum suscipiens imperium annis. 38. imperauit. Eodem anno venerunt de Germania pagani, & occupauerunt Estangliam, id est, regionem illam, quæ orientalium Anglorum regio dicitur, quorum quidam Merciam inuadentes, bella cum Britonibus plurima peregerunt. Sed, quoniam proceres eorum erant multi, nomine carent. Eodem anno, regnum orientalium Saxonum, quod modo Estsaxia dicitur, originem sumpsit, quod primus vt creditur, tenuit Erkenvvinus, qui fuit filius Offę, qui fuit Bredecani, qui fuit Sigeuulf, qui fuit Spetuæ, qui fuit Gesac, qui fuit Andesse qui fuit Saxuad, qui fuit VVoden. *Iustinianus Imperator.*

ANNO gratiæ. 528. Cerdicus & filius eius Kenricus, congregatis ingentibus armatorum copiis apud Vectam insulam, stragem magnam hominum ibidem fecerunt apud Wigaresbin, & Insulam illam sibi subdiderunt.

ANNO gratiæ. 529. corpus Antonii monachi diuina reuelatione inuentum est, & ad Alexandriam est delatum. *Corpus sancti Antonii reuelatur.*

ANNO gratiæ. 530. quidam orthodoxi Episcopi in Affrica, linguis sibi præcisis radicitus à Wandalis, postmodum clare loquendo, multis miraculo fuere simul & spectaculo. Quod miraculũ vnus eorũ auxit, q̃ in elationẽ versus diuino priuat⁹ dono obmutuit. *Miraculum.*

ANNO gratiæ. 531. sanctus Vdastus primus Atrebatensis Episcopus à sancto Remigio ordinatur.

ANNO gratiæ 532. abbas Dionysius cyclum suum orditur, cyclorum quinque decennouenalium. Et quia secundus annus operis huius concordare debet, in ratione cõputi, primo anno natiuitatis Christi, debet tricesimus quintus annus cycli Dionysii concordare, in ratione computi, tricesimo tertio anno natiuitatis Christi, scilicet, vt quartadecima Luna Aprilis occurrat 9. Kal. Aprilis in quinta feria: passio Christi 8. Kal. Aprilis in sexta feria: resurrexio 6. Kal. Aprilis in die Dominica. Sed quia nõ ita occurrit, sed Luna Aprilis 14. occurit eo anno 12. Kal. Aprilis in prima feria, Dominica vero dies Paschæ, in 5. Kal. Aprilis: ideo improbatur, quia repugnat Euangelicæ veritati. Hoc quoq; anno Iustinianus Impator libros legum Romanorũ abbreuiat in vno volumine, q̃ Iustinianũ vocatur. *De tabula Dionysii abbatis.*

ANNO gratiæ. 533. Cerdicus primus rex Occidentalium Saxonum obiit, & regnauit pro eo Kenricus filius eius 26. annis. Eodem tempore, rex Arthurus, totam Europam subiugare affectans, parato nauigio Norwegiam adiuit. Quo cum peruenisset Sichelinũ regem illius patriæ inuenit iam defunctum, qui moriens Lotho sororio Arthuri regnum assignauerat Norwegensium. Erat enim nepos Sichelini, iuuenis miræ probitatis atque largitatis, vnde sibi in regnum succedere adoptauerat. Erat autem tunc Walvvanus filius prædicti Lothi, duodecim annorum iuuenis, Vigilio Papæ traditus ad nutriendum, à quo etiam & militiæ cingulum accepit. Tandem cum Arthurus Lothum, subactis Nordvvigensibus, in regnum sublimasset, in Britanniam cum gaudio remeauit, Gallicanas partes adtre desiderans, quas supra modum sibi subdere anhelabat. *Cerdicus primus rex Occidentalium Saxonum obiit.*

ANNO gratiæ. 534. Theodoricus abbas, discipulus sancti Remigii, & Theodulphus abbas, ipsius Theodorici discipulus, in Gallia clarent. *De morte beati Benedicti.*

ANNO gratiæ. 535. in Gallia clarent fratres Vtherini, eadem die nati, eadem die pontifices consecrati, Medardus videlicet ad titulum Nouiomensem, Gildardus ad Rothomagensem, vno die absoluti à seculo ad Christum commigrantes.

ANNO gratiæ. 536. sanctus Benedictus secundum quosdã ab hoc seculo migrauit ad Christum. Rex quoque Arthurus, partes Gallicanas suæ ditioni subdere cupiens, parato nauigio, Mordredo nepoti suo custodiam totius Britanniæ cũ vxore sua commisit. Deinde mare cum prosperitate pertransiens * Estrusiam, quæ nunc Normannia dicitur, sine difficultate subegit. Deniq; vlterius procedens vniuersas Galliæ prouincias depopulans, Frollonem tribunum ad vltimum duello peremit, & ciuitatem Parisios sub sua iura recepit. Porro versus occidentem proficiscens, Andegauiam, Pictauiam, Gasconiam, & totam Aquitaniam suæ subiecit potestati. **Neustriam.*

ANNO gratiæ 537. contigit miraculum, omnibus notissimum de Theophilo apostata, & beata Maria matre Saluatoris. Hoc etiam tempore Arthurus rex Britonum, subiugatis Galliæ finibus, Augustodunum profectus est, vbi Lucium Romanæ vrbis Consulem qui Gallis in auxilium venerat, prope Lengrias, in valle quæ Seisias nuncupatur, cum omni Romana fortitudine interemit. *Arthurus Lucium Romanæ vrbis consulem interfecit.*

ANNO gratiæ. 538. in Campania Italię, Benedictũ iuniorem rex Totila pro Christo persequens, cum eum & cellam eius comburere vellet nec valuisset, eum in clibanum ardentem proiecit. Qui inde die altera illæsus illæsisq; vestibus exiuit. *Miraculum.*

Arthurus iter Romanũ suscepit.

ANNO gratiæ. 539. obscuratus est sol à mane vsque ad horam tertiam. Eodem tempore rex Arthurus, subactis circa Alpes quibusq; prouinciis, parauit iter vt Romanum populum expugnaret. Magnificatum est nomen eius in vniuersa terra valde. Vnde principes de partibus remotis, & nobiles ad eum venerunt sub ipso viuere & erudiri, & eius interesse facetiis delectantes. De eius magnificentia & probitate Merlinus vates Britonum prophetauit dicens. Prævalebit tandem oppressa Britannia, & sæuiciæ exterorum resistet. Aper enim Cornubiæ succursum præstabit, & colla hostium sub pedibus suis cõculcabit. Insulæ Occeani potestati ipsius subdentur, & Gallicanos saltus possidebit. Tremebit Romulea domus sæuiciam ipsius, & exitus eius dubius erit. In ore populorum celebrabitur, & actus eius narrantibus erit cibus.

Iustinianus purificationẽ beatæ Mariæ celebrari cõstituit.

ANNO gratiæ. 540. apud Byzantium magna mortalitas hominum facta est. Qua de causa, iubente Iustiniano imperatore, cœpit celebrari solennitas sanctæ Dei genitricis, quę purificatio dicitur, die secunda mensis Februarii, & cessauit pestis. Per idem tempus Mordredus Arthuri nepos, cui idem Arthurus Britanniam commiserat, diademate illius sese fecerat insigniri, reginamque Guenhumaram in consortium thori susceperat, priorum nuptiarum iure violato. Confœderatusque erat Saxonibus proditor ille, qui duce Cheldrico venerunt ex Germania cum nauibus 800. militibus plenis, qui omnes Mordredo quasi domino seruiebant. Cumq; istius sceleris infamia ad aures Arthuri, qui iam versus Romam Alpes ascendere incepit, peruenisset, cum regib. tantum insulanis versus Britanniam remeauit, ira maxima & odio inextinguibili in Mordredum accensus.

Arthurus Mordredo interfecto, fuit ad dolorẽ multorum, lethaliter vulneratus.

ANNO gratiæ. 541. in Gallia cometa apparuit, ita quod cœlum ardere videbatur. Eodem etiam anno verus sanguis ex nubibus effluxit, & per idem tempus domus cuiusdam sanguine respersa apparuit, & subsecuta est dira hominum mortalitas. Eodem tempore rex nobilis Arthurus, cum summa festinatione Britanniam veniens, in Rutupi portu, qui modo Sandwicum dicitur, applicare disposuit. Cui applicanti Mordredus maxima stipatus multitudine obuiam venit, stragemq; non minimam intulit applicantibus. Corruerunt illa die Anguselus rex Albaniæ, & Walvvanus nepos regis, cum aliis innumerabilibus. Sed tandem cum labore maximo, & bello ancipiti ac cruento Arthurus cum suis applicuit. Deinde hostes acriter nimis inuadens, Mordredum & eius exercitum non mediocriter laceratum, in fugam coegit. Qui suis, vt potuit, resociatis Wintoniam ingressus est. Cumque ista Guenhumarę reginæ nunciarentur, ad vrbem Legionum festinanter aufugit, atque in monasterio Iulii martyris inter moniales habitũ religionis suscepit. Arthurus furibundus Wintoniam properans, Mordredum infra eandem iam ingressum obsedit. Mane autem facto, agminibus dispositis, Mordredus ciuitatem egressus regem acriter inuasit. Facta est autem ex obstantibus cædes non minima, sed Mordredus tandem campum deserens versus Cornubiam iter arripuit. Arthurus autem illum insecutus, super flumen Camblan Mordredum inuenit. At ille, vt erat omnium audacissimus & impiissimus, cateruis dispositis in regem, & eius exercitum rapide irruit, mori potius affectans quam amplius hostibus terga dare fugitiuus. Denique illis hinc indeque concurrentibus cruorem non minimum vtrobique diffundunt, gemitusque morientium viuentibus audaciam contulerunt. Postquam autem multum diei consumpsissent, irruit tandem Arthurus, spiritu vectus leonino, in turmam vbi Mordredum fore sciebat, & viam gladio faciens & dissipans, cædem impressit cruentissimam, densas acies dirimendo. Ingeminatur accrescens bellum, & ictuum tinnitibus aer coruscat. Cæcidit igitur proditor ille Mordredus, & cum eo Saxones Cheldricus, Elaphius, Egbrithus & † Bruningus nec non & multa millia cum eis, atque fauente * Deo victoria cessit Arthuro. Sed, proh dolor, lethaliter est vulneratus, qui illinc ad sananda vulnera sua in insulam Aualonis, quę nunc Glasconia dicitur, est transuectus.

† *Mergus.*
* *Marte.*

De dubia morte nobilis regis Arthuri.

ANNO gratiæ. 542. rex Arthurus de vita desperatus, hostibus interfectis, Constantino cognato suo, filio Cadoris Ducis Cornubię, Britanniæ concessit diadema. Occultauit se rex moribundus ne casui tanto insultarent inimici, amiciq; molestarentur. Vnde quoniam de morte Arthuri vel eius sepultura nihil referunt historiæ, gens Britonũ ipsum adhuc viuere præ magnitudine dilectionis contendunt. Eodẽ anno, Clothario rege Francorum obsidente in Hispania ciuitatem Cæsaraugustam, ciues dominum exorantes, tunicam beati martyris Vincentii circumtulerunt. Quam rex ab eis pro munere accipiens, ad propria remeauit.

ANNO gratiæ. 543. duo filii Mordredi insurrexerunt in regem Britonum Constantinum, volẽtes patrem vindicare, qui Saxonibus confœderati prælia plurima cõmiserunt.

Quos

Quos tandem Constantinus in fugam pulsos persequens, vnum Wintonæ, in Ecclesia sancti Amphibali, ante altare trucidauit. Alterum vero Londoniæ, in quorundam fratrum cœnobio absconditum, crudeli morte damnauit.

ANNO gratiæ. 544. Herculianus, Perusinus Episcopus, à Totila rege Ostrogothorum, capite amputato, martyrizatur. Cuius caput, post mortem eius, corporivnitum inuenitur. Eodem anno, Withgarus Vectæ insulæ princeps obiit, & sepultus est in loco, qui de nomine ipsius Withgaersberie appellatur. *Miraculum.*

ANNO gratiæ. 545. sanctus Remigius, Remensis Archiepiscopus, in domino quieuit. Per idem tempus rex Britonum Constantinus obiit, & infra Choream gygantum sepultus est. Cui successit Aurelius Conanus miræ probitatis iuuenis, & ipsius nepos, per omnia diademate dignus nisi ciuilis belli fuisset amator. Nempe auunculum, qui post Constantinum regnare debuerat, incarcerauit, duobusq; filiis peremptis regnum obtinuit, & 30. annis regnauit. *De Aurelio rege Britoniæ.*

ANNO gratiæ. 546. Vigilius Papa, à Iustiniano Imperatore, exilio pellitur, eo quod Anthymum hæreticum ad suum Episcopatum noluit reuocare. *Vigilius Papa, exilio pellitur.*

ANNO gratiæ. 547. Albunius rex Longobardorum Cunimundum, regem Gepidarum, belle peremit. Ex cuius capitis testa cyphum sibi ad bibendum parauit, filiamq; eius captiuam secum abducens matrimonio sibi copulauit.

ANNO gratiæ. 548. regnum Northanhumbrorum exordium sumpsit. Cum enim proceres Anglorum magnis laboribus & continuis patriam illam subiugassent, Idam iuuenem nobilissimum regem sibi vnanimiter præfecerunt. Genuit autem Ida ex regina sua sex filios, Addam, Æthelricum, Theodoricum, Æthericum, Osmerum, & Theofredum. Præterea, ex concubinis alios sex filios genera uit: Ogam, Alricum, Eccham, Osbaldum, Segorum, & Segotherum. Isti omnes venerunt in Britanniam cum nauibus 40. & apud Flemesburg applicuerunt. Regnauit Ida annis duodecim, & castellum de Bebanburg construxit, quod prius ligneis palis, postea muro circuiuit. Genealogiam autem eius sequentia declarabunt. *Regnum Northanhumbrorum initium sumpsit.*

ANNO gratiæ. 549. Agericus Vertunensis Episcopus sanctitate refulsit insignis. *Agericus claret.*

ANNO gratię. 550. Sambucus arbor, in Italia, grana & fructus vitis portauit, & quædam alia prodigiosa & monstruosa apparuerunt.

ANNO gratiæ. 551. quinta synodus vniuersalis Constantinopoli celebratur. In qua epistola, quæ Iba dicitur, erroris plena reprobatur, & Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur & damnatur. Eodem anno Iordanus Episcopus historiam suam terminauit. Per idē tempus Iustinianus Augustus, ab Anthymo hæretico seduct⁹, cœpit à fide catholica declinare. Misit namq; vxor eius Theodora ad Papā Vigilium, mandans vt Anthymū reuocaret. Fuerat enim Constantinopolitanus Episcopus, & à Papa Agapeto, eo quod hæreticis fauebat, degradatus. Et quia Papa Vigilius illum reuocare distulit, vi compulsus, ad se venire fecit. Quem cum maximis afficeret iniuriis, fertur ei dixisse Papa Vigilius. Vt video non me fecerunt ad se venire Iustinianus & Theodora, sed Diocletianus & Eleutheria. *Quinta synodus celebratur.*

ANNO gratiæ. 552. post Vigilium, Pelagius sedit in cathedra Romana annis quatuor, mensibus 10. diebus 18. cessauitque sedes mensibus 6. Eodē anno puer quidam in Oriente, filius Iudæorum, cum à coæuis suis, Christianorum filiis, ad hoc inductus fuisset vt in Ecclesia matris Domini, corpus Christi & sanguinem susciperet, propter hoc à patre suo in fornacem ardentem proiectus, illæsus inde à Christianis extractus est, asserens quod mulier quæ in illa Ecclesia puerum tenens depicta erat, pallio suo flammas à se efflauisset. *Pelagius Papa.*

ANNO gratiæ. 553. sanctus Maurus, beati Benedicti discipulus, virtutibus & miraculis præclarus habetur. Cuius aduentum cum vir nobilis, Florus nomine, ad partes Gallicanas cognouisset, venit ad eum, & locum ei opportunum ad construendum monasterium deuotus ostendit. Quod vir Dei cum vix annuisset, artificibus congregatis, opus incepit & perfecit. Florus vero filium suum Bertulphum beato Mauro ad erudiendum tradidit, cuius exemplum nobiles multi secuti, locum illum memorabilem reddiderunt. *Sanctus Maurus claret.*

ANNO gratiæ. 554. hyems niue & glacie ita arctabatur, vt aues & feræ indomitæ manu capi potuissent. *Asperitas hyemis.*

ANNO gratiæ. 555. quasi species lancearum, in aere visæ sunt à septentrione vsq; in occidentem. *Prodigium in aere visum est.*

Sanctus Medardus obiit. ANNO gratię. 556. sanctus Medardus, Nouiomensis Episcopus, virtutibus insignis migrauit ad dominum, & Sueſſionis est sepultus.

Sancta Radegundis claret. ANNO gratiæ. 557. Radegundis regina, vxor Clotharii quondam regis Francorum, mutata veste sanctitatis nobilitate claret multiplici. His quoq; diebus sæpe fiebant conflictus inter Britannos & Anglos, atq; multis hinc indeq; peręptis, viciſſim vincebant, & vincebantur.

Gregorius Romæ insignis claruit. ANNO gratiæ. 558. Gregorius, filius Gordiani senatoris, Romæ adoleuit, qui de patrimonio proprio sex monasteriis in Sicilia fundatis, & septimo Romæ in domo sua, ex prætore vrbano factus est Monachus, qui scientia, sapientia, doctrina, & sanctitate emicuit insignis.

Kenrico defuncto, Ceaulinus succeſſit. ANNO gratiæ. 559. Kenricus rex Occidentalium Saxonum defunctus est, & regnauit pro eo Ceaulinus filius eius 30. annis.

Regnũ Northanhumbrorum diuiſum est. ANNO gratiæ. 560. defuncto Ida rege Northanhumbrorum, regnum in duo regna est diuisum. Siquidem Ella filius Iffi, ducis strenuiſſimi, in Deira regnare incepit, & regno tale nomen dedit, & annis 30. in eo regnauit. Adda vero, filius Idæ, in regno Berniciorum patri succeſſit, & septem annis regnauit. Iste est Ella rex Deirorum, de quo in vita beati Gregorii Papæ fit mentio, sicut subscripta docebunt.

Miraculum imaginis. EODEM anno, Iudæus quidam imaginem Saluatoris de Ecclesia furtim surripiens, clam illam in domum suam detulit, eamq; telo transfixit. Cumq; eam flammis comburere vellet, & sese imaginis sanguine cruentatum videret, præ stupore eam abscondit. Quã Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis inuenientes, sanguinolentam receperunt, Iudæumq; lapidauerunt. Eodem anno, Æthelbertus, rex magnus Cantuariorum, secundum quosdam regnare incepit, quibus etiam Beda consentit. Veruntamen aliorum sententia apparet probabilior.

Sanctus Brẽdanus claruit. ANNO gratiæ 561. sanctus Brendanus in Scotia claruit, qui Fortunatus insulas septennali nauigatione requirẽs, multa relatu digna vidit, à quo Machutus regulariter educatus, & ipsius nauigationis socius in Britannia miraculis, & sanctitate refulsit. Qui à Britannis exacerbatus, eis maledicens ad Gallos transiit, vbi sub Leontio Episcopo Santonũ multis virtutibus claruit. Britannos vero propter suam maledictionem variis cladibus adductos, sanauit data iterum benedictione, & absoluit. Per idem tempus, Sampson Dolensis Archiepiscopus & successor sancti Sampsonis qui de Britannia maiori ad minorem transiit, doctrina & sanctitate refulsit.

Mugitus montis. ANNO gratiæ. 562. in Gallia mons, super Rodannum fluuium, multis diebus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discussus, cũ Ecclesiis, domibus, hominibus, & bestiis, in flumen est præcipitatus.

ANNO gratiæ. 563. floruerunt Romæ Priscianus Grammaticus, & Arator subdiaconus, qui Apostolorum actus versibus hexametris perorauit, Floruit etiam Fortunatus, vir egregius, ingenio clarus, sensu celer, ore suauis, qui ab Italia Turonis veniens, actus beati Martini quatuor libris heroico metro digeſſit. Indeq; assumptus, Pictauorum est ordinatus Episcopus.

De quatuor filiis regis Frãcię. ANNO gratiæ. 564. Lothario rege Francorum defuncto quatuor filii eius regnum inter se diuiserunt, quorum primogenitus Chilpericus regnauit annis viginti tribus.

Iuſtinus Imperator. ANNO gratiæ. 565. Iustinus iunior Romanum adeptus imperium, annis duodecim imperauit. Quo etiam anno signa multa in sole & luna apparuerunt.

Ioannes Papa. ANNO gratiæ. 566. Iohannes sedit in cathedra Romana annis duodecim, mensibus vndecim, diebus, 27. & cessauit sedes mensibus 10. & diebus 3. Eodem anno sanctus Columbanus, de Scotia veniens in Britanniam, clarus habetur. Eodem anno Æthelbertus Ermerici filius, regnum Canciæ suscipiens 56. annis illud strenuiſſime gubernauit. Hic regnum Angliæ potentiſſimus, vsq; ad confiniũ Humbri fluminis, quo meridiani & septentrionales populi dirimuntur, imperii sui fines extendens, omnium illarum prouinciarum gentibus nobiliſſime imperauit.

Glappa rex. ANNO gratiæ, 567. defuncto Adda rege Berniciorũ, Glappa regnauit pro eo quinque annis. Eodem anno hastæ igneæ in aere visæ sunt, protendentes irruptionem Longobardorum in Italia.

ANNO gratiæ. 568. Ceaulinus rex Westsaxonum & Cutha frater eius, causis compellentibus, contra Æthelbertum regem Canciæ pugnauerunt. Vbi Æthelbertus duobus comitibus suis interfectis ipsemet in fugam conuersus est.

ANNO

ANNO gratiæ. 569. defuncto Glappa rege Berniciorum, regnauit pro eo Theodwaldus vno anno. *Theodwaldus rex.*

ANNO gratiæ. 570. Fretheulfus regnauit in Bernitia septem annis. Eodem anno Armeniæ gentes fidem Christi susceperunt, & abbas Wandregisilus natus est. *Fretheulfus rex.*

ANNO gratiæ. 571. completus est cyclus vnus sancti paschæ annorum quingentorum 22. ex quo dominus noster Iesus Christus crucifixus est, indictione, 7. anno secundũ Græcos à conditione mundi 5075. Vffa in Estanglia tunc regnauit. *De cyclo.*

ANNO gratiæ. 572. Gregorius Turonensis Episcopus ordinatus, sanctitate refulsit insignis. *Gregorius Turonensis*

ANNO gratiæ. 573. Hispani & Galli de pascha celebrando dissentiunt, Hispanis 12. Kal. Aprilis, Francis 14. Kal. Maii pascha celebrantibus. Sed Francos recte celebrasse per hoc diuinitus manifestatur, quod fontes in Hispania, qui in sabbato sanctæ paschæ, ad baptizandum diuinitus repleri solent, non in Hispanorum sed in Francorum pascha repleti sunt. *Miraculum.*

ANNO gratiæ. 574. Albinus rex Longobardorum, patrem vxoris suæ regem Gepidarum Cunimundum olim in bello peremerat, & ex testa capitis sui cyphum sibi ad bibendum parauerat. Cui vna dierum, cum porrigeret ad bibendum, dicens, bibe cum patre tuo, illa fœmineo accensa furore, illum in lecto ab armigero suo iugulari fecit. *Cyphum de testa capitis.*

ANNO gratiæ. 575. Benedictus sedit in cathedra Romana, annis quatuor, mensibus 6. & diebus 17. Ab isto Papa Gregorius ad prædicandum Anglis abire permissus, sed post tumultuante populo retractus, Leuita septimus est ordinatus. *Benedictus Papa.*

ANNO gratiæ, 576. fame Romam vrgente, multi Romanorum ad Longobardos confugiunt. Sed Tiberius postea imperator, missa ab Ægypto frumenti copia, Romam ab inedia liberauit. *Fames.*

ANNO gratiæ. 577. Tiberius Romanum adeptus imperium, annis septem imperauit. Qui quoniam in pauperes liberalis fuit, Deus ei multos thesauros inuenire concessit. Eodem anno defuncto rege Bernitiorum Fretheulpho, Theodoricus successit annis septẽ. *Tiberius Imperator.*

ANNO gratiæ. 578. sanctus Germanus Parisiẽsis Episcopus suo obitu cœlestia decorauit. Eodem anno defuncto rege Britonum Aurelio Conano, Vortiperius successit tribus annis. Qui Saxonibus infestus, multoties de eis laudabiliter triumphauit. *Sanctus Germanus obiit.*

PER idem tempus, post Vffam regem Orientalium Anglorum, à quo reges illius prouinciæ Vffingi dicuntur Titillus filius eius, regnum suscepit. Erat autem Titillus pater Redwaldi, qui à Wodeno decimus fuit. *Post Vffam regẽ Orientalium Anglorũ Titillus successit.*

ANNO gratiæ. 579. Pelagius sedit in cathedra Romana annis decem, mensibus octo, diebus decem, & cessauit sedes mensibus sex, & diebus viginti quinq;. *Pelagius Papa.*

ANNO gratiæ. 580. ignis per cœlum discurrere visus est. His vero diebus assiduæ fiebant inter Britones & Saxones irruptiones. Ceaulinus enim cepit Bedcanforde castellum, quod modo Bedford nuncupatur, cum aliis videlicet, Lienberi, Ailesberi, Benfintona, Henesham, Glouernia, Cirencestria, & Bathonia, & magnificatum est nomen eius vehementer. *Ceaulinus, rex VVestsaxonũ multa castra cepit.*

ANNO gratię. 581. Papa Pelagius, decreuit nouem præfationes tantum ad missas debere cantari, cassatis cotidianis quæ dici solebant. Eodem anno, defuncto rege Britonum Vortiperio, successit Malgo, vir pulcherrimus, probitate præclarus, armis robustus, & supra modum largus. Sed Sodomitana peste dissolutus, Deo & hominibus sese exhibuit odiosum. Hic etiam sex comprouinciales Oceani insulas potenter subegit. *Romæ decretum est, vt nouem præfationes ad missas dicantur.*

ANNO gratiæ. 582. Gregorius doctor, à Papa Pelagio Constantinopolim directus, libros moraliũ in Iob composuit, & ibidem Eutychium Constantinopolitanũ Episcopum male de resurrectione mortuorum dogmatizantem, qui corpus humanum in illa resurrectionis gloria impalpabile ventis aereq; subtilius esse venturum, in imperatoris præsentia confutauit, & illo non multo post mortuo penitus extinxit. *Gregorius doctor libros moralium composuit.*

ANNO gratiæ. 583. Turonis de pane altaris fracto verus sanguis effluxit.

ANNO gratiæ. 584. Tiberio Cæsare in amentiam verso & mortuo, Mauritius annis 22. imperauit. Eodem anno, rex Westsaxonũ Ceaulinus & frater eius Cuthwinus bellum cum Britannis commiserunt apud Frithenleiam, vbi Cuthwinus grauiter oppressus & peremptus est. Victi sunt igitur Angli & fugæ dati. *Mauritius Imperator. Regnũ Merciorum initium sumpsit*

ANNO gratiæ. 585. regnum Merciorum initium sumpsit, quod primus omnium Creodda tenuit. Inchoata sunt ergo hoc tempore omnia Anglorum siue Saxonum regna, quæ octo numerantur. Regnum videlicet Canciæ, cuius caput est ciuitas Dorobernias. *cuius rex primus Creodda fuit.*

Regnum Austrialium Saxonum, id est, Suthsex, cuius caput est ciuitas Ciceſtriæ. Regnum Orientalium Saxonum, id est, Estsex, cuius caput est ciuitas London. Regnum Orientalium Anglorum, id est, Estanglia, cuius caput est Norvvicum. Regnum West Saxonum siue Occidentalium Saxonum, cuius caput est ciuitas Wentana, quæ modo Wintonia dicitur, Regnum Merciæ siue Middelangliæ cuius caput est Dorkaceſtria, nunc vero Lincolnia. Regnum Northanhumbrorum, cuius caput est Eboracum. Hoc regnum modo in duo diuiditur, sicut supra dictum est.

ANNO gratiæ 586. Malgoni Britannorum regi Caretius, ciuilium amator bellorum, succeſſit, Deo & Britonibus inimicus. Cuius inconſtãtiam reges memorati, Anglorum videlicet & Saxonum, comperientes insurrexerunt vnanimiter in eum, & post prælia multa fugauerunt eum à ciuitate in ciuitatem, donec ad vltimum commisso prælio ipsum vltra Sabrinam in Walliam fugauerũt. Clerici vero & sacerdotes, mucronibus vndique micantibus, ac flammis in Eccleſiis circumquaque crepitantibus, omnes simul in exterminium pellebantur. Seceſſerunt itaque Britannorum reliquiæ in Occidentalibus regni partibus, Cornubia videlicet atque Wallia, maximam insulæ partem relinquentes. Vnde crebras & ferales irruptiones, sine intermiſſione, hoſtibus inferebant. Tunc archipræsules, Theonus Londonienſis & Thadiocus Eboracenſis, cum omnes Eccleſias sibi subditas solo tenus deſtructas vidiſſent, cum pluribus ordinatis, qui in tãto diſcrimine superfuerant, cum reliquiis sanctorum in Cambriam diffugerunt, timentes ne Barbarorum irruptione tot & tantorum sacra oſſa veterum à memoriis hominum delerẽtur, ſi ipſa imminenti periculo minime subtraxiſſent. Plures etiam, Armoricanam Britanniam petentes, totam Eccleſiam duarum prouinciarum, Loegrię videlicet & Northanhumbriæ à cõuentibus suis viduatam deſeruerunt & inanem. Quibusdam vero sanctorum corporibus, quæ in sepulturis iacebant reuerenter occultata, tumulos terræ superpoſuerunt, ne ab infidelibus deſpectui haberentur. Erant enim Anglorum siue Saxonum reges armis ſtrenuiſsimi, pagani atrociſsimi, qui nihil potius quam Chriſtum & Chriſtianorum cultum subuertere ſitiebant. Nam ſi qua Eccleſia, terra subiugata, illæsa seruabatur, hoc magis ad confuſionem nominis Chriſti quam ad gloriam faciebãt. Nempe ex eis deorum suorum templa facientes, prophanis suis ſacrificiis sancta Dei altaria polluerunt. Itaque Britãni regni diadema multis temporibus amittentes, videlicet vſq; ad tempora Cadvvallonis, quẽ Beda Cedvvallum vocat, illam patriæ partem, quæ eis remanſerat, non vni regi ſed tribus tyrannis subiectam, ciuilibus bellis ſæpiſsime infeſtare non ceſſabant. Reſidebant igitur miſerrimæ Britannorum reliquiæ in tribus prouinciis, Cornubia videlicet quæ Cornuvvallia à quibuſdam dicitur, eo quod in mare ſeſe quaſi in cornu extendat, Demecia, quæ Auſtralis Wallia appellatur, Venedocia, quæ Northvvallia nuncupatur. His finibus quãuis eis inuitis contenti à fide tamen Chriſti nunquam receſſerunt. Sed in hoc tantum reprehenſibiles iudicantur, quod ſemper gentem Anglorum, & etiam vſque in hodiernum diem, quaſi per eos propriis finibus proſcripti, odio mortali perſtringunt, nec illis libentius quam canibus communicare volunt. Sunt autem prouinciæ illorum inexpugnabiles, videlicet nemorum denſitatibus conſitæ, altis vallatæ paludibus, præruptis tumentes mõtibus. Vnde ſæpiſsime quaſi mures de cauernis erumpentes, gentem Anglorum nequiter infeſtant, nec aliud ab eis in bello, niſi capita ſolum pro redemptione requirunt. Hac denique tempeſtate, Eccleſia beati martyris Albani, quæ poſt paſsionem suam miro tabulatu lapideo, atque eius martyrio condigna legitur fabricata, deiecta penitus cum aliis creditur & deleta, donec per miniſterium Offæ regis, angelo ſibi reuelante, corpus glorioſi confeſſoris ac martyris inuentum eſt, & monaſterium eius denuo fabricatum. Subiugata itaque Britannia ciuibuſque proſcriptis reges Anglorum siue Saxonum terras vndique occupant, regna dilatant, & pro vniuſcuiuſque poſsibilitate, regnis suis limites ponunt. Regnabant autem his temporibus octo reges, quorũ nomina hæc sunt. Athelbertus videlicet in Cancia, Ciſſa in Suthſaxia, Ceaulinus in Weſtſaxia, Creodda in Mercia, Erkẽvvinus in Eſtſaxia, Tytillus in Eſtanglia, Ella in Deira, Aethefridus in Bernitia. Hæc denique regna, proceſſu temporis ita diſtinguebantur. Reges autem Cantuariæ in ſola Canciæ prouincia dominabantur. Reges Suthſexiæ, in illa tantum prouincia dominabantur. Reges Eſtſexię, in illa prouincia & in Middelſexia dominabantur. Reges Eſtanglię in Northfolke & Suthfolke dominabantur, necnon in prouincia Canterbrigenſi, donec à rege Merciorum Offa mutilati sunt. Reges Merciorum dominabantur in prouinciis Glouernenſi, Wygornienſi, Warvvicenſi, Ceſtrenſi, Derebienſi, Lincolnienſi, Leirceſtrenſi, Oxonienſi, Herefordenſi, Staffordenſi, Northamptonenſi, Bukinghamẽſi, Bedfordenſi, Huntedu-

Britones patriam suam deſerentes, in Vvalliam ſeceſſerunt.

Huntedunenſi, Cantabrigenſi, & Hertfordenſi. Reges Weſtſaxonum dominabantur in prouinciis Bercenſi, Dorſetenſi, Sutherienſi, Wiltonenſi, Saresberienſi, & Bathonienſi. Iſtis ergo prouinciis inter ſex reges diſtributis, quandoque ad inuicem bella ciuilia, & pluſquam ciuilia commiſerunt. Duo reges qui ſunt in Northanhumbria, dominabantur à magno flumine. Humbriuſque ad mare Scotiæ. De his autem ſufficienter ſuperius dictum eſt. His ita diſpoſitis, placuit dictis regibus Britanniam, & memoriam Britannorum penitus delere. Vnde communiter ſtatuerunt quatenus inſula, non à Bruto Britannia, ſed ab Anglis Anglia vocaretur. Eodem anno, Francorum Gunthrannus in venando feſſus, dum in gremio ſui armigeri dormiret, iuxta riuum aquæ vidit armiger ex ore regis pardum animal exire. Cui volenti riuum tranſire nec valenti, armiger gladio trans riuum poſito, viam eundi & redeundi parauit. Quo iterum in os eius intrante, expergefactus rex & ſtupefactus dixit, ſe per ſomnium ſuper pontem ferreum tranſiſſe, & ſub monte quodam multos theſauros vidiſſe, vbi cum ſecundum fidem ſomnii perrexiſſet, theſauros magnos inuenit: eoſque acceptos eccleſiæ vſibus delegauit.

Anglia primum dicta.

Somnium regis Francorū.

ANNO gratiæ 587. Clotharius regnauit in Galliis annis 44. Eodem anno, defuncto Erkenvvino rege Orientalium Saxonum, Sledda filius eius è Wodeno regnauit pro eo.

Sledda rex Orientalium Saxonum.

ANNO gratiæ 588. Aethelfridus rex Berniciorum Accam filiam, Ellæ regis Deirorum, cōiugem accepit, & ex ea proceſſu temporis ſeptem filios generauit. Nomina autem filiorum hæc ſunt, Eanfridus, Oſvvaldus, Oſvvinus, Oſſacus, Oſvvidus, Oſa, & Offa. Eodem anno, Creodda Merciorū rege mortuo, Wibba filius eius ſucceſſit tribus annis.

ANNO gratiæ 589. Sledda rex Orientalium Saxonum ex filia Ermenrici, regis olim Cantuariorum, genuit Sebertum, qui poſt patrem regnauit.

Sledda rex.

ANNO gratiæ 590. defuncto Cyſſa rege Auſtralium Saxonum, regnum illud ad regem Occidentalium Saxonum Ceaulinum deuolutum eſt.

Regni Auſtr. Saxonū finis.

ANNO gratiæ 591. facto in Italia pene vltra fidem omnium diluuio, poſt multam rerum confuſionem, ſubſecuta eſt peſtis, quæ inguinaria dicitur, quæ primum omnium papam Pelagium extinxit, ac demum populum ſtrage maxima deuaſtauit. Fungebatur autem eodem tempore beatus Gregorius vice archidiaconi in vrbe Roma, qui pro tanta ciuium clade iuſſit fieri, ſeptiformem litaniam. Septiformis litania ideo dicitur, quia in loco primo fuit omnis clerus, in ſecundo omnes abbates cum ſuis monachis: in tertio omnes abbatiſſæ cum ſuis monialibus: in quarto omnes infantes: in quinto omnes laici: in ſexto vniuerſæ viduæ: in ſeptimo omnes coniugati. His omnibus vir Dei rite diſpoſitis, peſtem præfatam, iram Dei mitigando, penitus ab vrbe deterſit.

De ſeptiformi litania à beato Gregorio conſtituta.

Diluuium.

Inguinaria in Italia.

Litania ſeptiformis.

ANNO gratiæ, 592. beatus Gregorius, populo acclamante cum clero, papa electus, licet multum renitens ſeipſum abſentando, tandem inuentus & inthronizatus eſt. Qui inter cætera pietatis opera, Traiani quondam imperatoris animam, quamuis pagani, à pœnis inferni ſuis precibus promeruit liberare. Antiphonarium compoſuit, kyrieleiſon cum alleluia ad miſſas cantari inſtituit. Et in canone miſſæ tria verba vtiliter appoſuit, videlicet, dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripe, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.

Gregorius Papa.

ANNO gratiæ. 593. Ceaulinus & frater eius Quichelinus, deceſſerunt & Ceolricus Ceaulino, in regnum Occidentalium Saxonum ſucceſſit, quinque annis. Eodem tempore, papa Gregorius orationem dominicam poſt canonem ſuper hoſtiam cenſuit recitari. Eodem anno Ella rex Deirorum defunctus eſt. Quo mortuo, Aethelfridus rex Berniciorum, filium eius Eadvvinum regno expellens Deirorum, duo regna ſtrenuiſſime gubernauit. At Eadvvinus in exilium pulſus, exulauit cum Redvvaldo rege orientalium Anglorum, quouſque per illum regno ſuo reſtitutus eſt.

Ceolricus, rex Occidentalium Saxonum.

ANNO gratiæ. 594. tunica domini ſaluatoris, in ciuitate Zaphat non longe à Hieruſalem, confeſſione Simeonis Iudæi inuenta, & ab epiſcopo Gregorio Antiocheno, & epiſcopis Thoma Hieroſolomitano & Iohanne Conſtantinopolitana, Hieroſolymis, in loco vbi crux Chriſti veneratur, poſita eſt. Eodem anno Wibba rex Merciorum obiit, cui ſucceſſit Cearlus, non filius, ſed conſanguineus eius, decem annis.

Tunica inconſutilis domini inuenitur.

ANNO gratiæ. 595. Ricardus rex Wiſigothorum, ſynodo. 60. duorum epiſcoporum, apud Tholetum congregata, ibique Arriana hæreſi abdicata & anathematizata, totam gentem illam in catholica fide confirmat.

VViſigothorū rex, ab Arriana prauitate reuocat.

ANNO gratiæ 596. qui eſt annus 147. ex quo Horſus & Hengiſtus fratres venerunt in Britanniam, vt eam ſubiugarent, miſſus eſt ſeruus Dei Auguſtinus, à beato Papa

Sanctus Auguſtinus, à beato Papa

Gregorio in Britanniam missus, regem Athelbertũ, & populum sibi subiectũ, ad fidẽ Christi conuertit.

to Papa Gregorio, in Britanniam vt barbaræ genti Anglorum verbum Dei prædicaret. Qui Pagana superstitione cœcati, totam Christianitatem deleuerant in illa parte Insulæ quam habebant. In parte vero Britonum adhuc fides Christi vigebat, quæ anno Dominicæ incarnationis, 158. habita, nunquam inter eos defecit. Est autem ad Orientalem Canciæ plagam Thanatos insula, in qua vir Dei Augustinus & socii eius applicuerunt, viri vt ferũt ferme 40. Et mittens interpretes ad regem Æthelbertũ, mandauit sese de Roma venisse, ac nuncium ferre optimum, quod sibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia promittebat. Hæc audiens rex post dies paucos venit ad Insulam, & residens sub diuo, iussit Augustinum cum sociis eius, ad suum ibidem colloquium venire. At illi diuina virtute præditi veniebant crucem pro vexillo ferentes, & imaginem domini Saluatoris in tabula depictam, litaniasq; pro sua simul & eorum, propter quos aduenerant, salute decantantes. Cunque ad iussionem regis residentes, verbum ei vitæ, vna cum omnibus qui aderant prædicaret, respondit ille dicens. Pulchra quidem sunt ea quæ promittis, sed quia noua sunt & mihi incerta, non his modo possum assensum præbere, relictis eis quæ tanto tempore cum mea gente seruaui. Verum quia de longe huc peregrini venistis, & ea quæ vos vera & optima credebatis nobis communicare desideraſtis, nolumus vobis molesti esse. Sed potius benigno vos hospitio recipere, & quæ victui vestro sunt necessaria ministrare. Nec prohibemus, quin omnes quos poteritis fidei vestræ religioni prædicando societis. Dedit ergo eis mansionem in ciuitate Dorobernensi, quæ imperii sui erat caput, vbi cœperunt Apostolicam primitiuę Ecclesiæ vitam imitari, orationibus videlicet assiduis ac ieiuniis inhærendo, verbum vitæ prædicando, quos poterant lauacro salutis perfundebant. Nec mora crediderunt multi & baptizabãtur, imitantes simplicitatem innocẽtis vitæ, ad dulcedinem doctrinæ cœlestis. Erat autem prope ciuitatem ipsam ad orientem ecclesia, in honorem sancti Martini antiquitus fabricata, in qua regina, filia regis Francię nomine Berta, orare consueuerat, vbi primo & ipsi conuenire, & prædicare, missas celebrare, & baptizare cœperunt. At vbi post paululum ipse etiam rex inter alios delectatus vita sanctorum mundissima, credens baptizatus est, cœperunt plures cotidie ad audiendum vitę verbum confluere, ac relicto gentilitatis errore, vnitati ecclesiæ sese credendo sociare. Dedit etiam ipsis doctoribus locum sedis congruum gradui eorum, in Dorobernia ciuitate sua metropoli, & necessarias in diuersis rebus dedit mansiones. Interea vir domini Augustinus venit Arelas, & ab archiepiscopo eiusdem ciuitatis archiepiscopus ordinatus, in Britanniam reuersus est.

Cœnobium beati Benedicti destruitur.

Anno gratiæ. 597. Cœnobium beati Benedicti, quod in Castro Cassino idem pater fundauerat, à perfidis Longobardis destructum est. Fugientes itaque ex eodem loco monachi Romam petierunt, regulam quam idem sanctus ediderat secum deferentes.

Sanctus Columbanus obiit.

Anno gratiæ 598. floruit in Galliis Gregorius, Turonicæ ciuitatis episcopus, qui ex Auernico territorio attulit reliquias sancti Iuliani. Eodem anno sanctus Columbanus doctor Scottorum & Pictorum obiit, qui posteris suis multa sanctitatis documenta reliquit.

Anno gratiæ. 599. defuncto rege Reduualdo orientalium Anglorum, Eorpenualdus regni gubernacula suscepit.

Anno gratiæ. 600. mortuo rege Francorum Childeberto, Theodebertus, & Theodoricus filii eius, subrogantur.

Beatus Gregorius Augustino pallium misit.

Anno gratiæ, 601. beatus papa Gregorius, Augustino pallium misit, ad ecclesiam videlicet Londonienſem, quæ tempore Britonum metropolis erat, sicut Beda in historia Anglorum testatur.

Iohannes Cõstantinopolitanus contẽdit de primatu.

Anno gratiæ. 602. contentio inter Romanam ecclesiam & arrogantiam Iohannis episcopi Constantinopolitani, vniuersalis patriarchæ sibi nomen vsurpantis, sub papa Pelagio concepta, & à Gregorio non leuiter agitata, non ante quiescere potuit, quam ipse Iohannes subita morte occubuit.

Sanctus Augustinus Britonũ Episcopos ad concilium suum vocat.

Anno gratiæ. 603. rex Northanhumbrorum Ætheldfridus contra Britannos apud Kaerlegion dimicans, viros religiosos de Abbatia Bangorienſi maximam multitudinem interfecit. Nempe vir domini Augustinus, auxilio regis Æthelberti vsus, conuocauit ad synodum suam Episcopos & doctores proximæ Britonum prouinciæ, in loco qui vsq; hodie lingua Anglorum, Augustines ac/ id est, robur siue quercus Augustini appellatur, in confinio Occidentalium Saxonum & Wictiorum, cœpitq; eis fraterna admonitione suadere, vt pace catholica secum habita, communem Euangelizandi gentibus pro domino laborem susciperent, qui sanctum pascha & alia perplura vnitati Ecclesiæ contraria faciebant. Qui cum longa disputatione habita, neq; precibus neque hortamentis Augustini,

guſtini, aſſenſum præbere voluiſſent, ait. Obſecramus fratres Deum omnipotentē, vt ipſe nobis, cœleſtib. ſignis, inſinuare dignetur, quæ ſequenda tr̃aditio, quibus ſit viis ad ingreſſum regni cæleſtis properandum. Adducatur aliquis æger, & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio omnib. ſequenda tradatur. Quod cum aduerſarii, licet inuiti, concederent, allatus eſt æger quidam oculorum luce priuatus. Qui cum oblatus Britonū Epiſcopis, nihil curationis eorum miniſterio perciperet, tandem Auguſtinus genua ſua ad patrem Domini noſtri IESV CHRISTI flexit, deprecās vt viſum cœco reſtitueret, vt per illuminationem vnius hominis corporalem, in plurimorum corda fideliū gratiam accenderet lucis ſpiritualis. Nec mora illuminatus eſt cœcus, ac verus ſummæ lucis præco prædicatur ab omnibus Auguſtinus. Tunc Britones confitentur intellexiſſe veram eſſe viam, quam prædicauit Auguſtinus, at ſeſe non poſſe, abſque ſuorum conſenſu, priſcos abdicare mores, vnde vt ſecundo fieret ſynodus pluribus aduenientib. poſtulabant. Quod cum eſſet ſtatutum, venerunt vt perhibent ſeptem Britonum Epiſcopi & plures viri doctiſſimi, maxime de nobiliſſimo eorum monaſterio, quod lingua Anglorum Bangorneburg dicitur, cui tempore illo Abbas Dionotus præfuiſſe narratur. Qui ituri ad concilium præfatū venerunt primo ad quendam virum ſanctum ac prudentem, qui apud eos Anachoretanā ducebat vitam, conſulentes an ad prædicationem Auguſtini ſuas deſerere traditiones deberent. Qui reſpondit, Si homo Dei eſt, ſequimini illum. Dixerunt, Et quomodo hoc poſſumus probare? Ait ille. Dominus (inquit) ait. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ergo Auguſtinus ille mitis eſt & humilis corde, credibile eſt quia & ipſe iugū Chriſti portat & vobis portandum offerat. Si igitur immitis eſt ac ſuperbus, conſtat quia non eſt à Deo, neque vobis eſt eius ſermo curandus. Qui rurſus aiebāt. Et vnde hoc dignoſcere valemus? Procurate (inquit) quod ipſe prior cum ſuis ad locum ſynodi aduenīat, & ſi ipſe vobis appropinquantibus aſſurrexerit ſciatis quoniam Chriſti famulus eſt, & obtemperanter illum audite. Sin autem vos ſpreuerit, nec vobis aſſurgere voluerit cum ſitis numero plures, & ipſe ſpernatur à vobis. Factumque eſt vt venientibus illis Auguſtinus in ſella ſederet. Quod illi videntes mox in iram conuerſi ſunt, eumque ſuperbiæ notantes, cunctis quæ dicebat contradicere laborabant. Quibus Auguſtinus ait. Si in tribus ſaltem obtemperare mihi vultis, vt paſcha ſcilicet ſuo tempore celebretis, vt miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, iuxta morem ſanctæ Romanæ Eccleſię compleatis, vt genti Anglorum verbum Dei vna nobiſcum prædicetis, cætera quæ agitis, quamuis moribus noſtris ſunt contraria, æquanimiter tolerabimus. At illi nihil ſe horum facturos neque illum pro Archiepiſcopo ſe habituros affirmabant, conferrentes ad inuicem quia ſi nobis aſſurgere noluit, quāto magis ſi ei ſubdi cœperimus pro nihilo contemnet. Quibus vir domini Auguſtinus fertur minitans dixiſſe: quod ſi pacem cum fratribus nollent habere, bellum ab hoſtibus forent accepturi? Et ſi nationi Anglorum viam vitæ prædicare noluerint, per horum manus vltionem eſſent mortis accepturi. Quod ita per omnia vt prædixerat diuino agente iudicio patratum eſt. Nec multo poſt Aethelfridus, Northanhumbrorum rex fortiſſimus & paganus ferociſſimus, collecto grandi exercitu in ciuitate Legionū, quæ à Britannis Caerlegion, id eſt, ciuitas Legionum fertur, eo quod Romanæ legiones ibi perendinare ſolebant, maximam ex iis fecit ſtragem. Nam bellum contra Britannos commiſſurus, cum videret ſacerdotes eorum qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente conuenerant, ſeorſum in tutiore loco conſiſtere: ſciſcitabatur qui eſſent, quidue acturi illo conueniſſent. Erant enim plurimi eorum de monaſterio Bangor, in quo tantus fertur fuiſſe monachorum numerus, vt cum in ſeptem eſſent portiones cum ſuis rectoribus diuiſi, nulla minus quam 300. religioſos monachos continebat. Horum autem plurimi, triduano peracto ieiunio cum aliis orandi gratia conuenerant habentes defenſorem Brochimallum, qui eos precibus intentos à gladiis protegeret Barbarorum. Quorum aduentus cauſam cum intellexiſſet Aethelfridus tyrānus, ait. Et ſi iſti aduerſum nos deum ſuum inuocant, profecto quamuis arma non ferant, contra nos pugnant, qui aduerſis imprecationibus ſuis perſequuntur. Itaque in hos primum arma vertere iubet, & ſic cæteras nefandæ militiæ copias, non ſine exercitus ſui damno, deleuit. Extinctos autem in illa pugna fertur, ex his qui ad orandum venerunt, viros circiter mille ducentos, & ſolummodo quinquaginta fuga elapſos. Brochimallus quoque ad primum hoſtium aduentum cum ſuis terga vertens. Eos, quos defendere debuerat, inermes ac nudos gladiis ferientibus reliquit. Sicque completum eſt præſagium beati pontificis Auguſtini.

Galfridus Britannicus iſta ſcribit.

Dionotus abbas Bangor.

Monachi 1200. occiſi.

ANNO gratiæ 604. beatus Auguſtinus donante rege Aethelberto, in ciuitate quę à quodam primario nomine Rof, Rofeceſtria. i. ciuitas Rof dicebatur, Eccleſiam S. An-

S. Auguſtinus ordinauit Iuſtum primū

Rossensem Episcopum.

dreæ Apostoli construxit, eamque multis possessionibus & amplis dotauit, atq; ibidem Iustum Episcopum ordinauit.

Sanctus Augustinus Mellitũ ordinauit primum Londoniensem Episcopũ.

EODEM anno in ciuitate Londoniæ idem Augustinus Mellitum pontificem consecrauit. Sicque vrbis Londonienſis, quæ semper temporibus Britannorum archiepiscopũ habuerat, dignitas nũc ad Doroberniã translata est, vt Merlini vaticiniũ impleretur dicentis. Delebitur religio in insula, & transmutatio primarũ sediũ fiet, dignitas. Londoniæ adornabit Doroborniam, &c. Eodem anno Mellitus in prouinciam orientalium Saxonum ad prædicandum missus à beato Augustino, Sebertum regem cum tota gente sua ad fidem conuertit. Erat autem idem Sebertus nepos Æthelberti magni regis Canciæ, ex sorore Ricula, atque sub potestate ipsius constitutus, qui omnibus, vsq; terminum Humbri fluminis, Anglorum gentibus imperabat.

Doroberniæ sedes Archiepiscopalis fit.

Somnium Mauritii imperatoris.

Eodem anno Imperator Mauritius, vir Deum timens, in suis orationibus diuinam iugiter clementiam precabatur vt facinorum suorum in hoc seculo commissa luere posset. Quadam itaque nocte dum in strato suo quiescereret emissa est ad eum vox cœlitus dicens. Mauriti trade te & vxorem tuam Constantiam cum pueris Phocæ militi. Expergefactus autem quæsiuit à suis, si scirent militem inter agmina sua Phocam appellatum. At illi. Scimus. Et ille. Cuius est qualitatis? Qui dixerunt. Iuuenis tumidus & temerarius. Tunc Augustus somnium suum referens, glorificabat magnifice Deum pro huiusmodi visione. Post hęc autem in terra hostili positus, cum milites suos ferro & rapinis abstinere compelleret, nec eis consueta stipendia ministraret, Phocam rogare cœperunt vt imperii super eos regimen vsurparet. Quibus Phocas obediens, purpuram imperialem suscepit. Quod audiens Mauritius animo dissolutus, rebus quod aduersum se fluentibus cessit, & in quandam syluam mari contiguam fugit. In qua cum vxore & quinque filiis iussu Phocæ Augusti Cæsaris interemptus est. Phocas ergo Romanum inuadens imperium, annis 8. imperauit.

Beatus Gregorius Traiani principis animã à pœnis infernalibus eripuit.

ANNO gratiæ. 605. qui est annus imperii Phocæ secundus, beatus Gregorius ex hac vita migrauit ad dominum. Hic vir beatus adhuc viuens, cum quodam tempore per forum Traiani principis, quod ipse ædificiis pulcherrimis dudum venustarat procedens, iudicii eius quo viduam consolatus fuerat recordaretur, pro tanta imperatoris mansuetudine commotus ad sancti Petri Apostoli basilicam festinus viator peruenit, vbi tam diu super infidelitate & errore clementissimi principis fleuisse asseritur, quousq; nocte sequẽti responsum accepisset se pro Traiano exauditum fuisse, ita vt p nullo vlterius pagano preces effunderet. Sic itaque Traiani animam ab inferni cruciatibus crede liberatam: vt in inferno posita per Dei misericordiam minimum inferni non sentiat cruciatum. Nempe vnus & idem Gehennæ ignis & si multos valet peccatores pariter detinere, per Dei iustitiam non omnes potest æquali pœna punire. Nam secundum delicti modum animæ in Gehenna sentiunt cruciatum. Opus pietatis per quod Traianus Deum & beatum patrẽ Gregorium commouit ad misericordiam hoc fuit. Quodam tempore Traiano ad belli procinctũ vehementissime festinante, vidua quædam fœminarum pauperrima ad eũ lachrymis dissoluta accessit dicens. Filius meus, te imperante, innocens peremptus est, obsecro vt quia illum mih reddere non vales sanguinem eius legaliter vindicare digneris. Cumq; Traianus, si sanus reuertereretur de prælio, hunc se vindicaturum promitteret, vidua dixit. Et si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi iusticiam exhibebit? Traianus respondit. Ille q post me imperabit. Et illa. Quid tibi proderit si alter mihi iusticiã fecerit? Traianus respõdit. Vtiq; nihil. Et vidua. Nonne inquit tibi melius est, vt tu mihi iusticiam facias & pro hoc mercedem tuam recipias, quã alteri hanc transmittas? Tunc Traianus ratione simul ac pietate commotus, equo descendit, nec antea discessit quam iudicium viduæ & sententiam executioni demandaret. Pro hac autem mansuetudine & exhibitione iusticiæ à pœnis infernalibus per lachrymas beati patris Gregorii, quingentis post mortem, & eo amplius elapsis annis, meruit liberari. Idem pater Gregorius, primus omnium, in principio Epistolarum suarum ante salutem gratiam & benedictionem, sese seruum seruorum Dei pronuncians, omnibus successoribus suis formam humilitatis ostendit. Et post humilitatem vtilitatem subiunxit, cum dicit salutem, videlicet animæ & corporis, gratiam à Deo & hominibus, benedictionem, quæ est in semine Abrahæ, quod est Christus, in quo benedicentur omnes gentes terræ. Et beatus pater Gregorius, licet vita & scientia fuerit præclarus, multos tamen maxime post mortem habuit detractores adeo vt propter detestationẽ ipsius & memoriæ deletionem, omnes libri sui comburi deberent, nisi Petrus eius diaconus esset. Ipse enim dixit, se vidisse spiritum sanctum super eum sedẽtem in columbæ specie, dum ipsos libros conscripsisset.

Gregorius omnium primus scripsit se seruũ seruorum Dei. &c.

AN-

ANNO gratiæ. 606. Sabinianus sedit in cathedra Romana anno vno, mensibus 5. & diebus 9. Eodem tempore pauper quidam, cum à nautis eleemosynam peteret nec acciperet, dicente nauclero, nos nihil hic præter lapides habemus subiecit pauper. Omnia ergo vertantur in lapides. Quo dicto, quicquid manducabile in naui erat in lapides conuersum est, colore & forma earundem permanente. *De cibis in lapides conuersis.*

ANNO gratiæ. 607. Ceolrico rege occidentalium Saxonum defuncto, Ceulfus regnauit pro eo viginti quatuor annis. Per idem tempus cum Papa Sabinianus liberalitatem beati Gregorii prædecessoris sui derogaret, & sub hoc obtentu manum egenis subtraheret, Gregorius eum, per visum, ter pro culpa tenaciæ huius derogationis increpatum, quod non respiceret pauperes, etiam quarto horribiliter increpans, & comminans in capite percussit, quo ille dolore vexatus paulo post obiit. *Ceulfus rex occidentaliũ Saxonum.*

ANNO gratiæ. 608. Bonifacius sedit in cathedra Romana mensibus. 8. & diebus 29. Eodem anno beatus Augustinus, Dorobernensis archiepiscopus primus diem clausit extremum septimo Kalend. Iunii. Cui successit Laurentius natione Romanus, quem ipse adhuc viuens ordinauerat, ne status ecclesię tenerrimus sine pastore vacillaret. Sepultus est autem iuxta ecclesiam apostolorum Petri & Pauli, quæ nec dum fuerat perfecta nec dedicata, in qua plurimorum archiepiscoporum corpora tumulata leguntur. *Bonifacius Papa. Laurentius Augustf. successor.*

ANNO gratiæ. 609. Bonifacius quintus sedit in cathedra Romana annis. 6. mensibus. 8. & diebus 12. & cessauit sedes mensibus. 7. & diebus 25. A quo rogatus Phocas imperator statuit vt ecclesia Romana esset caput omnium ecclesiarum & magistra. Nam antea ecclesia Constatinopolitana primam sese scribebat omnium ecclesiarum. Impetrauit etiam idem papa à præfato principe templum Romæ quod antiquitus Pantheon vocabatur, eo quod in eodem quondam omnium non Deorum sed dæmonum cultus agebatur. Quo impetrato, exclusa inde diuersa simulacrorum multitudine, omnipotentis Dei & S. Mariæ virginis omniumq; sanctorum ecclesiã construxit, vt sicut ibi quondam omnium dæmoniorum cultus agebatur, ita deinceps ibidem omnium sanctorum memoria haberetur.

ANNO gratię. 610. defuncto Ceulfo rege occidentalium Saxonum, regnauit pro eo Kinegilsus filius Ceolæ. 30. & vno annis. Regnabat hoc tempore in Mercia Penda in regno orientalium Anglorum Redwaldus, in Cantia Æthelbertus, in Estsaxia Sebertus, in Northanhumbria Æthelfridus superbus & vanæ gloriæ cupidus *Ecclesia Romana caput omnium ecclesiarum efficitur.*

ANNO gratiæ. 611. Bonifacius papa congregata synodo in Italia mense Martio, tertia videlicet die mensis, multa ad vtilitatem ecclesiæ statuit. Interfuit autem Mellitus Londoniensis episcopus ab archiepiscopo Dorobernensi Laurentio destinatus, vt decreta synodi Britanniam rediens ecclesiis Anglorum traderet, & summi pontificis authoritate executioni demandaret. Eodem tempore Ioannes Alexandrinus episcopus floruit, qui ob eximiam in pauperes CHRISTI liberalitatem nomen eleemosynarii habere promeruit. Contigit autem vt quidam peregrinus videns tantam eius in pauperes compassionem, tentare eum volens accessit ad eum dum de consuetudine infirmos visitaret, & dixit: Miserere mei quoniam miser ego sum & captiuus. Patriarcha vero dispensatori suo ait. Da ei. 6. aureos. Quibus acceptis mutauit habitum pauper, & aliunde veniens obuiam procidit in terram dicens: Miserere mei quia inedia crucior nimis. Dicit denuo patriarchæ. Da ei. 6. aureos. quo facto, dixit minister in auribus patriarchæ. Domine ipse iam bis accepit. Et tertio veniens eleemosynam postulauit. Minister autem domino intimauit. Tunc ait ille misericors. Da ei 12. aureos, ne forte Christus sit & tentet me.

ANNO gratiæ. 612. Phocas imperator, dũ crudeliter in suos sęuiret domesticos, Heraclii, Africæ Patricii, iussu peremptus est: qui post necem ipsius sibi rempub. vendicauit. *De synodo in Italia.*

ANNO gratiæ. 613. Heraclius Romano potitus imperio, annis 30. & vno imperauit. Eodem anno apud vrbem Galliæ Mauriennam erat mulier quædam S. Ioanni Baptistę nimis deuota. Hæc in orandi constantia persistens, dari sibi à Deo trienni oratione aliquid de membris eius expetebat. Spemque suam in Deo ponens, iurauit se non prius manducaturam quam acciperet quod petebat. Et sic 7. diebus ieiunans. 7. die desuper altari pollicem miri candoris apparere videns, læta donum Dei accepit. Ad quod adorandum tres episcopi venientes cum de pollice partem elicere vellent, tres sanguinis guttas ex eo stillare in linteo supposito stupuerunt, & singulas singuli se habere meruisse lætati sunt *De morte Phocæ imperatoris. De imperio Heraclii.*

ANNO gratiæ. 614. Deus dedit sedit in cathedra Romana annis tribus, diebus 20. & cessauit sedes mense vno, & diebus 6. Hic constituit, vt si qui viri vel mulieres filios suos quocunque modo de sacro fonte susceperint, separentur, & si mulier compatrem suum in *Deus dedit, Papa efficitur.*

coniugium duxerit separetur. Mulier autem dotem recipiat, & post annum si vult alteri nubat. Eodem anno rex occidentalium Saxonum Kinigilsus Quichelinum filium suum regni consortem suscepit.

Clodesuidæ velamen cœlitus mittitur.

Anno gratiæ. Anno 615. Clodesuidæ Mathensi sponsum suum fugienti velamen capitis per angelum à Deo mittitur, & illa se & sua Deo delegauit.

Æthelbertus rex Cantuariorum obiit.

Anno gratię 616. Æthelbertus rex Cantuariorum post regnum temporale quod 5. & 6. annis glorioſissime tenuerat, æterna cœlestis regni gaudia consecedit. Defunctus autem post viginti & vnum annos acceptæ fidei, in porticu sancti Martini intra ecclesiam apostolorum Petri & Pauli, quam ipse fundauerat, sepultus est. Anno itaque quo defunctus est Æthelbertus cum filius eius Eadbaldus regni gubernacula suscepisset, magno ibi tenellis ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solum fidem Christi recipere noluit, sed & tali fornicatione pollutus est vt vxorem patris insanus haberet. Auxit autem procella huiuscemodi perturbationis etiam mors Seberti reges orientalium Saxonum, qui regna perennia petens tres filios, qui pagani permanserant, regni temporalis hęredes reliquit. Cœperunt illi mox idololatriæ, quam viuente patre aliquantulum intermisisse videbantur, palam deseruire subiectisque populis idola colendi liberam dare licentiam. Qui cum viderent pontificem, celebratis in Ecclesia missarum solemniis, eucharistiam populo dare, dicebant ad eum barbarica inflati stultitia. Quare nobis non porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Seberto dabas, & adhuc populo in Ecclesia dare non desinis? Quibus Mellitus ipse respondit. Si vultis ablui illo fonte salutari quo pater vester ablutus est, potestis panis sancti fieri participes, sin autem, nullatenus valetis panem vitæ suscipere. Qui dixerunt: Si non vis assentire nobis in tam facili causa, iam non poteris in regno nostro demorari. Expulsus vero Mellitus venit in Canciam, tractaturus cum Laurentio & Iusto coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio quia satius esset vt omnes ad patriam redeuntes libera mente ibi Deo deseruirent, quam inter rebelles fidei sine fructu residere. Discessere vtiq; primo Mellitus & Iustus ad partes Galliæ, ibi finem rerum expectare disponentes. Sed non multo post tempore reges, qui prædiconem veritatis à se expulerant, egressi in prælium contra gentem Gewiseorum omnes pariter cũ sua militia diuino iudicio corruerunt. Cum vero Laurentius archiepiscopus Mellitum Iustumq; secuturus ac Britanniam esset relicturus, iussit ipsa sibi nocte in ecclesia beatorum apostolorum Petri & Pauli stratum præparari. In quo cum post multas preces ac lachrymas pro statu ecclesiæ ad Deum fusas ad quiescendum membra posuisset atque obdormisset, apparuit ei beatissimus apostolorum princeps, & multo illum tempore secreto noctis silentio flagellis acrioribus afficiens sciscitabatur apostolica districtione quare gregem, quem sibi ipse tradiderat relinqueret, vel cui pastorum oues Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret. An mei (inquit) oblitus es exempli, quo pro paruulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem crucis ab infidelibus ipse cum Christo tandem coronandus pertuli? His beati apostoli flagellis simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto venit ad regem, & erectis vestibus quantis esset verberibus laceratus ostendit. Rex autem miratus, requisiuit quis in regno suo tanto viro tales infligere plagas ausus fuisset. Tandem vt audiuit quia suæ causa salutis Episcopus ab apostolo Christi talia esset vulnera & tormenta perpessus, extimuit multum atq; anathematizato omni idolatriæ cultu, abdicatoque connubio non legitimo, suscepit fidem Christi & Baptizatus, Ecclesiæ rebus quantum valuit in omnibus consulere & fauere curauit. Verum ipse cum omni gente sua, ex quo ad dominum conuersus est, diuinis se studuit mancipare præceptis. Misit etiam in Galliam, reuocauit Mellitum & Iustum Episcopos, & eos ad suas Ecclesias libere redire præcepit. Sicque viso miraculo ad Ecclesiæ rediit vnitatem.

De pugna inter regem Northanhumbrorum & orientalium Anglorum. Amnis qui Idle dictus est.

Anno gratiæ. 617. Mellitus & Iustus Episcopi in Britanniam reuersi, à rege Eadbaldo & tota eius gente cum honore recepti sunt. Eodem anno Redwaldus rex orientalium Anglorum Æthelfridum regem Northanhumbrorum ad prælium prouocauit. Conuenerunt itaque agmina vtrorumque in regione Iutarum ad orientalem plagam amnis, qui Idle vocatur. Vnde exiuit prouerbium vsque in hodiernum diem, amnis idle Anglorum sorduit cruore. Igitur Æthelftidus, ferus & indignans, & multum admirans quod aliquis cum illo auderet congredi, audacter quidem sed inordinate in hostes irruit, quamuis acies Redwaldi eleganter ordinatæ intuentibus terrorem non minimum inferrent. Rex tamen Northanhumbrorum quasi præda inuenta, subito proruens in cuneos conglome-

glomeratos, Reinerum principem militiæ regis Reduualdi cum tota acie sua prostrauit, & ad inferos impetuose direxit. Reduualdus autem tanta clade minime perterritus sed ad vindictam animatus, cuneos Æthelfridi laudabiliter penetrauit, atq; cruore maximo hostium profuso, regem superbum interemit. Deinde hostes sine pietate insecutus, omnes eorum acies dissipando contriuit. In hac quoque pugna potissimum laudanda fuit probitas Eaduuini, qui de regno illo expulsus, apud Reduualdum septemdecim annis exulauerat. Regnauerat ergo Eaduuinus filius Ellæ super duo regna Deirorum & Berniciorum, qui postea Christianus effectus omnes reges, tam Anglorum quam Wallensium, in sua ditione recepit.

Cosdroa Hierusalem destruxit.

ANNO gratiæ.618. rex Persarum Cosdroa cepit Damascum, & Hierusalem deuastauit, & loca sancta, quæ in ea erant conflagrauit, populorum multitudinem copiosam captiuauit 90. millia interfecit, patriarcham eiusdem vrbis Zachariam expulit, preciosum crucis lignum in Persidem secum asportauit. Sepulchrum vero dominicum diuina virtute munitum, nunquam permissus est violare. Per idem tempus occupauit totam Ægyptum, & Alexandriam, Libyam, atque Carthaginem, vt vel sic Heraclium ad præliũ prouocaret. Ad quem misit Heraclius, rogans vt incœptis desisteret, quod ille facere contemnens, nuntios imperatoris contumeliis affecit.

ANNO gratiæ.619. Heraclius imperator filium Constantinum regio diademate insigniuit, & Augustum appellauit.

Heraclius filium suum coronauit.

Heraclius imperator Cosdroã bello vicit, & lignum dominj in Hierosolymas reportauit.

ANNO gratiæ.620. Heraclius imperator anno imperii sui decimo, collecta armatorum multitudine, aduersus Cosdroam mouit iter, ferens secum sanctæ Dei genetricis iconem, quæ apud Bizantium est, non hominis manu sed diuino miraculo pictam. Cumque peruenisset ad fines ciuitatis Gozorem, Cosdroa in fugam versus combussit omnia sata per quæ fugiebat, deinde constituit principes militię suæ plurimos, qui Heraclium debellarent, dum ipse de loco ad locum fugeret à facie imperatoris. Sed Heraclius iconis Dei genitricis fult' auxilio, omnes aduersarios suos in bello peremit, aut turpiter in fugam coegit, Cosdroa tandem in fugiẽdo captus & in carcerem trusus, ad extremum morte impiorum defecit. Potitus victoria imperator militibus suis præmia, tantis condigna laboribus, erogauit. Et modicum recreatus, reuexit Hierosolymas dominicæ crucis lignũ, plurimas Deo pro tanto triumpho referens gratias, lachrymas profundendo deuotas.

Bonifacius Papa.

ANNO gratię.621. Bonifacius sextus, Romanæ Ecclesiæ papa suæ promotionis annum agebat quartum, qui sedit annis quinque, diebus 14. & cessauit sedes mensibus sex. Eodem tempore Laurentius, Dorobernensis archiepiscopus secundus, diem clausit extremum, cui successit Mellitus Londinensis Episcopus quinque annis, & Mellito Iustus, totidem annis. Post Mellitum Londini vacabat Ecclesia multis annis. Post Iustum vero, in Roffensi Ecclesia, successit Romanus.

Mahumetes pseudopropheta.

ANNO gratiæ.622. Cyrus Alexandrinus Episcopus, & Sergius Constantinopolitanus patriarcha, Monothelitarum hæresim prædicabant. Hac vtique tempestate Saraceni, qui & Turci dicuntur, Mahumet pseudopropheta eis ducatum præbente, à suis sedibus exierunt, & imperiũ Heraclii grauiter deuastare cœperunt. Porro iste Mahumetes Saracenorum & Arabum princeps, de genere Ismael fuit, filii Abrahæ, qui cum in primæua ætate sua esset mercator, pergebat frequenter cum camelis suis in Ægyptum & Palęstinam & conuersabatur cum Iudæis & Christianis, à quibus tam vetus quam nouum didicit testamentũ, sed & Magus nequissimus effectus est. Et cũ hac, illacque discurreret, contigit, vt Corozoniã ingrederetur prouinciã, cuius prouinciæ domina Cadisan dicebatur. Quæ cũ diuersas species quas, furto vel præda raptas, secũ Mahumetes attulerat miraretur cœpit ei præfata mulier familiarius adhærere. Quã Mahumetes suis incantationibus perstrictam, cœpit paulatim astutus in errorem inducere, dicens, quod ipse esset Messias, quem esse venturum adhuc Iudæi expectant. Hac opinione non solum potens mulier decepta est sed omnes Iudæi, ad quos eius * furia pertingere poterat, ad eum cum Saracenis cateruatim confluebant, tanta rei nouitate perculsi. Qui cœpit nouas leges fingere & eis tradere, adhibens ipsis legibus testimonia de vtroque testamento. Has leges Ismaelitæ appellant suas, eumque suum legislatorem esse fatentur. Præfata quoque mulier videns hominem Iudæorum & Saracenorum pariter conturbernio vallatum, existimabat in eo diuinitatem latere: Et cum esset vidua, assumpsit eum sibi maritum. Sicque Mahumetes totius prouinciæ illius obtinuit principatum. Demum vero Arabes ei adhærentes, regnũ Persarum infestare cœperunt, ac demum orientis fines imperii, vsque ad Alexandriam, super Heraclium inuaserunt. Post hæc autem Mahumetes cœpit cadere frequenter epilep-

* *Fama.*

ptica passione. Quod Cadisan vxor eius cernẽs oppido tristabatur, eo quod nupsisset impurissimo & epilepticoviro. Quã ille placare desiderans, dixit, quia Gabriel angelus ad eũ loqueretur, nec se eius splendorẽ posse sustineret, vtpote homo carnalis, & ideo se cadere & deficere asseruit. Credidit ergo mulier, & omnes Arabes, & Ismaelitæ quod ex ore archangeli leges susciperet, quas dabat illis, eo quod Gabriel archangelus sæpe mittatur ad homines. Prædicabat præterea voluptates & carnales delitias futuris politicis incertis non fore præponendas, laudeq; viuere summum bonum esse. Vnde credo, quod si hodie viueret, multos inueniret discipulos. Tandem cum præfatam hominum numerositatem in suam hæresim intricasset, quadam hora vespertina, cum in palatio sederet vino inebriatus meracissimo, sed cuiusdam socii sui faude venenato, cognouit quod consueta ægritudo illum inuaderet, exiuit festinanter dicens, se ad colloquiũ angeli fuisse vocatum, prohibens ne quis eum sequeretur, ne forte angelico splendore quem & ipse stando non potuit sustinere visione moreretur. Ille autem cumulum simi, ne cadendo lęderetur, ascendens illico corruit in aceruum, & huc atq; illuc volutabatur stridens dentibus & spumans. Quod videns multitudo porcorum quæ aderat, concurrens illumque discerpens suffocauit. Vxor autem & familia eius audientes tumultum porcorum stupefacti exierunt, & corpus domini sui in maxima parte à porcis corrosum inueneruut. Sed quia suam infra tertiam diem prædicauerat resurrectionem, corpus suum diligenter reseruarunt, sed cum pertransissent 30. dies nec resurrexit, complices sui ne falsitatis redarguerentur cum prædicando sepe præbuerant testimonium, illotum & semiesum illud corpusculum occultarunt in tumba quadam pretiosa. Veruntamen reliquias porcorum colligentes in locello aureo & argenteo fabrefacto honorifice posuerunt, narrantes quod angeli Dei vix corpus in terra relinquentes, animam cœlestibus deliciis cum gaudio intulerunt. Docuit præterea quod hi qui inimicos occidunt vel ab inimicis occiduntur, paradisum ingrediantur & ibi esse carnalis cibi & potus refectionem, ibiq; existere fluuium vini, lactis & mellis, & cõmixtionem mulierum carnalem non præsentium sed aliarum, & affluentem voluptatem. Hic in regno Saracenorum quatuor prætores statuit, quos admiralios vocauit, libellum autem legem suam continentem Protosymbolum appellari fecit. Eodem anno, Honorius Papa. 68. sedit in cathedra Romana, annis 12. mensibus vndecim, diebus. 17. & cessauit sedes mensibus septem, & diebus octodecim.

Mahumetes à porcis corrosus.

Anno gratię. 623. S. Romanus Rothomagensis archiepiscopus, sanctitate & virtutibus insignis habetur. Eodem tẽpore, post Sexredum & Siwardum fratres, regnauit apud orientales Saxones Sigebertus cognomento Paruus Siwardi scilicet filius, qui cum fratre Seberto, à Kinegilso rege occidentalium Saxonũ, & Quichelino filio eius interfecti sunt iusto Dei iudicio. Nam patre mortuo ad cultum idolorum reuersi, Mellitum Londoniensem episcopum expulerunt, nec de eorum exercitu vel vnus euasit qui euentũ nunciaret.

Defunctis orientalium Anglorum regibus, Sexredo & Siwardo Sigebertus cognomento Paruus successit.

Anno gratiæ. 624. defuncto rege orientalium Anglorum Redwaldo Eorpenwaldus regni gubernacula suscepit, & bonum principium laudabili fine conclusit.

Defuncto orientalium rege Anglorum Redwaldo Eorpenwaldus successit.

Anno gratiæ. 625. Paulinus à Iusto archiepiscopo ordinatur archiepiscopus Eboracensis. Contigit autem quod Northanhumbrorum rex Eadwinus, missis * procis, Ethelburgam filiam Cantuariorum regis Aethelberti iam defuncti peteret in vxorem. Cui à fratre puellæ, tunc rege, responsum est, non esse licitũ Christianam virginem pagano coniungere, ne veri Dei cultus prophanaretur cõsortio hominis infidelis. Cumq; nuncii Eadwino regi talia referrent, respondit, quod si religio puellæ à viris prudentibus examinata sanctior atq; Deo dignior posset inueniri, non abnegauit quin eam susciperet ratione prę-missa. Nec mora mittitur puella, & cum illa Paulinus, ne paganorum societate posset pollui, qui eam cotidiana exhortatione & sacramentorum cœlestium celebratione firmaret.

Paulinus à Iusto ordinatur archiepiscopus.

* *Proceribus.*

Cum autem illuc peruenisset, concessit rex vt fidem cultumq; religionis, Christiano more, omnes qui cum illa venerunt videlicet viri ac fœminæ siue sacerdotes obseruarent. Sicq; Paulinus cum præfata virgine ad regem Eadwinum quasi comes copulæ carnalis aduenit, sed ipse potius toto animo intendebat vt gentem, quam adibat, ad cognitionem veritatis vocaret

Anno gratię. 626. venit quidam sicarius nomine Eumerus, missus à rege occidentalium Saxonum Quichelino qui cum patre Kinigilso regnauit, vt regem Eadwinum interficeret. Qui Domini sui legationem simulans irruit in regem cum bipenni toxicata, iuxta amnem Dorowentanum, volens eum saltem veneno perdere si bipennis defecisset. Quod videns Lilla quidam minister regis, & ictu sese interponens transfixus est, atque eodem ictu rex aliquantulum vulneratus. Interfecto etiam mox equite quodam, ipse

tandem

tandem gladiis cæsus & minutim in frusta concisus est. Rex autem tali euentu plurimum perturbatus est, sed filia, quam regina eius nocte sequenti peperit, dolorem aliquantulum mitigauit. Cumque rex Diis suis gratias egisset increpauit eum Paulinus, dicens, quod precibus suis sine dolore regina peperisset. Quibus verbis delectatus rex, promisit se Deo Paulini crediturum si illi victoriam de Quichelino conferret, & in pignus implendæ promissionis filiam suam baptizari præcepit. Quæ cum triginta de familia eius baptizata, Eãfleda appellata est. Deinde collecto exercitu rex venit contra Quichelinum, ac bello inito vniuersos quos in necem suam conspirasse didicerat, aut trucidauit aut in deditionem recepit. Quichelinum vero in loco qui lingua Anglorum Quichelines haume vsque hodie dicitur, interemit, & in testimonium victoriæ loco nomen dedit, & sic cum triumpho ad patriam remeauit.

De reuelatione facta Paulino archiepiscopo per quam rex Eaduuinus fidem Christi suscepit.

Anno gratiæ. 627. facta est Paulino archiepiscopo, quædam reuelatio inspiratione diuina, vt creditur, quæ regem Eaduuinum ad credendum stimulabat hoc modo. Cum Æthelfrido illum olim persequente, qui ante eum regnauit, profugus apud regem orientalium Anglorum Reduualdum moraretur, cognouit per quendam amicum suum Reduualdum muneribus Æthelfridi esse corruptum, vt Eaduuinum aut interficeret aut inimico traderet iugulandum. Eaduuinus amico respondit. Quo nunc fugiam, qui tot annis per omnes Britanniæ fines discurrens hostium insidias euitaui? Si mori oportet, malo vt me hic interimat quam ignobilior. Dumque mentis angoribus in hunc modum tortus nocte sequenti in strato quiesceret, vidit hominem sibi ignotum penitus astantem & dicentem sibi. Quid dares homini qui te ab hac mœstitudine absolueret, & Reduualdo regi vt te diligeret suaderet? Qui cum responderet omnia quæ possem, adiecit ille. Quid si quis te regem futurum potentiorem prioribus, extinctis hostibus, vere promitteret? Respondente Eaduuino, vt prius addidit iterum. Quid si quis tibi meliorem vitæ viam ostenderet quam aliquis parentum tuorum habuerit, nunquid illi obtemperares? Promittente hoc sibi firmissime Eaduuino, subdidit ille, imponens manus capiti eius. Cum ergo hoc signum tibi euenerit, memento istius temporis & sermonis, quo dicto disparuit repente, vt intelligeret non hominẽ esse sed spiritum. At vbi mane iuuenis regius solus sederet, præfatus amicus venit ad eum, & ait. Surge hilaris mutatum est cor regis. Nam consilio regi-næ fidem tibi seruare disposuit. Quid plura? Reduualdus, vt supra dictum est, regi Æthelfrido bellum mouit, & Eaduuinum in regnum restituit. Cumq; Paulinus à Spiritu sancto edoctus, hoc oraculum regi intulisset, manus capiti eius imponens, regem ad pedes eius procidere volentem erexit, & exhortans eum ad fidem quod petiit impetrauit. Rex igitur die sancto paschę & multi cum eo in Ecclesia sancti Petri, quam ipse de ligno construxerat, à Paulino baptizatus, idola & eorum aras penitus destruxit. Deinde in ciuitate Eboraci sedem Episcopalem Paulino constituens, Ecclesiam ibi lapideam fabricauit, in qua baptizati sunt liberi eius, cum maxima multitudine hominũ, ita quod in breui in toto regno eius nullus est inuentus infidelis.

Honorius Lindissæ primus est Episcopus ordinatus.

Anno gratiæ. 628. Paulinus archiepiscopus prouinciam Lindissæ regionis, quæ est ad meridianam plagam Humbri fluminis, ad fidem Christi conuertit, atque prius Bleccã illius ciuitatis prefectum cum omni domo sua baptizauit. In qua ciuitate Ecclesiam fabricauit & in ea Honorium Episcopum consecrauit.

Anno gratię. 629. commissum est bellum inter Pendam regem Merciorum & Kinigilsum regem occidentalium Saxonum apud Cirenceſtriam. Sed post multam stragem vtrinque illatam inducti recesserunt.

De pace tempore regis Eaduuini.

Anno gratiæ. 630. Rex Eaduuinus inter cætera vtilitatis, quæ genti suæ procurauit remedia, lucidos fontes iuxta vias ob refrigerium viantium per calamos æreos conduxit. Vexilla ante se deferri præcepit, pacem talem in Britannia temporibus suis statuit, vt mulier onusta auro cum puero paruulo, vbicumq; vellet, ire posset indemnis. Tunc Iusto archiepiscopo defuncto Honorius successit.

Heraclius in hæresim labitur.

Anno gratiæ. 631. Sergius patriacha Constantinopolitanus & Cyrus Alexandriæ Episcopus Heraclium in hæresim monothelitarum inuoluunt, vnam operationẽ in Christo prædicant, credentium Ecclesiam perturbant. Vnde imperator illis fauens odium subiectorum incurrit, ab omnibus vicinis vndique infestatur, & qui omnes vincere solebat, ab omnibus vincitur diuina id iustitia permittente.

Anno gratiæ. 632. rex orientalium Anglorum Eorpenualdus hortatu regis Eaduuini fidem Christi suscepit. Verum postquam cum omni gente sua per fœlicem Episcopum credidit, non multum vixit, quia à viro gentili nomine Regberto occisus est.

Exinde tribus annis prouincia illa in errore permãsit. Fuit autem Fœlix episcopus memoratus natione Burgundus, quem ad illam prouinciam Honorius Cantuariensis archiepiscopus tandem miserat ad prædicandum, accepitq; sedem episcopatus in ciuitate Dommoc vbi cum. 17. annis pontificale officium compleuisset, in pace vitam finiuit.

De pugna inter regem Northanhũbrorum Eadvvinum & Cadvvalinũ regem Britonum.

ANNO gratiæ. 633. orta est discordia inter regem Eadvvinum & Cadwalinum regem Britonum. Conuenerunt ad prælium, & facto congressu Cadvvalinus multa millia suorum amisit, & in fugam conuersus est. Potitus itaq; victoria Eadvvinus, duxit exercitum suum per prouincias Britonum, & tria eorum regna Demeciæ, videlicet, Venedociæ & Mœneuiæ, combustis vrbibus, & colonis destructis, omnes illorum prouincias in sua iura recepit. Cadvvalinus autem qui in Hyberniam aufugerat, resociatis cæteruis suis, conabatur semper in patriam reuerti, nec poterat, quia quandocunq; in portu aliquo applicare incipiebat, obuiauit illi Eadvvinus & introitum denegabat. Habuit namq; Eadvvinus astrologum quendam nomine Pellitum qui indicabat ei omnia quę fiebant. Cadvvalinus vero in desperationem versus adiuit regem Salomonem in minorem Britanniam & ab illo reuerenter receptus est. Et cum causam aduentus eius cognouisset, auxilium & cõsilium ei promisit. Tunc Cadvvalinus Salomoni de astrologo Eadvvini omnia referens, dedit consilium vt aliquis vir prudens & audax in habitu peregrino mitteretur, qui Magum illum interficere attentaret. Placuit Cadvvalino consilium & illico nepoti suo nomine Brieno hoc onus imposuit. Qui præceptis domini obediens, iussa implere maturauit. Deniq; habitum peregriui suscipiens, baculum ferreum præacutum fabricauit peram ad latus sinistrum appendit, & Britanniam veniens versus Eboracum, vbi Eadvvinum sciebat, properabat. Vt igitur ciuitatẽ ingressus est associauit se pauperibus, qui ante ianuam regis eleemosynam expectabant. Eũnte autem eo & redeunte, egressa est soror eius ab aula habens peluim in manu, vt aquam reginæ vsibus apportaret. Rapuerat namq; eam Eadvvinus in vrbe Wigornia dum post fugam Cadvvalini per prouincias Britonum desæuiret. Quæ fratrem inter pauperes cognoscens, timuit ne ab aliquo cognitus ab hostibus caperetur. Indicauit ergo fratri breuiter statum curiæ & Magum quem quærebat, qui tunc forte inter pauperes deambulabat. Porro Brienus sororem recognoscens præcepit, vt nocte sequenti furtim egrediens veniret ad eum ad quoddam vetus templum extra vrbem, vbi ipse aduentum eius expectaret. Deinde ad pauperes rediens venit ad locum vbi Pellitus illos collocabat. Nec mora, burdonem erexit, quem sub pectore Magi infigens illum peremit. Et baculum in terram proiiciens, inter cæteros delituit, & nulli astantium suspectus ad præfata latibula peruenit. Soror autem eius nocte clam egredi volens, non potuit. Turbabatur enim tota curia pro morte Pelliti, vnde vigiles circa curiam rex poni præcepit. At Brienus nemorum densitates penetrans, ad Exoniam peruenit, vbi conuocatis Britonibus quæ fecerat narrauit. At illi ciuitatem munientes, aduentum Cadvvalini cum lætitia expectabant. His itaq; per totam Britanniam diuulgatis, Penda rex Merciorum cum maxima multitudine Saxonum venit Exoniam. & Brienum obsedit.

De morte regis Eadvvini & desolatione Northanhumbrorum.

ANNO gratiæ. 634. cum rex Britonum Cadvvalinus quæ facta fuerant de Pellito cognouisset, applicuit in insulã cum. 10. millibus militum, & celeriter Exoniam petiuit, cõfertoque prælio Penda de tali impetu non præmunitus continuo captus est, & eius exercitus dissipatus. At Penda cum aliam euadendi viam non haberet Cadvvalino fidelitatem iurauit, & obsides de subiectione inuenit, atq; conuocatis Britonibus Cadvvalinus cum rege Merciorum Northanhumbriam petiuit patriamq; regis Eadvvini deuastare cœpit. Quod cum Eadvvino nunciatum fuisset in campo qui Hecthfeld appellatur, obuiam veniens cum Britonibus bellum commisit. Et conserto prælio Eadvvinus interfectus est, & eius exercitus crudeliter laceratus. Cecidit autẽ Eadvvinus & filius eius Offridus cũ Godbaldo rege Orchadum quarta die iduum Octobris. Allatum est autẽ caput Eadvvini ad Eboracum & in ecclesia beati Petri quam ipse fundauerat recõditum est. Facta est autem strages maxima in ecclesia & gente Northanhumbrorum. Siquidem Penda rex Merciorũ idolis deditus & Christiani nominis penitus ignarus nulli parcebat, qui omnes Christi fideles hostes publicos reputabat. Cadvvalinus vero, quamuis nomen haberet & professionem Christiani, adeo barbarus erat, vt nec sexui quidem muliebri, aut innocuę paruulorum parceret ætati, quin vniuersos atrocitate ferina morti contraderet per tormẽta. Nam multo tempore eorum prouincias debacchando peruagatus, omne genus Anglorũ Britanniæ finibus proscribere laborabat. Perturbatis igitur Northanhumbrorum ecclesiis Paulinus Archiepiscopus, assumpta secum regina Aethelburga, nauigio rediit in Canciam, atque ab Honorio archiepiscopo & rege Eadvvaldo decenter susceptus est. Habuit autem secum Vffream filium & Eanfledam filiam Eadvvini, & Iffum filiũ Osfredi, filii eius

ac vasa pręcioſa regis plurima, crucē magnam auream atque calicem aureum, quę omnia in Eccleſia Dorobernenſi ſeruata, multo poſt tempore oſtendebantur. Quo in tempore Roffenſis Eccleſia, paſtorem non habens, curam illius egit Paulinus, inuitatione antiſtitis Honorii & regis Eadbaldi, ac tenuit vſque dum ipſe ad cœleſtia regna conſcendit. Vbi etiam moriens pallium, quod à Romano pontifice ſuſceperat, reliquit. Defuncto itaq; Eaduuino ſucceſſit ei in regno Deirorum Oſricus cognatus eius. Regnum vero Berniciorum Eanfridus filius Æthelfridi regis ſuſcepit. Hi autē iuuenes tēpore regis Eadvvini apud Scotos & Pictos exulātes baptizati ſunt, ſed ſtatim reges effecti ad idola cōuerſi ſunt. Nec mora, vtrumq; iuuenem Caduualinus rex Britonū peremit. Et primo quidē Oſricū dum ſe in oppidū temere recepiſſet, Caduualinus ſubito erumpens illū interfecit. Deinde cū anno integro prouincias Northanhumbrorum tragica cæde dilaceraret, tandem Eanfridum inconſulte ad ſe venientem cū militibus. 12. poſtulandę pacis gratia ſimili ſorte damnauit.

ANNO gratiæ. 635. Oſuualdus regnum Northanhumbrorum integrum ſuſcipiens, 9. annis tenuit. Qui mox vt fidem augeret in regno ſuo, miſit in Scotiam vbi exulauerat & accepit pontificem Aidanum magnæ religionis virum. Veniente igitur Epiſcopo rex Oſuualdus ſedem Epiſcopalem in inſula Lindefarnenſi conceſſit. Vbi igitur fides cœpit dilatari, contigit vt Euangelizante Aidano qui Anglicum perfecte non nouerat, ipſe rex ſuis Ducibus & miniſtris interpres exiſteret. Longo enim exilii ſui tempore linguam Scotorum plene didicerat, inde contigit vt in breui adeo fides creſceret vt in regione illa incredulus nullus inueniretur. Erat autem Oſuualdus filius regis Æthelfridi, & frater Eanfridi. Vnde duo regna ſuſcipiens laudabilem in eis vitam peregit. Hoc quoque anno miſſus eſt Penda rex Merciorum à Caduualino rege Britonum, cum maxima copia armatorum, in regionem Northanhumbrorum, vt interficeret regem Oſuualdum. At Oſuualdus dum à Penda in loco Hefenfild, id eſt, cœleſtis campus, impeteretur, ſignum viuificæ crucis manibus ſuis erexit, ac foueæ impoſitam ceſpitibus firmauit. Commilitionibus autem indixit vt ſuprema voce omnes hæc verba ad Deum clamarent. Flectamus genua ad Deum vniuerſi, ipſumque in commune deprecemur vt nos ab exercitu ſuperbi regis Britanni & eiuſdem nefandi ducis Pendæ defendat. Scit enim ipſe quia iuſta pro ſalute gentis noſtrę bella ſuſcipimus. Fecerunt ergo omnes vt iuſſerat, & ſic in hoſtes progreſſi iuxta ſuæ fidei meritum victoria potiti ſunt, ac locus ille in quo crucem erexit miraculis plenus in magna veneratione hucuſque habetur. Eodem anno iuſſu Honorii papæ, Birinus in regionem occidentalium Saxonum veniens, per Aſterium Genuenſem pontificem eſt Epiſcopns ordinatus, vt populo illi gratiam fidei prædicaret. Euangelizante autem illo ibi, rex eiuſdem prouincię Kinigilſus cum omni gente ſua credens baptizatus eſt. Contigit eo tempore regem Oſuualdum affuiſſe, eumq; de lauacro exeuntem ſuſcepiſſe, qui eius filiam erat in coniugem accepturus. Donauerunt ergo ambo reges ciuitatem Dorkaceſtrię ad faciēdum ſedem Epiſcopalem, vbi conſtructis Eccleſiis ac dedicatis, diuini cultus propagines ad fructum in eis perducere laborabat.

Oſuualdus ſuper duo regna conſecratur.

ANNO gratiæ. 636. Sigebertus vir per omnia Chriſtianiſſimus ac doctiſſimus regnum orientalium Anglorum ſuſcepit. Hic viuente adhuc fratre Eorpenuualdo, dum exularet in Gallia, imbutus eſt fidei ſacramentis. Quorum participem, vt regnare incœpit, totam ſuam prouinciam efficere curauit, ſcholaſque literarum per loca inſtituit vt literarum dulcedinem homines experirentur agreſtes. Tandem ſeculo renuncians ac monachum induens, Egrico cognato ſuo thronum regni reliquit.

Sigebertus regnum ſuſcepit.

ANNO gratiæ. 637. Seuerinus ſedit in cathedra Romana annis duobus, menſibus quatuor, & diebus 29. Per idem tempus floruit in Gallia Audoënus Dagoberti regis referendarius, ideo dictus, quia per eum publicæ conſcriptiones annulo ſeu ſigillo regis ad illum relatæ confirmabantur.

Seuerinus Papa.

ANNO gratiæ. 638. Sanctus Laudo floruit, qui Lambertum poſt Epiſcopum & martyrem à puero imbuens, in viam veritatis induxit.

Laudo floruit.

ANNO gratiæ. 639. Iohannes ſedit in cathedra Romana, anno vno, menſibus octo, diebus 19. & ceſſauit ſedes menſe vno, & diebus 13.

Iohannes Papa.

ANNO gratiæ. 640. Theodorus ſedit in cathedra Romana annis ſex, mēſibus quinque, diebus 8. & ceſſauit ſedes diebus 52. Eodem anno Eadbaldus rex Cantuariorum, tandem ex hac vita tranſiens, duos filios Ermenredum, & Erconbertum regni temporalis reliquit hæredes, ſed iunior Erconbertus callide regnum fratri ſurripiens, illum regno priuauit. Qui ſuſcepto regno 24. annis & aliquot menſibus laudabiliter præfuit. Nam primus regum Angliæ in toto regno ſuo idola deſtrui ſimul & ieiunium 40. dierum ob-

Eadbaldus rex obiit.

ſeruari præcepit. Quæ ne facile à quopiam poſſent contemni, in tranſgreſſores condignas punitiones fieri iuſſit. Habuit autem reginam nomine Sexburgam, Annæ regis orientalium Anglorum filiam, ex qua Egbertum filium & Ercõgodam filiam generauit. Natique ſunt etiam Ermenredo, proceſſu temporis, filii Aethelbertus & Aethelredus, de quibus ſuo loco dicetur. Ercongoda vero memorata in Brigenſi monaſterio Francorum habitum religionis ſuſcipiens ac Deo ibidem ſeruiens, magnarum fuit virgo virtutum. Nam eo tempore, necdum multis in regione Anglorum monaſteriis conſtructis, multi de Britannia monaſticæ conuerſationis gratia, Galliarũ monaſteria adire ſolebant. Huius autẽ virginis Deo dicatæ multa quidem, ab incolis loci illius, ſolent opera virtutum & ſigna miraculorum referri. Verum nobis de tranſitu illius tantũ, quo cœleſtia regna petiit, aliquid breuiter dicere ſufficiat. Imminente ergo ſuæ vocationis die vidit cateruã hominum albatorum ſuum intrare monaſterium, hoſque interrogatos quid quærerent aut quid vellent, dictum eſt reſpondiſſe, quod ob hoc illuc fuerant deſtinati, vt aureũ illud numiſma, quod eo de Cancia venerat, ſecum aſſumerent. Ipſa autem nocte, in cuius vltima parte, id eſt, incipiente aurora præſentis mundi tenebras tranſiens ſupernam migrauit ad lucem. Siquidem multi de fratribus eiuſdem monaſterii, qui aliis erant in ędibus, iam manifeſte ſe concentus Angelorum pſallentium referebant audiſſe. Sed & ſonitum quaſi plurimę multitudinis monaſterium ingredientium audierunt. Vnde mox egreſſi dignoſcere quid eſſet cupientes, viderunt lucem cœlitus emiſſam fuiſſe permaximam, quę ſanctam illam animam, carnis vinculis abſolutam, ad æterna patriæ cœleſtis gaudia deducebat.

Anno gratiæ. 642. Heraclius Auguſtus defunctus eſt. Poſt cuius obitum Heraclius Conſtantinus, filius eius, imperauit menſibus 4. Quibus vix expletis veneno propinatus eſt à nouerca ſua Martina.

Anno gratiæ. 641. Heraclonas Heraclii filius cum matre ſua Martina imperauit menſibus 6. Quibus emenſis, repulſi ſunt à ſenatu, propter venenum quod Heraclio propinauerunt, ac lingua Martinæ præciſa, Heraclonæ naſo, miſſi ſunt ad Conſtantem filium Heraclii iunioris.

Mortuo Kinigilſo ſuc ceſſit Kiwalcus.

Anno gratiæ. 643. rex occidentalium Saxonum Kinigilſus cum regnaſſet annis 32. ex hoc ſeculo migrauit, & regnauit pro eo Kiniwalcus filius eius. 31. annis.

De ſanctitate Oſwualdi regis & obitu.

Anno gratiæ. 644. S. Oſwaldus, cum omnes Britanniæ gentes, Anglos videlicet, Scotos, Pictos, & Britannos, in ſua poteſtate recipiſſet, ſemper tamen humilitatẽ ſeruauit, benignus peregrinis apparens, pauperibus pater, diuitibus terribilis, æquitatem obſeruans in omnibus. Hic cum die ſancto Paſchæ ad prandium cum Aidano epiſcopo ſederet, diſcoq; argenteo cum regalibus epulis appoſito, iam eſſet manus ad panis benedictionẽ miſurus, intrauit ſubito miniſter, cui ſuſcipiendorum inopum erat cura delegata, & indicauit regi quia multitudo pauperum adueniens vndecunq; per plateas ſederet, à rege poſtulans aliquid eleemoſynæ ſibi dari. Qui mox dapes ſibi appoſitas eis deferri, & patinam minutim confringi & eis diſtribui præcepit, quo regiæ pietatis facto Aidanus delectatus apprehendit dextram eius, & ait. Nunquã hæc manus putreſcat. Quod ita euenit. Nam cum in pugna, in qua occiſus eſt, manus illa cum brachio præcideretur, contigit hactenus vt incorrupta permaneat, & in vrbe regia quę Burgum appellatur loculo incluſa argenteo & deaurato in eccleſia beati Petri manus cum brachio ſeruentur, & à populo deuote venerentur. Erat autem nepos Eadvvini regis ex ſorore Accha, dignus tanto prædeceſſore hæres & religionis & regni. Sed bonitati illius inuidit inimicus, dum cor Cadvvalini vt illum perimeret ſtimulauit. Siquidem anno ætatis ſuæ. 38. menſis Auguſti die quinto, regni ſui anno. 9. occiſus eſt graui prælio commiſſo à pagano rege Merciorum Penda, iniquo in loco qui lingua Anglorum Marcfeld appellatur. Quo in loco, vbi pro patria pugnans martyrio coronatus eſt, infirmorum curatio celebrari non deſinit. Eodem tempore Kinivvalcus ſedem Epiſcopalem in Wintonia fundauit, in qua etiam Hedda pontifex primus ex Anglis fuit. Nempe, poſtquam Birinus Dorckaceſtrenſis antiſtes ad Chriſtum migrauerat, & in ſua eccleſia ſepultus fuerat, proceſſu temporis ſubacta ciuitate illa à regibus Merciorum, translata eſt ſedes ad Wintoniam. Corpus vero beati Birini ab epiſcopo præfato ibidem translatum eſt & in eccleſia primæ ſedis honorifice collocatum. Eodem anno Conſtans Heraclii Conſtantini filius, Romano potitus imperio annis. 26. imperauit. Hic etiam in hæreſim Monothelitarũ incidit ſicut auus eius Heraclius Auguſtus. Iſti autẽ vnã in Chriſto ineſſe naturam prædicant contra fidem Orthodoxam. Nam filius Dei de ſuæ diuinitatis eſſentia dicit, ego & Pater vnum ſumus & de humanitatis ſubſtantia idem alias dicit, Pater maior me eſt. De his quoque inferius prolixius dicetur.

Anno

ANNO gratiæ.645. Oſwaldo ſucceſſit in regnum Berniciorum Oſwius frater eius regnans cum labore, annis 28. Quo etiam tempore Oſwinus filius Oſrici regis regnum Deirorum ſuſcipiens,7.annis regnauit. Hic in regno conſtitutus omnibus ſe amabilem exhibuit. Erat enim aſpectu angelicus, ſtatura procerus, affectu iocundus, ciuilis moribus, manu largus, in menſa ſobrius, in lecto pudicus, moribus ornatus, atque in ſupremo regni faſtigio ſublimatus, humilitatem, quæ cuſtos virtutum dicitur ſtuduit poſſidere. Sicque à magnis reuerebatur vt dominus, minimis arridebat vt ſocius, vnde omnes ſub ipſo viuere dulce habuerunt. Eodem anno Honorio Cantuarienſi archiepiſcopo Deus dedit ſucceſſit. Eodem anno Penda rex Merciorum Kiniwalcum regem occidentalium Saxonum quia ſororem eius repudiauerat, bello inuaſit & regno priuauit. Eodem anno Clodoueus regnauit in Francia atque regnum tenuit annis 17. Sigiberto fratre eius regnante in Auſtria.

Oſwualdo ſucceſſit in regnum Berniciorum Oſvvius frater eius, in regno Deirorum Oſwinus filius Oſrici.

ANNO gratiæ.646. Kiniwalcus rex occidentalium Saxonum recuperato regno, Cuthredo filio Quichelini cognato ſuo multas contulit manſiones. Eodem anno ſanctus Paulinus Roffenſis Epiſcopus pro temporali vita commutauit æternam, cuius ſanctitatem Beda multipliciter commendat.

ANNO gratiæ.647. ſanctus Furſeus in Hybernia inſignis habetur. Qui peregrinationē pro Chriſto aggreſſus, ad Gallias vſque peruenit, & à Clodoueo rege honorifice ſuſceptus Latiniacum cœnobium fundauit. Quem non multo poſt fratres ſui Foillanus & Vlcanus pari peregrinandi voto ſecuti, per Gallias claruerunt. Ex quibus Foillanus dono Geretrudis virginis Foſſenſe monaſterium poſtea fundauit, vbi etiam martyrio coronatus quieſcit. Eodem tempore Ithamarus poſt Paulinum Roffenſem Eccleſiam regendā ſuſcepit.

De ſancto Furſeo.

ANNO gratiæ.648. Martinus ſedit in cathedra Romana, annis ſex, menſe vno, diebus, 26. & ceſſauit ſedes diebus 28.

Martinus Papa.

ANNO gratię 649. rex Oſwius Sigebertum regem Orientaliū Saxonum, cum frequenter ad eum in prouinciam Northanhumbrorum veniret, hortabatur vt fidem Chriſti ſuſciperet. Tandem amicorū auxiliante conſenſu, à Finano Epiſcopo baptizatus eſt. Igitur æterni regni iam ciuis effectus, ad patriam reuerſus à rege Oſwio poſtulauit vt aliquos ſibi Doctores daret, qui gentem ſuam ad fidem conuerterent. At ille mittens ad prouinciam mediterraneorum Anglorum ad ſe virum Dei Ceddam vocauit, & dato illi ſocio presbytero quodam, miſit eos ad Saxones orientales vt verbum fidei illis prędicarent. Vbi cum omnia perambulantes multam Deo Eccleſiam congregaſſent, contigit eundem Ceddam redire domum vt Finani Epiſcopi colloquium haberet. Qui vbi proſperatum opus Euangelii comperit, fecit eum Epiſcopum in gentem prædictam, qui accepto Epiſcopatus gradu ad prouinciam rediit orientalium Saxonum, vbi per loca fabricauit Eccleſias, presbyteros & diaconos ordinauit. Qui miniſterio baptizandi incepto in ciuitatibus, quæ Ithanceſtria & Tileburgh appellantur, officiū illud impleuerunt, quarū prior eſt, in ripa Pentæ amnis, ſecunda ſuper ripam fluminis Thameſis. Nec multo poſt idem rex à propinquis ſuis interfectus eſt, eo quod inimicis ſuis parcere ſolebat, & iniurias ſibi illatas pœnitentibus placida mente dimitteret. Succeſſit autem Sigeberto in regnū Orientalium Saxonum Suithelinus filius Sexbaldi, qui baptizatus eſt ab Epiſcopo Cedda in prouincia orientalium Anglorum in vico regio, qui Rendleſham appellatur. Suſcepitq; eū de fonte Ethelwaldus rex illius gentis, frater Annæ regis eorundem.

Rex Sigebertus orientaliū Saxonum fidem Chriſti ſuſcepit.

ANNO gratiæ.650. poſt Birinum primus Epiſcopus Dorkaceſtrenſis ſucceſſit Ægelbertus. His etiam diebus defuncto Fœlice orientalium Anglorū Epiſcopo, poſt 16. annos accepti Epiſcopatus, Honorio loco eius ordinauit Thomam diaconū eius de prouincia Giruiorum. Quo poſt quinque annos ab hac vita ſubtracto, Bonifacius loco eius ſucceſſit. Per idem tempus Peada à patre Penda in regem Merciorum erectus, & regis nomine per omnia dignus, venit ad regem Northanhumbrorum Oſwium, poſtulans filiam eius Elfledam ſibi coniugem dari. Quod impetrare non potuit niſi fidem Chriſti cū gente, cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis, ac promiſſione regni cæleſtis, perſuaſus ab Alfrido filio Oſwii amico ſuo, cuius ſororem habuit coniugem nomine Kiniburgam, à Finano Epiſcopo baptizatus eſt, cum tota familia ſua, in vico regio, qui vocatur ad Murum. Et acceptis quatuor presbyteris ad gentem ſuam conuertendam ad fidē, cum gaudio ad propria remeauit. Venientes autem in prouinciam memorati ſacerdotes verbum Dei prædicabant, quibus turba hominum obtemperantes, abrenunciata idolorum ſorde, fidei fonte ſunt renati. Nec prohibuit Penda, licet paganus eſſet atrociſſimus,

Ægelbertus Dorkaceſtrenſis cōſecratur Epiſcopus.

in ſua

in ſua, hoc eſt, in Merciorum gente verbum Dei prædicari, dicens eſſe miſeros & contemnendos, qui Deo ſuo, in quem crederent, contemnerent obedire.

De paſſione S. Oſvvini.

Anno gratiæ. 651. Emergentibus diſſenſionum cauſis inter reges Deirorũ & Berniciorum Oſvvium ſcilicet & Oſvvinum, congregauerunt exercitum vtriq; pro viribus ad certamẽ. Sed cũ eſſent prælio commiſſuri, in loco, qui Wilfares dune appellatur: videns Oſvvinus ſe imparem viribus inimici, remiſit exercitum quem regebat, ac omnibus domum redire præcepit, diuertens ipſe cum vno ſolo milite Tonhero nomine, in domo comitis Hunvvaldi ſibi amiciſſimi, vt credebat. Sed longe aliter erat. Nam ab eõdem comite proditus, miſit Oſvvius præpoſitum ſuum nomine Aethelvvinum vt regem perimeret. Cuius aduentum cum Oſvvinus cognouiſſet, exiuit continuo occurrens gladiis iniquorum, in quem lictores irruentes, vna cum milite ſuo in loco qui dicitur Jugetlingum morte omnibus deteſtanda peremerunt. Sic itaq; Oſvvinus exemplum ſaluatoris inſecutus, dum ad paſſionem properans à Iudæis quæreretur vt crucifigeretur, ipſe quem quærerent percunctatur. Reſpondentibus illis quod Ieſum quærerent Nazarenum, ait: Si me quæritis ſinite hos abire, diſcipulos innuere volens. Solus enim ſufficiebat ad redemptionem mundi. Hoc exemplo, vt dictum eſt, animatus Oſvvinus martyr Dei glorioſus, cum ab amico ſicut ſaluator à diſcipulo traderetur, pro patria & gente propria ſeſe morti obtulit, memoriter ad mentem reducens ſententiam ſaluatoris, qui dicit. Maiorem charitatẽ nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vnde dubium non eſt, quin bona vita talem finem præceſſerit, præcipue cum nemo repente efficiatur ſummus. Erat enim à primæua ætate, vt ſuperius relatum eſt, Chriſtianæ religionis cultor veraciſſimus, ſtatura procerus, virtute ſtrenuus, vultu angelicus, ciuilis moribus, conſilio magnus, affectu iocundus, manu largus, in menſa ſobrius, in lecto pudicus, affabilis omnibus, experientia piiſſimus, atq; inter pauperes & diuites adeo medius, vt pauperes illum quaſi parem aſpicerẽt, ac diuites vt dominum & ſuperiorem haberent. Vnde contigit vt ob regalis animi ciuilitatẽ, omnes ad illum concurrerent ac diligerẽt, vt regio ſchẽate eruditi, in facieb. aliorũ doctiores apparerent. De humilitate quoq; ipſius, quæ cuſtos virtutum dicitur, nõ eſt tacendum, quia vniuerſitati ſuæ poſteritatis potiſſimum reliquit exemplum. Donauerat namque Aidano epiſcopo equum precioſum & optimum, in quo ille, quamuis pedes incedere ſolitus, vel amnium fluenta tranſire, vel viam neceſſitate cogente expedire poſſet. Nec multo poſt, cum pauper quidam epiſcopo occurreret eleemoſynam petens, deſiliens ille præcepit equum, vt erat regaliter ſtratus, pauperi dari. Erat autem cultor pauperum, ac velut pater miſerorum. Hoc cum regi eſſet relatum, dicebat epiſcopo, Vt quid domine mi equum regium, quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare voluiſti? Nunquid non habuimus equos viliores, vel alias ſpecies quæ pauperibus ſufficerent, & ſi non eis dares equum quem tibi ſpecialiter poſſidendum elegi? Cui epiſcopus. Quid loqueris (inquit) ô rex? Num tibi carior eſt, ille filius æque quam ille filius Dei? Tunc repente rex pœnitens de verbo quod dixerat, continuo ſurgens corruit ad pedes epiſcopi, poſtulans vt offenſam ſibi dimitteret, tali conditione vt de cętero quantum voluerit, de ſubſtantia ſua filiis Dei tribuat. Quod videns epiſcopus continuo ſurgens leuauit eum promittens ſe multum illi fore placatum, dummodo reſidens triſtitiam deponat. Cumque iubente epiſcopo, rex lętitiam ſuſciperet, contriſtatus eſt pontifex vehementer, atq; profuſis vbertim lachrymis, domeſticis ſuis patria lingua dixit. Nunquid enim ante hac humilem vidi regem? Non enim digna eſt hæc regio talem habere rectorem. In charitate denique Dei & proximi perfectus enituit, dũ in Dei dilectione adeo proximos dilexit, vt genti propriæ & quod pluris eſt, alieno ſanguini parcens, proprium ſanguinem profundere curaret. Tot igitur talibuſq; virtutibus vndique circumuallatus, digna Deo hoſtia effectus ad martyrium properabat. Paſſus eſt autem beatiſſimus rex & martyr Oſvvinus. 13. die Kalendarum Septembrium, anno regni eius nono, in loco qui dicitur Jugetlingum/corpuſq; eius ad eccleſiam Dei genitricis quæ in oſtio Tynæ fluminis ad aquilonem ſita eſt delatum, & ſub diuo ſepultum eſt. Rudis enim natio gentium erat illis in locis, vbi corpus martyris in Sarcophago lapideo in abdito ſinu terræ reconditum eſt, quandoque in lucẽ per Dei gratiam proferendum. Succeſſit ei in regnum Deirorum Oidvvaldus filius Oſvvaldi regis, quem regina Eanfleda regis Eadvvini filia generauit. Poſt mortem Oſvvini. 12. diebus euolutis, Aidanus epiſcopus, ab hoc ſæculo ſublatus, perpetua laborum ſuorum à Deo præmia recepit. Succeſſit ei in epiſcopatũ Lindisfarnenſem Finanus natione Scotus, ſed paruo tempore in epiſcopatu permanſit.

Anno gratię. 652. Egricus rex orientalium Anglorum à Penda rege Merciorum bello

bello exacerbatus, dum sese hostibus inferiorem cõspiceret rogauit prædecessorem suum Sigebertum monachum, de quo superius commemorauimus, vt ad confirmandum exercitũ secum veniret ad bellum. Illo vero nolente ac contradicente, inuito eo de monasterio illum extrahentes duxerunt ad certamen, sperantes milites fugam non posse meditari presente rege quondam strenuissimo ac rebus bellicis erudito. Sed ipse professionis suæ non immemor quod sibi pugnare non licuit, vna cum rege Egrico occisus est, & totus eorum cæsus vel dispersus exercitus. Successit ei Anna filius Eni de regio genere, vir optimus, de quo in sequentibus dicetur.

De monacho qui inuitus trahebatur ad bellum.

ANNO gratiæ 653. Martinus Papa Romæ celebrauit concilium, centum & quinque episcoporum: vbi damnauit hæresim Monothelitarum & eius sectatorem Paulum Constantinopoleos falsi nominis patriarcham. Qua re cognita Constans Augustus Martinum Papam Constantinopolim euocauit, & inde eum exilio relegauit apud Chersonesum. Multos etiam Orthodoxorum verberibus & exiliis damnauit, eo quod hæresi suæ nullatenus acquiescere vellent. Eodem tempore Honorio Dorobernensi Archiepiscopo Deus dedit successit.

Martinus Papa hæresim Monothelitarum damnauit.

ANNO gratiæ 654. Penda rex Merciorũ, qui totus in arma furẽs, nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias, Annam regem Orientalium Anglorum virum bene religiosum bello inuasit, & in momento contriuit & eius exercitum totum, cui Aethelherus frater eius in regnum successit. Eodem anno defuncto rege Cantuariorum Erconperto, successit ei in regnũ filius eius Egbertus 9. annis. Hic in palatio suo duos filios Ermenredi patrui sui educauerat, Aethelbertum scilicet, & Aethelredum, qui post sacri baptismatis regenerationem in innocentia & castitate voluntaria permanentes, morum honestatem humilitatis custodia munierunt. Erat autem in domo regis memorati minister quidam, diaboli membrum, Thuner nomine, quod Latine tonitrum sonat, qui puerorum laudabilibus inuidens incrementis, eorum innocentiam, erga regem, quotidiano labore adulator sedulus denigrabat. Video (inquit) te o rex, tales cum diligentia nutrire, qui regnum tuum aliquando tibi auferre præsument. Vnde consilium vtile tibi crederem, aut eos in longinquum dirigi exilium aut mihi tradi sinas ad perdendum. Rege itaque hoc dissimulante & illo sæpius vt id fieret instigante, dum rex tepide prohibuit, audaciæ temeritatem vt perderentur insontes induxit. Quid plura? Armatur turbo nomine Thuner rabie diabolica, & in regis absentia innocentes præfatos ignominiose iugulauit & in aula regia sub regali cathedra indecenter sanctorum corpora sepeliuit. Reuerso itaque rege intempestæ noctis quiete, columna lucis cœlitus emissa regias ædes inestimabili claritate repleuit. Quam ministri de regis familia intuentes & præ stupore in terram corruentes, in amentiam fere conuersi sunt. Cumque rex ad tumultum satellitum euigilasset & causam tumultus penitus ignorasset, de consuetudine surrexit vt matitutinas audiret. Et egressus a domo vidit orbem noui splendoris radiis chorusscantem. Et recordatus est rex de confabulatione quam cum ministro sceleris habuerat de perdendis pueris, & contristatus est valde. Et accito ad se iniquitatis authore requirit ab eo vbi essent cognati sui, qui sibi astare diebus singulis consueuerant, quos die præterita sibi astare non viderat. At ille, more Cain, regi respondens ait: Nescio. Nũquid custos puerorum ego sum? Ad quem rex. Serue nequam, tu mihi semper de eis sinistra prædicasti, vnde nequissime te oportet vbi sint indicare. Cumque superbo mentis supercilio nefandus ille euentum rei regi indicasset, iratus est vehementer. In se reuersus, totius crimen sceleris in seipsum refundebat, & supra modum confusus residuum noctis in lachrymis deducebat. Tandem cum dies terris illuxisset Archiepiscopum Adeodatum & magnates quos habere potuit conuocari præcepit, & rem per ordinem referens qualiter columna lucis cœlitus super sanctorum corpora emissa descenderat. Archiepiscopus dedit consilium vt corpora innocentum ad Ecclesiam Metropolitanam portarentur, & ibi sepulturæ more regio traderentur. Et simul ad locum venientes, sub regis cathedra sanctas reliquias indecenter positas reperierunt. Gerebantur autem hæc in villa regia, quæ Eastreia dicebatur. Collocatis igitur sanctorum reliquiis, vt dicebat, ad portandum in feretris, iussit Archiepiscopus vt ad Ecclesiam Christi Cantuariæ portarentur, sed in vanum, quia de loco moueri non poterant, licet multo conamine attentarent. Mutato itaque consilio, vt ad beati Augustini veherentur basilicam, nihil similiter profecerunt. Tandem prouisum est, vt portarentur ad Wærinense monasterium famosissimum, qui mutato proposito, vehicula adeo leui conamine subleuabant ac si nihil oneris habuissent. Quo cum peruenissent, exequijs ab Archiepiscopo rite peractis, sanctorum corpora iuxta maius altare tradunt sepulturæ. Quo in loco ad laudem Dei & eorum gloriam multa miraculorum insignia operantur

Miraculum.

diuina clementia. Contigit eo tempore sororem regis Ermenburgam, vt dimisso marito suo, Pendæ regis Merciorum filio, eius cum consensu, castam eligeret ducere vitam. Quæ cum familia sua ad fratrem venisset, & suum propositum ei indicasset, dedit illi locum præfatæ visionis declaratum vbi monasterio in honorem martyrum fabricato, dilecta Deo Ermenburga. 70. sibi monialibus sociatis Deo dignum bonæ conuersationis fructum offerens, tandem in domino quieuit. Hoc etiam tempore Botulphus apud Hiccanhoe Ecclesiam construxit.

De morte Peadæ regis Merciorum.

Anno gratię. 655. Penda rex Merciorum iubente Cadwalino Britonum rege, innumerabili exercitu collecto Northanhumbriam petiuit. At Oswius necessitate compulsus promisit ei donaria multa & ornamenta regalia vt, rebus bellicis prætermissis, amicabiliter ad propria rediret. Cumque ille, nec precio, nec precibus adquiescere vellet rex ad diuinum confugit auxilium, vt ab impietate barbarica posset liberari, votoque sese obligãs ait: Si paganus nescit nostra accipere donaria, offeramus ei, qui nouit, domino Deo nostro. Vouit ergo, quia si victor existeret, filiam suam domino sacra virginitate dicaret, simul & 12. mansiones prędiorum ad construenda monasteria donaret. Et sic paruo stipatus agmine se certamini dedit, denique fertur paganum trities maiorem exercitum habuisse. Nam ducibus 30. ad bellum diligenter instructis Oswius solus cum filio Ælfrido Christo duce occurrens, illos fugauit & in sequendo peremit. Cecidit inter cæteros Penda rex nequissimus qui tot nobiles vita temporali priuauit. Cecidit rex Æthelerus frater Annæ regis de quo supra meminimus, author ipse belli, qui perditis militibus noluit solus perire. Et quia prope fluuium, qui Winwed dicitur, pugnatum est, qui tunc per inundantia pluuiarum omnes metas suas transierat, contigit vt multo plures aqua fugientes quam bellantes perderet ensis. Vnde exiuit prouerbium. In Winwed amne vindicata est cædes Annæ, cędes regũ Sigeberti & Egrici, cædes Oswaldi & Eadwini. Tunc rex Oswius iuxta quod domino vouerat pro collata sibi victoria gratias Deo referens dedit filiam suam, quæ vix vnius anni, ætatem impleuerat perpetua ei virginitate consecrandam in monasterio, quod Herteseie, id est, insula cerui nuncupatur, cui tunc Hilda præfuit abbatissa. Quæ comparata possessione decem familiarum in loco, qui Streneshalh appellatur, monasterium ibi construxit. Hoc autem bellum rex Oswius ad magnam vtriusque populi vtilitatem confecit, dum suam gentem ab hostili paganorum depopulatione liberauit, & ipsam gentem Merciorum, deiecto capite perfido, qui omnes peremerat, ad Christianæ fidei gratiam conuertit. Successit autem Æthelhero in regno orientalium Anglorum frater eius Æthelwaldus, continuatisque successionibus tandem regnum eiusdem Æthelheri filiis Eadwolfo & Eadwaldo peruenit.

De primis Episcopis Lichfeldensibus.

Anno gratiæ. 656. Oswius rex donauit Peadæ filio Pendæ eo quod cognatus eius esset, regnum Australium Merciorum, qui fluuio Trente sunt discreti ab aquilonaribus Merciis de se tenendum. Qui primum habuit Episcopum in prouincia Merciorum, simul & Lindiffarorum ac mediterraneorum Anglorum nomine Dinam. Hic apud mediterraneos Anglos defunctus ac sepultus est. Secundus eiusdem prouinciæ Episcopus Coellacus fuit, qui relicto Episcopatus officio ad Scotiam rediit. Tertius Tunherus extitit de natione Anglorum, sed à Scotis doctus & ordinatus abbas erat in monasterio quod dicitur Ingetlingum, vbi Oswinus rex & martyr occisus est.

De morte Peadæ regis Merciorum cui successit Wlfherus.

Anno gratiæ. 657. Peada filius Pendæ multum nepharie peremptus est proditione (vt dicunt) vxoris suę, in ipso tempore festi paschalis. Cui successit frater eius Wlfherus. 17. annis hæres paternæ virtutis. Qui statim sublimatus in regem, aduersus regem Oswiũ rebellauit auxilio fultus inimici, & Eabbi, & Edberti ducum, eiectisque à regno Merciorum ministris Oswii, fines suos simul & libertatem receperunt. Habuit post Tunherum Episcopos Iaruman, Ceaddam, & Winfridum, qui per ordinem in Mercia officio Episcopali fungebantur.

Bellum commissum contra Britãnos.

Anno gratiæ. 658. Kinewalcus rex occidentalium Saxonum, rebellauit contra Britannos apud Pennum. Sed Britones primum Anglos aliquantulum repulerunt. Tum Britones postmodũ fatigati, more niuis liquefacta est fortitudo eorum, & fugati sunt à Penno vsq; Pendredam, & facta est super progeniem Bruti plaga insanabilis in die illa.

Eugenius Papa. Miraculum.

Anno gratiæ. 659. Eugenius sedit in cathedra Romana annis duobus, mensibus nouem, diebus viginti duobus, & cessauit sedes mensibus duobus.

Anno gratiæ. 660. Clodoueus rex Francorum corpus beati Dionysii discooperiens cupide & minus religiose os brachii fregit & rapuit, sed mox in amentiam incidit æternam.

Anno

ANNO gratię. 661. Kiniwalcus rex Weſtſaxonum rebellauit contra Wlfherum regem Merciorum. Sed ipſe paterna virtute & fortuna vſus prævalvit, rege quoq; Weſtſaxonum fugato terram eius ſpoliauit. Tandem ad inſulam Vectam perueniens bello eam obtinuit. Hoc etiam tempore Æthelwaldus rex auſtralium Saxonum, anno regni ſui *13. à 4.
præfato Wlfhero ſubiugatus fidē Chriſti ſuſcepit, & ab eodem rege de ſacro fonte ſuſceptus eſt. Quo facto miſit Eopam presbyterum ad Vectam inſulam, qui populum illum prędicando ad fidem conuerteret veritatis. Fuit eo tempore in prouincia Northanhumbrorum clericus quidam Wlfridus nomine, Ælfridi filii Oſwii regis propter doctrinā Chriſtianæ eruditionis multum amicus, qui de Roma rediens, apud Dalfinum archiepiſcopum Lugduni multum temporis implens, ab ipſo ſuſceperat tonſuræ eccleſiaſticæ coronam. Dedit ergo ei Ælfridus monaſterium. 40. familiarum, in Ripun. quem videlicet locum paulo ante dederat epiſcopis, qui paſcha domini iuxta conſuetudinem Scotorum celebrabant. Sed quia illi poſtmodum, data ſibi optione loco potius cedere volebant quam ſuam conſuetudinem mutare, dedit illi locum qui digniorem vitam habuit & doctrinam. Venit eo tempore Ægelbertus occidentalium Saxonum epiſcopus, cuius ſupra meminimus, Ælfridi amicus ad prouinciam Northanhumbrorum, qui ad petitionem Ælfridi præfati ad monaſterium iam dictum Wilfridum presbyterum ordinauit, vbi in bona vitę conuerſatione degens, ea quæ diſcipulis ſuis ſequenda tradidit, ipſe ſummopere adimplere curauit. Ægelbertus epiſcopus regem Kiniwalcum & regnum Angliæ relinquens in Gallia epiſcopatum ſuſcepit, & in loco eius Wina epiſcopatum ſuſcepit.

ANNO gratię. 662. Vitalianus ſedit in cathedra Romana, annis. 12. menſibus 6. & ceſſauit ſedes menſibus duobus, & diebus tredecim. *Vitalianus Papa.*

ANNO gratiæ. 663. Clotarius regnauit in Francia quatuor annis. Eodem tempore in Anglia magna fit diſceptatio de obſeruatione paſchæ inter Anglos & Scotos. Conuenerunt namque apud Strenesthalh rex Oſwius & filius eius Ælfridus, Colmannus etiam Scotus, Lindiffarnenſis epiſcopus, cum clericis ſuis de Scotia. Cedda quoque epiſcopus cum Hilda abbatiſſa, qui partes Scotorum fouebant. Ex altera vero parte Wilfridus presbyter cum monachis & clericis, qui de celebratione paſchę aliter quam Scoti ſentiebant. Conſidentibus cunctis oſtendit rex Oſwius, quod oportet eos qui vni Deo ſeruiunt, vnam viuendi regulam tenere, nec in ſacramentorum cœleſtium celebratione diſcrepare, qui vnum omnes in cœlis regnum expectant. Sed communiter quærerent, quæ vetior eſſet traditio, & hanc omnes fideliter ſequerentur. Tunc Colmannus paſcha (inquit) hoc, quod agere ſoleo à maioribus meis accepi, qui me huc epiſcopum miſerunt, quodque omnes *Nefandum*
patres noſtri Deo dilecti eodem modo celebraſſe noſcuntur. Quod ne cui * reprobandum eſſe videatur, ipſum eſt, quod beatus Euangeliſta Iohannes in omnibus eccleſiis, quibus præerat, legitur celebraſſe. Cumque hæc & huiuſmodi diu allegaſſet, Wilfridus presbyter, rege iubente vt diceret, ita exorſus, ait: Paſcha quod facimus, Romani, Itali, Galli, Græci, ac vniuerſalis eccleſia per orbem vſquequaque diffuſa, communiter obſeruat præter Pictos, Scotos, & Britannos, qui contra totum orbem ſtulto labore contendunt. Cum enim Petro apoſtolorum principi dominus diceret, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam & portæ inferorum non prævalebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Præferrene Colmanne patres noſtros Pictos & Scotos principi apoſtolorum potes, cui dominus regimen generalis eccleſiæ conceſſit? Audiens autem iſta rex, ait: Verane ſunt Colmanne quæ dicit Wilfridus? At ille. Vera domine rex. Si vterque veſtrum in hoc conſentitis, quod hæc principaliter Petro dicta ſunt, ego vobis dico, quia hic eſt hoſtiarius cui contradicere nolo. Sed in quantum valeo illius obedire ſtatutis cupio, ne forte veniente me ad fores regni cœleſtis non ſit qui reſeret, auerſo illo qui claues tenere probatur. Hæc rege dicente eleuatis in cœlum manibus, fauerunt aſſidentes, & abdicata minus perfecta inſtitutione ad ea ſeſe, quæ meliora nouerant contulerunt.

ANNO gratiæ. 664. Erconbertus rex obiit & Egbertus filius eius in regnum Cantiæ ſucceſſit. Eodem anno Colmannus epiſcopus Lindiffarnenſis cum ſuis ad Scotiam reuerſus eſt, cuius loco Tuda epiſcopus ordinatur. Eodem anno Eclipſis ſolis facta eſt menſe Maio & ſecuta eſt mortalitas inaudita. Deus dedit archiepiſcopus Cantuarienſis obiit, & ceſſauit ſedes Dorobernenſis quatuor annis. Eodem anno Alfridus, Oſwii regis filius, miſit Wilfridum epiſcopum ad Gallias vt ibidem ordinaretur archiepiſcopus Ebor. Qui veniens ad Egelbertum, qui relicta Britannia Pariſiis erat epiſcopus, ab ipſo conſecratus *Tuda Lindiffarnenſis epiſcopus ordinatur.*

eſt. Quo ibidem demorante rex Oſwius miſit Ceddam presbyterum ad antiſtitem occidentalium Saxonum, Winam appellatum, qui illum epiſcopum conſecrauit, licet contra ſtatuta canonum, quia viuente adhuc Wilfrido non debuit alius ſubrogari. Sed error iſte poſtea correctus eſt, vt infra dicetur.

Anno gratiæ. 665. Mortalitas adeo inualuit in Anglia vt homines gregatim ad maris loca prærupta venientes, ſeſe in eo præcipites darent, præferentes cita morte præueniri quam longo tabis cruciatu perire.

De Epiſcopatu pecunia adquiſito.

Anno gratię. 666. Wina epiſcopus Wintoniæ à rege Kenewalco de præſulatu pulſus, à Wlfhero Merciorum rege epiſcopatum London. magno emptũ pretio adquiſiuit. Vnde poſt mortem in epiſcoporum ſerie Londo. non meruit recenſeri.

Anno gratiæ. 667. Conſtans imperator volens in vrbe Romana caput imperii cõſtituere, reſiſtitur ei à Conſtantinopolitanis, ſicque eius propoſitum penitus eneruatur. Deinde Romam veniens, obtulit ſancto Petro pallium auro contextum. Quem papa Vitilianus cum honore ſuſcipiens, ad limina ſancti Petri in magna populi frequentia perduxit. Et cum in vrbe per dies. 12. reſedifſet, magna tactus cupiditate, omnia ornamẽtorum genera ex ære & marmore, quibus decorabatur vrbs, in Tiberim deuexit, vt ea Conſtantinopolim afferret. Inter quæ baſilicam beatæ dei genetricis Mariæ & omnium martyrum, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, æreis tegulis diſcooperuit, & Conſtantinopolim remeauit.

Theodorus archiepiſcopus ordinatur.

Anno gratiæ. 668. papa Vitalianus ad eccleſiam Cantuarienſem Theodorum ordinauit epiſcopum. Qui poſt biennium in Britanniam veniens, Ceddam virum ſanctum & modeſtum, quem non rite ad Ebor. archiepiſcopatum promotum cognouerat, degradauit, & Wilfridum iniuſte expulſum reuocauit. Cedda vero humiliter cedens, Licheſeldenſem epiſcopatum regendum ſuſcepit.

Conſtans imperator à ſuis interfectus.

Anno gratiæ 669. Conſtans imperator in balneo multũ nepharie à ſuis interficitur. Poſt cuius deceſſum, milites Mizentium quendam Armenium aſſumentes imperatorem fecerunt. Sed poſt dies paucos Conſtantinus Conſtantis defuncti filius ſuis ſuperueniens Mizentium præfatum, cum interfectoribus patris, morte peſſima condemnauit. Circa hos denique dies Mahumetes pſeudopropheta, de quo ſuperius relatum eſt, obiit, & ſepultus eſt in inferno.

Conſtãtinus imperium adeptus eſt.

Anno gratiæ. 670. Deus dedit ſedit in cathedra Romana annis 4. menſib. 2. dieb. 5. & ceſſauit ſedes menſibus 4. & diebus. 15. Eodem anno Conſtantinus Conſtantis filius Romanum adeptus imperium annis 17. imperauit. Hic reſtaurauit eccleſias quæ dirutæ fuerant à temporib. Heraclii proaui ſui. Monothelitarum hæreſim cum ſuis fautoribus ſubertere laborauit. Eodem Anno Oſwius Northanhumbrorum rex magnificus obiit morbo confectus & ſenio, & ſepultus eſt in eccleſia apud Strenesh̃alc/ vbi fuerat ante rex Edwinus ſepultus. Regnauit autem pro eo filius eius Egfridus. 15. annis. Fuit autem Oſwius filius Æthelfridi, qui fuit Æthelrici, qui fuit Idæ primi regis Northanhumbrorum ex Anglis.

Pugna auiũ.

Anno gratiæ. 671. maxima auium pugna fuit in Anglia ita vt multa millia inuenirentur acciſa, & extraneæ aues fugam facere viderentur.

Defuncto rege Kinivvalco vxor eius ſucceſſit.

Anno gratiæ 672. rex occidẽtalium Saxonum Kiniwalcus cum regnaſſet triginta & vno annis, defunctus eſt, & regnauit pro eo vxor eius Sexburga anno vno. Sed indignãtibus regni magnatibus expulſa eſt à regno, nolentibus ſub ſexu fœmineo militare.

Theodorus Cancia archiepiſcopus concilium congreganit.

Anno gratiæ. 673. regnãte in Cancia Lothario, in Weſtſaxia Eaſcwino, Theodorus Cãciæ archiepiſcopus collegit concilium apud Hertfort præſentibus epiſcopis Angliæ ac regibus & magnatibus vniuerſis. Affuit archiepiſcopus Ebor. Wilfridus, epiſcopus Boſa orientalium Anglorum, Leutherius occidentalum Saxonũ, Putta Roffenſis, & Winfridus Merciorum. Confidentibus cunctis, propoſuit Theodorus coram omnibus capitula numero decem, quorum

1. Primum fuit, vt diem ſanctum paſchæ obſeruarent in commune, dominica proxima poſt quartamdecimam lunam menſis primi.
2. Secundum, vt nullus epiſcoporum alterius parochiã inuadat.
3. Tertium, vt monaſteria à Deo cõſecrata nulli epiſcoporum liceat inquietare, nec de rebus eorum aliquid vſurpare.
4. Quartum, vt monachi non migrent de loco ad locum, ſed in ea permaneant obedientiam quam ſuæ conuerſionis tempore promiſerunt.
5. Quintum, vt nullus clericus ſuum epiſcopum relinquat,
6. aut alicui veniens abſq; literis ſui præſulis admittatur. Sextũ, vt epiſcopi & clerici peregrini nullum officium peragant, abſq; permiſſione epiſcopi in cuius parochia hoſpitantur.
7. Septimum, vt bis in anno ſynodus congregetur, vel ſaltem ſemel in anno, quia diuerſæ cauſæ

sæ causę & occupationes multos impediũt. Octauum, vt nullus episcoporum se præferat alteri per ambitionem, sed omnes agnoscant tempus & ordinem suæ consecrationis. Nonum, vt plures episcopi crescente numero fidelium augerentur. Decimum, vt nulli liceat nisi legitimum habere connubium, nullus faciat incestum, nullus coniugem relinquat nisi causa fornicationis. His itaque annuentibus episcopis vniuersis, vnusquisq; ea quæ definita sunt propriæ manus subscriptione confirmauit. 8. 9. 10.

ANNO gratiæ. 674. amoto Bosa episcopo adhuc superstite, sed graui tamen infirmitate prohibito de episcopatus administratione, duo sunt ordinati pro eo. Aeca, videlicet, & Bedwinus, ex quo prouincia illa duos episcopos ex illo tempore habere consueuit. Habuerunt autem sedes, vnus apud Dommoc, alter apud Helmham. Nec multo post Theodorus archiepiscopus pro inobedientia Winfridi Merciorum episcopi offensus, deposuit eum, & loco eius ordinauit episcopum Sexulfum qui erat constructor & abbas monasterii, quod dicitur Medeshamstede, in regione Giruiorum. Depositus vero Winfridus rediit ad monasterium suum, quod dicitur Ad barume vbi in optima conuersatione vitam finiuit. *Bosa episcopo degradato Aeca & Bedvvinus subrogantur.*

ANNO gratię. 675. regnantibus in regione orientalium Saxonũ Sebba, filio Seuuardi, & Sigehero, filio Sigeberti parui, Theodorus Canciæ archiepiscopus, Erkenwaldum in ciuitate London. Episcopum ordinauit. Hic sane priusquam episcopus factus fuisset, duo monasteria præclara, vnum sibi & alterum Ethelburgæ sorori suæ construxerat, quid vtrumque regularib. instituerat disciplinis, suum Certesey / sororis autem Berkingum appellatur. Erkenwaldus vero cum tempore quodam æger pedibus lectica parochiam circueret, ad oram amnis rapacissimi forte peruenit, vbi cum socii hæsitarent quo infirmus nec equo nec pedibus transire flumen posset, gurges repente disparuit. Qui statim vt episcopus cum suis alueum transmeasset, reuersus est ad naturã. Eiusdem etiam lecticæ attactus imbecilles multos & febricitantes curauit. Tandem vir domini Erkenwaldus, post vitæ præsentis decursum defunctus, in ecclesia beati Pauli London. sepultus est, vbi vsque in hodiernum diem suis supplicibus, à languoribus diuersis celerem confert sanitatẽ. Successores autem eius hi fuerunt, Walderus, Iugwaldus, Egulfus, Wigerus, Eadbrithus, Eadgarus, Kiniwalcus, Eadbaldus, Edbertus, Osmundus, Ethelnothus, Celbertus, Revulfus, Suithulfus, Eadstanus, Wlsius, Ethelwardus, Estanus. Sederunt autem hi omnes in cathedra London. vsque in tempora Eadwardi senioris regis Anglorum, quorum omnium adeo obsoleuit memoria, vt nec eorum acta vel etiam mausolea sciantur. *De Sancto Erkenvvaldo episcopo London.*

ANNO gratiæ. 676. rex Britonum Cadwalinus senio & infirmitate coactus, completis in regno annis. 48. defunctus est. Cuius corpus Britones balsamo cum aromatibus conditum, in quadam imagine ænea ad modum staturæ suæ mira arte fusa super portam London. occidentalem in equo æneo, in signum suæ tyrannidis, quam ingentem Anglorum exercuerat, statuerunt. Sed & ecclesiam sub ipsa porta in honore sancti Martini fabricauerunt, in qua pro ipso & fidelibus defunctis obsequia æternaliter celebrarentut diuina. Successit ei in regnum Cadwaladrus filius eius, quem Beda Cadwallam iuuenem vocat, cuius mater soror Pendę regis Merciorum erat, quam Cadwalinus, post factam cum fratre concordiam, in societatem thori suscepit, & ex illa Cadwalladrum generauit. Eodem tempore obiit Wlpherus rex Merciorum cuius regina Ermenhilda regis Ercomberti Cantuariæ, sanctæq; Sexburgæ reginæ Annæ regis orientalium Aglorum filiæ sororis videlicet sanctæ Æthelfridæ extitit filia, peperat ei sanctam Wereburgam, magnarum virginem virtutum. Quæ patre defuncto sæculo renunciauit, & materteræ matris suæ, scilicet Æthelfridæ, monasterium intrauit. Cuius sanctitatem cum comperisset Æthelredus patruus eius, qui post eum regnauit quibusdam monasteriis DEO deuotarum virginum abbatissæ iure præfecit. Cum quibus regulariter viuens, vsque ad finem vitæ Christo rege militauit. Ac in vno tandem monasteriorum suorum quod Trikingeham appellatur, à sęculo migrauit. Cuius corpus ad monasterium, Mihealbrig vocabulo, est, vt ipsa viuens præceperat, delatum, & honorifice tumulatum. Monasterium autem illud, vsque ad tempus quo gens nefanda Danorum cæde crudeli prouincias Anglorum vastauerunt, integrum permansit. Habuit præterea Wlfherus rex germanos fratres Æthelredum, Pendam, de quo superius relatum est, & Merwaldum qui in occidẽtali Merciorum plaga regnauit. Istius regina, sancta Ermenburga, Ermenredi fratris Erconberti regis Cancię filia, tres ei filias generauit, sanctam videlicet Milburgam, sanctã Mildritham, sanctamque Mildgytham. Peperit insuper ei filium nomine Merefinum eximiæ puerum sanctitatis. Successit Wlfhero fater eius Æthelredus, qui regis Northanhumbrorum Egfri- *De morte Cadvvalini regis Britonum.*

di ſororem Oſtricã in coniugem accipiens, Ceolredum ex ea filium ſuſcepit. Eodẽ anno Eaſcwinus rex occidentalium Saxonum deceſſit, qui fuit Kenſii, qui fuit Kenferthi, qui fuit Cuthgiſi, qui fuit Ceulfi, qui fuit Kenrici. Succeſſit autem Eaſcwino Kentwinus decem annis, qui fuit Kinegilſi, qui fuit Ceulfi.

Donus Papa. Anno gratiæ. 677. Donus ſedit in cathedra Romana anno vno, menſibus, 5. diebus 10. & ceſſauit ſedes menſibus, 10. & diebus 15. Hoc tempore floruit ſancta Æthelreda in inſula Elienſi. Sub his quoque diebus, cometa per tres menſes apparuit, & vno quoq; die, mane velut Sol reſplenduit.

VVilfridus ab Epiſcopatu pellitur. Anno gratiæ. 678. orta eſt diſſenſio inter regem Northanhumbrorum Egfridum, & venerabilem archiepiſcopum Wilfridum. Expulſus autem vir ſanctus, tres in eius loco ſunt Epiſcopi ſubrogati, Boſa videlicet, qui Deirorum, & Eatta qui Berniciorum prouinciam gubernarent. Hic in ciuitate Ebor. ille in Haguſtaldenſi Eccleſia ſedem habentes ambo de Monachorum collegio ſunt aſciti. Cum quibus & Eadhedus in prouinciam Lindiffarorum, quam nuper rex Egfridus, Wilfero Merciorum rege fugato & in bello ſuperato, obtinuerat, Epiſcopus ordinatur. Et hunc quidem primum Epiſcopum illa accepit prouincia, ſecũdum Æthelwinum, tertiũ Eadgarum, quartum Kinibertum, quem in præſenti habet. Habebat enim ante Eadhedum præſulem Sexulfum, qui etiam Merciorum ac Mediterraneorum Anglorum ſimul Epiſcopus fuit. Vnde expulſus de Lindiſſa, in illarum prouinciarum regimine permanſit. Ordinati ſunt autem Epiſcopi præfati à Theodoro archiepiſcopo, qui & poſt tres annos abſceſſionis Wilfridi, duos addidit Epiſcopos ad Eccleſiam Haguſtaldenſem Tunbertũ, remeante Eata ad Lindiffarnenſem & Trunwinũ ad prouinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio ſubiugata. Eodem anno Agatho ſedit in cathedra Romana annis duobus, menſibus 6. diebus 3. & ceſſauit ſedes anno vno, menſibus 6. & diebus quinque. Pulſus autem Wilfridus ab Epiſcopatu Romam perrexit, & coram papa Agathone cauſam ſuæ expulſionis allegare diſpoſuit. Sed vbi nauem conſcendit, Fauonio flante, in Friſiam profectus eſt, vbi gentibus regionis illius verbum fidei prædicando, regem Aldegilſum & populum eius lauacro abluit ſalutari. Ibi ergo hyemem cum noua Dei plebe peragens, Romam tandem peruenit, ac vbi coram Agathone eius cauſa ventilata fuit, Epiſcopis plurimis præſentibus, omnium iudicio abſque crimine fuiſſe accuſatus pronunciatur, & Epiſcopatu digniſſimus. Quo tempore cum papa ſynodum Romæ 125. Epiſcoporum congregaſſet, aduerſus eos qui hæreſim Monothelitarum dogmatizabant, vocari iuſſit & Wilfridum, atque inter Epiſcopos conſidentem fidem ſuam ſimul & prouinciæ vnde venerat, dicere præcepit. Qui cum in fide catholicus cum ſuis inuentus fuiſſet, de rebus ſibi impoſitis abſolutus eſt. Reuerſuſque Britanniam, prouinciam auſtralium Saxonum ab idolatriæ tenebris ad fidem Chriſti conuertit. Ad Vectam quoque inſulam verbi Dei miniſtros direxit, atque ſecundo anno Ealfridi, qui poſt Egfridum in Northanhumbria regnauit, ſedem ſuam ipſo rege donante recepit. Ingreſſo tempore quodam, cum Parochias viſitaret, villam Wilfrido, quæ Tundanfre appellatur, occurrit ei mulierum plurima multitudo, pueros illi offerens confirmandos. Immiſcuit autem ſe multitudini paupercula mulier filium gerens exanimem, quem ad confirmandum Epiſcopo porrexit, credens hoc commento ſe poſſe filium recipere ſanum. Sed antiſtes cum puerum detexiſſet, vt exequeretur officium, anima priuatum aduertit, Tunc mulier fraude deprehenſa, ad preces conuerſa exoranſq; per Deũ & eius matrem vt motus pietate puerum exanimem excitaret, veſtigiiſque eius aduoluta, ſe non receſſuram à pedibus quos tenebat dixit, donec filium ſanum recepiſſet. Fluctuabat interim ſanctiſſimi hominis ſententia, an temere inſuetum miraculum attentaret, an durus deſpiceret orbatę lachrymas mulieris. Sed vicit pietas pectus virtutis. Orationi ſe dedit, dexteramq; cadaueri apponens, ad corpuſculum animam reuocauit. Exclamat mulier propter gaudium, ſed cohibita eſt ab Epiſcopo, vt taceret.

De ſancta Æthelreda. Anno gratiæ. 679. Egfridus rex Northanhumbrorum & rex Æthelredus Merciorum, iuxta flumen Trente grauiſſime pugnauerunt, vbi frater regis Egfridi Eſewinus, iuuenis vtrique prouinciæ multum amabilis peremptus eſt. Nam & ſororem eius, Oſtricam nomine, Æthelredus rex Merciorum habuit vxorem. Cum bellum inter reges acerrime fuiſſet accenſum Theodorus antiſtes diuino fultus auxilio incendium certaminis penitus extinxit, data pecunia multa pro morte fratris regi Egfrido. Eodem tempore virgo ſancta Æthelreda ex hoc ſeculo tranſiens pro temporali vita commutauit ęternam. Erat autem Annæ regis orientalium Anglorum filia, proles tanto patre digna, quam prius duxerat Tonbertus auſtralium princeps Giruiorũ. Sed eo defuncto, virgo incorrupta permanſit.

Deinde

Deinde regi Northanhumbrorum Egfrido copulata parentum violentia, custos tamen, duobus nupta viris, integerrimæ virginitatis perseuerauit. Virginitatis enim ipsius vir Dei Wilfridus erat testis, qui Bedæ venerabili, super hac re sciscitanti, dixit, Egfridum sibi terras & pecuniam magnam promisisse, si Aetheldredæ persuadere posset eius connubio assentire. Sed diuini signum miraculi eiusdem virginis caro sepulta, carnique castissimæ vestis circumamicta dum corrumpi non poterat, indicia fuere, quod à virili contactu incorrupta decessit. Cum enim annis. 12. præfati regi cohabitasset, nec ad consensum emolliri potuisset, vix à rege virgo sacratissima impetrauit vt apud Coludesburch sanctimonialis efficeretur, benedicente eam sancto Wilfrido, vbi Ebba amita viri sui Egfridi erat abbatissa. Anno autem elapso facta est abbatissa in insula Helienſi virgo, virginũ mamonitis & exemplis. vbi cum septem annis laudabiliter Deo deseruiens vixisset, prouita caduca commutauit æternam. Quo in loco ad gloriam Dei & laudem virginis crebra non dignanter miracula celebrari.

Anno gratiæ. 680. Hilda abbatissa, cum in habitu sanctæ religionis apud Streneſhalh. 33. annis vitam duxisset, de mundo migrauit ad dominum. Hæc autem virgo beatissima, cum esset de stirpe regis Eadwini generosa, & ad prædicationem beati Paulini ad fidem conuersa, postea relicto habitu seculari proposuit transferre se ad monasterium Calç, vbi soror ipsius Hereswitha mater Aeldulphi, regis orientalium Anglorum, Deo fœliciter militabat. Sed retẽta est à præsule Aidano & facta abbatissa ad Herteseu / & post in monasterio Streneſhalh appellato, quod ipsa fundauerat, vbi clericos suos adeo moribus ecclesiasticis instruebat, vt quinq; ex eis ad episcopalem ascẽderent dignitatem, Bosa videlicet & Wilfridus in Ebor. Hedda in ecclesia Dorkacestrensi, Iohannes in Haguſtaldensi, Ostfortus in prouincia Wicciorum, cui tunc præfuit rex Osricus. Tadfridus etiam de eius monasterio electus est, sed matura morte præuentus. Viderat quoq; mater eiusdem Hildæ somnium, quod videlicet quęrens virum suum non inueniret, sed sub veste sua monile pretiosum inuenit, quod omnes fines Britãniæ illustrabat. Hilda tandem sanctissima languens annis sex, vt eius anima carnis molestia examinaretur, & virtus in infirmitate perficeretur, anno febrium septimo de morte transiuit ad vitam. In ipsa autem hora, qua decessit, monialis quædam animam eius vidit ab angelis in cœlum deferri, vbi cum Christo gaudiis perfruitur sempiternis. Eodem anno Theodorus Cantuar archiepiscopus cõcilium congregauit in loco qui Hatfelde appellatur, anno regni regis Aethelredi Mercẽsium sexto, regnante in regno orientalium Anglorum Ealdulfo, qui post Aethelwaldum regnauit, regnantibus etiam in Northanhumbria Egfrido, & in regno occidentalium Saxonũ Kentwino, prędidente archiepiscopo Cantuariensi Theodoro cum suis suffraganeis episcopis aliisque multis. Propositis igitur sanctis euangeliis, tradidit symbolum Theodorus, omnibus assidentibus sanctorum patrum in hunc modum literis expressum. Suscipimus sanctos & vniuersales quinque synodos sanctorum patrũ orthodoxorum, id est, Nicenam contra Arrium & eius dogmata, Constantinopolitanam contra vesaniam Macedonii & Eudoxii, & eorum dogmata, Ephesinã contra Nestorium & eius dogmata, Chalcedonensem contra Eutychen, & Nestorium, & eorum dogmata, Constantinopolitanam secundam contra Theodorum, & Iben & Cyrillum, & eorum dogmata. Addimus etiam & sextam synodum, tempore Martini Papæ Romæ congregatam contra hæresim Monothelitarum, imperante Constantino imperatore Christianissimo. Suscipimus & glorificamus Deum omnipotentem, sicut illi glorificauerunt, nihil addentes nihil subtrahentes. Damnamus quos illi damnauerunt, & suscipimus quos ipsi susceperunt, quę omnia tenẽda subscribimus sicut sancti prophetæ & apostoli de Deo senserunt, & scripserunt. Amen.

De S. Hilda abbatissa.

Anno gratiæ. 681. monasterium apud Iarewe fundatum est. Per idem tempus abbas monsterii Floriacensis, nomine Nummolus, reuelatione diuina præmonitus, misit monachum suum Aigulfum ad montem Cassinum, vt inde sibi deferret sanctissimi corpus benedicti. Nam cœnobium, quod ibidem quondam construxerat idem Benedictus, à Longobardis fuerat deuastatum, & in solitudinem redactum, ibi tamẽ sancti corpus Benedicti, cum corpore sororis suæ Sholasticæ sepultum in loculo vno tenebatur: contigit etiam vt de Cenomannica vrbe quidam eodem tempore proficiscerentur ad locum memoratum, pro deferendo sanctę Scholasticæ corpusculo. Sed postquam ad Floriacum deuenerũt cœnobium beato semper adhæserunt Aigulfo, donec ad sancti Petri limina peruenerunt, Quo cũ peruenissent, mox beatus Aigulfus eorum deseruit cõsortum, montemque Cassinum solus petiit, vbi etiam pernoctare decreuit. Et ecce intempestæ noctis silentio, ipsum sancti patris Benedicti sepulcrum ita cœlitus vidit illustrari, ac si densis lapi-

dibus vndiq; vallaretur. Sed nocte tranſacta, ſplendor ille diſparuit. Tunc prefatus Aigulfus eo reuerenter acceſſit, effracto à latere ſepulchro, illud euacuat, & quicquid ibi reperit, vnius ſportulæ ſinu, quã ad hoc prẽparauerat incluſit. Quibus patratis dum ad propria remearet Aigulfus, ſociis ſuis in itinere oſtendit, & cum eis ad Floriacum monaſterium pariter remeauit. Sed antequam ad illud pertingeret, deuenit ad locum quem Nouum vicum appellant, qui milliario vno diſtat à monaſterio ſæpefato. Ibiq; prædictus abbas Nummolus cum frequenti turba eis reuerẽter occurrit, & tam ſacra pignora cum honore ſuſcepit. Et aſſumens ſportulam ſupra memoratam, poſuit in eccleſia principis apoſtolorum Petri, extraxitq; oſſa ſanctiſſima quæ ibi confuſe iacebant incluſa. Demum vero ea eligens, ſingillatim ab inuicem ſeparauit, maioribus ſecernẽs minora. Quod cum factũ fuiſſet, ecce duorum cadauera mortuorum ad ſepeliendum ferebantur, quorum vnum maſculini & alterum erat ſexus fœminini. Mira res. Nam cum ſuper maſculi corpus maiora fuiſſent oſſa ſuperpoſita, cõtinuo, per meritũ beati Benedicti, mortuo eſt reddita vita. Tunc cum oſſa minora, ſuper cadauer puellę fuiſſent adhibita, cõtinuo puella reuixit. Aderat huic ſpectaculo non minima hominũ multitudo. Aſtabant & ciues Cenomãnici, qui ſocii itineris extiterant & laboris. Illi vero multa prece oſſa ſanctæ Scholaſticæ ſibi dari poſtulantes, impetrabant, ne duo magna luminaria, vno clauderentur in loculo, cum ſingula ſingulis ſufficere valuiſſent. Cenomannici igitur remeantes ad vrbem, corpus præfatum ſecum detulerunt cũ gaudio, & iuxta mœnia Cenomannicæ ciuitatis, in eccleſia noua, pro eius honore fabricata, reuerenter eſt collocatum, vbi ſub regulari diſciplina, ſanctę deuotionis fœminæ ſunt aggregatæ. His ita geſtis, venerabilis patet Nummolus, cum nocte quadam ſub nudo cœlo dominũ precaretur, vt ſibi cœlitus oſtenderet quo in loco corpus beatiſſimi reconderet Benedicti, ecce ſubito lux emiſſa de cœlo, ſicut fulgur ei apparens, locum vbi reponi deberet manifeſtiſſime denotauit. Quo lætificatus indicio, in loco quem illi Deus reuelauerat illud tumulauit. Locus autem beatæ Dei genitricis erat oraculum, non multum à præfata S. Petri baſilica ſeparatum. Translatum eſt autem corpus ſanctiſſimum, à tranſitu eius 138. anno. Vbi quicũq; pia deuotione piiſſimi patris nomẽ inuocauerit, mercedẽ ſuę deuotionis optatã recipiet. Theodoricus regnauit in Frãcia annis. 14.

S. Cuthbertus epiſcopus eſt ordinatus.

ANNO gratię. 682. Kentwinus occidentalium Saxonum rex Britones bello aggreſſus eſt, eoſque male reſiſtentes, victorioſus ac vehemens, cæde & incendiis vſque ad mare fugauit.

Egfridus rex gentem Hybernię affixit.

ANNO gratiæ. 683. Sanctus Cuthbertus Lindiffarnenſis epiſcopus conſecratus eſt. Eodem tempore, defuncto Sigehero orientalium Saxonum rege, Sebba eius in regno ſocius, ſolus regnare incepit.

ANNO gratię. 684. Leo ſedit in cathedra Romana, menſibus 10. & diebus. 17. Eodẽ anno Benedictus papa ſucceſſit ei menſibus duob. & tribus diebus. Eodem anno Egfridus rex Norhanhumbrorum, miſſo in Hyberniam exercitu, Berto duce, gentem vaſtauit innoxiam & Anglorum nationi ſemper amiciſſimam, ita vt ne quid eccleſiis aut monaſteriis manus deferret hoſtilis. At illi in quantum valuere, vim vi repellere ſatagebant, inuocantes diuinæ pietatis auxilium, & ſe cœlitus vindicari cõtinuis imprecationibus flagitabant. Contigit ergo, vt hi qui merito ſuæ impietatis maledicebantur, ocius, dõmino vindice, ſui reatus pœnam luerent, ſicut ſequens annus declarabit.

Interfecto rege Egfrido ſucceſſit Ælfridus frater eius.

ANNO gratiæ. 685. Iohannes ſedit in cathedra Romana anno vno. Eodem anno rex Egfridus Northanhumbrorum, cum temere exercitum ad vaſtandas Pictorum prouincias duxiſſet, multum prohibentibus amicis, ac maxime beatæ memoriæ Cuthberto, qui nuper fuerat epiſcopus ordinatus, ſimulantibus fugam hoſtibus, introductus eſt in anguſtas montium inacceſſorum latebras, atque cum maxima parte copiarum, quas ſecum adduxerat, eſt extinctus. Succeſſit ei frater eius Ælfridus licet non de legitimo matrimonio ſuſceptus, & in ſcripturis vir doctiſſimus, qui regni ſtatum, in magna parte inclinatum, laudabiliter reparauit. Fuit Egfridus filius Oſwii & Eanfledæ filiæ regis Eadwini. Oſwius vero filius Æthelfridi, qui fuit Æthelrici, qui fuit Idæ, primi regis Northanhumbrorum ex Anglis. Contigit autem in bello quodam inter Egfridum & regẽ Merciorum Æthelredum, vt ſupra dictum eſt, actum, admirabile miraculum, quod ſi referatur multorum ſaluti arbitror fore proficuum. Occiſus eſt enim in illa pugna inter alios de militia memorati Egfridi, iuuenis quidam, Iunna vocabulo. Qui cum die illo, quo occiſus eſt, nocte ſequenti inter cadauera occiſorum ſimilis mortuo iaceret: tandem reſumpto ſpiritu reuixit & reſidens ſua vulnera, pro vt ponit, alligauit. Dein modicum requieſcẽs leuauit, & abire cœpit. Sed inter eundũ captus eſt, & vinculis mãcipatus à quodã

conſule

consule regis Æthelredi. Miles autem ille vinctus, fratrem habuit bene religiosum, Tunnã vocatum, qui cum fratrem cæsum in bello cognouisset, venit vt quæreret si fratris corpus inuenire valuisset. Inuentumque alium fratri similimum, credidit fratrem esse, quem ad monasterium suum deferens, honorifice sepeliuit. Pro cuius animæ absolutione sæpius missas celebrari fecit. Tempore vero, quo frater pro fratre missas celebrari fecit, soluebantur vincula fratris viuentis nec aliquo potuit retineri. Consul igitur videns eum impossibile vinculis cohiberi, adductum Londonias cuidam vendidit Fresoni. Freso quoque idem competiens, accepit ab eo redemptionem, quam dederat pro eo, & militem abire permisit. Cumque ad patriam suam veniens, fratri & comprouincialibus rem gestam retulisset: multi accensi sunt ad offerendas victimas Deo sæpius, eleemosynas quoque & orationes agendas pro ereptione eorum, qui de sæculo migrauerunt. Hoc autem miraculũ quia in veritate verum esse comperi, historiæ nostræ credidi inserendum.

Defuncto Eata Episcopo Iohannes Hagustaldensis Ecclesiæ præsulatum suscepit.

Anno gratiæ. 686. Conon sedit Romæ mensibus vndecim. Eodem anno defuncto Eata Episcopo Iohannes vir sanctus Hagustaldensis Ecclesię præsulatum suscepit. Eodem anno Lotharius rex Kentensis diem clausit extremum, 8. idus Febru. Vulneratus enim fuerat in pugna australium Saxonum, quam contra eum Eadricus filius Egberti fratris sui aggregauerat, & inter medendum defunctus est. Post eum autem idem Eadricus anno & dimidio regnauit. Eodem tempore, cum vir domini Cuthbertus annis duobus Lindisfarnensem rexisset Ecclesiam, sciens in spiritu Dei quo plenus erat, diem sui transitus appropinquare, abiecit pondus curæ pastoralis, atque ad relictæ heremiticæ conuersationis agonem remeare curauit, vt inolita sibi solicitudinis mundanæ spineta, liberior priscæ compunctionis flamma consumeret. Qui cum duos ferme menses in magna repetitæ suæ quietis exultatione transigeret, multoque consuetæ districtionis rigore corpus mentemq; constringeret, arreptus infirmitate subita, temporalis igne doloris, ad perpetuæ cœpit beatitudinis gaudia præparari. Et tribus septimanis continua infirmitate decoctus, sic ad extrema peruenit. Exitumque suum dominici corporis ac sanguinis perceptione communiens, eleuatis oculis ac manibus in cœlum, animam suam Deo commendans, spiritum emisit. Deinde ad insulam Lindisfarnensem nauigio delatus, corpore incorruptibili sepulchro lapideo in basilica beati Petri ad dexteram altaris quasi dormiens positus requiescit. Sed nec eo defuncto ac tumulato, signa virtutum cessare, quæ viuens exercuerat, potuerunt. Nam puer quidam in territorio Lindisfarnensi à dæmone atrocissimo vexabatur, qui nec per exorcismi gratiam poterat vllo modo curari. Impositus autem carro deducitur ad monasterium, vt per beati viri merita ibi sanaretur. Tunc presbyter quidam diuino edoctus spiritu modicam tollẽs humi partem, vbi aquam nouerat fuisse effusam, qua corpus beati patris defunctum lotum fuerat, in aquam mittens, ori patientis infudit. Qui continuo vt aquam attigit, furere cessauit, placido sopore noctem transegit, & mane facto per virtutem beati patris Cuthberti liberatum se esse cognouit. Denique transactis à sepultura eius, 11. annis, immisit Deus in cordibus fratrum, vt corpore iam, vt credebant, in puluerẽ redacto, ossa more mortuorum iam arefacta & deficcata in leui locello reconderent. Dũ id Eadberto antistiti suo referrent, eorum consilium approbauit. Iussit ergo vt in die depositionis hoc facerent. Qui aperientes sepulchrum inuenerunt totum corpus quasi adhuc viueret integrum & integris artuum cum compagibus indissolutum, multo dormienti similius quam mortuo, ita quidem quod omnia eius indumenta, quibus vt pontificem decebat indutus fuerat, integerrima sint inuenta. Hac præterea tempestate luna eclipsim passa est indictione 8. Sol quoque defecit hora diei quasi decima 5. nonas Maias. Et eodem anno subsecuta est grauissima pestis tribus mensibus, Iulio videlicet, Augusto & Septembri: Fuitque Romæ mortalitas maxima. Hæc denique pestilentia Ticinum adeo depopulata est, vt ciuibus per iuga montium fugientibus, intra præfatam vrbem herbæ nascerentur & fruteta. Vbi etiam duo angeli visibiliter apparuerunt pergentes per ciuitatem bonus scilicet & malignus. Qui quotiens cum venabulo, quod manu ferebat, ostium cuiuscumque domus iussu boni angeli percussisset, tot de eadem domo sequenti die hominum cadauera trahebantur. Tunc quibusdam viris de ciuitate per reuelationem dictum est, quod non prius pestis ipsa quiesceret, quam in basilica beati Petri apostoli, quæ ad vincula dicitur, sancti Sebastiani martyris altare construeretur. Delatis itaque ab vrbe Roma martyris reliquiis, mox, vt in dicta basilica ipsius altare constructum est, pestis illa quieuit. Per idem tempus defuncto rege occidentalium Saxonum Kentwino, Cedwalla rex Britonũ, regnum occupans, ibidem duob. annis regnauit. De hoc Cedwalla inuenitur dissonantia inter historiã Britonũ & chronica Anglorum. Asserunt enim Angli Cedwallam

filium fuisse Kiniberti, de genere Ceaulini. Britones econtra dicunt illum fuisse filium Cadvvalini regis Britannici, qui reges Anglorum Eadvvinum & sanctum Osvvaldum peremit.

Iustinianus imperator.

Anno gratiæ. 687. Sergius sedit Romæ annis 13. mensibus 8. diebus 24. & cessauit sedes mense vno, & diebus 20. Eodem anno mortuo viro catholico imperatore Constantino, filius eius Iustinianus decem annis imperauit. Sub his quoque diebus Dorobernensis rex Eadricus defunctus est. Post cuius obitum regnum illud extranei inuaserunt. Cedvvalla enim rex, & frater eius Mollo prouinciam illam ingressi, nullo obsistente eam deprædari ac depopulari sunt. Quæ sæuicia per triennium durauit, donec Mullo prefatus, inanis gloriæ cupidus, immatura morte præuentus vitam terminauit. Eodem anno Cedualla rex præfatus Vectam insulam subiugauit, regemque Ethelvvaldum australium Saxonum, qui tunc insulanis præfuit, crudeli morte peremit, ac prouinciam illam sæua depopulatione contriuit. Sed mox à ducibus Æthelvvaldi, Berthuno & Auduno expulsus, regnum prædictis ducibus reliquit, quod illi deinceps multo tempore tenuerunt. Fuit autem Cedwalla, vt supra dictum secundum chronica Anglorum filius Kiniberti, qui fuit Ceaddę, qui fuit Cuthæ qui fuit Ceaulini. Sed sub silentio prætereundũ non esse reor, de duob. filiis Arwaldi, Vectæ insulæ subreguli, qualiter sunt Dei gratia, martyrio coronati. Siquidẽ imminentibus insulæ hostibus, ad proximã Iutorũ prouinciã per fugã elapsi sunt. Sed ibidem delati, iubente Cedwalla, sunt perempti. Quod cum audisset abbas de Redfort, non longe monasterium habens, venit ad regem, postulauitq; ab eo vt si pueros perdere vellet, prius liceret eos fidei imbui sacramentis. Quod cum rex annuisset & fonti salutari essent abluti, instante carnifice mortem læti subierunt temporalem, per quam se ad vitam perpetuam indubitanter transituros sciebant.

Cedvvalla regnum relinquẽs propter Deum, Romam baptizandus venit.

Anno gratiæ. 688. Cedwalla miseratione tactus diuina imperium propter Deum relinquens temporale, Romam venit. Hoc sibi gloriæ singularis adipisci desiderans, vt ad limina apostolorum Petri & Pauli baptismatis fonte ablueretur, in quo didicerat generi humano vitæ cœlestis patere introitum. Sperabat etiam quod baptizatus, & mox carne solutus ad æterna gaudia iam mundus transiret. Quod vtrumque, vt mente conceperat, domino iuuante, compleuit.

Defuncto Cedvvalla rege, Ina successit.

Anno gratię. 689. Cedwalla rex Romam veniens, Sergio pontificatum agente, baptizatus est die sancto sabbati paschalis, & in albis adhuc positus, languore correptus 12. Kalend. Maiarum die carne solutus, & beatorum in cœlis regno est sociatus. Cui etiam, tempore baptismatis, papa memoratus Petri nomen imposuit, vt rex qui pio ductus amore ad limina Petri à finibus terræ venerat, nomine quoque ipsius consortio iungeretur. Qui iubente pontifice in eius Ecclesia sepultus, epitaphium in monumẽto ipsius hoc modo scriptum est.

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Eximios proceres, mœnia, castra, lares,
Quæq; patrum virtus, & quæ congesserat ipse,
Cedwalla armipotens liquit amore Dei.

Successit autem Cedwallæ in regnum occidentalium Saxonum, Ina de stirpe regia 37. annis, qui fuit filius Kenredi, qui fuit Ceolwaldi, qui fuit frater Kiniwaldi, qui fuerunt Cuthwini, qui fuit Ceaulini, & sic ascendendo vsque ad Wodenum. Eodem anno Gaufridus Monimutensis postea Episcopus sancti Asaph historiam Britonum, quam ab excidio Troiæ inchoauit, terminauit hoc modo. Expulsis ab insula à Saxonibus Britannis, Walliam petierunt, vbi à Britannica nobilitate degenerati, non Britones sed Wallenses appellati sunt, nomen à Wallone duce eorum, siue à Galaes regina, siue à barbarie traxerunt. Reges autem eorum, qui ab illo tempore in Wallia successerunt, Caradoco Lancarbanensi conremporaneo meo ad scribendum committo. Reges vero Saxonum Wilhelmo Malmesberiensi, & Henrico Huntendunensi, quibus de regibus Britonum tacere iubeo, cum non habeant librum Britannici sermonis, quem Walterus Oxenfordensis archidiaconus de Britannia minori aduexit, quem de historia eorum veraciter editum in honorem principum prædictorum, hoc modo in Latinum sermonem transferre curaui.

Theodorus archiepiscopus Cantuariensis obiit.

Anno gratiæ. 690. Theodorus beatæ memoriæ, Cantuariẽsis archiepiscopus, plenus dierum defunctus est, postquam mansit in Episcopatu annis 22. sepultusq; est in Ecclesia beati Petri, in qua omnium Episcoporum Dorobernensium corpora sunt sepulta. Cuius epithaphium monumenti huius habetur.

Hic

Hic sacer in tumba pausat, cum corpore præsul,
Tunc quem Theodorum lingua Pelasga vocat.
Alma nouæ scandit fœlix consortia vitæ,
Ciuibus angelicis iunctus in arce poli.

Eodem tempore Ælfwaldo orientalium Anglorum regi, Beorna successit in regnum. *De rege Pipino.*

Anno gratię. 691. Pipinus rex Francorum Neustriam subiugauit, & sanctum Lambertum in ecclesia Traiectensium episcopum ordinauit. Per idem tempus Willebrordus cum sociis. 12. ab Anglia veniens in Galliam, sanctitate enituit insignis.

Anno gratiæ. 692. Theodoro Dorobernensi archiepiscopo Brithwaldus qui erat abbas in monasterio, quod Raculfe nuncupatur, successit. Electus est autem die prima mensis Iulii, regnantibus in Cancia Withredo & Siwardo fratribus, qui religione simul & industria, gentem suam ab extranea inuasione eiecerunt. Isti postmodum in villa Douernensium in honorem sancti Martini fabricauerunt ecclesiam in loco eis assignato à sancto præfato, in qua monachos regulariter viuentes imponentes, multis eos rebus simul ac terris diuites effecerunt. Regnauerunt autē. 34. & semis annos. Eodem anno Wilfridus Ebor. archiepiscopus erga regem Ælfridum accusatus, ab eodem rege & episcopis plurimis ab episcopatu pulsus est. Venienſque Romam cum præsentibus accusatoribus, vt locum se defendendi acciperet, considentibus episcopis pluribus, in præsentia domini Papæ omnium iudicio probatum est, accusatores eius nonnullas contra eum falsas calumnias machinasse. Scriptumq; est regi Northanhumbrorum Ælfrido, vt eum in præsulatum suū recipi faceret, eo quod iniuste fuerit condemnatus. Qui cum Britanniam rediens in partes Galliarum deuenisset tactus est infirmitate repentina, vt nec equo vehi posset sed manibus ministrorum in grabato portaretur. Sicque in Meldum ciuitatem Galliæ delatus, quatuor diebus cum noctibus quasi mortuus decumbebat. Cumq; ita sine cibo & potu, sine voce & auditu, quatriduo vexaretur, quinta illucescente die, quasi de graui somno exurgens resedit, modicumq; suspirans, vbi esset Eatta presbyter requisiuit. Qui cum statim vocatus intrasset, ita eum alloqui adorsus est. Visio mihi modo tremenda apparuit, quam te audire ac silentio tegere volo, donec probem quid de me fieri velit Deus. Astitit mihi quidam candido præclarus habitu, dicens, se Michaelem esse archangelum, & ob hoc (inquit) missus sum, vt te à morte reuocem ad vitam. Donauit enim tibi Deus vitam, per intercessionem lachrymarum discipulorum tuorum, & per orationem suæ genetricis. Sed paratus esto, quia post quadriennium reuertens visitabo te. Ad patriam autem perueniens, possessionum ablatarum portionem recipies, atque pace tranquilla vitā terminabis. Conualuit igitur episcopus gaudentibus cunctis, cœptoque itinere Britanniam peruenit. Lectis autem epistolis, quas à Papa aduexerat, Brithwoldus Cancię archiepiscopus, & Æthelredus quondam rex, tunc autem abbas, libentissime fauerunt, sed Ælfridus rex Northanhumbrorum eum suscipere contempsit. Ælfrido vero non longo post tempore defuncto, Osredus, qui post eum regnauit synodo iuxta flumen Nid collecta post aliquantum vtriusque partis conflictum cunctis tandem fauentibus, in præsulatum suæ ecclesiæ est receptus. Sicque annis 4. sicut ei ab angelo prædictum fuerat, in pace vitam ducens, quieuit in domino. Defunctus est autem 4. Idus Octobris in monasterio suo, quod habebat sub regimine Cuthbaldi abbatis in Indalum prouincia. Sed ministerio fratrum prolatus in primum suum monasterium in Ripun, in ecclesia beati Petri apostoli iuxta altare ad austrum est sepultus.

Brithwoldus Cantua. archiepiscopus consecratur.

Anno gratiæ. 693. Ina rex occidentalium Saxonum, castrorum aciebus terribiliter ordinatis, combustionem Mollonis cognati sui vindicare disposuit. Rex vero Canciæ Withredus humiliter obuiā veniēs, magnā pecunię summā pro nece iuuenis dedit & sic,

Lis finita fuit, pax confirmata reuixit.

Rex Clodoueus.

Eodem anno Brithwaldus Canciæ archiepiscopus à Godwino, Galliarum archiepiscopo, consecratus est. Post Godmundum Roffensis ecclesiæ præsulem, Tobiam episcopum consecrauit, virum scilicet Latina lingua, & Græca multipliciter eruditum.

Anno gratiæ. 694. Clodoueus rex in Francia quatuor annis regnauit. Quo etiam tempore, sanctitas & innocentia beati Leodegarii, Heducensis episcopi, per Dei omnipotentis gratiam clarescere cœpit. Hic autem à ministro iniquitatis Ebroino, qui monachali habitu deposito, sub rege quondam Francorum Theodorico principabatur, crudelitate pessima (eo quo familiaris prædecessori esset) dicti regis post multa fecit suppliciorum genera decollari. Sed viuente adhuc Ebroino, virum sanctum misericors dominus plurimorum miraculorum gratia decorauit.

Anno

Pars dominicæ crucis Romæ inuenitur.

ANNO gratiæ.695. Sergius Papa inuenit, in sacrario beati Petri Romæ, magnam dominicę crucis, portionem, quę annuatim solet in die exaltationis eiusdem viuificæ crucis, ab omni populo Romano deosculari, & in reuerentia venerari. Eodem anno Hewaldus albus, & Hebaldus niger, presbyteri, à Britannia in regionem Frisonum, prædicandi gratia venientes, martyrio ibidem coronantur, & iussu Pipini regis in Agrippinensi Colonia tumulantur. Sol defecit hora diei tertia.

Regina Ostrica occisa est.

ANNO gratiæ.696. Mercii, qui dicuntur Suthumbri, id est, illa pars Merciorum, quæ est à parte Boreali Trente fluminis, scelus nequissimum cõmiserunt. Reginam namque Ostricam, vxorem Æthelredi regis sui, & Egfridi regis Northanhumbrorum filiam, crudeliter peremerunt. Eodem anno Eadbertus, successor sancti Cuthberti, cum post annos vndecim corpus eiusdem sancti transferret, & super pauimentum locaret, tam corpus quam linteamina integra sunt reperta. Per idem tempus Leo patritius Iustinianum imperio priuauit, eumq; naso & lingua truncatum, in exilium relegauit.

Leo imperator.

ANNO gratię. 697. Leo Romanum adeptus imperium, annis duobus regnauit. Eodem tempore Willebrordus natione Britãnus, à Sergio papa prædicatum genti Frisonum mittitur, & ex dono Pipini regis sedem Episcopalem apud Vltraiectum susćepit.

Sanctus Lãbertus martyrio coronatur.

ANNO gratiæ.698. Hildebertus, Francorum rex creatus. 18. annis regnauit. Eodem anno sanctus Lambertus martyrio coronatur & Traiecti tumulatur. Pipinum enim principem increpare ausus est quod adulteram legitimæ vxori superduxerat, à Dodono fratre ipsius martyrizatur, & Traiecti (vt dictum est) sepelitur. Per idem tempus Absimarus, qui & Tyberius, Leone ab imperio pulso, nasoque absciso carcerali custodiæ deputatur.

ANNO gratiæ.699. Absimarus, qui & Tyberius, Romanum adeptus imperium, imperauit annis 7. Eodem anno Dodo interfector sancti Lamberti, pessimo lãguore cruciatus, à vermibus consumitur, & ob intolerantiam fœtoris in Mosam fluuium demergitur, omnesque huius culpæ complices infra annum diuinitus puniuntur. Percussor vero sancti martyris fratri suo congressus, alter ab altero trucidatur.

De mortuo resuscitato à pœnis purgatorii.

HIS diebus, quidam paterfamilias in regione Northanhumbrorum, graui corporis infirmitate tactus, primo noctis tempore defunctus est. Sed diluculo reuiuiscens, ac repente residens, omnes, qui corpori flentes aderant, timore nimio percussos in fugam conuertit. Vxor tamen, quæ amplius amabat, quamuis multum perterrita, remansit, quam ille consolatus, noli inquit timere quia iam vere resurrexi à morte qua tenebar, & apud homines iterum viuere sum permissus. Statimque surgens abiit ad villulæ oratorium, & vsque diem in oratione persistens, mox omnem substantiam, quam possederat, in tres portiones diuisit. E quibus vnam coniugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibi retinens, pauperibus statim distribuit. Nec multo post in monasterio, quod Mailros appellatur, accepta tonsura curis sæculi penitus est absolutus, vbi monasterium ingressus est abbati & fratribus horrendas quas viderat visiones retulit, in hunc modum. Quidam aspectu lucidus, & indumento clarus, me ducebat. Incedebamus autem tacentes, vt videbatur mihi contra solis ortum solstitialem, donec deuenimus ad vallem inmensæ latitudinis, infinitæ longitudinis ac nimiæ profunditatis. Quæ ad læuam nobis sita, vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum latus furenti grandine, ac frigore nimium, omnia perflante ac vexante, non minus intollerabile referebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ vicissim hinc inde videbantur, quasi tempestatis impetu, iactari. Cumque vim feruoris vniuersi tolerare non possent, prosiliebant miseræ in mediũ frigiditatis infestæ. Et cum neque ibi quicquam requiei inuenire potuissent, resiliebant rursum in mediũ vrendæ flammarum inextinguibilium, infœlici vicissitudine sine vlla quietis intercapedine, fuitque spirituum deformium innumerabilis multitudo. Et cœpi cogitare quod esset infernus locus ille, de cuius tormentis intolerabilibus sæpius narrari audiui. Respondit cogitationi meæ ductor, qui me prȩcedebat, non hoc inquiens suspiceris. Sed cum me hoc spectaculo tam horrendo perterritum in vlteriora produceret, vidi subito ante nos loca incipere obscurari & omnia tenebris adimpleri. Quas cum intraremus in tantum paulisper condensatæ sunt, vt nihil præter illas aspicerem, excepta duntaxat specie & veste eius qui me præcedebat. Et cum progrederemur sola sub nocte per vmbras, ecce subito apparent ante nos crebri teterrimarum globi flammarum, quasi de puteo magno ascendentes, & rursum in eundem decidẽtes. Quo cũ perduct⁹ fuissem, ductor meus repente disparuit ac me solum in medio tenebrarũ, & horrendæ visionis reliquit. At cum iidem globi igniũ, sine intermissione, modo alta peterent, modo ad ima baratri redirent, cerno omnia, quæ ascendebant, fastigia flammarum plena esse spiritibus hominum, qui instar fauillarum

cum

cum fumo ascendentium, nunc ad sublimiora proiicerentur, nunc retractis ignium vaporibus, in profundum laberentur. Sed & fœtor incomparabilis cum eisdem vaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum loca corrumpebat. Et cum ibidem diutius consisterem pauidus, & quid agerem incertus, audio subito post tergum sonitum miserrimi fletus, & cachinnum insultantium dæmoniorum, qui clarior effectus ad me vsque peruenit, vbi turbam spirituum malignorum consideraui, quæ animas hominum mœrentes & eiulantes, ipsa multum exultans, illas in medias tenebras detrusit. Factumque est, vt fletum hominum risumque dæmoniorum clare discernere nequirem, sonum tamen promiscui sexus in auribus haberem. Ascenderunt quidam spirituum obscurorum de abysso illa flammiuoma, & accurrentes circumdederunt me, atque oculis flammantibus, & de ore ac naribus ignem fœtidum efflantes angebant, forcipibusque igneis, quos tenebant in manibus, me comprehendere conabantur, nec tamen me vllatenus contingere, tametsi terrere præsumebant. Cumque hostibus vndique præclusus ac tenebris huc atque illuc oculos circumferrem, si forte aliquid, quo saluarer aduenire t, apparuit retro via, qua veneram, quasi fulgor micantis stellæ inter tenebras, qui paulatim crescens & ad me festinans, vbi appropinquauit dispersi sunt omnes spiritus infesti, qui me forcipibus rapere contendebant. Ille autem qui aduenies illos fugauit, ipse erat qui me antea deducebat. Qui mox iter ad dexteram versus, quasi contra ortum solis brumalem ducere me incœpit, & sine mora tenebris exemptum, in auras serenæ lucis induxit. Cumque me ibi duceret, vidi ante nos murum permaximum, cuius altitudinis siue longitudinis nullus esse terminus videbatur. Cœpi autem mirari quare accederemus ad murum, cum in eo ianua nulla vel fenestra siue ascensus alicui appareret. Cum ergo peruenissemus ad murum, statim quo ordine nescio, fuimus in summitate eius, & erat ibi campus latissimus ac lætissimus, tantaque fragrantia vernantiũ flosculorum plenus, vt omnem mox fœtorẽ tenebrosi fornacis, qui me peruaserat, effugaret odoris huius suauitas admiranda. Tanta autem lux cuncta illa perlustrauerat loca, vt omni splendore diei siue solis meridiani radiis præclarior videretur. Erant namque in hoc campo innumera hominum albatorum conuenticula, sed esque plurimæ lætantium animarum. Cumque inter choros fœlicium incolarum medios me duceret, cogitaui quod esset regnum cœlorum, sed ille cogitationi meę respondens, non hoc ait suspiceris. Cumque procedentes transissemus has mansiones spirituũ bonorum vel beatorũ, aspicio ante nos multo maiorem luminis gloriam quam prius, in qua etiam voces cantantium dulcissimas audiui, sed & fragrantia miri odoris tanta effundebatur de loco, vt is, quem antea degustans quasi maximum rebar, iam mihi odor permodicus videretur. Sic quoque lux illa campi florentis eximia, in comparatione eius lucis, quæ nunc apparuit, tenuissima videbatur & parua. In huius amœnitatem loci cum nos intraturos sperarem, ductor meus repente substitit, & sine mora gressum retorquens, ipsa me, qua venimus, via reduxit. Tunc qui me ducebat, mihi dixit. Scis quæ sunt ista omnia quæ vidisti? Respondi ego. Non. Et ait, Vallis illa, quam aspexisti flammis feruentibus, & frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus, in quo examinandæ sunt animæ illorum, qui differunt confiteri, & emendare scelera quæ fecerunt, sed in ipso tandẽ mortis articulo ad pœnitentiã confugiunt, & sic de corpore exeuntes, omnes in die iudicii cælorum perueniunt ad regnum. Multos etiã preces viuentium, & eleemosynæ, ieiunia, & maxime missarum celebratio adiuuant, vt ante diem iudicii liberentur. Porro puteus ille flammiuomus ac fœtidus, quem vidisti, ipsum est os gehennæ, in quod, qui semel inciderit non liberabitur in æternum. Locus vero florifer, quem vidisti, in quo pulcherrimam iuuentutem iocundari ac fulgere conspexisti, ipse est in quo recipiuntur animæ eorum, qui in bonis operibus de corpore exeunt, nec tamen tantæ sunt perfectionis, vt statim regnum cœlorum ingredi mereantur. Qui tamen omnes, in die iudicii, ad visionem Dei & gaudia regni cœlestis intrabunt. At quicunq; in omni verbo, opere, & cogitatione perfecti sunt, mox de corpore egressi regnum ingrediuntur cælorum. Ad cuius vicinia pertinet locus ille, vbi sonũ cantilenæ dulcis odore suauitatis ac splendore lucis audisti. Tu autem, quia nunc ad corpus reuerti, & rursum inter homines viuere debes, si actus tuos curiosius discutere, & mores sermonesq; tuos in rectitudine ac simplicitate seruare studueris, accipies & ipse post mortem locũ mãsionis inter hæc, quæ vidisti, agmina lætabunda spirituum bonorum. Nam ego, cum ad tempus recessissem à te, ad hoc feci, vt quid de te fieri deberet agnoscerem. Hæc mihi cũ dixisset, multum detestatus sum ad corpus reuerti, delectatus suauitate ac decore loci quem videram, simul & consortio eorum quos aspexi. Sed inter hæc, quo ordine nescio, repente me

inter

inter homines viuere cerno. Denique in vicinia cellę illius, vt prædictum est, in flumine quod præterfluebat solebat crebro, ob magnum castigandi corporis affectum, ingredi, ac sæpius in eo crescētibus vndis immergi, sicque ibidem, quamdiu sustinere potuit, psalmis precibusque insistere, & fixus ibi manere, ascendente aqua vsque ad lumbos, & quandoq; vsq; ad collum, & inde egressus vestimenta sua numquā deponere curabat, donec calefacta de suo corpore siccarentur. Tempore vero hyemali, defluētibus circa eum glacierum crustis, dixerunt qui videbant. Mirum est frater * Drichelme, quod tantam frigoris asperitatem tolerare potes. Respondit ille simpliciter Frigidiora ego vidi. Et cum dicerent mirum quod tam austeram tenere continentiam velis, respondebat. Austeriora ego vidi. Sic vsq; ad diem vocationis suæ, infatigabili cœlestium bonorum desiderio, corpus senile inter quotidiana ieiunia domabat, multisq; saluti fuit, tam opere quam exemplo.

* Dritheline

Brithricus comes perimitur.

Anno gratię 700. Brithricus comes Northanhumbrorū, volens vindicare dominum suum regem Egfridum, terram Pictorum hostiliter inuasit. Sed sicut dominus suus, maledicta Hybernensium sentiens corruit: ita iste à Pictorum populo interfectus est. Per idem tempus Romani Syriam peruagantes. 200. Saracenorum millia peremerunt.

Floruit abbas Adamānus.

Anno gratiæ. 701. floruit vir bonus, & literatus Adamannus presbyter, & abbas monachorum qui erant in insula Hii. Hic missus ad Ælfridum regem gratia legationis, cū videret ritus Ecclesiasticæ institutionis, & obseruantiæ festi paschalis, continuo trahitur ad consensum. Qui cum domum rediisset, curauit suos qui erant in insula Hii, ad callem perducere veritatis, nec valuit. Nauigansque in Hyberniam, pene omnes ad legitimum paschæ tempus obseruandum induxit. Scripsit idem vir domini librum de loco dominicę natiuitatis, passionis, & ascensionis, situmq; terræ sanctæ mirabiliter descripsit.

Iohannes Papa.

Anno gratiæ. 702. Iohannes sedit Romæ annis tribus, mensibus duobus, & diebus tredecim, & cessauit sedes mense vno & diebus tredecim.

De sancto Benedicto, abbate Anglico.

Anno gratiæ. 703. sanctus Benedictus abbas Anglicus post vitam laudabilem, glorioso fine in domino quieuit. Hic vir Dei, de stirpe nobili gentis Anglorum progenitus est, & in adolescentia militiæ rudimentis addictus. Denique cum esset minister Ofwii regis, & possessionem non modicam, ipso donante, percepisset, caduca mundi omnia pro Christo spernens, Romam adiit, vt ibidem Ecclesiastica informatus disciplina militiam assumeret spiritualem, qua sibi prodesset & aliis, vtilisque minister in dominicę posset cultura vineæ reperiri. Inde verò rediens apud Lirinensem insulam, se monachorum cœtui cōiunxit, tonsuram accepit, vbi per biennium regulariter institutus, ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli, iterum repedauit. Quo tempore, cum papa Vitalianus Theodorum, Cantuariæ archiepiscopum in Britanniam destinauit, ipse simul aduenies multas secum reliquias sanctorum reportauit. Qui postea regi Northanhumbrorum Egfrido coniunctus, confestim rex ei terram, 60. familiarum, ad construendū apostolorum principi Petro monasterium, contulit, ad ostium Wiræ fluminis, anno gratiæ 674. indictione secunda. Sed & aliud monasterium ad honorem doctoris gentium Pauli, in Girwi non longe ab altero fabricatur, & à rege præfato prædiis 60. familiarum acceptis, multipliciter illud ditare curauit. Hæc autem monasteria religiosis implens monachis, Ceolfridum in vno, Easterwinum in altero præpositos ordinauit: Hoc ideo fecit, vt tam in eius absentia quam in præsentia, regularis semper custodia seruaretur. Huic denique famulo Dei Benedicto Beda venerabilis, & doctor Anglorum, traditur nutriendus, sub quo etiam ad ordinem sacerdotis legitur fuisse promotus. Quinquies Romam petisse asseritur, qui semper rediens diuinorum locupletatus commodorum, subiectos instituere opere pariter & exemplo curauit. Tandem post vitam laudabilem victor viciorum Benedictus, confessor Christi piissimus, carnis infirmitate victus, pridie idus Ianuarii spiritum reddidit creatori. Successit ei in onere & honore vir sanctus, & eiusdem discipulus, Ceolfridus, sub quo Beda Christi famulus, ad vniuersalis vtilitatem Ecclesiæ, descripturis sanctis laborem inchoatum laudabiliter adimpleuit.

Hedda VVintanēsis Episcopus obiit.

Anno gratiæ. 704. Hedda Episcopus Wintonensis, qui Leutherio successerat, ad extrema peruenit. In loco autē, quo defunctus est, ob meritum sanctitatis eius multa sunt patrata miracula. Nam homines prouincię illius puluerem inde ablatum in aquam mittere solebant propter languentes, cuius gestu siue aspersione tam homines quam iumenta gauisi sunt sese sanitatem recepisse. Quo defuncto, Episcopatus in duas parochias diuisus est, vna, id est, Wintonensis data Danieli, quam vsq; in tempora Bedæ rexit, altera, id est, Sireburnensis collata est Aldelmo, quam tenuit quatuor annis. Remanserunt autem Episcopo Wintonensi duæ prouinciæ tantum, Hamptonensis scilicet, & Sutherienſis:

alteri

alteri vero prouinciæ, Wiltunensis, Dorsetensis, Berrucensis, Somersetensis, Deuoniensis, Cornubiensis. Sireburna autem viculus adeo exilis est, quod mirum videtur per tot secula ibidem episcopatum durasse.

Offa rex Orientalium Saxonũ Romæ monach⁹ efficitur.

Anno gratiæ 705. Æthelredus rex Merciorum, postquam annis 30. strenuissime regnũ tenuisset monachus effectus, apud Bardoneiã defunctus est, & ibidẽ sepultus. Habuit rex duas sorores virgines sanctissimas, Kinesdridã & Kineswithã, ambas ab infantia Deo dicatas, quæ nobile virginitatis propositum nobilius perduxerunt ad senium. Sed iunior, non sua solius salute contenta, Offam, sponsum suum, cœlesti regno restituit. Regnauit autem Offa in regno orientalium Saxonum, post Sigehardum & Seofridum paucis annis, adolescens iocundi vultus, ætate floridus, apud ciues suos maximæ dilectionis qui Kineswithę præfatę hortatu, cuius nuptias illa spreuerat, cœlestes suspirare doct⁹ amores Romã perrexit. Ibique monachus effectus, cœlica regna deuotus conscendit. Harum sanctarum virginum reliquiæ apud Medeshamstede / quę villa modo Burgũ sancti Petri dicitur à populo fœliciter venerantur. Eodẽ anno rex Northãhumbrorum Ælfridus obiit, cui successit filius eius Osredus. 11. annis. Æthelredo autem in regno Merciorum Kinredus successit. 5. annis. Eodem tempore Ioannes sedit Romæ anno 1.

Sisinnius Papa.

Anno gratiæ 706. Sisinnius sedit in cathedra Romana diebus 20. Eodem anno Iustinianus exul, auxilio regis Bulgariæ Trchelbi, imperio restitutus, imperauit annis 6. Qui imperium adeptus omnes, qui ante eum expulerant, interfecit, & Absimarum Tyberium iugulari præcepit. Sed & Gallinicum patriarcham erutis oculis Romam destinauit, ciuiũ Romanorum innumerabilem multitudinem strauit, Chersonam vbi exilium subiit euertere fecit, inauditam crudelitatem in hostes exercens.

Constantinus Papa.

Anno gratiæ 707. Constantinus sedit Romæ annis septem, diebus quindecim, & cessauit sedes diebus quadraginta. Per idem tempus, miles quidam erat de familia Kinredi regis Merciorũ, palam vitiis seruiens, cum sedulo admoneret eum rex, vt ageret pœnitentiam, ille monita salutis parui pendens flagitiosam vitam corrigere prorogabat. Qui inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum, atque acri cœpit dolore infatigari. Ad quem ingressus rex hortabatur multum, vt antequam moreretur ageret pœnitentiam commissorum. At ille respondit, se peccata nolle confiteri antequam ab infirmitate conualesceret, ne sibi sodales exprobrarent quod metu mortis hoc faceret. cumque morbo ingraueſcente, rex denuo ad eum exhortandum intraret, cœpit ille miserabili voce clamare. Quid huc venisti: Non aliquid vtilitatis aut salutis potes vltra conferre. Ad quem rex. Noli (inquit) ita loqui, vide vt sanum sapias. Non (inquit) insanio, sed pessimam conscientiam præ oculis habeo. Nam paulo ante quam venires, intrauerunt domum hanc duo iuuenes, & resederunt iuxta me, vnus ad caput, alter ad pedes, protulitque vnus libellum perpulchrum sed valde modicum ad legendum in quo omnia quę hactenus bona fecerim, scripta reperi. Qui codicem respicientes nihil dicebant. ac subito superuenit exercitus malignorum spirituum teterrimorum, qui domũ hanc exterius obsedit & intus maxima ex parte residens impleuit, Tunc vnus eorum teterrimus, qui maior videbatur, proferens codicem horridæ visionis, & enormis magnitudinis, ponderisq; importabilis, iussit vni ex satellitib. suis mihi ad legẽdum deferre. Quem cum legissem, inueni omnia scelera, non solum quæ opere vel verbo, sed etiam quę tenuissima cogitatione peccaui, manifestissime tetricis in eo literis esse conscripta. Dicebantq; ad illos, qui mihi assederant, viros præclaros & albatos. Quid hic sedetis, scientes certissime quod noster est iste. Respõderunt, verum dicitis. Accipite & in cumulum damnationis vestræ adducite. Surgentes autem duo nequissimi spiritus habentes furcas in manibus percusserũt me, vnus in capite & alius in pede, qui modo cũ cruciatu magno interiora mea omnia irrepunt, itaq; mox vt ad inuicem peruenerint, moriar & paratis ad rapiendũ me dæmonibus pertrahent ad infernum. Sic loquebatur miser desperans, & continuo mors misera subsecuta est. De quo constat quod non pro se ista crimina, cui minime profuerunt, sed pro aliis ostensa, vt eius interitum cognoscentes pœnitentiam non differrent, ne improuiso mortis articulo præuenti impœnitentes perirent.

Mors Egfridi regis vindicata est.

Anno gratiæ 708. Ina rex occidentalium Saxonum, pugnauit contra Gerentem regem Wallensium. Cuius initio pugnæ Dux Higebaldus peremptus est. Tandem vero rex Wallensis fugiens, arma & spolia insequentib. eum Anglis reliquit. Per idem tempus Offerus Consul Northanhumborum contra Pictos dimicans, eorumq; maximam multitudinem sternens. Egfridi regis vltor fuit.

Aldelmus episc. obiit.

Anno gratiæ. 709. Aldelmus Scireburnẽsis antistes diem clausit extremum. Hic vir sanctus

ſanctus cum adhuc eſſet presbyter, & abbas monaſterii, quod Maildulphi vrbem appellant ſcripſit iubente Synodo, ſuæ genti librum egregium, contra errorem Britonum, quo eos ad catholicam Paſchæ celebrationem perduxit. Scripſit etiam & librum de virginitate eximium, & alia multa, vt vir vndecunque doctiſſimus atque tam liberalium quam eccleſiaſticarum rerum eruditione mirandus. Quo defuncto, pontificatum pro eo ſuſcepit Fortherus, vir & ipſe in ſcripturis ſanctis laudabiliter eruditus.

Rex Kinredus monachum induit.

ANNO gratiæ. 710. Kinredus qui regno Merciorum nobiliſſime aliquanto tempore præfuerat, multo nobilius ſceptra regni reliquit. Nam pontificatum Romæ agente Conſtantino, limina apoſtolorum deuotus petens, monachum ibidem induit, vbi in precibus, ieiuniis, & eleemonſynis vſque ad diem vocationis ſuæ permanſit. Succeſſit ei in regnum Ceolredus filius Æthelredi qui ante Kinredum illud regnum tenebat. Venit autem Romam cum illo Offa, rex orientalium Saxonum, de quo ſupra memoratum eſt. Qui pari ductus deuotione mentis, vxorem, agros, cognatos, & patriam propter Chriſtum reliquit, vt in hac vita centuplum, & in futuro vitam poſſideret æternam. Succeſſit ei in regnum Selredus, Segeberti boni filius, triginta octo annis.

De primo Seleſeienſi epiſcopo.

ANNO gratiæ. 711. In prouincia auſtralium Saxonum, ſynodali decreto ſtatutum eſt, vt qui eatenus ad ciuitatis Ventanæ cui tunc Daniel præerat, parochiam pertinebant, & ipſa ſedem epiſcopalem ac proprium haberet epiſcopum. Conſecratus eſt autē eis primus antiſtes Eadbertus, qui erat abbas monaſterii beatę memorię Wilfridi epiſcopi, quod Seleſeia appellatur, vbi idem Dei famulus exilium per quinquenniū paſſus à rege eiuſdem prouinciæ terram octoginta familiarum impretrauit, in qua ſocios exules recipere poſſet, & vitæ eis ſubſidia miniſtrare. Eſt enim locus ille vndiq; mari circumdatus, præterquam ab occidente, vnde habuit ingreſſum quaſi ad iactum fundę. Hunc autem locum cum accepiſſet Wilfridus, fundauit ibi monaſterium, ac regulari vita, maxime ex eis quos ſecum adduxerat, inſtituit, quod multo poſt tempore ſucceſſores eius tenuerunt. Et quoniam illi rex præfatus Æthelwaldus omnes facultates, cum agris & hominibus donauit, vniuerſos ibi inuentos baptiſmatis vnda regeneratos in fide Chriſti roborauit. Erant autem numero inter ſeruos, & ancillas quaſi ducenti quinquaginta, quos omnes ſicut à ſeruitute diabolica, ita etiam libertati donando, iugo humanæ ſeruitutis abſoluit. Reuocato autem Wilfrido ad prouinciam Northanhumbrorum, primo Cedwalla rex occidentalium Saxonum, ac deinde ſucceſſor eius Ina, regibus illius prouinciæ ſubactis & interfectis, regnum illud tenuerunt. Vnde factū eſt vt toto illo tempore gens illa proprium epiſcopum non haberet, ſed epiſcopo Ventanæ ciuitatis, vt prædictum eſt, ſubiaceret. Poſt Eadbertū vero primum illius regionis epiſcopum, Cella pontificatus officium ſuſcepit. Ipſo autem ex hac luce ſubtracto vſq; ad obitum Bedæ ſedes illa vacauit. Hoc etiam anno magnus Wilfridus, poſt annos 40. & quinque accepti epiſcopatus, diem clauſit extremum, ſicut ſupra dictum eſt. Cui ſucceſſit ad epiſcopatū Haguſtaldenſem Eatta presbyter ſuus. De cuius induſtria Beda presbyter in hiſtoriarum libro multa ſcribens, eius ſanctitatē multipliciter cōmendat.

ANNO gratiæ. 712. Floruit Egwinus Wicciorum præſul tertius. Fuit autem eiuſdem prouinctæ epiſcopus primus nomine Boſelus, ſecūdus Oſtfortus. Egwinus vero in ordine tertius, cum rege Merciorum Kinredo & orientalium Anglorum rege Offa Romam veniens monaſterio quod in Wigornienſi territorio conſtruxerat, vt ab improborum irruptione ſecurius illud redderet, à Papa Conſtantino libertatis priuilegium impetrauit. Succeſſerunt autem ei in epiſcopatu Wigornienſi Wilfridus, Mildredus, Werenerdus, Tilherus, Hereferthus, Debertus, Herebertus, Alwinus, Hereferthus, Æthelhunus, Wilferthus, Kineweltus, Dunſtanus, Oſwaldus, Eldulfus, quorum tres vltimi archiepiſcopi Cantuar. fuerunt. Per idem tempus Iuſtinianus imperator à Philippico hæretico interfectus eſt apud Conſtantinopolim, & Tyberius filius eius cum eo. Iuſtinianus enim erat, qui nimiam in ciues illos tyrannidem exercuerat, iubens vrbem eorum arari & in pauimentum illidi, eo quod ad eius depoſitionem conſpirauerant, vt ſuperius relatum eſt.

De primis epiſcopis VVigornienſibus.

ANNO gratiæ. 713. Philippicus Romanum inuadens imperium apud Cherſoneſum purpuram accepit, anniſq; duobus imperauit. Hic cum eſſet hæreticus, Cyrum Conſtantinopolitanum epiſcopum exilio relegauit, & poſuit in ſede illa quendam ſuæ opinionis pſeudomonachum nomine Iohannem. Ipſe vero Philippicus Romæ Conſtantino Papæ literas praui dogmatis deſtinauit, quas vir ſanctus conſilio Romani populi reſpuens, præcepit ne eius nomen in chartis poneretur, aut penſura, ſolidorum reciperetur, aut ad miſſarum ſolemnia recitaretur.

De S. Guthlaco.

ANNO gratiæ. 714. S. Guthlacus heremita apud Croiland in palude diem clauſit ex-

sit extremum. Hic de stirpe non ignobili originem ducens, vtriusque parentis stemmate præclarus refulsit. Quem dum tempore Æthelredi regis Merciorum mater grauida mundo profundit, manus quædam rubei nitoris effulgens, ad crucem, quæ ante ostium domus puerperę stabat, porrecta ab ęthere videbatur. Cuius miraculi magnitudo, Mediterranęorum tęrminos Merciorum in momento repleuit. Baptizatus est infans, & Guthlacus parentum studio est vocatus. Cum autem adolescentiæ vires & ætas succreuissent, aggregatis sibi satellitum turmis, ad arma sese conuertit. Hoc tamen ex innata sibi bonitate semper vendicabat, quod de rapinis vndecumque collectis, tertiam partem illis qui eas ante possederant, remittebat. Octo igitur annorũ curriculis in hac ferocitate decursis, nocte quadam in se reuersus reuocauit ad memoriam, quam inanis sit huius mundi gloria, & futura damnatio perennis & incerta. Mane itaque facto, parętes complicesque prædones relinquens, ad monasterium in Rȩpendune tunc famosum peruenit. Ibique tonsuram & habitum clericalem suscipiens, pœnitentiam decreuit agere delictorum. Deinde sacris literis & monasticis institutus disciplinis, singulorum virtutes solus studuit æmulari. Lectis autem virtutibus monachorum, qui vitam elegerant solitariam, hæremum concupiuit, iterque arripuit vt locum idoneum inueniret. Tandem ad paludem magnam, quæ ad plagam orientalem Merciorum sita est perueniens, quæ sit qualitas regionis illius diligenter inquirit. Tunc dicit ei quidam, in illa palude vasta insulam esse remotiorem, quam multi inhabitare tentauerant, sed propter hæremi monstra ab omnibus fere relictam. Hoc audito, vir Dei hunc sibi locum postulat indicari. Ad ille scafulam accipiens piscatoriã sanctum Dei virum ad locum vsque perduxit. Hæc insula Crowland appellatur, quam nullus antea inhabitare ausus fuerat propter dæmonum ibi demorantium terribiles phantasias. Ibi vir sanctus solus habitare cœpit, S. Bartholomæi specialiter protectione confisus. Igitur aliquan diu ibi conuersatus ad sodales rediit, ex quibus, duobus secum pueris acceptis ad insulam iterum repedauit, vbi spiritualia fiducialiter arma arripiens, vitiliter domino militauit. Erat auem in hac insula cumulus agresti, gleba congestus, in cuius latere quasi cisterna videbatur inesse, vbi tugurio Dei seruus composito habitare incipiens, nec lineo nec laneo indutus vestimento, pellibus tantũmodo vtebatur. Abstinentia tanta in eo fuit, vt post Solis occasum sola panis hordeacei particula & aquæ poculo vteretur. Quadã vero die cum studio consuetæ meditationis intenderet, duo dæmones in habitu humano subito astiterunt, qui eum sic familiariter alloquuntur. Nos experti sumus fidei tuæ fortitudinem, & patiẽtiam inuincibilem, & ideo te inquietare cessamus, insuper etiam de antiquorum conuersatione hæremitarum te volumus erudire. Moyses & Helyas, aliique patres antiqui, Deo per multam abstinentiam placuerunt. Quamobrem ieiunium, non biduo tantum, vel triduo seruandum est, sed integra potius septimana, vt sicut Deus sex diebus mundum formauit, & septimo requieuit: sic homo, sex diebus ieiunans, debeat spiritum reformare, septimo commedens requiem carni dare. Hoc vir Dei audito, sic respondit. Conuertantur retrorsum, qui quærunt animam meam vt auferant eam. Et mox, more quotidiano particulam hordeacei panis accepit. Maligni autem spiritus recedentes, loca illa mœstis quęstionibus impleuerunt, Post hæc breui tempore interiecto, dum vir beatus, vt solebat, orationibus intempesta nocte vigil incumberet, teterrimi spiritus totã cellulam impleuerunt, Nec mora, virum Dei eiiciunt ligatum de cella, & cœnosis laticibus atrę paludis immergunt. Deinde subleuatum per loca asperrima, dilaceratis fere mẽbrorum cõpagibus trahunt. Tandẽ paulisper eum sistant, imperantes vt ab illa habitatione discedat. At ille respondit. Dominus à dextris est mihi, ne commouear. Iterum assumentes eum, flagellis veluti ferreis verberare cœperunt, verberatũque ac tormentis multipliciter afflictũ subuehunt in aerem, vbi ex multitudine spirituum immundorum cœlum nigrescere videbatur. Qui simul iuncti famulum Christi ad tartari fauces vsque perducunt. Ille inferni tormenta perspiciens, pœnas omnes, quas passus fuerat, oblitus est, ex comparatione maiorum. Tunc incipiunt sancto insultare dicentes. Ecce potestatem habemus, te detrudere in has pœnas, vt hic pro peccatis tuis perpetuo puniaris. Ad quos sic ait. Vę vobis filii tenebrarum. Si hanc habetis potestatem, quid moramini? Illis autem veluti ad hoc se præparãtibus, ecce sanctus Bartholomæus cum immenso splendore superuenit, imperatq; dæmonibus, vt Dei seruum habitationi suæ incunctanter restituant. At illi præceptum apostoli, dicto citius, compleuerunt. Dum vero in aëre portaretur, vox quasi psallentium est audita. Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon. Contigit in diebus Ceolredi regis Merciorum, tempore gallicinii, quod beato Guthlaco visum est se vulgi tumultuantis audire clamores. Tunc vir Dei cellam egressus, vulgus Britannice loquens

tectis cognoscit accedere, statimque domum suam videt ardere. Cumque tecto subuenire festinat, lacertis intercipitur, & in aerem subleuatur. Tandem hostis insidias esse comperiens, cœpit hunc psalmi versiculum decantare. Dominus mihi adiutor est, & ego despiciam inimicos meos. Alio quoque tempore orationibus insistens nocturnis, ingenti sonitu insulam tremere sentiebat. Et mox audiuit strepitum, quasi currentium armentorum. Nec mora, vndique variorum figuras monstrorum introire conspexit, ferarum videlicet, serpentium, bestiarum. His igitur circa Christi militem horribiliter perstrepentibus ait. Miserrime Sathana, quid vires alienas simulare conaris? In nomine Iesu Christi præcipio tibi, vt desistas. Et post hæc verba, statim vniuersum phantasma disparuit. Episcopus quidam, Hebba nomine, venit ad colloquium sancti viri, habens in comitatu virum quendam librarium nomine Wilfridum. Hic audiens ministros de beati Guthlaci virtutibus miraculisque colloquentes, ad quosdam, in cuius potētia hæc faceret dubitantes, ait, quod si videret eum, sciret discernere vtrum verus Dei cultor esset an sanctitatis speciem simularet. Prefatus igitur episcopus viri Dei sermonibus recreatus, eum diligenter cœpit hortari, vt per eum ordinem sacerdotis acciperet. Qui cadens ad pedes episcopi, se præcepto ipsius obedire promisit. Episcopus igitur gaudens consecrata prius ecclesia, ipsum ad sacerdotii gradum lætus promouit. Illo quidem die contra solitum, rogatu pontificis coactus est ad cœnam cum cæteris residere. Tunc aspiciens præfatum Wilfridum, ait ad eum. O frater Wilfride, quid tibi nunc videtur de illo dicendum, de quo heri te iudicaturum certissime promisisti? Ille nimis admirans surrexit, & ad pedes eius veniam humiliter flagitans se prostrauit. Huius sancti viri virtutes si omnes vellem explicare verbis, ita esset ac si maris arenam inciperem numerare. Vicesimo autem & quinto ætatis suæ anno solitariam aggressus vitam, annis quindecim in ea permansit. Defunctus itaque, in omni sanctitate perfectus, in suo oratorio, in honorem beati Bartholomæi dedicato, sepulturam accepit. Quo in loco omnes, qui eum pio affectu deposcunt, diuinæ miserationis indulgentiam consequuntur.

De Papa Gregorio & Anastasio imperatore.

Anno gratiæ. 715. Gregorius sedit in cathedra Romana annis 15. mensibus. 8. diebus 22. & cessauit sedes diebus. 35. Eodem anno insurrexit Anastasius contra Philippicum imperatorem, & illum oculis priuauit, eiusq; imperiū occupans, trib. annis imperauit.

De pugna inter reges Inam & Ceolredum.

Anno gratiæ. 716. Ina rex occidentalium Saxonum contra Ceolredum regē Merciorum, apud Wodnesbirch pugnauit, quorum victoria in dubio remansit.

Theodorus imperator.

Anno gratiæ. 717. Theodorus adeptus Romanum imperium vno anno imperauit. Eodem anno Osredus rex Northanhumbrorum iuxta mare pugnans, belli infortunio, interemptus est. Cui succedens Kenredus duobus annis regnauit.

Vituperabile factum

Anno gratiæ. 718. Rabbodus dux Frisonum prædicatione beati Wilfranni episcopi inductus vt baptizaretur cum pedem vnum lauacro intinxisset, alterum retrahens pedem, interrogauit vtrum plures essent antecessorum suorum in Paradiso an in inferno? Audiens autem quod in inferno, pedem retraxit, dicens: Satius est (inquit) vt plures sequar, quam pauciores. Eodem anno Leo imperator creatus imperauit annis 33.

De morte Ceolredi regis.

Anno gratiæ. 719. defuncto rege Merciorum Ceolredo, & apud Lichefeld sepulto, successit ei Æthelbaldus in Mercia, vir fortis & potens, qui victoriosissime. 40. & vno annis regnauit. Quo etiam anno rex Northanhumbrorum Kenredus vita decedens, Osrico regni gubernacula reliquit, regnumq; annis 20. tenuit. fuit autem rex Æthelbaldus filius Alwii, qui fuit Eoppæ, qui fuit Wibbæ. &c.

Ingilsus frater Inæ regis moritur.

Anno gratiæ. 720. Ingilsus frater Inæ regis diem clausit extremum. Quo vtique tempore Cuthburga, soror Inæ regis & Keneburgæ, apud Winburnam abbatiam construxit. Hæc Cuthburga data fuit in coniugem Egfrido regi Northanhumbrorum, sed eo viuente separata est.

De morte S. Ioannis Beuerlacensis episcopi.

Anno gratiæ. 721. S. Iohannes Bauerlacensis archiepiscopus in domino quieuit. Hic vir sanctus, eximiarum patrator virtutum Bedam habet præconem in gestis Anglorum. Sed de hoc viro sanctissimo hucusq; illud clarum habetur, quod habitatores Beuerlaci in loco, quo iacet, pro spectaculo solent tauros ferocissimos exhibere, qui nodissimis astricti vinculis, magno virorum fortium sudore adducuntur. Sed statim cum cœmiterium fuerint ingressi, ita omni ferocitate sopita conquiescunt vt oues simplicitate putares. Laxatis igitur nodis, dimittuntur per atrium ludere, qui ante quicquid obstabat eis, cornibus & pedibus impetere solebant. Successit ei Wilfridus secundus presbyter eius qui tempora Bedæ transcendit.

ANNO gratiæ 722. Ina rex Occidentaliũ Saxonum, exercitum grandem in Southsexiam promouit, & in eodem prælio Eadbertum quem prius fugauerat à castro, quod Tantona dicitur, interfecit, eo quod Ina construxerat castellum prædictum. Eodem anno defuncto Withredo, Cãtuariorum rege, tres filios regni sui reliquit hæredes. Quorum Aethelbertus primogenitus regnum suscipiens annis 17. regnauit. Sub eisdem diebus defuncto Tobia Rossensi Episcopo Eadulfus successit.

Ina rex VVest-Saxonum regẽ Eadbertum interfecit.

ANNO gratiæ 723. Ricobertus Remensis Episcopus, à Carolo rege Francorum deponitur ab episcopatu, eo quod illi hostiliter contra Reginfredum eunti portas vrbis Remensis noluit aperire. Eutherius quoque Arelatensis eadem ratione ab episcopatu electus est.

De degradatione Ricoberti Remensis episcopi.

ANNO gratiæ 724. Iudæus quidam maleficus promittens cuidam nobili quadraginta annis principaturum, suadet vt in toto regno suo Dei sanctorumq; imagines edicat deponi. Qui spe diu regnandi edictum proponit, sed ilico expirauit.

De stulto cõsilio cuiusdã Iudæi malefici.

ANNO gratiæ 725. Beda presbyter venerabilis Anglorum historiam inchoauit, qui laudabiliter inchoatam, & fœliciter consummatam, regi Geolwlfo præsentauit.

Quo tempore Beda historiam Anglorum inchoauit.

ANNO gratiæ 726. Leo imperator, imagines Christi & sanctorum eius in frusta comminui præcepit, quem papa Gregorius literis suis multum redarguit, sed in vanum.

Imagines venerari prohibentur.

ANNO gratiæ 727. Ina rex fœlix & potens, Aethelhardo cognato suo regnum suum relinquens, Romam petiit, vt pro regno temporali commutaret æternum. Quo cum perueniisset, fecit in ciuitate domum, consensu & voluntate Gregorii papæ, quam scholam Anglorum appellari fecit. Ad quam reges Angliæ, & genus regium cum Episcopis, presbyteris, & clericis, in doctrina & fide catholica erudiendi venirent, ne quid in Ecclesia Anglicana sinistrum, aut catholicæ vnitati contrarium doceretur, & sic, in fide stabili roborati, ad propria remearent. Erant enim doctrina, & scholæ Anglorum, à temporibus sancti Augustini, per Romanos pontifices interdictæ propter assiduas hæreses quæ in aduentu Anglorum in Britannia emerserant, dum pagani Christianis permixti sanctæ conuersationis gratiam corruperant fidei Christianæ. Fecit propterea, iuxta domum præfatam, ecclesiam in honorem beatæ virginis Mariæ fabricari, in qua Anglis Romam aduenientibus, diuina celebrarentur misteria, & in qua possent, si quem ex Anglis Romæ mori cõtingeret, sepeliri. Et hæc omnia, vt perpetuæ firmitatis robur obtinerẽt, statutũ est, generali decreto, per totum regnum Occidẽtalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, vt singulis familiis denarius vnus qui Anglice Romefeoh appellatur, beato Petro & Ecclesiæ Romanæ mitteretur, vt Angli ibidem commorantes vitale subsidium inde haberent. Hæc autem Ecclesia, de qua iam dictum est, in chronicis Anglorum sæpe combusta legitur, & iterum reparata. Hic etiam ille est Ina, qui Glastoniæ abbatiam construxit iam dudum destructam, quam etiam multis possessionibus ditatam, priuilegiorum suorum munimine roborauit. Huius regis Germanus frater Ingilsus, & sorores sancta Cuthburga & sancta Quenburga, regina quoque eius Sexburga vocabatur. Successit ei in regnum Aethelhardus, cognatus suus, de stirpe Cerdici regis oriundus, qui post illum 14. annis regnauit. Eodem anno idem Aethelhardus pugnauit contra iuuenem Oswaldum, de regia stirpe regum Westsaxonum, regnum sibi subiugare conantem. Sed cum viribus regis se imparem cognouisset, iuuenis ille per fugam elapsus, Aethelhardo regnum in pace reliquit.

Ina rex Romam petiit.

ANNO gratiæ 728. papa Gregorius cum Leonem imperatorem incorrigibilem aduertisset, Romam, Italiam, Hispaniam, ab eius iure subtraxit, & vectigalia ipsi reddi interdixit. Eodem tempore frater quidam quem nominare supersedeo, in nobili monasterio positus, ignobiliter inter fratres vixit. Corripiebatur quidem sedulo à fratribus ac maioribus loci, atque ad vitam castigatiorem monebatur conuerti. Et quamuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis ob necessitatem operum ipsius, vt qui in arte fabrili fuerat singularis. Seruiebat enim multum ebrietati, ac cæteris vitæ remissioris illecebris, dum magis in officina sua die noctuque residere, quam ad psallendum vel orandum in Ecclesia, aut vitæ verbum vellet audire. Tandem languore graui percussus, atque ad extrema perductus, fratres vocauit, & narrauit quod videret infernum apertum, & Sathan in profundis tartari demersum. Caipham quoque cum cæteris, qui occiderant dominum iuxta eum flammis vltricibus contraditum, in quorum vicinia (inquit) heu mihi misero locum aspicio æternæ damnationis esse paratum. Audientes autem hæc fratres, cœperunt diligẽter exhortari, vt vel tũc adhuc in carne positus ad pœnitentiã rediret. Respõdit

De quodam fratre male defuncto.

ille desperans. Non est mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipse viderim iudicium meum iam esse completum. Et talia dicens, sine viatico decessit. Hoc quoque factum lõge lateque diffamatum, multos ad agendam, & non differendam, scelerum suorum pœnitentiam prouocauit.

De stellis circa solem apparentibus.

Anno gratiæ 729. apparuerũt circa solem duæ stellæ horribiles, quarum vna solem præcedebat Orientem, & altera sequebatur Occidentẽ, quasi Orienti simul & Occidenti diræ cladis præsagæ, vel certe vna diei altera noctis præcurrebat exortum, vt vtroque tempore mala mortalibus imminere significarẽt. Portabant autem fascem ignis contra aquilonem, ad occidentem accliuem, apparebantque mense Ianuario, & fere per dies 15. permanebant. Quo tempore grauissima paganorum lues Gallias & Hispaniam, miserabili cæde vastabant, sed & ipsi non multo post, in eadem prouincia, dignas suæ perfidiæ pœnas miserabiliter luebant.

Gregorius Papa.

Anno gratiæ 730. Gregorius papa sedit Romæ annis 10. Eodẽ anno rex Northanhumbrorum Ofricus Ceolwlfo regnum suum, quod 15. annis tenuerat, reliquit. Fuit autem Ceolwlfus filius Cuthæ, qui fuit Cuthwini, qui fuit Lethewoldi, qui fuit Egwaldi, qui fuit Aldelmi, qui fuit Ogæ, qui fuit Idæ. Hic rex vere beatus, & literarum scientia sufficienter instructus, quantum sibi in vita profuerit finis eius euidenter ostendit.

Brithwvald⁹ archiepiscop⁹

Anno gratiæ 731. Brithwaldus Cantuarienſis archiepiscopus, diem clausit extremum, Tadwino archiepiscopatum relinquens.

De consecratione Tadwini Cantuar. archiepiscopi.

Anno gratiæ 732. consecratus est Tadwinus Dorobernensis archiepiscopus, in ciuitate sua, à viris venerabilibus Daniele Ventano, Ingolgo Londoniẽsi, Alwino Licheldensi, & Ealdulfo Roffensi Episcopis, die decima Iunii mensis, vir in censura Ecclesiastica insignis.

Ceolvvlfus rediit in regnum.

Anno gratiæ 733. Tadwinus archiepiscopus, accepto pallio, ordinauit duos episcopos. Quo etiam anno Ceolwlfus rex captus, attonsus & remissus est in regnum.

De obsidione castri Somertonensis.

Anno gratiæ 734. Aethelbaldus rex Merciorum, exercitu congregato castellum de Somertone obsidione vallauit. Et cum non esset, qui inclusis ferret auxiliũ, dictus rex castellum in ius suum recepit. Qui deinceps, super omnes prouincias Angliæ vsque ad flumen Humbri, omnibus sibi regibus subiectis, regnauit. Eodem anno eclipsis solis facta est 19. Kal. Septembris, circa horam diei tertiam, ita vt pene totus orbis solis esse coopertus, quasi scuto nigerrimo, videretur.

Comendatio vitæ venerabilis Bedæ.

Eodem anno Beda vir venerabilis, & mente semper cœlestis, cœli palatia cõscendit. Qui diuina virtute præditus, sua & aliorũ vitia cõpescens, dignus est vt in ęterna memoria habeatur. Erat enim presbyter venerabilis, in monasterio principis apostolorum Petri, quod est in Wire fluminis ostio, Gerewi nuncupato, educatus. Vbi sub reuerendissimo abbate Benedicto, ac deinde Ceolfrido, omne tempus vitę suæ peregit, ac vir Dei, terbeatus omnem dans operam in scripturis sanctis ac meditationũ studiis, semper aut discere, aut scribere dulce habuit, aut docere. Nonodecimo vero vitæ suæ anno diaconatus, tricesimo quoque gradum presbyteratus suscepit. Ex quo tempore vsque ad annum ætatis suæ 40. ex opusculis sanctorum patrum, ad vtilitatẽ Ecclesiæ, in triginta sex voluminibus, septuaginta octo libros, quos ipse in historia Anglorum enumerat, stylo ad purum purgato componens, promeruit vt ab vniuersali Ecclesia doctor Anglorum & pater venerabilis nomine censeatur. Cumque historiam regum Angliæ & aliarum gesta rerum inter libros suos, magno studio elaboratos, vltimum edidisset in vocem orationis prorupit dicens. Te deprecor bone Iesv, vt cui propitius donasti verba tuæ scientiæ dulciter haurire, dona etiam benignus aliquando ad fontem omnis scientiæ peruenire, & semper ante tuam faciem comparere. Præterea omnes, ad quos hæc historia peruenire potuerit, nostræ nationis legentes siue audiẽtes suppliciter deprecor, vt pro meis infirmitatibus & mentis & corporis apud supernam clementiam sæpius interueniẽte meminerint, & hanc mihi quique in suis prouinciis suæ remunerationis vicem rependant, vt apud omnes fructum piæ intercessionis inueniam. Amen.

Quod Sergi⁹ Papa eundẽ Bedã vt Romam veniret inuitauit.

Huius præterea viri venerabilis apud Romanum pontificem adeo celebris erat fama, vt ad quasdam enodandas sacræ scripturæ quæstiones eius auxilio Romana sublimitas indigeret. Quod autem Romæ fuerit, solide non affirmo. Sed tamen illum illuc inuitatum non dubito, quod hæc epistola clarum faciet, quam olim Sergius papa, Ceolfrido Abbati, in hęc verba direxit. Sergius episcopus seruus seruorum Dei Ceolfrido religioso Abbati salutem, & apostolicã benedictione. Quibus verbis ac modis, clementiã Dei nostri, atque inenarrabilem prouidentiam possumus effari, & dignas gratiarum actiones pro

vniuersis

vniuersis eius beneficiis circa nos persoluere, qui in tenebris & vmbra mortis positos ad lumen scientiæ perducit. Hortamur itaque Deo dilectam religiositatis tuæ bonitatem, vt quia exortis quibusdam Ecclesiasticarum causarum capitulis, non sine examinatione longius innotescendis opus nobis fuit, ad conferendum arte literaturæ imbutum, sicut decet deuotum auxiliatorem sanctæ matris & vniuersalis Ecclesiæ, imo obedientem deuotionem huic nostræ hortationi non desistas accommodare, sed absque aliqua retentione religiosum Dei famulum Bedam venerabilem, monasterii tui presbyterum, ad limina apostolorum principum, dominorum meorum Petri & Pauli, amatorum tuorum ac protectorum, ad nostræ mediocritatis conspectum non moreris dirigere, quem fauente domino sanctis tuis principibus, non diffidas prospere ad te redire, peracta prę-
10 fatorum capitulorum, cum auxilio Dei, desiderata solennitate. Erit enim vt confidimus, etiam cunctis tibi creditis profuturum, quicquid Ecclesiæ generali claruerit per eius præstantiam impertitum.

De morte & sepultura beati Bedæ presbyteri.

Tempore vero, quo Beda venerabilis, & vir Deo dignus, ex hac luce migrauit, ante diem dominicæ resurrectionis, duabus hebdomatibus, creberrimi dolore anhelitus vexabatur. Et sic lætus, & gaudens atque omnipotenti Deo, die noctuque, gratias agens, immo horis omnibus vsque ad diem dominicæ ascensionis, id est. 7. Kal. Iunii, quotidie discipulis suis lectiones ex diuinis scripturis distribuens, quicquid reliquum erat diei, in psalmorum concentu & orationibus transigebat. Noctem vero totam in lætitia, & exul-
20 tatione, simul cum gratiarum actione peruigil ducebat, nisi vicissim somnus permodicus impediret. Tertia autem feria, ante ascensionem dominicam, cœpit vehementius ægrotare in anhelitu, atque tumor modicus in pedibus apparebat, vicinæ mortis præsagus & index. Tunc accita congregatione inunctus est cum osculo pacis, atque viatico reuerenter & cum lachrymis sumpto, memoriam suæ animæ à singulis implorabat. Nonnullis vero de fratribus familiariorem declarãs amicitiam, xeniola quædam secretius est largitus. Die quoque dominicæ ascensionis, cum iam exitus animæ de corpore immineret, contra oratorium, in quo orare consueuerat, cilicio sub se posito decumbens, integro vultu & sensu, sicque dicens, spiritus sancti gratiam inuitabat. O rex gloriæ, domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte
30 promissum patris in nos spiritum veritatis. Et hac oratione completa spiritum exhalauit. Exeunte autem anima, talem odorem senserunt, qualem nec thymiama spirant, nec pretiosa balsama subministrant. Sepultus est autem tunc in eodem monasterio, sed modo, cum beato Cuthberto Dunelmensi episcopo requiescit, in locello ex auro & argento fabrefacto.

De statu Angliæ, tempore, quo Beda presbyter decessit.

Tempore quoque, quo Dei famulus Beda ex hac luce migrauit, hi reges, in Anglia fuerunt. In Cancia regnauit Æthelbertus in Westsexia Æthelhardus, in Estsaxia Selredus in Mercia Æthelbald⁹, in Eastanglia Æthelredus, qui de regina Leofrona sanctum genuit
40 Albertũ. In prouincia Northanhũbrorũ regnauit Ceolwlfus. Sub istis quoq; regib⁹ hi fuerunt episcopi, in Cancia Tadwinus, in Roffensi ciuitate Ealdulfus, in London. Ingold⁹, in Eastanglia duo, Eadbertus Helmhamẽsis, & Æthelac⁹ Domucẽsis, in Mercia apud Lichefeld Alwinus, in prouincia Wicciorum Wilfridus, qui sedem habuit apud Wingorniam: super gentem Merciorum, qui vltra Sabrinam habitant, Wastoldus, qui sedem habuit apud Herefort. In prouincia Lindisfarorum Kinebertus, in Wintonia Daniel, in prouincia Northanhumbrorum 4. sunt episcopi, in Eboraco Wilfridus, in Lindisfarnia Æthelwaldus, in Hagustaldo Acca, in Witerna Æthelinus. Eodem anno Tadwinus Cantuariæ archiepiscopus defunctus est. Eodem anno luna quasi sanguineo rubore perfusa videbatur,
50 hora integra prid Kal. Feb. Eodem anno Acca ab episcopatu Hagustaldẽsi fugato, post biennium successit ei Frithebertus 6. Idus Septemb.

Nothelmus Cantuar. archiepiscopus ordinatur.

Anno gratiæ. 735. Nothelmus ordinatus est Cantuariensis archiepiscopus, de quo Beda, in prologo historiæ Anglorum testatur quod multum sibi profuit, ad gesta Anglorũ compaginanda, allatis sibi epistolis ex scrinio Romano, quæ operi illi erant necessaria, dũ adhuc presbyter esset in vrbe Londoniensi.

Nothelmus pallium cepit.

Anno gratiæ 736. Nothelmus Cantuariensis archiepiscopus accepto à Papa pallio, in episcopatu suo confirmatus est.

Albinus obiit.

Anno gratiæ 737. Albinus episcopus Lichefeldensis ad extrema perductus diem clausit extremum. Cuis loco duo episcopi consecrati sunt scilicet Witta in Lichefeld & Tota in Leycestria primus.

Anno gratiæ. 738. Fortherus Schireburnensis episcopus, cum regina occidenta-

lium Saxonum,relictis possessionibus splendidis,Romam profecti sunt. Multi etiam in illis diebus reges,episcopi,nobiles,& ignobiles,clerici & laici,cum mulierib.hæc fecerunt. Eodē anno Æthelwaldus Lindiffarnensis antistes,humanæ naturæ debitū soluit.Cui successit Renulfus in onere & honore. Tunc Frethebertus ordinatus est Hagustaldensis antistes. Per idem tempus Selredus orientalium Saxonum rex,tam regno quam vita priuatus est,cui Swithredus successit.

De morte Æthelhardi regis.

Anno gratiæ. 739. Æthelhardus rex occidentalium Saxonum defunctus est,& pro eo frater eius Cuthredus 15.annis regnauit. Hoc etiā anno, Ceolwlfus.Northanhumbrorum rex nobilissimus, vt quibusdam placet, ex hac vita migrauit ad Christum. Successit ei in regnum Eadbertus,cognatus suus 11. annis, qui fuit Eatæ, qui fuit Lethewod, qui fuit Ceolwolf. Eodem anno Nothelmus Cantuariensis archiepiscopus,& Ealdulphus præsul Ruffensis vita decesserunt.

Anno gratiæ.704.Cuthbertus 11.Dorobernensis archiepiscopus legitur consecratus.Qui accepto pallio,Dumi ad Roffensem Ecclesiam Episcopum ordinauit.

De rege Æthelwvaldo Merciorum.

Anno gratię.741. Æthelbaldus, Merciorum rex superbus Cuthredum regem Westsaxonum nunc bellis,nunc seditionibus affligebat. Et quandoque inter se pacē statuentes,breui eam tempore obseruabant.

Zacharias Papa.

Anno gratiæ.742.Zacharias papa,Gregorio defuncto,sedit in cathedra Romana annis nouem, mensibus tribus.Eodem anno Constantinus imperator factus, imperauit annis 35.

Anno gratiæ. 743.visi sunt in aere ictus ignei, quales nunquam mortales illius æui viderunt Kal.Ianuarii.Eodem anno Wilfridus iunior,Ebor.archiepiscopus obiit,cui successit Egbertus,in diuina scientia vir ad plenum eruditus.

Reges Angliæ contra Britones pugnauerunt.

Anno gratiæ 744.Cuthredus rex Westsaxonum,& Æthelbaldus rex Merciorum, tunc pacificati,coniunctis viribus, pugnauerunt contra Britones vndique congregatos. Cumque reges fortissimi,in hostes cateruatim irruentes, illos gtauiter sternendo affligerent,compulsi sunt Wallenses in fugam,terga dantes percutientibus & spolia insequentibus,regesque cum victoria ad propria sunt reuersi.

Egbertus Ebor.archiepiscopus, pallium recuperauit.

Anno gratiæ. 745.Egbertus Ebor.archiepiscopus, pallium, quod à tempore Paulini,primi Ebor.archiepiscopi,ab octo episcopis fuerat prętermissum, laudabiliter reuocauit.

De crudelitate imperatoris.

Anno gratiæ. 746. Daniel Episcopus Wintonienſis, anno Episcopatus sui 44. diem clausit extremum.cuiHumfridus successit. Per idem tempus, imperator Constantinus magicis artibus, & cruentis sacrificiis, atque luxuriis semper operam impendens,multos monachos,& clericos pro fide recta lapidari fecit. Habebat autem sibi consentaneum in omnibus, propter amorem terrenæ dignitatis, Anastasium Constantinopolitanū falsi nominis patriarcham. Vnde cœlitus venit indignatio in ciues eiusdem vrbis,admonens impium imperatorem vt se ab insania,qua flagrabat, cohiberet, sed ille inemendatus permansit.Venit itaq; mors pestilens,incipiens à Sicilia & Calabria, vsq; in vrbem Regiū,& ita deuastauit eam, vt etiam in pluribus ædificiis non inueniretur habitator. Sed & Anastasium nimia passione fatigatus,quasi stercora ventris euomeret,tandem miserabiliter obiit.

Stella de cœlo cadere videntur.

Anno gratiæ.747.Stellæ de cœlo cadentes apparuerunt, ita vt omnes hæc videntes,consummationem seculi instare putarent.

Miraculum de sancto Benedicto.

Anno gratiæ.748. monachi cœnobii Cassiensis literas, ad instantiam Caroli magni,à papa Zacharia impetrauerunt ad Pipinum regem Francorum, quatenus beatissimi corpus Benedicti,quod monachi Floriacenses furto abstulerant, ad proprium remittant locum,vt prædicti serui Dei de restituto sibi patre suo gaudeant, & ipsi inde à Deo mercedem obtineant.Cumque pius rex Pipinus hanc epistolam intellexisset: Remigium Rothomagensem archiepiscopum cum tribus Episcopis Floriacum,potenter direxit, vt maximam partem corporis sancti Benedicti Cassiensibus monachis redderent,ita quod Floriacum monasterium non omnino priuarent. Sed res cum Floriacensibus innotuit fratribus, triduanum celebrantes ieiunium ante eius sepulchrum cum lachrymis orabant, dicentes. O vnica post Deum spes nostra,pater Benedicte,suscipe quæsumus lachrymas nostras vt maneas nobiscum in loco isto, quem dudum tibi dignanter elegisti, si autem mole peccatorum nostrorum exacerbatus nobiscum remanere nolueris, nos deuotissimos conuiatores habebis.Et cum iam in his lachrymis,& singultibus totū expleuissent triduum,ecce episcopi memorati assunt,& mandata regis implere conantur. Cumq; abbas

Medo

Medo, qui tunc monasterium illud regebat, episcoporum aduentum & causam cognouisset, conuocatis ad se fratribus congregationis, intra vicinam beati Petri basilicam se cum eis reclusit, vbi solo tenus prostrati & lachrymis perfusi orationi vacabant. Episcopi vero templum sanctæ Dei genetricis ingressi, ante quam ad tumbam beati Benedicti venissent, tanta formidine & cœcitare percussi sunt, vt nec inuicē se recognoscere potuissent. Cum itaque diuina vltione se excœcatos esse sensissent, cœperunt palpitando per ecclesiam pergere, quoad ad funes campanarum errabundi peruenissent. Quos vi magna trahentes, sic sibi auxilium aduocare studuerunt. Hæc audientes abbas & fratres, qui in oratione decumbebant, intrauerunt ecclesiam, atque episcopos inuenerunt, etiã nihil videntes. Quibus cum dicerent, quid agitis ô pontifices? Illi respondentes dixerunt. Nos huc temerarie venimus, vt beatum patrem benedictum ad vindictam prouocaremus. Vę nobis quia peccauimus. Sed vos serui Dei, orate pro nobis omnipotentem Deum, vt aperiat oculos nostros, nosque vobis promittimus, nunquam deinceps talia præsumpturos. Ad hæc fratres pro eis cum lachrymis profusi, solotenus nonnulli orabant attentius, vt diuina pietas lumen eis reddere dignaretur. Et cum orarent, aperti sunt oculi eorum, & cum tremore episcopi memorati ad propria sunt reuersi. Eodem anno Cuthbertus Cantuariensis archiepiscopus & rex Merciorum Æthelbaldus concilium tenuerunt.

ANNO gratiæ. 749. Eadbertus rex Cantuariensis, postquam. 6. annis tenuerat gubernaculum regni diem clausit extremum, cui successit Æthelbertus quatuordecim annis. Eodem tempore Kinericus filius Cuthredi regis occidentalium Saxonum occisus est. Eodem anno Æthelwoldus, rex orientalium Anglorum, defunctus est, cuius regnum Beorna & Athelbertus inter se diuiserunt. *Eadbertus rex Cantuariensis obiit.*

ANNO gratiæ. 750. Eadbertus, rex Northanhumbrorũ, Kinewulfum episcopum ad vrbem Bebbam, quę nunc Baamburc Gallice appellatur. captiuum adduxit, & basilicã beati Petri in Lindeffarna obsidere præcepit.

ANNO gratiæ. 751. Cuthredus rex Westsaxonum pugnauit contra Æthelhunum, Ducem audacissimum, qui in dominum suum seditionem mouens, licet numero militum domino impar, grauissimo tamen Marte perstitit in campo. Sed rex tandē de prælio, eum victoria recessit, ducemq; grauiter vulneratum reliquit. Eodem anno Papa Stephanus sedit in cathedra Romana, annis. 5. & diebus 28. Hic vltimo anno pontificatus sui Romanum imperium à Græcis transtulit in Germanos in personam magni regis Caroli filii Pipini regis Franciæ, in iuuenili ætate constituti.

ANNO gratię. 752. Cuthredus rex occidentalium Saxonum, cum regis Merciorum Æthelbaldi superbas exactiones & insolentias ferre non posset, occurrit ei hostiliter apud Beorford / vbi prælium grauissimum dicti reges commiserunt. Æthelbaldus vero præcedente Æthelhuno cum vexillo eius, in quo erat aureus draco depictus, acriter sæuit in hostes, sed vexillifer regis Cuthredi in hostilem vexilliferum lanceam dirigens, perforauit eum, vnde clamore elato, pars Cuthredi valde cõfortata est. Tonitruum ergo belli & sonitus ictuum, clamoresque hinc indeque cadentium terribiliter personarunt. Spes est mutuo victoriæ certa memoria fugæ nulla. Sed Deus tandem, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, Æthelbaldum in fugam compulit, & læta Cuthredo victoria prouenit. Eodem anno eclipsis lunæ post noctem mediam facta est, pridie Kal. Augusti. *De pugna regum Cuthredi & Æthelbaldi.*

ANNO gratiæ. 753. sanctus Bonifacius Moguntinæ vrbis episcopus, cum aliis quinquaginta tribus, in Frisia martyrio coronatur. (pus, per martyrium decessit. *Sanctus Bonifacius episcopus.*

ANNO gratiæ. 754. S. Bonifacius qui & Winfridus dicitur Francorum archiepisco-

ANNO gratiæ. 755. Cuthredus rex occidentalium Saxonum, & rex Æthelbaldus Merciorum, in loco qui Sacchenda dicitur, grauiter pugnauerunt. Sed Æthelbaldus, per fugam non declinans ruinam, occubuit interfectus. Æthelbaldo autem regi Merciorum, Beorredus successit. Post mortem quoque Æthelbaldi, regis, qui annis. 41. regnauit, regnum Westsaxonum valde roboratum est. *S. Winfridus martyrizatur.*

ANNO gratiæ. 756. Paulus Papa sedit in cathedra Romana 10. annis. Quo etiam anno Cuthredus rex potentissimus, tot prosperitatibus & victoriis potitus, mortis inclementia vitam finiuit. Cui successit in regnum Sigebertus cognatus eius, sed breui tempore illud renuit. Nam ex prædecessoris sui euentibus insolens & tumefactus etiam suis domesticis intolerabilis fuit. Cum autem modis omnibus male tractaret eos, legesque antecessorum suorum propter commodum suum, vel deprauaret, vel mutaret, Cumbra consul nobilissimus, regi totius populi querimonias intimauit, quem quia regem suasit vt lenius populum sibi commissum regeret, & in humilitate deposita Deo & hominibus amabilis *De morte Cuthredi regis.*

appareret,

appareret, mox impia nece illum iussit occidi, populoque postmodum, sęuior existens, tyrannidem augmentauit. Quo facto, conuenerunt proceres regni cum populo vniuerso, & prouida omnium deliberatione expulsus est à regno, & Kineulfus iuuenis de stirpe regia electus est & in regem promotus. Sigebertus vero rex, depositus, in siluam quæ Andredeswald dicitur fugiens, se abscondit, vbi Ansian porcarius Cumbræ consulis nequiter, vt diximus, interfecti regē absconditū apud Priucteosfade inuenit, & in vindictā domini sui peremit. Eodē anno defuncto Humfrido Winton. pontifice, Kinehardus successit.

Anno gratiæ. 757. Eadbertus rex Northanhumbrorum sponte Osulfo filio suo regnum reliquit, quod ille anno vno tenens amisit. Occisus est enim nequiter à propria gente, nono Kal. Augusti. Eadbertus vero rex habitum, & tōsuram monachi suscepit. Iste est octauus ex regibus Anglorum, qui pro regno temporali commutauerunt æternum, vt octo beatitudinū iucunditatem, quæ voluntariæ paupertati debetur, pro lucro haberent in cœlis. Osulfo quoq; filio eius successit in regnum Northanhumbrorum, Æthelwaldus Mollo. 6. annis.

De Offa rege Merciorum strenuissimo.

Anno gratiæ. 758. gens de regno Merciorum, contra regem suum Beornredum insurgens, pro eo quod populum, non æquis legibus, sed per tyrannidem gubernaret, conuenerunt in vnum omnes tam nobiles quā ignobiles, & Offa duce, adolescente strenussimo, ipsum à regno expulerunt. Quo facto, vnanimi omnium consensu prædictum Offam in regem, tam clerus quam populus coronarunt. Erat enim idem Offa de stirpe regum oriundus, filius videlicet Thinferthi, qui fuit Eadulfi, qui fuit Osulfi, qui fuit Eoppæ, qui fuit Wibbę. qui fuit Creoddæ, qui fuit Kinewoldi, qui fuit Cnebbæ, qui fuit Ithel, qui fuit Eomeri, qui fuit Angelthean, qui fuit Offæ, qui fuit Weremundi, qui fuit Withleig, qui fuit Wagon, qui fuit Frethegeath, qui fuit Wodeni. Isti dedicauerūt antiqui quartam feriam, quæ Wednesday appellatur. Cuius vxor Frea fuit, cui dedicauerunt antiqui sextam feriam quæ Frydaynuncupatur. Woden vero fuit filius Frethewold, qui fuit Freolaf, qui fuit Frithewlf, qui fuit Godwlf, qui fuit Getæ. Hunc dudum pagani, pro Deo venerabantur, cuius Sedulius, poeta eximius, in paschali carmine mentionem faciens, ita exorsus est.

Sedulius lib. 1. p. 24. f. 134.

Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu.
Ridiculoue Getæ seu qualibet arte canendi. &c.

Geta autem fuit filius Cethwæ, qui Beau, qui fuit Selduæ, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hathræ, qui fuit Walæ, qui fuit Bedwi, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Matusalæ, qui fuit Enoch, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainam, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, quem plasmauit dominus de limo terræ. Offa igitur rex omnibus Angliæ regibus terrori erat, & timori. Vicit nāque in prælio regem Cantuarienſem, regem occidentalium Saxonum, regem Northanhumbrorum, regem australium Saxonum, regem orientalium Anglorum, & sicut inferius dicetur prolixius, cæteris regibus subiugatis vel tributariis effectis, Merciorum regnum non mediocriter dilatauit.

Æthelunaldus rex ducē Osuinum interfecit.

Anno gratię. 759. Æthelwaldus Mollo, rex Northanhumbrorum, gessit bellum contra grauissimum Ducem Oswinum, quem rex prædictus interfecit, & cum victoria recessit. Ipso quoque anno Vnnust rex Pictorum defunctus est.

Eclipsis lunæ facta est.

Anno gratiæ. 760. eclipsis lunæ facta est circa horam noctis mediam Kal. Augusti. Eodem anno defuncto Cuthberto Cantuarienſi archiepiscopo, Bregwinus successit, vir prudens & in literali scientia eruditus.

De capite S. Io. baptistæ.

Anno gratię. 761. caput sancti Ioannis baptistæ in Ædessam ciuitatem transfertur.

Anno gratiæ. 762. Æthelbertus rex Dorobernensis, ex hac luce transiens, Eadbertum regni hæredem reliquit. Eodem anno Æthelbaldus rex Northanhumbrorū Æthelredam reginam suscepit.

Bregwinus archiepiscopus obiit.

Anno gratię 763. defuncto Bregwino Cantuarienſi archiepiscopo, Iambertus successit. Eodem anno Frethewoldus candidæ cacæ antistes ex hoc seculo migrauit, cui Pethwinus successit.

De episcopis Lindissæ regionis.

Anno gratiæ. 764. defuncto Hemeli Lichefeldenſi Episcopo Cuthfridus successit. Eodem anno Ealdulfus in Lindissa antistes diem clausit extremum, cui Ceolwlfus successit. Hi autem episcopi vbi sedem haberent cathedralem penitus ignoramus. Quod autem ibi, id est, in Lindissa regione quæ inter Lincolniā, & fluuium Hūbri sita est, plures fuissent episcopi certū habem⁹, quorum primum vt Beda venerabilis in historia testatur Anglorū, Paulin⁹, primus Ebor. antistes, ibidē episcopū ordinauit. Adrianus sedem Romanam suscepit.

Anno

ANNO gratiæ. 765. Æthelwaldus Mello, rex Northanhumbrorum cum Oſwinum Ducem fortiſſimum ſibi rebellantem peremiſſet, non multo poſt idem ex hac vita deceſſit, cui Ealredus trinepos Idæ regis ſucceſſit, 8. annis.

Offa rex Merciorum apud Lichefeld nouum archiepiſcopum conſtituit.

Eodem anno Offa rex Merciorum potentiſſimus, contractis inimicitiis cum Cantuaritis, Iambertum Cantuarienſem archiepiſcopum primatu conatus eſt ſpoliare, ſimul ac regnum Merciorum archiepiſcopatu inſignire affectans. Miſit igitur ad Papam Adrianum nuntios exigens ab eo, vt pallio Ealdulfum Lichefeldenſem epiſcopum, contra morem veterum inſigniret, atque omnes regni ſui epiſcopos ei ſubiugaret. Nam veriſimilibus apoſtolicam ſedem argumentis tam diu fatigauerat, ſicut pro variis occupationibus de facili Romani pontifices trahuntur ad conſenſum, obtinuit quod petebat, vt videlicet omnes prouinciæ Merciorum ſubiicerentur epiſcopo ſupradicto, quorum nomina hæc fuerunt. Denebertus Wigornienſis epiſcopus, Werebertus Legeceſtrenſis, Eadulfus Sinaceſtrenſis, Wlwardus Hereforděſis: epiſcopi orientaliũ Anglorum, Halardus Helmhanenſis, & Tidferthus Dommucenſis. Remanſerunt autem archiepiſcopo Cantuarienſi, epiſcopus Londonienſis, Wintonenſis, Roſſenſis, Scirebornenſis. Stetit autem hæc regis violentia toto Iamberti præſulatus tempore, quamuis idem archiepiſcopus nihil, vel ſumptibus, vel laboribus omiſiſſet, non amitteret priſtinam dignitatem. Conſtantinus Papa ſedit anno vno, menſe vno, qui à laico ſubito factus eſt presbyter, & tyrãnicus Papatus inuaſor, ſed zelo fidelium ab eccleſia turbatus, oculis priuatur.

Ealdulfus archiepiſcopus pallium ſuſcepit.

ANNO gratiæ. 766. Ealdulfus Lichefeldenſis archiepiſcopus pallium ſuſcepit, & Frethebertus Haguſtaldenſis epiſcopus obiit.

Egbertus Ebor. archiepiſcopus obiit.

ANNO gratiæ. 767. Egberto Ebor. archiepiſcopo defuncto, Eanbaldus ſucceſſit. Iſte eſt Eanbaldus, qui cum Æthelhardo Cantuarienſi archiepiſcopo, inuaſionem quam Offa rex Merciorum, ſuper eccleſiam Cantuarienſem fecerat ad nihilum redegit. Eodem anno Frithberto Haguſtaldenſi epiſcopo, Alcmundus ſucceſſit.

De epiſcopis Legeceſtrenſibus.

ANNO gratiæ. 768. Stephanus Papa ſedit Romæ tribus annis. Eodem anno Werebertus Legeceſtrenſis epiſcopus quartus, diem clauſit extremum, cui Vnwona ſucceſſit. Eſt enim Legeceſtria ciuitas antiqua à rege Britonum Leyr nuncupata. Huius autem epiſcopus primus ex Anglis fuit nomine Totta, ſecundus Eadbertus, tertius Werebertus, quartus Vnwona, qui cum Offa, rege Merciorum, & Hunberto Lichefeldenſi archiepiſcopo, quemadmodũ Berthun, ſyllaba tranſpoſita, appellant, inuentioni beati protomartyris Albani, cum cæteris epiſcopis legitur affuiſſe. Sed hæc infra.

ANNO gratiæ. 769. Cataracta ciuitas igne cremata eſt à Beornredo tyranno rege Merciorum depoſito. Sed ipſe infœlix eodem anno, iuſto Dei iudicio, incendio periit.

Carolus rex Francorum Saxones bello ſtrauit.

ANNO gratiæ. 770. Carolus rex Francorum, collecta manu valida, Saxonum gentem bello aggreſſus eſt, multiſq; ex principibus ſuis ibidem interfectis, cum victoria tamẽ reuerſus eſt. Eodem anno ſtellæ de cœlo cadere terribiliter viſæ ſunt.

ANNO gratiæ. 771. Offa rex Merciorum, Anglorum gentem armis ſubegit. Quo etiam anno Carolus rex Francorum, ſubita morte præuentus expirauit, cui Carolus frater eius, cum dimidium patris antea obtinuiſſet principatum, totius regni monarchiam ad populorum acclamationem adeptus eſt,

Adrianus Papa.

ANNO gratiæ. 772. defuncto Papa Stephano, Adrianus primus ſucceſſit ei, annis 23. menſibus 10. & diebus 18.

ANNO gratiæ. 773. Ealdredus rex Northanhumbrorum ex hac vita tranſiens, Æthelredum habuit ſucceſſorem. Eodem anno Offa, rex Merciorum, contra Kentenſes pugnauit apud Ottanforde. Sed tandem horrenda clade hinc inde peracta, belli tamen ſucceſſibus Offa clarus refulſit, & cum triumpho receſſit. Eodẽ anno Adrianus papa ad tuendas res eccleſię Carolum Romam acciuit. Quo pergens Papiam obſedit, ibique relicto exercitu Romam peruenit, ſanctamque ibidem reſurrectionem peregit, poſtea rediens Papiam cepit, iterumq; Romam rediens ſynodum conſtituit cum Adriano Papa, aliiſq; 153. religioſis epiſcopis & abbatibus, in qua Adrianus Papa cum vniuerſali ſynodo dedit ei ius eligendi põtificem, & ordinandi apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque principatus, inſuper archiepiſcopos & epiſcopos per ſingulas prouincias ab eo inueſtituram accipere definiuit, & vt niſi à rege laudetur & inueſtiatur epiſcopus à nemine conſecretur, omnesque huic decreto rebelles anathematizauit, & niſi reſipiſcerent bona eorum publicari. Hæc ex Sigeberto.

Carolus Ticinium vrbẽ recepit.

ANNO gratiæ 774. Carolus rex Francorum potentiſſimus, nobiliſſimam Longobardorum vrbem Ticinum obſidione vallauit, quã cum rege Deſiderio cepit, & Italiam totam ſuo imperio ſubiugauit.

De confœderatione inter Carolum & Offam regē.

ANNO gratię. 775. Offa rex Merciorum, vndiq; vicinos reges amicos sibi concilians, ne hostes ei forēt extranei, qui in rebus propinquis tot patrauit offensas, Carolū magnum, regem Francorum, frequentibus xeniis amicum facere curauit. Inimici autē antea erant ad inuicem, ita vt in alterutris regnis etiā negotiatorū commeatus vtrobiq; prohiberētur. Sed ex literis Caroli magni, regis Francorum inter eum & Offam firmum amicitiæ fœdus fuisse compactum ostenditur euidenter. Carolus Dei gratia, rex Francorū, & Longobardorum & patricius Romanorum, viro venerando, & fratri charissimo Offę regi Merciorū salutem. Primo, gratias agimus omnipotenti Deo de chatolicæ fidei sinceritate, quam in vestris laudabiliter paginis, reperimus exaratam. De peregrinis vero qui pro amore Dei & salute animarū suarum, beatorum apostolorum limina adire desiderant, cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui non religioni seruientes, sed lucra sectantes inueniātur inter eos, locis opportunis statuta soluant telonea. Negotiatores quoq; volumus, vt ex mandato nostro patrocinium habeāt in regno nostro legitime. Et si in aliquo loco iniusta affligātur oppressione, reclamēt se ad nos vel nostros iudices, & plenā inde iubebimus iustitiā fieri. Cognoscat quoq; dilectio vestra, aliquā benignitatē de dalmaticis nostris vel palliis, ad singulas sedes episcopales regni vestri, vel regis Æthelredi direximus, exposcentes ea ex eleemosyna Domini Papæ Adriani, deprecantes, vt pro eo intercedi iubeatis. Sed & de thesauro humanarum rerum, quem Dominus Iesus nobis gratuita pietate concessit, aliquid per metropolitanas ciuitates direximus. Vestrę quoq; dilectioni, vnum baltheum, & vnum gladium Hunisçum, & duo pallia serica direximus destinanda: valete.

Quid signent Caroli dona.

A Carolo dono data sunt Offæ, mucro, zona.
Cingat vt imbelles clemens feriatque rebelles,
Pallia donantur, velut his secreta tegantur.
Tiro mucrone, sed & vtens munere Zonæ
Indomitos punit, pronos sibi nectit & vnit,
Palliat arcana, ne signent pallia vana.

De signis cœlestibus.

ANNO gratiæ. 776. visa sunt in cœlo rubea signa, post occasum solis, & horrenda. Et serpentes visi sunt in Suthsexia, cum admiratione magna, ac si scaterent de terra.

Leo Zaccar imperator.

ANNO gratiæ. 777. mortuo imperatore Constantino, Leo Zaccarus Romanū adeptus imperium, imperauit annis quinq;.

ANNO gratiæ. 778. Pethwinus Witernæ, idem Candidæ casæ episcopus, 13. episcopatus sui anno diem clausit extremum cui Æthelbertus successit. Eodem anno Æthelwaldus & Herebertus, Duces de regno Northanhumbrorum contra regem suum rebellantes, occiderunt Ealdulfum principem exercitus regis Ethelredi, apud Kingesklive/ & postea idem ipsi Duces regis, Kineulfum & Eggen, ingenti prælio peremerunt. Rex autem Æthelredus fugit à facie eorum, & constituerunt regem Alfwoldum qui pro eo decem annis regnauit.

De Offa rege.

ANNO gratię. 779. Offa rex Merciorum strenuissimus, pugnauit contra Kineulfum regem occidentalium Saxonum, in obsidione castri de Bensintona. Sed Kineulfus Martis casu minoratus, à loco per fugam recessit, & inuictus rex Merciorum Offa castrum in suam recepit potestatem.

Fit miles, Sapiens, Bellicosus, Pulcer.

Offa restauratus, regali stirpe creatus,
Erigitur: spernit quæ degenerantia cernit.
Armis donatur: Cato, Mars, Paris hic reputatur.
Quo floret tuta duce Marcia lege statuta.
Ense superborum vires reprimens, dominatur.
Hunc rex Francorum Carolus timet & veneratur.
Communi voto cum clero Martia toto
Offæ concedit sese, cui mitis obedit,
Ergo coronatur: ex tunc rex iure vocatur.

ANNO gratiæ. 780. Æthelredus rex Northanhumbrorum depositus primo in vrbem Bebbam, & post ad regem Pictorum nomine Kinothum decessit, vbi & finem vitæ terminauit.

Bellum inter Northanhūbros exortum est.

ANNO gratię. 781. Principes Northanhumbrię quendam consulem, & iustitiarium suum, plus æquo sęuientem, in suis propriis ædificiis combusserunt. Quo etiam anno defuncto Kineulfo Lindiffarnensi antistite, Higbaldus successit.

ANNO gratiæ 782. Hirenes cum filio Constantino imperium Romanum, decem annis gubernauit. Eodem anno Constantinopoli quidam laminam auream inuenit,

& in ea virum iacentem cum hac scriptura. Christus nascitur ex Maria virgine & credo in eum, sub Constantino & Hirene imperatoribus, ô sol, iterum me videbis.

Anno gratię. 783. Alfwoldus rex Northanhumbrorũ, misit Romam propter palliũ, & dedit illud Archiepiscopo. Quo etiam anno, defuncto Alcmundo Hagustaldensi Episcopo, Tilbertus successit.

Anno gratiæ. 784. Wilbertus Scireburnensis antistes obiit, & Castanus successit. *Wilbertus Scireburnensis episcobiit.*

Anno gratiæ. 785. Withichindus & Albion, Duces Saxoniæ, infideles, Carolo reconciliati baptizantur.

Anno gratiæ. 786. Kineulfus rex Occidentalium Saxonum, cum regnasset 26. annis & contra Britones & alios multos prælia plurima laudabiliter commisisset, exulauit tandem iuuenem quendam, nomine Kinehardum, fratrem Sigeberti regis, quem Kineulfus à regno, vt superius relatum est, priuauerat, habens illum suspectum ne aspiraret ad regnum, vel denique necem fratris sui in ipsum vindicaret. Kinehardus vero tempori cedendum credens, dissimulans animo, quasi volens aufugit. Sed mox cum furtiuis prædonum conuenticulis, nemorosa petens abdita, in insidiis, multis expectabat diebus propter prouerbium quod dicitur. *Kineulfus rex interficitur.*

Quod non longa mora dare solet, dat breuis hora.

Interea dum rex Kineulfus alienis amoribus seruiens in villa, quæ Meritona dicitur, furtiuæ veneri indulgeret, & hoc à Kinehardo supradicto compertum fuisset, cum suis complicibus domum foris obsedit. Sed rex qui cum paruo comitatu, & quasi solus aduenerat, vt se ab hostibus vndiq; vallatum comperisset, ostia domus occludit, sperans latrones vel terrere imperio, vel mulcere alloquio. Sed frustra. Nam cum à multitudine rex circumuentus fuisset, dum cedere hostibus damnum gloriæ suæ arbitraretur, defensioni vacans, ipsum Kinehardum crudeliter vulnerauit. Hoc autem viso, Kinehardus cum suis in regem irruens, ipsum interfecit. Pauci quoq; ex clientela regis, qui aderant, dum non manus dare, sed dominium suũ vindicare intendunt omnes fuerunt pariter detruncati. Continuo fama dilabitur ad principes perempti regis, qui non longe excubias agebant: inter quos Osricus maior cæteris socios hortabatur, ne tantam ignominiam inultam dimitterent. Strictis ensibus irruunt in hostes. Kinehardus hoc videns, cognationem prætendit, multa pollicetur, sed vbi nihil proficit, suos ad resistendum accendit. Tandem regiis ministris iusta proueniente victoria, Kinehardum cum suis omnibus peremerunt. Corpus vero regis Wintoniæ sepultum est, Kinehardi autem apud Rependune, quod tunc nobile cœnobium erat & famosum.

Anno gratiæ. 787. defuncto rege Occidentalium Saxonum Kineulfo Brithricus filius eius successit in regnum 16. annis. Quo vtiq; anno, defuncto Celdulfo, Dorkacestrẽsi Episcopo, Aldulphus successit. *Brithricus rex Westsaxonum cõstituitur.*

Anno gratiæ. 788. sanguis de cœlo in terram profluxit, & regina Riedritha diem clausit extremum. *Sanguis de cœlo pluit.*

Anno gratiæ. 789. Adrianus Papa, legatos misit in Britanniam, ad fidem, quam Augustinus prædicauerat, renouandam. Ipsi vero à regibus cum clero & populo, honorifice susceptis super stabile fidei fundamentum pulchre ædificauerunt, Christi gratia cooperante. Tenuerunt autem concilium apud Chalthuthe vbi Iambertus Archiepiscopus Cãtuarienſis, partem sui Episcopatus Archiepiscopo Lichefeldensi resignauit. In illo quoque concilio Offa, rex Merciorum potentissimus, in regem fecit solemniter coronari Egfridum, filium suum primogenitum, qui deinceps cum patre, iuuenis piissimus & animo nobilissimus, vsque ad finem vitæ eius regnauit. Eodem anno rex Northanhumbrorum Alfwaldus, conspiratione facta ab eius patricio, Sigan nomine, miserabili morte occisus est iuxta Murum. Cuius corpus in Ecclesia Hagustaldensi sepultum est. In loco autem quo rex præfatus interfectus fuit, à plurimis visa est cœlitus lux emissa, cuius rei nouitate, à fidelibus loci illius, Ecclesia constructa est, & in honorem Dei ibidem & regis Oswaldi cõsecrata est. Successit ei in regnum Osredus filius Alcredi, trinepos Idæ regis, vno anno. *Adrianus Papa.*

Anno gratiæ. 790. Apparuit signum crucis in vestimentis hominum, quod dictu & auditu mirabile fuit. Illud enim factum credimus ad præmonitionem gentium regionis, vt plagam Danorum, quæ proxime secuta est, possent euitare. *Crux apparuit in vestibus hominũ.*

Anno gratiæ. 791. rex Occidentalium Saxonum Brithricus, vt ampliorem gratiam apud propinquos inueniret, filiam Offæ regis Merciorum, eo tempore potentissimi, in coniugium accepit. Cuius affinitate fultus Egbertum solum regalis prosapiæ superstitem, quem regni sui vtilitatibus futurum metuebat, hostem in Franciam fugauit. Quo *Rex Brithricus filiã Offa regis vxorem duxit.*

expulso rex securo vacabat ocio, cum gens Danorum piratica rapina viuere assueta, tribus aduecta nauibus, pacem prouinciæ perturbauit. Istos quoq; quasi exploratores aduenisse suspicandum est, vt vbertatem patriæ explorarent, sicut postea Danorum multitudo superueniens, quæ totam Britanniam repleuit, luce clarius demonstrauit. Tunc vero furtiue appulsi, regiam villam, quæ prope erat, aggressi villicum regis, qui eis ad pugnam occurrit, peremerunt. Hic primus ex Angligena natione interfectus est, sed multa postmodum ex eis millium millia corruerunt. Tandem à multitudine populorum occurrenti, excussa Danorum præda, ad naues fugere compulerunt.

Rex Ofredus à regno suo fugatur.

Anno gratiæ. 792. rex Ofredus, dolo suorum, à regno fugatus est cum anno vno regnasset, & Æthelredus filius Mollonis, in regno suo substitutus. Hoc quoq; anno, qui quartus est postquam Ofredus primo rex fuerat, cum viribus congregatis rediret vt Æthelredum, per quem expulsus fuerat à regno, expelleret, inter eundum captus est apud Tynemutham & occisus. Eodem anno congregata est synodus in loco qui Finchale dicitur, præsidente Archiepiscopo, cum suis suffraganeis Episcopis, & aliis multis.

Constantinus imperator.

Anno gratiæ. 793. Constantinus Romanum adeptus imperium 7. annis imperauit. Eodem anno Carolus rex Francorum misit librum synodalem ad Britanniam, in quo veræ fidei multa reperta sunt obuiantia, & eo maxime quod pene omnium Orientalium doctorum vnanimi assertione est diffinitum, Imagines adorare debere, quod omnino ecclesia Catholica execratur. Contra quod Albinus scripsit Epistolam, ex authoritate diuinarum scripturarum mirabiliter dictatam, illamque cum eodem synodali libro, in persona Episcoporum ad principum idem Albinus ad regem attulit Gallicanum. Eodem anno Æthelredus rex Northanhumbrorum Ælfledam regis Offæ filiam vxorem accepit.

De sancto Æthelberto martyre.

Eodem tempore rex Orientalium Anglorum Æthelbertus, filius regis Æthelredi, à finibus regni sui, matre multum inhibente, egressus, venit ad Offam regem Merciorum potentissimum, petens ab eo vt filiam suam ei daret matrimonio copulandam. Offa vero rex nobilissimus, & genere clarissimus, cum dicti regis aduentus causam cognouisset suscepit illum cum maximo honore in palatio regio, & tam ipsi regi quam commilitonibus, qui cum illo aduenerant, omne quod potuit humanitatis obsequium exhibebat. Offa quoq; rex cum reginam suam Quendritham conueniret, & consilium suum quæreret de præmissis, illa hortatu diabolico succensa, viro suo fertur respondisse. Ecce (inquit) tradidit Deus hodie vobis inimicum vestrum, cuius regnum tam diurno adoptastis desiderio, vt illo latenter extincto, regnum eius in ius vestrum & successorum vestrorum transeat in æternum. Cui rex mente nimium perturbatus ex mulieris persuasione, cum indignatione ipsam increpando, respondit. Quasi vna (inquit) de stultis mulieribus locuta es. Absit à me, absit tam detestabile factum, quo perpetrato, mihi meisq; successoribus foret opprobrium sempiternum. Et his dictis, rex iratus ab illa recessit. Interea, mentis perturbatione paulatim deposita, reges ambo consiederunt ad mensam, vbi regalibus esculentis refecti, in tympanis & choreis, & citharis diem totam cum ingenti lætitia expleuerunt. Sed regina interim malefica, à fœdo proposito nõ recedens, iussit in dolo thalamum, more regio, paleis sericis & aulæis adornari, in quo rex Æthelbertus nocturnum caperet somnum. Iuxta quoq; stratum regium præparari fecit sedile cultu nobilissimo extructum, & cortinis vndiq; circumdatum, sub quo etiam, malefica illa, fossam parari fecit profundam, vt nephandum propositum perduceret ad effectum. Rex vero Æthelbertus, cum post lætum diem membra sopori dare proposuisset, adductus in thalamum memoratum in sedili præfato residens, cum ipsa sella in fossæ profunditatem subito præcipitatus, a lictoribus, quos regina absconderat, suffocatus est. Nam illico cum rex in foueã corruisset, proiecerunt super eum nefandi proditores puluinaria, cum vestibus & cortinis, ne clamans audiretur, & sic rex & martyr, innocenter extinctus, accepit coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Hoc tandem detestabile factum, quod regina malefica, in procum filię operata fuerat, cum ad commilitones occisi regis peruenisset, ante lucem recesserunt ab aula, ne de ipsis simile fieret iudicium metuentes. Offa quoq; rex magnificus, cum de commisso facinore certitudinem comperisset, sese lugens in quodã cœnaculo recludens, per tres dies cibum non gustauit. Sed tamen licet, à morte regis haberetur immunis, missa expeditione non modica, regnum orientalium Anglorum suo imperio copulauit. Sanctus autem Aethelbertus, dum inhoneste tumulatus, omnibus latebat incognitus, donec corpus eius, cœlesti lumine declaratum, à fidelibus inuentum, & apud Herefordensem delatum ciuitatem, nunc sedem Episcopalem miraculis exornat, virtutibus illustrat.

An-

ANNO gratiæ. 794. Iambertus Cantuariensis Archiepiscopus, cum 27. annis sedem laborioſe nimis tenuisset, diem clausit extremum. Quo apud sanctum Augustinum in capitulo sepulto, Athelardus, Wentanæ ciuitatis Episcopus 13. annis successit. Eodem anno Eanbaldus, Ebor Archiepiscopus, Baldulfum, apud Witerne, quæ latine Candida casa dicitur, Episcopum consecrauit. *De morte Iãberti Cantuariensis Archiepiscopi.*

EODEM anno Offa rex Merciorum potentissimus, cum in vrbe Bathonia residens post diei laborem, noctis quietem in strato regio caperet, angelo nunciãte, diuino admonitus est oracvlo, vt sanctum Dei Albanum de terra leuaret, Anglorum protomartyrem siue Britonum, quod solum verum est, quia certum est eum Britonem, non Anglicum extitisse, vnde male dicitur, Anglorum protomartyrem. Et etiam eidem regi Offę iussum est, vt reliquias sancti Albani, in scrinio dignius collocaret. Rex vero diuinis illico studens obtemperare præceptis, accito Humberto Merciorum Archiepiscopo, cuius sedes apud Lichefelde nuper ab eodem rege fuerat cõstituta, diuinam ei voluntatem indicat de prędmissis. Tunc Archiepiscopus memoratus, assumptis continuo secum, Ceolwlfo Lindesiensi, & Vnwona Legeocestrensi Episcopis, suis suffraganeis, cum innumera vtriusque sexus & diuersæ ætatis multitudine, regi die sibi statuta apud Verolamium occurrerunt. Rex vero dum illuc iter expediret lucis radium, in modum ingentis faculæ cœlitus emissum, super locum sepulchri, quasi fulminatæ conspexit. Hoc quoque diuino ab omnibus miraculo conspicato, tali iudicio exstiterunt de visionis veritate certiores effecti. Tunc populo in ieiuniis, eleemosynis & orationibus sanctificato, antistites sacerdotalibus adornati infulis, affore sibi beati martyris auxilium flagitabant. Fuerat namq; locus, & memoria martyris, post aduentum sancti Germani Altisiodorensis Episcopi, qui cum beato Lupo, Trecasinæ vrbis Episcopo, ad extirpandam hæresim Pelagianam in Britanniam venerant, annis circiter 344. omnino deleta. Siquidem gens pagana Saxonum, Iutorum, & Anglorum, Britonibus expulsis, Britanniam subiugarant, vt superius constat prolixius exaratum, mox agros depopulantes, ignem in ciuitates & oppida accumulantes, sacras Ecclesias solo tenus complanantes, sacerdotes detruncantes, cunctam pene superficiem insulæ, à mari vsq; ad mare, immisericorditer deleuerũt. Hac itaq; tempestate, Ecclesia beati Anglorum protomartyris Albani, quam Beda in Anglorum historia, post passionem eiusdem martyris, miro tabulatu lapideo scripsit fuisse constructam, inter cæteras regionis Ecclesias funditus est subuersa. Vnde & sepulchrum eius, quod in aduentu sancti Germani, & ante à passione martyris vsq; ad illius patrię desolationem, omnibus notũ, & propter miraculorum frequentiam, ab omnibus fuerat adoratum, tempore, quo Offæ regi Anglicano extitit ministerio reuelatum, erat incognitum vniuersis. Facta igitur, vt diximus, oratione à clero, & populo cum eleemosyna, & ieiunio, terram pertiunt, & passim martyris sepulturã offendunt. Nec fuit necesse locum diu quærere, quẽ diuina clementia dignata est cœlesti lumine reuelare. Martyris igitur corpus, astante Offa rege strenuissimo, in theca lignea, in qua prius à Christi fidelibus, propter barbarorũ sæuitiã, fuerat tempore discriminis occultatum reperierunt cum ipsis sacris omnium Apostolorum diuersorumq; martyrum reliquiis, quas ibi dudum sanctus deposuerat Germanus. Mouit hæc inuentio tam clerum quã populum vniuersum ad lachrymas, & ob hoc maxime, quod fidẽ fecit dictis sanctorum patrum, de reliquiis simul cum corpore repertis, quas legimus, ad solatiũ martyris, eius sacro corpori fuisse coniunctas. Quid ergo? Thesaurum diu sub cespite absconditum Archiepiscopus cum suis Episcopis, de sepulchro leuantes cum timore sancto, precedente solemni processione in hymnis, & laudum præconiis, transtulerunt in quandam Ecclesiam, olim extra vrbem Verolamium in honorem sancti protomartyris cõsecratam, vbi in locello, ex auro & argento, simul & lapidibus pretiosis fabrefacto, pia patris pignora reponuntur. Quo in loco, vsque in hodiernum diem diuina non desinunt celebrari miracula, sed multis cernentibus, surdis ibi restituuntur auditus, claudis gressus, cæcis visus, & omnibus cum fiducia beati martyris auxilium implorantibus, à Deo mentis & corporis impertitur desiderata salus. Acta autem sunt hæc à passione eius anno quingentesimo 7. ab aduentu Anglorum in Britanniam 344. indictione prima Kal. Augusti. *De inuentione sancti Albani protomartyris.*

HIS ita gestis ibidẽ, conuocat rex prouinciale concilium, & cum Archiepiscopo Humberto, suisque suffraganeis, & primatibus vniuersis, cum quibus tractat de conuersu monachorum, in loco illo congregando atq; cœnobio priuilegiando, vbi protomartyris regni sui reliquias inuenit, & quem locum suo sanguine consecrauit. Placuit omnibus regis propositum, eiq; Episcoporum laudat consilium, vt auctoritate Romani pontificis canonizetur, simul & priuilegietur monasterium in honorem martyris, nouiter construendum *Rex Offa Romam pergens pratum a peregrinis emit.*

dum. Et hæc omnia, vt digniorem sortirentur effectum, consulitur, vt per legatos à latere destinatos, aut in propria persona rex ipse super his, cum curia tractet Romana. Rex vero suorũ adquiescens cõsilio, laborioſum arripuit iter, vt ſicut beatus Albanus protomartyr refulſit Anglorum, ita monaſterium eius omnibus regni cœnobiis, poſſeſſionibus ſimul & libertatib. præferretur. Igitur rex mare ingreſſus ad portum in Flandria deſideratum applicuit. Veniensque ad quoddam oppidum Monaſteriolum nuncupatum, hoſpitandi gratia illuc diuertit, vbi iumentis ſuis pabula non inueniens, miratur valde, quoniam locus ille pratorum copia aſpicitur abundare. Quærit ergo rex cuius ſunt prata illa. Sed reſponſum accepit, quod dominos plures haberent. Iubet autem rex, vt omnes compareant in conſpectu eius, & de pratis diſtrahendis admoneant venientes. Indignantur non modicum, qui hoc audiunt, aſſerentes ſufficienter pratorum dominos in rebus temporalibus abundare. Cumq; tandem nobiles illi ad regis præſentiam perducti fuiſſent, conuenit eos de pratis diſtrahendis. Quos cum audiſſet in omnimodis abundare diuitiis, non ſic (inquit rex) abundatis, quin poſſitis amplius abundare. Nos prata veſtra comparabimus, non ſecundum eorum æſtimationem, ſed iuxta veſtram voluntatem. Nec erit vlla difficultas de pretio, licet nulla ppitiatio ſit in diſtrahendo. His auditis, omnes cupiditate victi, à rege pro ſua voluntate, pretium pro pratis acceperunt. Quo facto, rex prata illa cõſecrat, & tranſeuntibus peregrinis omnibus regali munificentia confirmat, quatenus peregrini in illis locis, pro tempore, vel herbam vel fœnum imperpetuum habeant ſine pretio, vnde iumenta ſua ſuſtineant, ex regis beneficio.

Offa rex Romam perueniens cœnobium beati Albani conſtrui prouocauit.

Dinvmerata deniq; pro diſtractione pratorum pecunia, à loco rex progreditur, & Romam tandem perueniens, optata Apoſtolorum limina conterit, & diuerſorum loca ſanctorum pia deuotione percurrit. Deinde Adriano ſummo põtifici ſui cauſam aduentus denuncians, & de loco ſimul & beato Albano canonizando, cœnobioque conſtruendo, deuote preces porrigens, petitioni ſuæ Romanam de facili curiam inclinauit, & ex hoc præcipue, quod martyris inuentio cœlitus ſit edocta. De monaſterio fundando, & ab omni Epiſcoporum ſubiectioni emancipando curiam conſulit, cui Romanus pontifex taliter reſpondit. O fili chariſſime Offa, rex Anglorum potentiſſime, deuotionẽ tuam circa regni tui protomartyrem nõ mediocriter commendamus, & monaſterio cõſtruendo, illudq; priuilegiando petitioni tuæ gratanter aſſenſum præbemus, iniungentes tibi in tuorum remiſſionẽ peccatorum, vt rediens ad terram tuam, ex conſilio Epiſcoporum & optimatum tuorũ, quas volueris poſſeſſiones ſiue libertates beati Albani monaſterio cõferas, & tuo priuilegio inde facto nos originale tuũ priuilegio noſtro roborabimus conſequentet. Et monaſterium illud in ſpecialem Romanæ Eccleſiæ filiam adoptauimus, & noſtro illud apoſtolatui ſubiiciemus, nullo Epiſcopo ſiue Archiepiſcopo mediante. His igitur auditis, rex quid digne tantæ largitati rependere valeat ſecum pertractat. Tandem diuina regem inſpirante gratia venit ſalubre conſilium, & in die craſtina ſcholam Anglorum, quæ tunc Romæ floruit, ingreſſus, dedit ibi ad ſuſtentationem gentis regni ſui illuc venientis, ſingulos argẽteos de familiis ſingulis, omnibus in poſterum diebus, ſingulis annis, quibus videlicet ſors tantum contulit extra domos in paſcuis, vt 30. argenteorum pretium nõ excederet. Et hoc tali largitate obtinuit, vt de regno Angliæ nullus, publice pœnitens, pro executione ſibi iniunctæ pœnitentiæ ſubiret exilium. Celẽbrata igitur donatione prædicta, & ſuſcepta * confirmatione à Papa, & peccatorũ remiſſione, ſimul cũ ſummi pontificis benedictione, ad propria rex magnificus remeauit. Tunc congregato apud Verolamium Epiſcoporũ, & optimatum ſuorum concilio, vnanimi omnium conſenſu, & voluntate beato Albano amplas contulit terras, & poſſeſſiones innumeras, quas multiplici libertatum priuilegio inſigniuit. Monachorum vero conuentum, ex domib. bene religioſis ad tumbam martyris congregauit, & abbatem eis nomine Willegodum præfecit, cui cum ipſo monaſterio, omnia iura regalia conceſſit. Dominabatur Offa rex magnus, in 20. & trib. prouinciis, quas Angli ſcitas appellant, id eſt, in Herefordenſi, cuius Epiſcopus ſedem habet in eadem vrbe. In prouinciis Wigornienſi, & Glouernenſi, quarum Epiſcopus ſedem habet in Wigornia. In Warewicenſi, Caſtrenſi, Stafordenſi, Scrobesberienſi, & Derebienſi, quarum Epiſcopus ſedem habet in Lichefeld. In Legeceſtrenſi, cuius Epiſcopus in eadem vrbe ſedem habet. In Lincolnenſi cuius Epiſcopus ſedem habet in Lyndeſeia. In Northamptonenſi, Oxonienſi, Buckinghamenſi, Huntendunenſi, Cantabrigenſi, & dimidia Hertfordenſi, quarum Epiſcopus apud Dorkaceſtriam ſedem habet. In prouinciis Eſſexiæ, & Middelſexiæ, & dimidia Herefordenſi, quarum antiſtes ſedem habet in vrbe London. In Norfolc. & Suffolc. duo ſunt Epiſcopi, vnus Helmhamenſis, & alter

Confeſſione.

Dom-

Dommucensis. Dominabatur etiam Snotingensi prouinciæ, cuius Christianitas ad Archiepiscopum Eboracensem spectat. Ex his omnibus prouinciis, dedit rex præfatus denarium beati Petri (vt prædictum est) quod Anglice Romescot appellatur.

De possessionibus de Offa monasterio sancti Albani collatis.

DEDIT præterea Offa, rex potentissimus, beato protomartyri Albano villam suam dominicã, quæ viginti ferme milliaria à Verolamio distat, Mueslaw nuncupatur, & tantundem per circuitum, sicut vsq; hodie scripta regis testantur, quæ in præfata basilica continentur. Quæ videlicet basilica, tanta libertate priuilegiata refulget, vt ab Apostolica cõsuetudine, & reditu, qui Romscot dicitur, cum neque rex, neq; Archiepiscopus vel Episcopus, abbas vel prior, aut quilibet in regno ab illius solutione sit immunis, ipsa quidem sola quieta est. In presbyteros autem, & laicos totius possessionis suæ, abbas vel Archidiaconus monachus sub ipso constitutus, ius pontificiale exercet, ita vt nulli Archiepiscopo, aut legato, nisi summo tantum pontifici, subiectionem impendat. Hoc quoq; sciendum est, quod Offa rex magnificus, tempore quo beati Petri vicario Romanæ vrbis pontifici reditum statutum, id est, Romscot de regno suo concessit, ipse à pontifice Romano impetrauit, vt Ecclesia Albani Anglorum protomartyris, eundem Romscot ab omni Herefordensi prouincia, in qua sita est Ecclesia sæpedicta, fideliter colligeret, & collectum in vsus proprios retineret. Vnde & ipsa Ecclesia, sicut à rege omnia iura regalia, ita habet abbas loci illius, qui pro tempore fuerit pontificialia ornamenta. Et hæc de sancto Albano ad tempus dicta sufficiunt.

De signis cœlestibus quæ famẽ & mortalitatẽ præcurrerunt.

ANNO gratiæ. 795. defuncto Humberto Lichefeldensi Archiepiscopo, Higbertus successit. Eodem anno miseram Anglorum gentem, dira prodigia terruerunt. Nam fulmina abominanda, & dracones per aera horride ardentes volitare videbantur, quæ signa famem validam, & hominum stragem non modicam figurabat venturam. Siquidem superuenientes Dani cum Norwegiẽsibus gentem Northanhumbrorum & Lindiffarnensium miserabiliter perimentes, Ecclesias Christi cum suis habitatoribus destruxerunt. Lindiffarnensis itaq; insula, octo vel amplius se milliariis extendens nobile habet monasterium, in quo pater eximius antistes Cuthbertus positus erat, cum aliis præsulibus, qui eius successores sanctissimi extiterunt. Lindis vero riuulus est, qui excurrit in mare duorum pedum habens latitudinem, quando minor fuerit & videri potest, sed quando æstus maior fuerit, tunc nequit Lindis videri.

De per secutione Constantini imperatoris.

ANNO gratiæ. 896. Constantinus Imperator multos sibi subiectos oculis priuauit, Papam Stephanum, quem per annos 40. carcere incluſum tenuerat, crudeli morte damnauit. Et omnes sibi suspectos vel subiectos, super lignũ sanctæ crucis iurare fecit, quod nullam Dei aut sanctorum imaginem venerarentur, neque Deigenetricem inuocarent. Eos autem qui vigilias Dei agebant, qui religiose viuebant, condemnans, patrimoniis priuabat, & modis omnibus cruciabat. Qui reuerentiores erant, eorum barbis cera, & pice illitis amburebat. Monachus vt vxores, monachas, vt viros ducerẽt cogebat. Quod multi respuentes, ad palmam martyrii peruenerunt, nec sub alicuius gentilis persecutione, plures quam sub hac martyrizati leguntur. Hoc quoq; anno Sigar dux, qui beatum regem Alfwoldum indigne peremerat, digno periit cruciatu.

ANNO gratiæ. 797. defuncto Papa Adriano, Leo successit annis 20. mensibus 5. diebus 16. & cessauit sedes tribus diebus. Eodem anno, tres circa solem, significantes fortasse multorum regum, & nobilium mortem qui illo anno ex hoc seculo transierunt. Nam eodem anno rex Northanhumbrorum Ethelredus, relicta propria vxore, nouam duxit. Vnde à propria gente interfectus est. Cui Osredus successit in regnum. Sed 25. regni sui die defuncto, Eardulfus successit in regnum, & 10. annis regnauit. Hoc quoq; anno Eanbaldus Ebor. Archiepiscopus decessit, & alter Eanbaldus successit. His etiam diebus defuncto Ethelberto Cantuar. rege, Eadbertus successit. Per idem tempus post Iambertũ Cantuar. Archiepisc. Æthelhardus Archiepiscopatum regendũ suscepit. Offæ regi Merciorum 4. Kal. Augusti, defuncto filius eius Egbertus in regni gloriam successit, & centum quadraginta vno diebus regnauit. Eodem anno vitam finiuit. Cui vir magnificus & sancta sobole fœlix Kenulphus successit, qui in pace, iusticia, & pietate regni rexit gubernacula. Mortuo autem Egfredo rege Cantiæ regnauit Eadbertus, qui & Pren, tribus annis, & captus & abductus est à Kenulpho.

Epistola Caroli magni regis Francorum & Imperatoris Romanorum ad Offam regi Merciorũ.

CAROLVS gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanorum vtro venerando, & fratri charissimo Offæ regi Merciorum salutem. Primo gratias agimus omnipotenti Deo, de catholicæ fidei sinceritate, quã in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis vero qui pro amore Dei & salute animarum suarum,

beatorum Apostolorum limina desiderant adire, nostra pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui non religioni seruientes, sed lucra sectantes inueniantur inter eos, locis opportunis statuta soluant thelonea. Negotiatores quoq; volumus vt ex mandato nostro patrocinium habeant in regno nostro legitime, & si in aliquo loco iniusta affligantur oppressione, reclament se ad nos vel nostros iudices & plenam iubebimus inde iustitiã fieri. Cognoscat quoque dilectio vestra quod aliquã benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas sedes Episcopales regni vestri, vel Ethelredi direximus in Elimosinam domini Apostoli Adriani. Deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie esse. Sed vt fidem & dilectionem ostendamus tam cũ nobis charissimum, sed etiam thesauro humanarum rerum quẽ Deus Iesus nobis gratuita pietate concessit, aliquid per Metropolitanas ciuitates direximus, vestræq; dilectioni vnum baltheum & vnum gladium hunisc̃um, & duo pallia serica duximus destinanda: Vale.

EODEM anno, Offa rex Merciorum magnificus, constructo vero nobilissimo, post inuentionem beati Albani monasterio, in villa quæ Offæleia nuncupatur, iuxta multorũ opinionem diem clausit extremum. Cuius corpus apud villam de Bedfordia delatum, in capella quadam extra vrbem, supra ripam Vscæ fluminis sita, more regio dicitur fuisse sepultum. Refert autem vsque in hodiernum diem, omnium fere comprouincialium relatio, quod capella præfata, longo vsu, & violentia illius fluminis sit subuersa, atque eius rapacitate, cum ipso regis sepulchro, in flumen præcipitata. Vnde & vsque in præsens sepulchrum illud, ab hominibus loci illius, æstiuo tempore ibidem balneantibus, quandoq; in aquæ profunditate videtur esse conspicuum, & quandoque licet diligentissime quæratur, ac si res fatalis esset, non inuenitur. Successit autem Offæ regi strenuissimo in regnum Egfridus filius eius, qui patre viuente ei conregnauerat annis 8. Egfridus igitur iuuenis egregius, & animi nobilitate præditus protinus cum fuisset in regno confirmatus, pia patris imitatus vestigia, Ecclesiæ beati Albani Anglorum protomartyris terras multas, & possessiones deuotus contulit, illasque cum aliis omnibus quas pater eius Ecclesiæ præfatæ cõtulerat, cum omnibus libertatibus regiis quas liberiores habet, vel alicui Ecclesiæ conferre potest, suo priuilegio confirmauit. Et eius donatio, vt perpetuæ firmitatis robur obtineret, iuxta morem Ecclesiæ Romanæ, omnium Episcoporum, comitum, & baronum totius imperii sui subscriptionem, & signum crucis apposuit. Et præterea patris, in omnibus, cupiditatem declinans, quęcumq; ille ad exaltationem regni sui, ex diuersorum possessionib. monasterium attenuauerat, ille prona deuotione restituit, & suo priuilegio, cunctis id petentibus roborauit. Ad petitionem quoq; Ethelhardi Cantuarien sis Archiepiscopi emollitus, dignitates, ab Archiepiscopo Iamberto (vt prędictum est) amissas, libenter restituisset, nisi mors immatura illum de medio sustulisset. Nam centesima, & quadragesima prima die post exitum patris sui defunctus est, omnibus regni sui nationibus causam præbuit magni doloris. Vnde nec arbitrandum reor, quod iuuenis adeo nobilis mortuus sit propter peccata sua, sed quia pater eius, pro regni sui confirmatione, sanguinem multum effudit. Successit ei in regnum Merciorum Kenulfus, vir magnificus, Cuthberti filius, & trinepos Wibbæ regis 24 annis. Huic regina sua Alfritha genuit Kenelmum, postea sanctum, & filias Quendridam, & Burgenildam.

Qualiter Æthelhardus Cantuar. archiepiscopus dignitatem reuocauit amissam.

EODEM anno supradicto rege Merciorum Kinulfo regni diademate insignito, in palatio religiosus extitit, in bello, vt leo, victoriosus. Accedentes ad eum Æthelhardus Cantuarien sis, & Eanbaldus Eboracen sis Archiepiscopi, super amissa Canturien sis Ecclesiæ dignitate regem conuenerunt. Qui ab ipsis quantum nefas in mutilatione Cantuarien sis diœcesis, antecessor eius Offa rex commisisset edoctus, antiquitatis morem deuotissime reparauit. Missis igitur ad Leonem Papam, Adriani successorem, sua & omnium Anglorum pontificum Epistolis, ipso Archiepiscopo Æthelhardo legationem generaliter fungente, quod petiit impetrauit. Vnde profecto ad laudem archipræsulis illius, & gloriam excellentius prædicatur, ipsum pristinam reuocasse dignitatem, quam adquisitam custodire. Eodem anno Mildredo Wigornien si antistite defuncto Weremundus successit. Quo vtique anno Eanbaldus Ebor. Archiepiscopus accepto pallio, post Æthelbertum antistitem ordinauit Eadredum, adiuncto sibi Higbaldo Episcopo, ad pontificatus honorem.

†3. †4. Kal. Nouemb. in loco qui Wudaforda nuncupatur.

De munificentia Kinulfi regis Merciorum.

ANNO gratiæ. 798. Kinulfus rex Merciorum, Canciæ prouinciam hostiliter perlustrans, prædatus est, regemq; eorum Eadbertum cognomine Pren, viribus sibi imparem comprehendit, & vinctum secum cum victoria reduxit. Sed non multo post, quum apud Winchel-

Winchelcumbam Eccleſiam, quam fundauerat fecit dedicari ipſa conſecrationis die, regem captiuum ante altare manumittens libertate donauit. Aderat ibi Cuthredus quem Kinulfus rex præfecerat Cantuaritis, loco Eadberti ſupradicti. Baſilica plauſibus reſonabat, platea diſcurſibus fremebat, quod illuc in conuentu 13. Epiſcoporum, & decem Ducũ nullus largitatis paſſus eſt repulſam, dum ſinguli refectis marſupiis, hinc abibant. Nam præter illa xenia, quæ optimates ſuſceperãt, inæſtimabilis precii & numeri, in vtenſilibus, veſtibus, equis electiſſimis, omnibus, qui agros non habebant libram argenti, presbyteris marcam auri, monachis ſolidum vnũ, & poſtremo multa vniuerſo populo erogauit. Monaſterium quoq; tam magnis ampliauit redditibus, quod hoc tempore incredibile videatur. Eodem anno Eanbaldus Ebor. Archiepiſcopus apud Finchale ſynodum congregauit. Per idem tempus, rex Northanhumbrorum Eardulfus, in loco qui Biſingeho dicitur, prælium commiſit contra Wadum Ducem, & alios quoſdam conſpiratores ſuos. Sed demum multis hinc inde interfectis, rex regaliter victoriam obtinuit, ex hoſtibus ſupradictis. Hirenes ſola imperauit annis tribus.

De ſancto Leone Papa mirabile.

Leoni adhuc adoleſcentulo de laſciuia pœnitenti, dum oraret ante altare beatæ virginis, apparuit eadem dicens. Leo corrige exceſſus tuos & te proueham ad ſummum gradum. Ille huius vocis memor de Rhetorica ſe tranſtulit ad Theologiã, mutatus penitus in alterum virum, caſtus eſt, & modeſtus, diligens, & peritus. Et factus eſt peritiſſimus rhetor & theologus. Vacante igitur ſede Apoſtolica ſublimatus eſt in eadem. Et cum primo celebraret ſolemniter, facta eſt ei oblatio non modica. Inter offerentes igitur, quędam mulier, ad quam aliquando habuit acceſſum, vt dicebatur, manum ipſius Leonis ſuauiter comprimens, & comprimendo deoſculans, incẽdium libidinis in Papa excitauit. Ille præmiſſarum ſolemnia ſeipſum redarguens, in conclaui ſedens manum ſuam ſubito amputauit, iuxta illud Euangelium, ſi pes tuus vel manus ſcãdalizaret te, abſcide & proiice à te, &c. cum igitur vocaretur ſæpe ad miniſterium ſuum ſępè ſe excuſaret, nec darentur amplius inducię à fratribus neſcientibus eum mancum. Diuertit ſe Papa in locum ſecretiorem, & ſe proſternens in oratione deuota ante altare beatæ virginis, dixit. O clementiſſima virgo, promouiſti hactenus & ſublimaſti, reſpice nunc in me miſerum, qui cepi vltionem de meo transgreſſu ne confundar, ſed nunc confer conſolationem ne cõquerendo dicam, eleuando alliſiſti me. Beata igitur mater miſericordiæ manum truncato brachio nouam reſtituit. Papa igitur qui adhuc manum priorem, quam obſciderat, reſeruauerat, fratribus conuocatis ſeriatim quæ acciderant explicauit, ne laus beatæ virginis occultaretur. Et oſtendit illis, imo omni Eccleſiæ, manum quam prius abſciderat, & cauſam non celauit. Et qualiter in oratione proſtrato apparuit illi beata virgo & manum manco reſtituit. Et ſtatutum eſt tum quod nunquam extunc manus Papæ ab offerẽtibus deoſcularetur ſed pes. Cum ante fuerat conſuetudo quod manus, non pes, deoſcularetur. In huius miraculi memoriam reſeruatur adhuc manus abſciſſa in theſauro Lateranenſi, quam dominus cuſtodit incorruptam ad laudem matris ſuæ.

Anno gratiæ. 799. Romani inter ſe diſſecantes, Leonem Papam, virum ſanctum, & omni laude digniſſimum apprehendentes ligauerunt, linguam amputauerunt, oculos eruerunt, atq; demũ à ſede Romana expulerunt, eumque ſemiuiuum relinquentes, interlictorum blaſphemias turpe facinus commiſerunt. Sed miſerator & miſericors dominus, qui ſperantes in ſe non relinquit, linguam ei & oculos miſerabiliter reſtituens, ad priſtinã dignitatem, melius quam prius fecerat, vidẽtem ac verbum fidei prædicantem reuocauit.

De perſecutione Danorum.

Anno gratiæ. 800. exercitus paganorum nefandiſſimus, Eccleſias de Hercenes, & de Tynemutha crudeliter ſpoliauit, & cum ſpoliis ad naues cucurrit. Eodem anno Eadredus, Haguſtaldenſis antiſtes obiit, & in loco eius Eadbertus ſucceſſit. Quo etiam anno, Alemundus filius Ealdredi regis, à tutoribus Eardulfi, regis Northanhumbrorũ, apprehẽſus eſt, eiuſq; iuſſione cum ſuis profugis interfectus. Eodem tempore 10. Kal. Ianuarii, ventus ingens ab Africa veniens, ſuo flatu horrido, vrbes & arbores radicitus euulſit, mare, vltra terminos ſuos exiens, multam pecorum ſtragem in locis diuerſis fecit. Eodem anno rex Francorum Carolus, rex eximiæ virtutis cum innumera armatorum copia, Romuleam ingreſſus vrbem, loca ſancta frequenti viſitatione percurrit. Ibique per menſes aliquot demoratus, Eccleſiam Petri & Pauli Apoſtolorum Chriſti, donis eam regalibus exornauit, in auro videlicet & argento, & lapidibus precioſis. Leonem quoque Papam venerabilem, variis munificentiis honorauit, eiuſque aduerſariis diſperſis quoſdam interfecit, & quoſdam in exilium relegauit, nonnullos etiam patibulo ſuſpendi præcepit.

Carolus magnus imperat.

ANNO gratiæ. 801. Carolus rex magnus, cum in vrbe Roma, plurima quæ ad honorem Dei & vtilitatem populi spectabant, disposuisset, in die dominicæ natiuitatis, cũ Ducibus, magistratibus & militibus & turba magna nimis, basilicam principis Apostolorum Petri ingreditur. Vbi à domino Papa Leone purpura regali induitur, corona aurea capiti eius imponitur, & regale sceptrum ei in manibus datur. Hanc dignitatem ipsa die tantus imperator & magnificentiam promeruit: vt imperator totius orbis vocaretur, & esset. Ipso quoque tempore directi sunt Græcorum legati, cum xeniis impreciabilibus, ab vrbe Constantinopolitana, ad Carolum, rogantes instãtius vt illud Imperium suscipere dignaretur. Istis autem legatis adhuc præsentibus ab Hierosolymis directi sunt nuntii, à populis Christianis, clericis videlicet, & laicis ad Carolum nuper imperatorem creatum, vexillũ argenteum regi inter alia munera ferentes, cum clauibus locorum sanctissimorum dominicæ resurrectionis, & aliorum multorum, obnixius flagitantes, vt eorum defensor & gubernator esse dignaretur. Annuit imperator piissimus omnib. ad se confugientibus, quod petebant, & non solum se fore paratum ad deuincendos crucis inimicos in terra, verum etiam & in mari, si necessitas compulisset. Intellexit enim beatas esse respub. vel si sapientiæ studiosi eas regerent, vel si earum rectores studere sapientiæ voluissent. Deinde ad vrbem Rauennam perueniens, de rebus prædictis cum optimatibus suis diligenter tractauit.

Qualiter rex Brithricus veneno periit.

ANNO gratiæ. 802. Brithricus rex Occidentalium Saxonum, veneno periit in hunc modum. Habuit rex iste, vt superius relatum est, reginam nomine Eadburgam, Offæ regis Merciorum filiam, quæ multis suffulta honoribus, miris se ambitionibus extollebat. Nam materna tyrannide incitata, omnes de regno nobiles ordinatos & viros religiosos, ad regem accusare, & execrari consueuit, vnde & principibus, Ducibusque perosa extitit, cum magnatibus & populis vniuersis. Siquidem malefica illa, ita regem instruxit blanditiis, vt illos quas accusabat, aut vita, aut regno priuabat. Et si hoc à rege impetrare non potuit, veneno eos clam perdere consueuit. Erat autem eodem tempore adolescens quidam genere præclarus, ac regi valde familiaris, & amantissimus, quem cum maleficia regina accusare non valuit, veneno illum extinxit. De quo veneno cum rex ignorãter gustasset animam subito exhalauit, nec tamen illa regi dare proposuerat poculum mortis, sed adolescenti. Veruntamen ambo biberunt, & potu venifero perierunt. Rege itaque in hunc modum perempto, mulier nequissima timore perterrita fugiens cum thesauris impreciabilibus, mare transiit, & Carolum Francorum regem adiens multa ei xenia præsentauit. Cui cum astaret inter mulieres nequissima, licet pulchritudine pulcherrima, sic rex eam allocutus ait. Elige Eadburga quem volueris, vel me, vel filium meum, qui mihi astat in solario, in societatem accipere coniugalem. At illa sine deliberatione, & fœno soluto pudicitiæ, respondens ait. Si mihi optio daretur vel libertas eligendi, filium tuum, quã te magis eligerem, quia iunior esse videtur. Tunc rex intelligens illam explendæ libidinis cupiditate ductam, eleganter respondit. Si me (inquit) elegisses, filium meum haberes, & quia illum elegisti, nec me nec illum habebis. Contulit tamen illi rex propter improbitatem eius, & nimiam pulchritudinem nobile monasterium fœminarum, in quod illa habitu deposito seculari, sub specie hipocrisis, indumento monalium assumpto, abbatissæ vice annis paucissimis fungebatur. Nã paruo post tempore, dũ quæ sancta erant execraretur, à quodam proprie gentis ignobili viro, dicitur constuprata. Mulierem quoq; in adulterio deprehensam rex à sancto monasterio expelli præcepit, quæ deinceps miserrime in paupertate tempora vitæ suæ vituperabiliter ad finem vsq; perduxit. Defuncto itaq; rege Brithrico, successit ei Egbertus in regnum 36. annis, qui ex regali illius gentis prosapia originem ducens, multa potenter regna suo adiecit imperio. Eodem anno defuncto Eadberto Londonensi Episcopo, Eadgarus successit.

Higbaldus Episcopus defunctus est.

ANNO gratiæ. 803. defuncto Higbaldo Lindisfarnensi Episcopo Egbertus successit. Iste Higbaldus supradictæ Danorum depopulationi interfuit in prouincia Northanhumbrorum.

ANNO gratiæ. 804. Beornredus, Roffensis antistes, diem clausit extremum, cui successit Puthricus in Episcopatum.

ANNO gratiæ. 805. Æthelhardus Cantuariensis Archiepiscopus diem claut esixtremum, qui (vt prædictum est) Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem amissam, potenter reuocauit. Cui successit Wilfredus annis viginti octo.

ANNO gratiæ. 806. Wilfridus prædictus Cantuariensis Archiepiscopus, accepto pallio, in dignitate sua confirmatus est.

ANNO

ANNO gratiæ 807. Cuthredus rex Cantuariensis diem clausit extremum, cui Baldredus in regnum successit.

ANNO gratiæ 808. Eardulfo, Northanhumbrorum rege à regno fugato, Alfwoldus, ei duobus annis successit. Fugauerat autem illum idem Alfwoldus, & regnum eius occupauit.

ANNO gratiæ 809. Egbertus rex Occidentalium Saxonum ad illam regionem, quæ Cornubia dicitur, hostiliter accedēs, subiugauit eam sibi & suo adiecit regno, multis hinc & inde interfectis. *Rex Egbert⁹ Cornubiam subiugauit.*

ANNO gratiæ 810. defuncto rege Northanhumbrorum Alfwoldo, Eandredus regnauit pro eo 42. annis. Eodem tempore rex Egbertus aquilonares Britannos subiugauit, & tributarios fecit.

ANNO gratiæ 811. rex Egbertus, sicut anno præterito aquilonares Wallēses compulerat ad soluendum tributum: ita & hoc anno omnes eorum fines peruagando penetrans, ab Aquilone vsq; ad Meridiē igne accumulato spoliauit, & sic ad propria remeauit. *Rex Egbertus Wallią spoliat.*

ANNO gratiæ 812. apud cœnobium Elmonense in Gallia sanctus Amandus de terra leuatur. Cuius corpore inuento integro post annos 152. cum eius capilli & vngues prę- ciderentur, qui excreuisse videbantur, & ex illius ore dentes forcipe extraherentur, sanguis inde profluxit, qui adhuc mirabili gratia reseruatur. *Corpus S. Amandi de terra leuatur.*

ANNO gratiæ 813. Carolus rex Francorum, & patricius Romanorum, per Gallias concilia celebrari edicit, vnum Maguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilonis, quintum Arelati, in quibus quædam capitula sacræ scripturæ, vniuersali ecclesiæ necessaria, instituta referuntur.

ANNO gratiæ 814. Carolus Magnus rex Francorum, & Imperator Romanorum diem clausit extremum, postquam imperasset annis quadraginta & quinq;. Cui successit filius eius Ludouicus. Eodem anno Wilfridus Cantuariensis archiepiscopus, & Wiberti⁹ Scireburnensis Episcopus, Romam pro negotiis Anglicanæ Ecclesiæ profecti sunt. *De morte Caroli Imperatoris.*

Post exiguum vero tempus Caroli regis mors ita mihi demonstratur. Cum igitur apud Mennam in ecclesia ante altare die quadam raptus in extasi precibus insisterem, psalmumque, deus in adiutorium meum intende cātarem. Teterrimorum agmina innumerabilia militum ante me prēterire, ac versus Lothogaringiam tendere agnoui: qui cum omnes pertransirent, intuitus sum quendam illorum Æthiopi consimilem, retro lēto gradu alios insequentem, cui dixi, quo tenditis? Aquisgranum inquit, ad Caroli mortem tendimus, vt eius spiritum ad tartara rapiamus, Cui dixi, adiuro te per nomen domini nostri IESV CHRISTI, vt peracto itinere tuæ dispositionis, ad me reuerti non renuas. Tunc modicum commorati, vix expleto psalmo, eodem ordine ad me redierūt. Et dixi nouissimo, cui primum loquutus fueram, quid egistis. Et dæmon, librauimus facta Caroli, sed Galectianus (inquit) sine capite, tot & tantas lapides, ligna innumerabilia basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona quam eius mala, & idcirco eius animam à nobis abstulit, & his dictis Dæmon euanuit. Itaque ego intellexi eadem die Carolum ex hac luce migrasse, & subsidiis beati Iacobi (cuius Ecclesias multas ædificauerat) ad superna regna merito transuectum. Hæc Turpinus archiepiscopus Remensis. *Hispanicus Iacobus decapitatus, sic Polychronicō lib. 5. c. 26. In historia sua de Carolo Magno, c. 35*

ANNO gratiæ 815. Ludouicus rex Francorum, à Papa Leone, imperialem consecrationem Romæ consecutus est. *Ludouicus Imperator.*

ANNO gratiæ 816. sancto Leone Papa defuncto, sedit post eum in cathedra Romana, Stephanus anno vno. *Paschalis papa.*

ANNO gratiæ 817. defuncto Papa Stephano, Paschalis successit ei in cathedra Romana, & sedit annis septem, & diebus 17. Eodem anno schola Anglorū Romæ igne combusta est.

ANNO gratiæ 818. Seloamir Abroditarum rex, ab imperatore Ludouico de regno pulsus, ad Danos transiuit.

ANNO gratiæ 819. Bernardus rex Italiæ, conspirationis contra Imperatorem factæ accusatur, & reus læsæ maiestatis addictus prius regno, postea oculis, ac deinde vita priuatur.

ANNO gratiæ 820. per dispositionem Ludouici Imperatoris, habito Aquisgrani generali Episcoporum conuentu, & Abbatum, quædam capitula, ad vsus monachorum & monialium necessaria statuuntur. Kenulphus pater Kenelmi, fundauit Abbatiā de Winchelcomba sufficienter ad 200. sustentandos monachos. *Concilium celebratur.*

ANNO gratiæ 821. Kenulfo rege Merciorum defuncto, corpus eius apud Winchel- *Depassione Sancti Ke-*

nelmi regis & martyris.

combam sepulturam accepit. Successit ei in regnum Kenelmus filius eius, quem pater eius septennem Quendridæ sorori suæ commendauerat nutriendum. Hæc autem falsa regnandi cupiditate seducta, fratruelem de medio tollendum satelliti cuidã, qui alumnus illius fuerat, commendauit. Is insontem puerum, quasi venatum ducens, inter fruteta occultauit, capite obtruncato. Et mirum dictu, quod res tam cœlate in Anglia perpetrata, Romæ innotuit diuinitus reuelata. Siquidem super altare beati Petri Apostolorũ principis charta quædam perferente candida columba cadens, necis sancti Kenelmi regis & martyris, & sepulchralis loci, per ordinem index fuit. Quæ schedula, quoniam Anglicis, & aureis literis fuerat exarata, à Romanis & aliis qui aderant clericis, papa iubente, frustra legi tentatur. Sed salubriter angelus illis astitit, qui latinæ linguæ schedulam inuoluens, fecit vt Romani pontificis Epistola regibus Anglis compatriotam martyrem indicaret. Habebatur autem inter cætera contentum in charta. In clenc kau bathe Kenelin kynebearne lith vnder thorne heaued bi reaued. Quod latine sonat, In clenc kou bath, id est, in pastura vaccarum, Kenelmus regis filius iacet sub spina, capite priuatus, iuxta caput. Igitur (vt dictũ est) corpore beati martyris regibus Angliæ mirabiliter patefacto, frequenti cœtu clericorum & magnatum, puerile corpus de spelunca leuatum, apud Winchelcumbam vehebatur. Paricida, siue potius fatricida fœmina nitebatur, clericorũ cantu ac laicorum, alacri plausu, propter tanti martyris inuentionem commota, è fenestra cœnaculi, in quo stabat caput extulit, & forte psalmum, Deus laudem meam ne tacueris decantabat, quem à fine, nescio quo præstigio, retrograde dicens, nitebatur cantantium lætitiam infirmare. Cumq; illa à fine vsque ad hunc versum. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud dominum, peruenisset: ambo eius oculi à sedibus suis euulsi continuo super ipsam, quam legebat paginam, corruerunt. Adhuc autem psalteriũ illud, argento fabrefactum & lapsorum luminũ cruore madefactum, huius correptionis præbet indicium. De huius quoq; sancti martyrio quidam sic ait.

In clenc, sub spina, iacet, in conualle bouina,
Vertice priuatus, Kenelmus rege creatus.

Successit autem sancto Kenelmo, Ceolulfus patruus suus in regnum Merciorum duobus annis, licet in breui à regno priuatus.

ANNO gratiæ. 822. tellus in Saxonia, in modum aggeris, spacio vnius leucæ multis mirantibus intumuit.

ANNO gratiæ. 823. Ceolulfus de regno Merciorum expulsus, Bernulfum habuit successorem quatuor annis.

ANNO gratiæ. 824. puella quædam duodenis, post sacram diei paschæ communionem, primum per 10. menses pane, ac deinde cibo & potu per triennium abstinuit, & deinceps ad communem hominum vitam rediit. Eugenius sedit Romæ.

ANNO gratiæ. 825. Egbertus rex Occidentalium Saxonum, pugnauit contra Bernulfum regem Merciorum apud Ellendunam partes suas hostiliter petentem, vbi maximo gentis vtrumque regum peracto exitio, Egbertus funestus victor ad propria remeauit.

ANNO gratiæ. 826. Bernulfus Merciorum rex prædictus ab Orientalibus Anglis interfectus est, eo quod regnum illud, vt suũ à tempore Offæ regis inuadere, & sibi vendicare tentaret. Eodem anno corpora sanctorum Marcellini, & Petri martyrum, ab vrbe Roma sublata, & in Franciam translata, multis ibidem signis claruerunt. Ludicanus regi Bernulfo successit.

ANNO gratiæ. 827. Eugenio Papæ successit Valentinus diebus quadraginta. Egbertus rex Occidentalium Saxonum, misit Ethelulfum filium suum cum Ethelstano Scireburnensi Episcopo & consule Wyhardo in Canciam, cum multitudine graui pugnatorum, qui regem Baldredum vltra flumen Thamesim fugantes, regnum Canciæ, cum Suthsexia Egberto regi subdiderunt. Hoc citam anno Orientalis Angli regem Egbertum in patronum, & dominum susceperunt. Egbertus denique vnus ex octo regibus fuit, qui totum insulam hanc, ab Humbro flumine, ad Australem plagam vsq; ad mare Gallicum subiugatam possedit. Gregorius sedit in cathedra Romana annis 16.

ANNO gratiæ. 828. Ludicano, rege Merciorum, à rege Egberto interfecto Wilafus successit ei in regnum. Qui continuo à rege Egberto expulsus, annis tribus exulauit. Quo etiam tempore, idem Egbertus Swithredum regem Orientalium Saxonum, debellauit & à regno fugauit. Swithredo quoq; fugato, regnum illud reges Westsaxonũ tenuerunt. Eodem anno in Vasconia annona de cœlo pluit frumento similis, sed grana habuit

breui-

breuiora, & rotunda. Hoc etiam anno defuncto Egberto, Lindisfarnensi Episcopo, Eardulfus successit.

ANNO gratiæ. 829. cum Egbertus rex Occidentalium Saxonum, omnia Australia Angliæ regna obtinuisset, exercitum grandem in Northanhumbriam ducens, prouinciam illam graui depopulatione contriuit, regemque Eandredum statuit sub tributo. Hoc anno qui est annus ab initio mũdi quadrimillesimus septingentesimus, octogesimus octauus finitur nonus annus magnus ab initio mundi, qui est annorum quingentorum triginta duorum.

ANNO gratiæ. 830. rex Egbertus potentissimus, exercitum ducens in Walliam copiosum, Wallenses omnes, cum regibus suis, suæ ditione spontanea voluntate subiecit. Eodem anno, idem rex Egbertus misericordia motus, Wilafo regi Merciorum concessit, vt regnum suum de eo teneret sub tributo.

ANNO gratiæ. 831. apud Constantinopolim Theophilus imperat. Eodem anno Wlfius Ebor. Archiepiscopus, naturæ debitum soluit, & Wymundus successit.

ANNO gratiæ. 832. defuncto Wilfrido Cantuar. Archiepiscopo, successit Ceolnothus, & anno sequenti pallium suscepit.

ANNO gratiæ. 833. exercitus Danorum, infidelium piratarum, postquam apud Dunemutham victi, & fugati fuerunt, Seapeiam, id est, ouium insulam, deprædati sunt. Applicuerunt enim ibidem pagani illi cum nauibus 35. & spoliata insula illa, nauigauerunt & applicuerunt in loco, qui Carrum nuncupatur, prædis ibidẽ & spoliis vacantes, nulli sexui pepercerunt. *Vt Dani insulam ouium deprædauerunt.*

ANNO gratiæ. 834. rex Egbertus, ingenti exercitu congregato, contra prædictos paganos vexilla direxit, & arma. Sed Dani post nimiam hinc inde illatam stragem, alea belli prævaluerunt. Ceciderunt itaque inter cæteros Herefridus Wintonienſis, & Sigelmus Scireburnensis Episcopi, cum Ducibus Dudda, & Osmundo. Successit autem Herefrido Eadmundus, & Sigelmo Æthelwaldus. *Vt Dani regem Egbertum de prælio fugauerunt.*

ANNO gratiæ. 835. Wallenses cum Danis iunctis viribus, igne & ferro regnum Egberti inuadentes, castella eius & municipia diruere satagebant. Quo audito, rex Egbertus cum exercitu copioso hostibus occurrens, maximam ex obstantibus stragem fecit, & tandem Danos, cum Wallensibus, damnosam inire fugam coegit, patriamq; ab hostium irruptione liberauit. *Qualiter rex Egbertus Danos in fugam compulerit.*

ANNO gratiæ. 836. idem rex Egbertus, nouum Danorum aduentantem exercitum, contritione graui conterens in fugam conuertit. *Rex Egbertus iterũ Danos superauit.*

ANNO gratiæ. 837. Gregorius Papa nouæ vrbis fabricam nuper consummatam, à semetipso Leoniam appellauit, qui Leo quartus antea fuerat nuncupatus. Eodem anno rex Occidentalium Saxonum Egbertus, expletis in regno annis 37. & mensibus 7. ex hoc seculo trãsiens, apud Wintoniam sepulturã accepit. Cui succedens Æthelulfus filius eius, quem quidam Eadulfum appellant 20. annis, & quinq; mensibus imperauit. Iste Æthelulfus de regina sua quatuor filios inclytos generauit, quorum primus dictus est Eadbaldus, secundus Æthelbertus, tertius Æthelredus, quartus Ælfredus, qui omnes post patrẽ per ordinem regnauerunt. Quintum habuit filium nomine Æthelstanum, non de matrimonio generatum, cui pater Æthelulfus, omnia regna, quæ eius genitor Egbertus potenter acquisierat, contulit, Occidentalium Saxonum solummodo ipse contentus regno. *Obitus Egbertiregis. Æthelulfus fit rex.*

ANNO gratiæ. 838. applicuerunt Dani in portu Hamonis, cum nauibus 33. magna Comite superbia. Quos Comes, Vlfwardus prælio commisso, multis ex eis millibus interfectis, turpiter abire coegit. Sed non multo post eodem anno, idem pagani in ostium Portus appulsi, patriam depopulari contendunt. Rumore itaque diuulgato, Dux Æthelhelmus, cum Dorsetensibus occurrens, ipsos diu conuertit in fugam, sed tandem inconsulte viribus vtens, dum nimis cum suis inordinate processit ab ipsis interfectus est. *Dani venerunt in Angliam.*

NVNC igitur cum ad plagam maximam, & horribilem peruenimus, quæ peccatis exigentibus per Danos, Angligenis nationibus illata est, libet eiusdem cladis causam, ad cautelam futurorum breuiter legentibus intimare. In Anglorum quidem Ecclesia primitiua, religio clarissime resplenduit, ita vt reges & reginæ, Principes ac Duces, Comites & Barones, Ecclesiarumq; rectores, cœlestis regni desiderio succensi monachatum, spontaneum exilium, vitam solitariã, vt præmonstrauimus, certatim appetẽtes, relictis omnibus, dominum sequerentur. Processu vero temporis, adeo in eis omnis virtus emarcuit, vt nullam gens ꝑditione vel fraude eis consimilis videretur. Nec erat eis, inuisum aliq̃d nisi pietas *De causa Danicæ afflictionis.*

&iu-

& iustitia,nec honor nisi bella plus quam ciuilia, & sanguinis innocentium effusio. Misit ergo eis Deus omnipotens gentes paganas, crudelissimas, velut apum examina, quæ ne quidem sexui muliebri, aut paruulorum parcerẽt ætati, Danos scilicet, & Norwegenses, Gothos,& Swathedos, Wandalos,& Fresos,qui ab exordio regis Æthelulfi supradicti vsque ad Normannorum aduentum,per annos ferme 230.terram hanc peccatricem,à mari vsque ad mare, & ab homine vsque ad pecus deleuerunt. Siquidem Angliam crebro & vndique inuadentes , non eam subiugare ac possidere , sed prædari ac perdere satagebant. Qui si aliquando vincerentur,nihil proficiebant Angli, cum alibi classis maior & exercitus,ex improuiso,& subito aduenirent. Nimirum dum modo reges Anglorum in plagam regni Orientalem contra illos tenderent pugnaturi, antequam turmis appropinquassent hostium,nuncius aduolabat dicens, quo nam rex iter sumis ? Ecce nunc classis paganorum innumerabilis, ex Australi parte regni littora occupans , vrbes & villas prædans,ferro quęque sibi obuia,& incendio conflagrauit.Nec minus ideo rumor huiusmodi ab Oriente vel Occidente aut Aquilone superueniens omnem indigenis spem salutis ademit.Sicq; tot malis rumoribus & sinistris nunciis reges cum subiectis cordibus desecantes,contra hostiles incursiones dubium certamen inibant. Vnde contigit,vt quandoque ciues,quandoq; vincerentur hostes.

Anno gratiæ.839. Herebertus Comes, pugnauit contra paganos apud Merswarum , vbi Danis irruentibus , & suis bellatoribus fugientibus , idem Comes occubuit.

Anno gratiæ.840.defuncto rege Northanhumbrorum Eandredo,Æthelredus,filius eius,septem annis successit.

Anno gratiæ.841. paganorum exercitus,per Orientales partes Angliæ,id est,per Cantiam,& Estangliam hostiliter perrexit, vbi turbam innumerabilem interfecit. Eodem quoque tempore Lindissæ regionem idem pagani depopulati sunt. Eodem anno mortuo Ludouico pio rege Francorum, & patritio Romanorum, Lotharius successit annis quindecim.

Anno gratiæ.842. exercitus Danorum nefandissimus terram Angliæ profundius ingredientes,circa Doroberniam , & Roffeceastriam, ac Londoniarum ciuitatem multitudinem hominum maximam vtriusq; sexus peremerunt. Theodulphus Aurelianus Episcopus , apud Ludouicum imperatorem Caroli magni filium feloniæ à quibusdam suis æmulis accusatus,ab eodem est Andegauis carcerali custodiæ mancipatus. Cumq; in dominica ramis palmarum iuxta domum,in qua custodiebatur processio transiret,ille fenestra aperta,factoq; silentio,hos pulcherrimos versus à se editos sc. Gloria laus, & honor, imperatore præsente cantauit. Cui in tantum placuerunt quod mox illum à vinculis absoluit,& Episcopatum ei restituit. Atque eos hac die in fine processionis cantari instituit in ingressu Ecclesiæ.

Anno gratiæ.843.Lotharius rex Francorum,& Imperator Romanorum, in Saxoniam pergens , validissimam libertorum conspirationem , dominos suos opprimere volentium,fortiter compescuit,authoribus factionis capitaliter damnatis.

Sergius Papa creatur. Anno gratiæ.844. Sergius,qui & Pelagius dictus,sedit in Cathedra Romana annis tribus. Eodẽ anno rex Westsaxonum Æthelulfus, apud Carrum,contra gentem Danicã pugnauit,sed Dani victoriam sunt adepti. Eodem anno rex Northanhumbrorum Æthelredus à regno fugatus est , cui Readwlfus successit in regnum qui confestim diademate insignitus,cum paganis commisso prælio , apud Aluetheleie , ipse & consul Ælfredus ceciderunt cum parte maxima subditorum,& tunc iterum Æthelredus regnauit.

Anno gratiæ.845.Dux Earnulfus cum Somersedensibus,& Dux Ostricus cũ Dorsetensibus,& Alstano Scireburnensi Episcopo,ad Pedredesmutham , contra Danos pugnantes,maxima ex hostibus strage facta , victoria potiti sunt. Eodem anno defuncto Egfredo Lindissarnensi Episcopo,Eanbertus successit.

Anno gratiæ.846. Æthelstanus Episcopus,& consul Alcherus,apud Sandwicum contra paganorum immensum exercitum,prælium conserentes 9. puppes maximas occupantes,cæteras in fugam compulerunt.

Leo Papa. Anno gratiæ.847.Leo Papa sedit in cathedra Romana annis 8.Mensibus 3.diebus 6.& cessauit sedes mensibus duobus. Eodem anno defuncto Eadberto Wigornensi Episcopo, Alhunus successit.

De eclipsi solis. Anno gratiæ.848.Æthelredo rege Northanhumbrorum interfecto, Osbertus successit pro eo annis 18.Et eodem anno facta est eclipsis solis,hora Dei sexta.Kal.Octobr.

Anno

ANNO gratiæ.849. natus est Æthelulfo regi occidentalium Saxonum filius in prouincia Berroscire in villa regia, quæ Vanating appellatur, quem in sacra baptismatis regeneratione vocauit Ælfredum. Mater vero eius Osburga dicebatur, fœmina satis religiosa, nobili genere & ingenio, quæ filia erat Aslati famosi pincernæ regis Æthlelulfi. Ortus enim erat ex Gothis, & Iuthis de semine duorum fratrũ Scuphi scilicet & Withgari. Hi potestate accepta ab auunculo suo rege Westsaxonum, & Kenrico consobrino eorũ, primo Vectæ insulæ paucos Britones, quos eiusdem insulæ accolas inuenerunt, in loco qui Withgaresburh, id est, burgum Withgari dicitur, peremerunt, atque deinceps insulam illam, vt supradictum est, occupatam possederunt. Eodem anno in vigilia Pentecostes Berthferus regis Merciorum filius, scilicet Bertulfi cognatum suum sanctum Wlstanum iniuste peremit. Erat autem nepos duorum regum de regno Merciorum. Corpus vero defuncti ad monasterium tunc temporis famosissimum, quod Rependuna dicebatur delatum, & in mausolæo aui sui, regis Wilafi dicitur tumulatum. Sed illius martyrio cœlestia non defuere miracula. Nam de loco vbi innocenter occisus est, columna lucis vsque ad cœlum porrecta, omnibus loci illius incolis, per dies 30. stabat conspicua. *De natiuitate Ælfredi postea regis.*

ANNO gratiæ. 850. Franci à Boemannis graui prælio macerantur, cui bello spiritus malignus se præfuisse, per os cuiusdam arreptitii publice protestatus est, & per se suosque socios, spiritus scilicet superbiæ & discordiæ, egisse, vt Francigenæ hostibus terga darent.

ANNO gratiæ. 851. magnus paganorum exercitus, cum nauibus 350. in ostium Thamesis fluminis veniens Doroberniam, id est, Cantuariam depopulatus est, & regem Merciorum Bertulfum, qui contra paganos ad pugnam venerat, propulerunt in fugam. Post hoc autem audaciores effecti, cum omni multitudine sua, in Sutherie conuenerunt. Quod à rege Westsaxonum Æthelulfo cum fuisset compertum, magno exercitu cõgregato, cum filio suo Æthelbaldo, in loco qui Acle dicitur, conserto prælio, paganos superauit, & eos inaudita cæde macerauit.

ANNO gratiæ. 852 Merciorum rex Bertulfus ab hac vita transiens Buthredum 22. annis habuit successorem. Hic anno regni sui primo, filiam regis occidentalium Saxonũ Ethelulfi, vxorem accipiens, in regno confirmatus est. Celebratæ quoque sunt nuptiæ in villa regia, quæ Chippenham appellatur, vbi puella Æthelswitha reginæ nomẽ promeruit.

CIRCA dies istos, mulier quædam malefica, in villa, quæ Berkeleia dicitur, degens, gulæ amatrix ac petulantiæ, flagitiis modum vsque in senium & auguriis non ponens, vsq; ad mortem impudica permansit. Hæc die quadam cum sederet ad prandium, cornicula quam pro delitiis pascebat, nescio quid garrire cœpit. Quo audito, mulieris cultellus de manu excidit, simul & facies pallescere cœpit. Et emisso rugitu, hodie (inquit) accipiam grande incommodum, hodieque ad sulcum vltimum, meum peruenit aratrum. Quo dicto, nuncius doloris intrauit. Muliere vero percunctata ad quid veniret, affero (inquit) tibi filii tui obitum, & totius familiæ eius ex subita ruina interitum. Hoc quoq; dolore mulier permota, lecto protinus decubuit, grauiter infirmata. Sentiensque morbum subrepere ad vitalia, liberos quos habuit superstites, monachum videlicet & monacham per Epistolam inuitauit. Aduenientes autem voce singultienti alloquitur. Ego (inquit) ô pueri, meo miserabili fato dæmoniacis semper artibus inseruiui. Ego omnium vitiorum sentina, ego illecebrarum omnium sui magistra. Erat tamen mihi inter hæc mala, spes vestræ religionis, quæ meam solidaret animam desperatam, vos expectabam propugnatores cõtra dæmones, tutores contra sæuissimos hostes. Nunc igitur quoniam ad finem vitæ perueni rogo vos per materna vbera, vt mea tentetis alleuiare tormenta. Insuite me defunctam corio ceruino, ac deinde in sarcophago lapideo supponite, operculumque ferro & plumbo constringite, ac demum lapidem tribus cathenis ferreis & fortissimis circundantes, clericos quinquaginta psalmorũ cantores, & tot per tres dies presbyteros missarũ celebratores applicate, qui feroces lenigent aduersariorum incursus. Ita si tribus noctibus secura iacuero, quarto die me infodite humo. Factumq; est, vt præceperat illis. Sed proh dolor, nil preces, nil lachrymæ, nil demum valuere cathenæ. Primis enim duabus noctibus, cum chori psallentium corpori assistebant, aduenientes dæmones ostium Ecclesiæ confregerunt ingenti obice clausum, extremasq; cathenas negotio leui dirumpunt. Media autem, quæ fortior erat, illibata manebat. Tertia autem nocte, circa Gallicinium strepitu hostium aduentantium, omne monasterium visum est à fundamento moueri. Vnus ergo dæmonum, & vultu cæteris terribilior, & statura eminentior, ianuas Ecclesiæ impetu violentu concussas in fragmenta deiecit. Direxerunt clerici cum laicis, metu steterunt omnium capilli, & psalmorum concentus defecit. Dæmon ergo gestu vt videbatur arro- *De quadam muliere sortilega.*

W. Malm. de gestis rõ. lib. 2. pr. B. in 23. Polychron. li. 6. c. 25.

ganti ad ſepulchrum accedens,& nomen mulieris modicum ingeminans, ſurgere imperauit. Qua reſpondente, quod nequiret pro vinculis: iam malo tuo (inquit) ſolueris. Et protinus cathenam,quæ cæterorum ferociam dæmonum deluſerat, velut ſtuppeum vinculum rumpebat.Operculum etiam ſepulchri pede depellens,mulierem palam omnibus ab eccleſia extraxit,vbi pro foribus niger equus ſuperbe hinniens videbatur vncis ferreis, & clauis vndique cõfixus,ſuper quem miſera mulier proiecta,ab oculis aſſiſtentium euanuit. Audiebantur tamen clamores per quatuor fere miliaria horribiles,auxillium poſtulantes.Iſta itaq; quæ retuli incredibilia nõ erunt, ſi legatur beati Gregorii dialogus,in quo refert,hominem in Eccleſia ſepultum à dæmonibus foras eiectum. Et apud Francos Carolus Martellus inſignis vir fortitudinis,qui Saracenos,Gallias ingreſſos,Hiſpaniam redire compulit, exactis vitæ ſuæ diebus,in Eccleſia beati Dyonisii legitur fuiſſe ſepultus. Sed quia patrimonia,cum decimis omnium fere Eccleſiarum Galliæ,pro ſtipendio commilitonum ſuorum mutilauerat, miſerabiliter à malignis ſpiritibus de ſepulchro corporaliter auulſus, vſque in hodiernum diem nuſquam comparuit.

Wallenſes ab Anglis bello vincuntur.

ANNO gratiæ. 853.rex Weſtſaxonum Ethelulfus, & rex Merciorum Beornredus, mediterraneos Britones bello vicerunt,& ſuæ ditioni ſubmiſerunt.

Rex Æthelulfus decimã partem regni ſui Deo & ſanctis eius dedit.

ANNO gratię. 854. defuncto Wymundo Ebor. Archiepiſcopo, Wlferus ſucceſſit. Eodem anno Eanbertus Lindiffarnenſis antiſtes diem clauſit extremum, & Eardulfus ſucceſſit. Eodem anno magnificus rex Æthelulfus, decimam regni ſui partem Deo & beatæ Mariæ,& omnibus ſanctis cõtulit,liberam ab omnibus ſeruitiis ſecularibus, exactionibus, & tributis. Quam donationem, & chartæ ſuæ confirmationem hic ponere libet, vt ipſius deuotio omnibus innoteſcat. Regnante in perpetuum domino noſtro Ieſu Chriſto,in noſtris temporibus bellorum incendia,& direptiones opum noſtrarum,& vaſtantium crudeliſſimas hoſtium barbarorum,paganorumq; gentium multiplices tribulationes, affligentium vſque ad internecionem cernimus tempora incumbere periculoſa. Quamobrem ego Æthelulfus rex Occidentalium Saxonum,cum conſilio Epiſcoporum ac principum meorum,conſilium ſalubre,atq; vniforme remedium affirmaui,vt aliquam portionem terræ meæ,Deo & beatæ Mariæ,& omnibus ſanctis,iure perpetuo poſſidendã concedam,decimam ſcilicet partẽ terræ meæ, vt ſit tuta muneribus,& libera ab omnibus ſeruitiis ſecularibus,nec non regalibus tributis maioribus,& minoribus.ſiue taxationibus,q; nos Witeredden appellamus. Sitque omniũ rerum libera pro remiſſione animarum,& peccatorum meorum,ad ſeruiendum ſoli Deo ſine expeditione,& pontis conſtructione, arcis munitione,vt eo diligentius, pro nobis preces ad Deum ſine ceſſatione fundant, quo eorum ſeruitutem in aliquo leuigamus. Placuit autem Epiſcopis Eccleſiæ Scireburnenſis Alſtano, & Winton Swithuno cum ſuis abbatibus, & Dei ſeruis,viris ſcilicet & fœminis religioſis,quibus ſupradicta collata ſunt beneficia,conſilia inire, vt omnes fratres & ſorores,omni hebdomada die Mercurii, hoc eſt, Wodnesday, in vnaquaque Eccleſia cantent pſalmos 50.& vnuſquiſq; presbyter duas miſſas,vnã pro rege, & aliam pro Ducibus eius in hunc modum conſentientibus,pro ſalute & refrigerio delictorum ſuorum. Poſtquam autem defuncti fuerimus,pro rege defuncto ſingulariter, & pro Ducibus communiter. Et hoc ſit firmiter conſtitutum omnib. diebus Chriſtianitatis, ſicut libertas conſtituta eſt, quamdiu fides creſcit in gente Anglorum. Scripta eſt autem hæc donationis charta,anno gratiæ. 855.indictione quarta,quinto nonas Nouembr.in vrbe Wentana, ante maius altare beati Petri Apoſtoli.

Peregrinatio Æthelulfi

HIs ita geſtis, rex magnificus Occidentalium Saxonum Æthelulfus, cum honore maximo Romam profectus,duxit ſecum Ælfredum filium ſuum iuniorem,quem cæteris omnibus plus dilexit,vt à Papa Leone moribus pariter,& religione informaretur ibidem. Vbi cum anno integro rex cum filio demoratus fuiſſet,fecit filium ſuum ibi à Papa in regẽ coronari,atq; poſt dies paucos,ad patriam rediens,duxit Iudetham Caroli regis Francorũ filiam ſecum in Angliam,ſibi matrimonio copulatam.Sed interea dum rex moram faceret in partibus transmarinis, exorta eſt contra regem prędictum magnatum quorundam cõſpiratio,ita quod facta coniuratione ab Æthelbaldo filio regis primogenito, & Scireburnenſi Epiſcopo Alſtano,cum Eandulfo Sumerſetẽſis pagi Comite,quod à Roma repatriãs nunquam reciperetur in regnũ. Cauſa autem bifaria erat,vna quod filium iuniorem Ælfredum,quaſi aliis à ſorte regni excluſis,in regem Romæ fecerat coronari.Alia vero quod ſpretis omnibus Angliæ mulieribus,filiam regis Francorum alienigenam,ſibi per coniugium copulauit.Præterea audierunt conſpiratores prædicti,quod contra morem & ſtatuta regum Weſtſaxonum,Iudetham regis Francorum filiam,quam nuper deſponſauerat,

regi-

reginam appellabat,& in mensa ad latus suum conuiuari faciebat. Gens vero Westsaxonum non permittit reginam iuxta regem sedere: nec etiam reginam,sed regis coniugem nominari. Hæc autem infamia ab Eadburga Offæ regis filia,eiusdem generis regina exorta est,quæ virum suum Brithricum veneno perdidit,& iuxta regem sedens,omnes regni nobiles accusare solebat, & quos accusare non potuit, potu eos venenifero necare consueuit.Itaque pro reginæ maleficio,sicut superius prolixe tractatum est, omnes coniurauerant,quod nunquam regem super se regnare permitterent, qui in prædictis culpabilis inueniretur. Reuertente tandem à Roma Æthelulfo rege pacifico,prædictus filius eius Æthelbaldus,cum suis complicibus, conceptam nequitiam ad effectum perducere attentauit.Sed Deus omnipotens id fieri non permisit.Nam ne forte plusquam ciuile bellū, inter patrem & filium conualescceret, ineffabili regis clementia omnium conspiratio nobilium & Episcoporum cessauit, diuidentis cum filio suo regnum Westsaxonum, antea indiuisum,ita vt pars regni Orientalis in sortē filii cederet,& occidentalis patri remaneret. Et cum tota regni nobilitas, pro rege decertare & filium à iure regni depellere vellent,si pater id fieri permisisset,ipse mentis nobilitate ab auaritiæ sese vitio excludens, filii sui cōcupiscentiæ satisfecit, sicq; vbi pater iusto Dei iudicio regnare debuerat, illic filius pertinax,& iniquus regnauit.

sup. p. 152. lin. 20.

Anno gratiæ. 855. Leone Papa defuncto, successit ei Benedictus annis duobus, mensibus 6.& diebus 10. Eodem anno rex Eadmundus ex prosapia antiquorum Saxonū originem ducens,prouinciæ orientalium Anglorum culmen regiminis susceptit, annō à natiuitate sua 13.die dominicæ natiuitatis 8. Kal.Ianuarii. Iste adolescens piissimus ab omnibus regionis illius magnatibus,& populis rex electus,& ad regimen multum renitens compulsus,ab Humberto Helmhamensi Episcopo,in villa regia, quæ Bures nuncupatur munus consecrationis suscepit.

Eadmundus in regem cōsecratus est.

Anno gratiæ 856. defuncto Lothario rege Francorum, & patritio Romanorum Ludouicus successit,& imperauit annis 21.

Anno gratiæ.857. Æthelulfus rex Westsaxonum pacificus,inter alia bona præsentis vitæ studia,de suo transitu ad vitam vniuersitatis cogitans, nē filii eius post obitum suū inter se disceptarent, hæreditariam scribere imperauit Epistolam, in qua & regni inter filios Æthelbaldum & Æthelbertum, & inter filiam, & propinquos ac regni sui nobiles, summam pecuniarum, quæ post se supereset, diuisionem ordinabiliter mandare literis procurauit. Pro vtilitate animæ suæ & salute, per omne regnum suum, semper in decem hydis vel mansionibus pauperem vnum indigenam, vel peregrinum, cibo potu,& operimento, successoribus suis, vsque in finem seculi post se pascere præcepit, ita tamen vt si terra illa pecoribus abundaret,& ab hominibus coleretur.Romæ autē singulis annis 400. denariorum mancusas portari præcepit, qui taliter diuiderentur ibidem, centum mancusas scilicet, in honorem sancti Petri Apostolorum principis,specialiter ad emendum oleum,quo implerentur omnia luminaria Ecclesię Apostolicæ in vespera paschæ, & tantūdem in galli cantu,& centum ibidem mancusas in honorem sancti Pauli eisdem de causis, centum præterea mancusas, vniuersali Papæ præcepit exhiberi ad suas elemosynas ampliandas. Iste autē rex,Deo deuotus,ante obitum Egberti regis patris sui, Wentanæ vrbis fuerat Episcopus ordinatus,sed patre defuncto,licet multum repugnans,rex creatus est,cū non esset alius de regio genere,qui regnare debuisset. Tandem cum rex Æthelulfus illustris regnum Westsaxonum annis 17. diligentissime gubernasset, viam vniuersæ carnis ingressus, Æthelberto,filiorum secundo regnū Cantiæ cum Sutsexia concessit, filius eius primogenitus, Æthelbaldus,in Westsaxia pro patre regnauit. Rex vero Æthelulfus apud Wintoniam sepulturam cum honore regio,in Ecclesia cathedrali,susceptit. Æthelbaldus protinus cum fuisset in regem promotus contra Dei præceptum , & Christiani nominis dignitatem,necnon & contra omnium paganorum morem,thorum patris defuncti ascēdens,Iudetham regis Francorum filiam in matrimonio ducens, effrenis duobus ac dimidio post patrem annis, occidentalium Saxonum apicem crudeliter gubernauit. Eodem anno defuncto Cedda Herefordensi Episcopo Albertus successit.

Rex Æthelulfus diē clausit extremū.

Anno gratiæ. 858. defuncto Papa Benedicto, Nicolaus sedit in cathedra Romana annis 9. mensibus duobus, & diebus viginti. Eodem anno Æthelbaldus Lichefeldensis Episcopus obiit,cui Humbertus successit.

Anno gratiæ. 859. rex Westsaxonū Æthelbaldus,ab errore supradicto resipiscens, dimissa Iudetha nouerca sua,cuius thorum fœdauerat,peracta pœnitentia,tempore, quo superuixit,regnum cum pace & iustitia temperauit.

Corpus Innocentii papæ in Saxoniam transfertur.

ANNO gratiæ.860. Dux Saxonum Leuculfus,corpus beati papæ Innocentii, à Roma in Saxoniam transuexit.

Rex Aethelbaldus obiit.

ANNO gratiæ.861.rex Weſtſaxonum Æthelbaldus,anno regni ſui 5. morte eſt immatura præreptus,& apud Scireburniam,regio ſchemate ſepultus. Succeſſit ei in regnum frater eius Æthelbertus,qui Weſtſaxoniam,Cantiam,Eſtſaxiam, & Suthſexiam, ſub ſuo dominio mancipauit. In diebus autem illius, magna Danorum multitudo per oceanum aduenies, Ventam ciuitatem hoſtiliter ſpoliauit. Quibus cum ingenti præda ad naues reuertentibus, comes Hamtunenſis Oſricus,& Comes Berrucenſis Æthelulfus, viriliter occurrentes,multos ex eis trucidabant,cæteris per fugam elapſis. Eodem anno defuncto Rethuno Legeceſtrenſi pontifice, Aldredus in Epiſcopatum ſucceſſit.

De ſancto Swithuno Epiſcopo.

ANNO gratiæ. 862. ſanctus Swithunus Ventanæ ciuitatis Epiſcopus migrauit ad dominum. Hic vir ſanctus,dum adhuc viueret,multarum eſſet poſſeſſor virtutum,præcipue tamen clementia,& humilitate pollebat. Contigit autem tempore quodam hunc Dei famulum,ad pontem Ventanæ vrbis,cum operariis forte ſedere, vt ſuæ inſtantia præſentiæ deſidiam laborantium prouocaret. Et ecce per pontem commeabat in vrbem fœmina cauſa commercii,ferẽs oua,ad quam proſilientes vndiq; operantes,vt mos eſt hominibus illius generis acceſſu petulanti,omnia ad vnum oua confringunt. Cumq; factũ vituperabile,muliere conquerente,ad aures pii pontificis peruolaſſet,& illius pauperculæ fœminę damnum ſuſpiraſſet,motus clementia mentis,ſignũ crucis ſuper oua confracta faciens,omnium fracturam conſolodauit ouorum. De humilitate quoq; beati viri hoc memoria dignum eſt, quod quotieſcunq; nouam Eccleſiæ fabricam, dedicare debebat, eo quamuis iter longum eſſet,non equo,vel vehiculo,ſed pede impiger contendebat. Et ne id ab imperitis ridiculo haberetur,vel à ſuperbis pro iactãtię vitio notaretur,viſibus hominum abductus,nocturnus viator iter facere conſueuit. Solitariæ ſanctitatis amator,nulla pompa bona ſua proſtituenda putabat. Tandem vero vitæ præſenti valefacturus, pontificali diſtrictione præcepit domeſticis,vt extra Eccleſiam cadauer ſuum humarent,vbi & præteruntium pedibus,& ſtillicidiis ex alto rorantibus foret obnoxiũ. Succeſſit ei in Epiſcopatu Ealferthus,in rebus Eccleſiaſticis ſufficienter eruditus,qui vices anteceſſoris aliquanto tempore prudenter exegit.

Dani hyemauerũt in Thaneta inſula.

ANNO gratię.863.pagani hyemauerunt in Thaneta inſula,firmumque pacis fœdus cum Cantuarienſibus pepigerunt. Sed more vulpino de nocte erumpentes ex caſtris, totam orientalem Cantiæ plagam depopulati ſunt,& ad naues cum ſpoliis reuertuntur.

ANNO gratiæ 864.Humbertus Lichefeldenſis Epiſcopus diem clauſit extremum, cui Kineferthus in Epiſcopatum ſucceſſit.

De ſancto Euſebio & Pontiano.

ANNO gratię.865.corpora ſanctorũ Euſebii & Pontiani,dono Nicolai Papæ ad Gallias trãslata,& in monaſteriis voto religioſorũ ſancto Petro collatis,honorifice tumulãtur.

Rex Aethelbertus defunctus eſt.

ANNO gratiæ. 866.defuncto rege Weſtſaxonum Æethelberto,frater eius Æthelredus regnauit pro eo quinq; annis. Quo etiam tempore,magna Danorum claſſis in Angliam veniens,in regione orientalium Anglorum hyemauit, vbi & maxima pars eorum qui pedites erant equeſtres effecti ſunt.

Adrianus Papa.

ANNO gratiæ.867. Adrianus Papa,poſt Nicolaum, ſedit in cathedra Romana annis quatuor. Eodem anno Danorum nefandus exercitus, in die omnium ſanctorum,ab orientalibus Anglis ad Ebor. ciuitatem migrauit. Quo etiam tempore, maxima inter Northanhumbros diſcordia excitata, populus regem ſuum legitimũ, Osbertum à regno expellentes,tyrannum quendam nomine Ellam, non de proſapia regali genitum, ſuper regni apicem extulerunt. Sed conſilio diuino, aduenientibus Danis, Osbertus & Ella, pacem fecerunt inter ſe,pro vtilitate communi. Qui deinde iunctis viribus copioſis,vrbẽ adeunt Ebor. Quibus aduentantibus pagani fugam confeſtim arripiunt infra vrbis mœnia,ſe defendere decernentes. Quos reges Chriſtiani inſequentes,& acerrimum in hoſtes impetum facientes,vrbis mœnia ſubuerterunt. Tandem ingreſſi ciuitatem,pugnam contra paganos,ſibi nimis damnoſam, commiſerunt. Nam in illa pugna ceciderunt reges Osbertus & Ella,& cum eis 8. Conſules,in die palmarum,cum turbarum multitudine copioſa. Deinde nefandiſſimi victores Dani,totam Northanhumbrorum prouinciam vſq; ad oſtium Tynæ fluminis depopulantes,patriam ſibi, victis hoſtibus,ſubdiderunt. Tunc regibus Northanhumbrorum interfectis,Egbertus quidam genere Anglicus, ſub Danorum poteſtate regnum adeptus, illud ſex annis gubernauit. Eodem anno Alfſtanus Scireburnenſis antiſtes, diem clauſit extremum. Qui temporibus regum Occidentalium Saxonum,Egberti & filii eius Æthelulfi, magnæ in regno potentiæ,&ingentis cõſilii fuit,

dum

dum præfecto regi Egberto Cantuaritas, & Anglos orientales bellicis laboribus subiugauit. Contra Danos quoq; qui tunc primo insulam infestabant, regis Æthelulfi sæuitiam exacuit, ipse ex fisco pecuniam accipiens, ipse exercitum componens, Martiis fœlix euentibus, contra hostes bella plurima constanter peregit. Potentiam quoq; ipsius, ex hoc quilibet cognoscere poterit, quod regem Æthelulfum à Roma reuertentem à regno arcuerit, stanto filio eius Æthelbaldo rege pro eo, donec patrem cum filio in sortem regni regredi pateretur. Reliquit autem Ecclesiam suam, quam annis rexerat quinquaginta, prædiutem in prædiis vndecunq; adquisitis. Et cum esset cupiditate præferuidus, erat tamen literalitate præcipuus. Sepultus est apud Scireburnam, in Ecclesia cathedrali.

Rex Ælfredus vxorem duxit.

Anno gratiæ. 868. Ælfredus, frater Æthelredi regis, iuuenis admirandæ probitatis, vxorem duxit de regali genere Merciorum, filiam scilicet Æthelredi Comitis Gannorum, qui cognominabatur Mucbel, quod latine grandis sonat. Mater vero eius Eadburga dicebatur, de nobili genere regum prædictorũ. Puella vero, quam desponsauerat, Alswitha dicebatur. Eodem anno sæpedictus Danorum exercitus Northanhumbros deserens, Snotingeham adiit, & ibidem hyemauit. Snotingeham autem Britannice Tingnobant dicitur, latine vero domus speluncarum. Burhredus quoque rex Merciorum, audito eorum aduentu, nuncios ad regem occidentalium Saxonum Æthelredum, & ad fratrem eius Ælfredum, direxit, suppliciter auxilium postulantes, quo possent Deo & hominibus paganorum inuisum exercitum expugnare. Qui protinus vndique immenso exercitu congregato, Merciorum regem aduenit, & vsque ad Snotingeham bellum quærentes vnanimiter peruenerunt. Cumque pagani arcis tuitione muniti, prælium conserere denegarent, & Christiani muros confringere non sufficerent, pace inter Mercios & Paganos ad tempus composita, singuli ad propria sunt reuersi. Eodem tempore, oratorium sancti Andreæ Apostoli, Kimesiæ ab Alwino Wigor. Episcopo constructum, & dedicatum est. Tunc Cometa apparuit manifeste.

Anno gratiæ. 869. præfatus paganorum exercitus, ad Northanhumbros denuo transiens, Eboracum petiit ciuitatem, & ibidem hyemauit.

De admirabili facto sanctæ Ebbæ abbatissæ.

Anno gratiæ. 870. applicuerunt in Scotia Danorum innumera multitudo, quorum duces fuerunt Hinguar & Hubba, dirę peruersitatis homines, & fortitudinis inauditæ. Qui totius fines Angliæ in exterminium adducere conantes, pueros & senes quosque sibi obuios iugulabant, matronasq; sanctimoniales, seu virgines ludibrio tradendas mandabant. Cumq; per omnes regnorũ fines tanta tyrannorum immanitas disseminata fuisset: Ebba sancta Collinghanmensis cœnobii abbatissa, metuens ne & ipsa, cui solicitudo regiminis & cura pastoralis commissa fuerat, cum sibi subiectis virginibus ludibrio traderetur paganorum, vt pudicitiam amitteret virginalem, conuocatis sororibus in capitulum vniuersis, in hanc vocem prorupit dicens. Aduenerunt nuper (inquit) ad partes nostras pagani nequissimi, & totius humanitatis ignari, qui loca regionis huius singula perlustrantes, nec sexui muliebri nec paruulorũ quidem parcentes ætati. Ecclesias & personas Ecclesiasticas destruunt, fœminas sanctimoniales prostituunt, & obuia sibi quęq; cõterendo consumũt. Itaq; si consiliis meis adquiescere de creueritis, spem certam de clementia diuina cõcipio, quod & barbarorum rabiem effugere valebimus, & perpetuæ virginitatis pudicitiam custodire. Cui cum vniuersa virginum cõgregatio, certis promissionibus spopondisset, sese maternis velle in omnibus obtemperare præceptis, illa admirandæ animositatis abbatissa, palam cunctis sororibus exemplum castitatis præbens, non solum sanctimonialibus illis proficuum, verumetiam omnib. succedentibus, & succedturis virginibus æternaliter amplectendum, arrepta nouacula nasum proprium cum labro superiori ad dentes vsq; præcidens, horrendum de se spectaculum astantibus præbuit vniuersis. Quod factum memorabile, cum congregatio tota vidẽs admiraretur, simili de se opere à singulis perpetrato, materna sunt vestigia insecutæ. Et his ita gestis, cum mane crastinum illuxisset, superuenerunt tyranni nequissimi, vt fœminas sanctas & Deo deuotas ludibrio traderent, simul & ipsum monasterium spoliatum ignibus concremarent. Sed conspicientes abbatissam illam, & sorores singulas tam enormiter mutulatas, & in suo sanguine, à planta pedis, vsque ad verticem tabefactas, cum festinatione recesserunt de loco illo, dum nimis longum sibi videretur, vel ibidem etiam per breue temporis spatium demorari. Sed inde recedentes duces prædicti, præceperunt satellitibus suis nefandis, vt iniecto igne, monasterium cum omnibus officinis, & ipsis sanctimonialibus concremarent. Sicque executione completa à ministris iniquitatis, sancta abbatissa & omnes cum illa virgines sanctissimæ ad martyrii gloriam peruenerunt.

De multorũ desolatione cœnobiorum.

ET his ita gestis, velificauerunt infideles nequissimi per maris littus sursunquæque sibi obuia igne depopulantes, & ferro. In hac quoq; persecutione diabolica, destructa referuntur nobilissima monasteria, in margine maris sita, id est, cœnobium Lindisfarnense monachorum, in quo tunc sedes erat cathedralis, quã beatus antistes Cuthbertus sacra sui corporis præsentia decorauit. Cœnobium etiã Tynemuense sanctimonialiũ Grwiense monachorum & Wiremuthense, in quib. Beda presbyter legitur educatus. Strenshalẽse sanctimonialium, quod Hilda abbatissa beatissima fundauit & multas in eo virgines congregauit. Et sic nefandi duces, per pagum Eboracensem transitum facientes, Ecclesias, ciuitates, & villas combusserunt, homines cuiuscunque sexus & ætatis, cum spolii, & iumentis funditus deleuerunt. Deinde sursum per flumen Humbri nauigantes, consimili ibidem rabie sæuiebant. Indeque progressi, cuncta cœnobia in paludibus sita monachorum ac virginum, interfectis habitatoribus destruxerunt. Horum autem nomina cœnobiorum sunt, Croulandia, Thorneia, Remesceia, Hamstede, quod nunc burgum sancti Petri dicitur, cum insula Elienſi, & cœnobio olim famosissimo fœminarum, in quo sancta virgo & regina Ætheldreda abbatissæ officium multis annis laudabiliter adimpleuit.

De causa martyrii beati Eadmundi regis.

NVNC ergo quoniam in persecutione ista, gloriosus rex, & martyr Eadmundus gladiis iniquorum Hinguaris & Hubbæ fratrum interfectus occubuit, dignum est hoc in loco, referre tanti causam martyrii, & vnde duces prædicti occasionem nacti fuerunt regem piissimum nece adeo crudelissima condemnare. Erat igitur in diebus non longe præteritis, in regno Danorum vir quidã de stirpe regia illius gentis progenitus, nomine Lothbrocus. Hic cum duos filios, Hinguarem scilicet & Hubbam, ex vxore genuisset, quadam die cum accipitre solus breuem nauiculam ingressus, vt in insulis maris & terræ vicinis, anates & auiculas alias aucuparetur: subita tempestate suborta, intra maris latitudinem raptus, diebus aliquot cum noctibus, huc illucque deiectus grauiter vexabatur.

Qui tandem plurima maris pericula perpessus, in Angliam proiectus est, & in prouincia Orientalium Anglorum, quæ Northfolke ab incolis dicitur, apud Redham villam applicuit. Qui forte ab hominibus regionis, cum accipitre solus inuentus, regi Estanglorũ Eadmundo pro miraculo præsentatur. Et ab ipso rege propter elegantissimã corporis formam, cum honore receptus, aliquandiu in curia eius remansit. Et quoniam lingua Danorum Anglicanæ loquelæ vicina est, Lothbrocus regi narrare cœpit, quo casu in Angliam proiectus fuisset. Placuerunt itaq; Lothbroco, in rege Eadmundo morum plenitudo, & militiæ disciplina quamplurimum, simul & curialitas astantium ministrorum, quos regalis industria in omni rerum ornatu & schemate verborum pleniter informauit. Ad hanc quoque Lothbrocus morum disciplinam prouocatus, rogabat regem propensius, vt sibi liceret in eius curia demorari, vt regiis posset plenius instrui disciplinis. Cumque rex Eadmundus petitionem eius clemẽter exaudisset, iunxit se Lothbrocus venatori regis nomine Berno, vt artem venatoriam, in qua fuerat eruditus ad plenum cum ipso frequentaret. Erat enim tam in aucupatione, quã in venatorio exercitio gratiosus, vnde in auibus simul ac bestiis capiendis, pro voto sibi omnia succedebant. Capiebat quicquid volebat, & mẽsam regis delicatissimis ferculis perssæpe ditabat. Et cum fuisset à rege, pro vt eius gentilitas permisit, dilectus, cœpit venator regis, ei grauiter inuidere, pro eo quod in artibus prædictis ipsum in omnibus superabat. Et mortali inuidia contra Lothbrocũ succensus, quadam die dum venatum pariter irent, furtiuo impetu in eum facto, ipsum nequiter interfecit, & in densitate nemoris interfectum abscondit. Quo facto, recessit venator nequissimus, & canes cornicãdo ad se vocauit. Nutrierat autem Lothbrocus leporarium quendã, in curia regis Eadmundi, qui ipsum vt fieri solet, multum dilexit, & venatore cum cæteris canibus recedente, ille solus cum corpore domini sui remansit. In crastino quoq; cum rex sederet ad mensam, & inter cæteros commilitones Lothbrocũ non vidisset, quæsiuit propensius à ministris, quid de illo actum fuisset. Cui respondens venator Bernus, dixit, quod die hesterna, cum de venatu domum rediret, ipse remansit in sylua post eum, & quod eum postea non viderit profitetur. Sed vix verba compleuerat, & ecce leporarius, quem nutriuerat Lothbrocus regiam domum ingressus omnibus, & maxime regi adulãte cauda applaudere satagebat. Quem rex cum vidisset, astantibus dixit. Ecce (inquit) canis Lothbroci aduenientis, dominum suum venientem præuenit. Et præ gaudio rex canem diligenter pauit, sperans per eum, eius dominum aduenturum, sed proh nihil expectabat. Nã ilico cum leporarius satiatus fuisset, reuersus est ad dominum suum, & iuxta corpus eius consuetas excubias celebrauit. Qui iterum post triduũ, fame illum compellente, ad mensam regis ingressus denuo vt reficeretur, rex vehementer admirans iussit insequi vestigia

canis

canis si recederet ab aula, & diligenter quo pergeret explorare. Factũ est à ministris, vt eis a rege fuerat imperatum. Et canem recedentem subsequentes, ad Lothbroci corpus exanime sunt perducti. Cumque regi declarata hæc fuissent, perturbatus est vehementer, & iussit vt corpus sepulturæ honestius traderetur.

De populata Estãglia, strages hominum sit secuta.

TVNC rex Eadmundus, diligenti de morte Lothbroci facta iniquisitione, Bernum venatorem de opere nefando conuicit. Et iussit à militibus de curia sua adiudicari, ac legis peritis, quid de homicida foret agendum. Ac omnes pariter in hoc consenserunt, vt venator in illa nauicula, in qua sæpe dictus Lothbrocus in Angliam applicuit, poneretur, & in medio maris solus sine omni instrumento nauali dimissus, probetur, si illum Deus velit à periculo liberare. Itaque venator, iuxta quod sententiatum fuerat, in profunditatem maris dimissus, post dies paucos in Daniam est proiectus. Qui cum à portuum custodibus inuentus fuisset, cognouerunt nauiculam Dani, quod in illa dominus illorum Lothbrocus consueuerat aucupari, & perduxerunt eum ad Hinguarem & Hubbam filios Dani, in Anglia interfecti, viros potentes & crudeles, qui continuo adhibitis tortoribus, exegerunt à Berno, quid de patre eorum, qui in illa nauicula ab eis fuerat subtractus, actũ fuisset. Bernus quoque grauiter, & diu diuersis afflictus tormentis, fingens mendacium, dixit, quod pater eorum, cum casu applicuisset in Angliam, à rege Estanglorum Eadmundo inuentus, ipso iubente fuerat interfectus. At illi prorumpentes in fletum amarissimum, de morte patris sui inconsolabiliter perturbati, iurauerunt per omnipotentes Deos suos, quod mortem illam non relinquerent impunitam. Bernum quoque venatorem, qui in nauicula patris sui aduenerat, constituerunt ductorem suum, vt se in regem Eadmundum vindicarent. Ac deinde congregato exercitu copioso, cum 20. millibus armatorum mare ingressi versus regionem Orientalium Saxonum, vela direxerunt & arma, vt se in regem Eadmundum de morte illa penitus insontem vltum irent. Veruntamen ventis in contrarium classem impellentibus, in Scotia apud Berwic super Tuedam compulsi sunt applicare, vbi præscriptam depopulationẽ inchoantes, sæuiendo vbique, tandem ad Estangliam peruenerunt. Et apud villam, quæ Thedforde dicitur, castrametati, quoscunque inuenerunt ibi viros ac mulieres, in ore gladii peremerunt. Denique cum ibidem tyrannus Hinguar nequissimus, ex multitudine interfectorum, suam aliquantulum rabiem exaturasset, quosdã plebeios aduocat, quos gladio suo iudicabat indignos, atque vbi rex eorum tunc temporis vitam duceret, solicitus inuestigat. Fama namque ad eum peruenerat, quod piissimus rex Eadmundus viribus & armis esset strenuus, ac in omni corporis dimensione simul & proceritate incomparabilis. Quo circa festinabat, quos circumquaq; reperit, neci tradere, ne multo stipatus militum agmine ad patriæ defensionem sufficere potuisset. Morabatur autem eo tempore glorioſus rex, & futurus martyr, Eadmũdus in villa regia, quæ Hegleſduna dicebatur, à qua & ſylua, quæ vicina est, eodem nomine appellatur, vt à vulgo acceperat prædo nequissimus. Vnde accito ad se dolose de commilitonibus vno, eum direxit ad regem mandans, vt cum eo thesauros diuidat & paternas diuitias, sub ipso regnaturus. Sed nimis fraudulenter Hinguar thesauros exigebat, qui clementissimi regis caput potius quã pecunias sitiebat. Miles igitur, cum volatu citissimo ad regem Eadmundùm peruen sset, in hunc modum ora laxauit.

De nuncio Hinguaris ad regem Eadmundum missõ.

DOMINVS meus vbiq; metuendus Hinguar, rex Danorum inuictissimus ad hanc patriam hyematurus aduenit. Cuius potentiæ si aspernator extiteris, & vita indignus & regno iudicaberis. Et sic omnia quæ sibi imposita fuerat, vt prædiximus, cum regi per ordinẽ retulisset, piissimus rex Eadmundus alto cordis dolore ingemuit, & aduocato Humberto Helmhamensi Episcopo, consilium quæsiuit ab ipso dicens. O serue Dei viui Humberte, & dimidium animæ meæ, ecce aduentus barbarorum imminet inimicorũ, qui dulcem patriam, cum suis habitatoribus, iam pro parte desolatam, quod residuum est à nostrorum memoria successorum funditus delere conantur. Sed ecce me occumbente, vtinam subiectus mihi populus viuus euadere posset. Nam ego pro amore regni temporalis, vel lucro præsentis vitæ, non me subiiciam tyranno gentili, cum pro gente moriens & patria miles, possem fieri signifer regis æterni.

Cui antistes. Quos rex (inquit) mihi dilectissime optas patriæ superstites habere, nisi fugæ præsidio præcaueritis, aderunt confestim proditores nefandi, qui te cum tibi subiectis auferre de medio conabuntur. At rex clementissimus. Hoc est (inquit) quod votis omnib. antepono, ne superstim meis fidelibus & charissimis amicis, quos furtiue pirata perdidit truculẽtus. Et quidem suggeris vt gloriæ nostræ crimen inferam, qui nunquam militiæ probra hucusq; sustinui. Est mihi quoq; super hoc arbiter rex cœlestis, quod nul-

lus me barbarorum metus à charitate Christi siue viuum, siue mortuum separabit. Tunc cõuersus ad nuncium beatissimus rex Eadmundus, qui ab Hinguari impiissimo fuerat destinatus madefactus (inquit) cruore meorum mortis supplicio dignus existeres. Sed Christi mei exemplum imitatus, si ita cõtigerit, pro ipso libenter mori minime pertimesco. Rediẽs ergo ad dominum tuum festinus, mea illi responsa perferto. Thesauros quoq; nostros, quos nobis contulit diuina clementia siue diuitias, si potenter surripias, me tamen tuæ infidelitati non subiicies. Honestum est enim, perpetuam defendere libertatem, simulque fidei puritatem, pro quibus etiam, si necesse est, occumbere non inutile reputamus. Igitur, vt cœpit tua superba feritas, post famulos regem iugula, quoniam hæc videns rex regum, me in cœlum transfetet æternaliter regnaturum.

De prælio inter rege Eadmundum & Hinguari cõmisso.

RECEDENTE itaq; nuntio truculento, rex Eadmundus iussit commilitones ad arma cõuolare, asserens, dignum pro fide pariter pugnare & patria, ne desertores militiæ se esse, & delatores populi probarentur. Igitur ad instantiam Humberti Episcopi, ac nobilium virorum, & cõmilitonum suorum, animatus beatissimus rex Eadmundus, cum toto exercitu, quem habere potuit, audacter processit in hostes, & non longe ab vrbe, quæ Thedforde appellatur, contra aduersarios sibi obuiam venientes graue certamen, ac nimis vtrobique damnosum commisit. Nempe cum à mane diei vsque ad vesperam mutua se nece prostrauissent, & pro nimia interfectorum multitudine ac sanguine loca certaminis rubuissent, piissimus rex Eadmundus, non solum ex strage commilitonum suorum pro patria gente & fide Iesu Christi decertantium, quos iam martyrio coronatos agnouit, condolebat, verum etiam pro nece barbarorum infidelium ad inferni barathrum detrusorũ nimis amare lugebat. Recedentibus itaque primitus de loco funeris paganis, beatissimus confessor Christi, rex Eadmundus, cum reliquiis commilitonum suorum, qui superstites erant, ad Hegtesdune villam regiam profectus, immutabiliter statuit in animo suo, se nunquam de cætero contra barbaros pugnaturum. Sed hoc solummodo dixit, sibi fore necessum, vt solus moreretur pro populo, & non tota gens periret.

De passione beati Eadmundi regis & martyris.

HINGVAR igitur, cum de strage, suis illata, inconsolabiliter anxiaretur, venit ad eum apud Thedforde Hubba frater eius, qui iam Merciam totam depopulauerat, cum 10. millibus armatorum, & sic iunctis viribus, vt se vindicarent in sanctum regem Eadmundũ, castra mouentes ad Hegtesdunam villam, vbi rex beatissimus Eadmundus tunc erat, celeriter peruenerunt. Tunc tyrannus Hinguar iussit, circumcingi regem cum turba, ne quidem ex omnibus elaberetur viuus. Sanctus itaq; rex Eadmundus, cum se ab hostibus vndiq; vallatũ cognosceret, de consilio Humberti Helmhamensis Episcopi confugit ad Ecclesiam, vt se membrum Christi ostenderet, & armis temporalibus proiectis, cœlestia induit humiliter patrem & filium cum sancto spiritu deprecans, vt sibi in passione constantiam largiretur. Igitur à ministris iniquitatis clementissimus rex Eadmundus ab Ecclesia truculenter extrahitur, loris dirissimis coarctatus, & sicut Christus ante Pilatum præsidẽ, ita ducitur Eadmundus ante iniquum ducem, cupiens eius sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia. Quo iubente, ad arborem quandam, quæ non multum aberat, religatus diutissime flagellatur, multisque modis illuditur. Sed inuictus athleta Christi Eadmundus inter flagella Christum semper inuocando flebilibus vocibus, tortores suos cõpulit in furorem. Et ad ipsum tunc arcubus, quasi ad signum, ludendo, totum corpus eius telis confodiunt & sagittis. Nec erat locus in corpore martyris vacuus, cui nouum posset imprimi vulnus. Nam sicut hericius in cute densis armatur spinis, ita corpus inuicti regis spiculis configitur sagittarum. Cumque, nec sic Hinguar carnifex truculentus sanctum martyrem Eadmundum à fide Christi, & confessione trinitatis potuit separare, vt suis iniquis persuasionibus præberet assensum, protinus lictori mandat, vt ense cruento martyris caput præcidat. At lictor sanctum de stipite truculenter auulsum, inter verba orationis, & cõfessionis Christi nominis, vnico ictu ipsum decapitando 12. Kal. Decemb. gratissimũ Deo holocaustum, igne passionis examinatũ, cum palma victoriæ, & corona iustitię transmisit ad cælum. Corpus vero martyris ministri diaboli, capite truncatum, relinquentes, & in syluam cui Hegtesdune nomen est, asportantes, inter densa veprium fruteta proiecerunt. Adhuc enim laborabant laniste iniqui, ne à Christianis, quos paucos superstites reliquerant, corpus martyris sepulturæ, vt decebat, cum capite traderetur. Didicerant namq; Hinguar & Hubba, piratæ nequissimi, in sylua iã dicta olim de medio sublatũ fuisse Lothbrocum patrem suum. Vnde falsa suggestione Berni venatoris, beato regi & martyri Eadmundo talionem reddere cupientes, in sylua eadem caput eius ignominiose proiecerunt, auibusque cæli tradentes & bestiis deuorandum. Passus est autem cum sanctissimo

12. Cal. Decemb. 20. die Nouembr.

rege

rege Eadmundo comes eius indiuiduus Humbertus, Helmhamensis antistes, qui regem eundem in regni fastigium sublimauerat, & constantia inuicti regis ad martyrium animatus, cum ipso est regni cœlestis possessor effectus. Sicq; rege beatissimo ad cœlestia translato, pagani nimium gloriantes hyemauerunt in regione illa, expulsis paucis indigenis, qui superstites cladi præcedenti fuerunt. Eodem anno Ceolnothus, Cantuariensis Archiepiscopus, diem clausit extremum, cũi successit Æthelredus vir venerandus, & in rebus diuinis sufficienter eruditus.

De inuẽtione capitis beati Eadmundi.

Cum igitur post martyrium beatissimi regis Eadmundi, fratres Hinguar & Hubba, Deo odibiles, hyemale tempus in regione Estanglorum, prædis vacantes & rapinis, iam pro parte expleuerant, venit ibidem ad eos Gytro quidam de regibus Danorum potentissimus, vt cum prædictis ftatribus hyemaret. Superueniente itaq; tempore vernali, omnes pagani ab Estanglia pariter recesserunt. Quo audito, Christiani vndecunq; de latibulis erumpentes summopere satagebant, vt caput beati regis Eadmundi inuentum, reliquo corpori vniretur, & sepulturæ corpus integrum, more regio, traderetur. Cumq; omnes pari affectu ad id concurrerent, & syluas perlustrando caput martyris diligenter quærerent, res contigit dictu mirabilis, & seculis inaudita. Nam cum caput quærendo inter syluas, & veprium densitates, socii ad socios mutuis clamoribus patria lingua, vbi es, vbi es, interrogarent, caput martyris eadem lingua respondens dixit, her, her, her. quod latine dicitur, hîc, hîc, hîc. Nec cessauit eadem repetendo clamare, quousque singulos ad se perduxit. Vbi cum capite lupus, ingens & visu horribilis, repertus est, qui caput sacrum inter brachia complectens, beato martyri excubias impendebat. Assumentes itaq; homines caput intrepidi, profusis Deo laudibus, ad suũ corpus detulerunt, subsequente lupo illos vsq; ad locum sepulturæ. Tunc caput corpori coniungentes in mausoleo competenti, illa pariter concluserunt. Quo facto, lupus dilectæ solitudinis secreta petiuit. Constructa est autem in eodem loco, pauperrimo opere, à fidelibus Ecclesiola, vbi postea, per multa annorum curricula corpus sanctissimum requieuit. Passus est autem beatissimus rex & martyr Eadmundus, anno gratiæ 870. anno ætatis suæ 29. regni vero sui anno 16. Kal. Decemb. feria secunda, indictione tertia, luna existente vicesima secunda.

Vt corpus beati Eadmundi inuentum fuerit incorruptum.

Elapso deinde multorum interuallo annorum, sedatis penitus bellorum incendiis, cœpit fidelium pietas respirare, qui in loco, vbi corpus martyris requieuit, Hoxon nunc ab incolis nuncupato, visis creberrimis miraculorum signis, in villa regia, quæ lingua Anglorum Beodrichesworth, latine vero Beodrici curtis siue habitatio nominatur, basilicam permaximam construxerunt, & ad illam sanctum martyrem in magno tripudio transtulerũt. Sed mirum dictu contigit. Nam cum corpus martyris prætiosissimum ob spatium diuturni temporis putrefactum ab omnibus putaretur, ita integrum repertum est & illæsum, vt non solum caput corpori redintegratum & compaginatum, sed omnino nihil in eo vulneris, nihil apparuerit cicatricis. Sicq; Deo dignus martyr Eadmundus, viuenti simillimus, ad locum memoratum est translatus, apparente in collo eius signo martyrii per gyrũ, quasi filo coccineo, sicut testari solita fuit quædam beatæ recordationis fœmina, Oswen vocata quæ ad sacrum martyris sepulchrum, ieiuniis sæpe vacans & orationibus per multa annorum curricula, reuulso beati martyris mausoleo, in cœna dominica, eius attondendo capillos, & vngues præcidendo. Quę omnia diligenter colligens, & in capsella recondens, super altare illius Ecclesiæ ponere consueuit, vbi vsque in hodiernum diem, veneratione debita conseruantur.

De translatione Episcopatus Dommocensis vsq; ad Helmha.

Eodem anno obiit Weremundus Dommocensis Episcopus, post quem translata est sedes illa apud Helmham, & pro duobus Episcopis, quorũ vnus sedem habuit apud Dommoc, & alter apud Helmham, vnus est ordinatus Episcopus nomine Wilredus, qui in eodem loco hos habuit successores, Athulfum, Ælfricum, Theodredum, Æthelstanum, Algarum, Alwinum, Ælfricum. Item Ælfricum, Stigandum, Æthelmum, Herstanum.

Danorũ exercitus Estangliam deserens Westsaxoniam inuasit.

Anno gratiæ. 871. supradictus paganorum exercitus orientales Anglos deserens. & regnum occidentalium Saxonum adiens, venit ad villam regiam, quæ Radingum dicitur, ad meridiẽ Thamesis fluminis sitam, in pago videlicet Berrocensi. Post quorum aduentũ, die 3. duo Comites eorũ cum multitudine copiosa armatorum exierunt ad prędandũ, aliis interim vallum facientib. inter duo flumina, Thamesim scilicet, & Kenetã. à parte dextera eiusdẽ villæ. Quibus Eadulfus Comes Berrucensis cũ suis, in loco q̃ Anglefeld, id est cãpus Anglorũ, dicitur, obuiauit, vbi acriter ex vtraq; parte pugnauerũt, donec Comes vnus paganorum, cũ maiori parte sui exercitus deletus, reliquis causam præbuit fugiendi. Sicque Christianis victoria potitis, post dies quatuor, Æthelred' rex, & frater eius Ælfred', exercitu con-

tu congregato, ad Xadingum venerunt, cædendo, & prosternendo quoscunque ex paganis extra arcem inuenerunt. Tandem pagani ex omnibus portis erumpentes, totis viribus prælium commiserunt, vbi diu & acriter præliantes, Comitem Eadulfum peremerunt, & Christianos in fugam coegerunt. Ex quo casu Christiani plurimum perturbati, conuenerunt iterum post quatuor dies ad pugnam, in loco qui Aesseldune / id est, mons fraxini, dicitur, cum tota fortitudine quam habere potuerunt. Sed pagani in duas turmas se diuidentes, in vna duos reges Bascaium & Haldenum, in altera vero omnes Cõsules cum suis subditis ordinarunt. Quod cernentes Christiani, & ipsi se similiter in duas acies statuerunt, vnam regi Æthelredo, & alteram Ælfredo fratri suo committentes. Erat autem rex Æthelredus in tentorio missam audiens, vbi cum sæpius à suis inuitaretur ad certamen, constanter affirmauit se non recessurum priusquam presbyter missam cõpleuisset. Quæ fides Christiani regis, multum sibi profuit die illa. Erat autem in loco certaminis arbor quædã admodum breuis, circa quam hostiles acies cum ingenti strepitu concurrerunt. Cum autẽ diutius animose nimis hinc inde pugnaretur, pagani diuino iudicio Christianorum impetum ferre non valẽtes, suorum maxima parte interfecta, ignominiosam arripuere fugam. Quo in loco duo reges paganorum Bascaius & Haldenus, multaq; cum eis millia interempti, descendunt ad inferos ignibus perpetuis cruciandi. Ex altera vero parte, vbi consules fuerunt, & Duces contra quos pugnabat Ælfredus, frater regis, ceciderũt Consules Sidrac senex, & Sidrac iuuenis, Osbernus, Francus, & Haroldus, cum aliis innumeris, & totus paganorum exercitus, cum nocte sequente & die in fugam conuersus, per totam Æsselsdunæ planiciem contritus est & dispersus. Conuenerunt iterum post dies

†4. †14. rex Æthelredus, & eius frater Ælfredus, contra paganos pugnaturi, iunctis viribus, ad Basingum. Quibus diu & acriter decertantibus, pagani victoriam sunt adepti. Item duobus mensibus euolutis, rex Æthelredus & frater eius Ælfredus, apud Meretonã, cum nefandis infidelibus diu pugnantes vicerunt, & paganos in fugam compulerunt. Sed illis demum reuertentibus contra Christianos, cum victoria recesserunt. In hac quoque pugna Hamundus Schirebũrnensis Episcopus, martyrio coronatus est, cui successit Æthelhegus in Episcopatum, vir in rebus Ecclesiasticis eruditus.

De coronatione & Genealogia Aelfredi regis.

Eodem anno rex Occidentalium Saxonum, Æthelredus 9. Kal. Maii, diem clausit extremum. Quo, more regio, apud Winburnam sepulto, Ælfredus frater eius, qui prius Romæ à Papa Leone coronam susceperat & regiam vnctionem, totius regni illius, cum summa omnium accolarum lætitia, gubernacula suscepit. Huius igitur regis genealogiam veteres ascendendo texentes, ad Christum vsque perduxerunt. Erat autem rex Ælfredus Æthelulfi Magni regis Occidentaliũ Saxonum filius, qui fuit Egberti, qui fuit Alcumundi, qui fuit Eafæ, qui fuit Eoppæ, qui fuit Ingilfi, qui fuit frater Inæ. Qui ambo fuerunt filii Kenredi, qui fuit Ceolwaldi, qui fuit Cuthwini, qui fuit Ceaulini, qui fuit Kenrici, qui fuit Cerdici. Iste primus ex Anglis in regno Occidentalium Saxonum regnauit. Cerdicus fuit filius Eleæ, qui fuit Gewisæ reginæ, de qua quidam Britonum generis sibi nobilitatem vsurpãt. Gewisa filia fuit Gewii, qui fuit Wingii, qui fuit Frewini, qui fuit Frethegari, qui fuit Brændei, qui fuit Beldagi, qui fuit Wodeni. Huic veteres quartã feriam dedicauerunt, quam de nomine eius Wodenesday / id est, diem Wodeni nuncupabant. Wodenus fuit filius Frethewold, qui fuit Freolaf, qui fuit Frethewlf, qui fuit Finni, qui fuit Godulfi, qui fuit Getæ. Hunc veteres olim gentiles pro Deo venerabantur, cuius Sedulius poeta eximius, in paschali carmine mentionem faciens, ait:

Cum sua gentiles studeant figmenta Poetæ
Grandisonis pompare modis, tragicoq; boatu,
Ridiculoue Getæ, seu qualibet arte canendi.

Geta igitur fuit filius Teathvvii, qui fuit Beau, qui fuit Selduæ, qui fuit Seaf. Iste vt ferũt, in quandam insulam Germaniæ, Scandalin nomine, de qua Iordanus Gothorum Historiographus loquitur, fuit appulsus, in naui sine remige puerulus, posito ad caput eius frumenti manipulo, quem patria lingua Seaf dicimus, Gallice vero Garbam, dormiẽs inuentus est. Hac ergo de causa Seaf appellatus est, & ab hominibus regionis pro miraculo exceptus, & sedulo est nutritus. Qui adulta ætate regnauit in oppido, quod tunc Slafvvic, nunc vero Haithebi appellatur. Est autem regio illa vetus Anglia nuncupata, vnde Angli in Britanniam venerunt, inter Gothos & Saxones constituta. Seaf quoque fuit filius Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hathræ, qui fuit Walæ, qui fuit Bedvvii, qui fuit Sem, qui fuit Noæ, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusalæ, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malalehel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit DEI.

Ælfredus

Aelfredus igitur in annis puerilibus, ingenti patris sui & matris amore, super omnes fratres suos,& quod potissimum erat,ab omnibus in regno multum diligebatur, vnde & in regia semper curia inseparabiliter nutriebatur. Erat enim cunctis fratribus suis, forma decētior, vultu serenior. Quocirca verbis,& moribus gratiosior apparebat. Veruntamen parentū ac magistrorum suorum incuria, vsq; ad annum ætatis suæ duodecimum illiteratus permansit. Saxonica tamē poemata die noctuq; solers auditor, & recitator docilis, memoriter retinebat, In arte venatoria, aucupatoria inque omnium peritia, & fœlicitate incōparabilis, sicut & in aliis donis fuit. Cū vero mater eius die quadā, sibi,& fratribus suis quendam Saxonicum metricæ artis librum, quem manu tenebat, ostenderet, ait illis. Quis vestrum citius discere poterit codicem istum, dabo ei illum. Tunc Aelfredus principalis literæ libri illius pulchritudine illectus, matri respondit. Verene (inquit) dabis librum illi ex nobis, qui citius illum intelligere, & coram te poterit recitare? Et illa, dabo (inquit). Tunc ille librum tollens, magistrum adiit, legit,& ad matrem rediens, illum memoriter recitauit. Deinde, vsu assiduo sine intermissione, psalmos Dauidicos, & orationes in vno libello conscriptos,& in sinu suo, gratia deuotionis, impositos, inseparabiliter circumducens, assidue ruminabat. Audierat namque à magistro, quod rex illiteratus sit quasi asinus coronatus. Sed cum in flore iuuentutis constitutus, cerneret legē in membris suis repugnantem legi mentis suæ,& illum ducentem captiuum in legem peccati, sæpissime in gallicantu, & horis matutinalibus, clam de strato surgens, Ecclesias & sanctorum reliquias, orandi gratia, visitabat, ibique diu in oratione prostratus, Dei misericordiam implorabat, vt mentem eius in amorem suæ dilectionis, per aliquam corporis infirmitatē quā sustinere posset, corroboraret, nō tamen ita, vt in rebus humanis indignus vel inutilis appareret. Cumque hæc diutius in magna mentis deuotione, à domino postulasset, post aliquantulum temporis interstitiū, Dei munere, sici dolorem incurrit. In quo diu & ægre per multos laborans annos, de vita etiam desperabat.

De annis puerili. Aelfredi regis.

Quomodo rex Ælfredus ab vna ægritudine, in aliam incideris grauiorem.

Qvodam vero tempore, cum instinctu diuino Cornubiam gratia venandi veniret & ad Ecclesiam quandam orandi causa diuertisset, in qua sanctus Gueriir, sanctusque Neothus degebant, diu tacita in oratione prostratus, Dei clementiam precabatur, quatenus molestias infestātis incomodi qualicunq; infirmitate leuiori permutaret, ita tamen quod illa in corpore exterius non appareret, ne ab hominibus despectior haberetur. Finita quoq; oratione, cœptum iter arripuit,& non multo post tempore, vt fuerat deprecatus ab illo dolore penitus est absolutus,& ad perfectum diuina largitate curatus. Sed illa infirmitate remota, alia multo molestior, affectus scilicet nuptiarum illum inuasit, quæ à 20. ętatis suæ anno vsque ad 45. ipsum incessabiliter fatigauit. In hoc quoque tentationum turbine, nati sunt ei filii & filiæ de supradicta regina sua, nomine Asvvitha, qui hoc ordine generantur. Primogenita eius filia, Ælfleda dicebatur, quæ adueniente matrimonii tempore Æthelredo Merciorum Comiti copulatur. Deinde natus est filius, nomine Eadvvardus, eidem regi, qui post patrem Angliæ monarchiam gubernauit. Tertio loco nata est ei filia, vocabulo Æthelgina, quæ monasticæ disciplinæ regulis consecrata, habitum religionis suscepit. Eadvvardus & * Ethelvvardus, semper in curia regis educati, psalmos & libros Saxonicos studiose docebantur. Ethelvvaldus omnibus iunior, cum aliis nobilibus regionis, literali scientiæ applicatus est diligenti cura parentis, vt antequam aptas humanis rebus & artibus vires haberet, liberalibus studiis traderetur.

* *Ælfredus.*

Rex denique Ælfredus, inter bellorum discrimina,& frequentia præsentis vitæ impedimenta, inter continuas corporis infirmitates,& paganorum infestationes, cœpit regni negotia disponere, omnem venandi artem exercere, aurifices suos & artifices, falconarios & accipitrarios erudire. Ædificia supra omnem antecessorum suorum conatum, venerabiliora ac nobiliora, nouo suo ingenio, construere satagebat. Missam quotidie cum horis diurnis curabat audire, psalmos & orationes amare, elemosynas dare. Francigenæ, & alii multi ex regionibus longe positis, sponte sese suo dominio subdiderunt, eo quod omnibus esset amabilis & affabilis, iucundus, & in rerum disciplina perscrutator incomparabilis, aduenas omnes & peregrinos, nobiles & ignobiles, sicut propriam gentem, iuxta singulorum dignitatem, honorabat, regebat,& pecuniis simul & possessionibus ampliabat. Comites vero, & barones, ac milites, ministros,& familiares, admirabili charitate diligebat: filios eorum, qui in regio nutriebantur palatio, non minori quam proprios dilectione amplectens, moribus informare, literis imbuere nō desinebat. Et hæc de moribus eius dicta sufficiant.

De moribus & sapientia Magni regis Ælfredi.

Nvnc autem laboriosa regis bella expedire cupientes, hoc primo dicendū est, quod expleto

De bellis laboriosis Aethelfredi regis.

expleto menſe, ex quo regnare cœpit, in monte Wiltun appellato, qui eſt in meridiana ripa fluminis Guilonis, de quo, prouincia illa Guiltoſcira nuncupatur, cum paucis & nimis inæquali numero bellatorum contra paganos dimicauit. Nam anno præterito, nouem attriti præliis nobiles regionis illius in Auſtrali parte Thameſis fluminis fuerunt, exceptis equitationibus multis, quas proceres cum populis ſibi ſubiectis fecerant neceſſitate compulſi. Vnde ipſis nimis debilitatis, Dani victoria potiuntur. Sed poſt hanc victoriam, pagani ad vrbem Londini profecti, hiemauerunt ibidem. Cum quibus etiam rex Merciorum Buthredus amicabiliter componens, pecunia indutias impetrauit.

Herifredus Wygor. Epiſcopus libros dialogorum tranſtulit.

Anno gratiæ. 872. gens Northanhumbrorum regem ſuum Egbertum, & Archiepiſcopum Vlferum expulerunt à regno. Qui expulſi, regem Merciorum Buthredum petierunt, & ab ipſo honorifice ſunt recepti. Eodem anno Kinebertus Lichfeldenſis Epiſcopus diem clauſit extremum, cui Tunebertus ſucceſſit. Quo etiam anno Alwino Wigornienſi Epiſcopo Herefridus ſucceſſit, qui 7. Idus Iunii ab Æthelredo Dorobernēſi Archiepiſcopo munus conſecrationis ſuſcepit. Hic ad petitionem regis Ælfredi, libros dialogorum beati Papæ Gregorii, in linguam Saxonicam tranſtulit eleganter. Eundem poſtea Epiſcopum rex Ælfredus, & Plegmundum Cantuarienſem Archiepiſcopum, Æthelſtanum Herefordenſem, & Werebertum Legeceſtrenſem antiſtites, viros optime literatos, ad ſe vocans, multis eos donariis honorauit, vt eum in diſcenda literarum ſcientia adiuuarent. Legatos præterea ad Gallias direxit, & inde ſanctum Grimbaldum ſacerdotem & monachum, ac virum in diſciplinis Eccleſiaſticis eruditum, nec non Iohannem presbyterum & monachum, bonis moribus adornatum, ex vltimis etiam Wallanorum finibus, de monaſterio ſancti Dauid, Aſſerum ad ſuum acciuit conſortium, & horum omnium ſapientia & doctrina, regis deſiderium creſceretur, qui & in breui ita profecerunt quod librorum omnium perfectam haberet notitiam.

Paganorum exercitus ad Northanhũbriam tranſiit.

Anno gratiæ. 873. Iohannes ſedit in cathedra Romana, annis 10. & diebus duobus. Eodem anno, ſæpedictus paganorum exercitus, Londoniam deſerens, ad Northanhumbros perrexit. Qua regione hoſtiliter perluſtrata, in Lindeſeia, in villa quæ Torkeſeia dicitur, hyemauit. Cum quibus tunc Merciorum gentes, dato munere, pacificatæ ſunt. Eodem anno rex Egbertus Northanhumbrorum diem clauſit extremum, & Rieſius ſucceſſit ei in regnum tribus annis. Quo vtique anno, Vlfherus Ebor. Archiepiſcopus, ad ſedem ſuam reuocatus eſt. Eodem anno depoſito Ealdredo Legeceſtrenſi Epiſcopo, Ceolredus ſucceſſit.

Rex Burthredus Romam profectus, obiit ibidem.

Anno gratiæ. 874. nefandus Danorum exercitus Lindeſeiam relinquens, Merciam adiit, & in villa, quæ Rependune dicitur, hyemauit. Burthredum quoq; regem Merciorum, anno regni ſui 22. expulerunt à regno. Qui Romam poſt dies paucos profectus, obiit ibidem, & iuxta ſcholam Anglorum, in Eccleſia beatæ Mariæ regio more ſepulturam accepit. Poſt cuius expulſionem, Dani regnum Merciorum ſuo dominio ſubdiderunt. Quod cum cuidam inſipienti miniſtro nomine Ceolwlfo, eo pacto cuſtodiendum tradiderunt, vt quandocunque vellent, illud ſibi pacifice reſignaret. Et hac ſub cōditione obſidibus datis, fidelitatem paganis iurauit.

Corpus ſancti Cuthberti ab inſula Lindisfarn. remotum eſt.

Anno gratiæ. 875. Deo inuiſus paganorum aceruus Rependune deſerens, nuper multiplicatus, in duas ſe turmas diuiſit. Cuius pars vna cum rege Haldeno Northanhumbrorum petens regionem, iuxta flumen Tyne hyemauit, totamque prouinciam illam ſuo deſiderio ſubiecit. Pictos vero, necnon & Wallenſes, diriſſimis afflictionibus fatigauit. Tunc Eadulfus Lindisfarnenſis Epiſcopus & abbas Eadredus, corpus beati Cuthberti pontificis de inſula Lindisfarnenſi tollentes, per 7. annos profugi vagabantur. Altera autem pars exercitus, cum Gytrone, Osketello, & Hamundo regibus Danorum ad Grantbrigge ſe conferens hyemauit ibidem anno, in æſtate, rex Ælfredus parato nauigio, mare conſcēdit, vbi ſeptem naues nuper aduentantes deprehendens, vnam retinuit, & cæteras in fugam conuertit.

De Treugis inter regem Aelfredū & Danos.

Anno gratiæ. 876. nefandus infidelium cuneus, nocte Granbrigge relinquens ad regionē Weſtſaxonum venit, & Warham occupatum caſtrum intrauit, eſt ibi monaſterium ſanctimonialium fœminarum, inter duo flumina, Frane & Trente, in pago Dorſetenſi, ſitu tutiſſimo collocatum, quod non niſi ab occidente contiguam habet terram. Cum autem rex Ælfredus aduentum eorum cognouiſſet, illico obuiam veniēs, cum ipſis diſpoſuit præliari. At pagani bellum conſerere metuentes, elegerunt, datis obſidibus, dilationē quærere, quouſq; fortiori militia ſtipati, æquali poſſent lance pondus certaminis ſuſtinere. Iurauerunt inſuper q; de regno Weſtſaxonum forent continuo receſſuri. Sed more ſolita

falla-

fallacia nitentes, dirupto fœdere, nocte quadam furtiuum impetum facientes, vniuersos regis equites peremerunt. Quo facto ad ciuitatem Exoniam diuerterunt. Tunc rex Ælfredus exercitu congregato insecutus est eos. Sed quia iam ciuitatem ingressi fuerant, permisit illos ibidem hyemare. Eodem anno, rex Danorum Haldenus Northanhumbriam occupans, sibi eam suisque ministris distribuit, illamque ab exercitu suo coli fecit. Tunc rex eiusdem prouinciæ, *Ricsius nomine, tactus dolore cordis intrinsecus, diem clausit extremum, cui successit Egbertus. * Ricsig.

Anno gratiæ. 877. nefandus paganorũ aceruus, instante tempore autumnali, partim in Exonia resedit, & pars eius Merciam prædatura recessit. Crescebat insuper diebus singulis peruersorum numerus, adeo quidem, vt si. 30. ex eis millia vna die necarentur, alii succedebant numero duplicato. Tunc rex Ælfredus iussit cyulas & galeas, id est longas naues fabricari per regnum, vt nauali prælio hostibus aduentantibus obuiaret, impositisq; piratis in illis, vias maris custodiendas commisit. Ipse vero Exoniam, vbi pagani hyemabãt hostiliter properans, illis inclusis, ciuitatem obsedit. Nautis quoque suis mandauit, vt in parte freti, vitale hostibus subsidium denegarent. Cumque nautæ ex præcepto regis illuc summopere properarent, occurrerunt. 120. naues armatorum militum oneratæ, quæ omnes in auxilium suorum conciuium aduenerunt. Quas cum paganis militibus ministri regis cognouissent repletas, ad arma prosiliunt, & viriliter barbaras nationes inuadunt. Pagani quoque, qui iam fere per mensem inter fluctus pelagi naufragium pertulissent, inutiliter prælium reddiderunt, vnde in momento agminibus eorum laceratis, in loco qui *Sandwic dicitur, vndis submersi omnes pariter perierunt. *De nouaDanorum multiplicatione.* Svvanevvic.

Anno gratiæ. 878. exercitus paganorum, qui in Exonia hyemauerat, vrbem deserens, Chippenham villam regiam, in Wiltesire sitam adiit, & ibidem hyemauit. Porro Gytro rex Danorum, cum fortitudine inuincibili perlustratis iam vniuersis Angliæ finibus, loca sacra vbicunque depopulans, quicquid in auro vel argento rapere potuit, militibus erogauit. Tandem cum fama regis Ælfredi peruenisset ad eum quod ipse solus in regno Angliæ præ cæteris regibus sapientia, prudentia, & diuitiis præpolleret, prophanis illa nationes illas vexilla direxit & arma. Ignem quoque in villis & ciuitatibus accumulando, ferro quæq; sibi obuia mactando & macerando, & vt maiorem habitatoribus incuteret formidinem, non sexui quidem muliebri nec paruulorum parcebat ætati. Auxit autem huius persecutionis procellam, iniquitas detestanda Hinguaris, Hubbæ & Haldeni, qui cum viginti tribus nauibus ex Demetica regione, in qua hyemauerant, egressi, vt lupi rapaces, post multas ibidem strages illatas, post cœnobiorum combustiones, ad Deuoniam nauigarunt. Quo in loco, ab exercitu regis Ælfredi idem Hinguar cum Hubba & Haldeno, & viris 120. perempti sunt ante arcem Kinwic, ibique sanguinem beati regis & martyris Eadmundi, quem effuderant prædicti iniquitatis ministri, Christiani Ælfredi regis milites vindicarunt. Sed tamen maxima pars eorum per fugam elapsi ad Gytronem regem paganorũ se contulerunt. Qui simul iunctis viribus conglobati, omnem Westsaxoniam à mari vsque ad mare depopulantes, & terram illam quasi locustæ operientes patriam totam, cum non essent defensores, sibimet subdiderunt. In hoc quoque persecutionis turbine constituti fideles Christi episcopi, cum sanctorum reliquiis, & ecclesiarum thesauris, populisque regionis, trans mare fugerunt, & pars regem Ælfredum secuta in syluis locisq; desertis in illo se mortis discrimine absconderunt. At rex Ælfredus tactus dolore cordis intrinsecus, quid ageret, quo seuerteret ignorabat, occupauerat rex iniquus Gytro loca quæque munita. Vnde rex Ælfredus spem boni melioris non habens, cessit ad præsens, vt quem res exitum foret habitura probaret. *De VVestsaxonie depopulatione.

Est locus in vltimis Anglorum finibus ad occidentem Æthelingeie, id est, nobilium insula appellatus, paludibus vndique circumseptus, & ita inaccessus, vt non nisi nauigio queat adiri. Habet aluetum insula permaximum, quod ceruos & capras, & illius generis bestias continet multas. Terram solidam, vix duorum iugerum habet latam, quantulamcumque planitiem in medio retentam. Hanc rex Ælfredus, paucis commilitonibus quos habebat præ dolore relictis, vt hostes lateret, solus petiuit, vbi cuiusdam ignoti tugurium prospiciens ad illud diuertit, hospitium petiit & accepit, vbi per dies aliquot hospes & egenus, illique & eius vxori subditus, rebusque contentus minimis habitabat. Rex autem interrogatus quis esset aut quid in loco deserto quæreret respondit se regis esse ministrum & cum eo in prælio victum, & sic insequentes aduersarios fugientem illuc peruenisse. Subulcus igitur verbis illius credulus, motus pietate, cura diligenti ei vitæ necessaria ministrauit. Contigit autem subulcum, de more, die quadam porcos ad solita cogere pascua, & *De exilio regis Ælfredi apud Ethelingeie.

regem ſolum cum ſubulci vxore domi reſidere. Cumq; mulier illa panes ſubcinericeos in igne ad coquendum poſuiſſet, & aliis intenta negotiis panes aduſtos conſpexit, mox indignata regem increpauit, dicens.

Vrere quos cernis panes, girare moraris,
Cum nimium gaudes hos manducare calentes.

At rex demiſſo vultu, mulieris laceſſitus conuitiis, nonſolum panes girauit, verum etiam bene coctos, & integros mulieri reſignauit. Cum autem rex Ælfredus cum ſubulco ſolus demoratus fuiſſet conuenerunt ad eum ibi multi ex commilitonibus eius, vbi rege dictante, firmitatem quandam turribus & propugnaculis munitam conſtruentes, aſſiduas in hoſtes irruptiones fecerunt.

Vt rex Aelfredus à ſancto Neotho, ſanctoque Cuthberto, confortatus fuerit.

Contigit eodem tempore regem Ælfredum, ſanctum Neothum, qui tunc apud Hamſtoke ſolitariam agebat vitam, ædificationis gratia viſitare. Quem vir Dei Neothus inter alia familiaritatis colloquia, acriter de ſuis prauis actibus increpauit, pœnas ignis æterni appoſuit, potentes potenter tormenta paſſuros oſtendit, & præter hæc omnia fere, quæ ei affutura erant, præſago ſpiritu reuelauit. Ab aduerſariis rex (inquit) multa pateris, ſed adhuc multa maiora patieris. Nam regno, quo tumes, quo immoderatã debacchando tyrannidem exerces, vnde ante diuinę maieſtatis intuitum, vbi humilis apparere deberes, & non facis, à gentibus Chriſtum ignorantibus infeſtaberis, & vix ab illis euadens profugus latitabis, ſicque per dies aliquot peccatis exigentibus permanebis. Sed tamen apud Deum precib. obtinui, quod ſi te à tuis ſæuis retraxeris actibus, & libidinis incendiis, adhuc miſericordiæ ſuæ vultum ſuper te prætendet, ſceptroque priſtino & proſperitati reſtituet. Rex quoque, cum à famulo Dei hæc exhortationis verba humiliter intellexiſſet, atq; morum emendationem certis ſponſionibus promiſiſſet, accepta viri Dei benedictione ad inſulam, de qua egreſſus fuerat, eſt reuerſus. Nocte igitur ſuperueniente, cum dormiret in ſtrato ſuo, aſtitit ei in viſione noctis ſanctus Cuthbertus, qui ſibi ſui regni reſtitutionẽ certam repromiſit. Ipſe quoque rex aperto viri Dei confortatus oraculo, cum mane ſurrexiſſet pollicitus eſt Deo ſe in loco ipſo monaſterium conſtructurum, qui ſemper deinceps hoſtibus inuincibilis & terribilis apparebat. Nam eadem hora conuenerunt ad regem omnes milites eius, cum Sumerſetenſibus, & Wiltonenſibus apud Ethelingeie / quorum fretus auxilio, paganos infatigabiliter debellauit. Tandem rex Ælfredus, inſtante ſancta ſolemnitate Pentecoſtes, ab inſula erumpens, ad Petram Egberti, quę eſt in orientali parte ſyluæ, quæ Dalwde dicitur, equitauit. Ibi quoq; confluebant ad eum omnes, qui in illis finibus remãſerant inmenſo gaudio repleti, quod regem incolumem recepiſſent. Mane autem caſtra mouentes, duorum emenſo itinere dierum, ad locum qui Ethendune dicitur, peruerunt.

Gytro, rex paganus fidem Chriſti ſuſcepit.

Inuenerunt autem ibi Gytronem paganorum regem, & exercitum eius vniuerſum, contra quem atrociter & ſatis animoſe decertantes, diuina cooperante clementia, victoriam reportarunt, atque; hoſtes de loco certaminis fugientes, ſine pietate inſecuti, arcem quandam, quæ prope erat, ingredi cõpulerunt, vbi quęcunque extra arcem inuenire poterant, in equis & armentis rapientes, hominesq; perimentes, arcem incluſis hoſtibus obſederunt. Vbi cum per dies 15. obſidio ageretur, pagani fame ſimul & euadendi deſperatione attriti, pacem tali cõditione petierunt, vt regni & regis infeſtationẽ perpetuo abiurarẽt. Cum quibus etiam Gytro rex eorũ in arcto conſtitutus, fidẽ Chriſti ſe ſuſcepturũ promiſit, quæ omnia vt promiſerat, fideliter adimpleuit. Nã poſt dies 15. idẽ rex paganus cũ 30. electiſſimis de exercitu ſuo viris, non longe ab Ethelingeie / in loco qui patria lingua Alre dicitur, baptizatus eſt, & ab Ælfredo rege de fonte leuatus. A quo etiam in filium adoptionis admiſſus, patrinuſq; eius effectus, ipſum mutato nomine Æthelſtanum vocauit. Cuius chriſmatis depoſitio octauo die, in villa regia facta eſt, quæ Wadmor nuncupatur, & rex nuper baptizatus, cum aliis qui cum ipſo fidem Chriſti ſuſceperant. 12. diebus cum rege Ælfredo in magna lætitia remanſerunt. Quibus rex in receſſu ſuo multa donaria & pretioſa conferens, principi eorum Æthelſtano Eſtangliam, in qua ſanctus regnauerat Eadmundus, de ſe tenendam conceſſit.

Vt Gytro rex Eſtangliam inhabitauerit.

Anno gratiæ. 879. nefandus paganorum aceruus Cirenceſtriam relinquens, ad Anglos orientales perrexit, vbi Gytro rex nuper baptizatus regionem illam inter ſuos diuidens, inhabitare cœpit. Quo etiam tempore, rex Ælfredus Seafroniam, quõdam vrbem nobilem, quæ modo vicus eſt, ædificauit, vbi poſtea Algina regina Eadmundi regis, qui pronepos fuit iſtius Ælfredi, ſanctimonialibus cœnobium conſtruxit. Eodem anno Ludouicus Francorum regnum regendum ſuſcepit. Eodem anno Carolus Romanũ adeptus

eptus imperium, imperauit annis. 12. Per idem tempus defuncto Dunberto, Wentanæ vrbis episcopo, Dunewlfus ei in episcopatum succesſit. Hic eſt ſubulcus ille, vt fama refert, quem rex Ælfredus, paganorum violentiæ cedens, in Ethelingeia porcos paſcentem inuenit, & cum ipſo vt ſupra retulimus aliquandiu hoſpitatus eſt. Cuius rex ingenio ſingulari cõperto, ſtatim vt regno reſtitutus eſt, literis illum tradidit informãdum. Quem poſtmodum perfectius inſtitutum, Wintonenſem fecit præſulem conſecrari.

ANNO gratiæ. 880 magnus paganorum exercitus de partibus aduenies Gallicanis, in fluuium Thameſim venit, & apud Fulenham hyemauit. Eodem anno facta eſt eclipſis Lunæ poſt mediam noctem, tertio idus Octobris. *Vt eclipſis lunæ fuerit facta tertio idus Octob.*

ANNO gratiæ. 881. plurima in regno Francorum monaſteria à paganis demolita ſunt, & concuſſa. Vnde fratres Floriacenſis cœnobii, beati Benedicti abbatis reliquias de ſepulchro extrahentes, hoſtes fugiendo hac illacque diſcurrebant. Eodem quoque anno rex Ælfredus multos paganorum populos nauali prælio vicit & interfecit, & nonnullos ad ſubiectionem coëgit. *De multorũ depopulatione cœnobiorũ in Gallia.*

ANNO gratiæ. 882. ſanctus Cuthbertus Eadredo abbati in viſione nocturna aſſiſtens, præcepit vt diceret epiſcopo regionis, quatenus Cuthredum filium Hardecnuti, quẽ Dani cuidam viduæ in ſeruum vendiderant apud Wintigeham / dato precio redimerent, & redemptum ſibi in regem promouerent. Quo facto, anno regis Ælfredi. 13. ipſo in regem coronato, ſedes epiſcopalis, quæ prius in Lindisfarnenſi fuerat inſula, apud Ceſtriam transferetur, quæ antiquitus Cunegeceſtria dicebatur. Nam & idem ſanctus per abbatem prædictum mandauerat, vt quicunque ad eius corpus fugeret in articulo neceſſitatis, pacem per menſem haberet. Hanc quoque legem tam rex Ælfredus, quam rex Cuthredus cenſuerat perpetuo conſeruandam. Ad hoc inſuper in augmentum prioris ſedis epiſcopatus, totam terram inter flumina Tyne & Teyſe / præfati reges conceſſerunt S. Cuthberto iure perpetuo poſſidendam, & illius inſtitutionis violatores pœnis infernalibus addixerunt. Eodem tempore, epiſcopatus Haguſtaldenſis eccleſiæ ceſſauit propter inſolentias paganorum. *Vt ſedes epiſcopalis a Lindisfarna in Ceſtriam translata ſit.*

ANNO gratiæ. 883. Marinus ſedit in cathedra Romana anno vno, & menſibus 5. Hic ſcholam Anglorum Romæ Ælfredo rege deprecante, à tributo liberam fecit. Qui etiam regi prefato donaria tranſmittens plurima, dedit ei inter cætera portionem non modicam illius crucis ſalutiferæ, in qua Dei filius pro ſalute mundi pepẽdit. Eodem anno defuncto Aſſero Scireburnẽſi antiſtite, Suithelmus ſucceſſit. Hic regis Ælfredi eleemoſynã, ad ſanctum apoſtolum Thomam, in Indiam deferens, indeque proſpere rediens, multos regi precioſos lapides reportauit. *Vt Marinus Paparelicquias miſerit Ælfredo regi.*

Eodem anno venit in Angliam magiſter Ioannes, natione Scotus, vir perſpicacis ingenii, & facundiæ ſingularis. Hic dudum relicta patria, ad partes Gallicanas tranſiens, Carolum caluum adiit, atque in magna ab eo dignatione ſuſceptus, indiuiduus comes ei fuerat, & menſæ & cubiculi. Huius autem ingenii & ſcientiæ magnitudo, ac leporis exempla, vſq; hodie manent. Aſſederat namq; ad menſam ante regem ex oppoſito die quadam, vbi conſumptis ferculis, poculiſq; diſcurrentibus, Carolus fronte hilarior eſt effectus. Rex denique cum magiſtrum Iohannem vidiſſet quiddam egiſſe, quod comitatem Gallicanam offendere videretur, increpauit eum ſatis vrbane dicens: Iohannes, quid diſtat inter Scotum & Sotum. Ille reſpondit, & dixit regi, menſa tantum. Sicq; magiſter Iohannes ſolenne conuicium retulit in authorem. Quid hoc reſponſo facetius? Interrogauerat namq; de morum differenti ſtudio, & reſpondit Iohannes de loci diſtante ſpacio. Nec vero rex verbis eius commotus eſt, ſed potius ipſum, cum aſſeſſoribus ſuis, commouit ad cachinnum. Item alia vice, cum regi conuiuanti miniſter quidam patinam obtuliſſet, quæ duos piſces prægrandes adiecto minuſculo vno continebat, dedit ille magiſtro Iohanni, vt duobus clericis ad menſam recumbentibus, diſtribueret competenter. Erant enim piſces immenſæ magnitudinis, & ipſe magiſter Iohannes corporis perexilis. Tunc ille qui ſemper honeſti aliquid comminiſcebatur vnde lætitiam conuiuantium excitaret, retentis ſibi duobus piſcibus maioribus, vnum minorem duobus clericis dedit. Arguente rege magiſtrum Iohannem, quod non æque piſces diſtribuiſſet, reſpondit, Bene (inquit) & æque diſtribui. Nam hic eſt vnus paruus, de ſe dicens, & duos grandes, piſces tangens. Item conuerſus ad clericos ait. Hic ſunt duo magni, clericos innuens, & vnus paruus, piſcem intelligens. Iſte igitur Ioannes, rogatu eiuſdẽ regis, Hierarchiam Dionyſii Ariopagitæ de Græco in Latinum tranſtulit, quo fit vt vix intelligatur Latina litera, cum volubilitate magis Græca, quam poſitione conſtruitur latina. Compoſuit etiam librum, quem periphyſicon meriſma- *De magiſtro Iohanne Scoto.*

risimatos, id est de naturæ diuisione intitulauit, propter perplexitatem quarundam quæstionum soluendarum bene vtilem, si tamen ignoscatur ei in quibusdam, in quibus à Latinorum tramite deuiauit, dum in Græcos acriter oculos intendit, vnde & hæreticus à quibusdam putatus est. Scripsit enim contra eum quidam Florus, qui & eius scripta deprauãdo damnauit. Sunt enim reuera in libro periphysicon perplurima, quæ nisi diligenter discutiantur, à fide catholica aliena iudicantur. Huius autem opinionis particeps esse dignoscitur pontifex Romanus, qui in epistola ad Carolum missa dixit. Relatum est apostolatui nostro, quod opus Dionysii Areopagitę, quod de diuinis nominibus & de cœlestibus ordinibus Greco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes, genere Scotus, nuper transtulit in Latinum. Quod iuxta morem ecclesiæ nobis mitti, & nostro iudicio debuit approbari, præsertim cum idem Iohannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Propter hanc ergo infamiam idem Ioannes Franciam relinquens, regem Ælfredum petiuit, cuius munificentia illectus & magisterio, vt ex scriptis eiusdem regis intelligitur, Melduni magister resedit. Vbi post aliquot annos à pueris, quos docebat, graphiis perforatus, animam exhalauit tormento graui & acerbo. Iacuit autem aliquãdiu in humili sepultura, in beati Laurentii basilica corpus eius collocatum. Sed vbi diuinitus cecidit super eius sepulturam radius ignis cœlestis, monachi de talibus animati reuelationibus, in maiorem eum transtulerunt ecclesiam, & ad sinistram altaris partem honorabiliter locauerunt. Eodem anno Marino Papæ successit Adrianus anno vno, & mensibus tribus.

Vt rex Ælfredus multos ex hostibus interfecit.

Anno gratiæ. 884. nefandus exercitus paganorum in duas se turmas diuidens, vna in Franciam secessit, altera vero in Cantiam rediens, Roffensium ciuitatem obsedit. Sed ciuibus viriliter repugnantibus Ælfredus superueniens, obsidionem dissoluit, & paganos ad naues redire coëgit. Vbi multis ex eis interfectis spolia eorum inter suos commilitones distribuit. Quo etiam anno classis valida ab Ælfredo rege in Eastangliam directa, inuenit in ostio Sturę fluminis. 16. naues piratarum. Quas classis præfata acriter inuadens, naues cum spoliis comprehendit, prædonibus omnibus interfectis. Sed qui ex Danis ad naues fugere potuerunt, iterum cum Anglis conserto nauali prælio, vbi Merci somno dormiebant, occisa est ex eis inermis multitudo, & Dani victores ex hostibus recesserunt.

Visio Caroli imperatoris de purgatorio.

Anno gratiæ. 885. Stephanus sedit in cathedra Romana, annis quinq; & diebus. 8. Eodem anno Carolus, Ludouici filius, monarchiam imperii Romanorum, & regni Francorum adeptus, admirabilem, quam vidit, visionem conuocatis episcopis & regni nobilibus, in hunc modum detexit. In nomine Dei, summi regis omnium regum, ego Carolus rex Fancorum, & patricius Romanorum, sacra nocte dominicæ diei, post nocturnũ officium celebratum, dum irem cubitum, & vellem dormitionis capere somnum, venit vox ad me terribiliter dicens. Carole exiet à te modo spiritus tuus, in hora non modica. Et statim raptus fui in spiritu, & qui me sustulit in spiritu, fuit candidissimus, tenuitque in manu sua glomus lineum, clarissimi iubar luminis emittens, sicut solent cometæ facere quum apparent, cœpitque illum dissoluere, & dixit ad me. Aspice filum glomeris micantis, ac liga, & noda firmiter in pollice dexteræ manus tuæ, quia per illud duceris in Laberintheas infernorum pœnas. Et hoc dicto, præcessit me velociter, distorquens filum luciflui glomeris & duxit me in profundissimas valles, & igneas quæ erant plenæ puteis ardentibus pice, & sulphure, plumboque, cera, & adipe. Ibi inueni pontifices patris mei, & auunculorum meorum quos cum pauens interrogarem, propter quid paterẽtur tam grauia tormenta, responderunt mihi. Fuimus episcopi patris tui, & auunculorum tuorum, & cum debuimus illos, & populos illorum, de pace & concordia admonere, & precari, seminauimus discordias inter eos, & malorum fuimus incensores, vnde nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, & nos, & alii homicidiorum, & rapinarum amatores. Huc etiam tui episcopi, & satellites venient, qui similiter facere nunc amant. Et dum hæc tremebundus auscultarem, ecce nigerrimi dæmones, cum vncis igneis aduolantes, volebant apprehendere filum glomeris quod tenebam, & ad se trahere, sed reuerberantibus radiis illius glomeris, filum contingere non valebant. Deinde post tergum meum currentes, voluerunt me aduncinare, & in ipsos sulphuris puteos præcipitare. Sed ductor meus qui glomus portabat, proiecit super scapulas meas filum glomeris, & duplicauit illud, traxitq; post se vehementer, sicq; ascendimus super montes altissimos & igneos, de quibus oriebantur flumina feruentia, & paludes, & omnia genera metallorum bullientia. Vbi reperi innumeras animas hominum, & principum patris mei, & fratrum meorum, præcipitatas, alias vsque ad capillos, alias vsq; ad mentum, alias vsq; ad vmbilicum, atq; eiulando clamauerunt

runt ad me dicentes, dum viximus amauimus tecum & cum patre tuo, & cum fratribus tuis, & cum auunculis tuis facere prælia, & homicidia, & rapinas pro cupiditate terrena, & ideo in iſta bullientia flumina, & metallorum diuerſorum genera, ſuſtinemus tormenta. Et cum ad hæc timidus intenderem, audiui retro me animas clamare. Potentes potenter tormenta patientur, & reſpexi, & vidi ſuper ripas fluminis bullientis fornaces piceas, & ſulphureas plenas magnis draconibus & ſcorpionibus, & ſerpentibus diuerſi generis, & ibi vidi aliquos principes patris mei, & meos, & fratrum meorũ, nec non & auunculorum meorum, dicentes mihi. Heu nobis Carole, heu nobis. Vides quam grauia habemus tormenta, propter noſtram malitiam, & ſuperbiam, & mala conſilia, quæ regib. noſtris, & tibi dedimus, propter cupiditatem. Cumque hæc dolendo congemiſcerem, cucurrerunt ad me dæmones apertis & plenis faucibus igne, & ſulphure, & pice volentes me inglutire. At ductor meus triplicauit ſuper me filum, à cuius radiis claritatis ſuperata ſunt ignea ora eorum. Et protexit me validius, & deſcendimus in vnam vallem, quæ erat in vna parte tenebroſa ardens, velut clibanus ignis, ex alia vero parte, tam amœniſſima, & ſplendidiſſima, & nulla ratione dicere valeam. Vertique me contra tenebroſam & flammiuomam partem, vidique ibi aliquos reges mei generis in magnis ſuppliciis. Et tunc nimia perturbatus anguſtia, putaui me ſtatim in ipſis demergi ſuppliciis, à gigantibus nigerrimis, qui ipſam vallem cunctis ignium generibus inflammabant. Et valde tremens glomeris filo illuminante oculos meos, vidi à latere vallis pauliſper albeſcere lumen, ibiq; duo fontes fuere, quorum vnus nimium calidus erat, & alter clarus & tepidus, & duo dolia ibi erant. Cumq; illuc irem, filo glomeris regẽte greſſus meos, intuitus ſuper vnum vbi erat ſeruens aqua, vidi ibi genitorem meum Ludouicum ſtare vſque ad femora, dolore nimis aggrauatus, & languore percuſſus, & dixit ad me. Domine mi Carole, noli timere, ſcio quia reuertetur rurſus ſpiritus tuus ad corpus tuum, & permiſit te Deus hue venire, vt videres propter quæ peccata ego, & omnes quos vidiſti, talia ſupplicia toleramus. Vno enim die ſum in iſto feruentis dolii balneo, & altero die tranſmittor in iſtud ſuauiſſimum aquæ dolium, & hoc fit ſancti Petri ſanctique Remigii precibus quorum patrociniis hactenus regale genus noſtrum regnauit. Et ſi cito mihi ſubueneris tu, & mei fideles epiſcopi & abbates, & omnis ordo eccleſiaſticus, miſſis, oblationibus, pſalmodiis, vigiliis, & elemoſynis, velociter liberatus ero de iſto dolio aquæ bullientis. Nam frater meus Lotharius, & eius filius Ludouicus, ſancti Petri, ſanctique Remigii precibus exempti ſunt ab iſtis pœnis, & iam ducti ſunt in gaudium paradiſi. Et dixit ad me Reſpice ſiniſtrorſum. Cumque reſpexiſſem, vidi ibi duo dolia altiſſima bullientia. Iſta (inquit) ſunt tibi præparata, niſi te emendaueris, & pœnitentiam egeris de tuis nephandis delictis. Et tunc cœpi grauiter horrere, Cumque cerneret ductor meus in tanto pauore eſſe ſpiritum meum, dixit ad me. Sequere me ad dextram luculentiſſimæ vallis paradiſi. Et dum graderemur, contemplatus ſum, in ingenti claritate, cum glorioſis regibus ſedere Lotharium auunculum meum, ſuper lapidem topazium miræ magnitudinis, diademate precioſo coronatum. Videns me cominus accerſiuit, blanda voce dicens. Carole ſucceſſor meus, nunc tertius in imperio Romanorum, veni ad me. Scio quod per pœnalem locum veniſti, vbi eſt pater tuus, frater meus, poſitus in pœnis ſibi deſtinatis. Sed per miſericordiam Dei citiſſime liberabitur ab eis, ſicut & nos liberati ſumus, meritis beati Petri, ſanctique Remigii precibus, cui dominus magnum apoſtolatum dedit ſuper reges, & ſuper gentes Francorum. Qui niſi quiſquiliis noſtræ propaginis ſuffragatus fuerit & iuuerit, iam deficiet noſtra genealogia regnando & imperando. Vnde ſcito quoniam tolletur ocius poteſtas imperii de manu tua, & poſtea breuiſſimo tempore in ſeculo viues. Tunc conuerſus contra me Ludouicus, dixit mihi. Imperium quod hactenus tenuiſti iure hæreditario, debet recipere Ludouicus, filius filii tui. Et his dictis viſum eſt mihi affore infantulum præſentem, & intuens eum Lotharius, auus eius, dixit mihi. Redde illi poteſtatem imperii, per illud filum glomeris, quod in manu tenes. Diſnodans ergo filum de pollice dexteræ manus meæ, donaui illi omnem monarchiam imperii per ipſum filum. Et ſtatim ipſum glomus fulgidum ſicut iubar ſolis coadunatum eſt totum in manu illius. Sicque poſt mirabile factum hoc, reuerſus eſt ſpiritus meus in corpus meum, valde feſſus, & contriſtatus. Poſt hanc quoq; viſionem idem Carolus, vix annis duobus imperio functus, ſucceſſit ei Ludouicus ille, qui poſtea filiam Eadwardi regis anglorum duxit vxorem. Sed hæ infra. Eodem anno Eſne Herefordenſi epiſcopo Ceolmundus ſucceſſit.

ANNO gratię. 886. rex Ælfredus, poſt incendia vrbium, & ſtrages multimodas populorum, ciuitatem London. quæ caput regni fuit, obſidione vallauit, vbi omnes Anglo- *Vt rex Ælfredus mo-*

narchiam Angliæ adeptus fuerit.

rum nationes, ad ipsum confluentes, subiectionem fecerunt. Nam prius dispersi fuerant per loca diserta & nemorosa propter frequentes Danorum irruptiones, & sine omni defensore volubiles vsquequaq; & instabiles vagabantur. Fœdere itaque homagiis confirmato & iuramentis, rex eorum fultus auxilio, insultus acerrimos contra ciuitatem ordinauit, erectisque machinis in gyrum, mœnia dissoluere laborauit. Ciues vero metuentes cõtendere contra regem, apertis valuis ciuitatis, ipsum honorifice susceperunt. Tunc rex ciuitate restaurata, mœniisque reparatis tradidit eam sub custodia Athelredi comitis Merciorum, qui regis filiam nomine Ælfledam habuit vxorem, & erat de regio semine illius gentis. Rex itaque Ælfredus omni deinceps tempore vitæ suæ monarchiam totius regni Angliæ adeptus est, præter illas regionis partes, quas sibi subiugauerat barbarica gens Danorum. Occupauerant enim Northanhumbriam totam, cum Estanglia, & aliis regionibus plurimis, ex quibus Ælfredo regi grauissimas irruptiones & assiduas intulerunt.

Recapitulatio regnorum & regum Anglia.

Nunc ergo quum ad regem Monarcham tractando peruenimus, libet omnium regum Angliæ, qui hucusque regnauerunt, & nomina & regna distinguendo recapitulare, vt successiones singulorum per ordinem repetentes, lectoribus gratiores existamus, & historiæ series clarius illucescat. Wodenus igitur ex antiquorum prosapia Germanorum originem ducẽs, post mortem inter Deos translatus est. Quem veteres pro Deo colentes, dedicauerunt ei quartam feriam, quã de nomine eius Wodenesday, id est, diem Wodeni nuncuparunt. Hic habuit vxorẽ nomine Fream, cui similiter veteres sextã feriam consecrantes, Fredaỹ, id est, diem Freæ appellarunt. Genuit autem Wodenus ex vxore Frea septem filios inclytos, ex quorum successione septem reges traxerunt originem, qui in Britannia potenter, expulsis Britannis, postea regnauerunt. Ex filio Wodeni primogenito, nomine Wecta, reges Cantuariorum. Ex secundo Frehegeath, reges Merciorum. Ex tertio Baldao, reges Westsaxonum. Ex quarto Beldago, reges Northanhumbrorum siue Berniciorum. Ex quinto Wegdago, reges Deirorum. Ex sexto Kasero, reges orientalium Anglorum. Ex septimo Saxuad, reges orientalium Saxonum originem habere dicuntur. Octauus vero, id est, rex australium Saxonum, ex eadem gente, sed non ex eadem stirpe originem sumpsit.

De regibus Cantiæ.	De regibus Merciorum.	De regibus VVeſtſaxonũ.	De regibus Northan.
Hengiſtus	Creodda.	Cerdicus.	Ida.
Oſricus Æſc.	VVibba.	Kenricus.	Adda.
Octa.	Cearlus.	Ceaulinus.	Glappa.
Ermenricus,	Penda.	Ceolricus.	Theodvvaldus.
Æthelbertus,	Peada.	Ceolulfus.	Fretheulphus.
Primus Chriſtian.	*Primus Chriſtian.*	Kinegilſus &} Quichelinus}	Theodoricus.
Eadbaldus.	VVlfherus.		Æthelfridus.
Erconbertus.	Æthelfredus.	Kinevvalcus.	Eadvvinus,rex
Egbertus.	Kinredus.	Sexburga.	*Deir. primus Chriſtian.*
Lotharius.	Ceolredus.	Eaſcvvinus.	Eanfridus.
Eadricus.	Æthelbaldus.	Kentvvinus.	Oſvvaldus.
VVithredus &} Sivvardus}	Beofnredus.	Cedvvalla.	Oſvvius.
	Offa Magnus.	Ina.	Ælfridus.
Æthelbertus.	Egfridus.	Æthelhardus.	Egfridus.
Eadbertus.	Kenulphus.	Cuthredus.	Ealfridus
Æthelbertus.	Kenelmus.	Sigebertus.	Oſredus.
Eadbertus Pren.	Ceolulphus.	Kineulfus.	Kenredus.
Cuthredus.	Bertulphus.	Brithricus.	Oſricus.
Baldredus.	Ludicanus.	Egbertus.	Ceolvvlfus.
Æthelſtanus.	VViglaſus.	Æthelulfus.	Eadbertus.
Ab Æthelſtano tranſlatum eſt regnum Cantiæ ad reges VVeſtſaxonum.	Bertulphus.	Æthelbaldus	Oſulfus.
	Burhredus.	Æthelbertus.	Æthel. Mollo.
	A Burhredo tranſlatum eſt regnũ Merciorum ad reges VVeſtſaxonum.	Æthelredus.	Ealdredus.
		Ælfridus.	Æthelredus.
		Iſte Aelfridus primus monarcha fuit regni Anglia, cuius ſucceſſio regni ad regem Gulielmum, qui Angliam ſubiugauit, ſe extendit.	Alfvvoldus.
			Oſredus.
			Æthelredus, ite.
			Oſredus.
			Eardulfus.
			Alfvvoldus.
			Eandredus.
			Æthelredus.
			Readvvlfus.
			Osbertus.
			Ella.
			Egbertus.
			Ricſius.
			Egbertus.
			Cuthredus.

De regibus Deirorum.	De regibus Orientalium Anglorum.	De regibus Orientalium Saxonum.	De regibus Auſtralium Saxonum.
Ella, Iſte Ella regnauit in Deira dum octo reges collaterales regnabãt in Bernica.	Vffa.	Erkenvvinus.	Ella.
	Titillus.	Sledda.	Ciſſa.
	Redvvaldus.	Sebertus.	Æthelvvaldus.
Æthelfridus.	VVibertus.	Sexredus &} Sivvardus.}	Berthunus.
Eadvvinus.	Eorpenvvaldus.		Aldhunus.
Oſricus.	Sigebertus.	Sigebertus Paruus.	*Ab Aldhuno tranſlatum eſt regnum Auſtralium Saxonum ad reges VVeſt ſaxonum.*
Oſvvinus.	Egricus.	Suithelinus.	
Ab Oſvvino tranſlatum eſt regnum Deirorum ad Oſvvium regẽ Berniciorum, & factum eſt vnum regnum Northanhumbrorũ: cuius fines ab Humbro flumine, ad Aquilonem, ſe extendunt vſque ad mare Scoticum.	Anna.	Sigeherus &} Sebba}	
	Æthelherus.	Sigehardus &} Seofridus,}	
	Æthelvvaldus.		
	Ealdulfus.	Offa.	
	Ealfvvaldus.	Selredus.	
	Beorna.	Suithredus.	
	Æthelredus.	*A Suithredo tranſlatum eſt regnum Orientalium Saxonum ad reges VVeſt ſaxonum.*	
	Æthelbertus.		
	Eadmundus.		
Et hoc tandem regnum ad reges VVeſtſaxonũ tranſlatum eſt.	Gytro Danus.		
	A Gytrone Dano tranſlatum eſt regnum Orientalium Anglorum ad reges VVeſtſaxonum		

De regionũ depopulatione tranſmarinarum.

ANNO gratiæ. 887. Haſteinus ſiue Haſtingus, natione Danus, Angliam hoſtiliter peruagatus, cum exercitu infidelium bellatorum potentiſſimo partes petens Gallicanas, Vermundenſem applicuit ad portum, vbi ex nauibus exilientes increduli, totum tradunt ignibus Comitatum. Sancti quoque Quintini martyris cœnobium comburentes, de populo cædem nephariam commiſerunt. Nouiomenſis epiſcopus, Emmo nomine, eorum enſibus obtruncatur, fitq; ibi cædes in populo proprio, orbato paſtore. Exinde apud Gemeticum claſſem dirigentes, cœnobium nongentorum adurunt monachorum. Ab hinc cum nauibus non modicis Rothomagenſem adeuntes vrbem, ipſa cremata & ſpoliata, neci populum tradiderunt. Inde vero Galliæ interiora petentes, à Genuabenſi vrbe, per tranſuerſum Lutetiam cuncta vſque Pariſios barbarica feritate conſumunt. Deinde ſtationem nauium ſuarum in inſula quadam ſancti Florentii cœnobio vicina componentes, totam circum circa prouinciam deleuerunt. Vrbem quoque Nameticam incendio tradentes, Andegauenſemque regionem perluſtrantes, cunctaque cædibus polluentes, cum omnibus Pictauenſium caſtellis & vrbibus populantur. Turonorum nouiſſime adeunt ciuitatem, quam innocentium cædibus commaculantes, ad vltimum eam ignibus tradiderunt. Indeque ſuperiora Ligeris nauibus expetentes, Aurelianis peruenerunt, quã rebus omnibus depopulatam, tandem vrbem combuſtione conſumunt. Quid Aquitanicæ gentis afflictionem referam, cum in ipſis, non oppidum, non vicus, non denique ciuitas, aut caſtellum, libertatem obtinuerunt, quod non horum ferali rabie conciderit paganorum? Teſtãtur hæc Pictaui, hæc Sanctones, hæc Engoliſmum, hæc Petragoricum, hæc Lemouices, hæc Auernus, hæc Auaricum, caput Aquitanicæ regionis.

Qualiter prædo Haſtingus vrbem Limis ſubiuganerit.

His igitur atque huiuſmodi miſeriis, vt prælibauimus, Galliis contritis Haſteinus, prædo nequiſſimus, ad vrbem Limis nauibus deuectus deliberauit eam irruptione ſubita obtinere. Sed ciues tanta claſſe paganorũ perterriti, propugnacula murorum clypeis muniunt & iaculis, atque ſemetipſos, ad reſiſtendum hortantur. Quorum audaciam Haſtingus vt comperit, omni niſu, quo pacto eam poſſet obtinere, tentauit. Denique epiſcopo ciuitatis & Comiti per miniſtros ſuos mandauit, ſe lætali preſſum languore, & ſe ab eis Chriſtianum fieri humiliter ſupplicauit. His epiſcopus & Comes auditis, gaudio magno exhilarati pacem firmant cum pacis inimico, & ſit vtrique populo communis vrbis ingreſſus. Tandem iniquus ille Haſtingus ad eccleſiam fertur, ſacro fonte immergitur, quem in ſui perniciem epiſcopus & Comes de lauacro ſuſceperunt, indeq; miniſtrorum manibus ad naues refertur, ſancto chriſmate delibutus. Poſt hæc, intempeſtæ noctis medio loricatus in feretro collocatur, innuens ſociis vt ſuas ſub tunicis veſtirent loricas. Deinde cum luctu ſimulato commilitonum ad eccleſiam de naui effertur, ſacris antiſtes indumentis ornatur, ſacroſanctam pro defuncto hoſtiam mactaturus. Sed ecce, Haſtingus perditionis filius, de feretro repente proſiliens, epiſcopum & Comitem gladio detruncauit: de hinc lupina rabie cum ſuis graſſatur in plebe. His in hunc modum à funeſto perpetratis, iugulantur iuuenes, trucidantur ſenes, depopulatur ciuitas, à fundamentis mœnia ſubuertuntur. Peracta igitur vrbis ſubuerſione, Haſtingus Carolum regem Francorum adiit, & pacem ab eo poſtulans impetrauit, deditq; illi pro ſtipendio vrbem Carnotenſem, & ſic Gallia à tumultuum fragoribus aliquandiu reſpirauit. Hæc autem ideo hoc in loco recitaui, ne quis ſolam Angliam crederet hac Danica perſecutione fatigari.

De fundatione cœnobiorum, & elemoſynis Ælfredi.

ANNO gratiæ. 888. Æthelinus Vintonienſis epiſcopus, regis Ælfredi & Weſtſaxonum elemoſynas Romam deportauit. Quo vtique tempore duo monaſteria fundauit, vnum monachorum apud Ethelingeiam, id eſt, nobilium inſulam, vbi idem rex quodam cum ſubulco exulauit, quo in loco Iohannem presbyterum abbatem ordinauit. Aliud quoque monaſterium, ad oientalem plagam Schaftesburie / habitationem ſanctimonialium fabricari præcepit, in quo filiam propriam nomine Algiua abbatiſſam conſtituit, virginem domino conſecratam. Et hæc monaſteria diuitiis & poſſeſſionibus abundanter ditauit. Deniq; conſilio diuinitus ordinato, omnes cenſus ſuos bifarie diuidere fecit, quarum primam partem in tres portiones diſtribuit. Harum autem portionem vnam ſuis bellatoribus, qui in tribus turmis diuidebantur aſſignauit, ita vt prima cohors, quæ equeſtris erat, menſe vno in curia regis miniſtraret, dum aliæ duæ bellicis expeditionibus inſudarẽt. Sicque menſe finito, illis de prælio redeuntibus, noui bellatores illis ſuccedebant, & ſic omni tempore vitæ ſuæ, has viciſſitudines obſeruabat. Secundam vero partem operariis multis, quos in omni opere terreno eruditos habebat, diſtribuit. Tertiam autem aduenis, qui ex diuerſis nationibus ad eum confluebant, impendit. Secundam denique partem, quæ ex annuo ad eum cenſu ſpectabat, in tres diuidens portiones, primam pauperibus,

bus, ſecundam cœnobiis, quæ fundauerat, tertiam ſcholæ, quam ex multis Galliæ aliisque regionibus remotis congregauerat, clericis & doctoribus, ſecundum ſingulorum ſufficientiam deputauit. Ex cera quoque, ad pondus ſeptuaginta duorum denariorum, ſex candelas æquales fieri præcepit, ita vt ſingulæ duodecim vncias longitudinis haberent, quæ per viginti quatuor horas, die noctuque ſine defectu, coram plurimorum ſanctorum reliquiis arderent. In exequendis iudiciis adeo diſcretus erat indagator, vt quæ in abſentia eius fiebant, ſi eſſent iuſta vel iniuſta inquireret, & ſi aliquam iniquitatem intelligere poſſet, iudices interrogabat, vtrum per ignorantiam vel maleuolentiam, aut amore vel odio, timore vel fauore, vel pro pecuniæ cupiditate ita iudicaſſent. Et ſi confitentur ſe talia iudicaſſe, eo quod rectius iudicare neſciebant, tunc diſcrete ac moderate illorum redarguens imperitiam, aiebat. Miror ſane veſtram inſolentiam, cum Dei dono, ac noſtro, ſapientium gradum & miniſterium vſurpaſtis, & ſapientiæ ſtudium neglexiſtis, aut terrenarum miniſteria rerum dimittatis, aut ſapientiæ multo deuotius, quam hactenus feciſtis, inſiſtere ſtudeatis. His iudices auditis perterriti, ac veluti pro maxima vindicta correcti, ad æquitatis diſcendæ ſtudium totis viribus ſe vertere nitebantur, ita vt illiteratos literis ſtudere faceret, & torpentes reduceret ad ſapientiæ diſciplinam. Vnde & ipſi ſenes ad literalem ſcientiam ſuſpirantes, fœlices arbitrabantur illius temporis iuuenes, qui liberalibus artibus poterant eruditi, & ſe infœlices qui indocti remanſerunt eatenus iudicabant.

De eleemoſynis Magni regis Ælfredi.

Anno gratiæ. 889. defuncto Æthelredo Dorobernenſi archiepiſcopo, Plegmundus ſucceſſit. Eodem anno rex Ælfredus præcepit omnibus Angliæ epiſcopis & viris religioſis, fidelium elemoſynas colligere, collectaſque Romam, atque Hieroſolymam deſtinare. Rex quoque de theſauro ſuo non modicam portionem, fidelium elemoſynis vnitam, ad loca præſcripta tranſmiſit.

De obitu Aethelſuithæ ſororis regis Ælfredi.

Anno gratiæ. 890. Gytro Danus, rex orientalium Anglorum, diem clauſit extremum, qui regnum illud, Ælfredo rege donante, acceperat, cum ab eo Chriſtianitatem accepit. Eodem anno ſoror regis Ælfredi, Æthelſuitha, Buthredi regis Merciorum quondam regina, apud Ticinum in habitu religionis defuncta eſt, & ibidem honorifice ſepulta.

Miraculum.

Anno gratię. 891. Arnulfus tutor Ludouici Romanum adeptus imperium annis 12. imperauit. Eodem anno tres homines de Hybernia ad regem Ælfredum venientes, ſolitariam pro Chriſto vitam ducere cupiebant. Conſtruxerant namque ſibi, ex tribus coriis bouinis & dimidio, nauiculam quandam breuiſſimam ſine omni nauis inſtrumento, qui adiuncto ſibi vnius ſeptimanæ victu clam mare ſunt ingreſſi, quocumque fortuna cõcederet, ire diſponentes. Qui domino ducente ſeptima ſuæ ingreſſionis die, in Cornubia applicantes, pro miraculo & nouitate inaudita regi præſentantur. Nomina autem eorum fuerunt Dubslane, Manchetus & Manslinum. Eodem anno circa tempus rogationũ cometa apparuit, quæ Anglice Verete ſterre nuncupatur.

De armillis aureis in biuiis ſuſpenſis.

Anno gratiæ. 892. magnum examen paganorum ex Galliis aduenientes, cum equis & nauibus. 250. Cantiam tranſiectum in oſtio Limenii fluminis, quod de ſylua magna Andredeswald appellata, decurrit, applicuit, & quatuor milliariis ſurſum naues direxit, vbi quandam arcem à paucis accolis inhabitatam diruentes, aliam ſibi firmiorem, in loco qui Appeltre dicitur, conſtruxerunt. Nec multo poſt Haſtingus ex eiſdem partibus, cum nauibus. 80. oſtium Thameſis fluminis intrans, munitionem ſibi in villa regia, quæ Middeltona dicatur, magnis ſumptibus conſummauit. Sed cum vndique regi Ælfredo hoſtium incurſiones imminerent, & vt quidam aſſerunt, leges inter arma ſileant: ipſe tamen inter ſtridores buccinarum, & fragores bellorum, & armorum fremitus leges tulit, & obſeruandas tradidit, quibus ſui & diuino cultui, & diſciplinæ aſſueſcerent militari. Et quia barbarorum occaſione etiam indigenæ ad rapinas anhelauerant, ita vt vix vlli tutus eſſet locus, vel ſine armorum præſidio comeatus, centurias quas hundredos, & decimas quas tithingas appellant, inſtituit, vt omnis Angligena legaliter viuens, & centuriam haberet & decimam. Quod ſi quis alicuius delicti argueretur incommodo, ſtatim exigeretur ex centuria, & qui eum vaderetur, & decima. Qui vero huiuſmodi vadem non haberet, legum ſeueritatem ſubiret. Et ſi quis ante vadationem, vel poſt aufugeret, omnes ex centuria eius & decima, regis mulctam incurrerent. Hoc quoq; commento pacem infudit prouinciis, vt etiam per publicos aggeres, vbi ſemitæ finduntur in quadrum, armillas iuberet aureas appendi, vt viantium auiditatem irritarent, cum non eſſet qui eas abriperet.

De clementia regis Ael-

Anno gratiæ. 893. pagani qui Northanhumbriam, & qui Eaſtangliam incoluerunt, pacem cum Ælfredo rege iuramentis & obſidibus ſtatuerunt. Sed, rupto fœdere, quan-

fredi, & falsitate Danorum.

quandocunque exercitus paganorum, in Cantia residens, prædandi causa de suis munitionibus exiuit, ipsi cum illis, vel per se vbicunque potuerunt, prædas agere non cessabant. Quo cognito, rex Ælfredus cum exercitu suo Cantiam proficiscens, inter duos paganorum exercitus castrametatus est, vt si forte campum aliquem prædæ causa, vel prælii peterent, ipse cum eis certamen iniret. At illi nunc equestres, nunc pedites latrocinando, illas partes frequentabant, vbi regis exercitum abesse sciebant. Quibus tamen rex subitis sæpe incursionibus obuians, cædes infert assiduas. Vnde Cantiam relinquentes, ad Hasteinum conciuem suum, qui apud Middeltonam hyemauerat, confugerunt. Quos rex viriliter insecutus, non cessauit donec ipsos cum Hasteino Dano crudelissimo, in municipium, quod idem Hasteinus nuper ibidem construxerat, violenter intrusit. Quo rex cum peruenisset, municipium obsidione vallauit, erectisque in gyrum machinis, illud subiugare vacauit. Hasteinus vero Danus omnem spem resistendi amittens, cogitauit quo ordine regem clementissimum deciperet suis artibus fraudulentis. Et nuncios ad regem dirigens, promisit iuramentis & datis obsidibus, quod ab eius & regni Angliæ inquietatione cessaret in posterum, si pacifice recedere sineretur. Et ad maiorem insuper securitatem, misit regi duos filios suos, pueros, vt si vellet, fidei illos & baptismatis imbueret sacramentis. Tunc rex piissimus, qui semper paganorum animas potius liberare quam interficere sitiebat, eius petitionibus adquieuit. Et pueris sacro fonte renatis, Hasteinum patrem eorum, cum omnibus aliis infidelibus, pacifice, iuxta quod pactum fuerat, abire permisit.

Quomodo rex Ælfredus Danicũ regem de prælio fugauerit.

Anno gratiæ. 894. rex Ælfredus, cum ingenti exercitu, contra paganos processit, quos supra in ostio Ligei fluminis applicuisse diximus, qui iam cuneis diuisis conabantur omnes regionis illius prouincias subiugare. Quo rex cum peruenisset, misit se cum exercitu suo inter duos cuneos paganorum, vt si forte loca nemorosa deserentes, planitiem aliquam petere decreuissent, ipse contra eos arma moueret. Sed Barbari iam fame & longa fatigati inedia dum nihil proficerent, sed potius deficerent, disposuerunt conciues suos, qui nuper in Eastsexia applicuerãt adire, vt fortiori milite stipati, irruptiones Christianorũ possent facilius sustinere. Cumq; furtim castra mouentes, ad Farmã villã pueniissent, Thamesim fluuiũ transire cupientes, à regia ibidẽ fortitudine sunt præuenti. Cõmissoq;, cũ illis graui prælio pagani in fugã sunt cõuersi, quos fugientes Christiani, sine pietate, pternunt, atq; ex obstantib. maxima strage illata, regẽ eorum crudeliter vulnerarunt. Quẽ vix commilitones, in equo positũ, sine vado & ponte trans Thamesim fluuiũ, multis ex eis submersis, duxerunt. Vbi tandem inter Thamesim & Coleneam, quandam breuissimam nacti insulam, pro oppido illam aliquamdiu habuerunt. Christiani vero naues ibidem non habentes obsidionem facere nequiuerunt, maxime cum sibi victualia deficerent, & terminum suæ stationis compleuissent. Illis itaque recedentibus, rex Ælfredus cum exercitus sui medietate illuc properabat. Sed antequam iter expleuisset inceptum, nunciatur ei paganos, qui Northanhumbriam & Eastangliam incolebant, quosdam Exoniam, quosdam ex eis arcem quãdam in Deuonia sitam obsediisse. Nec mora rex Ælfredus omnem, quem habere poterat, exercitum reducens, Exoniam adiuit, paucis tamen ad debellandum hostes, quos insequebatur relictis. Pagani vero interim rege eorum conualescente, ad conciues suos in Eastsexiam profecti, inuenerunt Hasteinum proditorem nequissimum, qui iam contra pactum, quod cum Ælfredo rege pepigerat, apud Beamfleotam oppidum, fossatis altis & spatiosis firmatum, inhabitabat, à quo etiam assiduas agens irruptiones, omnẽ patriam deuastauit. Sed etiam pagani, qui apud Appeltre (vt prædictum est) resederant, ad Hasteinum venientes ibidem magnum confecerũt exercitum bellatorum. Tunc illi quos rex Ælfredus ad illos expugnandum dimiserat, iunctis sibi ciuibus Londonien sibus, aliisque viris bellicosis, qui ex finibus Northanhumbrorum & Eastanglorum ad mandatum regis aduenerant, ad Beamfleotam hostiliter accedentes, Hasteinum in oppido non inuenerunt. Sed tamẽ contra socios eius, qui ex oppido aduersus eos exierant, grauissimo prælio commisso, in prima congressione in fugam eos compellunt, oppidum inuadentes destruunt, vxorem Hasteini, cum duobus filiis eius, vinculis constringunt, naues quasdam incendunt, quasdam ad vrbem Rofensem adducunt, vxorem Hasteini cum suis filiis ad vrbem Londonias transmittunt. Et his ita gestis, rex Ælfredus paganis, pro quibus Exoniã ierat, leui negotio superatis, dilaceratis, & ad naues fugatis, reuersus est ad London. ciuitatem, vbi Comes Æthelredus vxorem Hasteini, cum duobus filiis, regi præsentauit, petens adiudicari quid de vxore eiusdem proditoris & filiis foret agendum, qui pactum, quod cũ rege pepigerat, violauit. Tunc cum ab omnibus iudicatum fuisset ipsos morte turpissima esse dignos, rex noluit eis quicquam mali facere, eo quod idem rex vnum ex pueris suis, vt

supe-

ſuperius relatum eſt, de ſacro fonte ſuſceperat, & alium Comes Æthelredus. Sed tam matrem quam pueros, liberos abire permiſit.

ANNO gratiæ. 895. Formoſus papa ſedit in cathedra Romana annis 5. & menſibus ſex. Eodem anno Vlfeto archiepiſcopo Ebor. defuncto Æthelbaldus ſucceſſit. Eodem tempore Haſteinus iniquus & cæteri pagani, quos exercitus regis Ælfredi de Beamfleote fugauerat, diſpoſuerunt tranſire ad conciues ſuos, qui in occiduis partibus Angliæ habitabant. arrepto igitur clam itinere per prouinciam Merciorum, ad villam quandam ſuper flumen Sabrinæ ſitam, Buttingedune appellatam, peruenerunt, vbi à confratribus ſuis reuerenter ſunt recepti, atque in oppidum, quod ibidem conſtruxerant, introducti. Cumq; hoc regi Ælfredo nunciatum fuiſſet, congregauit exercitum quaſi inuincibilem, & veniens ad oppidum præfatum, quod Sabrinæ fluctibus erat vndique perfuſum, paganos tam nauali quam terreſtri exercitu circumcinxit. At hoſtes poſt diutinam obſidionem, victu ſibi deficiente, equos ſuos nouiſſime deuorabant. Tandem omnibus conſumptis, ab oppido neceſſitate compulſi exierunt contra exercitum, qui erat in orientali parte fluminis pugnaturi, vbi ex parte regis, in prima congreſſione cecidit Ordeinus miniſter eiuſdē regis, & multi alii cum eo, ſed Chriſtiani demum prævalentes, in fugam aduerſarios compulerunt. Quos fideles ſine pietate inſequentes, multos in vndis ſubmergebant, & nonnullos gladiis detruncabant. Et qui ex hac clade euadere potuerunt, fugiendo ad Legeceſtriam, quæ Anglice Wirhale dicitur peruenerunt. Vbi in quodam municipio ex conciuibus ſuis plurimos reperientes, in eorum conſortium ſunt admiſſi. Quo rex cum peruenisſet, non potuit ibi obſidionem tenere, vnde omnia, quæ extra oppidum in frugibus ſiue victualibus reperit, igne concremauit.

De graui quadam per ſecutione, qua Dani contriti ſunt.

ANNO gratiæ. 896. nefandus paganorum exercitus Legeceſtriam deſerens, Northanhumbriam petiuit, vbi nauibus adquiſitis, per mare ſurſum nauigare cœperunt. Tandem in oſtio Ligëi fluminis, non longe ab vrbe Londoniarum applicantes, prædis, & rapinis, extractis ad terram nauibus inſtiterunt. Quod ciues Londoniarum cum cognouiſſent, coniunctis ſibi prouincialibus populis. ad locum venientes præfatum, inuenerunt hoſtes quoddam ſibi municipium conſtruxiſſe. Illis autem hinc & inde hoſtiliter concurrentibus, ciues Londonienſes compulſi ſunt in fugā, quatuor ex regis militibus interfectis. O quam crebris vexationibus, quam grauibus laboribus, quam diris modis, quam lamentabilibus, non ſolum à Danis, qui partes Angliæ tunc temporis occupauerant, verum etiam ab his Sathanæ filiis tota vexata eſt Anglia. Sed non multo poſt ſuperueniente rege Ælfredo, compulſi ſunt pagani locum deſerere, & noctu recedentes per prouinciam Merciorum, non ceſſabant, donec ad villam ſuper Sabrinam, quæ Quantebrige dicitur, peruenerunt. Illis autem recedentibus, iuſſit rex naues eorum igne concremari.

De altercatione inter Anglos falſa & Danos.

ANNO gratiæ. 897. Bonifacius ſedit in cathedra Romana, anno vno, & diebus ſedecim. Eodem anno rex Ælfredus cuſtodes regni conſtituit, contra Danorum irruptiones, in Cantia Ceolmundum Primicerium, in vrbe Roffenſi Suithulfum epiſcopum, in Eaſtſexia Comitem Brithulfum, in vrbe Londoniarum Comitem Æthelredum, in Dorkaceſtria Halardum epiſcopum, in Suthſexia Eadulfum, in Wintonia Berthulfum epicopum, & in locis diuerſis alios multos, quos longum eſſet per ordinem recitare. Quo etiam tempore fecit rex Ælfredus longas naues, quas cyulas, ſiue galeias appellant, fabricari, in quibus armatis impoſitis, iuſſit maris ſemitas obſeruare, vt tam nauali quam terreſtri prælio, regni ſui tranquillitati, & ſubiectis ſibi populis prouideret.

Vt rex Aelfredus cuſtodes in regno conſtituerit.

Circa dies iſtos, Rollo quidam natione Danus, maxima ſtipatus militia, in Angliam veniens, locorum depopulationi vacabat. Eſt autem Dania ſiue Danemarchia inſula maris, rerum & maxime hominum fertilitate fœcunda, cuius reges antiquitus ſancita lege ſtatuerunt, vt dum nimis inſula eſſet hominibus repleta, viri audaciores de propriis migrare ſedibus cogerentur. Ex hac deniq; expulſorū ſorte, Rollo ſupradictus fuiſſe aſſeritur, vir ſtrenuus & potens, quem pater, retento primogenito filio vt ſibi ſucceederet, Rollonem à ſe tranſmiſit, vt hæreditatem armis quocunq; ſors cencederet, obtineret. Illo igitur (vt prædictum eſt) in Angliam appulſo, indigenæ ſtatim prælium cum ipſo commiſerunt. Sed multis ſuorum interfectis, cæteri de loco certaminis aufugerunt. Rollo igitur cum poſt maris pericula, ob ſui ſuorumq; recreationem, in Anglia hyemaret, viſum eſt ſibi de nocte dormienti ſupra ſe, & exercitum ſuum, examen apum volitare, & cum ſtridore auſtralē petere regionē perq; maris mediū ad terrā volando peruenire. Vbi etiā gregatim in ſtōdibus arborum diuerſarum inſidētes omnemq; mox regionē perluſtrantes, cœperunt in lo-

De Rollone primo Normannorum Duce & eius viſione.

in locis diuersis variorum flores colorum, in locum vnum congregare. Euigilans itaque Rollo, primo visionem secum pertractat, eiusque interpretationem, diligenter examinans requiem sui laboris suorumq; in eisdem partibus, vbi apes viderat descendisse, coniectat. Mare igitur ipse & eius commilitones ingrediuntur, flanteque ad votum vento, emensis fluctibus pelagi, Gemeticum veniunt, vbi quandam virginem sacram, nomine Ameltrudem, quam ab Anglia asportauerãt, in capella S. Vedasti super altare relinquunt. Quorum aduentum Franco Rothomagensis archiepiscopus cognoscens, & de possibilitate resistẽdi diffidens, decreuit vtilius fore pacem ab eis quærere, quã illos ad arma in sui perniciem prouocare. Qui festinus viator ad illos veniens, pacem petens impetrauit, eamq; fœdere fidelissimo confirmauit. Suscepto itaq; Rollo regionis dominio, Rothomagum adiit, & turpiter destructæ ciuitatis eleganter mœnia reparauit, circumiacentes regiones occupauit, castella in locis congruis firmauit, & terram totam, quæ tunc Neustria, modo vero Normannia ab ipsis Norensibus dicitur sub sua potestate recepit. Ex hoc quoq; Rollone, incliti Normannorũ Duces originẽ traxerunt, sicut suo loco sequens historia declarabit.

De strage ab Anglis illata Danis.

Anno gratiæ. 898. Stephanus sedit in cathedra Romana, anno vno. Eodem anno defuncto Eastano Londoni episcopo, Theodredus successit. Eodem tempore pagani cũ sex galeis, in ostium fluminis, cui Ythermare nomen est applicantes, prædis ibidem vacabant & rapinis. Quo regi Ælfredo cum nunciatum fuisset, prędonibus festinanter occurrit, eorumq; laceratis agminibus, prædam excussit, & eos ad naues fugere coegit. Quos rex cum suis viriliter insecutus, 120. ex eis interfecit, vbi etiam ex familia regis. 62. milites cęciderunt. Paganis igitur ad mare fugientibus, ventis in contrarium fugientiũ piratarum spirantibus, fractis nauibus naufragium pertulerunt. Quos ministri regis comprehendentes, & vinculis arctiorib. constringentes, ipso rege iubente, omnes patibulo suspenderunt. Deinde omne tẽpus, quo rex superuixit regnũ in pace tractans, totus conuersabatur in restaurationibus ecclesiarum, in largitione elemosynarum, in compositione legum, quibus miluorum rapacitas reprimeretur, & simplex fidelium deuotio firmaretur.

Regnum VVestsaxonum sine episcopali cura fit.

Anno gratiæ. 899. Romanus sedit in cathedra Romana, mensibus. 4. & diebus 22. Cui succedens Theodorus, sedit in cathedra Romana, diebus. 26. Successit ei eodem anno Iohannes, duobus annis, & diebus 15. Eodem anno defuncto Æthelwaldo Scireburnensi episcopo, remansit prouincia occidentalium Saxonum sine episcopis & cura pastorali, vi hostilitatis, septem annis.

De morte regis Ælfredi & successione Eadvvardi.

Anno gratiæ. 900. Carolus regnum Francorum suscipiens regnauit, annis. 27. Eodem anno clementissimus rex Anglorum Ælfredus postquam. 29. annis, & mensibus 6. regnum tenuisset 5. Kalend. Nouemb. quarta feria, indictione quinta, pro regno temporali commutauit æternum. Sepultus est autem Wintoniæ, in nouo monasterio, quod ipse fundauerat, & stola beatæ immortalitatis indutus, vbi generalem expectat resurrectionem, tunc ibidem denuo coronandus.

De raptu cuiusdam sanctimonialis.

Anno gratię. 901. Eadwardus Ælfredi regis primogenitus, literarum cultu patrẽ inferior, sed potentia pariter & dignitate glorioſior, regni Anglię diademate est insignitus. Cumq; in regio esset fastigio sublimatus, Æthelwaldus Clito, patruelis eius filius, qui se, rege, genere non credebat inferiorem, nec potentia minorem, omni nisu aspirabat ad regnũ, & villas regias Oxeleiam, & Winburnam nuncupatas intuadẽs, valuis obseratis, sese in eas cum suis temere intromisit. Hoc autem in loco, vt supra dictum est, sancta Cuthburga Inæ regis germana, monasterium virginum Deo deuotarum construxit, quarum idem Æthelwaldus vnam abusiue rapiens, eam sibi matrimonio copulauit. Tunc rex Eadwardus, rei cognita veritate de temeritate Æthelwaldi, exercitum ingentem collegit, & veniens Bathoniam, non longe à Winburna castra metatus est. Quod cum Æthelwaldus cognouisset, de nocte fugam iniit, Northanhumbriam petiit, Danosq; qui ibi degebant suppliciter exposcit, vt se commilitionem recipientes, vnum ex suo collegio, ad regem Eadwardum expugnandum, esse velint qui mox in regia dignitate est ab omnibus cõstitutus. Rex vero Eadwardus de eius fuga commotus, vbi cognouit se ipsum tunc comprehendere non posse, sanctimonialem illam, quam rapuerat, iubet ad suum monasterium reduci. Æthelwaldus parato nauigio transfretauit ad Gallias, vt fortiori rediens militia stipatus, regem inquietaret.

De filiis & filiabus regis Eadvvardi.

Interea rex fines regni sui latius quam pater eius dilatauit, ciuitates, & oppida ædificauit, nonnullas destructas reparauit. Ex concubina nomine Egwina filium suum primogenitum Æthelstanum suscepit. Ex secunda, regina sua, nomine Ælfleda, Ealfelmi Comitis filia, duos filios Æthelwardũ & Eadwinũ generauit. Peperitq; ei insuper sex filias, quarũ

Ead-

Eadfleda ſanctimonialis, cum ſorore Æthelhilda apud Wiltoniam requieſcit. Cæterę vero quatuor nuptiis traditæ referuntur, quarum prima, id eſt, Eadgiua Othoni Romanorum imperatori copulata eſt. Alteram, id eſt, Eadhildam Carolus rex Francorum, tertiam Siricius rex Northãhumbrorum, id eſt, ſanctam Edgitham, quartam, id eſt, Algiuam Hugo filius Ducis Roberti habuerunt ſibi matrimonio copulatas. Ex coniuge quoque Edgitha idem rex genuit Eadmundum & Eadredum. Fundatum eſt cœnobium Cluniacum a Guilihelmo Pio Duce Aquitaniæ.

ANNO gratiæ 902. Æthelwaldus Clito ſupradictus, de partibus rediens tranſmarinis, congregauit exercitum copioſum ex paganis, qui in Northanhumbria, & in Eaſtanglia aliiſque locis diuerſis habitabant cum illis, & quos de finibus aduexerat tranſmarinis, & Merciam hoſtiliter ingreſſus, ferro & flammis quæquæ ſibi obuia conſumpſit. Tandem cum præda maxima inoffenſus cum redire diſpoſuiſſet ad propria, rex Eadwardus multo militum ſtipatus collegio ſuperueniens, Æthelwaldum verſus Eaſtangliam fugientem inſequitur. Et inter duo foſſata ſancti Eadmundi, illũ cum ſuis omnibus ad campeſtre prælium præparatum inueniens, facta ſuis exhortatione, irruit viriliter in ipſos. Sed in prima congreſſione ceciderunt, in parte regis Sigulfus, & Sichelmus primates, Eadwaldus & Renulfus abbates, Sibertus & Eadbaldus proceres, & cum illis multi nobiles corruerunt. In parte vero aduerſariorum, ceciderunt Iſopus Hold, & Oſketellus hold, Brithricus & Synothus Comites, rex Eanich, & Clito Æthelwaldus, & multa millia cæterorum. Rex vero Eadwardus, cum fortiores hoſtium ſuorum peremptos cognouiſſet, ſeſe de loco certaminis ſapiẽter ſubtraxit. Nec multo poſt rex Eaduuardus pacem compoſuit cum paganis in loco, qui Ittingeford nuncupatur. Et his ita geſtis, rex quoſdam ſibi per Angliam rebelles, & maxime ciues Londonienſes & Oxonienſes, ad debitam ſubiectionẽ reuocauit. Eodem anno Benedictus papa creatus, ſedit anno vno & menſibus ſex.

ANNO gratiæ 903. Ludouicus Romanum adeptus imperium annis 10. imperauit. Quo etiam anno, defuncto papa Benedicto ſucceſſit Leo, & ſedit in cathedra Romana diebus 40. cui ſuccedens Chriſtoferus poſt ſex menſes, diem clauſit extremum. *Ludouicus imperator efficitur.*

ANNO gratiæ 904. ſanctus presbyter Grimbaldus, vir magnæ ſanctitatis, & vnus magiſtrorum Ælfredi regis, gaudia conſcendit regni cœleſtis. Eodem anno religioſa Chriſti famula regina, mater Eadvvardi regis, quæ monaſterium Wintoniæ conſtruxerat ſanctimonialium, ex hac luce migrauit. *S. Grimbaldus migrauit ad dominum.*

ANNO gratiæ 905. Sergius papa ſedit in cathedra Romana, annis ſeptem, & diebus 16. Eodem anno rex Magnificus Eaduuardus & Plegmundus Cantuar. archiepiſcopus collegerunt concilium grande Epiſcoporum, abbatum, & fidelium populorum in prouincia Geuuiſeorum, id eſt, in illa parte Angliæ, quæ in plaga auſtrali ſita eſt fluminis Thameſis. Fuerat autem regio illa, iam per ſeptennium, propter hoſtilem incurſionem, epiſcoporum ſolicitudine & cura paſtorali deſtituta. Vnde in concilio, hoc ſalubriter cõſtitutum eſt, vt pro duobus Epiſcopis, quorum vnum apud Wintoniã, & alter apud Scireburniam ſedes habuerunt, quinque crearentur antiſtites, ne grex domini, abſq; cura paſtorali, luporum incurſionibus quateretur. Canonica igitur electione celebrata, in ſede Wintonienſi conſtituerunt Frithſtanum, & in Scireburnenſi Æthelinum, in Wellenſi Eadulfum, in Cridienſi Werſtanum, in Cornubienſi Herſtanum. Electi ſunt prẽterea duo Epiſcopi, videlicet ad ſedem Dorkaceſtrenſem Kenulfus, & auſtralibus Saxonibus, quorum antiſtites ſedẽ habent apud Ciceſtriam, ordinatus eſt Berthegus. Hi omnes vna die apud Cantuariã ab archiepiſcopo Plegmundo munus conſecrationis adepti ſunt. Et non multo poſt facta parochiarũ diſtributione, remanſerunt Epiſcopo Wintonienſi prouinciæ, ſcilicet Hamtonenſis, Sutherenſis cum inſula Vecta, Scireburnẽſis vero habebat Somerſetam, Wellenſis, Dorſetam, & prouinciam Berrocenſem, Cridienſis habebat prouinciam Deuonienſem, Cornubienſis Cornubienſem. Poſt paucos vero annos, in pago Wiltoniẽſi proprius factus eſt epiſcopus, qui in Ramesberia ſedem habuit. De epiſcopis, qui iſtis quinque præſulibus ſucceſſerũt, ſuo loco dicetur. Sed hoc non eſt tacendũ, quod multis mirũ videtur, in viculis ſupradictis, & tam exiguis ſedes pontificales tanto tempore perduraſſe Cornubienſes ſane pontifices, apud ſanctũ Patrocum de Bodvvini, iuxta Wallenſes aquilonares ſuper flumen Heilemuthe ſedes habuerunt. *De concilio in regione VVeſtſaxonum celebrato.*

ANNO gratiæ 906. Cometa apparuit fere per dimidium anni circulum, ſignificãs fortaſſe nimiam ſanguinis effuſionem, & occiſionem, quæ paulo poſt in prælio inter Danos & Anglos damnoſe commiſſa eſt, in quo vtriuſque gentis tot nobiles corruerunt. *De Cometa ſignificatione.*

ANNO gratiæ 907. rex magnificus Eadvvardus, congregato exercitu copioſo,

Rex Eadvvardus plureres regiones sibi subingauit.

subiugauit sibi Eastsexiam, Eastangliam, Merciam, Northanhumbriam cum multis aliis prouinciis, quas Dani multo tempore possederant, & omnes ex eorum dominio potenter extorsit. Scotorum etiam, Cumbrorum, & Galwalensium, omniumque occidentalium Britonum fines, & eorum reges in deditionem accepit, & sic cum gloria & honore ad propria remeauit.

Ciuitas Legeceſtrenſis reſtauratur.

Anno gratiæ 908. ciuitas Legeceſtrẽſis, quę Danorũ incursione destructa fuerat, solicitudine Aethelredi Ducis Merciorum & Elfledæ vxoris eius, restaurata est.

Vt rex Eadvvardus Norenses domuerit.

Anno gratiæ 909. rex Eadwardus misit expeditionem militarem in Northanhumbriam contra Danos ibidem rebellantes, quos per dies fere quadraginta crudeliter persequentes regii milites, multos ex eis peremerunt, & nonnullos captos turpiter abduxerunt.

Miraculum de camisia ſanctæ Mariæ.

Duo reges perierunt.

Anno gratiæ 910. sancti Oswaldi, regis & martyris ossa de Bardeneia reuerenter sunt in Merciam transportata. Eodem tempore Rollo Normannorum princeps, Carnotensem vrbem hostiliter aggressus, furtiuo eam disposuit impetu subiugare, Quam cum crebris insultibus subuertere niteretur, ciues ad eius defensionem, murorum propugnacula ascenderunt. Sed cum tandem ne deficerent desperarent, saluberrimo vsi consilio, supparum, id est, camisiam Dei genitricis, quam Carolus Magnus, de Hierosolymis veniens, ibidem in monasterio eiusdem virginis posuerat, in editiori murorum ciuitatis loco, pro vexillo statuẽtes, Rollonem & eius commilitones ad cachinnum commouerunt. Sed vt virtus Dei genitricis incredulorũ temeritatẽ effrenaret, subito terror ipsum Rollonem cum suis omnibus occupauit, vt omnibus, quæ in obsidione habebant, festinanter relictis spem in sola fuga conciperent euadendi. Quos cum ciues fugiẽtes conspexerunt insecuti sunt eos in ore gladij, & multa ex eis millia prosternentes, ipsum Rollonem ad Rothomagensem ciuitatem, laceratis agminibus, fugere compulerunt.

De ædificatione Burgi Hertfordeſi.

Anno gratiæ 911. Anastasius sedit in cathedra Romana annis duobus, & totidem mensibus. Eodem anno Dani Merciam hostiliter ingressi, prædas ibidem egerunt & rapinas. Quod cum regi Eadwardo nunciatum fuisset, cum strepitu militari prædonibus obuiauit, & in Wodensfelde, id est, in campo Wodeni duos paganorum reges, Eowils, & Hildeinũ, cum duobus comitibus Scufam & Other, & nouem eorum proceribus, commisso prælio, interemit.

Anno gratiæ 912. eximiæ probitatis Merciorum subregulus Aethelredus, diem clausit extremum. Post cuius obitum vxor eius Elfleda, Aelfredi regis filia, prouinciam Merciorum totam præter Londoniarum ciuitatem, & Oxoniam, quas rex Eadwardus, eius frater germanus, sibi retinuit, multo tempore sereniſſime gubernauit. Eodem vtique anno rex Eadwardus fecit ædificare Burgum Hertfordiæ inter tria flumina, id est, Memaran,† Benesuthe & Ligeam, & in Eastsexia Burgum, quod Witham nũcupatur, circa festum sancti Martini.

† *Fleecam.*

De baptiſmate Rollonis primi Ducis Normanniæ.

Eodem anno Rollo Normanniæ dux, & occupatur, mente nimis elatus, Parisiacam petens hostiliter ciuitatem, prædis vndequaque collectis, eam disposuit obsidione vallare. Sed cum tandem sitũ loci, & mœnia ciuitatis quasi inexpugnabilia iudicaret, Baiocatensem diuertit ad vrbem. Quam omni defensore vacuam reperiens, vrbem cœpit, & spolia suis commilitonibus distribuit, eius habitatoribus interfectis. In hac vrbe quandam puellam genere nobiliſſimam, nomine Popam, filiam scilicet Berengarij Ducis, illustris viri, rapiẽs, non multo post eam sibi matrimonio copulauit. Ex illa quoq; filiũ nomine Wilhelmum genuit, & filiam Gerloc, puellam valde decoram. Deinde Lutetiã Ebroicamque vrbes expugnans, ciues peremit, & maximam inde prædã reportauit. Sicque ad Francorum infestationem prorumpens, Ecclesias Christi succendit, populum trucidauit mulieres captiuas abduxit. His denique Franci calamitatibus oppressi, questuosis clamoribus Carolum regem adeunt, vnanimiter conquerẽtes, populum Christianũ ob eius inertiam paganorum incursionibus deperisse. Quorum rex querimonijs vehementer permotus, Franconem, Rothomagensem archiepiscopum, misit ad Rollonem, mandans q̃ si Christianus efficeretur, terram maritimam ab Epte flumine vsque ad Britanniæ limites, cum Gilla filia sua, se illi fore daturum. Archiepiscopus quoque legatione suscepta, pagano Duci per ordinem pandit cuncta. Cuius verba Rollo consilio suorum gratanter excipiens, die statuto ad sanctum Clerum conueniunt, rex scilicet Francorum, cum Duce Roberto, trans Eptem fluuium. Rollo vero circavallatus cuneis bellatorum, vbi nunciis alternatim discurrẽtibus pax firmatur inter eos, Rollone regi fidelitatem faciente, & rege illi filiam cum terra prætitulata concedente. Superaddidit etiã ei Britanniã totam, cuius

principes

principes Berengarius & Alanus Rolloni sacramenta fidelitatis fecerunt. His igitur nobiliter executis, hortantur astantes Francigenæ Rollonem, vt pedem regis pro tanto oscularetur dono. At Rollo genua flectere dedignatus, pedem regis apprehensum truculenter traxit ad os suum, ipso rege in terram resupinato. Sed Francigenæ factum reprehendentes, Normannos ad risum mouerunt. Videbatur enim Rolloni indignum, vt terram quam armis potēter subegerat, dono cuiuslibet possideret. Pacto itaque tandem in hunc modum firmato, rex Francorum ad sua regreditur, & Rollo cum Duce Roberto Rothomagum regrediens, baptizatus est cum suis omnibus, à Francone archiepiscopo Rothomagensi. Quem Dux Robertus de fonte sacro suscipiens, ei imposuit nomen suum, anno ab incarnatione 913. Sicque magnificus Dux Robertus præparato nuptiarum apparatu magno, regis filiam in coniugium & societatem thori, Christiano more, suscepit. Sed illa deinceps post annos paucos immatura morte sine liberis præuenta, Dux Robertus repudiatam Popam sibi repetens copulauit. *1. infra 1. 96. lin. 39.*

De genealogia Ducum Normanniæ.

QVONIAM igitur ex hoc magnifico Duce Roberto inclyti Duces & reges traxerunt originem, dignum videtur ad historiæ claritatem, vt eius genealogiam breui epilogio perstringamus. Iapher, tertius Noę filius, filium genuit, quem Magog appellauit, cuius Gothica progenies de similitudine vltimæ syllabæ, paterni nominis vocabulum trahens, duos ex se Gothorum populos armis robustissimos produxit. Ex quibus vnus Seythiam vlteriorem inuadens occupauit, & cōtra reges Ægyptos bella diutissime attentauit. Quorum vxores postmodum Amazones vocatæ, diuturnam virorum suorum ibidem morā molestę ferentes, eorum repudiata copula, arma capessunt, duas reginas cæteris audaciores sibi prærogantes. Quæ dextris mamillis ob telorum iactus adustis, totam Asiam aggressæ sunt, & per centum fere annorum curricula grauissimo eam dominationis iugo domuerunt. Alter Gothorum populus, ex Scanza insula, cum suo rege Berig nomine egressus, mox nauibus egressi vt terram attigerunt, Scanzam loco nomen dederunt, ob memoriā terræ de qua recesserunt. Indeq; remotius exeuntes, Germanicos sinus, & paludes Mæotides inuaserunt, plurimas regiones circūquaq; occupantes. Quarum Dania & Norvvegia, multos postea reges inclytos habuerūt & potentes. Isti Martē Deum apud se exortū prędicant, quē humani sanguinis effusione placare curabant. Iactant etiā Troianos ex sua stirpe processisse, Antenoremq; ab vrbis excidio aufugisse, ob proditionē ab eo perpetratam, & in Germaniam applicuisse. Qui postmodū in Dania siue Danemarchia regnans, de nomine suo prouinciæ nomen dedit. His quoq; de causis, ex Gothis originē habere noscuntur Dani, qui tantis post ibidē adoleuerūt incrementis, vt dum insulæ nimis essent hominib. repletæ, sancita à regib. lege, viri audaciores de propriis migrare sedib. cogebantur, vt sibi suisq; successorib. adquirerēt hæreditates, & mansiones æternas.

De ædificatione diuersorū castrorum.

ANNO gratiæ 913. Conradus Romanum adeptus imperium, imperauit annis septem. Eodem tempore Ælfleda Merciorum domina, cum exercitu magno apud Stregate veniens, ædificauit ibi arcem munitam, & in plaga occidentali Sabrinæ fluminis, in loco qui Brigges dicitur, aliam restaurauit.

De strage Danorum.

ANNO gratiæ 914. Aelfleda, Merciorum domina, Burgum Thameworth appellatum restaurauit. Deinde ad Stanfordiam progrediens, in aquilonari plaga, fluminis Weiloand turrem restaurauit. Eodem anno facta est Danorum strages maxima, in finibus * Luitoniæ & prouincia Herefordensi. Laudo sedit in cathedra Romana mensibus sex.

* Lincolniæ.

De Danorū graui depopulatione.

ANNO gratiæ 915. Iohannes sedit in cathreda Romana annis 4. mensibus duobus, & diebus tribus. Eodem anno defuncto Plegmundo Cantuar. archiepiscopo, Aethelmus Wellensis antistes, ad sedem Cantuariensem translatus est, & loco eius Wlfhelmus in Ecclesia Wellensi est Episcopus ordinatus. Quo etiam anno Werfertho Wicciorum antistite viam vniuersæ carnis ingresso, Aethelhunus Abbas Berkeleiæ loco ipsius successit. Eodem tempore Aelfleda, Merciorum domina, Fadesbyri & Wartham villas construxit. Eodem anno pagani Australium Britonum fines inuadētes, omnia ibidem ferro & flamma consumunt, Episcopum quoque Camelec in Irchenefeld captum, ad naues abducūt, sed non multo post rex Eadvvardus ipsum redemit pro 40. libris sterlingorum. Deinde iidem pagani prouincias Herefordensem, Wigornien sem, & Glouernensem aggressi, prouinciales illos ad prælium prouocarunt. Factoq; conflictu grauissimo, ceciderunt in parte Danorum, Other Frater regis Danorum, & Dux Rohaldus, cum exercitus eorum maxima parte. Eodem anno rex Eadvvardus cognomento Senior, Bukingcham perrexit, vbi ex vtraque parte Vse fluminis munitiones ædificari fecit. Eodem anno defuncto Cuthardo Lindisfarnensi antistite, Miltredus successit.

De ædificatione trium villarum.

ANNO gratiæ 916. Laudo sedit in cathedra Romana anno 1. Quo vtique anno matrona Ælfleda, Merciorum domina, tres villas Cherenburch, Weadburch, & Runcofam construxit.

Maldona construitur.

ANNO gratiæ 917. Iohannes Papa creatus est. Eodem anno rex Eadvvardus apud Maldonam, Burgum, & arcem ædificauit, & ea sub militum custodia deputauit.

De altercatione inter Anglos & Danos

ANNO gratiæ 918. rex Eadvvardus Toueceſtriam & Wiggingemere villas condidit, & eas armata manu repleuit. Sed pagani apud Toueceſtriam hostiliter venientes, illã expugnare conantur. Illi è contrario qui intus erant, cum populis prouincialibus, seſe viriliter defendentes, omnes in fugam compulerunt. Qui in prouinciam Bukinghamẽsem irruentes, homines capiunt, de armentis prædam agunt, multosque plebeios, inter syluam Bernwode & villam Eilesberi peremerunt. Deinde multo conatu conglobati, plures Anglorum prouincias inuadunt, & graui eas depopulatione conterentes, innumeras in locis diuersis prædas agunt. Sed rex Eadvvardus, multitudine armatorum collecta, paganos hostiliter inuasit, illisque in fugam conuersis, insequitur eos fugientes rex Eadvvardus, atque in fugiendo Togleas Ducem eorum cum filio suo Mannano, & fratrem eius interemit, & maximam fortitudinem illorum cepit, & vinculis mancipauit, & inde paganorũ paulatim, vires decrescere cœperunt. Eodem anno Ealfleda Merciorum domina Doroberniam hostiliter petens, obsedit & obtinuit, Danosque, qui in ea erant, pro parte neci tradidit. Quo etiam tempore rex Eadvvardus obsessam Colceſtriam cepit, & paganos omnes præter paucos, qui per fugam elapsi sunt, immisericorditer trucidauit. Deinde rex ad Maldonam à paganis obsessam transiens, ipsos inde fugauit, & ex fugientibus inimicis multa millia interfecit. Tunc rex ad Huntẽdunam progrediens, villam & castellum restaurauit, & manum armatam ibidem reliquit, & paucis interiectis diebus Colceſtriæ muros reparauit, & viros in ea bellicosos posuit, & certum eis stipendum assignauit. Tunc Dani in locis multis per Angliam constituti, videntes regis potentiam & sapientiam, læto se animo subdiderunt, & illum in patronum & dominum elegerũt. Eodem anno, defuncto Werstano Schireburnensi Episcopo, Æthelbaldus succeſſit.

De obitu Ælfledæ Merciorum domina.

ANNO gratiæ 919. Ælfleda Merciorum domina, & soror regis Eadvvardi, insignisque prudentiæ matrona 8. anno, ex quo sola regnum Merciorum strenuo iustoque rexerat moderamine 19. Kal. Iul. diem clausit extremum. Cuius corpus apud Glouerniã delatum est, & in Ecclesia beati Petri Apostoli honorifice tumulatum. Reliquit vnicam filiam nomine Algiuam ex Æthelredo Merciorum subregulo legitime susceptam, regni sui hæredem. De cuius partu, quo se sensit grauiter læsam, nimis perterrita per annos fere 40. quibus superuixit, à viri thoro seſe & commixtione carnali subtraxit, dedignans vlterius, animi nobilitate ducta, laborioſi partus iterum experiri dolores.

De ædificatione plurimorum Burgorum.

ANNO gratiæ 920. Henricus Romanum adeptus imperium imperauit annis 18. Eodem anno rex Eadvvardus, Burgis de Tealvvella & Maneceſtria reſtauratis, & militibus munitis, cepit Algiuam siue Alvvinam neptem suam, & eam in Weſtsaxiam adduci præcepit. Eodem anno defuncto Æthelstano Wiltonensi Episcopo, Odo succeſſit. Hic ex Danica gente extitit oriundus & aliquanto tempore sub Eadvvardo rege militãs, post officium clericatus adeptus & attonsus, creſcentibus meritis ad honorem pontificatus est sublimatus.

Vt rex Scotorum Eadvvardo regi pacificatus fuerit.

ANNO gratiæ 921. rex Eadvvardus ad villam de Notingham veniens, in Australi plaga Trent fluminis, villam contra Burgum quod in altera ripa amnis erat, ædificauit, & inter villas firmum pontem fieri mandauit. Indeque ad Bedecanvvellam transitũ faciens, non longe ab ea Burgum construxit, & in eo milites ordinauit. Quo vtique anno rex Scotorum, Reginaldus rex Northanhumbrorum ex natione Danorum, dux Galvvalensium, ad regem Eadvvardum venientes, subiectionem fecerunt, & cum eo fœdus firmiſſimum pepigerunt.

De morte fratris Eadvvardi regis.

ANNO gratiæ 922. Æthelvvardus, Eadvvardi regis frater germanus defunctus est, & Wintoniæ sepultus. Eodem anno Wicciorum Episcopo Ethelhuno defuncto, Wilferthus succeſſit.

De corpore Domini.

ANNO gratiæ 923. sanguis Domini venit in Angliam 6. Id. Nouembr. qui fluxit de imagine Christi, cum secundo in imagine sua à Iudæis pateretur priora.

De morte regis Eadvvardi, & succeſſione Æthelstani filii eius.

ANNO gratiæ 924. rex Anglorum Eadvvardus, cognomento Senior, qui cunctis Britanniam incolentibus Anglorum, Walanorum, Scotorum, Cumbrorum, Galvvalensium, Danorum populis potenter præfuit, post multas res egregie gestas, anno regni sui 24. in villa regia, Farendona nuncupata, diem clausit extremum, & Wintoniæ in nouo monaſte-

monasterio more regio est sepultus. Æthelstanus quoque filius eius primogenitus apud Kingestonam, regiã villam, rex creatus, ab Æthelmo Dorobernensi archiepiscopo consecratur. Huius vero regis tẽporibus in Westsaxoniæ finibus insignis puer oritur Dunstanus. Eodem anno defuncto Æthelmo Dorobernensi archiepiscopo, Wlfhelmus successit Wellensis antistes, & Wlfhelmo ad Wellensem Ecclesiam successit Ælfegus.

ANNO gratiæ 925. Æthelstanus, rex Anglorum, Eadgitham sororem suam, Sithrico Danica natione progenito, Northanhumbrorum regi, matrimonio honorifice cõpulauit. Qui ob amorem virginis paganismum relinquens, fidem Christi suscepit, sed non multo post beatam virginem repudians, ac Cbristianitatem abiiciens, idolorum culturam restaurauit, & post modicum temporis apostatus vitã mirabiliter terminauit. Sancta itaq; puella, virginitate sibi reseruata, apud Pollesberiã in ieiuniis & vigiliis, in orationibus, & in eleemosynarum studiis, vsq; ad finẽ vitę suę bonis pollens operibus perseuerauit. Transiit autem post laudabilis vitæ cursum, ex hoc mundo idibus Iulii, vbi vsq; hodie diuina miracula non desinunt celebrari.

Vt Aethelstanus sororem suã maritauerit.

ANNO gratiæ 926. ignei per totam Angliam visi sunt radii in aquilonari plaga cœli, portendentes mortem turpissimam regis Sithrici supradicti, qui non multo post male periit. Cuius regnum Æthelstanus, expulso Guthfertho filio eius, suo copulauit imperio, deinde omnes Angliæ regulos, Hunwal scilicet regẽ Britonũ, Constantinum regẽ Scotorum, Wlferthum regẽ Wentorum prælio vicit & fugauit. Ealdredum quoq; filium Eadulfi de castello Bebbanberih exturbauit. Et hi omnes, cum prouincialibus aliis, videntes se eius strenuitati non posse resistere, conuenerunt, petentes pacem ab eo, atque idololatriæ renunciantes, fœdus cum ipso firmissimum pepigerunt.

De igneis radiis in aere.

ANNO gratiæ 927. Hugo filius Roberti Comitis, sororem regis Æthelstani duxit vxorem. Quo vtique anno, Tilredus Lindiffarnensis Episcopus obiit, & Withredus successit.

Soror regis Aethelstani copulatur Comiti Hugoni.

ANNO gratiæ 928. Leo sedit in cathedra Romana, mensibus sex, & diebus 15. Eodem anno defuncto Tunfrido Lichefeldensi præsule Ella successit. Eodem tempore tanta inter regem Æthelstanum exorta est amicitia, & Ducem Normanniæ Robertum, quod vterque in rebus dominaretur alterius, & in rebus bellicis mutuis congauderent auxiliis.

De amicitia inter regem & Ducem Normãniæ.

ANNO gratiæ 929. rex Æthelstanus reliquias sanctorum regni sui, orationis gratia petere decernens, Glastoniæ cœnobium inprimis petiuit deuotus. Erat autem ibi quædam nobilis matrona nomine Ælfleda, neptis eiusdem regis, quæ marito defuncto vidualem ducere vitam exoptans, ad occidentalem cœnobii plagam, elegerat mansionẽ. Hæc fœmina religiosa, regi Æthelstano, prandium studiose parauit, quem gratia orationis Glastoniam venturum præsciuit. Præcursores vero regiæ administrationis, scientes quod rex nepti suæ, ad se diuertẽdi causa, hospitandi licentiam concessisset, die præcedenti venerunt ad videndum, si omnia necessaria præparata fuissent. Et omnibus diligenter inspectis, dixerunt ad illam: Vniuersæ administrationis sufficientiam habes, si tibi Medonis copia non deesset, quem rex super omnes liquores potare affectat. Et illa. Non patiatur mater domini mei Iesu Christi, vt in mẽsa regis Medo deficiat, & Dei genitricis Ecclesiam intrans, Deum & eius matrem se rogatura prostrauit. Quid ergo? Venit rex multo stipatus militum comitatu, & post missarum celebrationes, inuitatus ad prandium introiuit. Sed, in primo propinatu, vasculum illud exhausere auidi potatores ad vnius palmulæ mensuram, & post Deo augente, & beata fœmina promerente, nihil minuens tota die propinantibus substitit pincernis, ita vt, cunctis mirantibus, sufficeret vniuersis. Quod miraculum, cum rex relatu ministrorũ cognouisset, mente immutatus ait ad suos. Peccauimus nimis, hanc Dei famulam superfluitate maxima aggrauantes, & surgens, salutata nepte, perexit viam sanctam. Eodem anno Stephanus papa creatus, sedit annis duobus, & mense vno in cathedra Romana.

Miraculum de Medone.

ANNO gratiæ 930. defuncto Wilfertho Wigornensi antistite, Kineweldus in Episcopatu successit.

ANNO gratiæ 931. Eadulfus Cridiensis Episcopus, diem clausit extremum, cui Æthelgarus successit. Hi quoq; præsules Deuonensi prouinciæ præsunt. Iohannes papa sedit annis 4.

De obitu Eadulfi episcopi.

ANNO gratiæ 932. eximiæ vir sanctitatis Frithstanus Wintoniensis Episcopus, ordinato pro se in Episcopatu Birstano viro religioso, in vrbe Wintoniensi pauperem vitam transegit. Hic præsul sanctissimus, quotidie pro defunctorum requie missam celebrauit,

brauit, & psalmos pro animarum salute assidue decantauit. Quadam denique nocte, cũ de consuetudine cantando cœmiteria circuiret, & psalmos recitaret, & expletis omnibus, requieſcãt in pace, subiungeret, subito voces, quasi infiniti exercitus, audiuit respõdentium de sepulchris, Amen.

Rex Æthelstanus regnum Scotorum denastat.

ANNO gratiæ 933. rex Anglorum Æthelstanus, quia rex Scotorum fœdus, quod cũ illo pepigerat, violauerat, cum classica manu perualida, & equestri exercitu non modico ad Scotiam perrexit, eamque ex maxima parte depopulatur. Vnde rex Scotorum Constantinus, vi compulsus, filium suum obsidem, cum dignis muneribus illi tradit, pace que redindegrata rex ad propria remeauit. Eodem anno sanctus Frithstanus decessit.

Rex Æthelstanus fratrẽ suum submergi præcepit.

ANNO gratiæ 934. rex Æthelstanus fratrem suum Eadwinum iussit in mare submergi, cuius factionis causa hæc fuisse asseritur. Erat in quadam villa Westsaxoniæ opilionis filia, elegantis speciei puella, cui dormienti visum est lunam de suo ventre splendere, & hoc lumine totam Angliam illustrari. Quod cum cuidam matronæ, quæ pueros regis nutrire consueuerat, retulisset, puellam recepit in domum suam, & filiæ loco eam suscipiens, cibis delicatis nutriuit, & vestibus eam cultioribus vestiens, gestu & moribus informauit. Et non multo post, Eadwardus Ælfredi regis filius, casu per villam transiens ad domum diuertit, credens famæ suæ detrimentum inferre si nutricem, quæ ipsum educauerat, videre fastidiret, vbi visæ puellæ captus amore, nocte dormiuit cum ea, vnoq; complexu reddidit grauidam. Tempore vero partus, peperit ipsi filium, quem propter fidem somnii vocauit Æthelstanum. Itaque rege Eadwardo (vt supra dictum est) defuncto, filius eius Æthelwardus ex legitima coniuge generatus, patrem cita morte secutus est. Tunc Æthelstanus omnium fauore, licet ex concubina susceptus, in regem electus, spreto Eadwino, nondum ad regnandum propter teneros annos idoneo, in Kingstona, villa regia, ipsum (vt prædictum est) consecrauerunt. Consecratus autẽ Æthelstanus, fratrem suũ Eadwinũ, quem de legitimo matrimonio cognouit generatum, nigerrimo perstrinxit odio, metuens ne per ipsum quandoque à regni solio priuaretur. Hac igitur occasione ductus rex, fratrem suum Eadwinum solum cum armigero, in nauicula vetustate confracta, in maris medio, sine remige & remigio, dimissum miserabiliter Neptuno commisit, vbi adolescens ille inter fluctus maris vitæ pertæsus, voluntario præcipitio vndis sese submersit. Armiger vero nõ pedibus modo, sed & manibus remigãdo, corpus domini sui à Dorobernia in Whitland ad terram perduxit, & honorifice sepeliuit. Æthelstanus rex, postquam ira deferbuit, tam enorme factum abhorrens, septenni pœnitentia accepta, fratricidium defleuit, pincernamque suum, qui ei tale dederat consilium, crudeli morte damnauit. Eodem anno, sanctus Birstanus Wintonienſis Episcopus, ad regna migrauit cœlestia, cui successit Ælfugus, vir religione insignis. Quo vtique anno, defuncto Wlfhelmo Dorobernensi archiepiscopo, Odo Wellensis antistes successit, Odoni vero ad Wellensem Ecclesiam successit Osulfus.

De morte Roberti primi, Ducis Normannorum.

ANNO gratiæ. 935. Leo papa sedit annis tribus, mensibus sex, diebus decem. Eodẽ anno, Robertus Dux Normannorum primus, in senectute bona, ex hac luce transiens, Gulihelmum filium suum, iuuenem elegantissimum, sibi constituit successorem.

Ludouicus Franciæ diadema suscepit.

ANNO gratiæ 936. Comes Hugo mittit nuncios in Angliam, pro accersendo Ludouico Caroli regis filio ad apicem regni Francorum, quem rex Aethelstanus, auunculus eius, accepto à legatis Franciæ iuramento, cum quibusdam Episcopis in Franciam mittit, cui Comes Hugo, cum aliis proceribus obuiam profecti, in ipsis littoris arenis sese Ludouico committunt, & inde Laudunum ductus, coronatur ibidem ab Arthaldo archiepiscopo, præsentibus * 20. Episcopis, & principibus regni.

Rex Æthelstanus multos hostes prostrauit.

** Analafus.*

ANNO gratiæ 937. Hybernienſium, multarumque insularum rex * Analafus paganus, à Scotorum rege Constantino inuitatus, ostium Humbri fluminis cum valida classe ingreditur. Cui rex Anglorum Aethelstanus, & frater eius Eadmundus cum exercitu occurrentes, in loco, qui Brunenburh nuncupatur, à diei principio, vsque in vesperam prælio protracto, quinque regulos, & septem Duces ex aduersariis peremerunt, tantumque sanguinem ibidem fuderunt, quantum in nullo Angliæ prælio fusum eatenus audierunt. Reges vero Analafum & Constantinum ad naues fugere compellentes, cum glorioso triumpho ad propria remearunt.

Otho imperator sororẽ regis Æthelstani duxit.

ANNO gratiæ 938. Otho Romanum adeptus imperium, imperauit annis 36. Qui continuo ad imperium promotus, Eadgiuam, Aethelstani regis sororem, in coniugium suscepit.

ANNO gratiæ 939. Stephanus sedit in cathedra Romana annis tribus, mensibus 4. & die-

& diebus 15. Per idem tempus rex Anglorum Æthelstanus, pro anima fratris sui Eadwini, quem prauo vsus consilio in mari fecerat submergi, duo cœnobia, Middeltunense, & Michelenense construi præcepit, & ea prædiis multis, & possessionibus ampliauit. *Rex Æthelstanus duo cœnobia construxit.*

ANNO gratiæ 940. Æthelstanus rex Anglorum magnificus anno regni sui 16. apud Glouerniam diem clausit extremum 6. Kal. Nouemb. Successit ei in regnum frater eius & hæres legitimus Eadmundus, fratre apud Malmesberiam translato, & ibidem honorifice tumulato, vbi idem rex adhuc viuens sepulturam elegit. Cum vero rex Eadmundus regalibus insignibus esset sublimatus, beatum Dunstanum, quem adhuc fratre superstite probabilis vitæ, & linguæ nouerat expeditæ, suis consiliis interesse præcepit, vt inter Palatinos regios, principesque connumeretur electus. Cuius nonnulli militum & clientum, bonæ conuersationis constantiam intuentes, dicebant quia bonus est, alii autem non, sed seducit turbas. Vnde quidam eius bonitati, & prudentiæ inuidentes, deprauare cum cœperunt in oculis regis, quibus ille fauorem, non rem bene examinãs, præbens, iussit illum omni statim honore, & cancellarii dignitate priuari, & seruitium sibi, vbi vellet, alibi adipisci. Rex vero die crastina ibat cum suis, vt fastidium venando subleuaret. Protinus cum in sylua corniculantium strepitus resonabat venatorum, latratusq; soscallorũ, multi ceruorum fugam leuiter inierunt. Ex quibus, rex solus cum caterua insequentium canum, vnum miræ magnitudinis insequi cœpit, quem diu per diuersa locorum deuia canum agilitate fatigatum, ad quoddam præcisi montis præcipitium impellens vna cum canibus, ceruum sese præcipitem dare coegit. Qui omnes pariter ex alto descendentes contriti, in mortem subito corruerunt. Rex autem ceruum, & canes cum magno volantis equi cursu insectans, viso præcipitio, equum retinere laborauit. Sed quoniam effrænis, collique contumacis erat, & rigore ceruicis ipsum omnino refrænare non valuit, omni spe salutis ablata, in voluntate Dei omnipotentis suam animam commendabat. Gratias tibi (inquit) ago Domine IESV CHRISTE, quod me non memini, in his diebus aliquem læsisse, nisi solum Dunstanum. Et hoc prompta deuotione, concesso mihi spatio, sibi me reconcilians, emendabo. Ad hoc dictum, beati viri meritis, restitit equus in vltimo præcipitii loco, & rex in se reductus, pro restitutione vitæ suæ Deo gratias referebat. Et veniens domum, iussit sibi beatum Dunstanum præsentari, & cum coram rege adductus fuisset, protinus conscensis equis viam quę ducit ad Glastoniam recto tramite tenuerunt. Quo cum peruenissent, & cœnobium ingressi fuissent, apprehensa dextera Dunstani manu, osculatus est eam, ducensque ad sedem cathedralem, consentientibus monachis, illum in eam ponens, dixit. Esto sedis huius & Ecclesiæ fidelissimus Abbas, & si quid tibi defuerit ad sanctæ religionis supplementum, ego illud regia largitate supplebo. Sicque licet multum beatus Dunstanus renitens, ad officium regiminis a Deo vocatus, omnibus se studuit, saluo rigore religionis, amabilem exhibere. *De morte Æthelstani regis Anglorum. Eadmundus rex.*

Circa eosdem dies Analafus, genere Norwigiensis, qui tempore regis Æthelstani de regno Northanhumbrorũ electus fuerat, hoc anno, maximo comitatus nauigio, Eboracũ petiuit. Deinde Australes Angliæ partes hostiliter adiens, subito sibi regnum Angliæ subiugare disposuit. Cumque hæc regi Eadmundo nunciata fuissent, venit ei obuiam cum exercitu copioso, & apud Legeceſtriam duo reges hostiliter concurrentes, plurima diei parte, damnosum nimis hinc inde prælium commiserunt. Sed duo archiepiscopi, Otho Cantuar. & Wlstanus Ebor. viso vtrinque periculo & regni exterminio, talem inter eos concordiam composuerunt, vt Analafus totam Anglię insulam ad borealem plagam stratæ regiæ, quæ Watlinge dicitur, possideret. Eadmundus vero ad Australem eiusdem callis partem, toto regno pacifice frueretur. Et qui inter eos vitam duceret longiorem, regnum totum post mortem alterius occuparet. Deinde Aulafus Aldithan, Ormi Comitis filiam, suscepit vxorem, cuius consilio & auxilio fultus, præfatam victoriam est adeptus. Eodem anno defuncto Ælfredo Schireburnensi Episcopo, Vlsius successit. *Rex Eadmundus & rex Norvvegiæ Analafus regnum diuiserunt.*

ANNO gratiæ 941. Analafus rex nuper creatus, dum vastaret Ecclesiam S. Balteri, & Tinningham igne cremaret, mox Dei iudicio correptus, vitam miserabiliter terminauit, & rex Eadmundus Northanhumbriam petens hostiliter, Analafum, filium Sithrici, & Reginaldum filium Cuthredi regis, inde potenter expellens, monarchiam totius Angliæ iterum subiugauit.

ANNO gratiæ 942. rex Eadmundus Lincolniam, Notingham, Derebi, Legeceſtriã, & Stanfordiam de manibus Danorum eripiens, cum Mercia tota, omnia sub sua potestate redegit.

ANNO gratiæ 943. cũ magnifico regi Eadmundo, regina sua Algiua filiũ perperisset

Miraculum de S. Dunstano.

Eadgarum, sanctus Dunstanus audiuit voces psallentium, & dicentium in sublime. Pax Anglorum Ecclesiæ, exorti nunc pueri, nostrique tempore Dunstani. Eodem anno rex Eadmundus regem Analafum de lauacro sanctæ regenerationis suscepit, eumque regiis muneribus honorauit. Reginaldum quoque Northanhumbrorum regulum, dum ab Episcopo confirmaretur, tenuit, sibique in filium adoptauit. Martinus Papa sedit annis tribus, mensibus 6. & diebus 14.

De morte Gulihelmi ducis Normannorum.

Anno gratiæ 944. Gulihelmus Dux Normannorum secundus, proditione Arnulfi Comitis Flaundrensis interfectus est. Nam cum idem Gulihelmus vnum ex castris prę-
fati Comitis occupasset, Arnulfus, simulata fide, illum ad colloquium euocatum, dum in naui de pace tractarent, per Balzonem ducem obtruncauit. Cui successit filius eius Richardus, dux tertius Normannorum.

Rex Eadmundus B. Eadmundo multas contulit mansiones.

Anno gratiæ 945. rex Eadmundus, beato martyri Eadmundo dedit Beatrichewrth, villam regiam, in qua vsque hodie corpus eiusdem martyris requiescit. Deditque eidem martyri circa illum locum terram non modicam, quam subscriptione Episcoporũ, Comitum, & Baronum pia deuotione roborauit.

Vt rex Eadmundus Cũbriam regi Scotorum dederit.

Anno gratiæ 946. Agapetus sedit Romæ, annis 10. mensibus 6. diebus 10. Eodem anno rex Eadmundus, adiutorio Leolini regis Demetię fretus, Cumbriam totam cunctis opibus spoliauit, ac duobus filiis Dummaili eiusdem prouinciæ regis, oculorum luce priuatis, regnum illud Malcolmo Scotorum regi, de se tenendum concessit, vt Aquilonares Angliæ partes, terra marique, ab hostium aduentantium incursione tueretur.

De morte Eadmundi regis.

Eodem anno rex piissimus Anglorum, Eadmundus, dum in festo S. Augustini Anglorum Apostoli, omnes regni proceres ad magnum conuiuium in villa regia, quæ Michelesberith dicitur, inuitasset, sicut mos erat Anglis singulis facere annis, ob veneratione beati Augustini, per quem fidei lumen Angli sunt adepti, cõgregatis omnibus & ad prandium regis confidentibus, cœperunt epulari & gaudere, ipso rege ad hoc plurimum annitente. Tandem cum rex caput erigeret, vt videret discumbentes, inter cæteros latrunculum quendam nomine Leof, quem ante paucos annos propter latrocinium eliminauerat, in aula stare conspexit. Quod rex nimis moleste ferens, innuit pincernæ suo, vt furem illũ de palatio quantoties amoueret. Sed cum nequissimus ille propter pincernã exire noluisset, rex nimia succensus ira, de mensa subito exiliuit, atque latronẽ per capillos arripiens in pauimentum proiecit. At proditor ille, cum se læsum regemq; in se iacentem sensisset, extracto ocius cultello, quem occulte ferebat, regem, proh dolor, iugulauit. Videntes regis milites & ministri dominum suum mortuum, & sanguine tabefactum, irruerunt omnes in latronem illum, atque corpus eius totũ & ossa in frusta minutissima conciderunt. Sicque clarum regalis conuiuii principium, nebulosus rerum gestarum exitus terminauit.

De coronatione pissimi regis Eadredi.

Defuncto itaq; Eadmundo, & apud Glastoniã sepulto, Eadredus frater eius, in Kingstona, villa regia, regni diadema à B. Othone archiepiscopo Cantuar. suscepit 17. Kal. Sept. Reliquit quoq; duos filios hæredes legitimos, Eadwinum & Eadgarum, qui repugnãte illegitima ætate patri succedere non valebant. Hic, vt suus germanus prius egerat rex Eadmundus, Northanhumbriam totam in sui dominium redactam, à rege Scotorum fidelitatem accepit, & insuper Eboracẽsi Ecclesiæ Metropolitanæ, duo signa nõ modica deuotus donauit, Deniq; cum à rege Cumbrorũ iuramentum fidelitatis accepisset, & partes illas in securitate posuisset, versus Austrum cum suis contendit. Hic autẽ rex nobilis nõ dispar prædecessorib. suis, B. Dunstanum tanto charitatis ardore dilexit, vt omnes thesauros suos sub eius custodia cõmendaret. Beatus interea Ælfegus, Ventanæ vrbis episcopus, qui eundẽ Dunstanum monachatus & presbyteratus ordine decorauerat, ab hoc seculo migrauit. Cui rex volẽs subrogare Dunstanũ per reginã, scil. matrem suã, super his illum conuenit. Ad hæc ille. Rogo (inquit) domina de precib. huiusmodi cessare, sciens me diebus regis, filii tui, pontificẽ non futurũ. Dixit autẽ hæc vir Dei, regem diligens, cuius consiliis sacerdotii causa noluit deesse. Sed sequẽti nocte visum est, se Romã adiisse, & adoratis Apostolis ilico domum rediisse. Cumq; ad Montem gaudii applicuisset, ecce S. Petrus cum Apostolis Paulo & Andrea occurrit, singuli singulos gladios manu tenentes, & ei protensis manib. offerentes. In gladio S. Petri scriptũ fuit, in principio erat verbum, & gladii sanctorum Pauli & Andreæ propriis nominibus erant inscripti. Tunc ei S. Petrus Apostolus blande cecinit modulãdo. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiẽ animabus vestris. Deinde illum arguendo, virgam, quam tenebat, leuauit, & leui ictu in palma percutiendo dixit. Hoc habeas commonitorium de vlterius non recusando iugum Domini. Adhęc euigilans vir Dei, regi mane visionẽ retulit admiranti. Cui rex. Cum gladii (inquit)

quos

quos ex apostolica largitate suscepisti,armaturam designant Spiritus sancti,scias pro certo per gladium Petri, verbo Dei inscriptum, archiepiscopatus dignitate cœlitus te donandum,per gladium Pauli,simplicem episcopatum,& per gladium Andreæ,alium præsulatum iure te regiminis possessurum. Nam postea iuxta somnii interpretationem Cantuar.rexit ecclesiam,in nomine sanctæ trinitatis dedicatam Londoniensem, in nomine Pauli,& Roffensem in beati Andreæ nomine consecratam.

Miracula de sancto Ælfego episcopo.

Anno gratiæ 947.post sanctum Ælfegum Winton.præsulem, Ælfinus successit. De beato quoque Ælfego legitur,quod in die cinerum,cum de more pœnitentes Ecclesiæ liminibus remouerat,hortatus est eos,vt tempore quadragesimali,ieiunio, & castitati vacantes,diebus illis vxorum etiam delitiis abstinerent.Quorum vnus, cæteris Episcopi iussionibus reuerenter obtemperantibus, ioculari cœpit, dicens, se abstinere non posse à Venere, à cibo,pariter & coniugio. Cui episcopus.Contristas me miser oppido, nesciens quid tibi pariat dies ventura. Et sic homo ille recedens,duram beati Ælfegi prophetiam nebulo experitur,dum postera luce in cubiculo sit repertus exanimis, incertum vtrum à diabolo suffocatus. Alio quoque tempore, dum sacros ordines celebrasset, tres monachos ad ordinem promouit presbyteratus. Completis itaque ordinibus, præsul sanctæ recordationis astantibus dixit. Hodie tribus monachis manus imposui, quorum duo pontificalis ordinis gratiam obtinebunt, vnus in ciuitate Wigorniæ, ac deinde in Cantia,& alter meam sedem quandoque adimplebit.Tertius voluptatum petulantia accensus, exitū miserabilem sortietur. Quam vtique sancti præsulis prophetiam, vt prædixerat,rerum exitus comprobauit.Eodē anno gens Northanhumbrorū,Eadredo regi fidē infringentes,Eilricum quendam Danica stirpe progenitum,super se regem statuerunt.

Vt rex Eadredus hostes suos potenter subiecit.

Anno gratiæ 948.rex Eadredus pro infidelitate Northanhumbrensium illam prouinciam deuastauit.In qua & monasterium in Ripun,à sancto Wilfredo olim constructū est ignibus concrematum.Sed (rege recedente) exercitus de Eboraco erumpens, in extrema parte exercitus regis multam stragem fecit. Hoc autem cognito à rege,redire disposuit, & omnes hostes suos vsque ad vnum delere. Sed gens Northanhumbrorum valde perterrita, Eilricum, quem sibi regem constituerat,abiicientes,Eadredi regis iniurias honoribus,& detrimenta muneribus exoluerunt.

De hæresi Anthropomorphitarū.

Anno gratiæ 949.in Italia exorta est hæresis Anthropomorphitarum,qui corpoream Deum habere formam contendunt,contra quam Richerius,Veronensium episcopus,eis & verbis reclamabat & scriptis.

De morte Eilrici regis

Anno gratiæ 950.rex Eilricus in quadā solitudine quæ Steinmor dicitur, cū filio suo Henrico & fratre Reginaldo,proditione Osulfi Comitis, à Macone consule fraudulenter interempti sunt,ac deinde in partibus illis rex Eadredus regnauit.

Vt rex Eadredus archiepiscopum incarcerauit.

Anno gratiæ 951. rex Eadredus Wlstanum Eboracensem archiepiscopum,in Withabirith,in arctam posuit custodiam, quia frequenter apud eum accusabatur certis de causis, vt qui ciues Theodfordenses plures occidi iussit, in vltionem abbatis Aldelmi iniuste ab eis interfecti.

Vt mortuo Algaro episcopo Aelfwoldus ei succesſerit.

Anno gratiæ 952.Algaro Crediensi pontifice defuncto,Ælfwoldus, consilio beati Dunstani,post eum successit.

Vt Wlſtanus de carcere ſoluitur.

Anno gratiæ 953. Wlstano Ebor.archiepiscopo de custodia soluto,apud Dorkacestriam episcopali restituitur dignitati.

De morte regis Eadredi.

Anno gratiæ 954.Osketellus vir bonus,& in rebus diuinis ad plenum eruditus, factus est archiepiscopus Ebor.

Anno gratiæ 955.rex Anglorum potentissimus Eadredus,anno regni sui 10. cum grauiter ægrotare cœpisset,missa celeri legatione,beatum Dunstanum confessionis gratia accersiuit. Quo festine ad palatium tendente,vox desuper clare sonuit,ipso audiente, Rex Eadredus,iam in pace quieuit.Ad quam vocem equus,cui insedit,pondus angelicæ vocis ferre non valens,absque vlla sessoris læsione,mortuus in terram corruit. Denique cum veniſſet ad regem beatus Dunstanus, reperit regem sub eodem tempore defunctū, quo illi angelus in itinere nunciauit. Regis autem corpus Wintoniam delatum est, & à beato Dunstano in veteri monasterio traditur sepulturæ. Successit ei in regnum Eadwius Eadmundi regis filius, & sanctæ Algiuæ reginæ, & apud Kingstonam ab Odone Cantuar.archiepiscopo regiam vnctionem suscepit.Huic quędā mulier innupta,licet natione præcelsa,cum adulta filia per nefandum familiaritatis lenocinium adhærebat, vt sese vel filiā suam,sub coniugali titulo sociaret.Quas ille,vt aiunt,alternatim, quod dicere nefas,turpi palpatu&absq; pudore libidinose tractauit.In die enim qua in regē cōsecratus est,con-

est,confestim post regiam vnctionem, de mensa subito prosiliuit princeps,& læta relinquit conuiuia, vt lasciuus voluptatē lenocinii vinolentus compleret. Displicuit factum optimatibus,& beatum Abbatem Dunstanum miserunt ad regem reducendum,vt in regali conuiuio fieret iucundus assessor. Qui iuxta principum iussa, adiuncto sibi Cynesio Episcopo,cognato suo thalamum ingressus inuenerunt coronam regiam, splendore decoram,procul à capite in terram vsque, negligenter auulsam, regemque inter vtrasque in luti volutabro volutantem. Dunstanus igitur tam enormi facto permotus, regi inquit, vestri principes, nos ad te rogando direxerunt, vt redeas ad tuæ sedis dignum triclinium, & simul cum eis iucundus existas,& mulierum pariter ineptias increpans,& manum regis dum surgere nollet arripiens, ad regale conuiuium furibundum reduxit. Tunc meretrix illa, Algiua nuncupata,contra virum Dei feruenti furore consurgens dixit,illū nimis fuisse temerarium, dum ad regis secreta non vocatus intrauit. Sicque benedictum Dunstanum mulier nequissima persequi non cessauit, donec regis animū contra venerabilem Abbatem in odium mortale conuertit.

De exilio S. Dunstani.

Anno gratiæ 956. Iohannes Papa creatus, sedit in cathedra Romana annis. 7. Algiua supradicta,mulierum nequissima, ex Eadwij regis consensu omnem substātiam monasterij viri Dei Dunstani diripiens, vrgente eiusdē regis imperio tandem ipsum à regno proscripsit,Qui Gallicanas secedens in partes, exilium coactus petiuit. Sed mulier virum Dei desiderans præuenire, misit lictores, vt fertur, qui ipsum si inueniretur, lumine oculorum priuarent,sed eo non inuento,confusi ad propria remearunt.

De expulsione Eadwii.

Anno gratiæ 957. rex Eaduius, quoniam in regimine sibi commisso insipienter egit,à Mercensibus populis,& Norensib.est penitus derelictus,nēpe sapiētes quosq; regni, & nobiles odio vanitatis disperdens, ignaros nihilominus,& iniquos studio dilectionis fouebat.Quo vnanimi omnium conspiratione deiecto,elegerunt,Deo dictante, fratrem eius Eadgarum in regem & annuente populo, res regni publica dispertita inter fratres, Thamesis fluuius regnum disterminaret amborum. Tunc Eadgarus beatum Dunstanum ab exilio reductum,in omni honore restituit pristinę dignitati.Excurso dehinc breui temporis interuallo, Kinewoldus Wigorniēsis Ecclesiæ Episcopus defungitur,& beatus Dunstanus,licet multum renitēs, electus, ab Odone Cantuariēsi archiepiscopo consecratur.

De archiepiscopo per Simoniam promoto.

Anno gratiæ 958.defuncto Brithelmo London.Episcopo, rex Eadgarus, in loco eius beatum substituit Dunstanum. Qui protinus apud Westmonasterium constructo ad duodecim monachos cœnobio,in loco vbi quondam Mellitus Episcopus B.Petro Ecclesiam fabricauerat,sanctum Wltium ibidem cōstituit Abbatem. Eodem anno sanctus Odo,Cantuar. archiepiscopus, regem Eadwium & Aelgiuam ab inuicem separauit, vel causa consanguinitatis,vel quia illam, vt adulteram, adamauit. Quo etiam anno idem Odo Dorobernensis archiepiscopus, vir ingenio clarus, virtute laudabilis, & spiritu Prophetiæ pollens, humanis rebus exemptus, in paradisum est Angelorum manibus deportatus. Quo ad cœlestia translato, Ealfsinus Vētanæ vrbis Episcopus,datis muneribus profusis per internuncios regem Eadgarum circumuenire studens,cum Simone mago thronum Cantuariensis Ecclesiæ,pecuniæ interuentu, conscendit. Qui primo introitus die abstinere non potuit,quin furias mente diu conceptas euomeret, ad tumulum sancti Odonis accedens,illudq; pede conculcās,dixit. Pessime senex nunc animā licet sero emisisti,& meliori locum faciens recessisti. Nunc vero quod diu concupieram teneo, te inuito,& inde tibi malas gratias ago.Et sic fatus, cum rabidus ille sopori membra dedisset sequenti nocte,vidit beati Odonis effigiem sibi astare,& improperare conuicium, atque velox illi exitium comminari. Sed Ealfsinus somnij vanitatem esse, quod viderat, exstimans,non minus ad obtinendum pallium Romam properabat, vbi cum per Alpes viam expediret inceptam, nihil aliud remedij habere potuit,dum niuali tempore esset congelatus, nisi exenteratorū equorum adhuc calentibus extis pedes immergeret, quibus sancti viri conculcauerat sepulturam.Sed nec sic algore deficiente, sed potius inualescente, vitam flagitiosam morte misera terminauit.

De morte Eadwii regis, & successione Eadgari

Anno gratiæ 959.rex Eadwius, postquam annis quatuor libidinose,simul & tyrannice regnum depressisset Anglorum,iusto Dei iudicio defunctus, Wintoniæ in nouo monasterio sepulturam suscepit. Cuius regnum frater eius Eadgarus, ab omni populo electus, suscipiens, diuisa regna in vnum compaginauit. Quo etiam anno Brithelmus Wellensis antistes ad summum sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ sacerdotium est electus. Erat autem nimis modestus, humilis & benignus, adeo quidem, vt tumidos quosque,

& rebelles

& rebelles sub correctionis verbere non vt debuit, cohiberet. Sed cum hoc à rege compertum fuisset, iussit eum ad relictam redire dignitatem, cuius loco omnium iudicio beatus Dunstanus archipontifex subrogatur. A quo nimirum, cum cæteris optimatibus, & ipse rex Eadgarus decenter instructus, improborum passim temeritatem coercuit, rebelles sub asperitatis correctione redarguit, iustos & modestos dilexit, desolatas Dei Ecclesias renouans ditauit abiectis à cœnobiis clericorum secularium venereis, ad laudē summi creatoris & gloriam, monachorum & sanctimonialium cateruas aggregans, plusquam 40. monasteria cōstrui præcepit. Hos omnes, vt fratres honorabat, & vt filios charissimos diligebat, admonens pastores, quos ipsis præposuit, vt illos regulariter viuere exhortarentur, quatenus Christo & sanctis eius omnibus cōplacerent. Erat enim vir Dei Dunstanus mira in omnibus ratione discretus, prudentiamq; fortitudinem, iustitiam, & temperantiā quoad vixit, Deo auxiliante veraciter custodiuit. Eodem anno, Leofvvino Lindissæ regionis antistite defuncto Ailnothus successit, & illi Asevvinus, cuius instantia sanctus Osvvaldus, Wigornien sis postea episcopus, Rameseiæ cœnobium consecrauit.

Vt sanctus Dunstanus pallium accepit.

Anno gratiæ 960. sanctus Dunstanus Romam profectus, à papa Iohanne pallium suscepit, & per viam pacis ad propria remeauit. Paucis exinde mēsibus interiectis, annuit rex Eadgarus, eius suggestione, vt beatus Osvvaldus admitteretur ad Wigornien sis Ecclesiæ præsulatum, vbi pet beatum Dunstanum episcopus consecratus, multis in ea virtutum signis claruit. Circa eosdem dies, defuncto Guthardo Selescien si Episcopo, Ælfredus successit.

De fundatione cœnobii de Thāstoke.

Anno gratiæ 961. Ordgarus Comes, cœnobium apud Tamstoke in Deuonia construxit, & illum religiosis monachis repleuit. Erat autem Comes Ordgarus pater Ælfdridæ, reginæ regis Eadgari, ex qua genuit Æthelredum postea regem Anglorum, sicut sequens historia latius declarabit.

S. Vvibertus decessit.

Anno gratiæ 962. sanctus Wibertus, Gemblacen sis cœnobii fundator, migrauit ad Christum.

In veteri monasterio Vvintoniæ pro clericis monachi substituuntur.

Anno gratiæ 963. defuncto Brithelmo Wintonien si Episcopo, sanctus Æthelvvoldus, abbas cœnobii Abendonien sis, & à sancto Dunstano nutritus, & moribus informatus, ei in episcopatu successit. Eodē anno iussu regis Eadgari, expulsis clericis seculariter viuentibus, vetus monasterium monachis religiosis, & regulariter conuersantibus in eorum loco substituit, Rex Eadgarus, cognomento Pacificus, duas fertur successiue habuisse reginas. Ex prima, Ælfleda scilicet candida, cognomento Æneda, Ordmari Ducis filia, Eadvvardum genuit postea regem & martyrem. Post cuius decessum accepit Ælfdritham, Ordgari Comitis filiam Æthelvvoldi Ducis orientalium Anglorum relictam, ex qua genuit duos filios, Eadmundum scilicet, & Æthelredum. De Wlfrida concubina, quam certum est sanctimonialem tunc non fuisse, sed timore regis puellam paruulam se velasse, genuit sanctam Editham, Benedictus papa sedit mēsibus duobus, & diebus 5. Leo papa sedit anno vno, & mensibus quatuor.

De restauratione cœnobiorum.

Anno gratiæ 964. rex Eadgarus Pacificus, in nouo monasterio apud Winton. & in Middeltona monachos collocauit, & illis Æthelgarum, istis vero Kinevvardum abbates præfecit.

De apparitione trium pontificum.

Anno gratiæ 965. Iohannes sedit in cathedra Romana annis 7. & mensibus 11. Per idem tempus S. Æthelvvoldus Wentanæ vrbis episcopus, cum nocte quadam, ad maius Ecclesiæ suæ altare ante sanctorum reliquias staret in oratione, tres sibi personæ reuerendæ apparuerunt, quarum illa, quæ media videbatur, has voces euidenter expressit. Ego sum (inquit) Birstanus, huius vrbis quondam episcopus, & partem ostendens dextram hic (inquit) est Birinus huius Ecclesiæ prædicator, & pontifex primus, & sinistram ostendens, hic est (ait) sanctus Svvithunus spiritualis huius Ecclesiæ & ciuitatis patronus. Noueris quoque quod sicut me cum eis vides in tua præsentia, ita cum eis in cœlo non dispari fruor gloria. Cur ergo defraudor mortaliū honorificentia in terris, qui magnificor cœlestium consortio spirituum in cœlis. Et his dictis, in aerē est eleuatus cū sociis, preciosam sui memoriam comprouincialibus relinquens in terris.

Vt rex Haraldus baptizatus fuerit.

Anno gratiæ 966. Danis cum Popone clerico, in conuiuio de cultura Dei altercantibus & Deorum, Danis asserētibus Iesum Christum Deū esse, sed maiores esse Deos, & illos esse antiquiores, Popone è contrario affirmante Iesum Christum solum verum Deum esse, vnum in substantia, & trinum in personis, rex Dànorum Haraldus dixit clerico, vt fidem propositam veritatis testimonio comprobaret. Et cum id clericus coram populo se probaturum affirmaret: ferrū ingentis ponderis valde ignitum, in manibus eius

feren-

ferendum ponunt. Quod cum clericus vsque ad placitum coram omnibus tulisset absque vlla lęsione, rex penitus abiectis idolis, se suosque ad colendum verum & solum Deum conuertit. Clericus vero ad Episcopatum promotus est.

Vt rex Eadgarus apud Remeseigiã sanctimoniales miserat.

ANNO gratiæ 967. rex Eadgarus in monasterio Rummeseigæ, quod auus suus, rex Eadwardus construxerat, sanctimoniales congregauit, sanctamq; Merwinnam, in eo Abbatissam ordinauit

Rex Eadgarus apud Exoniam monachos ordinauit.

ANNO gratiæ. 968. rex Eadgarus in Exonia monachos congregans, virum religiosum Sidemannum illis vice Abbatis præfecit. Eodem anno mortuo Lindissæ regionis Episcopo, Aelffius vir in rebus Ecclesiasticis eruditus successit. Eodem anno fundatum est nobile cœnobium Ramesiæ à Comite Aethelwino, quod in posterum in spiritualibus & temporalibus fœlix suscepit incrementum.

Vt apud VVigorniam pro clericis, monachi sunt constituti.

ANNO gratiæ 969. rex Eadgarus Pacificus, Episcopis per Angliam constitutis præcepit, vt in maioribus cœnobiis, & Ecclesiis cathedralibus, expulsis clericis, monachos subrogarent. Vnde sanctus Oswaldus, ex clericis Wigorniensibus monachos faciens, habitum religionis assumere coegit. Renuentes quidem ab omni beneficio spoliauit.

De translatione reliquiarum s. Swithuni.

ANNO gratiæ 970. sancti Swithuni reliquiæ venerandæ, peractis à sepultura eius centum, & decem annis, idibus Iulii sublatæ sunt, de sepulchro, & à beato Aethelwoldo eiusdem Ecclesiæ Episcopo, sicut ei fuerat diuinitus imperatum, in basilicam apostolorum Petri & Pauli honorifice sunt translatæ. Quo vtique anno, mortuo Aelfredo Selesiensi pontifice, successit Eadelmus.

De morte duorum Ducum nobilium.

ANNO gratiæ 971. Eadmundus filius regis Eadgari, Aelfegus Dux Southamtoniæ, & Ordgarus Dux Deuoniæ, socer regis diem clausere supremum. Benedictus Papa sedit in cathedra Romana anno vno, & mensibus sex.

De dedicatione noui cœnobii VVentanæ vrbis.

ANNO gratiæ 972. rex Eadgarus noui monasterii fabricam vrbis Wentanæ, à patre suo Eadmundo inchoatam, & à se perfectam dedicari fecit. Eodem anno, mortuo Osketello, Ebor. archiepiscopo, sanctus Oswaldus, Ecclesiæ Wigornienſis episcopus, pro eo archiepiscopus consecratur.

Rex Eadgarus coronam portauit.

ANNO gratiæ 973. rex Anglorum Eadgarus Pacificus, anno ætatis suæ 30. die Pentecostes, præsentibus præsulibus, Dunstano & Oswaldo, cæteriſque totius Angliæ pontificibus, ac magnatibus vniuersis, apud Akemanceastre/ quæ latine Bathonia dicitur, coronam portauit, & ibidem cum gloria & honore regaliter consecratur, datis singulis donariis consuetis, quæ in regum coronationibus dari magnatibus consueſcunt.

Vt rex, Eadgarus a subregulis suis fidelitatem. accepit.

ANNO gratiæ 974. Otho secundus Romanum adeptus imperium, annis. 10. imperauit. Eodem anno, Donus papa sedit Romæ anno vno, & mensibus sex. Per idem tempus applicuerunt in insulam Thanet, mercatores ab Eboraco venientes, qui continuo ab insulanis illis capti sunt, & bonis omnibus spoliati. Vnde rex Eadgarus ira commotus, in raptores illos ita desæuit, quod omnes à rebus habitis spoliauit, nonnullos vero vita priuauit. Sub his quoque diebus, reuelatum est cœlitus corpus Aelgiuæ matris Eadgari regis, in loco qui Septonia nuncupatur. Eodem anno rex Pacificus Eadgarus, ad vrbem Legionum veniẽs, ab octo subregulis suis, Kinedo scilicet rege Scotorum, Malcolmo Cumbrorum, Macone rege Monæ & plurimarum insularum, Dufnal rege Demetiæ, Sifertho, & Howel regibus Walliæ, Iacobo rege Galwalliæ, & Iukil Westimariæ iuramentum fidelitatis accepit. Et in crastino cum illis nauem ascendens, subregulis ad remos locatis ipse gubernaculum arripuit, nauiculamque per cursum fluminis perite dirigens multis admirantibus, simili nauigio sequentibus magnatibus vniuersis, à palatio vsque ad monasterium sancti Iohannis Baptistæ nauigauit, vbi diuinis expletis ministeriis, eadem pompa ad palatium remeauit, quod dum intraret, optimatibus dixisse fertur, tunc demum quemque suorum successorum, se posse gloriari regẽ fore Anglorum, cum tot regibus sibi obsequentibus, talium pompa potiretur honorum. Eodem anno terræmotus magnus totam Angliam concussit.

De prudentia Eadgari regis.

† 3600.

ANNO gratiæ 975. rex Eadgarus Pacificus, regni sui prospiciens vtilitati pariter & quieti, † quatuor millia octingentas sibi robustas congregauit naues. E quibus mille ducentas in plaga Angliæ Orientali, 1200. in Occidentali, 1200. in Australi, 1200. in Septentrionali pelago constituit, vt ad defensionem regni sui contra exteras nationes bellorum discrimina sustinerent. Habebat autem præterea, omni tempore vitæ suæ, consuetudinẽ per omnes regni prouincias trãsire, vt quomodo legum iura, & suorum statuta decretorum à principibus obseruarentur, & ne pauperes à potentibus præiudicium passi opprimerẽtur, diligenter inuestigare solebat, in vno fortitudini, in altero iusticiæ studens,

& rei-

& reipublicæ regniq; vtilitati consulens in vtroq;. Hinc hostibus circumquaq; timor, & amor omnium erga eum excreuerat subditorum. Deinde per totam Angliam, nouam fieri præcepit monetam, quia vetus vicio tonsorum adeo erat corrupta, vt vix nummus obulum appenderet in statera. Eodem quoque tempore, Ælffius Episcopus, & Comes Eadulfus Kinedum regem Scotorum, ad regem Eadgarum conduxerunt. Quem cum perduxissent ad regem, multa donaria à regia largitate suscepit, inter quæ contulit ei centum vncias auri purissimi, cum multis sericis ornamentis, & annulis, cum lapidibus præciosis. Dedit præterea eidem regi terram totam, quę Laudian patria lingua nuncupatur, hac conditione, vt annis singulis in festiuitatibus præcipuis, quãdo rex & eius successores diadema portarent, venirent ad curiam, & cum cæteris regni principibus festum cum lætitia celebrarent. Dedit insuper ei rex mansiones in itinere plurimas, vt ipse & eius successores ad festum venientes, ac denuo reuertentes, hospitari valuissent, quæ vsq; in tempora regis Henrici secundi in potestate regum Scotiæ remanserunt.

De morte Eadgari regis & successione Eadwardi.

Eodem anno flos & decus regum, gloria & honor Anglorum, rex Pacificus Eadgarus, cuius largitas & magnificentia totam iam Europam repleuerat, anno ætatis suæ 32. regni vero 16. ex hac vita transiens, pro regno terreno commutauit æternum. Cuius corpus Glastoniam delatum est, & ibidem more regio tumulatum. Quo defuncto (vt dictum est) de rege eligendo magna inter regni principes dissensio est exorta. Quidam enim filium regis primogenitum Edwardum, quidam vero fratrem suum Æthelredum, de secunda vxore generatum, vnanimiter elegerunt. Quam ob causam duo Archiepræsules, Dunstanus Cantuar. & Oswaldus Eboracensis, cum Episcopis, abbatibus, & Ducibus in vnum conuenientes, Eadwardum, vt pater eius moriens dictauerat, elegerunt, electum consecrauerunt, & in regem, quibusdam murmurantibus, inunxerunt. Nam nouerca eius Ælfdritha, filium Æthelredum, vix septennem puerulum, promouere conabatur, vt potius sub eius nomine regnare videretur. Sicque post decussum regis Pacifici, regni status perturbatus est, & in execratiorem commutatus. Nam principes plurimi & optimates, abbates cum monachis de monasteriis, in quibus rex Eadgarus eos locauerat, expulerũt, & clericos, vt prius, loco eorum cum vxoribus induxerunt. Nam vnus eorum Ælferius nomine, omnia pene monasteria, quæ reuerendissimus Æthelwoldus in prouincia Merciorum construxerat, magna vsus insolentia, subuertit. Sed super his quæstionibus ad beatum Dunstanum delatis, synodum apud Winton. congregauit, & in medio partium conflictu disputationis, imago dominica, quæ altercãtibus astabat in Ecclesia, expresse locuta, ita allegat, quod clericos omnes & eorum fautores confusos reddidit & elingues. Sed adhuc animis exactorum crudelium non sedatis, alia synodus Calnæ constituitur, vbi cũ in cœnaculo, absente rege propter imbecillem ætatem confidentibus totius regni senatoribus, magno conflictu hinc inde allegantium res ageretur, & Dunstanum quasi Ecclesiæ murum multorum iacula conuiciorum impeterent, nec vincerent, solarium subito totum, in quo confidebant, cum axibus dissoluitur & trabibus, omnibusque in terram truculenter elisis, solus Dunstanus stans super vnam, quæ superstes erat, trabem, absque læsionem euasit. Cæteri omnes partis aduersæ, vel exanimati sunt, vel languore perpetuo sunt detenti. Hoc miraculum contulit pacem beato Dunstano & Monachis ab impetu clericorum & aliorum: gratia hæc, & his similia, operante diuina.

Cometa apparuit, & fames secuta est.

Anno gratiæ. 976. Cometa apparuit, & dira fames subsecuta est. Eodem anno Benedictus sedit in cathedra Romana, annis 9. & mensib. 6. Eodem anno defuncto Algaro, Cridiensi Episcopo, Ælwoldus successit.

De benignitate regis Eadwardi.

Anno gratiæ. 977. Ælfdritha, Eadwardi, noui regis nouerca, filium suum omni nisu in regem promouere studens, Eadwardum verbis adulatoriis circumuenire laborauit. Ille vero paternæ religionis & pietatis vestigia imitatus, regis solummodo sibi nomen retinens, Æthelredo fratri & matri eius, omnia regni negotia ordinati permisit.

De passione sancti Eadwardi martyris.

Anno gratiæ. 978. cum rex Eadwardus die quadam in venatione lassus, & siti nimis affectus, potum solus quæreret, commilitonibus suis & ministris, canes quocunque casus ducebat, insequentibus, audito quod nouerca eius, & frater in villa quadam, quæ Corneſgate dicitur habitarent, concito equitatu illuc pertendit, nihil sinistrum propter innocentiam suspicans, sed aliorum corda, ex sui pectoris moderamine, ponderabat. At nouerca eius, blandis cum sermonibus venientem alliciens, sibi fecit intendere, & post oscula sibi porrecto poculo, regem illud auide haurientem, per lictoris manus sica transfodit. Rex vero, cum se lætaliter vulneratum cognouit, equum calcaribus vrgere cœpit, vt

rediret ad suos, exundante iugiter cruore, vnde suæ mortis indicia se quærẽtibus ministris dedit. Tunc Ælfdritha, mulier illa nequissima, eiusque filius Æthelredus, corpus sancti Eadwardi regis & martyris, sine honore apud warham sepeliri iusserunt, publicam lætitiã agentes & festiuam, ac si cum corpore, pariter & memoriam sepelissent. Inuidebant enim mortuo Ecclesiasticam consedere sepulturam, cui viuendi decus regium auferebant. Sed affuit diuinæ miserationis consensus, qui innocenter cæsum miraculorum gratia sublimauit. Nam adeo cœlestia ibidem visa sunt delapsa fuisse luminaria, vt etiam cum ipsis luminum radiis, claudis restituerentur gressus, cœcis visus, mutis loquela, & cuiuscumq; infirmitatis liuore detenti, optatæ sanitatis præmia consequuntur. Fit concursus populorum totius regni ad martyris sepulturam, & inter alios, eius interfectrix iter illuc arripuit. Iamq; equum ascensum cum stimulis vrgeret, qui antea ventis promptius auras ipsas præcurreret, & dominam ardenter & quasi effrænus portare assuesceret, tunc Dei nutu stabat immobilis, præcipue cum ministri, hinc verberibus, illinc clamoribus, equum vndiq; stimulis excitarent. Inanis labor assumitur, dum equo mutato casus idem subsequitur. Tunc Aelfdritha, viso Dei miraculo, mire pœnituit, adeo vt multis annis carnem suam in deliciis nutritam, apud Warewellam cilicio domaret, solo prostrata somnum caperet, & cruciatus, quoscumq; potuit, corpori applicauit. Aelferius quoq;, ille de quo supra meminimus, quod monachorum monasteria destruxisset de culpa anxie pœnitẽs, sacrum regis corpus de loco ignobili transferens, apud Septoniam digno honore locauit. Sed nec sic dignã vltionem effugiẽs, post annum corpus eius totum vermibus dicitur esse consumptũ. Splendidum quoq; beatissimi regis martyrium clare rutilat per infinita sæcula sæculorũ, Amen.

De coronatione regis Æthelredi.

Anno gratiæ. 979. Athelredus, frater sancti Eadwardi regis & martyris, & Aelfdrithæ filius, iuuenis egregius, decorus aspectu, pulcher in vultu, procerus corporis statu, à sanctis præsulibus Dunstano Cantuariensi, & Oswaldo Eboracensi, & decem Episcopis die dominica 8. Kalendas Maii, in Kingstona regni diadema suscepit. In qua coronatione prædixit ei beatus Dunstanus, spiritu prophetiæ plenus, ea quæ de ipso ventura erant, & quod multas tribulationes esset in regno passurus, his verbis. Quoniam aspirasti ad regnum per mortem fratris tui, quem occidit mater tua, propterea audi verbũ domini. Hæc dicit dominus. Non deficiet gladius de domo tua, sæuiens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo, quousque regnum tuum transferatur in regnum alienum, cuius ritum, & linguam gens, cui præsides, non nouit, nec expiabitur nisi longa vindicta peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum virorum illorum, qui interfuere consilio eius nequam. Post hanc beati Dunstani viri Dei, prophetiam, nubes per totam Angliam nunc sanguinea, nunc ignea visa est, dehinc in radios diuersos, & varios mutata colores, circa auroram disparuit. Item de isto Aethelredo dicit Gulihelmus Malmesberiẽsis sic. Cum pusiolus iste in fontẽ baptismi mergeretur, circumstantibus Episcopis alui profluuio sacramenta interpolauit. Quare Dunstanus turbatus, per dominum inquit & matrem eius, ignauus homo erit. Cum itaq; decennis puer, Eadwardum fratrem necatum conclamatum audiret fletu suo furentem genetricem adeo irritauit, vt quia flagellum ad manum non habebat, acceptis candelis innocentem verberauit. Quapropter tota vita ita candelas exhorruit in posterum, vt nunquam ante se pateretur inferri lumen earum. Eodem anno Dux Merciorum Aelferius, cum multitudine populi warham, vt supra dictum est, venit, corpus pretiosi regis & martyris Eadwardi de tumulo leuari fecit. Quod cum esset nudatum, sanum & incolume repertum est ab omni contagione vulneris, lotumque deinde, ac nouis vestibus indutum, apud Septoniam est honorifice tumulatum.

Guil. Malm. lib. 2. de gest. reg. fol. 62.

De Danica persecutione.

Anno gratiæ. 980. Suthamtonia à piratis depopulata, ciues eius fere omnes, vel occisi, vel captiui sunt abducti. Indeq; recedentes Teneth insulam deuastant, & post vrbem Legionum grauiter infestant.

De natiuitate Eadmundi Ironsidæ.

Anno gratiæ. 981. rex Aethelredus, cuiusdam Ducis filiam accipiens vxorem, genuit ex ea filium, quem vocauit Eadmundum. Quo vtique anno monasterium sancti Petroci in Cornubia à Danicis deuastatur piratis, qui & in Deuonia, & Cornubia frequentes agebant rapinas.

De Danorũ persecutione.

Anno gratiæ. 982. tres piratarum naues in prouincia Dorsetensium applicantes, Portlandiam totam vastauerunt, & ad naues refugerunt.

De concupiscentia regis Aethelredi.

Anno gratiæ. 983. surrexit inter regem Æthelredum & Roffensem Episcopum contentio, sed qua de causa habetur incertum. Quo circa rex contra Roffensium ciuitatem obsidionem componens, eam debellare disposuit, Mandauit regi beatus Dunstanus, vt desisteret ab inceptis, ne sanctũ Andream, illius ciuitatis patronum, irritaret, sed

nec

nec propter beati viri admonitionem rex discedere voluit, priusquam ab Episcopo centum libras accepit. Miratus sanctus Dunstanus regis cupiditatem, hæc per suos verba regi nunciauit. Quia prætulisti argentum Deo, pecuniam Apostolo, cupiditatem mihi, violenter venient super te mala, quæ locutus est dominus, sed hæc, me viuente, non fient. Iam vero post beati viri obitum, vt ipse prædixerat, Danis omnes portus regni infestantibus, dum nesciretur vbi eis occurri deberet, decretum est à viris prudentibus, vt vincerentur argento, qui non poterant ferro. Itaq; decem millia librarum soluta, Danorum auaritiam expleuerunt, vt beati Dunstani vaticinium impleretur.

ANNO gratiæ. 984. Iohannes sedit in cathedra Romana, mensibus nouem, cui succedens alius Iohannes, sedit 9. annis. Quo etiam anno Otho tertius Romanum adeptus imperium, annis decem, & nouem imperauit. Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnauerint: tamen postea fuit institutum, vt per officiales Imperii Imperator eligeretur: qui sunt septem, videlicet primo tres cancellarii isti: Moguntinensis, cancellarius Germaniæ. Treuerensis, cancellarius Galliæ: Colonienſis, Italiæ cancellarius. Marchio Brandenburgensis, camerarius est: Palatinus dapifer: Dux Saxoniæ, ensem portat. Rex Bohemus, pincernam agit. Vnde versus.

S. Æthelwoldus Winton. Episcopus migrauit ad dominũ.

Moguntinensis, Treuerensis, Colonienſis:
Quilibet Imperii sit cancellarius horum:
Et Palatinus, dapifer: Dux, portitor ensis.
Marchio, præpositus cameræ: pincerna, Boemus:
His statuunt dominum cunctis per secula summum.

Hæc in chron. Martini, tempore Othon. Imperator. Eodem anno sanctus Æthelwoldus, Wintonienſis præsul, migrauit ad dominum, cui Ælfegus abbas Bathonienſis, vir literatus & moribus ornatus, successit.

ANNO gratiæ. 985. defuncto Kinewaldo Wellensi Episcopo, Sigarus abbas reuerendissimus successit. Quo etiam anno Dux Merciorum Ælfricus, Ducis Ælferi filius, à regno expellitur.

ANNO gratiæ. 986. rex Anglorum Æthelredus, qui prohibente beato Dunstano centum libras ab Episcopo Roffensi extorserat, pro pace breuissima pensionem 16. millium librarum persoluere compulsus est.

De tributo Danis soluto.

ANNO gratiæ. 987. duæ pestes Anglorum gentem, febris scilicet hominum, & mortalitas animalium afflixerunt, & clade perualida tam populum afficiendo, quam iumenta consumendo, per omnes fines regni grauiter contriuerunt.

De afflictione gentis Anglorum.

ANNO gratiæ. 988. beatissimus confessor domini, & Archipræsul Dunstanus, laudabilis vitæ cursum, fœlici exitu terminauit. 14. Kal. Iunii. Sabbato. Cuius miraculorũ gloria, in vtero suę matris exordiũ habuisse leguntur. Deniq; sanctitatis eius futuræ rerum author Deus, iucundo prodigio præueniens, matri Dunstanum in vterò gestanti filii nondum nati, quid esset futurus, ostendit. Nam in die purificationis beatæ virginis Mariæ, & dum esset in Ecclesia, præsenti populo ciuitatis cũ candelis accensis, presbytero ad officium altaris solemniter sacris ornamẽtis adornato, omnium repente luminaria, seu casus, siue Dei nutus extinxit. Omnibus igitur stupefactis, matris Dunstani cereus subito lumen accepit, cæterisq; communicato lumine, hilaritatem restituit. Eius processu temporis, cithara paxillo suspensa, sine humano tactu, Gaudent in cælis, antiphonæ melodiam suauiter resonabat. Ille quoq; quascunq; diaboli fraudes diuino spiritu præuidens, diabolum in specie mulieris pulcherrimæ ad se venientem, & in spiritu fornicationis illum tentare volentem, ignitis forcipib. per nasum arripuit, & illum tam diu tenuit, donec in diuersas, & terribiles valde transmutatus formas quod diabolus esset euidenter ostendit. Qui tandem dimissus aerem corrumpendo turbauit, quod assistentibus fœda vestigia discedẽs reliquit. Defuncto igitur beatissimo patre Dunstano, successit ei Æthelgarus, qui prius in Nouo manasterio abbas à beato Æthelwoldo Winton. creatus, postea apud Selesiam pontificatus honorem suscepit, cui ad Selesiensem Ecclesiam Ordbrithus successit.

De morte S. Dunstani Cantuar. Archiepisc.

ANNO gratię. 989. defuncto Æthelgaro Cantuar. Archiepiscopo, successit ei Ælfricus, qui prius abbas Abbendonensis erat. De quo dicunt quidam, ipsum apud Cantuariam perturbatis clericis monachos posuisse, verisimile non videtur. Constat enim monachos in Ecclesia sancti saluatoris fuisse à tempore Laurentii Archiepiscopi, qui primus beato Augustino successit.

ANNO gratiæ. 990. Mildredo, Lindiffarnensi antistite, ex hac luce subtracto, Aldhunus ei successit. Per idẽ tempus, Ælfrico Cantuar. Archiepiscopo, Siricius successit, qui

De discordia orta inter re-

regẽ Aethelredũ & Richardum Ducem Normãnie.

Wiltonensis præsul ante erat. Eodem tempore suborta est discordia inter regem Anglorum Æthelredum & Richardum Ducem Normannorum, hac de causa. Habuit rex Æthelredus Emmam filiam prædicti Ducis, sibi matrimonio copulatam, quæ regi duos filios Ælfredum genera uit & Eadwardum. Huic vxori suæ rex adeo proteruus erat, vt vix eam in cubiculo admittere dignaretur. Illa autem alti sanguinis progenie ducens originem, in maritum tumebat, famamq; viri sui apud patrem suum non mediocriter denigrabat. Vnde idem Dux quoscumq; homines, clericos siue laicos, de regno Anglorum, qui per terram suam transitum faciebant, capiens, quosdam interfecit, & nonnullos sub carcerali custodia deputauit. Hoc quoque dissidium, cum à Papa Iohanne fuisset compertũ, misit in Angliam Leonem Treuerensem Episcopum, qui pacem firmam inter eos reformauit, & potentes iam dictos ad vnitatem reduxit.

De tributo Danis soluto.

Anno gratiæ. 991. Dani Gippeswicum deprædantes, Ducem Orientalium Saxonũ Brithnothum, apud Meldonam interemerunt. Quo audito, datum est eis tributum, decem millia librarum per consilium Siricii Cantuar. Archiepiscopi, & aliorum nobilium regni, vt à crebris rapinis, crematio nibus, & hominum cædibus, quæ circa maritima agebant, cessarent.

Sanctus Oswaldus Archiepiscopus obiit.

Anno gratiæ. 992. sanctus Oswaldus, Eboracensis archiepiscopus, pridie Kal. Martii, ex hac vita transiens, regni cœlestis gaudia conscendit, & Wigorniæ in Ecclesia beatæ virginis Mariæ, quam ipse fundauerat, sepultus, Medeshamensem abbatem, Ældulphum habuit successorem. Eodem anno ex præcepto regis Æthelredi, multæ naues militibus electis munitæ, Aelfricum, Theodredum, Aelstanum, & Esewinum Duces illis præficiens, præcepit vt irruptionibus resistere laborarent. Verum Dux Aelfricus nuncium ad hostes mittens, rogauit vt ab insidiis sibi paratis præcauerent. Sed cum tandem inter partes aduersas, nauale prælium debuit committi, ipse Dux proditor Ælfricus, clam ad Danicam profugit classem. Sed instante necessitate, fœdam cum eis iniit fugam. Quos fugientes regis satellites insecuti, vnam nauem ex Danica classe ceperunt, & omni in ea multitudine cæsa, spoliauerunt. Sed aliis Danorum piratis fugientibus, naues Londonienses occurrerunt, & commisso cum eis prælio, multa Danorum millia peremerunt. Insuper & Ælfrici Ducis nauem, cum militibus & armis, ipso vix elapso, ceperunt.

De Danorũ persecutione.

Anno gratiæ. 993. prædictus paganorum aceruus Baanburgam fregit, & spoliauit, Northanhumbriam, & Lindesciam deuastauit. Contra quos, cum prouinciales prælium essent commissuri, duces exercitus Frana, & Frithegistus, simul & Godwinus, quia ex Danica progenie nati fuerunt, suis insidias parantes, authores fugæ primitus extiterunt. Hoc quoq; anno, iussu regis Æthelredi, Algarus prædicti Ælfrici proditoris filius, luminibus est priuatus.

De grani tributo Danis soluto.

Anno gratiæ. 994. Suanus rex Danorum, & Aulafus rex Norwegensium, in die natiuitatis beatæ Mariæ, cum cogonibus 94. Londonias aduehuntur. Quam mox acriter inuadentes, eam subiugare disponunt. Sed à ciuibus, cum magno suorum detrimento repulsi ad Eastsexiæ, Cantiæ, Suthsexiæ, Suthamtoniæ prouincias furorem suum conuertentes, eas spoliauerunt, & cæsis populis grauiter contriuerunt. Tunc rex Æthelredus, consilio suorum, dedit eis pensionem de tota Anglia collectam 16. millium librarum, vt à rapinis, & cædibus hominum innocentium cessarent. Tunc rex Aethelredus Aelfegum Winton. Episcopum, & Ducem Athelwoldum ad regem Aulafum destinauit, quem ad villam regiam vbi rex Aethelredus tunc erat, pacifice perducentes, & ad eius petitionem sacro fonte intingentes, ab Episcopo confirmari fecerunt. Quem rex in filium adoptionis suscipiens, regiis eum muneribus honorauit, & deinde ęstate superueniente ad suam patriam pacifice remeauit.

Corpus S. põtificis Cuthberti translatum est.

Anno gratiæ. 995. corpus sancti Cuthberti pontificis, sicut oraculo cœlesti fuerat præostensum, in Dunelmium translatum est, vbi sedis Episcopalis est deinceps constituta. Tempore enim, quo Lindiffarnensis Ecclesia ab Hinguare & Hubba deuastata est, Eardulphus tunc illius Ecclesiæ antistes, cum rebus, quæ in Ecclesia erant, & etiam corpus beati Cuthberti incorruptum tollens, per aliquot annos in sedibus vagabatur incertis, donec in loco qui Cunengeceſtre dicitur, Episcopalis fuerat cathedra collocata. Acta autem sunt hæc tempore magni regis Aelfredi, vt superius est stylo exaratum.

Richardus Dux Normãnorum obiit.

Anno gratiæ. 996. Gregorius sedit in cathedra Romana annis duobus. Eodem anno Dux Normannorum Richardus diem clausit extremum, quo apud Fiscamium sepulto, successit Richardus filius eius, qui secundus dicebatur.

De depopulatione Danorum.

Anno gratiæ. 997. defuncto Sigaro Wellensi Episcopo, Ælfwinus successit. Eodem

dem anno, septentrionalis Wallia, Dorsetensis, Deuonienſis, Cornubienſis prouinciæ, nullo obstante, à Danis igne, & ferro, cum cædibus hominum, & rapinis desolatæ sunt, & cœnobium, quod Thauistoke dicitur, est ignibus concrematum. *De populatione Danorũ.*

ANNO gratiæ. 998. Ioannes sedit in cathedra Romana, mensibus decem. Eodem anno successit ei Siluester, qui & Gerebertus, annis quatuor & mense vno. Iste Gerebertus ex Gallia natus, apud Floriacum à puero monachus adoleuit. Qui vel tædio, vel cupiditate ductus, de nocte fugiens ad Hispaniam, vt astrologiam disceret, conuolauit. Quo cum peruenisset, iunxit se Gerebertus cuidam illius artis perito, qui libros ei Astronomicos præbuit ad scribendum. Erat autem inter cæteros codex vnus totius artis conscius, quem nullo modo elicere poterat de manibus magistri. Ardebat è contra Gerebertus in concupiscentia libri, vnde ad preces conuersus, vbi nihil profecit, donaria multa offert, & plurima pollicetur. Sed omnib. à magistro promissionibus cõremptis, Gerebertus nocturnas parat insidias, vt saltem furto codicem surripiat. Itaq; magistrum conuiuantem, etiam filia eius, quam amabat Gerebertus, patrem vino inebriatum lecto componit, volumenq; sub ceruicali stertentis positum Gerebertus arripuit & fugit. Magister somno excussus, indicio stellarum qua erat arte peritus, insequitur fugientem. Gerebertus quoque ex stellarum inspectione magistrum se insequentem comperiens, sub ponte ligneo, qui prope erat, se abscondit pendulus, & pontem amplectens vt nec aquam tangeret neque terram. Ita quærentis auiditate frustrata, magister domum reuertitur confusus. Tunc Gerebertus iter expediens, venit ad mare, vbi per incantationes diabolo aduocato, homagium ei fecit, vt se a magistro insequente tutum vltra pelagus supportaret. Quod factum est. Igitur Gerebertus Galliam repatrians, publicas ingressus est scholas, vbi multos prædictæ scientiæ habuit discipulos. Fertur de hoc Gereberto quod fuderit sibi statuæ caput, certa inspectatione siderum, cũ omnes videlicet planetæ exordia cursus sui meditarentur. Et hoc caput, non nisi interrogatum loqueretur, sed verum vel negatiue vel affirmatiue pronunciaret. Vt verbi gratia, cum diceret Gerebertus, ero Apostolicatus? Respondit statua, etiam. Morior antequam missam cantem in Hierusalem? Non. Hic illum ambiguo deceptum ferunt, vt nihil ante mortem cogitaret pœnitentiæ, qui confidebat de longo tempore vitæ. Nec præuidit quod est Romæ Ecclesia Hierusalem vocata, vbi cantat missam papa, cum prætitulatur statio ad Hierusalem. Vbi cum missam cantasset Gerebertus, lecto statim infirmatus decubuit, & statua consulta, deceptionem suam & mortem cognouit. Licet autem sceleratissimus esset, de misericordia Dei non desperans, reuelando coram omnibus peccatum, membra omnia, quibus obsequium diabolo præstiterat, præcidi iussit. Habeat (inquit) membrorum officium, qui eorum quęsiuit homagium. Nam animus meus nunquam illud maleficium, imo sacrilegium, adamauit, & deinde truncum mortuum super bigam iussit poni, vt vbicunq; animalia perducerent & subsisterent, ibi sepeliretur. Quod factum est. Sepultus est in Lateranensi Ecclesia, & in signum misericordiæ consecutæ, sepulchrum ipsius tam ex tumultu ossium, quam ex sudore, præsagium est morituri Papę, sicut in eodem sepulchro est literis exaratum. *De Gereberto apostata.*

IN diebus huius Gereberti fuit prope Romã in campo Martio statua quædam ænea. Cuius dextra manus digitum habens extentum, quem indicem dicimus, & scriptum in capite, hic pereute. Hoc, illius temporis homines, ita intelligendum putauerunt, quod in statua thesaurum inuenirent, multi eam innocentem securium ictibus inaniter laniabant. Sed illorum Gerebertus errorem aliter exponens, in meridie, sole in centro existente notauit quo se vmbra extenderet, & ibi palum fixit. Mox nocte superueniente, solo cubiculario lucernam portante comitatus, eo contendit. Ibi terram solitis incantationibus aperiens, latũ ingredientibus introitum patefecit. Conspexerunt ingens palatiũ aureos habens parietes, aurea lacunaria, aurea vniuersa, vident milites aureos aureis tesseris, quasi animũ oblectantes. Regem quoq; conspicantur metallicum cum regina discumbentem, apposita fercula, ministros astantes, pateras multi pretii & ponderis, vbi naturam vincebat opus. In interiori parte domus, lapis carbunculus tenebras noctis fugauit. In contrario angulo stabat puer arcum tenens extento neruo, & intenta sagitta, ita quod in omnibus nostrum tentationibus intuitum nihil erat, quod impune posset tangi, & si posset videri. Cõtinuo enim, vt quis manum ad contingendum aptaret, videbantur omnes imagines illæ prosilire, & impetum facere in præsumptorem. Quo timore pressus Gerebertus, à rebus abstinuit concupitis. Sed cubicularius cultellum artificiose nimis operatum, quem mensæ vidit superpositum arripuit, arbitratus in tanta copia paruum latrocinium posse latere. Verum mox omnibus imaginibus cum fremitu exurgentibus, puer emissa sagitta in carbunculum *De thesauro Octauiani.*

bunculum,tenebras induxit,& nisi ille monitu domini sui cultellum reiicere acceleraſſet, graues ambo pœnas pertuliſſent. Sic,non ſatiata Gereberti cupidine,reuerſi ſunt confuſi,greſſus eorum lucerna dirigente.

De Cãtia depopulatione. ANNO gratiæ.999. paganorum exercitus nefandus Occidentalem Cantiæ plagam ferme totam demoliti ſunt. Vnde ad Roffenſium vrbẽ deuecti,eam obſidione vallauerũt. Contra quos Cantuarienſes deſtinati,aſperum cum eis conflictum inierunt. Sed hinc inde multis interfectis,Dani tandem victoriam reportarunt. Contra quos rex Æthelredus exercitum dirigens,parum vel nihil profecit.

Rex Æthelredus Monã inſulam ſubiugauit. ANNO gratiæ. 1000.claſſis Danorum præfata Normanniã hoſtiliter petiuit. Quo audito, Æthelredus rex Anglorum interim Monam inſulam ſibi potenter ſubiugauit.

De perſecutione Danica, & inuentione ſancti Iuonis. ANNO gratiæ. 1001.memoratus paganorum exercitus,de Normannia rediens, Exonienſem vrbem obſedit. Sed ciuibus viriliter reſiſtentibus,receſſerunt. Cõtra quos Deuonienſes, Sumerſetenſes, Dorſetẽſes congregati,in loco qui Penho dicitur, certamen cum hoſtibus commiſerunt. Vbi Dani, multa Anglis illata ſtrage,victoriam habuerunt. Inde pagani ad Vectam inſulam curſum dirigentes, illam totam cum vicinis prouinciis, nullo obſiſtente, rebus omnibus ſpoliauerunt. Eodem anno inuentum eſt non procul à cœnobio Rameſiæ corpus ſancti Iuonis Epiſcopi & confeſſoris, octauo Kal. Maii. Cuius inuentionem cum non reuerenter acceptaſſet abbas Rameſ. grauiter punitus eſt.

Rex Æthelredus Danis tributum dedit. ANNO gratiæ. 1002. rex Æthelredus conſilio primatum ſuorum,Danis pro bono pacis tributum 24. millium librarum ſoluit. Eodem anno Ældulphus Ebor. Archiepiſcopus ſancti Oſwaldi archipræſulis reliquias de ſepulchro leuauit, & 17. Kalend. Maii, in theca,quam parauerat, honorifice collocauit. Nec multo poſt idem Archiepiſcopus, ex hac luce translatus, Vlſtanum Wigornienſem antiſtitem habuit ſucceſſorem, Vlſtano ad Wigornienſem Eccleſiam ſucceſſit Leofſius.

Deſcriptio Eadrici proditoris. ANNO gratiæ. 1003. rex Anglorum Æthelredus, Ducatum Merciorum Eadrico cuidẽ proditori,cognomento Streonç,dedit,cui nõ nobilitas ſed opes,regis gratiam emerunt.Erat autem iniquus ille,fæx hominum,dedecus Anglorum,bilinguis,verſutus,ſecreti diſſeminator,diſſimulare doctus,fingere paratus,ſæpe ad hoſtes miſſus,vt pacis mediator,pugnam accendit. Sed de his omnibus infra dicetur. Hoc etiam anno, Wilfricus vir magnæ ſanctitatis & authoritatis ſibi prouidens futura perpendendo, nobile cœnobium de Burtuna ſuper fluuium de Trent.fundaſſe perhibetur,& multis poſſeſſionib.ampliaſſe.

Dani ſine contradictione prædas agũt. ANNO gratiæ. 1004. Iohannes ſedit in cathedra Romana annis 5. Quo vtiq; anno Dani exarſerunt,crudelitate inaudita,Angliam totam,ſicut locuſtæ cooperientes, omnia ſpoliantes,homines neci tradentes,nec fuit inuentus quiſquam qui hoſtibus obuiaret.

Fames Angliam inuaſit. ANNO gratiæ. 1005. tanta famis miſeria Angliam inuaſit, quantam nullus hominũ meminit inuaſiſſe. Eodem anno Henricus Romanum adeptus imperium,imperauit annis 22.

Proditio in conuiuio. ANNO gratiæ. 1006.defuncto Siricio Cantuar. Archiepiſcopo,Ælphegus Wintonien.Epiſcopus ſucceſſit, & Aelphego Ælfſius. Eodẽ anno, Dux perfidus Eadricus Ducẽ nobilem Æthelſtanum,apud Saloſpesberiam ad magnum, q; præparauerat,conuiuiũ inuitauit, ad quod cum inuitatus veniſſet, quarta conuiuii die ipſum in ſyluam venatum duxit, vbi cunctis circa venationem occupatis, quidam carnifex, nomine Godwinus, quem Eadricus ante donariis corruperat, ex inſidiis ſubito proſiliens,Ducem Æthelſtanum nefarie nimis peremit. In cuius rei vltionem, duo filii eius, iuſſu regis Æthelredi, excœcati ſunt.

Rex Aethelredus pecunia pacẽ obtinuit. ANNO gratiæ.1007.Suanus rex Danorum,vir potens & crudelis,cum magna claſſe venit in Angliam,quem vbique comitabantur prædatio,combuſtio,& occiſio. Infrenduit Anglia tota,velut arundinetum, Zephyro vibrante,colliſum. Vnde rex Æthelredus confuſione magna conſternatus,pecunia pacem ad tempus, quam armis non potuit,adquiſiuit.

Rex Aethelredus naues fecit fabricari. ANNO gratiæ. 1008. rex Anglorum Æthelredus, per totam Angliam iuſſit parari ex 300. & decem hidis,nauem vnam,& ex octo hidis galeam vnam,& loricam.Eodem tempore frater perfidi Ducis Eadrici Brithricus, homo lubricus & ſuperbus, Vlnothum regis miniſtrum iniuſte accuſauit. Qui,ne caperetur,fugam iniit,& viginti nauibus adquiſitis piraticam vitam egit,regemq; ſe inſequentem multo tempore vexauit.

ANNO gratiæ.1009. Sergius ſedit in cathedra Romana,annis duobus,menſibus 9. Eodem anno defuncto Brithrico,Scireburnenſi Epiſcopo, Ælmarus ſucceſſit.

De victoria ANNO gratiæ. 1010. nouus Danorum exercitus apud Gippeſwicum veniens, in die

die dominicæ ascensionis prædis ibidem vacabat,& rapinis. Congregati sunt contra eum ad pugnam, Dux Æthelstanus, sororius regis. Oswius,& Eadwius,& Vlferus Consules,& multi cum eis bellatores. Sed Anglis fugam non meditantibus, Turketillus patre Danus, fugam primus incepit, Vnde Dani victoriam adepti, Eastangliam & Grantebruge, cum ipsis paludibus peruagantes, rapinis quæque sibi obuia & incendiis deuastabant. Deinde versus occidentem diuertentes, prouincias Huntendunensem, Bedefordensem, Bukingehamensem, Oxoniensem depopulatione misera contriuerunt. *proditione obtenta.*

ANNO gratiæ 1011. cum iã dicti iniquitatis ministri præscriptã depopulationẽ compleuissent: Cantuariam obsidione vallauerunt. Vicesimo autem die obsidionis, per insidias Almari, eiusdem prouinciæ archidiaconi, quem archiepiscopus Ælphegus, prius, ne morte traderetur, eripuerat, pars ciuitatis incenditur, deinde tota capitur, homines iugulantur, alii flammis deuorantur, alii de muris præcipites dantur, plures per verẽda suspensi deficiunt, paruuli à maternis vberibus auulsi, aut lanceis in altum proiecti excipiuntur, aut minutim in frusta conciduntur, matronæ per plateas cruribus distractæ, demum ignibus iectæ, moriũtur. Inter hęc Ælphegus ciuitatis archiepiscopus capitur, vincitur, trahitur,& variis suppliciis cruciatur, Almarus abbas sancti Augustini abire permittitur. Godvvinus Roffensis Episcopus,& Leofrona sanctæ Mildredæ abbatissa, cum monachis vtriusque sexus turba innumera capiuntur. Exinde Ecclesia Christi spoliata comburitur, grex monachorum, turba virorum & mulierum nec non paruulorum decimatur, nouẽ trucidantur, vitæ decimus reseruatur, quatuor monachis & viris octingentis decimatorum summa completur. Populo itaque cæso, vrbe spoliata,& tota concremata, archipræsul Ælphegus vinctus extrahitur, impellitur, sauciatur, ad classem perducitur, in carcerem retruditur,& per menses septem ibi torquetur, vt se ad redimẽdum lacessitus iniuriis cogeretur. Sed inter hæc omnia, in populum infidelem ira diuinæ clementiæ ita desæuit, vt ex eis ad duo millia per interaneorum dirissimos cruciatus prostraret. Sed cum nec sic proditores nefandi ad pœnitentiam fuissent prouocati, Danus quidam, Thrum nomine, cum videret sanctũ archiepiscopum tantis affligi tormentis,& quasi mori non posse, impia pietate commotus, securim capiti eius infixit,& ab archiepiscopo constanter Christũ confitente martyrem gloriosum efficiens, animam exultantem ad cœlos transmisit. In loco quoque passionis, lignum aridum cruore eius respersum, cum sub vnius noctis termino reuirult,& frondes cum foliis emisit, infideles, viso miraculo, perterriti sunt,& corpus sanctissimum certatim deosculantes, Londonias illud vehi permittunt, vbi honestæ traditur sepulturæ. Deinde decurso decem annorum spatio, idem corpus ab omni corruptionis labe immune leuatum, Cantuariam defertur decentius collocandum, vbi vsq; in præsens tempus recens durat sanguis,& corporis integritas illibata. Post hæc, inualescente per totam Angliam generali persecutionis rabie, perfidus Dux Eadricus,& omnes cuiuscunque ordinis& dignitatis primates, ante Paschalem solennitatem apud vrbem Londõn. congregati, tam diu ibidem cum rege fecerunt moram, quousque Danis tributum 48. millium librarum eo pacto persoluissent, vt Dani omnes qui in regno erant, pacificam haberent cum Anglis vbiq; cohabitationem,& esset vtriusque populi quasi cor vnum & anima vna. Hac quoque conuentione vtrobique obsidibus cõfirmata & iuramentis, rex Danorum Suanus reuersus est in terram suam, & sic rabies persecutionis aliquandiu in Anglia respirauit. *Depassione sancti Ælphegi archiepiscopi & martyris.*

ANNO gratiæ 1012. cum in villa quadam Saxoniæ nomen Colevviz, in qua est Ecclesia beati Magni martyris, in vigilia dominicæ natiuitatis parochia conuenisset, vt obsequiis interesset diuinis, presbyter, nomine Robertus, de more primam missam solenniter inchoauit. Et ecce * 12. viri cum tribus fœminis in cœmiterio choreas ducentes, & seculares cantilenas perstrepentes, adeo presbyterum impediebant, vt ipse cantãtium tumultus, inter sacrosancta missarum solemnia altius resonaret. Cantus eorum talis erat. Equitabat homo per syluam frondosam, ducebat sibi Mesvvinden formosam, quid stamus, cur non imus? Denique cum à Roberto presbytero mandatum haberent, vt tacerent, & ipsi filere contempsissent, imprecatus est presbyter, iratus dicens. Placeat Deo & sancto Magno, vt ita cantantes permaneatis vsq; ad annum euolutum. Quid ergo? Verba sacerdotis pondus adeo habuerunt, vt * Azo eiusdem presbyteri filius, sororem suam, quæ Aua dicebatur, cum aliis cantantem, per brachiũ arripiens vt eam abstraheret, cum recedere non potuit, brachium à corpore auulsit, sed inde gutta sanguinis non exiuit. Ipsa itaque per totum annum cum cæteris permansit,& choreas ducens cantauit. Pluuia super illos nõ cecidit, non frigus, non calor, nõ fames, non sitis, nec lassitudo illos affecit. Indumenta *De chorea quadam nefanda per inobedientiam facta.* * 15. * *Ioannes.*

eorum, vel calceamenta non sunt attrita, sed quasi vecordes iugiter cantauerunt. Prius ad genua, ac demum vsque ad femora in terram dimersi fuerunt. Fabrica quasi tecti domicilii aliquando erigebatur, nutu Dei, super eos vt pluuias arceret, sed frustra. Tandem euoluto anno, Herebertus Colonien sis Archiepiscopus, à nodo, quo manus eorum ligabantur, eos absoluit, & ante altare sancti martyris Magni reconciliauit. Filia presbyteri, cum aliis duobus, continuo spiritum exhalauit. Cæteri tribus diebus & noctibus dormierunt, aliqui postea obierunt, quidam vero pœnam, membrorum suorum tremore, prodiderunt. Legant hoc illi, qui per votum ad obedientiam sunt connexi, vt quantum sit in obedientiæ vitium cognoscant.

Aliud exemplum inobedientiæ.

Imperator Henricus, dominica, quæ quinquagesima dicitur, venatum pergens, ad oram syluæ cuiusdam solus, dispersis sociis, deuenit. Iuxta quam syluam Ecclesiam contemplatus, eo contendit, militemque se esse mentiens, missam simpliciter à presbytero rogauit. Erat autem presbyter ille præclarus religione, sed adeo deformis corpore, vt monstrum potius quam homo videretur. Quem cum imperator diligenter inspexisset, cœpit vehementer admirari quare Deus, à quo formosa cuncta procedunt, sineret conficere sua sacramenta hominem tã deformem. Sed mox cum missa inchoata, aduersum illũ tractus peruentum fuisset, quod à puero cantabatur, Scitote quoniam dominus ipse est Deus: sacerdos puerum increpans, quod negligenter cantaret, excelsa voce dixit. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quo dicto repercussus imperator, & presbyterum prophetam esse existimãs, illum, multum renitentem, in Colonien sem sublimauit Archiepiscopum. Qui susceptum Archiepiscopatum religione, simul & dignis moribus sedem exornauit. Nam in monasterio sanctimonialium vrbis illius erat puella quædam, parentum studio, potius quam propria deuotione cõuersa, quæ gestu seculari, & alloquio dulci, multos ad se amatores inuitabat. Quorum vnus, quem opum congeries, & alta progenies ad libidinem accenderant, puellam abductam loco iustæ coniugis tenuit & amauit. Præteriit multum temporis. Sed tantẽ res gesta Archiepiscopo nunciatur Hereberto. Sed cum de mandato eius, ouis ouili restituta fuisset, non multo post in absentia Archiepiscopi, de monasterio abripitur à iuuene supradicto. Tunc in illum excommunicationis sententia promulgatur, ita vt nullus conciuium suorum cum eo loqui, vel cum eo audeat conuiuari. Quam iuuenis sententiam parui pendens, ad prædia sua remotiora recessit, vbi, cum excõmunicata amica sua, vitam flagitiosam peregit. Sed cum Deus tandem Archiepiscopum ad se vocare dignatus est, & graui dolore detentus lecto decumberet, conuenerunt vndiq; cõpatriotæ, vt extrema beati viri benedictione fruerentur. Solus ille libidinosus venire non præsumens, subornauit alios qui pro se loquerentur, vt mereretur absolui. Sed cum nomen iuuenis Archiepiscopus audiuit, ingemuit, & hæc verba subiecit. Si miser ille maledictam mulierem deseruerit, sit absolutus. Si obstinatus perstiterit, sit anno sequenti, hac eadem die & hora, quo ego decedam, ante Deum paratus de commissis reddere rationem. Videbitis autem me, quando signum ad sextam horam pulsauerit, de corpore migrare. Nec fides defuit verbis viri Dei, & ille hora, qua prædixerat, defunctus est, & miser ille iuuenis, anno euoluto, eadem die & hora cum amica sua percussus fulmine expirauit. Eodem anno, Papa Benedictus sedit in cathedra Romana annis 12. Eodẽ anno, Liuingus, qui & Æthelstanus, Wellensis episcopus, Archiepiscopatum Cantuar. suscepit, & loco eius Æthelwinus Wellensis Episcopus consecratur.

a Psal. 99. 3. Guil. Malm. lib. 2 de gestis regum. p. 68. line 30.

Vt Dani per totam Angliam perimuntur.

Hoc quoq; anno, Huna quidam, regis Angliæ Æthelredi militiæ princeps, vir strenuus & bellicosus, qui sub rege regni negotia disponenda susceperat, videns Danorum insolentiam, qui iam post pacem factam, per totam Angliam adeo superbiendo inualuerãt, quod vxores virorũ nobilium, & filias vi opprimere, & vbiq; ludibrio tradere præsumpserunt, accessit perturbatus ad regem & querelam super his disposuit luctuosam. Tunc rex, non mediocriter commotus eiusdem Hunæ consilio misit literas in omnes regni fines, mandans nationibus singulis & vniuersis, vt sub vna die in festo scilicet sancti Britii Episcopi, omnes Dani per Angliam constituti, furtiuo impetu morti traderentur, vt simul, & semel ab oppressione Danica omne genus liberaretur Anglorum. Sicq; Dani, qui firmo fœdere paulo ante vtrinq; iurato, cum Anglis pacifice habitare debuerãt, opprobriose nimis sunt perempti, mulieres cum liberis ad domorum postes allisæ miserabiliter animas effuderunt. Cum igitur huius decreti sententia, apud vrbem Londoniarum absq; misericordia exequeretur, fugerunt multi Danorum ad quandam Ecclesiam in ciuitate, vbi omnes sine pietate, ipsis astantes altaribus, sunt perempti. Sed quidam iuuenes ex natione Danica, ad nauem quandam fugientes, Daniam petierunt, & regi Suano cruen-

cruenta ſuę gentis nunciantes exitia, ipſum ad lachrymas commouerunt vocatisq; cunctis regni principibus, ille omnem rei geſtæ ſeriem eis exponens, quid agendum conſulerent, diligenter inquiri. Qui omnes, quaſi vno ore conclamantes, decreuerunt propinquorum ſuorum & amicorum ſanguinem fore vlciſcendum. Auxit præterea huius perſecutionis rabiē, mors Gunnildis, ſororis Suani regis, quæ nuper in Anglia fuit interfecta, in hunc modū. Erat Gunnildis præfata Palingo Comiti, nobili viro, lege coniugali copulata, quæprioribus annis, cum viro Angliam ingreſſa, fidem Chriſti & ſacramentum baptiſmatis ibidem ſuſcepit. Hęc virago prudentiſſima, pacis inter Anglos & Danos mediatrix exiſtens, ſeſe obſidem cum viro & vnico, quem habebat filio, regi Æthelredo ad pacis ſecuritatem dedit. Hæc, à rege cum eſſet Eadrico Duci nequiſſimo ad cuſtodiendum commiſſa, poſt dies paucos in eius præſentia virum ſuum cum filio ſuo, quatuor fecit lanceis proditor ille Eadricus iugulari, qui & illam nouiſſime decapitari præcepit. Mulier vero, mortem forti animo perferens, nec moritura expalluit, nec mortua conſumpto ſanguine vultus ſui ſerenitatem amiſit. Veruntamen moriens fiducialiter pronunciauit, quod ſui ſanguinis effuſio, magno toti Angliæ fieret detrimento. His igitur de cauſis rex Suanus, vir crudelis, ad ſanguinis effuſionem pronus, ad vindictam animatus, cunctos ſuæ ditionis bellatores inuitari fecit, miſſiſque cum literis ad exteras regiones veredariis, milites bellatores, lucri cupidos, & animis leues, ad hanc expeditionem venire mandauit.

De ſancto Ælphego Archiepiſcopo Cantuar. & martyre.

Ipſis quoque temporibus ſanctus Ælphegus, monachus mirificæ ſanctitatis, procurante Ventanæ ciuitatis Epiſcopo Æthelwoldo, & ſic volēte Eadgaro rege, monachorum amatore, & cœnobiorum fundatore, factus eſt abbas Derheorſt. Rege autem Eadgaro defuncto, & filio eius Eadwardo ſubſtituto, ſed cito fraudulenter interfecto, ſucceſſit Æthelredus in regno, qui beato Ælphego donauit monaſterium in ciuitate, quæ Bathonia dicitur, vbi prefuit abbas ordini monachorum. Poſtea vero procurante ſancto Wlſtano archipręſule Cantuar. Beatus Ælphegus creatus eſt Epiſcopus Winton. qui poſtea beato Dunſtano ad dominum migrare conſecratus eſt in archiepiſcopum Cantuar. vbi cum ſex annis fœliciter rexiſſet Dei Eccleſiam, à Danis, eū inceſſanter proſequentib. occiſus eſt. Excerebrauit enim eū vnus cū ſecuri Danica, Sabbato Paſcali hebdomade adueſperaſcente, corpus autem ipſius in Eccleſia Cantuar. veneranter tumulatur, & ipſius reuerentia Deo glorioſius impenditur miniſterium,

Rex Danorum Suanus Angliam ſubingat.

Anno gratiæ 1013. Suanus tyrannus, rex Danorum, cum claſſe valida menſe Iulio mare ingreſſus, ad Sandwici portum in Anglia applicuit. Vbi paucis commoratus diebus, Eaſtanglia circumnauigata, Humbri fluminis oſtium intrauit, à quo flumen Trente ingrediens, ad Gaynſcburh villam nauigauit, & ibidem nauium ſuarum ſtationem compoſuit. Ibi Cnutoni filio ſuo claſſem commendans, ipſe ad prouinciarum depopulationē de nauibus exiuit. Cui continuo Northanhumbrenſes, Lindeſeienſes, Sisburgenſes primitus ſubiectionem fecerunt, & mox, cum non haberent defenſorem, omnis populus, qui erat à parte aquilonari ſtratæ publicæ, quæ Watlingaſtrete dicitur, ad deditionem compulſi, manus dederunt, & fidelitatem, datis obſidibus, iurauerunt. Deinde verſus auſtrum expeditionem mouens, ſuis omnibus edictum propoſuit, vt agros fructiferos deuaſtarent, villas cremarent, lucos & pomaria ſuccciderent, Eccleſias ſpoliarent, quicquid maſculini ſexus ad manus veniret, iugularent, fœminas ad ſuam explendam libidinem reſeruarent, ſicq; miniſtris vbique ferina rabie debacchantibus, Oxoniam tādem peruenit. Qua ciuitate leui conamine ſubiugata, fidelitatem & obſides inde recepit. Et inde Wintoniā tranſiens, eam ſubiugauit, & ſecuritatem à ciuibus & prouincialibus, præſtito iuramento, extorſit. Tunc cū gloria magna ad vrbem Londoniarum caſtra dirigens, multis modis vel eā violenter capere, vel dolo ſtuduit expugnare. Sed in primo aduentu ſuo multi ſuorum in Thameſi flumine ſubmerſi perierunt, quia nimia temeritate præuenti, nec pontem, nec vadum quærere voluerunt. Rex Æthelredus, qui in ciuitate tunc erat, aliud non habens refugium, cum ciuibus vrbis mœnia viriliter defendens, omnem ſpem Suano ciuitatem obtinendi ademit. Qui feſtinanter inde recedens, prius ad Walingefordiam, deinde ad Bathoniam canina rabie fœuiendo, & obuia ſibi quæque conterendo properans, exercitum ſuum refrigerando, aliquandiu ibidem reſedit. Vbi Comes Deuonienſis Almarus, & omnes occidentalis regni potentes, cum miniſtris regis, eius tyrannidem metuentes, venerunt ad eum, & datis obſidibus pacem ab eo petierunt. Omnibus igitur pro velle diſpoſitis, cum neminem reſiſtere cognouiſſet, regem ſe iuſſit Anglorum appellari, dum nō fuit alius, qui pro iure regni decertare, vel ſe regem cōfiteri auſus fuiſſet. Inter hæc omnia, rex Anglorum Æthelredus iacebat in vrbe Londoniarum, inertia torpens, timidus & ſuſpitioſus

ſpitioſus, nulli ſe committere auſus, de morte fratris ſui Eadwardi cõſcientiam habens cauteriatam, ne citius diurnam ſentiat vltionem. Exercitum congregare, vel contra hoſtes ducere non audebat, metuens ne nobiles regni, quos iniuſte exhæredauerat, in campo eum relinquentes, hoſtibus traderent ad damnandum. Hæc miſera conditio miſero regi fuit.

Rex Aethelredus ad Normanniã fugit.

Tandem rex, tot perturbationibus confoſſus, receſſit clanculum à ciuitate Londoniarum, & prius ad Suthamtoniam, ac poſtea ad Vectam inſulam nauigauit, & inde reginam ſuam Emmam in Normanniam, ad Ducem Richardum fratrem ſuum, cum filiis ſuis Ælfredo & Edwardo, & eorum magiſtris Aelfhuno * Dunelmenſi Epiſcopo, & abbate Midelhamenſi Aelffio dirigens cũ honore & reuerentia ab ipſo Duce ſunt recepti. Eadricus quoque, regis Aethelredi conſanguineus, cum militibus ſepties viginti cum regina, vt cuſtos eius transfretauit, vbi cum ipſa duobus annis reſidens, ei magnifice miniſtrauit. Sicq; illis menſe Auguſti mare tranſeuntibus, Aethelredus cum claſſe ſua in inſula Vecta remanſit, vſque ad natale domini, ſi bona de eis nuntia audierit, reginam & filios continuo ſecuturus. Vnde, mox vt à partibus transmarinis audiuit Richardum Ducem ſororem & filios eius cum magna hilaritate ſuſcepiſſe: rex Aethelredus menſe Ianuario in Normanniam tranſiens, miſerias ſuas ſedulitate & conſolatione Ducis magnifici ſubleuauit.

** Londinenſi.*

De morte miſerrima Suani regis.

Anno gratiæ. 1014. Suanus tyrannus, vt prædiximus, Angliam cædibus & rapinis vrgebat, prouincialium prius ſubſtantiam rapiendo, & nobiles poſtea proſcribendo. Sicq; opes, tam priuatæ quam publicæ, ad naues cum obſidibus deportantur, quo euidenter apparet Suanum naturalem non eſſe dominum ſed tyrannum. Hæſitabat populus quid faceret, quia ſi bella quæreret, non habebat ductorem, ſi ſubiectionem eligeret, rectorem tyrannum haberet. Sed neceſſitatem habentibus propicia diuinitas, non permiſit diu Angliam in tot calamitatibus fluctuantem. Siquidem idem tyrannus hoc anno, in purificatione videlicet beatæ Mariæ virginis, vt quidam ſcripſerunt, incertum quo mortis genere, vitam flagitioſam terminauit. Scribitur autem in libello miraculorum ſancti Eadmundi regis & martyris, quod idem Suanus, dum importabile tributum de burgo, vbi dicti martyris corpus requieſcit, & terris eius vbicunque conſtitutis exigeret, & ipſum martyrem nil ſanctitatis habere affirmaret, quodque monaſterium eius cum ipſis monachis ſe crematurum comminando proponeret, ab eodem martyre ſit peremptus, & diro mortis cruciatu 3. Non. Feb. ad Tartara tranſmiſſus. Quo defuncto, omnes Danorum nationes Cnutonem filium eius in regem & dominum elegerunt. Erat autem tunc temporis Cnuto in Lindeſeia, vbi pater eius cum claſſe & obſidibus eum dimiſerat, vbi tam milites bellatores quã equos emiſſarios expectabat, vt iunctis viribus in gentem Anglorum ſuæ virus maliciæ effunderet, & ſe deſerentes graui contritione puniret.

Rex Æthelredus in Angliam venies honorifice ſuſcipitur.

His igitur in parte Danorum ita geſtis, gens Anglorum ad regem Athelredum feſtinanter in Normanniam nuntios pari conſenſu direxerunt, mandantes ſe nullum plus amare quam dominum ſuum naturalem, ſi mitius, quam prius fecerat, eos tractare vellet. Quibus auditis, rex filium ſuum Eadwardum cum legatis ad eos dirigens, omnes amicabiliter ſalutauit, promittens ſi in aliquo deliquit, ſe pro omnium arbitrio correcturũ. Rex igitur Aethelredus, tempore vernali in Angliam rediens, gratanter acceptus, ab omnibus honoratur, quorum omniũ gratuitu conſenſu, copioſo exercitu congregato, contra Cnutonem, qui, fœderatis ſibi Lindeſienſibus, iam caſtra mouerat ad prædandum. Sed rex Aethelredus ſuperueniens, Cnutonem in fugã compulit, & Lindeſeiam totam depopulans, quos reperit incolas incunctanter peremit. Cnuto quoq; fugæ præſidio elapſus cum claſſe ſua ad Sandwici portum, ventis impellentibus, applicuit, vbi in contumeliam gentis Anglorum obſides omnes, qui patri ſuo de regno Anglorum dati fuerant, truncatis manibus, auribus præciſis, naribuſque amputatis abire permiſit, & Danemarchiam profectus numerum bellatorum ſuorum multiplicare curauit. Eodem anno 3. Kalend. Octob. mare, littus proprium egrediens, villas in Anglia multas, inęſtimabilemque populi multitudinem ſubmerſit.

Multi nobiles Danorum apud Oxoniam puniũtur.

Anno gratiæ. 1015. magnum apud Oxoniam colloquium Anglorum pariter & Danorum congregatum eſt. Vbi rex Anglorum conſilio iniqui Ducis Eadrici, multos Danorum nobiles interfici mandauit, quaſi de regia proditione notatos, quorum cliẽtes, dum necem dominorum ſuorum vindicare conarentur, armatorum præſidio repulſi, & grauiter inſecuti, turrem Eccleſiæ ſanctæ virginis Frideſwithæ compulſi ſunt introire. Vnde dum eiici nequirent, incendio ſunt combuſti. Sed mox, rege iubente, Eccleſia reconciliata,

conciliata,& reædificata est. Inter alios interfecti fuerũt Sigeferthus,& Morchatus Comites Northanhumbrorũ,filii Cargrini,quos iniquus Dux Eadricus ad conuiuiũ inuitatos & in triclinium suum dolo susceptos necari fecit. Deinde rex Aldgithã, Sigeferthi Comitis vxorem,apud Malmesberiam adduci,& ibi custodiri præcepit, sicut fœminam spectabilis nobilitatis. Quæ cum ibidem custodiretur, venit illuc filius regis Eadmundus,quem gens Anglorum propter magni roboris mentis simul & corporis strenuitatem, Irenside, id est,latus ferreum,nuncupabant,& contra patris conscientiam,illam in vxorem accepit, & inter assumptionem, & natiuitatem beatæ Mariæ, in Northanhumbriam cum vxore sua proficiscens,terram totam,quæ fuit Segeferthi,& Morcheri Comitum inuasit, atque illorum sibi populum subiugauit. Erat autem Eadmundus iste,non ex Emma regina, sed ex quadam ignobili fœmina generatus,qui vtiq; matris suæ ignobilitatem generis,mentis ingenuitate & corporis strenuitate redintegrando redemit.

Eodem tempore, Cnuto rex Danorum,compositis in Dania rebus suis, & amicitia cum regibus finitimis fœderata, eo animo venit in Angliam, vt aut vinceret,aut morti victus succumberet. Itaq; ad Sandwici portum,cum valida classe appulsus, & inde in Westsaxoniam profectus,omnia cædibus fœdabat,& rapinis,& quoniam rex Æthelredus apud Colham tunc ęgrotabat,Eadmundus filius regis ei occurrere tentauit. Sed cum hostiliter acies conuenire debuissent: modis omnibus Dux & proditor Eadricus, Eadmundo parabat insidias, quibus illum dolo necaret. Quo cognito, Eadmundus de prælio recedens,hostibus suis locum ad tempus concessit. Nec multo post idem Eadricus, vt se proditorem ostenderet,de classe regia 40. naues alliciens, Cnutonem adiuit, & suo de dominio mancipauit. Omnis Westsaxonia idem faciens, datis obsidibus,exercitui Danorum equos & arma parauit. Mercii quoq; sese ad resistendum offerebant. Sed regis ignauia negotium belli dilationem accepit. Eodem anno, defuncto Æthelwoldo, Winton. Episcopo, Aelfius successit. *De aduentu Cnutonis in Angliam.*

Anno gratiæ. 1016. rex Danorum Cnuto & Dux iniquus Eadricus, cum multo equitatu,apud Krickelade flumen Thamesim transeuntes,ante Epiphaniam domini Merciam hostiliter intrauerunt,& multas in Warewicensi prouincia villas incendentes, & spolia rapientes,quoscumq; inuenerunt homines,peremerunt. Quod vt audiuit Clito Eadmundus,exercitum congregauit. Sed quoniam Mercenses sine rege Æthelredo, & ciuibus London. congredi noluerunt,expeditione dimissa, vnusquisq; ad propria remeauit. Tunc Cnuto ad ciuitatem London.exercitum suum ducens,illam obsidione vallauit. Sed cum vrbem quasi inexpugnabilem reperisset: obsidione dimissa, Merciam iterum inuadens, illam spoliare vacauit. Contra quem Eadmundus exercitum construens,patri qui tunc London.perendinauit,nuncios dirigens, rogauit,vt, viribus collectis, contra Cnutonem venire maturaret. Qui cum conatu valido ad filium veniens, cum prælium contra Cnutonem essent commissuri, intimatum est regi quod, nisi cautius sibi prouideret, ipse à gente propria hostibus traderetur. Quo audito,rex London. rediit,& Eadmundus filius eius Northanhumbriam petiuit. Quo cum peruenisset cum Vthredo Comite,Staffordensem,Schrobesburiensem,& alias quã plures prouincias depopulatus est, eo quod nollent contra Danos cum eis ad certamen venire. Cnuto quoq; interim multas depopulans prouincias, tandem Northanhumbriam deuastauit. Quod cum auditum fuisset ab Vthredo Comite, qui cum Eadmundo erat,in Northanhumbriam reuersus est, & obsides pro bono pacis Cnutoni dedit. Sed non multo post, idem Vthredus & Turketillus, Comites Northanhumbrorum, Cnutone iubente, à Turebrando viro Danico sunt perempti. Vnde Cnuto pro Vthredo Egricum Comitem statuit. Quo audito Eadmundus, regis filius, Londonias ad patrem suam venit, & Cnuto alacer in austrum tendens, ante paschalem solennitatem ad naues rediit, & multa spolia secum & rapinas portauit. *Cnuto multas Anglorum prouincias spoliauit.*

Circa hos denique dies,rex Anglorum Æthelredus,post magnos labores, & multas huius vitæ tribulationes 9. Kalen. Maii, diem clausit extremum,& in Ecclesia sancti Pauli Londoniarum sepultus est. Post cuius mortem maxima pars regni,tam clericorum quam laicorum, in vnum congregati, pari consensu Cnutonem in regem elegerunt, & ad eum apud Suthamtoniam venientes,pacem cum eo pepigerunt,& fidelitatem iurauerunt. Soliciues London.& pars nobilium,qui tunc temporis ibidem permanebant,Eadmundũ filiũ regis,Ferreum latus,in regem vnanimiter exclamauerũt. Qui in regali culmine sublimatus, Westsaxoniã intrepidus adiit,& ab omni populo gratanter susceptus, prouinciã illam suæ ditioni subegit. Quib. auditis, magna pars populi totius regni, illi se voluntarie subdiderunt. Cnuto interim cũ tota classe sua London. veniẽs circa rogationes,in plaga australi *De morte Aethelredi regis,& coronatione Eadmundi filii eius.*

Tha-

Thamesis fluminis scrobem profundam fodit, & naues suas in partem pontis Occidentalem in altum traxit. Deinde vrbem alto & lato cingens fossato, obsidionem parauit, egressum & ingressum ciuib. denegans, frequenti vrbē insultu inuasit, & expugnare laborauit. Sedà ciuibus, mœnia fortiter defendentibus, repulsus, obsidionem confusus dimisit. Qui inde ad Dorsetam exercitū dirigens, eam subiugare vacauit. Eadmundus vero cum exercitu, quem habere poterat, Cnutoni occurrens, in loco qui Pennum dicitur iuxta Gillingham 5. Idus Iunii, cum eo congrediens ipsum cum suis omnibus in fugam conuertit.

De secunda victoria regis Eadmundi.

Post hanc victoriam media æstate transacta, maiori, quam prius fecerat, exercitu congregato, fortiter statuit confligere cum Cnutone. Cui in prouincia Wigornensi, in loco qui * Sternestan dicitur occurrens, quemq; de exercitu prudēter instruxit, omnes hortatur vt meminerint, se pro patria & liberis, pro coniugibus & hæreditatibus decertare, & sic optimis sermonibus bellicis animos omnium accendebat. Deinde tubicines strepere, & paulatim cohortes incedere iubebat. Concurrentibus tandem aciebus maximo clamore, lanceis prius & post gladiis rem egerunt. Interea rex Eadmundus, in prima acie stās, obuia sibi quæq; prosternebat, hostes assidue feriebat, & strenui militis boniq; regis officium viriliter exercebat. Sed quia iniquus Dux Eadricus, Almarus, & Algarus Comites, qui ei præsidio fore debuerant, cum innumera multitudine populorum in parte Danorū pugnabant, exercitus eius nimis fuerat infirmatus. Attamen prima die belli, id est 7. Kal. Iulii, tam asperum tamq; cruentum extitit prælium, vt vterq; exercitus prę lassitudine diutius pugnare non valeret, sole iam in occidente, voluntate spontanea se ab inuicem diuiserunt. Sed die postera, rex Eadmundus Danos omnes protriuisset: si iniqui Ducis Eadrici insidiæ non fuissent. Siquidem cum vtrinq; vehementer pugnaretur, & Anglos fortiores esse conspiceret, cuiusdam viri, regi Eadmundo similimi, capite amputato, & in altū eleuato, exclamauit dicens. Vos Angli, amisso capite, frustra pugnatis, præcipites fugite, en regis Eadmundi caput hic teneo manibus, fugite, fugite quantotius. Quod, vt Angli audierunt inconstantiores in prælio extiterunt. Sed illico quod rex viueret comperto, animos extulerunt Angli, & in Danos acrius incedebant, multos ex eis prosternentes, & summis viribus certantes, ad crepusculum vsq; noctis atrociter perstiterunt, quo adueniente digressi sunt, vt pridie, spontanea voluntate. At vbi plurimum noctis processit Cnuto suos sub silentio è castris abire præcepit, & versus Londonias iter arripiens, ad naues suas veniens, vrbem iterum London. obsedit.

* Scerustan.

Rex Eadmūdus Cnutonē in prælio ter vicit.

Mane autem facto, cum rex Eadmundus Danos cōperit aufugisse in Westsaxoniam, reuertitur, maiorem exercitum collecturus. Cuius strenuitatem iniquus Dux Eadricus comperiens, venit ad eum fraudulenter, vt eum proderet instinctu Cnutonis, & pace inter eos firmata, regi fidelitatem promisit. Itaque rex Eadmundus vice tertia exercitu congregato, ciues Londoniēses obsessos liberauit, & Danos ad naues fugauit, & apud Breanfordiam Thamesim flumen transiens, cum Danis quarto prælium commisit, & illis turpiter de campo fugatis, victoriam sibi in hasta & gladio comparauit, & festiuum belli decus obtinuit. Cnuto vero ad naues fugiens, Cantiam prædaturus exiuit. Contra quē rex Eadmundus exercitum ducens, iuxta Octanford cum hostibus prælium commisit. At illi impetum non ferentes, terga dederunt, & in Shepeiam insulam fugam fecerūt. Tunc rex Eadmundus in Westsaxiam proficiscens, Cnutonis progressum grauiter explorauit. Et Cnuto Merciam prædaturus ascendēs, exercitui suo peiora prioribus facere præcepit. At rex Eadmundus apud Assenduniam hostibus audacter occurrens, triplicibus insidiis acies instruxit, turmas circuiuit, monet vt memores, pristinæ virtutis & victoriæ, sese, regnumque suum ab auaritia barbarorum defendant. Nam cum illis leuiter certamen affirmat inire posse, quos antea sæpe vicerunt. Cnuto interea suos in æquam quandam planiciem ducit, & Eadmundus, signo suis dato, subito hostes inuasit, summis vtrinque viribus dimicatur, corruunt ex vtraq; parte multi, sed Angli tamen, Martis alea, prævalebant. Apparuit autem ibi virtus regis Eadmundi, qui, cum Danos solito acrius pugnare videret, relicto regio loco, qui ex more erat inter draconem & Standardum, cucurrit in aciem primam, gladium terribiliter vibrans, ad modum fulminis aciem fidit, abrumpensq; mediam pertransit, atque sequentibus conterendam dedit. Inde in aciem Cnutonis aduolans clamorem acierum excitauit horrendum. Fit ibi inter partes conflictus grauissimus. Sed cum proditor Dux Eadricus acies Danorum videret inclinatas: cum cuneo, cui præerat, ad Cnutonem confugit, vt prius inter eos fuerat prælocutum. Vnde Dani fortiores effecti, nimiam ex Anglis stragem fecerunt. Corruerunt enim ex parte Anglorum Duces nobi-

nobiles, Ælfricus & Godwinus, Vsketellus & filius eius Æthelwoldus, & Dei amicus Æthelwinus, Eadnothus quoque Dorkacestrensis Episcopus, & abbas Vlsius, cum totius fere Angliæ nobilitate, qui nunquam antea, in vno prælio, tantam cladem ab hostibus acceperunt. Factum est autem bellum hoc in festo sancti Lucæ Euangelistæ. Cnuto quoq; in sua parte, in eadem die Ducũ, nobiliumq; virorum irreparabile sustinuit detrimentum.

De singulari certamine inter Eadmũdum & Cnutonem.

Post hoc lamentabile prælium, in quo tot nobiles, corruerunt interiectis paucis diebus, insecutus est rex Eadmundus Cnutonem, in Glouernienſi prouincia iam prædas agentem. Conuenerunt itaque ad certamen in loco, qui Dierhurste dicitur, dicti reges. Vbi Eadmundus in occidentali parte fluminis Sabrinæ cum suis, & Cnuto in Orientali parte cum suis constituti, sese viriliter præparauerant ad pugnam, & cum acies hinc inde dispositæ erant ad occurrendum, iniquus Dux Eadricus, magnatibus conuocatis, in hanc vocem prorupit, dicens. O insensati nobiles, & armis potentes cur toties morimur in bello pro regibus nostris, cum ipsi nobis morientibus, nec regnum obtineant, nec auaritiæ suæ finem imponant. Pugnent consulo, pugnent singulariter, qui singulariter regnare cõtendunt. Quæ est ista regnandi libido, quod Anglia modo duobus non sufficit, quæ olim octo regibus satis fuit? Itaque vel soli componant, vel soli pro regno decertent. Placuit autem hæc sententia omnibus, & ad reges procerum delatum arbitrium, illi consentiendo approbabant. Est autem insula in ipsius fluminis medio posita, quæ olim Oleneige appellatur, ad quam reges transuecti, splendidissimis proteguntur armis, vbi vtroque spectante populo, certamen ineunt singulare. At vbi hastarum robur tam virtute impungentium regum, quam fortissimorum obiectu clypeorum deperit, eductis ensibus sese cominus ferientes, acriterque ac diu cum gladiis rem agentes, virtus Eadmundũ, fortuna Cnutonem protexit. Circa capita galeata enses tinniunt, quorum collisione scintillæ prorumpunt. Vbi vero illud robustissimum pectus Eadmundi, ex ipso bellandi motu ira succenditur, & sanguine incalescente factus robustior, dextram eleuat, ensem vibrat, & tanta vehementia in caput obstantis ictus ingeminat, vt fulminare potius quam percutere videretur. Sentiens ergo Cnuto sibi vires deficere, seq; tales impetus sustinere non posse, cogitat de pace iuuenem conuenire. Sed vt erat astutus, timens, ne si defectus sui innotescerẽt iuueni, pacis verbum non audiret, totum intra se suum recolligens spiritum, mirabili virtute irruit in Eadmundum. Et mox se paululum subtrahens, rogat iuuenem sustinere modicum, & sibi præstare auditum. Ille, vt erat suauis anima, dimisso clypeo in terram, ad verba Cnutonis intendit. Hactenus (inquit) regni tui cupidus, virorum fortissime, quem non solum regno Anglorum, sed vniuerso orbi iudicio præferendum, nunc cupidior tui sum quam regni. Mihi Dania seruit, mihi Norwegia succumbit, mihi rex Sueuorum manus dedit. Quocirca licet me victorem vbique futurum fortuna promiserit: ita tamen tua me mirabilis probitas illexit ad gratiam, vt supra modum te & amicum cupiam, & regnorum consortem exoptem. Vtinam & tu mei cupidus sis, vt ego tecum in Anglia, & tu in Dania mecum regnes. Quid plura? Annuit clementissimus rex Eadmundus, & cedit verbis, qui flecti non potuit armis. Depositis igitur hinc inde armis splendidissimis, in osculantur, vtroq; exercitu exultante. Deinde in signum pacis vestes mutantes & arma, fit Eadmundus Cnuto & Cnuto Eadmundus. Diuiditur inter duos regnũ, sed corona Eadmundo remansit, cum Eastsexia & Eastanglia, & ciuitate London. & terra tota ad australem plagam Thamesis fluminis, Cnutone aquilonares partes Angliæ obtinente. Stetit autem pax firmissima inter eos, vsq; ad mortem magnifici regis Eadmundi. Habuit quoque rex Eadmundus duos filos, Eadwardum & Eadwinum ex vxore Aldgiua, fœmina genere præclara, de quibus inferius suo loco dicetur.

De morte dolenda regis Eadmundi.

Igitur rex Anglorum Eadmundus, cognomento Ferreum latus, dum iustis in regno mansuetus & pius, ac terribilis appareret iniustis: inuidit eius prosperitati proditor, & iniquus Dux Merciorum Eadricus, & qualiter regẽ perderet, immutabiliter cogitauit. Tandem rege apud Oxoniam pernoctante, dum ad domum secretiorem, ad exquisita naturæ diuerteret, filius dicti Eadrici, patris instinctu, in fouea delitescẽs secretaria, in nocte sancti Andreæ apostoli, eundem regem cultello bis acuto inter celanda percussit, & eo lætaliter vulnerato, inter viscera fugiens ferrum reliquit. Sepultus est autem apud Glastoniam iuxta auum suum Eadgarum regem pacificum, planxitque eum vniuersa Anglia nimis, quia ipso Duce sperabat se posse ab oppressione Danica respirare.

De coronatione regis Cnutonis, & morte Eadrici.

Anno gratiæ. 1017. defuncto rege Anglorum Eadmundo, Cnuto rex totum Angliæ regnum inuadens, viginti annos regnauit. Qui primis regni diebus, Angliam in quatuor diuidens portiones, Westsaxoniam sibi, Merciam Eadrico, Angliam Orientalem Tur-

killo, Iricio Northanhumbriam delegauit. Audiens autem iniquus Dux Eadricus sese à Ducatu Merciorum spoliatum, quē multis tenuerat annis, regem super hoc nimis aspere increpans, improperabat ei beneficia à se sibi collata non pauca, inter quæ duo protulit, vnde ipsum ad iram commouit, dicens. Eadmundum (inquit) pro te primum deserui, & post, illum ob tui fidelitatem extinxi. Quo dicto, Cnutonis facies immutata, rubore furorem expressit, & continuo prolata sententia dixit. Merito & tu morieris, cum sis læsæ maiestatis reus in Deum & in me, qui proprium dominum, & fratrem mihi occideris fœderatum. Sanguis eius super caput tuum, eo quod misisti manum in Christum domini. Et mox ne tumultus fieret in populo, ibidem faucibus suffocatus, & in Thamesim flumen per fenestram præcipitatus, proditionis suæ meruit subire talionem. De morte quoque huius proditoris Eadrici, alii aliter scribentes dixerunt, quod dolo eius interfecto Eadmundo, ipse ad Cnutonem veniens, salutauit eum, dicens. Aue rex solus. Cumque ad interrogationem regis, quare sic eum saltasset, & rem gestam de morte Eadmundi Cnutoni denudasset, respondit ei dicens. Ego te hodie obtanti obsequii meritum, cunctis regni proceribus reddā celsiorem. Iussit ergo eum decapitari, & caput in stipite fixum super Turrem London. auibus apponi. Sed siue sic, siue aliter vitam finierit proditor Eadricus, non multum ad rem pertinet, quia hoc liquido constat, quod ille, qui multos circumuenerat, tandem est iusto Dei iudicio circumuentus.

Rex Cnuto nobiles Angliæ exulauit.

His itaq; gestis, statuit Cnuto mirabiliter in animo suo, omne genus gentis regni Anglorum perdere, vel exilio perenni eliminare. Vnde ab Eadwino, fratre regis Eadmundi ex matre, initium sumens, lictori cuidam, nomine Æthelwardo, illum tradidit ad necandum. Sed vir ille, iuuenem diligens, in quadam abbatia illum abscondit, & ad tempus à mortis periculo liberauit. Filios quoq; regis Eadmundi, Eadwinum, & Eadwardum, ad regem Sueuorum perimendos destinauit. Sed licet ei cōfœderatus fuisset, precibus Cnutonis adquiescere recusauit. Nam pueros ad Salomonem, Hungarorum regem, nutriendos & vitæ reseruandos transmisit. Vbi aliquandiu honorifice conuersati, Eadwardus accepit in vxorē reginæ sororem, nomine Agatham, ex qua processu temporis, duos filios Eadmundum & Eadgatum generauit. Genuit insuper ex ea duas filias, Margaretam scilicet, & Christianam, de quibus in sequentibus suo loco dicetur. Filii quoq; Æthelredi regis, quos ex Emma regina genuerat Ælfredus & Eadvvardus, audientes regis Cnutonis sæuiciam, tutas latebras in Normannia fecerunt, vt sic saltem mortis periculum euitarent. Alios vero, quoscunque de regio semine generatos audiuit, idem Cnuto in exilium mittens, regnum Angliæ filiis suis iure hæreditario reseruare curauit. Habuit namque, ex Algiua regina sua, Ælfelmi Comitis filia, duos filios Suanum videlicet, & Haraldum, licet fama referat Cnutonem minime ipsos genera sse. Eodem anno defuncto Vlstano Wigornensi Episcopo, Leofsius, abbas Thornensis, episcopatum suscepit.

Rex Cnuto Emmam accepit vxorē.

Anno gratiæ. 1018. defuncta vxore Cnutonis regis Algiua, idem rex misit in Normanniam ad Ducem Richardum, propter Emmam sororem eius, regis scilicet Æthelredi relictam. Quæ mense Iulio in Angliam veniens Cnutoni regi lege coniugali, copulata est. Cuius consilio Cnuto vsus, classem Danicam & milites stipendiarios remisit ad natale solum, datis eisdem, ex tota Anglia, octoginta duobus millibus librarum argenti.

Rex Cnuto in Dania hyemauit.

Anno gratiæ. 1019. rex Anglorum & Danorum Cnuto, in Daniam transiens, ibidē hyemauit. Eodem anno, defuncto Ealmaro Selesiensi Episcopo, Æthelricus successit.

De Eadmūdo iocose in Episcopum promoto.

Anno gratiæ. 1020. rex Anglorum & Danorum Cnuto, dispositis in Dania rebus necessariis, in solennitate paschali in Angliam rediit, & apud Orencestriam concilio congregato, Æthelvvardum Ducem ibi exlegauit. Eodem anno defuncto Liuingo Cantuar. archiepiscopo, Æthelnothus successit. Eodem anno, postquam sedes Dunelmensis tribus annis post mortem præsulis Aldhuni destituta fuerat solatio pastorali, facto tandem conuentu Episcoporum, vt de electione Episcopi tractarent: superuenit religiosus quidā presbyter, nomine Eadmundus, & ioco dixit. Quare me Episcopum non eligitis? Cuius iocū non iocose acceperunt qui aderant, sed illum communiter eligentes triduano indicto ieiunio, voluntatem super hoc sancti Cuthberti Episcopi requirebant. Celebrante itaque missam, ad caput sancti, presbytero, in medio canone quasi de ipsius patris sepulchro vox audita est, quę tribus vicibus Eadmundum Episcopum nominauit.

Rex Anglorū Cnuto constructo cœnobio S. Eadmūdi conuentū monachorū cōstituit in eo.

Eodem anno, rex Anglorum & Danorum Cnuto, constructo regali monasterio, cū competentibus officinis in loco, qui Bederichesvvrthe nuncupatur, vbi beatissimus rex & martyr Eadmundus, incorrupto corpore, diem beatæ resurrectionis expectat, consilio Emmæ reginæ, & Episcoporum simul & baronum Angliæ, monachos in eo constituit,

præ-

præficiens ei abbatem, nomine Widonem, virum humilem, modestum, mansuetum, & pium. Presbyteros autem qui ibidem inordinate vixerant, aut in eodem loco ad culmen religionis prouexit, aut rebus aliis illis collatis, ex quibus solito abundantius victum haberent & vestitum, in alia loca migrare fecit. Cœnobium quoq; beati regis & martyris Eadmundi tot prædiis & bonis aliis ampliauit, vt omnibus fere Angliæ monasteriis, in rebus temporalibus merito præferatur. Hoc etiam anno, loca omnia, in quibus pugnauerat, & præcipue Assendunam Ecclesiis insigniuit, ministros in eis constituens, qui pro ibidem occisorum salute officia celebrarent diuina.

De vindicta mortis S. Ælphegi.

Anno gratiæ. 1021. rex Cnuto Turkillum, & Iricium Danos nobiles ab Anglia, captatis occasionibus exlegauit. Qui Daniam, natale solum, petentes, statim vt littus Daniæ attigerunt, Turkillus, qui incentor necis beati Ælphegi fuerat, oppressus est à Ducibus regionis. Eodem anno defuncto Algaro Helmhamensi Episcopo, Ealwinus successit.

Leges regis Eadvvardi tenendæ constituuntur.

Anno gratiæ. 1022. Angli & Dani in colloquio apud Oxoniam celebrato, de legibus regis Eadwardi primi tenendis concordes effecti sunt. Vnde eisdem legibus, iubente rege Cnutone, ab Anglica lingua, in Latinam translatis, tam in Dania quam in Anglia, propter earum æquitatem à rege præfato obseruari iubẽtur. Quo vtiq; anno, Dux Normannorum Richardus, qui dicebatur secundus, obiit. Cui successit Richardus filius eius, qui tertius vocabatur, anno vno.

Corpus beati Aelphegi ad Doroberniã transfertur.

Anno gratiæ. 1023. Iohannes sedit in cathedra Romana, annis 9. & totidem mensibus. Eodem anno, rex Anglorum & Danorum Cnuto, corpus beati Ælphegi archiepiscopi Londin. apud sanctum Paulum tumulatum, propriis manibus inde leuauit, & ad ecclesiam Cantuariensem transferri, & ibidem illud debita fecit veneratione sepeliri. Ita etiam omnia, quæ ipse, vel antecessores sui deliquerant, corrigere satagebat, vt prioris iniustitiæ næuum, tam apud Deum, quam apud homines abstergere curaret. Anglos quoq; omnes, hortatu Emmæ reginæ, sibi recõciliare studens, multa eis donaria contulit, & insuper bonas leges omnibus, & placentes promisit. Eodem anno, Robertus Ducatum Normanniæ suscepit.

De probitate gentis Anglorum.

Anno gratiæ. 1024. rex fortunatus Cnuto, exercitum Anglorum & Danorum in Suenos ducens, in primo conflictu multos suorum amisit. Sed cum die crastina, cum hostibus congredi denuo debuissent, Comes Anglorum Godwinus, & Anglicanæ militiæ princeps, rege nescio, de nocte hostes non præmeditatos, cum solis Anglorum cuneis audacter inuasit, in fugam improuidos conuertit, & ex eis innumera multitudine perempta, reges gentis illius Vlfum & Eiglafum ad deditionem pacis adduxit. Rex vero, cum summo mane Anglos affugisse, vel ad hostes perfide transisse putaret, dum acies Danorum ordinatas in hostes dirigere affectaret, non inuenit in castris, nisi sanguinem, & cadauera occisorum. Quam ob causam deinceps Anglos summo honore habens, cum læta victoria ad Angliam nauigauit. Eodẽ anno, defuncto Vlstano, Ebor. archiepiscopo, Ælfricus successit.

De largitate regis Cnutonis.

Anno gratiæ. 1025. Conradus Romanum adeptus imperium 15. annis imperauit. Eodem anno Eadmundus vir religiosus, de quo supra diximus, Dunelmensis, siue Lindisfarnensis, est pontifex consecratus. Per idem tempus, rex Cnuto vetus monasteriũ Wintonien sis ciuitatis tanta munificentia decorauit, vt aurum & argentum, splendorq; gemmarum animos intuentium terreat aduenarum. Hoc autem fecit rex hortatu Emmæ reginæ, quæ in talibus thesaurorum dilapidatrix erat sua prodiga largitate.

De munificentia eiusdẽ.

Anno gratiæ. 1026. rex Cnuto Anglorum & Danorum magnificus, super tumbam regis Eadmundi, in Ecclesia Glastonien si, vbi idem rex quieuit, facta pro anima eius oratione, pallium obtulit variis coloribus, & pauonum figuris contextum. Hoc autem fecisse creditur, ne in mortem eius, cui in certamine singulari confœderatus fuerat, consensisse videretur.

Rex Cnuto Norvvegẽses in sui fauorẽ illexit.

Anno gratiæ. 1027. cum regi Cnutoni fuisset nunciatum, quod Norwegenses regem suum Olauum propter sui simplicitatem nimis vilipenderent, magnã auri & argenti copiam magnatibus regionis illius transmisit, rogans omnes propensius, vt abiecto Olauo, ipsum susciperent in regem. Qui cum dona, quæ eis transmiserat, auidis manibus suscepissent, nunciauerunt ei, vt omni ambiguitate remota, veniret ad eos, quia ad illum suscipiendum omnes inueniret paratos.

Rex Cnuto Norvvegiã subiugauit.

Anno gratiç. 1028. rex Anglorum & Danorum, Cnuto cum nauibus quinquaginta ad Norwegiam deuectus, regem Olauum à regno expulit, & illud sibi magnatibus annuentibus, subiugauit. Eodem anno, natus est Marianus Scotus, qui tandem adultus & liberalibus studiis imbutus, studio suo & labore chronicorum digessit librum, ab Im-

peratore Octauiano vsq; ad annum dominicæ incarnationis 1131. Hic inter omnes historiographos gesta regum Angliæ prolixius scribens, seruatis annis dominicis, vsq; ad Henricum seniorem, Anglorum regem, perduxit.

Rex Cnuto Haconem ab Anglia exulauit.

Anno gratiæ. 1029. rex Anglorum & Danorum, & Norwegensium Cnuto, ad Angliam rediens, Haconem, Danicum Comitem, quasi legationis causa in exilium misit. Habuit enim in vxorem Gunildam matronam nobilem, sororis suæ, & Victigerni, Windorum regis filiam, vnde metuebat, ab illo vel à vita priuari, vel à regno expelli. Æthelredus habuit in vxorem filiam Richardi primi, Ducis Normannorum, & hæc filia, videlicet Emma, de Richardo primo, & Robertus primus, pater Gulihelmi de Richardo secundo, Duce Normannorum. Æthelredus de vxore Emma habuit Ælfredum & Eadwardum tertium.

De natiuitate Ducis Normannorum Gulihelmi.

Anno gratiæ. 1030. Robertus, Richardi secundi, Ducis Normannorum, alter filius, & frater Richardi tertii, postquam annis septem Normanniæ Ducatum potenter rexerat, Hierosolymam gratia peregrinationis deuote petiuit. Reliquit autem filium septennem ex Herletta concubina susceptum, cuius speciositatem, in chorea saltantis, casu conspiciens, nocte illa carnaliter eam cognouit. Quam deinceps vnice diligens, vxoris loco eam aliquandiu adamauit. Puer siquidem ex ea natus, Gulihelmus est appellatus. Cuius magnitudinem futuram matris somnium portendebat, dum intestina sua per totam Normanniam & Angliam dilatari viderat, & extendi. Ipso quoque momento, quo partu laxato, ad vitam puer effusus est, terrã attigit, & ambas manus iunco, quo pauimentum domus tegebatur, implenit. Ostẽso igitur obstretricib. somnio supradicto, læto plausu omnes regem futurum puerum conclamabant. Dux igitur Robertus, Hierosolymam profecturus, apud Fischamium proceres ad colloquium vocauit, ibiq; Gulihelmum, filium suum, hæredem sibi constituens, fecit omnes ei fidelitatem iurare. Comes Gilbertus, tutor pueri constituitur, & tutela tutoris Henrico, regi Francorum, eo pacto conceditur, vt si pater termino præfixo non redierit Gulihelmo ducatus Normanniæ libera dispositione concedatur. Eodem anno, Hacon, Comes supradictus, in mari periit, vel, vt alii dicunt, in Orcadum insula est occisus. Eodem anno sanctus Olauus rex, doctor, prædicator, & Apostolus Noricorum, in Norwegia, Haraldi regis Noricorum filius in Norwegia perimitur, à Noricis percussus nimis truculenter quadam securi, quia gens illa non gladiis sed securibus vtitur. Indignabatur enim gens illa pagana & cruentissima quod primas leges & superstitiosas idẽ sanctus rex Olauus pdicãdo, docẽdo, euangelizãdo, statuendo euacuaret.

Mortuo Duce Roberto, Gulihelmus successit filius eius.

Anno gratiæ. 1031. Robertus Normannorum Dux, peregrinatione Hierosolymitana laudabiliter completa, dum repatriaret, circa Alpes diem clausit extremum. Cui succedens Gulihelmus, filius eius: in omnes aduersarios suos, qui illũ puerili ætate despexerunt, ita desæuit adultus, vt non solum propria ad pristinum reduceret statum, verũ etiam ex damnis alienis sua commoda fieri procurauit. Eodem anno, rex Anglorum & Danorum Cnuto potentissimus, cum honore maximo Romam profectus, ingentia dona sancto Petro apostolorum principi, in auro, argento, pannis sericis, & lapidibus preciosis obtulit: & a papa Iohanne, vt schola Anglorum à tributo esset libera, impetrauit. In eundo & redeundo largas pauperibus elemosynas erogabat. Hic multas in itinere clausuras, vbi telonia a peregrinis extorquebantur, ingenti dato precio, deleuit. Ante sepulchrum quoque apostolorum principis Petri, Deo suæ vitæ morumque emendationem deuouit, sicut in epistola, quam à Roma rediens per Liuingum virum prudentem, & posteà Cridiensis ecclesiæ pontificem, aliosque legatos, magnatibus Angliæ miserat, euidenter expressit. Inter cætera deniq; Aegelnotho, Cantur. archiepiscopo, & Aelfrico Ebor. archiepiscopo, omnibusq; Episcopis, & primatibus Angliæ nunciauit, quod fuit Romæ in magna solennitate paschali, coram domino Papa Iohanne, & Conrado imperatore, præsentibus regibus cunctis, & principibus gentium, à monte Gargano, vsque ad istud proximum mare, qui omnes illum honorifice susceperunt, & magnis donariis honorauerunt. Inter quos quoq; idem imperator, multa ei contulit, tam in vasis aureis quam in vestibus valde preciosis. Conquestus est coram domino papa, quod ab archiepiscopis terrarũ suarum, dũ pro pallio obtinendo Romam miserunt, immensitas pecuniæ extorquebatur, vnde papa nimis confusus, ne id de cætero fieret interdixit. Præcepit etiam Episcopis supradictis, per eandem Epistolam, vt antequam Angliam rediret, omnia debita ad Ecclesiam catholicam pertinentia, elemosyna scilicet pro aratris, decimæ minutæ de animalium nutrimentis, & de hortis primitiæ seminum, quod Anglice Chirchesecor dicitur, decimæ garbarum, cum denariis sancti Petri, quod Anglice, Romesce dicitur, fideliter redderentur. Vicecomitibus præ-

prætera regni Angliæ & præpositis districte mandauit, vt nulli hominum vim inferant, sed tam nobilibus quam seruis recta iudicia faciant, nec propter pecuniam fisco reponendam in aliquo à iustitia deuient, dum non habeant necessitatem de peccato pecuniam adaugere.

De dedicatione cœnobii beati Eadmundi.

Anno gratiæ. 1032. Archiepiscopus Agelnothus, cœnobium sancti Eadmundi in Bedrichesworth honorifice constructum, in venerationem Dei genitricis, sanctique præfati 15. Kal. Nouembris dedicauit.

Rex Cnuto à Romana reuertitur curia.

Anno gratiæ. 1033. defuncto Leofsio, Wigornensi Episcopo, Brithegus sedem Episcopalem suscepit.

Item Benedictus, sicut dicit Martinus, electus est de papatu: & factus est alius papa, Sabinensis Episcopus, qui infra vocatus est Syluester. Et iste quoq; electus est: & Benedictus ille recuperauit papatum. Iste etiam iterum est electus: & datus est papatus Iohanni archidiacono sancti Iohannis ante portam Latinam, qui Gregorius sextus infra dictus est. Et hic habito papatu, quum esset rudis literarum, alterum papam, ad vices Ecclesiastici officii exequendas, secum cõsecrari fecit. Quod quum multis non placeret, tertius superinducitur: qui solus vices duorum impleret. Vno igitur contra duos, & duobus de papatu altercantibus contra vnum: & mortuo Gregorio, Henricus Imperator contra duos Romam accedit. Et eis canonica & imperiali censura depositis, Sindegerum Babenbergensem Episcopum (qui infra Clemens secundus, dictus est) in papatu per vim substituit. A quo Henricus Impator coronatur: Romanis sibi promittentib. & iurantibus, sesine ipsius consensu, nunq̃, Romanũ pontificem electuros. Iste Benedictus, q fuit nepos supioris Benedicti, apparuit iuxta Molendinum cuidam, in specie cuiusdam monstruosi animalis: cuius caput & cauda, asini erat: reliquum corpus sicut vrsus. Quumq; inspector territus fugerat, clamans monstrum post ipsum, dixit. Noli me expauescere: scito, me fuisse hominem, sicut tu es. Sed sic me repræsento, sicut olim, infelix papa existens, bestialiter vixi. Hæc Martinus.

Eodem anno, Cnuto rex potentissimus, à Roma rediens, contra Scotos rebellantes hostilem expeditionem duxit, & Malcolmum regem, cum duobus aliis regibus, leui negotio superauit. Idem quoq; rex Cnuto abbatiam sancti Benedicti de vlmo fundauit, ibidẽq; monachos sub regula sancti Benedicti, quam mitifice commendauit, Deo militare constituit. Idemq; viam in Marisco inter Ramef. & Burgum, quod Kingesdelfe dicitur, vt periculum magnorum stagnorum vitaretur, eruderauit. Insuper gradus Deo pro oblata victoria, multa religiosis in libertatibus & possessionibus contulit donatiua & roborauit duratiua. Pauperibusq; multa præcepit beneficia liberaliter erogari.

Benedictus Papa creatur.

Anno gratiæ. 1034. Benedictus sedit in cathedra Romana, annis 14. Eodem anno, defuncto Eadrico Dorkacestrensi Episcopo, Eadnothus successit.

Rex Cnuto filios suos coronauit.

Anno gratiæ. 1035. rex Anglorum & Danorum & Norwegensium Cnuto, Swanum filium suum ex Elgiua super Norwegenses regem constituit, atque filium suum Hardecnutum, ex Emma Normannica susceptum, regem Danorum coronari fecit.

De morte Cnutonis regis Anglorum.

Deinde in Angliam rediens, pridie Idus Nouemb. apud Septoniam diem clausit extremum. De quo non arbitror esse tacendum, quod cum eleganter floreret in regnis potenter adquisitis, regalem cathedram in litore maris ascendens statui fecit, & in ea residens comminando dixit: Tu meæ ditionis es, & terra in qua sedeo, mea est, nec est in ea quisquam, qui impune meo resistere imperio ausus existat. Impero nunc tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes meas regales madefacere præsumas. Sed mare de more ascendens, nec præceptis eius obtemperans, pedes regis & crura, sine reuerentia madefecit. Rex igitur fere nimis tarde exiliens, ait. Sciant omnes habitatores orbis, vanã esse, & friuolam regum potentiam, nec regis nomine quempiam fore dignum, præter eum, cuius nutu cœlum, terra, & mare, cum omnibus quæ in eis sunt, legibus obediunt sempiternis. Rex quoq; deinceps, nunquam coronam portauit. Sed coronam suam super caput imaginis crucifixi imponens, magnũ regibus futuris prębuit humilitatis exemplũ. Sepultus est autem apud Winton. in veteri monasterio, more regio, cuius anima gloria perfruatur sempiterna.

De coronatione Haraldi filii Cnutonis.

Defuncto autem Cnutone rege potentissimo, conuenerunt apud Oxoniam ad colloquium, proceres regni, vt de nouo rege creando tractarent ibidem. Vbi Consul Leofricus & omnes Danorum principes cum London. elegerunt Haraldum, filium Cnutonis ex concubina Algiua generatum. Sed Godwinus, Comes Cantiæ, cum principibus Westsaxoniæ contradicentes, maluerunt Hardecnutum filium Cnutonis ex Emma regina, vel

vnum ex filiis regis Æthelredi,& eiusdem Emmæ qui in Normannia morabantur. Sed quoniam Hardecnutus erat tunc in Dacia, Ælfredus & Eadwardus,filii regis Æthelredi, abscedentes in Normãnia,pręualuit pars Haraldi & regni Anglię diademate insignitus, Wintoniam festinauit,& gazarum opumq; thesauros, quos rex Cnuto Emmæ reginæ reliquerat,tyrannice rapiens,eandem Emmam, vt nouercam suam,ab Anglia exulauit. Quæ ad Baldewinum Flandriæ Comitem diuertens,accepit ab eo castellũ de Brigges, vt ibi moraretur,Gulielmus namq; Normannorum Dux,adhuc sub tutoribus in custodia constitutus,ducatus sui liberam non habuit potestatem.

Ælfredus, Æthelredi regis filius, in Angliam veniens, oculorum luce priuatus est.

Dicit Gulielmus Malmesber.istum Haraldum filiũ cuiusdam sutoris fuisse,& Ælfginam reginã illum,rege nesciẽte in filium sibi adoptasse,& quasi regis filiũ fecisse nutriri.

ANNO gratiæ.1036. Ælfredus, Æthelredi regis primogenitus,adhuc in Normannia degens,audita morte Cnutonis,cum nauibus 25.electis,militibus plenis,venit in Angliã, vt paternum regnum,de iure sibi debitum,vel pacifice, vel sine necessitas cogeret, armatorum præsidio obtineret. Qui ad Sandwici portum cum suis applicans, Doroberniam vsque peruenit. Cumque Comes Cantiæ Godwinus,eius aduentum cognouisset, venit obuiam ei,& illum in fide sua suscipiens,Iudæ proditoris vicem in ipso & in suis commilitibus sequenti nocte compleuit. Nam post data pacis oscula,& læta conuiuia,intempestę noctis silentio, cum Ælfredus & eius socii sopori membra dedissent,capti sunt omnes inermes in cubilibus suis, nihil mali suspicantes, à multitudine irruentium armatorum, & manibus eorum post terga ligatis,compulsi sunt per ordinem,vnusquisq; iuxta alium, cõfidere. Vbi ita sedentes nouem semper decapitati sunt, & decimus dimissus,& ad tempus vitæ reseruatus. Facta autem sunt hæc apud Gildeforde,villam regiam. Sed vbi Godwino proditori visum est,plus quam sit vtile,adhuc viuos supersse,iussit iterum decimari,& sic paucissimi superstites remanserunt. Ælfredum vero iuuenem,per omnia dignum regio honore,ligatum ad vrbem Londonien sen transmisit,ad regem Haraldum, vt vberiorem gratiam apud eum inueniret,cum paucis suorum,qui indecimati remanserant. Sed continuo,vt rex iuuenem Ælfredum vidit, ipsum ad Eliẽsem insulam adductum oculis priuari fecit. Milites autem nimis pernitiose peremit,& Ælfredus iuuenis egregius,spiritum exhalauit, vbi & sepulturam accepit.

Corpus Pallantis filii Euandri Romæ inuenitur.

ANNO gratiæ.1037.corpus Pallantis filii Euandri,de quo Virgilius refert,Romæ repertum est illibatum, ingenti admiratione omnium intuentium, quod per tot sæcula incorruptionem reseruauit. Apertio vulneris,q; in medio pectoris Turnus fecerat, quatuor pedũ & semissis habens longitudinem.Repertũ fuit & epitaphiũ huiusmodi superscriptũ.

Filius Euandri Pallas,quem lancea Turni
Militis occidit, more suo iacet hic.

Ardens lucerna ad caput eius inuenta est, arte mathematica composita,ita,vt nullius flatus violentia,nullius liquoris aspersione valeret extingui. Quod cum multi mirarentur, quidam subtilius habẽs ingenium,stylo,subtus flammam,fecit foramen,vnde introducto aere,ignis ardere cessauit. Corpus sane muro appositum,longitudine sui murorum altitudinem vicit. Sed procedentib. diebus,stillicidiis rorantibus, & corpus madefacientibus, communem mortalium corruptionem cognouit,neruis fluentibus,& cute soluta.

De morte plurimorũ Episcoporum.

ANNO gratiæ.1038.Agelnothus Cantuar.archiepisc.diem clausit extremum 4.Kal. Nouemb.cui successit Eadsius.Defuncti sunt etiam hoc anno, Æthelricus, Selesciensis, Ælfricus, Helmhamensis & Brithegus Wigornien sis Episcopi. Quibus successerunt,ad Selesciensem Ecclesiam Grinketello,ad Helmamẽsem Stigandus,ad Wigornien sem Liuingus,Cridien sis antistes.Sed Stigandus postea electus,& Grinketello, Selesciensis Episcopus,ære dato non modico,electus,duos habuit Episcopatus,Selesciensem,& Helmhamensem.Deniq; tamẽ Grinketello electus est,& Stigandus receptus.Tunc Stigandus fratri suo Ægelmaro,Helmhamensem Episcopatum pretio adquisiuit.Atq; idem Stigandus, vt auaritiæ proprię satisfaceret,Cantuarien sem,& Wintonien sem,data pecunia, thronos ascendit,vix annuens,vt in episcopatu Selesciensi prius ordinaretur antistes.

Hardecnuto rex Danorũ in Flandriã venit.

ANNO gratiæ. 1039.defuncto Brithmaro, Lichefeldensi Episcopo, Vlsius successit. Quo etiam anno Hardecnutus,rex Danorum, ad Emmam reginam , matrem suam in Flandriam deuectus,cum ipsa apud Brigges moram fecit.

De morte Haraldi regis,&

ANNO gratiæ.1040.Henricus,Romanorum adeptus imperium 16.annis magnifice imperauit.Eodem anno,rex Anglorum Haraldus,cum regnasset 4.annis, apud Oxoniam defunctus est,& apud Westmon.sepultus. Tunc proceres, tam Anglorum quam Danorum,

rum, in vnam concordantes sententiam, miserunt legatos ad Brigges in Flandriam, ad regem Daniæ Hardecnutonem, qui cum matre sua ibidem morabatur, rogantes, vt ad Angliam veniret regni diadema suscepturus. Qui consiliis magnatũ illico adquiescens, æstate media venit in Angliam, & gratanter ab omnibus susceptus, ab Eadsio Cantuar. archiepiscopo, in regem est consecratus. Qui mox in regno confirmatus, iniuriarum, quæ sibi & suæ matri, à suo prædecessore Haraldo rege, illatæ fuerant, non immemor, Ælfricũ Ebor. Archiepiscopum, Comitem Godwinum, Eadricum dispensatorem, & Trondum carnificem Londonias misit, ipsius regis corpus effodere, & in Thamesim flumen decapitatum proiicere præcepit. Quod cum proiectum fuisset in flumen, breui post tempore, à quodã piscatore repertum est, & à gente Danica London. in cœmiterio Danorum sepultum. Et his ita gestis, vnicuique remigi suæ classis octo marcas, & singulis rectoribus decem marcas, de tota Anglia pendi præcepit. Vnde cunctis, qui eius prius aduentum optauerãt, exosus effectus est. Ad hæc etiam, pro nece Aelfredi fratris sui, contra Godwinum Comitẽ proditorem, & Liuingum Episcopum Wigornien sem, accusantibus illos Ælfrico Ebor. archiepiscopo constanter, & aliis multis, ex ira vehementi exarsit. Quocirca idem rex Liuingum degradauit, & Ælfrico episcopatum concessit. Godwinus quoq;, pro morte fratris sui Ælfredi, & amicitia regis obtinenda, dedit ei nauem auream, cum rostro aureo fabricatam, & armamentis aureis instructam, armis decoris, & octoginta militibus aureis decoratam. Horum autem militum quilibet, in brachiis suis, duas habebat armillas aureas 16. vncias appendentes, loricam auream trilicem, cassidem in capite auream, gladium aureis scapulis, renibus accinctum, securim Danicam ex auro fabricatam, in sinistro humero pendentem, in manu sinistra clypeum, cum vmbonibus aureis & clauis, in dextera lanceam auream, quæ lingua Anglorum *Hategar* nuncupatur. Insuper hæc omnia, cũ principibus ferme totius regni, & dignioribus regi iurauit, non ingenio sui consilii, aut voluntate fuisse, quod frater eius fuerat excæcatus, sed regem Haraldum, quod factum fuerat, præcepisse.

coronatione Hardecnutonis.

Anno gratiæ. 1041. rex Anglorum Hardecnuto, ministros suos per omnes fines regni destinauit, vt tributum quod indixerat nulli parcentes colligerent, & piratis suis inde omnia necessaria ministrarent. Ex quibus duos, Faederum & Turstinum, Wigornienses prouinciales cum ciuibus, eo quod in eos nimis crudeliter desæuissent, in quodam monasterii solario, quo pacis gratia confugerant, peremerunt. Vnde rex nimia cõmotus ira, in vltionem tantæ transgressionis, Comites & armatos milites illo transmittens, præcepit vt homines interficerent, ciuitatem spoliatam incenderent & totam prouinciã deuastarent. Quod cum factum fuisset, iuxta quod sibi fuerat imperatum, cum præda maxima ad regẽ sunt conuersi, & sic eius ira quieuit. Eodem anno Eadwardus, regis Æthelredi filius, de Normannia veniens in Angliam, à rege fratre suo gratanter susceptus, cum gloria & honore in curia eius remansit.

Rex Eadwardus in Angliam ad regem venit.

Per idem tempus rex Anglorum Hardecnuto, Gunildam, sororem suam ex Cnutone rege & Emma regina generatam, ingentis pulchritudinis puellam, Henrico imperatori Romano destinauit matrimonio copulandam. Erat autem hæc virgo temporibus Cnutonis regis, propter eius decorem incomparabilem à multis vitis nobilibus petita, sed non impetrata. Vnde nũc adeo celebris fuit illa nuptialis pompa, quod rex frater eius & omnes fere habitatores regni, thesauros auri & argenti, cum palliis, gemmis & equis pretiosis ita effuderunt: quod vsq; in hodiernum diem in conuiuiis, & tabernis histriones & tibicines, instrumentis & canticis hanc pompam digne efferre non sufficiunt nuptialem. Stetit autem inter eos multo tempore fœdus coniugalis amoris. Sed nouissime, a discordiæ seminatoribus, Gunilda est apud imperatorem, de crimine adulterii, accusata. Oportebat ergo iuxta consuetudinem regionis, vt Gunilda per duellum, contra accusatorem gygantæ immensitatis hominem, famam suę puritatis redimeret. Sed ex omnibus militibus vel ministris, nec vnus fuit inuentus, qui cum illa ab Anglia venerant, qui auderet cum delatore congredi, propter horrendam corporis eius deformitatem. Cumq; Gunildæ angustiæ essent vndique, puer quidam, quam ab Anglia secum duxerat, & in eius thalamo educatus fuerat, qui nanus erat, & propter corporis paruitatem, Mimecan dicebatur, duellum pro domina, quam per mendacium nouerat accusatam, suscepit & conserto prælio cum gygãte, per miraculum Dei succiso delatoris poplite, ipsum eneruauit. Quo ruente in terram, Mimecanus caput eius abscidit, & illud suæ dominæ præsentauit. Tunc imperatrix, ex insperato gaudens effecta triumpho, imperatori repudium fecit, nec vltra, minis aut blandiciis vinci potuit, vt thorum eius ascendere consentiret.

Hardecnuto sororem suã dedit Henrico imperatori.

Hic Imperator,patre Conrado adhuc viuente, à clerico quodam fistulam argenteam eo pacto susceperat,vt cum foret imperator,illi Episcopatum conferret.Henricus iste, tandem adultus,& post patrem imperator creatus,repetenti clerico promissum, Episcopatum libenter donauit.Sed non multo post, praui infirmitate correptus lecto decubuit, & crescẽte ægritudine per triduum sine sensu & voce ita mutus,& quasi è corpore raptus, iacebat: vt in solo pectore vix vitalis spiritus palpitaret. Nec aliud vitæ erat indicium, quã quod manu ad nares apposita,sentiebatur anhelitus perexilis.Tunc præsentes Episcopi,& amici, triduano indicto ieiunio, lachrymis & votis diuinam pro salute Imperatoris clementiam implorabant.

Quibus, vt creditur,remediis conualescens,accito Episcopo,quem Simoniace, pro fistula argentea Episcopum fecerat,illum per decretum concilii degradauit.Confessus est enim,audientibus cunctis,quod toto triduo,quo exanimis iacuerat, inter dœmones constitutus,illos adeo sibi sensit infestos,quod flammas igneas per fistulã in os eius iaculantes, corpus eius totum,tam intus, q̃ exterius incendebant.Flamma autem illũ adeo exurebat, quod terrenus ignis,in comparatione ignis illius, tepidus, & quasi nihil calere putaretur. Sed inter hæc incendia, feruentissimum habuit quendam iuuenem, quasi assatum igne, dictus imperator,qui calicem aureum manibus miræ magnitudinis aqua plenum portauit. Cuius solicitudine,& laticis aspersione extinctis ardoribus,ad pristinam rediit sanitatem. Cum autem dictus imperator de iuuene assato,qui sibi refrigerium præstiterat,miraretur quis esset,reduxit ad memoriam,quoddam cœnobium beati martyris Laurentii,olim à paganis destructum,quod ipse reædificauerat,& monachis impositis, multa prædia, & ornamenta contulerat,& inter alia beneficia, calicem aureum, gemmis decoratum, quem ob honorem martyris Ecclesiæ contulerat,nunc in ardoribus positus recognouit, dum iuuenis assatus,ibi refrigerium ministrauit.

De morte regis Hardecnutonis, & de coronatione regis Eadwardi 3. anũ cong.

ANNO gratiæ. 1042.rex Anglorum Hardecnuto,dum conuiuio nuptiarum,in quo Osgodus Glappa,vir magnæ potentiæ filiam suam Giuam viro cuidam Danico, nomine Cnutoni apud Lamheiam copulare matrimonio,lætus,sospes,& hilaris, cum sponsa prædicta & quibusdam aliis bibens staret,inter bibendum in terram corruit, & sic repẽte mutus permanens idem rex 6.Idus Iunii,spiritum exhalauit. Deinde Wintoniam delatus,iuxta Cnutonem patrem suum,sepulturam accepit.Cuius frater Eadwardus,annuente clero & populo,Londonis in regem eligitur,& ab Archiepiscopis Cantuariensi Eadsio & Ebor. Ælfrico,cum sibi subiectis Episcopis, prima die paschæ,in regem apud Wintoniam consecratur. Erat autem rex Eadwardus,filius Æthelredi, qui fuit Eadgari,qui fuit Eadmundi,qui fuit Eadwardi,qui fuit Ælfredi Magni regis,cuius genealogia superius ad Adã vsq; perducitur,Rex vero Eadwardus,statim vt in regẽ fuerat coronatus,Emmæ reginæ, matri suæ,quæ tunc apud Winton. degebat,quicquid habuit in auro & argento,& rebus pretiosis ei abstulit,eo quod antequam rex esset,nihil illi dederat,quod petebat. Sed tamẽ præcepit,sufficienter ei necessaria ministrari,& illam mandauit ibidẽ quiete demorari. Et nota quod alter Eadwardus frater Æthelredi,scilicet Eadwardus martyr,patruus fuit istius Eadwardi.

Eadsius archiepiscopatũ Cantuar. dimisit.

ANNO gratiæ. 1043. Eadsius Cantuar. Archiepiscopus, graui infirmitate detentus Episcopatum dimisit,& in loco eius Siwardus est Archiepiscopus consecratus. Eodem anno,* Helstanus Ramesciensis abbas,in vigilia sancti Michaelis,intra Ecclesiam,ad horũ vespertinalem,ab homine quodam extraneo,cultello confossus expirauit, cui Ælfwinus ad abbatiam successit.

**Æthelstanus.*

Rex Eadwardus vxorem duxit.

ANNO gratiæ.1044.rex Eadwardus in patrocinium regni sui, filiam Godwini, potentissimi Consulis,nomine Æditham,vxorem duxit. Quo etiam anno,defuncto Ælfrico, Helmhamensi Episcopo,Stigandus,regis capellanus,successit.

Rex Eadwardus classem inaniter congregauit.

ANNO gratiæ. 1045.Brithwoldus, Ramesburiensis Episcopus,obiit,& Hermannus regis capellanus successit.Eodem anno,rex Eadwardus ad portum Sandwici classem numerosam cõgregauit contra regem Noricorum,ad Angliam venire disponẽtem. Sed bellum à Suano Danorum rege sibi illatum,aduentum illius impediuit.

Siluester Papa.

ANNO gratiæ.1046.Siluester sedit in cathedra Romana diebus 56. Cui eodem anno,Gregorius succedens,sedit annis duobus.Eodem anno,Liuingus, qui Wigorniẽsem, Cridiensem, & Cornubiensem habuit Episcopatum,obiit. Post cuius decessum Leofricus,regis Cancellarius,Cridiensem,& Cornubiensem obtinuit Episcopatus, Wigorniensem vero pontificatum Ældredus suscepit.

Stigandus 2.

ANNO gratiæ.1047. defuncto Grunketelle, Seleseiensi pontifice,Hecca,regis capellanus

pellanus succeſſit. Quo vtique anno, mortuo Ealfwino, Winton. Episcopo, Strigandus, Helmhamenſis præſul in eius loco ſublimatur. *Episcopatus obtinuit.*

Anno gratiæ. 1048. Clemens ſedit in cathedra Romana menſibus nouem, & diebus 6. Eodem anno, defuncto Eadmundo, Dunelmenſi Episcopo, Eadredus ſucceſſit. *Clemens Papa.*

Anno gratiæ. 1049. Damaſus ſedit in cathedra Romana, diebus viginti ſex. Cui eodem anno Leo ſuccedens, ſedit annis quinq;, menſibus duobus, & diebus ſex. Huius Papæ temporibus miſit rex Eadwardus Legatos ad ſedem Apoſtolicam, vt à voto quod vouerat abſolueretur, vouerat enim ire Romam, ſi regna paterna eum adipiſci contingeret. Quem Papa à voto penitus abſoluens ei reſcripſit, ſub nomine ſanctæ obedientiæ & pœnitentiæ firmirer iniungendo, vt expenſas quas ad iter parauerat pauperibus erogaret, & cœnobium monachorum in honorem ſancti Petri Apoſtolorum principis, aut nouum conſtrueret, aut vetuſtum emendaret, & ſufficientia victualium fratribus de ſuis redditibus conſtitueret. Cui loco quicquid conferret, vel collatum eſſet, vel ab aliis conferendũ fuiſſet, vt ratum eſſet, Apoſtolica authoritate præcepit, & quæcunq; priuilegia ibi inſtituere voluiſſet ad honorem Dei pertinentia, conceſſit & robuſtiſſima authoritate confirmauit, & infractores eorum æterna maledictione damnauit. Reuertentibus itaque in Angliam legatis, reuelauit beatus Petrus cuidam probabilis vitæ monacho incluſo, nomine Vlſino, voluntatem ſuam eſſe vt reſtitueretur locus qui dicebatur Weſtmonaſterium. Cumque viſionem regi ſuisque retuliſſet, Rex totius regni conſilio, locum prædictum reſtruxit, & poſſeſſionibus, redditibus, & libertatibus largiſſuis ampliauit. *De ſortilegio hoc tempore detecto.*

Eodem anno detectum eſt Romæ ſortilegium diabolicum, & noſtris ſeculis inauditum. Erant enim in ſtrata publica, qua Romam itur, duæ aniculæ, in vno commorantes tugurio, & vno imbutæ maleficio, quæ hoſpitẽ, ſi aliquando ſolus ſuperueniebat, in equum vel porcũ, vel in aliud quodlibet animal transformare ſolebant, & mercatoribus animalia transformata vendentes, nummos inde acceptos in ebrietate ſimul, & crapula conſumebant. Quæ caſu, iuuenem quendam, qui artem ſaltrandi nouerat, & victum moribus hiſtrionum quærebat, hoſpitio receperunt. Quem nocte illa in aſinum transformantes, magnum ex eo lucrum habebant. Non, enim aſinus affectus, iuuenis amiſerat intelligentiã, etiam ſi amiſerat loquelam. Nam quicquid præcepit anus, ioculando & ſaltando impleuit aſinus. Accurrente itaque vulgi multitudine ad ludum aſini, non niſi dato pretio aſinum ludentem videre maleficæ mulieres ſinebant. Rumore igitur tandem per prouinciam diſſeminato, acceſſit diues quidam ad maleficas mulieres illas, & non modico pretio collato, aſinum in ſuos vſus cõuertit. Sed diues cum aſino recedens, à muliere ammonitus eſt, vt ſi diuturnum vellet habere ludum, ab aquæ ingreſſu aſinum arceret. Cuſtos ergo aſini à diuite conſtituitur, qui illum diligenter ſeruaret. Diues autem, cum gaudium habere voluiſſet, ludus aſini lætificabat conuiuas. Sed cum tempus plurimum præteriſſet, verſus eſt in faſtidium ludus aſini, & cœpit à cuſtode ſuo negligentius cuſtodiri. Quapropter die quadam, abrupto, quo ligatus erat, loro, fugit, & in proximum lacum ſe proiecit, & diutius in aqua volutatus, priſtinam ſibi hominis formam reſtituit. Cuſtos autem eius illum inſecutus, viſo homine, ſciſcitabatur an aſinum fugientem vidiſſet. Ille refert ſe aſinum fuiſſe, ſed modo ſe formam hominis ſuſcepiſſe. Et omnem illi caſum exponens, ea quæ de ipſo facta fuerant, per ordinem recitauit. Miratus famulus, ad dominum rem detulit, & dominus ad papam Leonem. Et mulieres conuictæ, Papæ ſuum confitentur delictum. Sed Papam ſuper hoc dubitantem, Petrus Damianus certificauit, producto exemplo de Simone Mago qui Fauſtinam in Simonis figura videri, & à filiis ſuis horreri fecit.

Sicut dicit Auguſtinus de quodam viro, nomine Præſtantio, à filio Præſtantii ſe audiſſe, quod venenum in caſeo ſumpſerit. Vnde in lecto quaſi dormiens multis diebus iacuerit, vbi euigilans caballum, ſe factum eſſe dixit, & annonam ſicut caballus, portaſſe ſe retulit. Narrat idem Auguſtinus dum eſſet in Italia, de quibuſdam mulieribus ſe audiſſe, quæ viatoribus in caſeo dabant diabolica machinamenta, per quæ in iumenta videbantur conuerti. Qui, peractis operibus ſibi tunc impoſitis in humanam formam rediebant & mentem rationabilẽ teſtati ſunt ſe iterum habuiſſe. Item à Macario Eremita ſcriptum inuenitur, quod puella à veneficis in equã mutata, & ab amicis ipſius, Macario præſentata, non viſa Macario equa, ſed puella, amicis vero ſuis omnibus videbatur iumentum, vbi vir Dei ad dominum precibus fuſis, puellam fecit omnibus apparere vere fæminam, vnde apparet dęmones humanas formas immutare in beſtias non poſſe ſed oculos hominum ſuis machinationibus falſitare, ita vt aliud ſit corpus & aliud videatur.

Anno gratiæ. 1050. defuncti ſunt Epiſcopi, Eadnothus, Dorkaceſtrenſis, Siwardus *Quibuſdam* vica-

Episcopis defunctis, alii in loco eorũ succedunt.

vicarius Eadsii, Cantuar. archiepiscopi, & post ipsum idem Eadsius diem clausit extremũ. Eadsio successit Robertus London. Episcopus, & Roberto ad Ecclesiam Londonien sem successit Gulihelmus, ad Dorkacestrensem Vlfo regis capellanus.

De quodam sacerdote indigne missam celebrante.

Anno gratiæ. 1051. rex Eadwardus à vectigali grauissimo Anglos absoluit, quod, patre viuente, Danicis stipendiariis triginta octo millium librarum solui consueuit. Eodẽ anno, defuncto Ælfrico Ebor. archiepiscopo, Kinsius, regis capellanus successit. Per idem tempus, Gulihelmus, dux Normannorum veniens in Angliam, ab Eadwardo rege honorifice susceptus est, quem multis donatum muneribus ad propria remisit. Hoc quoq; anno, conuenerunt multi nobiles gentis Northanhumbriæ, prope ciuitatem Lindisfarnæ, ad Ecclesiam quandam, vbi erant placitaturi, & rogauerunt presbyterum, vt charitatiue eis missam celebraret. At presbyter, qui nocte illa cum concubina dormierat, ad sacrum officium accedere formidabat. Sed illis vehementer presbyterum rogantibus vt missam cantaret, precibus eorum tandem victus, cum timore iam diuina mysteria poscẽtibus celebrauit. Sed hora, qua sacrosanctum mysterium sumere debuit, calicem diligenter inspexit, & ecce particulam, quæ iuxta morem missa fuerat in calicem, ita in nigerrimam formã vidit mutatam, quod piscis colorem. potius quam panis & vini, in calice videret. Presbyter continuo reatum suum intelligens, & multum tremens, quid de hoc, quod vidit in calice, deberet facere, hæsitabat. Nam illud velut mortem sumere abhorrens, in terram fundere volebat. Sed quoniam consecratum erat, id facere metuebat. Timens ergo quod quicquid faceret, omnipotentis Dei iudicium effugere non valeret, cum tremore magno illud sumpsit. Sed tantæ amaritudinis erat, vt nil ad gustandum amarius videretur. Et missa vix completa, ad Episcopum venire festinabat, & ei rem gestam per ordinem declarabat. Cui Episcopus, indicta pœnitentia præcepit, vt sinceram deinceps, & castam Deo vitam offerre studeret. Quod ille fideliter promittens, quoad vixit, promissum impleuit.

Circa eosdem dies, Comes Bononiæ, Eustachius, qui Godam regis Eadwardi sororẽ vxorẽ habuit, apud Douoriam, cũ suis applicuit. Vbi milites eius, cum stolide nimis & superbe, hospitia quærerent, vnum de Burgo hominem peremerunt. Quod videns quidam Burgensis, illum militem interfecit. Ob quam rem Comes & eius commilitones in iram conuersi, viros & mulieres plurimos occiderunt, pueros suorum & equorum pedibus contriuerunt. Sed vbi Burgenses, ad obsistendum conuolarunt, hostes turpem inierunt fugam. Sed in fugiendo ex eis 18. interfectis, cæteri ad regem Eadwardum, qui tunc Glouerniæ erat, confugerunt. Comes Godwinus, de hominib. suis, de Burgo Douerensi interfectis nimis iratus, de toto honore comitatus sui, s. de Cãtia, Suthsaxonia & Westsaxona, & filius eius primogenitus Swanus, de honore suo, id est, Oxonien si, Glouernien si, & Herefordensi, Somersetensi, & Berocensi prouinciis, Haraldus filius eius, de honore suo, id est, Eastsexia, Eastanglia, Cantebrigia & Huntendunensi, ingentem exercitum collegerunt. Hoc rex Eadwardus cum cognouisset, collegit & ipse exercitum copiosum, paratus cum hostibus, si necesse fuerit, decertare. Godwinus interea, cum exercitu suo in prouinciam veniens Glouernien sem, missis ad regem legatis, Comitem Eustachium, cum sociis suis, sub denuntiatione belli sibi reddi mandauit. Cui rex militaribus copiis sufficienter instructus, significauit, quod Eustachium Comitem ad eum non mitteret. Præcipiens insuper, vt qui exercitum contra ipsum collegerat, & sine eius licentia pacem regni perturbauerat, veniret ad eum die statuta, super hac iniuria sibi responsurus, & iuri pariturus. Godwinus vero, sicut contra regem prælium committere non audebat, ita ad curiam eius venire iuri pariturus nolebat, vnde rex communi curiæ suæ iudicio, ipsum Godwinum & eius quinque filios ab Anglia exlegauit. Qui mox, cum coniuge sua Giua, & Tosto, filius eius, cum Iuditha vxore sua, filia Baldvvini, Comitis Flandrensis, & alii duo filii eius Svvanus & Gurth, nauem cum thesauris multis ascendentes, in Flandriam ad prædictum Comitem cursum direxerunt. Porro filii eius Haraldus & Leofvvinus, Bristoliam adeuntes, in Hyberniam sunt transuecti. Reginam quoq; Editham, rex propter patrem eius repudiauit, & cum vna pedissequa, ad Redvvellam, sine honore destinauit & abbatissæ custodiendam commendauit.

De morte Emmæ reginæ.

Anno gratiæ. 1052. Marianus Scotus, scriptor chronicorum veracissimus, 'seculum reliquit. Eodem anno Emma regina, vxor regum Æthelredi & Cnutonis, obiit, & Winton. sepulta est. Per idem tempus rex Walensium Griffinus, Herefordensem depopulans prouinciam, multos rebellantes prouinciales interfecit. Nec multo post Comes Haraldus & frater eius Leofvvinus, ab Hybernia venientes in Westsaxoniam, multas rapuerunt prędas, quibusdam obstantibus interfectis. Godvvinus vero in Cantia, Suthsexia, & re-

& regionibus illis piraticam agens rapinam, ad Vectam insulam tandem peruenit, vbi filii eius Haraldus & Leofvvinus, venientes ad eum, studiosius machinabantur vt sese in regem Eadvvardum vindicarent. Attraxerunt ergo in fauorem sui prouinciales innumeros viros bellatores, & immenso exercitu congregato, in die exaltationis sanctæ crucis, classem versus vrbem London. dirigentes, ad Suthwerk prope ciuitatem castrametati sunt. Rex Eadvvardus, qui tunc Londoniis erat, ingentem armatorum copiam, & classem non modicam congregauerat, vt per aquam Godvvinum & filios eius insequeretur & terram. Sed Angli, quorum filii, nepotes, consanguinei, & amici, cum Godvvino erant, noluerũt contra eos decertare. Vnde sapientes quinque ex vtraq; parte, inter regem & Godvvinũ Ducem de pace redintegranda studiosius tractauerunt. Mane autem facto, rex habito cũ primatibus consilio, honorem pristinum restituit Godvvino & filiis eius omnibus, præter Suanum. Ille enim pœnitentia ductus, eo quod Beornum, regis consobrinum necauerat, vnde de Flandria nudis pedibus Hierusalem petens, in reditu suo, in itenere defunctus est, ex nimio frigore infirmitate contracta. Filiam quoque Ducis Editham reginam, rex dignanter recepit, & eam pristinæ restituit dignitati. Acta itaque concordia, & pace firmata, rex omni populo bonas leges, & rectam iustitiam promisit, & Normannos, qui sibi cõtra Anglos iniqua dederant cõsilia, ad natale solum remisit. Inter quos Robertus, Cantu. archiepiscopus, & Gulihelmus præsul London. cum Visone, antistite Dorkacestrensi, & suis Normannis, vix euadentes, mare transierunt. Sed non multo post, Gulihelmus, propter bonitatem suam reuocatus, in suum restituitur præsulatum. Stigandus, qui quondã Helmhamensi episcopatu dimisso, sublimiorem gradum meditatus, Wintoniensem inuaserat episcopatum, nunc regis Eadwardi simplicitatem circumueniens, viuente Roberto, Cantuariensem obtinuit dignitatem. Osbernus vero, & Hugo, Normannigenæ, sua castella relinquentes, & Scotorum regem adeuntes, ab ipso recepti sunt.

Anno gratię. 1053. frater Griffini, regis Walensium, Rhesus nomine, in loco, qui Bulenduna dicitur, occisus est, & caput eius regi Eadvvardo in vigilia Ephiphaniæ, apud Glouerniam præsentatur. *Rhesus frater Griffini regis perimitur.*

Anno gratiæ. 1054. rex Anglorum Eadvvardus, Paschalem solennitatem celebrauit apud Winton. Rege igitur in hac solennitate ad mensam sedente, cum pincerna eius cyphum regium, vino plenum mensa tenus gestaret, pedem vnũ ad domus pauimentum offendit. Sed altero sese pede recolligens, casum euasit. Quod videns Comes Godvvinus, ac gener regis, qui de more regi prandenti assidebat, ait. Hic frater fratri auxiliũ fecit. Ad quem rex ironice loquens, respondit dicens. Frater meus mihi modo posset auxiliari, nisi fuissent insidiæ Godwini. Quod verbum regis nimis moleste ferens, respondit. Scio rex (inquit) sciõ, quia de morte fratris tui Ælfredi, me habes suspectũ. Sed Deus qui verax, & iustus est, hanc, quam teneo, panis buccellã non permittat guttur meum, sine suffocatione transire, si vnquam frater tuus, per me, vel concilium meum morti propior, & à vita remotior fuit. Et hoc dicto, rex buccellam benedixit, quam in os eius mittens Godvvinus, sibi male conscius, ab illa suffocatur. Quem rex exanimem videns, & pallentem, extrahi- te (inquit) hunc canem, hunc proditorem, & in quadriuio illum sepelite. Indignus enim est, vt Christianam se habere gaudeat sepulturam. Quod videntes filii eius, qui affuerunt, extraxerunt patrem de mensa, rege ignorante, & in veteri monasterio eiusdem ciuitatis sepelierunt eum. Tunc rex Eadvvardus dedit Ducatum Haraldo, filio suo. Eodem anno, ex præcepto regis Eadvvardi, strenuus Dux Northanhumbrorum Sivvardus, exercitum grandem in Scotiam ducens, regem Machbetum de regno suo fugauit, multis Scotorum millibus interfectis, cum Normannis omnibus, de quibus superius fecimus mentionem. Rex igitur Eadvvardus, regnum Scotiæ dedit Malcolmo, filio regis Cumbrorum, de se tenendum. *De morte turpissima Godvvini proditoris.*

Anno gratiæ. 1055. Victor sedit in cathedra Romana, annis duobus, mensibus 3. & diebus 13. Eodem anno nobilis Dux Northanhumbrorum Sivvardus obiit, cuius Ducatum, rex Eadvvardus Tostoni, fratri Ducis Haraldi, concessit. Nec multo post, rex Eadvvardus in concilio apud Lon. habito, Algarum Comitem ab Anglia exulauit. Qui mox Hyberniam perens 18. piraticis nauibus adquisitis, iuncto sibi Griffino Walensium rege, regnum Angliæ depopulaturus intrauit. Tandẽ ille Algarus & Griffinus, Herefordensem prouinciam, cum fuissent hostiliter ingressi, obuiauit illis Dux Ranulphus, Eadvvardi regis sororis filius, cum exercitu copioso. Sed in primo conflictu, comes Ranulphus fugam capessit cum suis. Quod videntes Algarus & Griffinus, insecuti sunt hostes fugientes, & quingentos ex eis peremerunt, & victoria potiti, Herefordensem ingressi sunt *Rex Eadvvardus Algarum exulauit.*

ciui-

ciuitatem, vbi septem canonicis, qui valuas principales basilicæ defendebant, peremptis, Ecclesiam combusserunt, cum rebus & ornamentis. Et ciuibus nonnullis interfectis, & captiuatis, ciuitateque cremata, prædę vbertate ditati recesserunt. Hoc factum cum regi Eadwardo innotuit, apud Glouerniam magnum exercitum congregauit. Cui Haraldum Ducem strenuum præficiens, ipse Algarum & Griffinum ardenter insequitur, ac fines Wallensium audacter ingressus, castrametatus est in Snaudunam. Griffinus vero, & Algarus scientes Haraldum virum esse strenuum & bellicosum, fugerunt à facie eius, illi resistere non audentes. Ille autem post grauem regionis desolationem, apud Herefordiam diuertens, vallo eam lato & alto cinxit, portisq; ac seris muniuit. Sed tandem nuntiis, inter Haraldum & eius aduersarios discurrentibus firmam ad inuicem concordiã pepigerunt. Algarus vero ad regem veniens, Comitatum suum, ipso concedente, recepit. Eodem anno, Hermannus, Wiltonien sis præsul iratus, eo quod sedem Episcopalem ad Saresburiam, de Ramesberia transferre rex concedere noluit Episcopatum, dimisit, atq; mari transfretato, apud sanctum Bertinum monachalem habitum suscepit, & trib. annis in ipso monasterio habitauit. Ille autem Hermannus, vltimus Wiltonien sis prouinciæ fuit. Nam primus eiusdem regionis præsul, extitit Æthelstanus, secundus Odo, post Cantuar. archiepiscopus, tertius Osulfus, quartus Algarus, quintus Ælfstanus, sextus Siricius, septimus Ælfricus, octauus Brithwaldus. Hic à tempore regis Æthelredi vsque ad Eadvvardum vltimum durauit. De hoc quoq; Brithvvaldo legitur, quod temporibus regis Cnutonis, frequenter cogitaret de regia stirpe gentis Anglorum, iam pene deleta, si esset de cætero redintegranda. Sed cum nocte quadam ista meditantem sopor irrepsisset, in superna raptus vidit Apostolorum principem, beatum Petrum, Eadvvardum, filiũ regis Æthelredi tunc in Normannia exulantem, manu tenere, & eum in regem consecrare, & cœlibem vitam eum ducturum, & annis 24. regnaturum, ostendit. Eidem quoq; Brithvvaldo, quærenti de regum successione, dicitur esse responsum regnum Anglorum Dei est, & ipse sibi reges prouidebit. Huic autem, vt dictum est, Hermannus, vltimus Wiltonẽsis antistes succedens, illum postea Episcopatum cum Scireburnensi præsulatu coniungens, apud Sarisbiriam sedem constituit cathedralem.

Leouegarus Episcopus perimitur.

Anno gratiæ. 1056. Æthelstanus, Herefordensis antistes, diem clausit extremum. Cui successit Leouegarus, Ducis Haraldi capellanus, Ecclesiarum amator, pauperum recreator, viduarum & orphanorum defensor, oppressorum subuentor, virginitatis possessor. Hunc quoq; Dei famulum, in omni religione perfectum, Griffinus rex Wallensium, Herefordensi ciuitate cremata, vita priuauit. Huic successit Walterus, qui vsq; ad tempora regis Gulihelmi durauit. Eodem anno, Ægelricus, Dunelmensis præsul, Episcopatu sponte relicto, ad monasterium suum, quod Burgum dicitur, secedens, monachum ibidẽ induit, & annis duodecim illic laudabiliter vixit.

Rex Eadvvardus reuocauit nepotem suum.

Anno gratiæ. 1057. Henricus Romanum adeptus imperium annis 50. imperauit. Eodem anno, rex Anglorum Eadvvardus, cum in diebus suis processisset, Ældredũ, Wigornien sem Episcopum, ad regem Hungarum transmittens, reuocauit inde filium fratris sui regis Eadmundi, scilicet Eadvvardum, cum tota familia sua, vt vel ipse, vel filii eius sibi succederent in regnum. Venit igitur Eadvvardus, cum filio suo Eadgaro, & filiabus Margareta, & Christiana. Sed paruo post aduentum suum in Angliam idem Eadvvardus viuens tempore, in vrbe Londoniarum vitam terminauit, relictis sub custodia regis Eadgaro filio cum filiabus prædictis. Eodem anno, laudabilis vir memoriæ, Comes Leofricus, pridie Kal. Septemb. diem clausit extremum, & apud Conuentriam honorifice sepultus est in monasterio, quod ipse, & vxor eius, Dei cultrix, sanctæque virginis Mariæ amatrix, deuota nobilis Comitissa Godiua, à fundamentis, de suo patrimonio construxerunt. Et monachis impositis, terris sufficienter & variis ornamentis adeo illud ditauerunt, quod in tota Anglia, tanti auri & argenti copia, gemmarumq;, præciosarum in nullo inueniretur monasterio, quanta tunc temporis habebatur in illo. Wigornien sem, Heueshamen sem, Wenelocen sem, & Leouen sem Eccle sias, cum cœnobiis aliis, & præcipue sancti Iohannis Baptistæ, sanctæque Wereburgæ virginis, in Legeceastria sita, & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Stovve, quam præsul Dorkacestren sis construxerat, Eadmotus, terris ædificiis, & variis ornamentis magnifice ditauerunt. Hæc autem Comitissa religiose villam Conuentren sem à graui seruitute ac turpi liberare affectans, sæpius Comitem virum suum magnis precibus rogauit, vt sanctæ trinitatis, sanctæq; genitricis Dei intuitu, villam à prædicta absolueret seruitute. Cumq; Comes illam increparet, quod rem sibi damnosam inaniter postularet, prohibuit constanter, ne ipsum super hac re de cætero conueniret. Illa con-

contrario, pertinacia muliebri ducta, virũ indesinenter de petitione præmissa exasperans, tale responsum extorsit ab eo. Ascende (inquit) equum tuum nuda, & transi per mercatum villæ, ab initio vsque ad finem, populo congregato, & cum redieris, quod postulas, impetrabis. Cui Comitissa respondens, ait. Et si hoc facere voluero, licentiam mihi dabis? Ad quam Comes dabo, inquit. Tunc Godiua Comitissa, Deo dilecta, die quadam, vt prędictum est, nuda equum ascendens, crines capitis & tricas dissoluens, corpus suum totũ, præter crura candidissima inde velauit, & itinere completo, à nemine visa, ad virum gaudens hoc pro miraculo habentem, reuersa est. Comes vero Leofricus, Conuentrensem à præfata seruitute liberans ciuitatem, chartam suam inde factam sigilli sui munimine roborauit.

Polychron. lib. 6. pag. Harding. cron. fol. 126. Capgr. Britan. pag. 368. a.

De casu admirabili qui Romæ accidit.

Anno gratiæ 1058. Stephanus sedit in cathedra Romana, mensibus 9. Cui succedens anno eodem Benedictus, 9. mensibus, vt prædecessor suus, cathedram gubernauit. Eodem tempore, ciuis quidam Romanus, ætate iuuenis, dignitate senatoria clarus, generosam sibi quandam virginem matrimonio copulauit, ob cuius honorem, suis sodalibus, diebus multis, nuptiarum conuiuia celebrauit. Cumque die quadam in campum processissent, vt fessos deliciis stomachos ludendo solidarent, pilam poscunt, & multum diei tempus ludentes consumunt. Sed ne iocando iuuenis annulum amitteret nuptialem, in digito extento cuiusdam statuæ æneæ, quæ prope erat, illum clam sodalibus collocauit, & ad ludum conuersus, incalescentibus præ nimio cursu visceribus, primitus se à ludo subtraxit, & veniens ad statuam, vt annulum repeteret, digitum, in quo illum posuerat, ad volam vsque reflexum, & annulum inuenit in digito arctissime constrictum. Qui aliquandiu inaniter luctans, vt digitum frangeret, vel quocunque modo annulum extorqueret, cum se nihil proficere cognouit, tacite, ne res sodalibus innotesceret, perturbatus discessit. Et nocte sequenti, cum famulis ad statuam rediens, digitum inuenit extentum, & annulum admirabatur sublatum. Damno itaque dissimulato, cum nocte sequente se iuxta nouam nuptam collocasset, quiddam nebulosum sensit, & densum inter se & illam voluntari, quod sentiri potuit, sed non videri. Hoc quoque obstaculo ab vxoris amplexu prohibitus, vocem sibi dicentem audiuit, mecum concumbe, quia hodie me disponsasti. Ego sum Venus, cuius digito annulum posuisti. Habeo illum, nec reddam. Elapsum est autem multum tempus, vt quacunque hora ille vellet in vxoris gremio recubare, illud idem sensit & audiuit. In aliis quidem rebus, iuuenis valens erat & strenuus, tam in foro quam in exercitu militari. Tandem de consilio vxoris, res vtrorumque parentibus est detecta. Illi autem habito super hoc casu consilio, Palumbo cuidam, presbytero suburbano, rem gestam exponunt. Erat ille nicromanticis artibus instructus, vt magicas excitaret figuras, dæmones prouocaret, & eos ad opus quodlibet agendum stimularet. Pacti sunt autem presbytero, auri & argenti magnum aceruum, ita quod annulum, si esset possibile, reuocaret. At presbyter, Epistolam mechanica arte compositam inueni baiulans, dixit. Vade (inquit) illa noctis hora ad Compitum, vbi se findit in quadrium, & stans ibi tacitæ rei euentum diligenter explora. Transient enim ibi figuræ hominum vtriusque sexus, omnis ætatis, gradus omnis, & conditionis. Quorum quidam equites, quidam pedites, quidam erunt vultus in terram dimittentes, quidam tumido supercilio caput efferentes. Nulli respondebis, & si loquantur tibi. Nam quicquid ad lætitiam pertinet, vel tristitiam, in illorum vultibus, & vestibus incunctanter videbis. Sequetur illam multitudinem, quidam reliquis statura formosior, & corpore maior, in curru sedens, cui tacitus Epistolam ad legendum tradens, fiet continuo, quod volueris, si constanter tantummodo perseueraueris. Adolescens igitur satis animose quæcunque sibi indicta fuerant, aggreditur, & stans intrepidus ad quadriuium, dictorum fidem iussu presbyteri explorat. Inter cæteros transeuntes, vidit mulierem ornatu meretricio, mulam inequitantem, crinibus solutis humeros velantem, in manibus virgam tenebat auream, qua equitaturam regebat, quæ præ vestium subtilitate pœne nuda, gestus exercuit impudicos. Quid plura? Vltimus ille, qui dominus videbatur, oculos terribiles in iuuenem retorquens, a superbo axe currus, smaragdis & vnionibus composito, aduentus eius causas exquirit. At iuuenis nihil respondens, protensa manu Epistolam porrexit. Dæmon vero notum sigillum non ausus contemnere, scriptum relegit. Moxque brachiis in cœlum, expansis, ait. Dominus (inquit) omnipotens, quam diu patieris nequitias Palumbi presbyteri. Nec mora, satellites à latere suo misit, qui annulum à venere extorquerent. Illa diu tergiuersata, vix tandem annulum resignauit. Itaque iuuenis voti compos effectus, sine obstaculo potitus est amoribus vxoris, diu suspiratis. Sed Palumbus presbyter, vbi dæmonis querelas ad dominum de se

Guil. Malm. lib. 2. pag. 96. fin. 10. Polychron. lib. 6. cap. 26.

audiuit,finem dierum sibi imminere cognouit.Quocirca omnibus membris suis cultro truncatis,mirabili pœnitentia defunctus est, confessus papæ,coram populo, flagitia inaudita.

Depactis inter Haraldum,& Ducem Gulihelmum.

ANNO gratiæ 1059.cum Dux Haraldus in prædio iuris sui, scilicet apud Boseham perendinaret,die quadam nauem ingressus piscatoriam,vt animum suum oblectaret, intrauit.Cumq; ludo longiori in altum mare progrederetur,aduersa subito tempestate suborta,ipse cum sodalibus in Pontinũ compellitur pagum, qui ab hominibus regionis captus,& vinculis constrictus,subque custodia carcerali detrusus,imponunt ei ipsum illuc explorandi gratia aduenisse. Haraldus,astuto pectore, qualiter liberaretur excogitans, nuncium promissis ingentibus adductum,ad Ducem Normannicum Gulihelmum trãsmisit,mandans ei se à rege Eadwardo, ad ipsum destinatum,vt ardua sibi quædam negotia reuelaret.Addidit etiam se à Godwino Comite Pontini,in vinculis detineri, quo minus exequatur mandata.Ita Haraldus,Gulihelmo mandante,liberatus ab ipso Godvvino in Normanniam est adductus.Quem Dux Gulihelmus honorifice suscipiens,in alimentis,& vestibus ipsum ciuiliter decorauit.Tunc Haraldus, vt apud Ducẽ Gulihelmum vberiorẽ gratiam inueniret,castellũ Dorobernię,quod ad ius suum spectabat,& post mortem regis Eadvvardi,regnum Angliæ sacramento firmauit.Quare,& filiæ eiusdem Dueis adhuc paruulę desponsione,&totius patrimonii amplitudine donatus,familiaris apud Gulihelmum habebatur.ITradunt autem aliter alii,quod videlicet Haraldus,à rege Eadvvardo,fuerit ad hoc in Normanniam missus,vt Ducem Gulihelmum in Angliam conduceret,quem idem rex Eadvvardus hæredem sibi constituere cogitauit.

Nicolaus papa eligitur.

ANNO gratiæ 1060. Nicolaus sedit in cathedra Romana annis duobus, & mensibus sex. Eodem anno Kinsius, Ebor. archiepiscopus humanæ naturæ debitum soluit, cui succesſit Ældredus, Wigornienſis antistes,& Herefordenſis præsulatus, qui propter suã industriam ei commissus fuerat, Waltero datur Lotharingo, Edithæ reginæ capellano. Eodem anno,defuncto Duduc Wellensi pontifice,Gisa,regis capellanus succesſit.

Ælfredus Ebor.archiepisc.suscepit pallium.

ANNO gratiæ 1061.Ældredus Ebor. archiepiscopus, cum Tostone Comite Romã perrexit,& a papa Nicolao pallium suscepit.Vbi etiam consecrati sunt,Gisa, Wellẽsis antistes,& Walterus Herefordensis.

S. Vlstanus episcopus consecratur.

ANNO gratiæ 1062.Vlstanus prior Ecclesiæ Wigornienſis,vir eximię religionis,ad eiusdẽ Ecclesiæ præsulatum canonice est electus,& pontifex, acclamante populo consecratus. Cõsecratus est aũt ab Ældredo,Ebor.archiepisc.quia archiepisc.Cãtuar.Stigãdo officiũ tunc Episcopale fuerat interdictũ,pro eo, q̃ viuente Roberto illius Ecclesiæ archiepiscopo,illum archiepiscopatum occupare præsumpsit.Per idem tempus in confinio minoris Britanniæ,& Normanniæ,natum est portentum,in quo, in vna, vel potius duabus mulieribus,duo erant capita,& quatuor brachia,& cætera omnia gemina, vsque ad vmbilicum. Inferius vero,duo erãt crura,duo pedes,& cætera omnia singula.Ridebat,commedebat,loquebatur vna,flebat,esuriebat,tacebat altera.Ore gemino manducabat, sed vno meatu expellebatur.Tandem vna defuncta,altera superuixit,portabat fere per triennium viua mortuam,donec mole ponderis,& fetore cadaueris ipsa defecit.

Haraldus VValliam depopulatur.

ANNO gratiæ 1063.Dux Westsaxonum Haraldus,iussu regis Eadwardi, hostiliter Walliam profectus est,vt regem Griffinum inquietaret.At Griffinus, eius aduentu præcognito,naues ascendit,& fugiens vix euasit.Haraldus vero,cum illum cõperit aufugisse, recessit & maiorẽ exercitum congregauit.Cui frater eius Tosto,ex mandato regis occurrens,iunctis viribus,per terram simul & mare regionem illam depopulare cœperunt.Vnde Wallenses necessitate compulsi, obsides illi dederunt,& tributum se regi Eadwardo reddituros deinceps promiserunt,regemq; suum Griffinum exulatum expulerunt.

VVallenses regem suum peremerunt.

ANNO gratiæ 1064.gens Wallanorum,nonas Augusti,interfecto rege suo Griffino caput eius Duci Haraldo misertt,quod mox Haraldus ad regem Eadwardum transmittens, alium Wallensibus regem præfecit. Qui Eadwardo regi fidelitatem præstito faciens iuramento,omnia,quæ regibus Anglorum solui consueuerant,ipse fideliter se pensurum spopondit.

De inuentione sancti Osvvini regis & martyris.

ANNO gratiæ.1065.Inuenta sunt ossa sanctissima sancti Osvvini regis & martyris,in hunc modum. Post passionem vero regis Osvvini præclarissimi, sicut in tractatu de eius passione constat superius luculenter expressum,corpus ipsius ad monasterium beatę Dei genitricis Mariæ, in ostio Tinæ fluminis ad aquilonem situm,delatum est, & in eo,regio more, sepultum. Vbi propter miraculorum eius frequentiam, per innumera annorum curricula à populo regionis locus sepulturę illius in tanta reuerentia est habitus, vt regem

penes

penes eos sepultum, dominum & patronum in terris, & defensorem reputarent in cœlis. Vnde processu temporis ad maiorem martyris gloriam virgines sanctimoniales, de cœnobio sanctæ Hildæ abbatissæ, ad corpus eius introductæ, vsque ad persecutionem Danicam, rabie Hinguaris & Hubbæ fratrum, excitatam, in Ecclesia beatæ Deigenitricis, in supremo regionis culmine permanserunt. In hac persecutionis rabie, cœnobiū illud creditur, cum cæteris regionis cœnobiis, demolitum, sacris virginibus per martyriū ad cœlestia regna translatis. Post hæc autem per multa tempora, sub potestate Danorum infidelium, regione illa deuoluta, sancti martyris memoria penitus à mētibus prouincialium est deleta. Tandem paulatim redeunte fidelium deuotione, & fidei crescente puritate, Episcopus loci, in Ecclesia Deigenetricis presbyteros statuit, & clericos qui prouincialibus parochianis diuina ministeria celebrarent. Iacuit interea martyr beatissimus, cespite abiectiori tumulatus, vsque in tempora Ægelwini, Dunelmensis præsulis, & Tostonis Northanhumbrorum Comitis, qui post Siwardum, non hereditaria successione, sed regis Eadvvardi donatione, obtinuit Comitatum. Placuit igitur diuinæ pietati, prædicto pontifice viuente, beati martyris reliquias in lucem, ad totius Ecclesię prouentū, efferre, vt lucerna diu sub modio constituta, super candelabrum accensa, infidelitatis tenebras illustraret. Erat autem ædituus quidam prædictæ Ecclesiæ, in qua corpus beati martyris humatum fuerat, nomine Eadmundus, vir quidē religiosus, & beato martyri deuotus qui licet non corpori alicuius monasterii, titulo professionis, esset astrictus, habitu tamen religionis fuerat insignitus. Hic nocte quadam, cum post nocturnas vigilias in Ecclesia membra sopori dedisset, astitit ei vir quidam statura procerus, & cœlesti fulgore pręclarus, qui viri nomē exprimens ait: Frater Eadmunde, frater Eadmunde, ego sum rex Osvvinus, qui in hac Ecclesia iaceo, omnibus incognitus. Surgens ergo dic pontifici Ægelvvino, vt in huius pauimento oratorii corpus meū quærat, & inuentum decentius solito in eodem oratorio cōponere nō omittat. Expergefactus itaq; Eadmūdus, & de visione lętificatus, summo diluculo pontificē adiit, & seriem visionis illi reuerēter expressit. Pontifex autē, his auditis, incessabili gaudio exultauit, & gratanter ad locum veniens, populum multū de partibus remotis ibidē congregatum inuenit, & ad præsulis mandatū, facta ab omnibus oratione, oratorii pauimentum fodere incipientes, multo diei spatio euoluto, nihil quærendo proficiunt. Porrō confusus Eadmundus de iniuria sancti, accepto ligone, in loco, vbi omnes diu foderant, animose terram percussit, & ictu iterato laminam sepulturæ offendit. Et lapide reuulso, precioſas reliquias gaudens inuenit. Leuatur igitur à præsule corpus sanctissimum, & eiusdem præsulis manibus lotum, & syndone munda inuolutum, in loco eminentiori Ecclesiæ honorifice collocatur. Lotura quoque sanctissimi corporis in angulo oratorii, Episcopo iubente, effusa, multis postea non solum hominibus, sed etiam animalibus profuit ad sanitatem, cuius puluis in aqua fusus, & potatus, à variis languoribus liberatos, pristinæ restituit sanitati. Acta autem sunt hæc à passionis eius anno 414. quinto idus Martii.

De quodam miraculo capillorum S. Osvvini.

Ivditha Comitissa, vxor Tostonis, quæ ab Episcopo ad hāc inuentionem pergenti aliquam sibi de sanctis reliquiis portiunculam dari postulauerat, ex capillis sancti martyris penitus incorruptis, ex dono ipsius, magnam partem accepit. Quæ quosdam, sancta deuotione inducta, voluit incredulos in fide confirmare. Iussit ergo ignem copiosum in medio aulæ accendi, & pilis fiducialiter iniectis, ipsi lęsionem non sentientes incendii debachantis in maiorem formositatem sunt conuersi. Tunc Comitissa, rei nouitatem admirans, capillos sancti martyris ab incendio sublatos, honore condigno, Episcopo dictante, recondidit, & catholicum, qui ad hoc spectaculum conuenerat, populum, in beati martyris deuotione confirmatum, abire permisit.

Quomodo V Vallenses quosdam regis ministros peremerunt.

Eodem anno Dux Haraldus, in terra Wallensium magnum ædificium constituens, multa, quæ ad eius restaurationem pertinent, hoc animo ibidem parauit, vt rex Eadwardus tēpore venationis, illuc diuerteret spatiatū aliquādiu cōmorando. Sed Cradocus, Griffini filius, quē anno prēterito expulit Haraldus exulē, illuc hostiliter accedens, operarios cū magistris, & milites cū ministris interfecit, asportās oīa, labore magno congregata.

De nequitia filiorū Godvvini proditoris.

Contigit autem eodem anno, in præsentia regis Eadvvardi, apud Windesoram, quod Tosto Comes Northanhumbrorum inuidia ductus, Haraldum fratrem suum, vina regi propinantem, per capillos arreptum, cunctis de familia regis admirantibus, truculenter excussit, & nimis eum inhoneste tractauit. At Haraldus ad vindictam prouocatus, inter brachia astrictum, in editum leuans, prostratum allisit pauimento. Quo viso, milites vndique prosilientes, & litem inter fratres contestatam potenter dirimentes, bellatores

animosos ab inuicem diuiserunt. Rex autem perniciem eorundem fratrum, iam appropinquare, & iram Dei vltricem, & lethale dissidium non esse differendum prędixit. Tantæ nanque iniquitatis omnes filii Godwini proditoris erant, quod si alicuius villam præclaram conspicerent, dominum illius de nocte procurarent interfici, progeniēque deleri, vt defuncti possessionem obtinerent. Qui tamen mollitis, & mellitis sermocinationibus, cum tamen essent iacula regis, nimis creduli, circūuenerunt simplicitatem, post multa enormia flagitia, quod ipsos regni iusticiarios constituerat, regni rectores, & dispositores. Tosto autem, post altercationem cum fratre suo Haraldo factam, à curia regis furibūdus recessit, & veniens ad Herefordensem ciuitatem, vbi frater suus Haraldus magnum regi conuiuium parauerat, omnes ministros eius detruncauit, & in vasis singulis, vini scilicet, & medonis, & ceruisiæ, & aliorum poculorum, crus vel brachium, vel aliquod frustum, vel membrum de corporibus truncatis immersit, mandans regi, vt ad firmam suam veniens, carnes inueniret salsuginatas ad sufficientiam, delicias autē procuraret. Rex autem hāc subsannationē audiens, ob scelus adeo detestandū maledicēdo, iussit eū exulare.

Quomodo Norenses Comitē suū Tostonem ab Anglia fugauerunt.

Eodem tempore Northanhumbrienses. 5. nonas Octobris in simul conglobati, ad Ebor. venientes, Comitem suum Tostonem fugauerunt, & familiam eius totam, tam Danos quam Anglos, perimentes, thesauros & arma, & omnia, quæ illius erant, rapuerunt. Quo expulso constituerunt Comitem illius prouinciæ, Morcherum filium Algari Consulis, regi nunciantes, quod ipsum in comitatu confirmaret. Quod cum rex Eadwardus annuisset, Tosto mox cum vxore sua in Flandriam diuertit ad Comitem Baldewinum, & apud sanctum Audomarum hyemem transegit.

De dedicatione VVestmonasterien sis Ecclesia.

Anno gratiæ 1066. rex Anglorum Eadwardus, in natiuitate domini, curiā suam apud Westmonasterium tenuit, & Ecclesiam, quam extra vrbem London. à fundamentis cōstruxerat, in die sanctorum innocentium, in honorem sancti Petri apostolorum principis, cum gloria magna dedicari fecit. Sed inter huiusmodi dedicationis festiua solēnia, & ante, idem rex graui infirmitate detentus fuerat. Ingruente morbo, lecto decubuit, in quo, cum elinguis, & quasi exanimis per biduum iacuisset, die tertia velut à morte resuscitatus, grauiter, & profunde suspirans ait, assumpta parabola in hunc modum. Deus omnipotens, si non est illusio phantastica, sed visio vera, quam vidi, concede mihi facultatem, eam astantibus exponendi, vel si è contrario sit falsa, mihi rogo facultatem subtrahas referendi. Sed mox oratione finita, expedite satis, & articulatim aperteque loquēs, dixit. Duos (inquit) modo monachos vidi mihi assistere, quos adolescens olim in Normannia videram religiosissime vixisse, & Christianissime cognoui obisse. Hi se Dei nuntios esse, & ad me missos asserentes, talia subiunxerunt. Quoniam primores Angliæ, Duces, Episcopi & Abbates, non sunt ministri Dei, sed diaboli, tradidit Deus hoc regnum vno, & die vno, in manu inimici, dæmonesque terram hanc totam peruagabunt. Cumque ego hoc me ostensurum populo dicerem, vt peccatores facta confessione, & satisfactione cōdigna resipiscerent, & miserationem consequerentur, more Niniuitarum: neutrum erit (inquiūt) quia nec ipsi pœnitebunt, nec miserebitur eis Deus. Et ego quando (inquā) tantarū calamitatū poterit sperari remissio? Ad hoc, illi respōderunt. De hoc ita erit quasi arbor viridis, si succidatur in medio, & pars abscissa longius deportetur à stipite, cum sine quolibet auxilio iterum connexa trunco, cœperit florere, & fructū producere, tūc poterit sperari taliū remissio malorū. Huius itaq; vaticinii veritatē experti sunt Angli, quod videlicet Anglia, alienigenarū fuerit habitatio, & exterorū dominatio, quia paulo post, nullus Anglus, vel Dux, vel pōtifex, vel abbas fuit, nec etiā vlla spes erat huius miseriæ finiendæ.

De morte regis Eadvvardi tertii, & virtutibus eius.

Pacificus igitur rex Eadwardus Anglorū decus, regis Æthelredi filius, postquam 24. annis regnasset, quarta indictione, & in vigilia Epiphaniæ domini, feria quinta pro regno temporali commutauit æternum. Defunctus autem rex beatissimus, in crastino sepultus est London. in Ecclesia, quam ipse nouo compositionis genere construxerat, à qua multi post, Ecclesias construentes, exemplum adepti, opus illud expensis ęmulantur sumptuosis. In hoc denique rege linea regum Anglię defecit, quę à Cerdico primo Westsaxonum rege ex Anglis, quingentis & septuaginta vno annis, non legitur interrupta, præter perpaucos Danos, qui peccatis exigentibus gentis Anglorum, aliquandiu regnauerunt. Nunc ergo quoniā superius de huius beatissimi ac pacifici regis & confessoris Eadvvardi secularibus curis, & bellorum occupationibus sufficienter continetur expressum, condignum nihilominus tamen videtur, vt de eius sanctitate & virtutibus, vel pauca dicamus. Nam adhuc in mortali corpore constitutus, cum secretorum cœlestium indagator esset solertissimus, nōnulla ei rex regū, per prophetiæ spiritū memoria digna reuelauit arcana.

Nempe

Nempe cum quodam tempore, apud Weſtmon, in die Paſchæ, regali more curiam tenuiſſet, rex ſedens ad menſam, vocem ſubito in riſum exaltans nimis aſpere, omnium in ſe oculos conuinantium prouocauit. Mirantibus autem cunctis, quod ſine cauſa, vt putabant, riſiſſet, cum rex poſt prandium in thalamum diuertens inter pontifices & magnates conſediſſet, Dux Haraldus regi dixit. Rem inſolitam, domine rex, vidimus hodie, vnde omnes mirati ſumus, quia te nunquam conſpeximus, tam aperte ridentẽ, nec ſubfuit cauſa, vt credimus, riſus motiua. Cui rex, Mira vidi, & ideo nõ ſine cauſa in riſum reſoluebar. Tunc aſſidentes proceres, tantum virum de vanitate riſiſſe minime ſuſpicantes, cœperunt ſuppliciter eum rogare, vt occaſionem tantæ lætitiæ illis exponere dignaretur. Et cum multis precibus ab illis coactus fuiſſet, ait. Pluſquam anni ducẽti ſunt euoluti, ex quo ſeptem dormientes in ſpelunca Cœlii mõtis apud Epheſum, ſupra dextera latera quieuerunt. Sed nũc poſtquã ad menſam ſedimus, ſupra ſiniſtra latera cõuerſi, vſq; ad 70. annos iacebunt. Hæc aũt audiẽtes, qui affuerunt, interrogabãt, quid hæc cõuerſio ſignificabat. Et ille, Iſta nimirum conuerſio dirũ mortalibus omen portendit. Nam bella, & oppreſſiones gentium, genus humanũ intolerabiliter torquebũt, & multorũ mutationes regnorũ erunt, & pagani à Chriſtianis, Chriſti virtute, cõterẽtur. His & multis aliis auditis, proceres præfati cum admiratione à rege recedẽtes, legatos ad huius rei veritatẽ indagandam mittere decreuerũt. Haraldus vero Dux miſit militẽ, Epiſcopus quidã, qui affuit, clericũ Abbas vero monachum cum regiis muneribus, & literis regio ſigillo munitis ad Michaelem Conſtantinopolitanum imperatorẽ, poſtulantes, vt regis Anglorum Eadwardi legatis ſeptẽ iuberet dormientes oſtendi, Imperator autem legatos Angliæ, de partibus tã remotis venientes, benigne ſuſcipiens, prædictos ſeptem dormiẽtes eis monſtrari fecit, qui omnia de ſanctis dormiẽtibus indicia, quæ rex Eadwardus in Anglia prædixerat, inuenientes oblatis muneribus, & Deo gratias agentes, ad propria remearunt.

De corporis mundicia regis Eadvvardi.

Hoc autem de rege ſanctiſſimo non eſt tacendum, quod nec propriam læſerit aliquando carnis mũditiam, nec alicuius mulieris pudicitiam. Habuit tamẽ reginam, Godwini Comitis, vt ſupradictũ eſt, filiam, nomine Editham, in cuius pectore omniũ liberalium artium repoſitum eſt magiſterium. Sed modicum in rebus ſecularibus exercebat, vel oſtendebat ingenium. Hanc quoque rex, vt coniugẽ, tali arte tractauit, quòd nec thoro remouit, nec eã virili more cognouit. Quod vtrum patris illius, qui proditor erat conuictus, & familiæ eius odio, quod prudenter pro tempore diſſimulabat, an more caſtitatis id fecerit, incertum eſt aliquibus, qui in dubiis ſiniſtra interpretantur. Veruntamen etiam beneuoli, & veritati, vt videtur, nõ diſſoni, dicere præſumunt, quod rex religioſus, de genere proditoris, hæredes, qui ſibi ſuccederent, corrupto ſemine regio, noluerit procreare.

De coronatione Haraldi regis Angliæ, & quadam eius victoria.

Defuncto Eadwardo, Anglorum rege ſanctiſſimo, in quo linea regum Angliæ defecit, fluctuabant proceres regni, quem ſibi regem præficerent & rectorem. Quidam enim Guilhelmo Normannorum Duci, quidã Comiti Haraldo, Godwini filio, alii autem fauebãt Eadgaro filio Eadwardi. Eadmundus vero, Latus ferreum, rex naturalis de ſtirpe regum, genuit Eadwardum. Eadwardus Eadgarũ, cui de iure debebatur regnum Anglorum. Sed Haraldus, vir callidus & aſtutus, intelligens, quia nocuit ſemper differre paratis, in die Epiphaniæ, qua rex Eadwardus ſepultus eſt, extorta fide à maioribus, capiti proprio impoſuit diadema. Poſt cuius promotionem, frater eius Toſto, à Flandria veniens cum nauibus quadraginta, in oſtio Humbri fluminis applicuit, vbi piraticam exercens rapinam, ab Eadvvino & Morcaro fratribus de prouincia pulſus, in Scotiam vela direxit. Qui ibidem regi Noricorum Haraldo in obuiam veniens, fœdus per fidem cum eo pepigit. Venit ad hoc in Angliam trecentis coggonibus aduectus, vt eam ſubiicere conaretur. Tandem in Northanhumbria, rerum depopulationi inſiſtens, Morcarum Comitem cum hominibus regionis bello victum, infra Eboracum intruſit. Quo diuulgato, rex Anglorum Haraldus cunctis viribus collectis, illuc cũ feſtinatione cõſcendit. Cumque ad villã, quæ Stanford dicitur, peruenisſet, inuenit ibi aduerſarios prędictos. Vbi, licet difficile credatur, vnus ſolus Noricus in ingreſſu põtis ſtãs, multis interẽptis ex Anglis, omnes à tranſitu repercuſſit. Qui inuitatus ad deditionẽ, irridebat Anglos, dicẽs, eos imbelles & imbecillis animi eſſe viros, qui vni nequiuerũt reſiſtere bellatori. Nemine igitur propius audente accedere, eo quod cunctis videretur inconſultum cominus cõgredi cum illo, vnus tandem de familia regis in illum ſpiculum dirigens perforauit, & mortuus in flumen corruens, victoriã Anglis conceſſit. Et continuo exercitus Anglorum libero tranſitu tranſuectus, à tergo cędit Noricos fugiẽtes. Denique Noricorum rege Haraldo, & Toſtone, fratre regis Anglorum cum multis aliis interfectis: rex Anglorũ omnem prædam, & manubias in proprios vſus,

nemini quicquam communicando conuertit. Vnde commilitones eius plurimum indignantes,& auaritiam principis detestantes,ab eius clientela vnanimiter recesserunt.

Dux Normannorum Gulihelmus, Haraldum de pacto arguit.

Rex igitur Anglorum Haraldus, de tam triumphali euẽtu in superbiam elatus, iam factus de rege tyrannus, nihil de pacto inter se & Ducem Gulihelmum Normannicum olim sacramentis firmato,cogitabat.Auxit autem securitatem eius, mors filiæ Ducis Gulihelmi;quam infra nubiles annos despõderat, addito eo, quod idem Gulihelmus Ducem conterminorum bellis fuerat implicatus, vnde minas eius nunquam ad factum erupturas sperabat.Sacramentum vero, quod in necessitate fecerat, asseruit non esse tenendum, cũ regnum non posset,Eadwardo adhuc rege viuente,nec dare, nec ipso, illud cuiquam cõcedere,incõsulto.Sed aliud Haraldus,& aliud Gulihelmus cogitauit:Nam protinus, cum Haraldum cognouit diademate redimitum,per nũcios illum leniter de rupto fœdere, increpauit,affirmans comminando ante annum sese debitum exacturum.Haraldus ẽ contra,per eosdem legatos, cum prædictas Gulihelmo Ducis remãdasset excusationes, legati inaniter reuertentes ad propria,Ducem Normannicum conueniunt,in hæc verba.Mandat vobis rex Anglorum Haraldus,quod veraciter necessitate compulsus, quando filiam vestram desponderat in Normannia,regnum tibi iurauerat Anglicanum sed contra,hęc asseruit,coactum iusiurandum non esse obseruandum.Nam si votum vel iusiurandum, q; in domo patris,parentibus inconsultis, puella de corpore suo sciẽter fecit,reuocatur in irritum:multo magis iuramentum,quod ipse sub virga regis positus,ipso nescíente, coactus fecerat, debet,vt asserit, irritari. ¶Affirmat præterea, nimis præsumptuosum fuisse, quod absque generali consensu regni hæreditatem vobis iurauerat alienandam.Addidit etiam iniustum esse petere,vt à regno discedat,quod tanto principum fauore susceperat gubernandum.

De aduentu Gulihelmi Ducis Normannorum in Angliam.

His Gulihelmus auditis assertionibus, vehementer cœpit indignari, & ne iustam bellandi causam temeritas deformaret,ad papam Alexandrum nuncios destinauit,vt susceptum negotium authoritate apostolica firmaretur.Vnde papa,consideratis vtrinq; litigantium causis,vexillum Gulihelmo,in omen regni,trãsmisit.Quo illo accepto,apud Lisebonam conuentum procerum congregans, super dicto negotio singulorum sententias requisiuit,Cumque omnes progressum eius magnis promissionibus animassent,ita ab inuicem discesserunt,vt mense Augusto ad portum sancti, Valerici,cum equis, & armis cõuenirent,marẽ illico transmeaturi.Congregatis igitur ad terminum præfixum vniuersis, fœlix aura,quæ illos in Angliam transferret,defecit. Dux itaq; corpus sancti Valerici, pro vento deprecando foras portari iussit, & sub dio reponi, & sine mora vẽtus optatus sinuauit vela.Tunc omnes naues ingressi post prandium, cursu rapido Hastingas applicuerũt. Dux vero Gulihelmus in egressu nauis. pede lapsus, illud in omen malum & sinistrum euentum,pallens est interpretatus. Sed quidam de militibus, collateralibus, qui Ducem à casu erexit,adhuc limum in manu tenentem,casum in meliorem interpretationem commutauit dicens:Dux fœlicissime Angliam iam tenẽs subaratus.Ecce terra in manu tua est Accingere erectus in spem bonam, rex future.Mox autem vt applicuit Dux, omnem exercitum à præda cohibuit,dicens:Rebus,quæ suæ erant in breui futuræ, esse parcendum, adeoque sese per dies quindecim continuos quiete agebat, vt nihil minus, quam bellum cogitare videretur,sed castellum ibidem protinus construxit.

Qualiter rex Haraldus audito Ducis Gulihelmi aduentu, cõtra eum ad prælium venerit.

Haraldus interea, de pugna Noricorum reuersus, cum aduentum Gulihelmi cognouisset,rarissimo stipatus milite Hastingas pertendit.Nam præter stipendiarios milites, & conductitios ex comprouincialibus, admodum habebat paucos,vt leui negotio belli, posset à superuenientibus superari: Præmisit tamen nuncios Haraldus, qui vires hostium, & numerum æstimarent. Quos inter castra Dux Gulihelmus comprehensos, circumduci,vt acies bene prouiderent imperauit, & largis dapibus refectos, incolumes domino suo iubebat remitti.Redeũtibus autem istis,percunctatur Haraldus quid rerum reportent.At illi magnificam Ducis * constantiam distincte prosecuti, serio affirmabant, omnes de exercitu illi presbyteros videri,eo quod faciẽ totam,cũ vtroque labio rasam haberent,vnde Angli,nisi presbyteri consuetudinẽ nõ habebant.Rex fatuitatem referẽtium subridens nunciorum,dixit, non esse presbyteros effeminatos,sed milites animis validos, & armis inuictos.Ad hoc frater regis,Gurtha nomine, vir vltra ætatẽ ingentis scientiæ & virtutis,rapuit sermonem ex ore eius, dicens. Cũ tantã prædices fortitudinẽ Normannorum,incõsultũ æstimo cũ ipsis cõfligere,quibus inferior merito & robore habearis. Nec enim contradicere vales, quin Duci Gulihelmo sacramentũ feceris,volũtarie vel inuitus. Vnde cõsultius ages,si in instanti necessitate te subtrahas, ne si periurus decertans, vel fu-

* *Confidentiam.*

gam

gã vel mortẽ incurras. Sed nos omnino à iuramento expediti, iustũ suscipiemus bellũ, pro patria pugnaturi. Si nobis pugnantibus solis, causa tua in melius prosperabitur, dum nos fugientes restituere, vel mortuos valeas vindicare. Noluit autem Haraldi temeritas, aurẽ placidam præbere monenti, inglorium existimans, & vitæ præteritæ opprobrium, cuiquã hosti se dare fugitiuum.

Monachus ad regẽ Haraldum missus, tria proponebat eidem.

Cvm hæc dicti fratres ad inuicem sermocinarentur, superuenit monachus quidam à Gulihelmo Duce transmissus, ex parte eius Haraldo tria propositurus. Dixit igitur ei, vt vel à regno iuxta suum sacramentũ discederet, vel sub eo regnaturus regnũ teneret, vel denique, spectante amborũ exercitu, solus soli rẽ gladio singulari duello, ditimendo terminaret. Hæc audiens Haraldus, legatũ Gulihelmi, nec bono vultu respicere, nec placido sermone voluit admittere sed illũ indignãter abigens, hoc solum precabatur, vt inter se & Gulihelmum dominus iudicaret. Ad hæc monachus audacter respondens, postulauit, quod si ius Gulihelmi negare velit, iudicio sedis apostolicę, vel prelio, si maluerit, hoc Gulihelmus se asserit probaturum. Haraldus quoq; contra omnes assertiones, solo quod supradictum est, responso contentus, Normannorum animos exacuit ad pugnandum.

De bello apud Hastingum cõmisso, & victoria Gulihelmi Ducis Normannorum.

Deinde partes aduersæ acies disponunt. Sed Angli, qui noctem totam insomnem fatigati transegerant, mane adhuc in seipsis pene deficientes, contra hostes incunctanter procedunt, pedites omnes cum bipennibus, conserta ante se scutorũ protectione, cuneũ impenetrabilem ordinauerunt, q; pro festo illis, ea die saluti fuisset consultũ, & euentũ, nisi Normãni, more suo, fuga simulata, cõfertas acies dissoluissent. Rex Haraldus pedes iuxta vexillum stabat cum fratribus suis, vt in cõmune coæquato periculo nemo de fuga cogitaret. E contra gens Normannorũ, nocte tota, vel quieti, vel peccatorũ cõfessioni, vel apparatibus armorũ, & summo mane dominici corporis viatico sumendo intendentes, animas ad cœlestia, corpora in hostes exacuendo erexerunt, audacter hostes expectãtes. Peditibus igitur cũ arcubus, & sagittis, clauis, & securibus, Gulihelmus primam aciem cõmuniuit. Equites vero, secundũ militarem disciplinam, in diuersis cornubus diuidendo, retrorsum, constituit eleganter. Igitur gestu erectus, vultu serenus, sermone iucũdus Dux suos animando parti suæ vtpote iustiori, Deũ affuturũ, dominum scilicet exercituũ, indubitãter pollicetur. Exclamatur, ad arma. Moxq; Dux arma deposcit imperterritus, & ecce armiger, præ tumultu animũ habens cõmotũ, inuersam illi tradit & induit loricã. Dux in risum resolutus, iocose exclamat, versa sũt aliqua penes nos, fortitudo Ducatus mei in regnũ cõmutatur. Tunc Rollãdi cantu inchoato, vexillis erectis & euolutis, tubis cum licinis perstrepentibus, inuocatoque de cœlestibus auxilio, præliũ cõmiserunt vtrobique. Bellatũ est acriter hinc indeq; cõpari diu certamine, neutris cedẽtibus, pẽdente victoria tẽpore diuturniori. Quo cõperto, vidẽs Gulihelmus robustissimã in aduersa parte inuictorũ cõstantiã & quãuis paucorum densitatẽ acierũ ordinatã, cõuertit ad prudentiæ argumenta, cum non præualuerũt impetus fortitudinis. Innuit igitur suis caute, prout prælocutũ fuerat, Dux belliger Gulihelmus, vt ficta fuga, Parthorum more, se campo subtraherẽt. Quo commento, exercitus Anglorum ilico, quasi arena sine calce, dissolutus, velut à tergo hostes cæsurus fugientes, sibi exitium incaute maturauit. Normanni enim, cõuersis agminibus, acies suas ordinate resarciunt, & Anglos proteruius irruẽtes, quantocius in fugã propellunt, Angli demũ, cumulo quodam occupato, Normannos calore succensos acriter ad superiora, anhelantes, in vallem deiiciunt, & leui nisu à cliuo molares magno super eos rotantes, & missilia contorquentes, multos ex eis perimũt, variis modis prosternentes. Item Angli fossatum quoddam præruptum, noto sibi transitu, occupantes, tot ibi Normannos contriuerunt, vt cadauera mortuorũ animis viuentiũ admirationem generarẽt. Fluctuauit diu hæc alternata vicissitudo, modo istis modo illis vincentibus, quandiu Haraldi spiritus inuincibilis corpori strenuo iungebatur. Nec contentus, vt solo sermone alios hortaretur & animaret, quin militis officiũ, sedulis & crebris assultibus, exequeretur in corpore proprio, & cominus venientes, sine ictus nugatoria iteratione, lethaliter trucidaret, vt nullus ad eũ impune accederet, quin statim irremediabiliter equitẽ, vel saltẽ equũ, vel vtroq; animo debacchãti in duo separaret. Contra Gulihelmus imperterritus animo insuperabili, suo exẽplo cuidẽti cohortãdo, in primos se ingerẽdo, in ancipiti semper certamine inter robustiores bellator suã impiger exercebat audaciã, & multorũ Anglorũ cruore planitiẽ cũ cliuo cruentauit, & cõfertas acies, quasi prora nauis fluctus procellosos, penetrãdo, viã suis ferro aperuit, nec tamen sine labore periculoso. Hinc contigit, vt, dũ inter cõfertissimas turbas hostiũ, vbiq; frenduit, hic & ibi fulgurauit, nũc hos nũc illos præcipites dedit, tres equos electissimos, eodẽ die sub se cõfossos amisit & eneruatos. Et quãuis familia-

familiari ſuſurro à cuſtodibus ſui corporis increparetur, perſtitit tamen magnanimi Ducis vigor indefeſſus, increpans deſolantium imbecillitatẽ, & perterritorũ puſillanimitatẽ, effœminatos, & imbelles, eminentem victoriã ſine moræ diſpendio, incunctanter promittendo, ſeq; ſuamq; poſteritatem impreciabilibus ſpoliis, redditibus, & theſauris, cum gloria ditari pollicetur. Et ecce clamore reſumpto, animis reparatis, in acies conglomerantur, coruſcat armorum collidẽtium tinnitus, hinnitus equorum, fragor haſtarũ, vmbonũ repercuſſio, gemitus vulneratorum, clamores morientium, aera vſq; ad nubes repleuerunt. Puluis vero, & aſcendens fumus anhelantiũ, ſudor & ſanguis oculorum acies obtundebat, quibuſq; aer caligare videbatur, donec Haraldus ictu vnius ſagittarum, quarũ multitudo ad inſtar hybernæ grandinis volando perſtrepuit, cerebro perforato occubuit, & effuſa medulla capitali, expirauit. Vnus autẽ irruentiũ Normannorũ, in odiũ execrabile, femur regis abſcidit, adhuc palpitantis, vndẽ à Gulihelmo turpitudinis redarguitus, quod rem feciſſet deteſtandã, viliſſimẽ pulſus, & quaſi abominabilis aufugatus eſt. Poſt ruinã autẽ illam, verſo pondere prælii in Anglos, imminens audacia Normãnos erexit, Anglos iã acephalos ſtupor depreſſit. Et vidẽtes quod iã pro capite res agebatur, & eos ſors belli iam contriuerat, de ſe cruentam hoſtibus reliquerunt victoriã. Vulgus vero in fugã conuerſum, diuerſa quæſiuit receptacula, & latibulorũ refugia. Sed generoſi, malentes mori, q̃ã probroſe fugere, videntes exhęredationem ſuam imminere, & iugum intollerabile, donec nox certamen dirimeret, multis animas præ fatigatione exhalantibus, in certamine immota pectora præbentes, perſtiterunt. Fuga autem Anglorum ignobilium vſq; ad noctẽ perdurauit, quouſq; plenum ab hoſtibus triumphũ (vt prædictum eſt) Normannis ſuperueniens nox reſtaurauit. In hac procul dubio pugna Gulihelmũ Ducem manus diuina, pluſquã humana, ſicut idem poſtmodũ, vt ſapiens, ſæpe confeſſus eſt, protexit. Dũ vero inter imbres iaculorum, tot ſagittis ille percuſſus, hoſtes ſui de corpore eius vel minimam ſtillam ſanguinis elicere non potuerunt. Dux igitur Gulihelmus, omnibus bene, ſicut domino exercituũ placuit, cõpletis, hoſtes detrũcatos ſepeliri permiſit. Si quis illud opus charitatis, exequi procurare dignarent. Suos autem, quos ſors belli peremerat, longe honeſtius, cũ ſolennitate exequiarũ ſolenñi tradi fecit ſepulturæ. Corpus autẽ regis Haraldi matri petenti ſine precio miſit, licet illa multum per nuncios obtuliſſet. Quod acceptum, apud Waltham ſepeliuit in Eccleſia, quã ipſe ex proprio conſtruxerat, in honorẽ ſanctæ crucis & canonicis ſecularibus deputauit. Vnde receſſurus, & inde ad bellum profecturus, cum oraſſet ante crucẽ, vt refertur, crux ei quaſi vltimũ vale dicens, inclinauit, & in hoc geſtu vſq; hodie perſeuerat. Hanc aũt regni ſubuerſionẽ, & ſanguinis redũdantẽ effuſionẽ, cometa ingẽs, & ſanguineus atque crinitus, in exordio illius anni apparens, minaci fulgore præſignauit. vnde quidam.

Anno milleno ſexageno quoque ſenõ,
Anglorum metæ flammas ſenſere Cometæ.

Est autem illa, ſiue ſtilla ſiue prognoſtica, & prodigialis in aere flamma, ſemper exitiũ futuri prænuncia. Vnde Claudianus, vbi loquitur de tribus deabus, raptum Proſerpinæ procurantibus, dicit in medio verſus.

Diuino ſemita greſſu
Claruit, anguruit qualis laturus iniquum
Præpes ſanguineo dilabitur igne Cometes,
Prodigiale rubens, non illum nauita tuto,
Non impune vident populi, ſed crine minaci
Nunciat, aut ratibus ventos, aut vrbibus hoſtes.

Facta eſt autem hæc congreſſio, tam lethalis, tam amara, tot generoſorum ſanguine cruentata, pridie idus Octobr. die ſcilicet ſancti Calixti papę, citra Haſtingas paruo diſtante itinere. Quarta igitur, quintaue nocte poſt bellum, dum iaceret Dux dormiens in lecto, poſt multimodam fatigatus ſollicitudinem, alto ſomno ſoporatus, audiuit vocẽ dicentem ſibi. Viciſti Gulihelme, inſuper & poſſediſti. Regnabis ergo tu, progenieſq; tua libere, centũ quinquaginta annis. Quod dux memoriter annotauit, & diuinæ omnia, quæ circa eum erant, diſpoſitioni cõmendauit. Fundata eſt igitur ibidẽ domus religioſorum, vbi cædes ac ſtrages crebior fuit occiſorũ, pro eorundem animabus, Deũ imperpetuũ deprecatura, quã Dux & alii deuoti Deo nobiles, poſſeſſionibus ampliarũt, & religionis cuſtodia munierunt. Quæ propter bellum ibidem conſummatum, nomine Belli vſq; hodie, intitulatur. Dominus autem papa, ſimulq; fratres cardinales vniuerſi, cum tota curia Romana, regem Haraldũ ſemper exoſum habentes, pro eo quod ſibimet diadema regni ſine

eorum

eorum conuenientia,& Eccleſiaſtica ſolennitate conſenſuque prælatorum, præſumpſerat,iniuriam diſſimularunt. Et videntes,quo fine auſa pręſumptio terminaretur,cum fortuna aduerſa ſunt aduerſati,potẽtioriq; manu atque victrici,more cupidorum, vel potius arundinis exagitatæ ventorum turbine,quantocius inclinarunt. Rex autem Haraldus, in multis patriſans,temerarius fuit,& indiſcretus, in præſumptione ancipiti nimis ſuæ inuictæ confidens fortitudini,laudis cupidus & theſauri, promiſſorum immemor arridente proſperitate. Vnde ipſis Anglis,quibus præerat,etiam conſanguineis ſe præbuerat odioſum,victoriamq; cum illi dominus exercituum & Deus vltionum conceſſerat, non Deò ſed ſibi,ſuęq; aſcripſit ſtrenuitati. Quod recenti experientia fuerat cõprobatum,cũ à Noricis deuictis ſuperbus, ſpoliiſq; omniũ retentis,quæ aliis promiſſa debebantur, ad Normannorũ prælia prępcipitanter & inconſulte feſtinauit. Vnde Ducis Gulihelmi,magnanimi in negotiis bellicis peragendis,& circũſpecti,fidelis in pollicitis, in pace ſocialis & iucundi,in cõuiis dapſilis & ſereni,omnibus fere,tam Anglis quã cõterminis,maxime tamẽ Noricis acceptabatur. Recipientes eũ beneuole dicebat: Benedictus qui venit in nomine domini,rex pacificus bellator victoriоſus,pater & protector deſolatorũ. Cum igitur ordinatiſſima diſpoſitione Dei,qui regna diſponit & diſſipat,conſilia principũ concedẽs,impertitur cui vult & quã diu,nec eſt qui dicere queat,cur hoc facis, trãsferatur regnũ Anglorũ,ad dominiũ Normannorũ. Libri noſtri cõtinuationẽ,in ſecundã partẽ reſecamus.

FINITVR LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS, DE CORONATIONE REGIS GVLIHELMI PRIMI, CONQVÆSTORIS.

ANno gratiæ 1057. Dux Normannorum Gulihelmus, vrbem Londoniarum adiens,in magna exultatione à clero & populo ſuſceptus,& ab omnibus rex acclamatus, dominicæ natiuitatis die ab Ældredo,Eboracenſi archiepiſcopo,regni Angliæ accepit diadema. Renuit enim hoc munus conſecrationis à Stigando, Cantuarienſi archiepiſcopo, ſuſcipere, eo quod non legitime occupauerat illius excellentiam dignitatis,licet de iure antiquo ad illam Eccleſiam illa ſolennitas ſpectare comprobetur. Deinde homagiis à magnatibus,cum iuramento fidelitatis,obſidibuſque receptis,in regno confirmatus,omnibus, qui ad regnũ aſpirauerãt,factus eſt terrori. Ciuitatibus quoque diſpoſitis, & caſtellis, propriiſque miniſtris impoſitis, ad Normanniam cum obſidibus Angliæ, & theſauris impretiabilibus nauigauit. Quibus incarceratis,& ſub ſalua cuſtodia deputatis,ad Angliam denuo remeauit, vbi cum commilitonibus ſuis Normannis,qui in bello Haſtingenſi patriam ſecum ſubiugauerant, terras Anglorum & poſſeſſiones,ipſis expulſis ſucceſſiue, manu diſtribuit affluenti, & modicum illud,quod eis remanſerat,factus iam de rege tyrannus, ſub iugo detruſit perpetuæ ſeruitutis. Et cum ſe viderat in ſublimi eleuatum,& in faſtu regni confirmatum, in alium virum eſt ſubito tranſmutatus, nobiles terræ, quos auitus ſanguis ab antiquo ſublimauerat, proh dolor, conculcando. Vnde nobiliores de regno indignati,quidam ad regem Scotorum Malcolmum confugerunt, aliique malentes vitam infœlicem terminare, quam ſeruitutem inſolitam ſubire, loca deſerta & nemoroſa petentes, ibique vitam feralem ducentes, Normannis ceſſiſſe pœnitentes, & dolore vehementi corde intrinſecus tacti,ſed ſero,quę poterant,occultas inſidias & dãna parauerunt. Videntes ergo partem ſuam infirmiorem,& ſeruire renuentes,receſſerunt ab Anglia Comites generoſi, Eadvvinus & Morcarus fratres,&nobiliores quiq; cũ Epiſcopis & clericis,& aliis multis, quos longum eſſet exprimere nominatim.

QVI omnes ad regem Scotorum Malcolmum fugientes,ab ipſo honorifice ſunt recepti. Tunc etiam Eadgarus Ætheling. de regno Anglorum hæres legitimus, cernens res patriæ vndiq; diſtrahi & perturbari,aſcenſa naui,cũ Agatha matre ſua,& ſororibus Margareta,& Chriſtina in Hungariam,vbi natus fuerat,reuerti conabatur. Sed,tẽpeſtate ſuborta

orta,compulsus est in Scotiam applicare.Hac quoque occasione actum est,vt Margareta regi Malcolmo nupta traderetur.Cuius vitam laudabilem, & mortem pretiosam, specialiter liber inde editus insinuat euidenter. Soror autem eius Christina sanctimonialis, benedicetur cœlesti sponso perpetuo copulata. Nati sunt denique reginæ Margaretæ sex filii,& duæ filiæ,quorum tres, Eadgarus scilicet, Alexander & Dauid, iuxta generis sui nobilitatem,reges fuerunt:ex quibus regum Angliæ nobilitas, à propriis per Normãnos expulsa finibus,ad reges deuoluta est Scotorum.

Quare rex Gulihelmus Primus,non fuit coronatus à Cantuariæ archiepiscopo.

Consecratus est rex Gulihelmus, & cõronatus die natiuitatis dominicæ, feria secunda,vt dictum est,ab Ældredo,Eboracensi archiepiscopo,quia Stigandus Cantuariæ archiepiscopus,tanquam Schismaticus,ab Alexãdro papa suspensus erat. Eo tempore excitat præpotẽs,minister Eadricus, cognomento Siluaticus, filius Ælfrici, fratris Eadrici Streonæ.Cuius terram quia se dedere regi dedignabatur,Herefordenses castellani,& Ricardus filius Scrobbi,frequẽter vastauerũt sed quotiescũque super eum irruerãt,multos è suis militibus & scutarijs perdiderũt. Idcirco accitis sibi in auxiliũ regibus Wallanorum Bleothino videlicet & Riwathlo, idẽ vir Eadricus circa assumptionem beatæ Marię Herefordensem prouinciam, vsque ad pontem amnis Vagæ deuastauit, & ingentẽ prædam inde abduxit.

Abbatia de bello construitur.

Rex Gulihelmus, exultans de victoria,dedit laudem Deo.Eodem anno,idem rex cõstruxit Abbatiam,quam appellauit pro bello ibi commisso,Bellum,in qua,in perpetuũ, Deo gloria,& laus, & gratiarum actio pro victoria obtenta soluerẽtur,nec non & pro ibidem mortuis exequiæ à sanctis monachis ibi cõstitutis, cũ salutaribus hostijs,Deo redderentur,ipsamq; Ecclesiam possessionibus, & libertatibus ditatam & dotatam commisit patronatui,& tutelæ regum, qui post eum forent in Anglia regnaturi.

Ducissa consecratur in reginam.

Anno gratiæ 1068. Matildis vxor regis Gulihelmi consecratur in reginam die Pentecostes ab Ældredo,Ebor.archiepiscopo. 10.Kalend.Aprilis. Hoc etiam anno,natus est regi Gulihelmo filius in Anglia, & vocatus est Henricus. Nam primogenitus eius Gulihelmus Rufus & Robertus, in Normannia nati sunt, antequam pater eorum Angliam sibi subiugauerat.

Duo filii Suani venerunt in Angliam,vt eam expugnarent.

Anno gratiæ 1069. inter duo festa beatæ Mariæ in autumno, venerunt duo filii Suani de Dania cum trecentis nauibus in Angliam, vt ipsam hostiliter expugnarent, & Gulihelmum regem caperent, vel ab Anglia effugarent. Quorum aduentus, cum diuulgatus esset, exierunt illis obuiam Comites, & Barones, & nobiles terræ,oppressi à Normannorum importabili superbia,& fœdus ferientes cum ipso, additi sunt exercitui Danorum,vt regem Gulihelmum confunderent.Sed rex Gulihelmus prudentissimus, videns periculum sibi imminere, humiliauit se illis, compescens elationem suorum Normannorum, & sic reuocatis multis Anglorum nobilibus,fœdere cautius cum omnibus confirmato,Eboracum,vbi fuit Danorum receptaculum,potenter, cum ibi inuentis expugnauit, & multa millia hominum ibidem interfecit.

Quomodo rex Gulihelmus,iam securus factus est de rege tyrannus.

Anno gratiæ 1070. pridie nonas Aprilis, rex Gulihelmus, iam factus securior, in multis promissa violauit. Monasteria vero totius Angliæ perscrutari fecit, & pecuniam, simul cum chartis,in quarum libertatibus nobiles Angliæ confidebant, & quas rex in arcto positus obseruaturum se iurauerat, ab Ecclesiis, vbi in securo depositæ iacuerant, auferri præcepit violenter, & in ærarium suum deferri. Concilium quoque magnum in octauis Paschæ,apud Wintoniam celebrauit Ecclesia tota Anglicana, rege procurante,vbi multa regnum contingentia mutata sunt. Ibi etiam Stigandus, archiepiscopus, degradatus est ignominiosè,& Ailmarus frater eius Episcopus Eastangliæ,plures quoque Episcopi & Abbates ibidem depositi sunt. Solus vero inter omnes Angliæ prælatos, Ægelwinus, Dunelmensis Episcopus, videns fratrum iniustas oppressiones, condolens & zelum dei habens, exulauit spontaneus ab Anglia, volens oppressores vinculo excommunicationis innodare. Stigando vero successit Lanfrancus monachus, vir eleganter literatus, & moribus multimodis ornatus, qui inter cætera magnifica opera, librum composuit de sacramento altaris, fidem roborando catholicam. Ailmaro successit Arfastus,regis capellanus:hic transtulit sedem ad Theofordiam.

Angli

Angli a Normannis expulsi, iniuriosè & malitiosè tractantur.

ANNO gratiæ 1071. Lanfrancus, Cadomensis Abbas, in archiepiscopum Cantuariensem consecratus est, octauo Kalend. Maij, Ipse quoque archiepiscopus Lanfrancus, monachorũ ordinem secundum regulam beati Benedicti, in multis cœnobiis Anglię cõstituit. Primo vero, in Ecclesia Cantuariensi, postea in Ecclesia sancti Albani, Anglorum protomartyris, vbi etiam decedente Frederico Abbate, substituit nepotem suum Paulum qui fretus adminiculo auunculi sui Ecclesiam restaurauit, & ordinem pene lapsum reformauit. Hoc quoque tempore, cum Angli nimis iniuriosè tractarentur à Normannis, in Eliensia arundineta, & ad insulam Thorneie fugientes, ibidem castra refugij facientes, Herewardum in armis strenuissimum, ducem sibi præfecerunt. Sed rex Gulihelmus, aliquos promissis alliciens, alios terroribus exasperans, alios donis corrumpẽs, demum omnes copioso exercitu circumuallans, ad suam coegit ditionem remeare.

Rex Gulihelmus, cepit homagium a rege Scotorum.

ANNO gratiæ 1072. generale concilium regni Angliæ, de primatu Dorobernensis Ecclesiæ super Eboracensem, celebratum est, sexto idus Aprilis. Et tandem decretum est, quod præponi habet Cantuar. & ei subiici per omnia Eboracẽsis. Rex etiam Gulihelmus Scotiam adijt, & hostiliter inuasit, credens aliquos ibidem de hostibus suis indomitis & profugis penes regem, vel suos delituisse. Sed cum nullum ibidem reperisset, accepto regis Scotorum homagio, ad propria remeauit. Eodem anno gratiæ, 1072. rex Gulihelmus cum grandi exercitu Scotiam ingressus est, & obuiauit ei pacifice Malcolmus, rex Scotorum apud Barwicum, & homo suus deuenit. Hijs temporibus regebat Comitatum Carlioli, Comes Ranulphus de Micenis, qui efficax auxilium præbuit regi Gulihelmo in conquestu suo Angliæ. Hic vrbem Carlioli cœpit ædificare, & ciues eiusdẽ plurimis priuilegijs munire. Sed rediens rex Gulihelmus à Scotia per Cumbriam, videns tam regale municipiũ, abstulit illud à Ranulpho Comite, & dedit illi pro eo Comitatũ Cestriæ, multis honoribus priuilegiatum. Carliolũ vero præcepit rex Gulihelmꝰ turribus propugnaculisque muniri firmissimis. Rex vero Gulihelmus Conquestor in redeundo de Scotia apud Dunelmum nouum ibidem construxit castellum contra irruptiones Scotorum.

Rex Gulihelmus Normanniam, sibi rebellem, subingauit.

ANNO gratiæ 1073. pridie Kalend. Aprilis obijt Alexander papa, cui succesſit Hildebrandus, qui Gregorius vocatus est. Eodem anno, inuaserunt monachi sancti Audoeni Iohannem archiepiscopum Rothomagensem, missam celebrantem in festiuitate eiusdem sancti, cum armata manu virorum. Vnde iudicatum est in concilio in eadem ciuitate congregato, præsidente rege Anglorum Gulihelmo, monachos huius criminis reos per Abbatias carceribus intrudi. Rex etiam Gulihelmus, eodem anno, Anglorum fretus auxilio, Normanniam, iam sibi rebellem, dominio suo potenter mancipauit. Deinde omnibus pacificatis, & bene dispositis, Anglis quoque in plenitudinem dilectionis receptis, in Angliam est reuersus.

Sacerdotes Symoniaci, nec non & vxorati à Papa Gregorio excommunicantur.
Vlstanus in episcopatum suum restituitur.

ANNO gratiæ 1074, Gregorius, qui & Hildebrandus dicebatur, celebrata Synodo, Symoniacos anathematizauit. Sacerdotes vxoratos à diuino officio amouit, nouo exemplo, &, vt multis visum est, inconsiderato præiudicio, contra sanctorum patrum sententiam. Beatus Vlstanus, per Lanfrancum archiepiscopum, iniuste depositus, miraculosè restituitur. Cum baculum pastoralem sepulchro beati Eadwardi infixisset, nullus prætereum à lapide euellere poterat. Papa vero, vt validius vxoratos sacerdotes puniret, & punitos reuocaret ab amplexibus illicitis, laicis interdixit ne missas eorum audirent, decimas etiam presbyteris debitas igne iussit concremari. Eodem anno, venerunt ex Dania, in mãnu forti & hostili, Cnuto filius Suani, & Hacõ Comes cum nauibus magnis ducentis, sed cito frustratus est conatꝰ eorũ per circumspectam prudentiã inuictissimi regis Gulihelmi

Obiit Aeditha regina Anglorum. Rex maledixit Roberto filio suo cognomento Cortehose.

ANNO gratiæ 1075. Obiit Æditha regina, nonas Aprilis. Eodem anno, rex Gulihelmus, Radulpho Consuli filiam Gulihelmi, filii Osberti, nuptui tradidit, & Consulatum de Northfolk & Suthfolk. Iste Radulphus erat de genere Britonũ, ex parte matris, & pater suus Anglicus fuit. Natus fuit in Northfolk ibiq; habuit nuptias suas, quæ multis hominibus dãno fuerũt. In quibus fuerũt Rogerius Cõsul, & Waltheofus Cõsul & Episcopi, & Abbates, & consuluerunt expellere regem Gulihelmum de regno suo. Quod cito regi

inno-

innotuit,qui fuit in Normannia,& postea venit rex in angliam,& cœpit Waltheofum & Rogerium cognatum suum, & misit eos in carcerem. Sed & de cæteris,qui fuerunt ad nuptias, * fecit postea iudicium.Eodem quoque anno,idem rex Gulihelmus,die Paschæ, in Ecclesia de Feschamp filiam suam Ceciliam, Deo consecrandam obtulit cum deuota solennitate.Rex etiam Gulihelmus maledixit Roberto filio suo, quia multoties eundem ad iram prouocauerat,& à conspectu suo,præsentem in suæ mentis amaritudine abegit. Ipse autem Robertus,quantum inualuit paterna maledictio,in fine vitę suæ manifeste expertus est,cum excœcatus,& incurrēs fraternam cum odio persecutionem,in carcere lamentabiliter diem clausit extremum.

** in breui fecit vltionem.*

Generalis terræmotus in Angliam.

ANNO gratiæ 1076.sexto Kal. Aprilis terra tremuit, & factus est generalis terræmotus in Anglia,& gelu magnum,glacieſq; validissima,à Kal.Nouembr.vsq; ad medium Aprilis,Waltheofus Dux decollatus est.Et hic est ānus tertius decimus primi decēnouenalis cycli,repetito anno magno Dionysii,duobus annis à passione domini reuolutis.

Ordo monasticus in Anglia reuiguit per exemplum, & doctrinam Lanfranci archiepiscopi.

ANNO gratiæ 1077.dominica palmarum,16.Kalen.Maii, circa horam sextam, sereno cœlo, apparuit stella. * Lauzo prior sancti Pancratii, venit in Angliam, & Paulus monachus Cadomensis,nepos Lanfranci archiepiscopi, creatus est abbas sancti Albani. Per ipsum etiam totus ordo monasticus in Anglia refloruit, coadiuuante Lanfranco. Ipse etiam Paulus abbas possessionibus multis & libertatibus Ecclesiam suam ampliauit.

** Lando.*

Imperator propter inobedientiam excommunicatur.

ANNO gratiæ 1078.schisma magnum inter dominum papam Gregorium,& Henricum imperatorem ortum est.Tandem imperator excommunicatur.In fine tamen Suęuiam deuastar.Rex Gulihelmus curiam suam apud Glouerniam tenens,tribus capellanis suis,scilicet Mauritio Londonienſem, Gulihelmo Norwicenſem, Roberto Cicestrenſem contulit præsulatum.Eodemque anno obiit Guiscardus,magnanimus Dux Apuliæ, & successerunt ei duo filii eius,Rogerius scilicet,& Beamūdus.Hoc etiam anno mota est guerra naualis præcipue funesta nimis inter Venetos & Barenses, pro corpore sancti Nicolai.Eodem anno Gulihelmus Comes Warenniæ, qui venit in Angliam cum Gulihelmo Bastardo fundauit prioratum sancti Pancratii de Lewes.

VVallia capitur ab Anglis, & Antiochia à Paganis.

ANNO gratiæ 1079. obiit Iohannes,Rothomagensis archiepiscopus, cui successit Gulihelmus,qui fuit abbas Cadomensis. Incipitur renouari Ecclesia Episcopatus Wintoniæ.Ventus validissimus nocte natalis domini,ædificia solida concussit.Eodemque anno rex Anglorum Gulihelmus in Walliam copiosum duxit exercitum,& eam sibi subiugauit,& ab eiusdem regulis homagia per fideles obsides susceptt. Eodem anno, Antiochia capitur à paganis,cum adiacente prouincia,quæ extitit Christiana à tempore sancti Petri,sine exturbatione.Eodem anno rex Scotorum Malcolmus post Assumptionē beatę Mariæ,iterum insaniens,totam Northumbriam vsq; Tinam deuastauit. Rex Angliæ hoc audito misit Robertum filium suum cum exercitu in Scotiam qui infecto negocio rediēs super flumen Tinæ nouum castellum fabricauit,& ad patrem est reuersus.Eodem quoq; anno,rex misit fratrem suum Odonem Baiocensem episcopum,cum multa militaria manu vt Northumbriam vastaret,cuius populus contra regem insurrexerunt,& Walcherū episcopum Dunelmensem,virum vtiq; innocentem,occiderant apud Gatesheuede.

Falsus rex occiditur ab imperatore.

ANNO gratiæ 1080.Hildebrandus papa, qui & Gregorius dictus est, quasi sibi diuinitus reuelatum,prædixit falsum regem hoc anno moriturum. Verum quidem prædixit,sed fefellit eum de falso rege opinio & coniectura, secundum velle suum interpretata super imperatore Henrico.Imperator vero contra Saxones graui prælio congreditur,vbi falsum regem,scilicet Radulphum, cum multis Saxoniæ principibus interfecit. Eodem anno nouum castrum Atiethine à Gulihelmo rege conditur.

Gulihelmus Rothomagensis archiepiscopus concilium celebrauit, apud Lisseber. In Anglia terræmotus factus est,cum mugitu terribili.

ANNO gratiæ 1081. Gulihelmus, Rothomagensis archiepiscopus, tenuit concilium apud Lisseber, præsente rege Gulihelmo, cum principibus & Episcopis multis. Eodem anno,factus est terræmotus magnus, cum terræ mugitu terribili in tota Anglia, contra eius solitū cursum naturæ, quod creditur euenisse in triste præsagium mutationū decretorum legum,& prçceptorum in prædicto concilio.

Maria-

Marianus historiographus, vir quidem magnæ authoritatis, à natiuitate Christi, huc vsque chronica scripsit.

ANNO gratiæ. 1082. Marianus Scotus, sancti Bedæ linealiter consanguineus, ipsius sancti libros omnes cum aliis multis perscrutans, similis illi in moribus, & scientia esse nitebatur. Iste Marianus, à natiuitate Christi chronica sua incipiens, vera, & plenaria vsque ad hunc annum perduxit, multum laborans, vt errorem de annis domini corrigeret. Super hoc enim, multorum opinio, animos lectorum reddebat suspensos.

Matildis regina mortua est, & rex Gulihelmus tyrannior factus est.

ANNO gratiæ. 1083. Idib. Aprilis obiit Matildis regina, senior vxor Gulihelmi regis filia Baldewini Comitis Flandriæ, & sepulta est Cadomi in monasterio sanctæ Mariæ, quod ipsa à fundamentis construxerat, & nobiliter dotauerat. Eodem anno rex Gulihelmus, misit iusticiarium per totam Angliam, per Comitatus, & inquirere fecit, & diligenter perscrutari, quot iugata, & virgatæ terræ, quidq; vni militi sufficere posset. Fecitque inquirere de vrbibus, & villis, & viculis ad quid in solitum ascenderent. Inquisiuit etiam, quot animalia possent sufficere ad vnius hydæ culturam, & de fluminibus, paludibus, syluis, quem censum redderent per annum, & quot milites essent in vnoquoq; Comitatu, vt sciret, quo numero virorum posset, si tanta necessitas emergeret, confidere. Quæ omnia, in scripta redacta, & ad Westmonasterium relata, in thesaurum regium deferebantur reseruanda. Deinde senior, factus auarior & de rege tyrannior, de vnoquoq; aratro, id est, hyda terræ totius regni, sex solidos extorsit truculenter. Eodem anno Mauricius Episcopus London. templum maximum quod nec dum perfectum est incepit. Hoc anno concessæ sunt libertates Ecclesiæ Dunelmensis à Thoma Archiepiscopo Eborac.

Waltheofus fortissimus perimitur. Imperator Henricus respirat.

ANNO gratiæ. 1084. Waltheofus decollatus est, Comes amplę prosapiæ, neruosus lacertis, robustus pectore, & procerus toto corpore, filius Siwardi, Comitis magnificentissimi, quem * Droggere Danico vocabulo, id est, fortem cognominabant. Hic Crolandiæ sepultus est. Eodem quoq; anno, Romani Henricum imperatorem receperunt, & à papatu abdicatur, eorum iudicio, Hildebrandus. Wibertus, Rauennēsis vrbis episcopus, in sedem Apostolicam inthronizatur, & Clemens nominatur, ac iuste omnes Hildebrandum fuisse depositum conclamant, tanquam læsæ maiestatis reum, qui contra imperatorem Henricum, alium ordinauit. Eodem vero anno, Cassinensium abbas Desiderius, contra Clemētem, papa efficitur, sed cito post moritur morbo dissenterico resolutus. Eodem itaque anno, rex Anglorum Gulihelmus, in festo Pentecostes, apud Westmonasteriū, Henricum filium suum iuniorem, insigniuit nimis pompose cingulo militari. Deinde cœpit homagia hominum totius Angliæ, & iuramentum fidelitatis, cuiuscunque essent feodi vel tenementi, & extortis magnis pecuniæ copiis, de quibuscunque aliquam poterat inuenire causam, talem, vel qualem. Deinde in Normanniam transfretauit. Iam igitur, peccatis exigentibus, emarcuit oppressa anglorum antiqua nobilitas, & diatim corda nobilum, noua iuxta beati Eadwardi vaticinium, trahunt lamentabilia ab alto suspiria.

Gulihelmus rex prosperatur in viis suis, duo cœnobia fundauit.

ANNO gratiæ. 1085. rex Gulihelmus, cum iam pene omnem Angliæ nobilitatem exuflasset, omnem induit tyrannidē, factus est ferus & inhumanus, feras solas dilexit, pro quibus homines mutilauit, exhæredauit, incarcerauit, trucidauit. Normanniā quoq; suppeditauit, Cinnomanniam expugnauit & adquisiuit, Britanniam Armoricam sibi subiugauit, Scotiam Angliæ inclinauit. Prædonum vero & latronum spoliator fuit sagacissimus, & eorum damnator immiserabilis. Vnde per totam Angliam ire poterant mercatores, peregrini, & viatores, indemnes, etiamsi aureis thesauris onerati viderentur, cum antecedentibus temporibus, quælibet sylua lupis & vespilionibus abundauerat. Nobiles enim & generosi Anglici expulsi à propriis, & erubescentes mēdicare, vel fodere nescientes, cum filiis & fratribus suis in syluis latuerent, solis prædis & rapinis, cum defuerunt venationes vel alia victualia, inhiantes. Eodem tempore, rex Gulihelmus, Remigio cuidam, de Feschampo monacho, contulit Episcopatum de Dorcestre, cuius edoctus rex monitis salutaribus, pro transgressionibus suis expiandis, duo cœnobia fundauit, vnum in honorem sancti Martini in Anglia, vbi bellum consertum fuit, quod & sic ideo nuncupauit, vt prædictum est. Aliud vero monasterium in Normannia apud Cadomum construxit, in honorem sancti Stephani prothomartyris, & consecrari iussit. Ex regina vero Matilde, libe-

ros plures susceperit, Robertum scilicet, & Richardum, Gulihelmum, & Henricum, ex quibus postea propagata est linea regum Angliæ.

Gulihelmus Conquestor
- Robertus Curthose
- Gulihelmus Rufus, rex
- Richardus.
- Henricus Clericus, rex
- Adela.
- & quatuor aliæ filiæ.

Matildis mater istorum &, regina, erat filia Baldewini, Comitis Fland.
Stephanus Blesensis, eius filius, & postea rex.

Rex Gulihelmus duo monasteria, quæ fundauit, ampliat, scilicet, sancti Martini in Anglia, & sancti Stephani in Normannia.

Anno gratiæ. 1086. rex Gulihelmus cœnobium secundum, in Normannia fundatum, & iam perfectum, possessionibus & libertatibus ampliauit. Primogenitus regis Gulihelmi, Robertus, aduc patre viuente, Normanniam sibi negari molestè ferens, in Italiam abiit, ira succensus, vt filiam Bonefacii Marchionis sumpta in matrimonio, patri validius aduersaretur, sed hac spe frustratus, Philippum regem Francorum, contra patrem excitauit. Quare paterna benedictione, & hæreditate cassatus, regno Angliæ post mortem caruit, Ducatu Normanniæ vix retento. Rex Gulihelmus optimam habuit consuetudinem, per quam dicitur diuinam in tyrannide vltionem euasisse. Missas & horas diuini obsequii diligenter, & cum matura simplicitate exaudiuit, nec se tolerauit, etiam pro vrgentissimis & arduis negotiis, impediri, interim genua flectere & deuote orare non cessauit.

Gulihelmus rex moritur, substantiam suam mirabiliter diuidit. Robertus primogenitus reiicitur, Gulihelmus succedit.

Anno gratiæ. 1087. contigit magnum infortunium in Anglia. Gens enim tanta infirmitate occupata est & pestilentia, vt qui febres euaderet, fame moreretur. Immisit etiam tempestates, & tonitrua, & fulgura, quibus multi homines perierunt, nec animalibus, nec pecoribus pepercit Deus. Sed & domesticæ aues Angliæ, pauones, gallinæ, anseres à domibus se extrahentes, syluestres omnes efficiuntur. Hoc anno, fuit rex Gulihelmus in Francia deprædauitq; regnum regis Philippi, & multos ex suis neci dedit. Combussit quoq; castrum nobile, nomine Mathaunte, & omnes Ecclesias, quæ ibi inerant, plebemq; multam, & duos anachoritas sanctos igni tradidit, quo facto abiit in Normanniã, & perendinauit ibidem. Rex vero Gulihelmus, extremo vitæ suæ tempore, in Normannia habitans, contractis amicitiis cum rege Francorum Philippo aliquantisper conticuit. Cuius abutens patientia Philippus rex, fertur dixisse. Rex Angliæ Gulihelmus iacet Rothomagi, more absolutarum partu fœminarum cubile fouens. Quo perstrictus rex Gulihelmus conuitio, respondit. Cum ad missam, post partum iero, centum milla candelas illi illuminabo. Nec multo post, mense Augusto, copioso exercitu congregato, Franciam ingreditur, omnia proterit, cuncta populatur. Postremo Medantum ciuitatem iniectis ignibus, cõcremauit, quo succenso exhilaratus, dum suos audacius incitat, vt igni adiiciant pabula, propius flammas accedens, foci calore & autumnalis æstus inæqualitate morbum nactus est, quo affectus receptui suis cecinit, & Rothomagum est regressus. Quinto vero Kalend. Aprilis, rex Gulihelmus, cum sensisset, diem mortis imminere, fratrem suum Odonem, & omnes quos in Anglia vel Normannia custodiæ mancipauerat, relaxauit, pro eo quod si quis tempore suo, ceruum vel aprum caperet, oculis priuabatur, grauem egit pœnitentiam. Pacis & iusticiæ inuiolabilis conseruator extitit, ita vt puella auro onusta, regnũ Angliæ pertransiret impune. Rex Gulihelmus mirabiliter terram suam sic diuisit. Roberto primogenito suo inuitus, & coactus Normanniã. Gulihelmo secundo filio suo, Angliæ monarchiam, & Henrico, possessiones maternas & thesauri copiam delegauit. Rex igitur Gulihelmus, postquã 20. annis, mensibus 10. & 28. diebus genti Anglorum præfuit 5. Idus Septemb. regnum cum vita reliquit. Corpus eius apud Cadomum delatum est, & ibidem sepultum. Gulihelmus filius regis Gulihelmi, Angliam festinato adiit, & quinto Kalend. Octob. die dominica, apud Westmonasterium, à Lanfranco, Cãtuar. Archiepiscopo, cõsecratus est in regem. Hic abbatiam sancti Martini de bello ampliauit, dilexit, & collocata à patre suo, confirmauit, & tumbam eius, & diem anniuersarii sui veneratus est. Quod tamen Robertus obstinatus facere contempsit, & alii filii sui, ipsius exemplo. Intererant exequiis assidue tres, qui sui fuerant capellani, quibus præsulatus dignitatẽ idem rex contulerat, Mauritius, scilicet Lõdon. Gulihelmus Norwicensis, & Robertus Cicestrẽsis Episcopi.

De Sacramento altaris.

Eodem tempore, Berengarius Turonensis, in hæreticam prolapsus prauitatem, omnes

omnes Gallos, Italos & Anglos, suis iam pene corruperat prauitatibus, noua & inaudita ac falsa asserens super sacramento altaris, & transsubstantiatione, tam panis in carnem, quam vini in sanguinem. Sed Lanfranci prudentia, omnes versutias aduersariorum detegens, catholicam circa illa omnia confirmauit veritatem. Paulus quoq; de quo superius fecimus mentionem, Ecclesiasticam non est passus titubare veritatem. Et sic stetit irrefragabiliter religio circa sacramentum altaris Christiana. Venetiis meditantibus auferre corpus sancti Nicolai à Mirrea Liciæ à Turcis desolata, præoccupauerunt eos Barenses ciues, num. 47. ab Antiochia Mirream venientes. Qui à quatuor tamen monachis, ibi inuentis extorserunt ostendi tumbam sancti, qua effracta, ossa sancti Nicolai in olei liquore natantia, integro numero, extraxerunt, & Barim cum gloria detulerunt. Facta est autem hæc translatio, anno 745. à depositione sancti Nicolai. Eodem tempore, Mediolani, dum Patritiæ dignitatis viri de republica tractantes, sub vna residerent turri, auribus omnium vox insonuit, vnum ex illis nomine vocans, & festinato exire rogans. Quo tardante, persona quædam apparuit, quæ vocatum virum, vt egrediretur, prece obtinuit. Exeunte illo, turris repente cecidit, & omnes, qui ibidem aderant, casu miserabili oppressit.

Mortuo Gulihelmo rege Anglorum, magno conquisitore, succedit Gulihelmus Rufus, secundogenitus regis, in regnum.

Anno gratiæ. 1088. multi magnatum Angliæ, contemnentes seruire iuniori, & relinquere Robertum primogenitum, dixerunt seruire iuniori indignum fore nimis, tam strenuo milite relicto, tamq; nobili. Sed regis prudentia, omnes non valens simul flectere, singulos cautius emolliuit, & primo libertates pro suo arbitrio promittens, denuo, quæ sua erant, non segniter reuocauit, callide promittens, subdole reseruauit in fine, quod Deum non latuit. Victor papa sedit annum 1. menses 4. & dies.

Coronatio Gulihelmi Rufi.

Coronatus est igitur Londoniis nouus rex, Gulihelmus dictus, & existens Rufus. Affuerunt autem Lanfrancus Archiepiscopus Cant. qui eum consecrauerat in regem, & Thomas Ebor. & Mauritius London. & Walkelmus Winton. & Galfridus Cicestrensis, & Vlnothus Wigornien. & Gulihelmus Theofordensis, & Robertus Cestriæ, & Gulihelmus Dunelmensis, Episcopi, & Odo Baiocensis, iusticiarius totius Angliæ, & Remigius Episcopus Lincol. Cuius Episcopatus, Remigio procurante, translatus est, secundum situm, vsque ad locum, vbi nunc est sedes. Cum autem Episcopatus ille maximus sit, durans à Thamesi vsq; ad Humbrum, displicebat ei, quod in vrbe modica, & in termino Episcopatus, sita fuit sedes, cum clarior Lincolnia situ, & ædificiis emineret. Mercatis igitur prædiis, in vertice vrbis iuxta castrum ædificata est Ecclesia & canonici in territorio ordinati. A diuerticulo materiæ reuertentes, materiam ordiamur. Plaga tetigerat Anglos, iã ad Normannos in parte reuertitur. Omnes namq; nobiliores regni, quos Gulihelmus Magnus promouerat, superbi effecti, indignantes quia regnaret super eos iunior, spreto Roberto primogenito, nobili, & magnanimo, non sine periurio bella mouerunt in Gulihelmum. Sed infra tertium annum, omnes confusi sunt, & possessiones eorum fidelioribus distributæ.

Obiit Lanfrancus nobilis antistes Cantuariensis Ecclesiæ.

Anno gratiæ. 1089. 9. Kal. Aprilis obiit Lanfrancus Archepiscopus Cãtuariæ, qui in Cantuaria maiorem Ecclesiam, cum officinis renouauit. Dignitates multas eidem Ecclesiæ adquisiuit, maneria restaurauit, xenodochia duo stabiliuit, hæreses condemnans fidem roborauit, ordinem monasticum ministerio Pauli, nepotis sui, quem secum duxit monachum à Normannia, & in abbatem sancti Albani stabiliuit, eleganter informauit, Ecclesiam apud Roffam reformauit, libros quos rudis simplicitas Anglicana corruperat, ab antiquo diligenter sane correxit, quorum corroboratione se gaudet Ecclesia communiri. Rex Gulihelmus, contra fratrem suum Robertum, Normannorum Ducem, bella mouere cœpit. Eodem anno, terræmotus factus est, & monachi de Bermundesia, vocante Lanfranco, venerunt in Angliam. Iste Remigius erat monachus Fiscami, qui etiam fecit ex nouo cœnobium monachorum apud sanctam Mariam de Stoke, alterum apud Hardẽ.

Rex Gulihelmus contra fratrem suum Robertum bella mouet.

Anno gratiæ. 1090. rex Gulihelmus, contra fratrem suum Robertum primogenitum, arma mouens, castra sancti Valerici, & Albemarliæ cœpit. Nitebatur enim vlcisci iniurias, quas fecerat fratri suo iuniori, à quo magnam pecuniæ partem subdole adquisierat, vendendo ei terræ suæ partem, & postea auferendo, & in aliis fraudibus fraternam

simplicitatem circumueniendo, tum virum astutia. Erat enim idem Robertus, corpore integer, & fortis, audax & imperterritus, neruis connexus, ossibus congestus, corpore procerus, facie virilis, sed mente insatiabili auarus, & astutus, & patri licet magnanimo ex superbia inobediens, Deo indeuotus, fratri suo regi Gulihelmo infidelis. Tandem tamen, & si inuitus, illi fidelis. Necessitate enim compulsus, petiit amicos magnos, vt placabilem sibi redderent fratrem suum, & ipsum illi sub aliqua forma reconciliatum. Eodem anno, fundata est Ecclesia beatæ Mariæ de castilacra à Gulihelmo Comite Warenniæ.

Rex Scotorum Malcolmus fecit homagium regi Gulihelmo. Rex infirmatus promisit bona, sed non reddidit.

Anno gratiæ. 1091. ventus vehemens, & damnosus percussit Londoniam, turres & ædificia, cum arboribus fructiferis, concutiens. Remigius Episcopus Lincolnienſis, cum Ecclesiam iam perfectam magnifice dedicare disponeret, paratis necessariis ad talem solennitatem, die proxima antecedente obiit. Thomas Ebor. Archiepiscopus resistendo cõtradicebat, affirmans eam in sua parcohia esse constructam. Vnde pro appellatione pendente, & morte importuna Episcopi, dilata est dedicatio. Eodem anno, Mechis corpus beati Clementis, primi Episcopi ab Apostolis ordinati, inuentum est. In contermino autem huius anni, & consequentis, concordiam iniit rex Gulihelmus cum fratre suo Roberto, precibus multorum instigatus, eo tamen pacto, vt castra illa, quæ rex à fratre adquisierat, regi remanerent. Rex autem adiuuaret eum ad omnia, quæ pater suus ei legauerat conquirenda, & è conuerso. Statuerunt etiam irrefragabiliter, si quis eorum moreretur prior altero sine filio, quod alter fieret hæres illius. Hoc pactum iurauerunt præelecti nobiliores vice regis, & totidem vice Comitis.

Rex Scotorum Malcolmus, dum discurrens per confinia Angliæ prædas ageret: rege autem cum Roberto fratre suo illuc cum exercitu properante, Malcolmus perterritus occurrit pacificus, & homagio facto, iurauit ei fidelitatem. In confinio autẽ huius & præteriti anni, vtrumq; contingenti, instaurata est monachis Ecclesia sancti Oswini de Tynemuthe, & informati regulari vita sancti Benedicti, sub Paulo abbate sancti Albani. Rex Gulihelmus postea grauiter infirmatus, promisit bonas leges positurum, & pacem habere cum Ecclesia. Sed cum sanus factus est, pœnituit hoc promisisse, & grauius solito Ecclesiam, & regnũ oppressit, ita quod fingens falsam causam, ab vna Ecclesia, scilicet Lincoln. quingenta millia marcarum extorsit. Hic vero Anselmum statuit Archiepiscopum Cantuariensem. Sed postea enormiter persequens eum, vsq; ad exilium lacessiuit. Exulans igitur, moram fecit Anselmus ibidem, donec videret in visione nocturna, quod omnes sancti Angliæ conquererentur altissimo super tyrannide regis Gulihelmi, Ecclesias suas destruentis. Et ait Deus. Accedat Anglorum protomartyr Albanus. Et tradidit ei vnam sagittam ignitam, dicens. Ecce mors illius, de quo querimoniam coram me reponitis. Et beatus Albanus ipsam accipiens, dixit. Et ego trado eum spiritui nequam, vltori peccatorum, & proiecit eam in terram volantem per aerem, ad instar Cometæ. Et mox intellexit Anselmus Archiepiscopus, in spiritu, quod rex, sagitta illa sagittatus, interiit illa nocte. Et summo diluculo missa celebrata, iussit vestimenta, cum libris & aliis rebus vehendis disponi, & iter arripuit statim ad Ecclesiam suam. Et cum appropinquasset, audiuit quod eadẽ nocte rex Gulihelmus sagittatus expirasset. Et hoc inferius suo loco dicetur. Eodem anno dominus Herebertus abbas de Ramissia suscepit Episcopatum Theofordensem.

Rex Scotorum Malcolmus perimitur. Videns hæc, & alia mala, sancta Margareta, vxor eius expirauit.

Anno gratiæ. 1092. rex Scotorum Malcolmus, in Angliam prædatum veniens, interceptus est, & subito interfectus. Quod vt audiuit regina, Deo dilecta Margareta, ex eo tempore tabuit præ dolore, & vitam cito post, in lachrymis & orationibus, terminauit. Duplici enim dolore flagellauit eam dominus. Eadwardus enim filius Malcolmi & ipsius Reginæ, & hæres Scotiæ si viueret, simul cum patre Malcolmo interemptus est. Tunc Scoti elegerũt Dunewal, fratrẽ Malcolmi, in regem, sed Dunecanus filius Malcolmi, qui obses fuerat in curia regis Gulihelmi, auxilio eius superueniens, auunculum suũ fugauit, & post patrem regnauit. Eodẽ anno, Iohannes, Wellensis Episcopus, natione Turonicus, transtulit in Bathoniam, sui cathedram præsulatus. Rex Gulihelmus Cancellario suo Roberto Bloeto Lincolnienſem contulit præsulatum. Rex Gulihelmus ciuitatem Carleolensem restaurauit, Danica persecutione diu dirutam, & ex Australibus finibus Angliæ, illuc habitatores transmisit. Hoc etiam anno, inundatio pluuiarum diffusa est, qua maior non erat præuisa. Rex Gulihelmus grauiter, tam regnum quam clerum variis opprimit exactionibus, & exagitat seruitutibus, pro quibus multorum oppressorum incurrit maledictionem. Quidam actus istius anni finaliter attingunt partem sequentis.

Gelu,

Gelu, & nix, qualia nunquam antea visa sunt.

ANNO gratiæ. 1093. post pluuiarum maximas inundationes, flumina etiam magna ita spisso gelu, & diutino constricta sunt, quod hominibus & onustis, bigis & plaustris facta sunt transmeabilia. Tandem nix resoluta stiriis, & frustis natantibus, vix pontem vnũ in tota patria reliquit integrum. Hoc quoq; anno, Suho Beluacensis præpositus, à papa Vrbano consecratus est in Episcopum Carnotensem. Hoc etiam continuato priori anno, rex Gulihelmus Dorobernensem in pace dimisit præsulatum Anselmo, cuius ordinatio pridie nonas Decembris fuit.

Transfertur sedes Episcopalis à Theoford vsq; ad Norwicum.

ANNO gratiæ. 1094. quinto Idus Aprilis, Episcopatus de Theoford, translatus est ad Norwicum, ab Hereberto Losenga. Obiit Ælwinus, fundator de Bermundeseie. Hic Herebertus prædictus, ex abbate Ramesiensi, empto præsulatu, factus est Episcopus Theofordensis. Sed postmodũ pœnitentia ductus, Romã profectus est, & Simoniacũ baculum & annulũ papæ resignauit. Veruntamẽ Apostolicæ sedis indulgentia, ppiciante, restitutus est. Eodem anno Rex Gulihelmus, misit Henricum fratrem suum in Normanniam, cum pecunia multa, vt eam expugnaret. Comes Northanhumbriæ, in superbiam elatus, quod regem Scotorum vicerat, vt prædictum est, curiam regis repudiabat. Promouit ergo exercitum in Northanhumbriam contra Robertum, & in nouo castello omnes potentiores de familia Comitis cepit, & vinculis mancipauit. Redditum est regi castellum de Bamburg, & omnes fautores Comitis male tractati sunt. Nam Gulihelmus de Anco, oculis priuatus est, & Odo, consul Campanienſis, & alii plures exhæredati sunt. Eodem anno impiger rex Gulihelmus in Walliam duxit exercitum, eo quod anno præterito, Wallenses multos Normannorum occiderant, & eorum firmitates confregerunt, castellum de monte Gomerico confregerunt, & eius habitatores necauerunt. Rex igitur Gulihelmus, omnes fines Walliæ hostiliter perlustrans, cum in montium latibulis, & syluarum densitatibus ipsos persequi non valeret, firmatis in confinio castris, ad propria remeauit. Eodem tempore stellę de cœlo cadere videbantur.

Surgit in Ecclesia monstrum genitore Losinga,
Symonidum secta, canonum virtute resecta.
Petræ nimis tardas, nam Symon ad ardua tentat:
Si præsens esses, non Simon ad alta volaret.
Proh dolor, Ecclesiæ nummis venduntur & ære.
Filius est Præsul, pater Abbas, Simon vterque,
Quid non speremus si nummos possideamus?
Omnia nummus habet, quid vult facit, addit & aufert:
Res nimis iniusta, nummis sit præsul & abba.

In præterito anno, rex Gulihelmus adiit in Normanniam, & misit in Angliam, iussitq; venire ad se viginti millia Anglorum. Sed postquam venerunt ad mare, iussit redire, & mittere regi pecuniam, quam deferebant, scilicet vnusquisq; 20. solidos.

Obiit sanctus Vlst. annis, & celebratum est Concilium magnum.

ANNO gratię. 1095. octauo Kalend. Aprilis, obiit vir vitæ venerabilis, Vlstanus Wigornienſis Episcopus, cuius transitus Roberto Herefordenſi Episcopo in visione apparuit, illeque ad ipsum tumulandum Wigorniam properauit. Sanctus autem ille Vlstanus, cuius sanctitati beatus Eadwardus rex, etiã mortuus, vt prędictum est, testimonium perhibuit, ita miraculorum signis postea coruscauit, vt viderentur tempora Apostolorum renouari. Eodem quoque anno, scilicet dominicæ incarnationis. 1095. celebratum est magnum concilium sub papa Vrbano, apud Clarum montem, ciuitatem Aluerniæ. Vbi ipse dominus papa, sermonem faciens populo super negotio terræ sanctæ, tam sanctum, tam efficacẽ, quod multos principes præclaros, ad arripiendum iter Hierosolomytanum, & ad rependendũ Christo, pro ipso scilicet moriendo, vicissitudinem animaret. Exiit igitur sermo, nec vacuus, & cruce signati sunt nobiles nonnulli, quos longum esset enumerare. Inter quos Robertus, Dux Normannorum, cruce signatus, iter sanctum accepturus, posuit Normannicam in vadimonium fratri suo Gulihelmo pro decem 1000. librarum argenti. Iuit autẽ cum eo Robertus, Dux Flandriæ, & Eustachius, Comes Boloniæ. Iuerũt & ex alia parte, Dux Godefridus, & Cõsul de Monte Baldwinus, & alius Baldwinus reges Hierusalẽ futuri. Iuerunt quoque ex tertia parte, Comes de sancto Aegidio Reimundus, & Episcopi Podiensis Aethelmarus armis clarus, moribus autẽ clarior, & Hostiensis, qui primates extiterunt, huius Dei exercitus. Hugo quoque Magnus, frater regis Francorum, Stephanus

Comes Blesensis, Boamundus nepos Tancredi, & alii quos hæc pagina non sufficit numerare. Petrus vero Eremita, primus iter arripuit Hierosolymitanum cum innumerabili exercitu. Sed triginta millibus trucidatis, antequam Hierusalem perueniret, iacturam incurrebat irrestaurabilem. Primum bellum Christianorum, fuit ad Pontem Pharphax fluminis 9. Kal. Martii. Secundum apud Niceam, quam & ceperunt 13. Kal. Iulii, ceperunt & Laodiciam. Cum voro essent plusquam 300. armatorum millia tanta eis suppetebat copia, vt aries vno numo bos vix 12. nummis venderentur. Quum igitur post 7. hebdomadas, & 3. dies, ab inde Antiochiam tenderent diuiso exercitu, vnum eorum exercitū 360. circundederunt equitu, & Arabes quorum non erat numerus. Mittitur ergo ad alium exercitum, bellum ergo geritur horrendū, in quo Christiani vehementer attriti sunt. Quibus iam fugam meditantibus occurrit Robertus Dux Normanniæ, clamās. Quo milites, quo fugitis? equi eorū sunt nostris velociores, fuga nobis non est opus, melius enim est bene mori q̄ male euadere, me sequemini: ô virum magnæ & admirandæ probitatis. Vix dixerat, & in quendam paganorum regem lanciæ direxerat aciē, qui lignum & corpus & ęs. Strauitq; secundum & tertium, & multos non resurrecturos, igitur Tancredus, Boamundus, Richardus de Principatu, Robertus de Ansa non segnius indulgent ictibus. Cum ecce Hugo Magnus & Anselmus de Ribemonte, cum magna caterua alium præuolantes exercitum defessos paganos, recentes fundunt. Visis igitur ex insperato tot hostibus, pagani fugæ indulgent. Christicolæ vero victoria potiri sunt, licet damnosa, primo die Iulii. Deinde venerunt ad Eracleā, inde ad Tharsum, quæ subdita est Baldwino Comiti mirifico. Æthenæ vero & Mamistra Tancredo. Dux Normanniæ, quandam ciuitatem Simeoni, Reimundus & Boamundus aliam Petro de Alpibus commiserunt. Tandem venientes ad pontem Ferreum, Antiochiam, quæ caput est Siriæ, obsiderūt 12. Kal. Nouemb. In Februario, congregato mirabili exercitu paganorum ad pontem Ferreum apud castellum Areth, nostri sex acies in eos direxerunt, sed maxima vis paganorum eos tām acriter inuasit, vt paulatim iam cederēt. Ac Boamundus bellorum arbiter, Robertus etiā filius Gerardi signifer, velut leones proruunt in hostes. Dux igitur Normannorum gladio caput cuiusdam magni viri, & dentes & collum, & humeros vsq; in pectora diffidit. Dux Godefridus quendam per medium secauit. Cum igitur pars in terram cecidisset, partem domini ferebat equus inter paganos. Quo monstrato, perterriti simul fugientes, in iram damnationis abierunt. Alexius tunc temporis Græcis imperabat, vir quidem subdolus, & nostratibus, semper parans cum insidiis nocumenta. Hoc anno fundata est Ecclesia sancti Iohannis Baptistæ Colcestriæ, ab Eudone Dapifero.

Perrexit Dux Robertus Hierusalem, Normannia ponitur in vadimonium.

Anno gratiæ. 1096. adhuc seminante verbum Domini papa Vrbano, & multis aliis scientia, & moribus, & eloquentia, præclaris theologis & prælatis, prosperatum est negotium crucis efficaciter. Nec adhuc soluto concilio, concessa est à Papa, cui concessa est potestas à domino, vice beati Petri, ligandi, atque soluendi super terram, generalis indulgentia peccatorum, se cruce signaturis, & iam signatis. Hoc anno perrexit, Dux Robertus Hierusalem. Et eodem anno, fuit interfectio Iudæorum Rothom. Stellæ visæ sunt labi de cœlo. Rex Gulihelmus cepit sibi Normanniam in tutelam. Comes Tholosanus cum suis comitiuis legionibus iter arripuit Hierosolymitanum. Eo quoq; anno, obsessa est Nicea ciuitas à nostris Christianis.

Dux Godefridus iter arripuit Hierosolymitanum, Antiochia obsidetur.

Anno gratiæ. 1097. nonis Aprilis, apud Finchamstede in Bercsire quoddam stagnū fluxit sanguine. Dux Lotharingiæ, Godfridus, iter arripuit Hierosolymitanum, nostroq; exercitui adiungitur, pugnaque maxima commissa est inter Christianos & Turcas, vt liberaretur ciuitas Nicea, in vallum à nostris obsessa. Solimannus dominus ciuitatis, & circumiacentis amplæ & optimæ patriæ, cum suis paganis, quorum dominus & dux fuit, vincitur. Nicea ciuitas glorioſa capitur, mense Iulio, vigesima die mensis. Eodem anno, obsessa est Antiochia, ciuitas nobilissima. Capta est circumiacens patria, cum pluribus viculis & castellis, Antiochiæ pertinentibus, cum quodam fortissimo, vicino ciuitati. Ipso quoq; anno, Anselmus Cantuar. Archiepiscopus consecrauit Londoniæ Samsonem in Episcopum Wigornienſem. Eodem quoq; anno, Richardus præficitur abbas sancti Albani. Hoc anno fundata est Ecclesia sanctæ Trinitatis Norwicensis.

Antiochia capta est à Christianis.

Anno gratiæ. 1098. mense Iunio, tertia die mensis, Antiochia capta est à Christianis, nono obsidionis mense. Iterum obsidentur Christiani in ipsa ciuitate à Corbaranno, Per-

Persarum principe, superueniente cum innumerabili paganorum multitudine. Inuenta est in ciuitate Ecclesia sancti Petri, vbi in cathedrabatur lancea saluatoris. Exeunt de ciuitate, præfertur lancea, committitur bellum, quo nunquam maius visum fuit, inter Christianos & Saracenos, concessit diuinitus victoria Christianis, fugit Corbarannus, & confusus est totus eius exercitus, in quo fuerunt reges quam plures, & principes paganorum. Facta est hæc congressio victoriosa, & plena omni gaudio, mēse Iunio, vigesimo die mensis. Hoc anno, Cistercienſe cœnobium est inceptum à fratribus, quærentibus mansionem oportunam. Vox igitur desuper audita est, in lingua illius patriæ. Cieſtauus, id est, hic state, ibi manserunt, & Ecclesiam cum ædificiis construxerunt, quæ in temporalibus & spiritualibus fœlix diatim suscepit incrementum.

Obsessa est ciuitas Hierusalem sancta à Christianis.

Anno gratiæ. 1099. obsessa est Hierusalem ciuitatum sanctissima à Christianis. Hoc quoq; anno, mare erupit, & tot mala fecit, quot nullus antea vidit, vel audiuit. Ecclesia magna cœnobii Cistercienſis cum claustro est incepta, conuocatis pluribus fratribus. Obiit Episcopus Podienſis Æthelmarus, in armis spiritualibus & materialibus strenuus, & in negotiis disciplinæ militaris, peritissimus. In cuius obitu magna exercitus spes & consolatio expirauit. Quarto Idus Aprilis, capta est Hierusalem à Christianis. Numerus vero Christianorum, qui eam obsederunt, quadraginta millia peditum expeditissimorū, equitum mille quingenti, exceptis aduentantibus quotidie. In vrbe, Turcarum fortium & ad vnguem armatorum, quadraginta millia. Obtulerunt igitur Christiani Roberto Duci Normannorum, regnum Hierusalem, quod quia repudiauit, offensus est in eum Deus, nec prosperū deinceps quid ei contigit, Tunc Principes nostri communi assensu, inuocata sancti spiritus gratia, regem & patriarcham constituerunt, scilicet Ducem Godfridum regem, & Arnulphum Episcopum Maturanenſem de Calabria patriarcham. Eodem tempore, rex Gulihelmus tenuit curiam suam in noua aula apud Westmon. quam ipse construxit.

Rex Gulihelmus moritur sagittatus, & coronatur eius frater Henricus.

Anno gratiæ. 1100. Gulihelmus Anglorum rex, dum in noua foresta venaretur in die sancti Petri ad vincula, à Waltero Tirello incauto, sagitta percussus, diem clausit extremum. Sed pridie quam excederet vita, vidit per somnium, se fleobotomi ictu sanguinē emittere, radium cruoris vsque in cœlum protensum, lucem obnubilare, diem interpellare. Ita, inclamata sancta Maria somno excussus, lumen inferri præcepit, & cubicularios à se discedere vetuit. Cum iam aurora diem inuehere meditaretur, monachus quidam retulit Roberto, filio Hamonis, somnium, quod eadem nocte viderat de rege. Scilicet quod in quandam Ecclesiam rex venerat superbo gestu, vt solebat, circumstantes despiciens. Tunc crucifixum mordicus apprehendens, brachia illi corroserit, crura pene truncauerit: Crucifixum diu toleraſſe: sed tandem pede ita regem depulisse, vt supinus caderet. Ex ore iacentis tam effusam flammam exisse, vt fumi magnitudo etiam sydera obnubilaret. Hoc somnium Robertus non negligendum arbitratus, regi confestim retulit. At ille cachinnos ingeminans, multum postea motus, diu cunctatus est, an in syluam, sicut intenderat, iret, suadentibus amicis, suo dispendio veritatem somniorum experiretur. Itaque ante cibum à venatu abstinuit, sed mox post cibum in saltum contendit. Quem Walterus Tirellus cum sagitta, ceruum intendens percutere, percussit insciius in corde, sicut supradictum est. Qui corruit, nec verbum edidit, sed vitam crudelem misero fine terminauit, sepultusque est apud Winton. Quod Anselmus Cantuarienſis antistes cognoscens in spiritu, tepatriare, vt prædictum est, maturauit. Exulauerat enim, fugiens regis persecutionē. Habebat autem rex die qua obiit in proprio, Archiepiscopatum Cantuar. Episcopatum Winton. & Salisberienſem, & nouē abbatias firmis datas. Mira res. Quicquid Deo deumque diligentibus displicebat sibi placebat. Quo modo sequenti die sepulto apud Winton. in Ecclesia sancti Petri, ibidem in regem est electus frater eius ille Henricus, cui omnipotens Deus tria munera dedit, sapientiam, victoriam, & diuitias, quibus ad omnia prosperans, omnes suos anteceſſores præcessit.

Coronatio regis Henrici Primi.

Igitur post mortem regis Gulihelmi Rufi, electus est Henricus frater eius, & consecratus est rex Anglorum apud Westmonasterium à Mauritio Londonienſi Episcopo, Anselmo adhuc absente nonas Augusti. Cum quo Thomas Ebor. Archiepiscopus, Coronā capiti regis imposuit. Hoc anno. euenerunt multa aduersa. Diabolus quoq; visibiliter apparuit in saltib. & deuiis, transeuntes allocutus est. Prēterea in pago Berocenſi, in villa

de Hamstede sanguis manauit de terra continuis diebus quindecim. De fonte enim tam vbere emanauit, vt stagnum horribile faceret. Anselmus rediens de exilio, desponsauit Matildem, filiam Malcolmi regis Scotiæ, Henrico regi Anglorum, ex qua genuit Gulihelmum, & filiam vnam nomine Matildem, honeste matrem repræsentantem. Virginem autem hanc quinquennem, imperator Henricus petiit, & accepit. In hac autē coronatione, nō est derogatū Ecclesię, vel antistiti Cantuar. qa London. Episcopus, Archiepiscopi Cantuar. imo totius Angliæ decanus, vices eius in hoc officio exequebatur, & hoc charta ipsius testificatur. Hoc anno, reuersus est a terra sancta Dux Robertus Normanniæ, cognomento Curthuse, & cum eo Comes Flandrensis Robertus. Dux tamen Robertus, non dum in Angliam venit. Rex Henricus, vt dictum est, in regem coronatus, dedit Episcopatum Winton. Gulihelmo Giffardo. Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, amicissimus regis factus est. Obiit Vrbanus papa, succedit Paschalis. Coronatur Baldewinus rex in Hierusalem, quia id renuit Robertus Dux Normanniæ.

Rex Henricus, & Dux Robertus Normanniæ, fœdus inierunt.

Anno gratiæ. 1101. Anselmus Cantuar. Archiepiscopus, monens regem Henricum de aduentu Ducis Roberti Normanni, & de versuto proposito suo, vt rex naualem expeditionem mitteret contra eum suasit. Sed amici vtriusque fœdus inter eos statuerunt, sic, quod rex, propter manifestum ius quod habuit ad regnum possidendum, Roberto singulis annis tria millia marcarum argenti daret ab Anglia, & quis eorum diutius viueret, hæres esset alterius, si absq; filio moreretur. Hoc autem per, 12. magnates iuratum fuit vtrinq; Dux Robertus perendinauit cum rege, fratre suo, vsque ad festum sancti Michaelis, & postea ad propria remeauit. Eodem anno, rex Henricus dedit Episcopatum Herefordensem † Kemelino, sine electione facta, contra noui concilii decreta, ipsumq; publice inuestiuit, quod & contra iuramentum suum fecit. Iurauerat enim solenniter, se primo libertatem Ecclesiæ seruare illibatam, & bonas leges regni, quæ statutæ erant & obseruatę tempore sancti Eadwardi.

† *Reinelmo.*

Concilium magnum celebratur ab Anselmo Archiepiscopo.

Anno gratiæ. 1102. rex Anglorum Henricus obsedit castellum de Arundel, quod erat iuris Roberti de Beleasmo, contra regem illud retinentis, & demum rex illud obtinuit, & Robertū ab Anglia relegauit. Eodem anno, Anselmus Cantuar. antistes, concilium tenuit London. in Ecclesia sancti Pauli, præsente rege, & suffraganeis Episcopis circa festum sancti Michaelis, in quo concilio sacerdotes concubinarios excommunicauit, nisi eas ex tunc abiurarent. Deinde factus securior de amicitia regis tam Henrici quam Malcolmi regis Scotiæ, cogitauit Ecclesiam quodam rigidiore modo gubernare, & euellere germina viciorum. De nouo enim, id est, postquam redierat ab exilio. Matildem filiam dicti Malcolmi & S. Margaretæ, vt prætactum est, regi Henrico matrimonio copulauerat, quod vtriq; regum, & vtriq; regnorum fuit, propter reginæ bonitatem, beneplacitum. Anselmus igitur de Dei, & dictorum regum confisus fauore, quæ Romæ decreta in concilio generali acceperat de inuesturis Ecclesiarum, plano sermone descripsit. Quod, videlicet nullus Ecclesiæ prælatus, Episcopus, vel abbas, vel clericus, inuesturas alicuius Ecclesiasticæ dignitatis de manu suscipiat laicorum. Vnde idem Archiepiscopus, asserens hoc animabus expedire, degradauit abbates & priores quosdam, qui de manu laicorum, & data pecunia, prælatias obtinuerant, scilicet Richardum Eliensem, Aldwinum Ramesiensem, Burgensem, & multos alios, tam priores abbatem non habentes, quam ipsos abbates. Et quoniam ad voluntatē regis quosdam Episcopos, qui institutiones à rege susceperant, noluit consecrare, vel cum eisdem communicare, rex versus in arcum prauum, contra eum ira incanduit vehementi. Præcepitq; rex Girardo, Ebor. Archiepiscopo, vt eos consecraret. Sed Gulihelmus Giffardus, timens sancti Anselmi rigorem, spreuit consecrationem Ebor. Archiepiscopi. Quare regis iniusto iudicio à regno est eliminatus. Kemelinus vero Herefordensis Episcopus, suæ timens conscientiæ, eo quod à rege institutionē acceperat, Anselmo suum resignauit præsulatum. Hoc etiam anno, Rogerus ad Episcopatum Sarisburiensem est electus, Idibus Aprilis.

Facta est hominum mortalitas, & Cęsarea ciuitas capitur.

Anno gratiæ. 1103. facta est hominum, & animalium pestifera, & damnosa nimis mortalitas. Eo anno, Cęsarea ciuitas, in terra sancta nominatissima & opulētissima, ditioni Christianę dedita est, & Archiepiscop⁹ in ea cōstitutus est, nomine Baldwinus, in qua Magnus pater noster, sanctus Basilius, populo Dei præfuit, Archiepiscopus gloriosus. In ipsa etiā ciuitate nobile deorum templū statim à Christianis dirutum est. Strages quoq; infidelium

lium maxima facta est. Assignata est regimini & donationi cuiusdam principum Christianorum, sub rege tamen Hierusalem. Caliphus autem Paganorum dignissimus, misit ad liberationem ciuitatis infinitam multitudinem Turcarum, ad vnguem armatorum, sub duce potentissimo. Cui occurrēs rex Hierusalem, Baldwinus, inuocato Dei adiutorio, omnes in ore gladii trucidauit. Cecideruntque in illo conflictu glorioso, ex hostibus quinque millia armatorum equitum, ex nostris autem equites 70. & ducenti pedites. Ciuitas quoq; ad laudem domini, est à dominio paganorum liberata.

Quatuor circuli apparuerunt circa solem.

Anno gratiæ 1104. decimo quinto Kal. Maii, quatuor circuli circa solem visi sunt albi, picti, & mirabiliter implicati. Cometa apparuit mense Februar. Eodem anno, discordia orta est inter regem Henricum, & Robertum Ducem Normanniæ, fratres. Non modica subsecuta est, eo anno, rerum depopulatio. Rex Henricus, Anselmi, viri iusti, substantiam, & possessiones infiscari præcepit, nec eū potuit ratio, vel regis Scotiæ, vel reginæ intercessio, cohibere. Anselmus vero Lugduni exul cōmoratur. Achon redditur regi Baldwino.

Dux Robertus venit in Angliam, vt reconcilietur fratri suo. sed frustra.

Anno gratiæ 1105. Idibus Aprilis, rex Henricus Boiacas incendit. Robertus Dux Normannorum venit ad regem fratrem, apud Northampton, suppliciter petens, vt ablata sibi restitueret. Sed Deus non fauit concordię eorum. Negauit enim rex postulata. Quare Dux iratus recessit comminādo. Rex autem ipsum acriter insecutus, in castro Tenarchebraia eum obsedit, & in arcto nimis tenuit. Sed per posticū nocte elapsus, exercitum conflauit contra fratrem suum, copiosum.

Dux Robertus capitur, & incarceratur simul cum consule de Mortoil.

Anno gratiæ 1106. octauo Kalen. Maii, Henricus rex Anglorum, dum obsedit Tenarchebraiam, Dux Robertus contra regem venit cum exercitu suo, conserto, in vigilia sancti Marci, & commisso ancipiti nimis prælio. Dux licet multo stipatus milite, & in armis leo inuincibilis, & quasi alter Mars, peritus in disciplina militari, tamen non valens amplius ferre pondera belli, & ex magna parte in eum erat congestum, captus est, & custodiæ carcerali in Anglia mancipatus, & Comes Moritoniæ, & multi alii nobiles cū ipso 8. Kalen. Maii, hoc anno impleta est prophetia quam rex fratri eius pridie quā moreretur, dixerat filio suo Henrico. Quinq; mille libras de thesauro tibi dabo, pacifice patere. Tempore tuo totum honorem quē ego nactus sum habebis, & fratribus tuis diuitiis & potestate præualebis. Rex autē memor fraternitatis, eundem Ducem Robertū in libera carceris custodia, sine ciborū penuria, cum luminis beneficio, & pretiosarum vestium ornatu, saluo tamen fecit reseruari. Liceret etiam ei ad scaccos, & aleas ludere. Robas etiā regis, sicut ipse rex accipiebat, pomaria vicina, & saltus, ac loca delectabilia perambulando, ex regis licentia visitauit. Et cum vna dierum sic euagabatur, arrepto equo subito, non id verentibus custodibus, insiliit, & fugam iniit repētinam. Et ecce custodes, eleuato ad sidera clamore, rapido cursu insecuti sunt, & quodam lutoso prato, vbi equus suus immersus fuit vsq; ad ventrem, comprehenderunt, & in arcto custodierunt, donec id regi nunciaretur. Tunc rex iussit eum, clam oculorum lumine priuari, saluis tamen orbiculis eorundem. Et tūc Dux tabuit in semetipso prę dolore, & maledicens diei natiuitatis, infœlicis vitæ moram longam non protraxit. Eodem anno, in huius rei signum, visæ sunt duæ lunæ in cœlo, vna in Oriente, & altera in Occidente, & Cometa quasi vno cubito distans à sole, circa horam tertiam. In isto tempore, constitutus est ordo canonicorū, in Ecclesia sanctæ Mariæ de Suthwerk iuxta London.

Consilium magnum celebratur sub Anselmo, Cantuar. archiepiscopo.

Anno gratiæ 1107. decimo octauo Kalend. Maii, Normannus prior fundauit Ecclesiam Christi Londoniis, in religione canonicorum regularium quæ Ecclesia sanctæ Trinitatis vocatur. Henricus, filius imperatoris, Hērico patri suo successit, qui postea duxit Matildem, vix quinquennem, Henrici regis Anglorum filiam. Obiit Mauricius Episcopus Londonienſis Ecclesię. Rex autem Henricus, pro eo quod inimicos suos suppeditauit, reddidit gratias Deo, & apud Beccum veniens, Anselmū archiepiscopum Cantuar. ibidē inuenit, & cum eo concordatus est. Eodemq; anno, factum est consiliū magnū Londoniæ in palatio regis, præsidente Anselmo, cui annuit rex, & statuit, vt ab eo tempore in reliquum, nunquam per donationem baculi pastoralis vel annuli, quisquam de Episcopatu vel abbatia per regem, vel quamlibet laicam personam inuestiretur in Anglia. Concedēte etiam archiepiscopo, vt nullus ad prælationem electus, pro homagio, quod regi faceret consecratione susceptī honoris priuaretur. Cōsecrati sunt Episcopi, Gulihelmus Winton.

Roge-

Rogerus Sarisbur. * Kenelmus Hereford. Gulihelmus Exonienſis, & Vrbanus Bangor, ab Anſelmo Cantuar. Archiepiſcopo, apud Doroberniam, die dominica 3. Idus Auguſti Mauritio ſucceſſit Richardus de Beaumes. Obiit rex Scotorum Eadgarus, cui ſucceſſit Alexander frater eius.

*Boamundus.

Obiit Gerardus Ebor. Archiepiſcopus, cui ſucceſſit Thomas.

ANNO gratiæ. 1108. nonis Aprilis, obiit Philippus rex Francorum cui ſucceſſit Ludouicus filius eius. Obiit etiam Gerardus, Ebor. Archiepiſcopus, cui ſucceſſit Thomas. Eodem anno, Richardus de Beaumes, Londonienſis electus, conſecratur ab Anſelmo, Cantuar. Archiepiſc. apud Pageham, multis ſuffraganeis Epiſcopis præſentibus.

Obiit Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus.

ANNO gratiæ. 1109. miſſi ſunt ab Henrico Imperatore Romano, nuncii mole corporis, & cultus ſplendoribus excellentes, filiam regis Anglorũ Henrici in domini ſui cõiugiũ poſtulantes, à quibus rex Henricus accepit ſacramenta. Eodem anno, ſeptimo Kal. Maii, obiit nobilis Cantuar. antiſtes Anſelmus. Rex Henricus abbatiam Elienſem, in epiſcopalem ſedem commutauit, Herueumq; ibidem fecit Epiſcopum ordinari. Eodem anno, conuenerunt, rege iubente, London. in Eccleſia beati Pauli, Richardus London. Gulihelmus Winton. Radulphus Roffenſis, Herebertus Norwicenſis, Radulphus Ciceſtrenſis, Ranulphus Dunelmenſis, & Herueus Bangor. Epiſcopi 5. Kalend. Iulii, ad conſecrationem Thomæ Ebor. electi. Vbi Eccleſiæ Cantuar. & Archiepiſcopis eius, catholice ordinatis, facta canonica obedientia, conſecratus eſt, & hoc anno fuit dies Paſchæ, dies ſcilicet ſancti Marci Euangeliſtæ. Obiit Hugo Cluniacenſis, & ſucceſſit Poncius.

Translatus eſt ſanctus Oſwinus rex, & martyr apud Tynemutham.

ANNO gratiæ. 1110. quarto Idus Aprilis, rex Henricus dedit filiam ſuam Matildem Henrico imperatori Alemanniæ. Luna vero viſa eſt, quaſi extincta. Translatus eſt ſanctus rex, & martyr Oſwinus apud Tynemutham. Eodem anno, ſanctus Godricus vitam inchoauit heremiticam, qui, illa per annos 60. laudabiliter continuata, fœliciter migrauit ad dominum. Hoc etiam anno, Cometa apparuit more inſolito. Nam cum ab Oriente ſurgens in firmamentum aſcendiſſet, non progredi, ſed regredi videbatur. Eodem tempore rex Hieruſalem Baldewinus, Beritum, ciuitatem Phenicis regionis maritimam, potenter ſubiugatam, catholicæ fidei mancipauit.

Henricus rex Theutonicorum tenuit papam in cuſtodia.

ANNO gratiæ. 1111. quarto nonas Aprilis, mortalitas animalium nimia incepit, fames maxima in Normannia. Henricus rex Theutonicus, Paſchalem papam in cuſtodiam poſuit. Rex Anglorum Henricus, pergens in Normanniam, contra Comitem Andegauenſem, qui Cœnomanniam eo tenebat inuito, guerram cõtra eum ferro ſimul & incendio conſtanter exercuit.

Orta eſt contentio inter papam & Imperatorem.

ANNO gratiæ. 1112. mortalitas hominum maxima fuit. Hoc quoq; anno, orta eſt cõtentio magna inter papam Paſchalem & Imperatorem Henricum. Imperator voluit vti priuilegio anteceſſorum ſuorum, habito annis 300. ſub pontificibus Romanis 60. qui licite dederant Epiſcopatus, & abbatias, per baculum paſtoralem, & annulum, quod iniuſtũ cenſebat papa, è contrario imperator, & ſic aduerſabãtur proterue. Tandem facta eſt pax inter eos, ſcilicet vt Epiſcopi deinceps, & abbates inſtitutionem accipiant ab imperatore, & ſuis ſucceſſoribus per † baculum & annulum, & poſt faciant Papæ vel Epiſcopo, canonicam obedientiam, & conſecrationem accipiant conſuetam. Acta vero ſunt hæc ante altare Apoſtolorum Petri & Pauli, in conſpectu omnium aſtantium, & ſic dominus Papa dedit imperatori abſoluto corpus Chriſti. Obiit autem eodẽ anno Tancredus vir illuſtris, in actibus Hieroſolymitanis magnificus. Fuit princeps Antiochiæ & Comes Ediſſanus. Cui ſucceſſit Rogerus, filius Richardi, vir nobilis, ea conditione, vt quandocunque Boamundus Iunior Antiochiam repoſceret, illi ſine contradictione reſignaret.

† Virgam.

Rex Henricus dedit Archiepiſcopatum Cant. Richardo London. Epiſcopo.

ANNO gratiæ. 1113. octauo Idus Aprilis, rex Anglorum Henricus duxit exercitũ in Walliam, & Wallenſes ſubditi ſunt ei ad libitum. Rex Henricus dedit Archiepiſcopatũ Cantuar. Richardo London. Epiſcopo, & illum per baculum & annulum inueſtiuit. Obiit Thomas Eboracen. Archiepiſcopus, cui Thurſtanus ſucceſſit. Orta eſt etiam inter Richardum Cantuar. & Thurſtanum Eboracenſem Archiepiſcopos magna diſſenſio, eo quod Eboracenſis ſubiici noluit Archiepiſcopo Cantuar. ſicut eius anteceſſores facere ſolebant. Cauſa autem ſæpe coram rege, & domino papa ventilata eſt, licet nondum fine debi-

debito terminata. Eodem anno, menſe Maio, Cometa ingens apparuit, & poſt paululum terræmotus, partem vrbis Maniſtre proſtrauit, non longe ab Antiochia, cum duobus caſtellis, Triphalet & Mariſcum. Rex Hieruſalem Baldewinus & Meduchus Perſarũ princeps, in quodam congreſſu bellico dum decertaſſent, victus Baldewinus vix fuga elapſus eſt. Ceciderunt in illo belli diſcrimine de Chriſtianis equites 30. pedites vero mille quingenti. Sed de ſe cruentam hoſtibus victoriam reddiderunt.

Iuratur fidelitas Gulihelmo filio regis Henrici.

ANNO gratiæ. 1114. rex Anglorum Henricus fecit omnes ſuæ poteſtatis magnates fidelitatem iurare Gulihelmo filio ſuo, quem peperit ei Matildis regina. Eodem anno, mẽ ſe Decembri, cœlum repente rubens apparuit, ac ſi arderet, luna patiente eclipſim. Quarto Kal. Aprilis Thameſis exiccata eſt, & mare per duodecim milliaria. 2. diebus, Radulphus Epiſcopus Roffenſis, ad Archiepiſcopatum Cantuar. 6. Kal. Maii, eligitur. Cometa apparuit menſe Maii.

Conſecratur Radulphus in Archiepiſ. Cantuar. Idem alios epiſc. conſecrauit.

ANNO gratiæ. 1115. obiit Maria Comitiſſa Boloniæ. Cõſecratus eſt Radulphus Cãtuar. archiepiſ. ab Anſelmo domini papę legato, 5. kal. Iulii, & palliũ ab eodem ſuſcepit. Eodem die, idem archiepiſc. Cantuar. Theulfum Wigorn. & Bernardum Meneuenſem antiſtites conſecrauit. Obiit Loſſtan Domeſman, & iacet apud Bermudeſie.

Dedicatur magnifice Eccleſia ſancti Albani, Anglorum protomartyris.

ANNO gratiæ. 1116. vrbs Rothomagenſis pene tota eſt combuſta. Eodem anno, præſente rege Henrico, & regina, Robertoq; Lincolnienſi Epiſcopo, cum multis aliis Epiſcopis, die ſanctorum innocentium, dedicata eſt magnifice Eccleſia ſancti Albani, Anglorum protomartyris, à venerabili viro, G. Rothomagenſi Archiepiſcopo, ſub abbate eiuſdem loci Richardo. Rex autem, & regina cum archiepiſcoporum, epiſcoporum, Comitum, baronum, & aliorum nobilium multitudine ibidem natalitios dies, cũ omni hilaritate & gaudio, cum prædicto abbate continue celebrarunt. Eodem anno, mota eſt diſcordia inter reges Franciæ & Angliæ, per Theobaldum, Comitem Bleſentium. Ipſo etiam anno, pro neceſſitate regii ſtatus, Anglia fuit variis exactionib. depreſſa, & multiformiter bonis ſuis, non ſine peccato, ſpoliata.

Variæ fiunt, & terribiles aeris commotiones.

ANNO gratię. 1117. Kal. Nouemb. nimia coruſcatio, tonitrus, & grando genus humanum perterruit. Terra mota eſt, & luna verſa in ſanguinem 3. Idus Decemb. Vtrunque media nocte contigit. Robertus primus prior, cum paucis fratribus, locum Mertoniæ primo inhabitare cœpit. Eodem anno, venerabilis vitæ vir Iuo, Carnotenſis antiſtes, in ſacris ſcripturis ad plenum eruditus, doctor egregius, diem clauſit extremum.

Obiit Paſchalis Papa.

ANNO gratiæ. 1118. obierunt Baldewinus rex Hieruſalem, Matildis ſecunda, bona regina Anglorum, & Paſchalis papa, cui ſucceſſit Gelaſius. Hic incepit ordo templariorum ſic. Quidam viri nobiles de equeſtri ordine, timentes Deum, in manus patriarchæ Hieroſolymitani, Chriſti ſe ſeruitio mancipantes in caſtitate, & obedientia, propriæ voluntati renunciantes, viuere profeſſi ſunt.

Succeſſit Calixtus, Ludouicus rex Francorum, & Henricus rex conflixerunt.

ANNO gratiæ. 1119. Kal. Aprilis, obiit Galeſius papa apud Cluniacum. Cui ſucceſſit Calixtus 4. Idus Ianuarii. Obiit Petrus, prior primus Beremundeſ. Eodem anno, commiſſum eſt campeſtre prælium inter Ludouicum regem Francorum, & Henricum regem Anglorum, in quo conflictu grauiſſimo, rex Henricus bis percuſſus eſt in capite, vt quamuis bene muniretur lorica & galea, tamen pondere ictus validiſſimi ita attonitus eſt, vt cum difficultate diuturna ſanatus ſit. Tandem illi ceſſit victoria, & percuſſorem ſuum proſtratum cepit, & captum carceri mancipauit. Eodem anno, Richardus de Albineto, nobilis abbas ſancti Albani, diem clauſit extremum, cuius actus laudabiles, ſpeciales exigerẽt tractatus. Obiit Herebertus Norwicenſis antiſtes, vita & morte præclarus. Eo anno, papa Calixtus venit in Normanniam ad regem Henricum, & collocuti ſunt diu apud Giſortiũ rex maximus & ſummus ſacerdos.

Gulihelmus & Richardus, filii regis Henrici, & filia eius ac neptis ſubmerſi ſunt.

ANNO gratiæ. 1120. decimo quarto Kal. Aprilis, bis venit lumen ad ſepulchrum domini. Eodem anno, rex Henricus, omnibus domitis, & cunctis in Normannia pro voto diſpoſitis, ne læta impermixta triſtibus in hoc mundo eueniant, cum gaudenter in Angliam velificarent filii eius, Gulihelmus & Richardus, & filia eius, ac neptis, Richardus quoq; Cõſul Ceſtrenſis, dapiferi, camerarii, pincernæ regis, ac multi pceres cũ eis, in mari

naufragium pertulerunt,& 7.Kal.Decemb. miſeri,nec tamen miſerabiles, ſubmerſi perierunt. In vita enim eorum in libidinem fluxerunt enormem. Vnde creditur,eos enormiter in mari tranquilliſſimo vitam in puncto terminaſſe. Hoc anno incipit ordo Præmonſtratenſis.

Æthelicia deſponſata eſt Henrico regi Angliæ.

ANNO gratiæ.1121.rex Henricus duxit Æthelicíam 4.Idus Aprilis,filiam ducis Louaniæ,cauſa pulchritudinis,& excellẽtis decoris ſui.Quæ à Rudulpho Cãtuar.archiepiſc. ſolenniter in reginã eſt conſecrata London.in die Pentecoſtes, cumq; rege reſedit ad mẽſam magnifice coronata.Inde autem,cum rex ad Walliam tenderet,cum exercitu copioſo,Wallenſes ei ſuppliciter obuiantes,concordati ſunt cum ipſo, iuxta magnificentiã ſuæ voluntatis.Eodem anno Eberardus Epiſcopus Norwic.conſecratus eſt.Eodem anno papa Calixtus, Mauricium quendam, quem Henricus imperator antipapam conſtituerat, cepit,& eundem monachum ordinauit.Luna hoc anno obtenebrata eſt. Apud Radingũ monachi ordinem monaſticum incœperunt obſeruare,ſub regula ſancta Benedicti.

Obiit Archiepiſcopus Cantuar, Radulphus,cui ſucceſſit Gulihelmus.

ANNO gratiæ. 1122.Radulphus Cantuarienſis archiepiſcopus, & Iohannes Bathonienſis antiſtes humanæ naturæ debita perſoluerunt. Radulpho vero ſucceſſit Gulihelmus de Curboile,in archiepiſcopatum Cantuar,Eodem tempore, Balac Admiralis cœpit Iocelinum, Comitem Edeſſarum,& eius conſanguineum Galerannum.

Normannia inexpugnabilibus caſtris roboratur.

ANNO gratiæ.1123. decimo ſept.Kal.Maii,Hugo, prior de ſancto Pancratio,efficitur abbas de Radingo.Sol ſimilis factus eſt nouæ lunæ. Eodem tempore, rex Anglorum Henricus,ad natale domini, curiam ſuam tenuit apud Dunſtable, ducens ſecum,vt moris eſt,ſuum cancellarium, ſcilicet Arnulphum, cui nimis cura fuit ſubſtantias hominum diripere.Ipſe vero obiter de equo corruens miſere vitam terminauit.Eo tempore,Robertus Lincoln.obiit,cui ſucceſſit Alexander. Firmatur turris Rothomagenſis, & muro cingitur,roboratur turris Cadomenſis. Rex autem Henricus dedit archiepiſcopatum Cantuar.Gulihelmo de Curboile, priori de Chieche,& Epiſcopatum Bathon. Godfrido,capellano reginæ. Caſtra etiam de Archis, de Giſortio,de Faleſia,de Argentonio,de Damfrõte,de Oximo,de Ambrecas,de Wauerla,de Wira,& turris de Vernonis à rege Hẽrico inexpugnabiliter communita fuerunt. Caſtrũ quoq; Roberti de Mellento, qui à rege ſeditioſe receſſerat, capitur ab eodem Henrico. Rex quoq; Hieruſalem, Baldewinus captus eſt à Balaco, principe Turcarum. Eo tempore cœpit in Eccleſia ſancti Bartholomæi ædificari in ſuburbio London. à * Rachero, quondam primo priore eiuſdem Eccleſiæ.

* *Rahero.*

Tyrus Syria metropolis Chriſtianis eſt reſtituta.

ANNO gratiæ.1124.octauo Idus Aprilis,obiit Calixtus papa,ſucceſſit Honorius.Sol viſus eſt ſimilis nouæ lunæ. Iuſtitia de monetariis fit apud Winton. Robertus de Mellento,Comes,aſſociatis ſibi Hugone de Monteforti,ſororio ſuo,& Hugone de Monteforti, Geruaſii filio, hoſtiliter Normannniam intrauit. Gulihelmus vero de Tankatuilla, contra eos decertans,cepit eos,& captos regi Henrico præſentauit. Eodem anno, defuncti ſunt Theulphus Wigorn,& Arnulfus Roffenſis,Epiſcopi. Eodemque anno, Tyrus, Syrię metropolis,à Michaele Duce Venetiæ obſidione vallata eſt,tam per mare quam per terras, adiuuantibus principibus Hieroſolymarum Ducem vnanimiter 5. Kal. † Martii: & tertio Kalend. Iulii capta eſt,& Chriſtianitati fœliciter reſtituta. Rex quoque Baldewinus, qui captiuus tenebatur à Balaco principe Turcarum, datis obſidibus, à vinculis liberatus eſt,& ad propria remeauit. Eodem anno rex fecit omnes milites Angliæ comas abſcindere ad morem Francorum,qui ante longas vt mulieres habebant.

† *Maii.*

Celebratur concilium London.ſub Iohanne cardinali.

ANNO gratiæ.1125.quarto Kalend.Aprilis,Iohannes de Cremona cardinalis, concilĩ celebrauit apud London.Hoc quoq; anno fuit fames valida.Obiit Gilbertus fũdator Mertoniæ. Dictus Iohannes, qui in concilio omnes concubinarios ſacerdotes maxime damnauerat,in eodem vicio deprehenſus, vicium excuſauit,eo quod fuit,vt dixit,non ſacerdos,ſed correptor ſacerdotum.Rex quoque Henricus dedit Simoni, clerico reginæ, Wigornienſem.Iohanni archidiacono Cantuar. Roffenſem;Sigefredo abbati Glaſtonienſi Ciceſtrenſem præſulatum.Eodem anno,obiit rex Scotorum Alexander,cui ſucceſſit fra-

ter eius Dauid, vir magnæ sanctitatis, & munificentię. Rex quoq; Hierusalem Baldewinus, contra Turcas dimicans, de grauissimo prælio fœliciter triumphauit.

Obiit Henricus, Romanorum imperator, Comes Flandriæ exheredatur.

ANNO gratiæ. 1126. tertio Idus Aprilis, obiit Henricus imperator, cui succedens Lotharius, annis duodecim postea imperauit. Tunc imperatrix Matildis, ad patrem suum regem Henricum reuersa, habitauit cum regina in thalamo suo. Diligebat enim eam rex valde, quia vnicam illam habebat hæredem. Et circa festum sancti Michaelis, rediens in Angliam, duxit secum filiam suam tanto viro viduatam. Et continuo, iussu regis, omnes Angliæ & Normanniæ optimates illi adiurati sunt, & primus omnium Comes Bononiæ Stephanus, ex Adala sorore regis, & Blesentiæ Comite generatus.

Imperatrix Matildis nupsit G. Comiti Andegauiæ.

ANNO gratiæ. 1127. tertio nonas Aprilis, Galfridus Plantagenet Comes Andegauiæ, duxit Matildem imperatricem. Obiit Richardus Lond. Episcopus, cui successit Gilbertus vniuersalis. Eodem anno, Comes Andegauiæ, sine spe reuertendi, Hierosolymam adiit. Rex autem Henricus, cum curiam suam ad natale domini apud Windesoram solenniter teneret, ibiq; Thurstanus Ebor. in præiudiciũ Gulihelmi Cantuar. Archiepiscopi, regi coronam præsumpsit imponere, communi iudicio repulsus est, & baculus suæ crucis, quem in capella regis temerarie exaltauerat, eiectus est. Eodem anno rex Henricus fecit omnes milites Angliæ crines suos ad iustum modum abscindere, qui prius longitudine capillorum cum fœminis certabant.

Gilbertus Vniuersalis Lond. eps Swalg. obijt Anno. 1133.

Obiit Gulihelmus Comes Flandriæ. Rex Francorum Ludouicus cessit regi Henrico.

ANNO gratiæ. 1128. Gulihelmus, Comes Flandriæ, filius Roberti, Comitis Normanniæ, post superatam pene Flandrensium ineffabilem nequitiam, dum quoddam castrũ in terra Ducis Louanien. obsedisset, in dextra manu lãcea percussus 6. Kalend. Augusti, occubuit. Eodem anno, rex Anglorũ Henricus, hostiliter in manu forti perrexit in Franciam, eo quod rex Francorum Ludouicus tuebatur Comitem Flandriæ, nepotem regis & hostem. Coegit autem regem in breui auxilium Comiti denegare. Eodem anno, Ranulphus Dunelmensis, & Gulihelmus Wintonien sis Episcopi, obierunt.

Obiit Honorius papa, successit Innocentius primus, obiit etiam rex Francorum.

ANNO gratiæ. 1129. obiit Honorius papa, successit Innocentius primus. Obiit quoque Gulihelmus Episcopus Winton. successit Henricus abbas Glaston. qui fuit nepos Henrici regis. Eodem anno Philippus filius regis Franciæ, qui nuper patre defuncto, diademate fuerat insignitus, dum equum ludens agitaret, obuiũ forte porcum inuenit. Cumque pedes equi currentis offenderet, cecidit rex nouus in terram, & fractis ceruicibus expirauit. Ecce quanta celsitudo, quam cito & quam leuiter adnihilata est. Sol in tenebras, & dies versus est in noctem per horam fere dimidiam, & stellæ apparuerunt.

Frater Philippi Francorum regis coronatur, Ludouicus.

ANNO gratiæ. 1130. dedicatur Ecclesia Christi Cantuar. Hugo abbas Radingen. ad Archiepiscopatum Rothomagensem eligitur. Obiit Algodus, primus prior sanctæ Mariæ de Suthwerke, successit Algarus. Innocentius papa ad partes Cisalpinas se transtulit, expulsus ab æmuli sui parentibus. Qui veniens in Galliam, apud Carnotum à rege Henrico honorifice susceptus est, & iterũ in Rothomago, vbi ab omnibus est papa acclamatus, regeq; Henrico procurante, Ludouicum fratrem Philippi regis Franciæ, iam defuncti, Rhemis coronauit in regem.

Obiit Innocentius primus, succedit secundus. Obiit Boamundus princeps Antiochiæ.

ANNO gratiæ. 1131. synodus generalis habita est Rhemis. Obiit Innocentius papa. Dedicatur Ecclesia Cluniacensis ab eodem papa. Eodem anno, Rhodoan, Halapiæ princeps fines Antiochiæ hostiliter ingressus, Boamundum Antiochiæ principem, sibi occurrentẽ, vt ipsum reprimeret, gladio confossum peremit. Rex Hierusalem Baldewinus, miles egregius, cum senuisset, vocatis ad se genero suo, & filia, & filio eorum, nomine Baldewino, regni curam, & plenam tradidit potestatem. Quibus dispositis, Deo spiritũ reddidit.

Natus est Henricus, constituitur Episcopatus Carleoli.

ANNO gratiæ. 1132. tertio Idus Aprilis, Londoniarum ciuitas pene tota combusta est. Rex Henricus nouum fecit Episcopatum, apud Carleolum, in limbo Angliæ, & Gallwalliæ, & posuit ibi primum Episcopum, nomine Æthelulphum sancti Oswaldi priorem, cui peccata sua solebat confiteri. Eodem anno, natus est Galfrido, Comiti Andegauensi, ex filia regis Henrici filius, & vocatus est Henricus. Eodem tempore, obiit Cestrensis Episcopus.

Post natiuitatem Henrici, tenebræ horribiles factæ sunt in Anglia.

ANNO gratiæ. 1133. interfecti sunt omnes milites de templo. Nato quoq; Henrico, primogenito Galfridi Platagenet, & Matildis imperatricis, tenebræ factæ sunt in Anglia, & terra mota est, & sol similis est Lunæ, id est, eclipsis terribilis. Rex Henricus, extremo transfretauit, & manum sancti Iacobi misit Radingum. Matildis imperatrix peperit alterum filium, quem vocauit Galfridum. Vnde rex Henricus, in Normanniam transiens, moratus est ibi præ gaudio nepotum. Eodemq; tempore, defuncti sunt Landauensis, & Londonensis Episcopi, transalpinantes. Defuncto Herueo, Eliensi Episcopo, rex dedit Episcopatum Nigello, & Dunelmensem Galfrido cancellario.

Gilibertus fond' eps Sup. a. 1127

Obiit Robertus Cortheuse, Dux Normannorum in carcere.

ANNO gratiæ. 1134. obiit Robertus Curtheuse, frater regis, in custodia, qua tenebatur, tædio vitæ, & oculorum lumine priuatus. Nimis enim eum absorbuit tristitia, vnde mortuus est. Contigit quod rex, vt de more consueuit, robam ei misit ex scarleto. Sed rex prius induit capam, & inuenit caputium arctum, & ait. Tolle, detur hæc capa fratri meo, quia habet caput minus meo. Et cùm daretur illi secundum præceptum regis, minister incautus, cum interrogaretur, si aliquis prius induisset, ait, etiam, & acta retulit. Et ait Robertus. Nunc nimis miseram vitam protelaui, ex quo rex iniuriosus mihi abiecto, veteres panniculos transmisit, nec voluit ex eo tempore cibum sumere, & tabescens in semetipso mente & corpore, expirauit, & apud Glouerniam accepit sepulturam.

Obiit Henricus rex Anglorum. Coronatur Stephanus.

ANNO gratiæ. 1135. obiit Henricus rex Anglorum, cum regnasset 35. annis ac 3. mẽsibus 4. nonas Decemb. apud sanctum Dionysium in sylua leonum. Comedit enim carnes murenarum die anteecedenti contra consilium medicorum suorum. Henricus Huntendonensis Archidiaconus, hoc anno chronica sua terminat. Hic vt parua tangamus. Monasterium Rading. monasterium canonicorum apud Cirenceſtr. monasterium de Prato apud Rothom. monasterium de Mortuo mari, & multa alia præclara & laude digna, quæ plenius in libro de vita eius prænotantur, de dominio suo fecit. Quam irrestaurabilẽ Angliæ ruinam præsignat ventus vehementissimus in vigilia Apostolorum Simonis & Iudæ, qui turres, ædificia, arbores horribiliter subuertit. Stephanus vero nepos regis ex parte sororis, Comes Boloniæ, à Gulihelmo Cantuar. Archiepisc. consecratus est in regem 11. kal. Ianuarii London. apud Westmon. scilicet 22. die post mortem auunculi sui. Eodem anno, Ecclesia sancti Pauli combusta est igne, qui accensus fuit ad pontem London. & perrexit ad Ecclesiam Danorum. Ad hanc dictam coronationem præsentes fuerunt tres Episcopi, cum Archiepiscopo. Rex autem coronatus statim, thesaurum, quem auunculus suus congesserat, occupauit, scilicet centum millia libras, exceptis vasis aureis & argenteis, & gemmis impreciabilibus. Die autem, quo Stephanus applicuit, contra naturam in hyeme horrendum tonitruum cum fulgure horribili per totam Angliam auditũ est, ita vt totus mundus solui putaretur. Corpus regium de Normannia ad Radingum allatum est, & aromatibus conditum, & post tres menses solenniter in eadem Ecclesia, quam ipse à fundamentis constructerat, venerabilem sepulturam, quam viuus * posuit præsente rege Stephano cum multis magnatibus, accepit.

terminat Iohn. Hunt. de gestis Angl. lib. 8. Stephano 1. de mirac. eius

* *præordinauerat.*

Obiit Gulihelmus Cantuariensis Archiepiscopus.

ANNO gratiæ. 1136. obiit Gulihelmus Cantuar. Archiepiscopus. Henricus Episcodus abstulit manum sancti Iacobi, de Radingo. Eodem anno, post Pascha, Comes Glouerniæ Robertus venit in Angliam, cuius prudentiam & potentiam rex Stephanus maxime verebatur. Post eius aduentum, Episcopi iurauerunt fidelitatem regi, & rex iurauit libertates Eccleſiasticas, & bonas leges se inuiolabiliter obseruaturum, & inde chartam suam confecit, & Comes Robertus similiter homagium sibi fecit sub conditione, scilicet, si dignitatem suam sibi integre conseruaret.

Obiit Ludouicus rex Francorum. Rex Stephanus transfretauit.

ANNO gratiæ. 1137. obiit Ludouicus Crassus, rex Francorum, cui succeſſit Ludouicus filius eius, qui accepit filiam Gulihelmi, Ducis Aquitaniæ, Alienoram, plus corporis quam animæ dotibus redimitam, in vxorem. Rex Stephanus in principio quadrageſimæ mare transiuit, & Comes die Paschæ consequentis transfretauit, qui fœlicius nauigauit, quam applicuit, quia rex per insidias ipsum capi procurauit: Sed ab ipsis, qui insidiarum procuratores fuerunt, præmunitus euasit. Rex tamen adhuc dolum habens in corde, se ipsi hilarem ostendebat, quod bene constitit Comiti.

Con-

Conradus imperator succedit Lothario.

ANNO gratiæ. 1138. Conradus in imperio succedit Lothario. Theobaldus in Cantuariensem Episcopatum eligitur, coram Alberico legato. Hoc anno, Comes Robertus reddidit homagium suum per internuncios regi, existenti in Anglia, & hoc multis rationibus, quia rex non seruauit sibi iuramentum factum, nec etiam sorori suæ: quo facto rex priuauit eum omnibus bonis suis in Anglia. Eodem anno, rex Anglorum Stephanus, in ipsis diebus natalitiis, Bedfordense castrum obsedit, dicens nulla hora pacem esse hostibus concedendam antequam castrum redderetur. Rex Scotorum in Northanhumbriam exercitũ ducens, tam ipse quam sui, rem nimis execrabilem peregerunt. In vltionem enim imperatricis, cui idem rex fidelitatem iurauerat, mulieres grauidas findebant, fœtus anticipatos extrahebant, paruulos super lancearum acumina proiiciebant, presbyteros super altaria trucidabant. Rex igitur Anglorum illuc properabat, sed antequam illuc peruenisset rex Scotorum in sua se recepit.

Concilium celebratur Pisis sub Papa Innocentio.

ANNO gratiæ. 1139. Matildis imperatrix venit in Angliã, & Robertus Comes Gloucerniæ, frater eius, cum ea, cum magna fortitudine infesto sancti Michaelis. Henricus Winton. Episcopus, frater regis Stephani, Apostolicæ sedis tunc legatus, indignans quod rex prælatos, & eorum possessiones indigne tractaret, condoluit, & remedium procurauit. Eo tempore, concilium celebratur Pisis à papa Innocentio. Rex Stephanus in cura sua contra regium decus, plures captos ad redditionem castellorum coegit, inter quos Rogerium Salisburiensem Episcopum, ad castri redditionem de Scireburn. & de Diuises, & de Malmesber. violenter coegit. Procurantibus igitur Archiepiscopo Theobaldo, & Henrico Episcopo Winton. fratre regis & aliis Episcopis, & prælatis, concilium apud Winton. celebratur 4. Kal. Septemb. ad quod regem vocari fecerunt. Qui Comitem Albericum de Veer, in causarum varietatibus exercitatum, misit ad concilium, de captione dictorum Episcoporum, super qua impetitus erat, se sic de iure facere posse allegantem, & factũ regis defendentem. Quinto Kal. Septemb. solutũ est concilium. Eodẽ anno, obiit Rogerius, Sarum Episcopus. Rex quoq; Stephanus persecutus est Eliensem Episcopum, Nigellum.

Albericus Comes de Veer occiditur in ciuitate Londoniam.

ANNO gratiæ. 1140. Idibus Maii, Albericus de Veer, in London. occiditur. Obiit Aldewinus, fundator Maluerniæ. Rex Anglorum Stephanus, infra dies natalitios, vrbem Lincoln. obsedit, cuius firmitates Ranulphus, Comes Cestriæ, receperat paulo ante, qui regem Stephanum detinuit ab ingressu ciuitatis vsque ad purificationem beatæ Mariæ, & ibidem commissa est pugna cum rege grauissima, & per multas deceptiones captus est 4. Nonas Februar. In quadragesima 13. Kalen. Aprilis eclipsis facta est horribilis nimis per totam Angliam, vt diceretur signum esse. Sequenti hebdomade 7. Kalend. Aprilis, Radulphus, filius Huberti, immanis, ac barbarus, & ad furta belli peridoneus, castrum de Diuises clanculum intercepit, qui iactare non dubitauit, se totam regionem, à Winton. vsque Lõdon. per idem castrũ occupaturum, & ad tuitionem sui pro militibus Flandriæ missurum. Sed cito post, per Iohannem, magnæ versutiæ virum, qui apud castrum de Maleburgo habitabat, captus fuit, & vinculis innodatus, eo quod castrum de Diuises dominæ suæ, imperatrici reddere recusabat, & more latronum suspensus. Eodem anno, in Pentecoste inductum est colloquium inter imperatricem & regem, ad pacem reformandam. Sed cum venerunt illuc, scilicet iuxta Bathoniam, Comite Roberto, fratre suo, ex parte imperatricis, ex parte vero regis legato, & Archiepiscopo conuenientibus, nihil tandem profecerunt.

Ciuitas Londonia reddita est imperatrici.

ANNO gratiæ. 1141. hoc anno, rex Stephanus in bello captus est 4. Nonas Feb. per Gulihelmum de Kahaynes apud Lincoln. & destructa Winton. 18. Kal. Octob. Ducitur ad imperatricem, & in turri de Bristolia in custodia ponitur. Ciuitas London. reddita est imperatrici, sed cito post fugata est inde, scilicet 8. Kal. Iulii. Postea statim, in eadẽ æstate, obsessa est turris London. à Londonien sibus, quã Gulihelmus de Mandeuilla tenebat, & firmauerat. Obsedit etiam imperatrix, turrim Winton. Episcopi, cum auunculo suo, rege Scotorum, Dauid & fratre suo Roberto. Sed Gulihelmus Iprensis cum London. fecerunt illam inde recedere. Captus est Robertus Comes Glouerniæ in festo exaltationis sanctæ crucis. Sed pro eius liberatione, rex liberatus est in festo omnium sanctorum, & regno restitutus. Eodem anno, obiit Hugo de sancto Victore 4. Idus Feb. Per illud tempus Valerãnus, Comes de Mellento, qui omnibus Normanniæ præerat proceribus, cũ Comite Galfrido Andegauensi concordiã fecit, & dedit castellũ Montifortis, & Falesiæ, & sic subdi-

derunt se ei omnes viri potentes circa fluuium Sequanam, vsq; ad Ripam Risle, & fidelitatem ei fecerunt. Eodem anno, obiit Gilbertus Episcopus London. qui vniuersalis dicebatur, cui successit Robertus de sigillo in Episcopatum.

Rex Stephanus obsedit imperatricem, quæ tamen euasit. Captus est Robertus Episcopus London.
Rex Stephanus cepit Gulihelmum de Mandeuilla.

ANNO gratiæ. 1142. rex Stephanus obsedit imperatricem apud Oxoniam diu, sed tandem euasit. Captus est Robertus Londonensis Episcopus apud Fullenham, à Galfrido de Mandeuilla 9. Kal. Iulii. Gulihelmus Lincoln. Episcopus, & sedis Apostolicę legatus, in media quadragesima conciliū celebrauit, rege, & Episcopis multis præsentib. Nullus honor, vel reuerentia ferebatur Ecclesiæ Dei, vel ordinatis, sed æq; clerici & laici capiebātur, incarcerabantur, truncabantur. Sed statutum est ibi, si quis Ecclesiam, vel cœmiteriū violauerit, vel in monasticum virum manus iniecerit violentas, à nullo absoluatur, nisi à papa. Eodem tempore, rex Stephanus cepit Gulihelmum de Mandeuilla apud sanctum Albanū, vbi reddidit regi turrim London. cum castris de Waledeno & Pleiseto. Eodem anno, obiit Fulco rex Hierosolymitanus, eoq; anno, defuncto papa Innocentio, Cœlestinus successit, qui, cum sedisset in cathedra Romana mensibus 5. diem clausit extremum, cui successit Lucius mensibus 11. & diebus 14. Obiit Gulihelmus Wintonensis Episcopus, successit Henricus. Huic vero Henrico, Lucius papa pallium misit, volens apud Wintoniam nouum constituere Archiepiscopatum, & septem ei Episcopos assignare.

Obiit Lucius successit Eugenius. Rex Stephanus obsedit Lincolnienses.

ANNO gratiæ. 1143. defuncto papa Lucio, sedit Eugenius in cathedra Romana, annis octo, mensibus 4. & diebus 13. Eodem anno, rex Anglorum Stephanus Lincoln. obsedit, & cum construeret vnum municipium contra castellum, quod tenebat Comes Cestrensis, Ranulphus: operarii regis octoginta ab ipso Comite interfecti sunt, & sic, re imperfecta, recessit rex. Eodemq; anno, Robertus Marmion, vir quidem bellicosus, qui monachos de Couentria a suo monasterio expulerat, & de illa Ecclesia castellum fecerat, dū vna dierum contra hostes suos decertaret, inter eos ante ipsum monasterium, excommunicatus, peremptus est. Eodem tempore, Galfridus de Mandeuilla, qui idem scelus perpetrauerat in Ecclesia Ramesiensi, ante ipsam Ecclesiam, inter consertas suorum acies à quodam pedite vilissimo, solus sagitta percussus, occubuit interfectus. Arnulphus etiam, eiusdem Comitis filius, qui post mortem patris Ecclesiam illam pro castello tenebat, à rege captus est, & proscriptus.

Rex Stephanus Comitem Glouernienſem, & multos alios fugauit.

ANNO gratiæ. 1144. rex Anglorum Stephanus, Comitem Glouerniæ, cum multis aliis inimicorum suorum à constructione Flandrensis castri fugauit, & municipium illud in sua potestate susceptit. Obiit Galfridus de * Mandeuilla 18. Kal. Octob. Galfridus, Comes Andegauiæ, cepit Normanniam. Eodem anno, Alexander, Lincoln. Episcopus, iterum Romam pergens, munificentissime se, vt prius, habuit. Itaq; honorifice susceptus est à papa, rediensque sequenti anno, cum summa ipsius papæ, & totius curiæ gratia, ecclesiā suam, quę combustione deturpata fuerat, sic reformando restaurauit, vt damnum in igne, postea minime damnosum videretur.

Magnuilla

Capitur Ranulphus, Comes Ceſtriæ, à rege Stephano Anglorum.

ANNO gratiæ. 1145. rex Anglorū cepit Ranulphum, Comitē Cestriæ, apud Northātonam, ad eum pacifice venientem, & eundem in carcere detrusum detinuit, quousque redderet ei castrum Lincoln. cum cæteris, quæ suæ ditionis erant, & sic lætus, & iactans de victoria, licet turpi, coronam portauit apud Lincoln. Hoc anno, quidam puer apud Norwicum crucifixus est à Iudæis.

Conradus imperator, & rex Francorum Ludouicus, iter arripuerunt Hieroſolymitanum.

ANNO gratiæ. 1146. Conradus imperator, & Ludouicus rex Francorum, & plures alii nobiles magnates crucesignati sunt, vt euntes in Hierusalē saluatoris vestigia adorarent. Gulihelmus de sancta Barbara, decanus Ebor. factus est Episcopus Dunelmensis. Eodem anno, obiit reuerendæ memoriæ Galfricus, abbas sancti Albani. Defuncti quoque sunt pontifices * Ascelinus Roffensis, Rogerius Cestrensis, & Robertus Herefordensis. Ascelino successit Walterus, Archidiaconus Cantuariensis. Rogerio, Walterus, prior Dorobernensis, Roberto Gilbertus, abbas Glouernienſis. Eodem anno, post Thurstanum, Ebor. Archiepiscopum, Henricus, Cistercienſis monachus, illum obtinuit præsulatum. Similiter eodem anno, Cometa in Occidente, circumquaq; mirabiliter radians, apparuit.

Alcelmus.

Proficiscuntur Hierusalem Imperator Alemanniæ, & rex Franciæ.

ANNO gratiæ.1147.motio Imperatoris & regis,& multorum iter agentium in Hierusalem.Imperator Conradus,hyeme transcursa,cum suis portum attigit Aconesem. Et inde veniens Hierusalem cum summo gaudio susceptus est.Quo vtiq; tempore,rex Francorum cum 70.millibus loricatorum militum subsecutus est. Sed ob iter præssuras, iacturas,& ruinas irrestaurabiles passus,damna Franciæ inaudita deplorauit. Obsessa est ciuitas Damasci,sed frustra. Eodē anno,Robertus archidiaconus Leicestriæ, post Alexandrum creatus est Lincoln.antistes,per manum Theobaldi Archiepiscopi Cantuar. Post ieiunium mensis Septemb.Episcopus est consecratus.

Reuertuntur imperator, & rex Franciæ, & rex Norandinus debacchatur.

ANNO gratiæ.1148. post discessum imperatoris,& regis Francorum de partibus terræ sanctæ, Norandinus, Sanguinei filius,princeps Turcarum potentissimus,fines Antiochenos ingressus,Nepam castrum obsidione vallauit,contra quem Reimundus,Antiochenus princeps,exercitum ducens inconsulte nimis,prælio inæquali decertauit. Vnde contigit,quod ipse,cum aliis quibusdam viris nobilibus occubuit. Norandinus nullo obstāte progressus,Hareng castrum obsidens occupauit,& sic libere in partibus illis vniuersa depopulando percurrit,donec rex Hierosolymarū superueniens,impetus eius potenter refrænaret.Henricus primogenitus,à rege Scotorum Dauid armis decoratur in Pentecoste. Idem translatio sancti Erkenwaldi Episcopi 18.Kal.Decemb. fit. Præterea concilium in vrbe Remensi præsidente papa Eugenio,celebratur. Eodem anno Gilebertus Episcopus efficitur Herefordensis.

Galfridus Dux Normanniæ,reddidit Henrico filio suo, Normanniam.

ANNO gratiæ.1149. Galfridus,Dux Normannorū reddidit Henrico filio suo Normanniam, hæreditatem suam ex parte matris suæ, contra prohibitionem regis Francorum.Vnde discordia orta est inter ipsum regem & Ducem. Rex enim reuersus est hoc anno inglorius à terra sancta,similiter & imperator Alemanniæ. Dux Galfridus castellum Vinstabel obsedit & fecit ibi tria castella lapidea & durauit illa obsidio per tres annos. Ebrardus Episcopus Norwic.obiit.Iste Ebrardus Episcopus diuisit archidiaconatum Suffolke in duos. Hoc etiam anno,gelare cœpit 4. Idus Decemb.& durauit vsque ad 11.Kal. Martii, & Tamesis sic congelatus est,vt pede & equo,& quadrigis etiam oneratis,transmeabilis redderetur.

Rex Francorum cepit homagium Ducis Henrici pro Normannia.

ANNO gratiæ.1150.rex Francorū Ludouicus,& Eustachius, filius regis Stephani,cū militia copiosa venerunt ante turrem de Archis ob discordiam memoratam, vbi etiam affuit Dux Normanniæ.Henricus,& pater eius,Comes Andegauensis,Galfridus,cum ingenti exercitu Andegauensium,Britonum,& Normannorum,sed videntes vtriusq; partis principes,quod legiones illæ nequibant sine magna sanguinis effusione hostiliter conuenire, cœperunt de pace tractare, & interuenientibus vtrorumq; amicis, rex Francorum cepit homagium Ducis Henrici de Normannia,& sic pacifice recesserunt. Dux igitur Henricus,dum tractaret cum optimatibus suis de itinere suo in Angliam, pater eius apud Castrum Beri grauiter infirmatus 7. Idus Septembr.ab hac vita migrauit,& sic Henricus filius eius,factus est Comes Andegauensium,& Dux Normannorum.Eodem anno, Robertus de Gorham creatus est in abbatem sancti Albani,Radulpho cedēte præ languore. Celebratum est diuortium inter Ludouicum regem Francorum, & Alienoram reginam. Erant enim consanguinei, in quarto gradu. Rex Stephanus firmauit castellum apud Radingum 13.Kalen.Feb.Eodem anno Gulihelmus Turbus consecratus est in episcopatum Norwic.

Dux Normannorum Henricus,duxit Alienoram,relictam Ludouici.

ANNO gratiæ.1151.obiit Comes Theobaldus de Bleis frater regis Stephani. Henricus Dux Norman.duxit Alienoram, quondam reginam,relictam Ludouici. Obiit Adelicia Regina,vxor regis Stephani. Dirutum est castellum de Radingo. Eodem anno,Iohannes,monachus Sagiensis,factus est secundus antistes Monæ insulæ,quæ est inter Angliam & Hyberniam.Primus ibi fuit * Reimundus,monachus Sauiniensis.Eodem etiam anno, obiit Gulihelmus,Episcopus Dunelmensis, & Galfridus Arthurus factus est Episcopus sancti Asaphi in Northwallia,qui historiam Britonū,de lingua Britannica,transtulit in latinum.Eodem anno Gratianus monachus de Guisa ciuitate Thusciæ natus,decreta composuit secundum Hu.2.q.6.C.forma. * Wimundus.

Obiit Eugenius, succedit Anastasius, sanctus Bernardus migrauit ad dominum.

ANNO gratiæ. 1152. Comites & barones Angliæ fecerunt ligantiam, & fidelitatem Eustachio, filio regis Stephani. Obiit Matildis regina, mater Eustachii. sexto nonas Maii, Richardus de* Beuuais, nepos alterius Richardi, factus est Episcopus London. in initio Octob. Eodem anno, Bernardus abbas Clareuallensis migrauit ad dominum. Obierunt autem Eugenius papa, cui successit Anastasius, & Dauid rex Scotorum, cui successit Malcolmus, nepos eius, in regnũ. Illo quoq; anno, natus est Duci Henrico filius ex Alienora vxore sua, & vocatus est Gulihelmus, quod est consuetum nomen Ducibus Aquitaniæ, & Comitibus Andegauiæ. Obiit Eustachius, filius regis Stephani. Et facta est pax inter regem Stephanum & Henr. Ducem Norman. Eodem anno Bernardus abbas Clareuallensis, migrauit ad dominum.

*Bellesmeniu.

Rex Anglorum Stephanus, & Dux Normannorum Henricus, concordati sunt.

ANNO gratiæ. 1153. iustitia de cœlo prospexit: & diligentia Theobaldi, Archiepiscopi Cantuar. & Episcoporum regni, rex Anglorum Stephanus, & Dux Normannorũ Henricus, apud Walingford, talem cõcordiam inierunt. Rex Stephanus, omni hærede viduatus, præter solummodo Ducem Henricum, recognouit in conuentu Episcopatum, & aliorum de regno optimatum, quod Dux Henricus ius hæreditarium in regnum Angliæ habebat, & dux benigne concessit, vt rex Stephanus tota vita sua, suũ regnum pacifice possideret. Ita tamen confirmatum est pactum, quod ipse rex, & Episcopi tunc præsentes, cum cæteris regni optimatibus iurarent, quod Dux Henricus, post mortem regis, si illũ superuiueret, regnũ sine aliqua contradictione obtineret. Super ista pace inuiolabiliter obseruanda, cõfecta est solẽnis charta, & in loco securissimo reseruata. Hoc anno floruit Petrus Lõgobardus, q sententiarũ librum cõposuit. Obiit Eugenius papa successit Anastasi° senex.

Defuncto Anastasio papa successit Nicolaus

ANNO gratiæ 1154. Dux Normannorum Henricus transfretauit in Normanniam & reuocauit in ius proprium dominica sua, quæ pater suus illi dederat, & inde profectus in Aquitaniam rebellionem quorundam baronum suorũ potenter repressit. Eodem anno, defuncto papa Anastasio, successit Nicolaus, Albanensis Episcopus, & vocatus est Adrianus 4. vir quidem iustus & religiosus, natione Anglicus, de territorio quidem sancti Albani, à viris nobilibus ducens originem. Hic Ecclesiam sancti Albani insigniuit priuilegiis, vt sicut beatus Albanus protomartyr est Angliæ, ita & eius abbas inter omnes Angliæ abbates primus sit ordine & dignitate. Eodem tempore, facta est concordia inter regẽ Francorum Ludouicum, & Ducem Normannorum Henricum, hoc modo. Rex reddidit Duci Vernolium, & Nouum Mercatum, & Dux dedit ei duo millia marcarum argenti, pro restaurãdis damnis, quæ rex perpessus fuerat. Eodem anno, sanctus anachorita Wilfricus de Heselberga, cuius vita & transitus, speciales exigeret tractatus, migrauit ad Dominum. Eodem tempore, rex Anglorum Stephanus, miles egregius, & mente piissimus 8. Kal. Nouembrium, diem, clausit extremum. Cuius corpus in monasterio de Feuersham, quod ipse à fundamentis construxerat, traditur veneranter sepulturæ. Quo audito, Henricus Dux Normanniæ venit Barbefliet, & ibidem per vnum mensem ventum expectauit, & septimo Idus Decembris, in Angliam veniens 14. Kal. Ianuarii, die dominica ante natale domini, apud Westmonasterium, in regem vnctus est à Theobaldo Cantuarienſi Archiepiscopo. Eodem anno Reginaldus efficitur abbas de Radingo.

Fredericus creatus est in imperatorem.

ANNO gratiæ. 1155. electus, & consecratus est in imperatorem Fredericus. Henricus rex iunior natus est. London. pridiæ Kalend. martii. Manus quoque sancti Iacobi restituta est Radingo. Per idem tempus, rex Anglorum Henricus nuntios solennes Romam mittens rogauit papam Adrianum, adhuc nouum, cuius gratiam confidenter obtinere sperauit, vtpote Anglum, vt liceret ei Hyberniam hostialiter intrare, & eam sibi subiugare, atq; homines illos bestiales ad fidem Christi decentius reuocare, ecclesiæq; Romanæ fidelius inclinare. Quod papa regi grataner annuit, & eidem, super hoc, priuilegium destinauit. Eodem anno, defuncto Roberto, Exonienſi Episcopo, successit Robertus decanus Sarum. Et eodem anno, rex Anglorum Henricus exhæredauit Gulihelmum Peuerel causa veneficii, quod Ranulpho, Comiti Castrenſi, fuerat propinatum. In cuius pestis cõsortio plures consciĩ, & consentientes fuisse perhibentur. Circa eosdẽ dies, Hugo de Mortuo mari, vir arrogantissimus, castella sua contra regem muniuit, Glouerniam, Wigorniã, & Briges, sed rex aduenies omnia complanauit. Eodem tempore, Ludouicus, rex Francorum, duxit filiam Aldefonſi, regis Hiſpaniæ. Eo tempore, Thomas natione London. futurus

turus archiepiscopus & martyr, primum, quod habuerat beneficiũ, percepit à domo sancti Albani, scilicet Ecclesiam de † Bradefeld, nec multo post transtulit se ad famulatum Theobaldi Cantuar. Archiepiscopi, quo procurante, cito deinde vocatus est ad Archidiaconatum Cantuar. Hoc anno floruit Petrus dictus Comerstor in Francia qui vtriusq; testamenti historiam, quæ dicitur scholastica, composuit. † Branfeld.

Tunica domini inconsutilis, inuenta est in Francia.

Anno gratiæ. 1156. in Francia, diuina reuelatione, inuenta est tunica inconsutilis Christi, quam, sicut literæ cum ipsa repertæ indicabant, mater eius fecerat ei, & creuit ipso crescente. Eodem anno, rex Henricus in Normanniam transiens, cepit cum morosa, & sumptuosa obsidione castella sibi rebellia, Chynonem scilicet, & alia. Eodẽ anno, rex Siciliæ Gulihelmus ciuitatem Baruth funditus euertit, Græcos superauit, ciuitates & castella sibi ablata in ius suum potenter reuocauit, consecrationes Episcoporum regni sui ei cõcedendo. Tunc temporis, Alienora, Regina Anglorum, peperit regi filiam, quam Matildẽ nuncupauit. In guerra quoq; quæ fuit inter regem Henricum & Galfricum fratrem suum, idẽ Henricus prædicto. G. tria castella eripuit violenter, Mirabellũ & Losdunum cũ dicto Chynone, Gulihelm⁹ quoq; primogenitus regis Hẽrici obiit, & sepult⁹ est apud Radingũ.

Rex Henricus domat Walliam, regem Scotorum repulit.

Anno gratiæ. 1157. rex Henricus in Walliam duxit exercitum suum, & Walliam sibi potenter subiugauit, & apud Snaudunum Cenum ad deditionem coegit. Rex quoq; in Normanniam transfretauit. Sed cum audisset quod rex Scotorum Malcolmus, fines suos hostiliter transgressus, aliena sibi temere occupauit, rediit, & ipsum Malcolmum potẽter repulit. Tunc rex Scotorum reddidit ei ciuitatem Carleolum, castellũ quoq; de Banburg, & Nouum castrum super Tinam fluuium, & totum comitatum Laudonensem, & rex Henricus reddidit ei Comitatum de Huntingduno. Tunc quoq; temporis, Gulihelmus, dictus filius regis, nothus regis Stephani, Comes Moretonii, & Warenniæ, reddidit regi Peuensiæ, & Norwicum, & omnes munitiones suos in Anglia, & Normannia, quæ ex dono regis Stephani possederat. Et rex Henricus dedit ei, quicquid pater eius, rex Stephanus habuit, die, qua rex Henricus primus mortuus fuit, & viuus. Et eodem tempore, Hugo Bigotus castella sua regi resignauit. Eodem anno mense Septembri, natus est Henrico regi, ex Alienora regina sua, filius apud Oxoniam, & vocatus est Richardus.

Noua moneta facta est in Anglia. Rex quoq; Anglorum Henricus, venit Parisios.

Anno gratiæ. 1158. Henricus rex apud Wigorniam coronatur, & post diuinorum celebrationem, coronam super altare posuit, nec vlterius coronatus est. Noua moneta facta est in Anglia. Obiit Galfridus, frater regis Henrici. Reginaldo abbati de Radingo, ob regis odiũ cedenti, successit Rogerius. Eodẽ anno, Thomas regis cancellarius, in apparatu magno, venit Parisios, Margaretã, regis Francorum filiam, Henrico filio regis in coniugem accepturus. Rex mare transiuit, & inuitatus Parisios venit, idemq; rex Nameticam ciuitatem in ius suum recepit.

Schisma ortum est inter Alexandrum & Octauianum.

Anno gratiæ. 1159. rex Anglorum Henricus, duxit exercitum versus Tholosam, & cepit castella fortia vicina ei, rege Francorum interim in vrbe iugiter commorante. Sed rex Anglorum ipsam ciuitatem hostiliter non obsedit, ob reuerentiam regis Francorum, cuius sororem Constantiã, Comes Tholosanus duxerat in vxorem, & ex ea liberos susceperat, qua de causa reges inimici facti sunt adinuicem. Eodem anno, defuncto papa Adriano schisma ortum est, inter duces, Alexandrum & Octauianũ. Nam imperator, cum clero suo, receperat Octauianum, alii nequaquam. Successit tandem Alexander. Adhuc creuerunt inimicitiæ inter reges Francorum & Anglorum.

Theobaldus archiepiscopus Cantuar. obiit, juratur fidelitas Henrico iuniori.

Anno gratiæ. 1160. rex Anglorum Henricus à Tholosa reuersus, Margaretam filiam regis Francorum, quam in sua custodia habebat, Henrico filio suo desponsari fecit, & castellum de Gisorzio, diu desideratum, recepit. Quod, vt audiuit rex Francorum, Caluũ Montem firmauit. Sed rex Anglorum festinus aduenies, rege Francorum cum suis fugato, castrum, & inclusos, cepit. Et capti sunt de intus milites 55. & sic celebratum est matrimonium inter filium regis Anglorum septennem, & filiam regis Francorũ triennem, autoritate Henrici Pisani, & Gulihelmi Papiensis, presbyterorum cardinaliũ, sedis Apostolicæ legatorum 4. nonarum Nouemb. apud Burgum. Eodem anno, Theobaldus, Cantuar. archiepiscopus, diem clausit extremum. Ipsoque tempore Maria, abbatissa de Rumesia, filia regis Stephani, nupsit Matthæo, Comiti Boloniæ, ex qua duas sustulit filias,

propter quod peccatum Thomas regis cancellarius, qui contrarius fuit huic contractui illicito ad instar beati Iohannis Baptistæ multas passus est ab eodem Comite insidias, & persecutiones.

Henricus filius regis Henrici primi, desponsauit filiam regis Franciæ.
Eligitur Thomas in archiepiscopum Cantuariæ.

ANNO gratiæ. 1161. Henricus, filius regis Henrici, desponsauit filiam regis Francorum, & pax facta est inter eos. Cantuaria fere tota combusta est. Eodemq; anno, audito de morte Theobaldi Cantuar. Archiepiscopi, rex procurare cœpit omni diligentia, vt Thomas cancellarius, ipsi in Archiepiscopatum succederet, & misit Richardū de Luci in Angliam cum literis suis ad hoc procurandum cum ipso Thoma cancellario, quod efficaciter grato fini mancipatum est. Eodem anno, Bartholomæus, vir religiosus, & in theologiæ scripturis bene eruditus, in Exonienſem Episcopum consecratus est. Eodemq; anno, apud Westmonasterium Thomas, regis cancellarius, electus est in Archiepiscopum Cantuar. Facta itaq; electione sabbato, in Pentecoste, presbyter ordinatus est à Waltero, Roffensi Episcopo, in Ecclesia Cantuarienſi. Ipso quoq; tempore sopita est discordia inter Ecclesiam Lincolnienſem, & cœnobium sancti Albani, in præsentia regis Henrici, & Archiepiscoporum, Thomæ Cantuarienſis, & Rogerii Eboracenſis, & aliorum quam plurimorum episcoporum, & magnatū terræ. Eodemq; anno, rex Hierusalem, Baldewinus obiit, cui successit frater eius Almaricus. Eo anno præparato campestri prælio, & statim sopito, facti sunt amici reges Francorum, & Anglorum.

Consecratur Thomas in Archiepiscopum Cantuar. Obiit Richardus Episcopus Londonienſis.

ANNO gratiæ. 1162. Thomas, cancellarius, & Cantuarienſis archidiaconus, consecratus est Archiepiscopus Cantuarienſis 3. nonarū Iunii, dominica prima post Pentecostē. Ludouicus rex Francorum, & Henricus rex Anglorum, armatorum copiis vndiq; congregatis, cum iam campestre prælium inter eos immineret prope Farceuallem, amici subito effecti sunt. Eodem anno, Alienora Angliæ Regina, apud Rotomagum filiam peperit, & ei nomen suum imposuit. Hoc etiam anno, Richardus London. Episcopus, viam vniuersæ carnis ingressus est. Per idem vero tempus, rex Henricus fecit iurari fidelitatē Henrico filio suo, pulcherrimæ indolis iuueni, & inter omnes magnates regni, Thomas cancellarius, qui cito postea factus Archiepiscopus, primus fidelitatem iurauit, salua fide regis, quam diu viueret. Thomas resignauit sigillum regium, quod rex nimis moleste tulit. Thomas quoq; Archiepiscopus, vitam curialem in sanctissimam subito mutauit conuersationem. Ioachim abbas floruit,

Concilium Turonis celebratur sub papa Alexandro.

ANNO gratiæ. 1163. rex Henricus auertit cor suum, & dilectionem suam à Thoma Cantuar. Archiepiscopo, & ex illo tempore insidias parauit ei, & impedimenta. Gilbertus Folioth, Herefordenſis, translatus est in London. Eodem anno, Robertus de Monteforti, cum Henrico de Essexia duello decertauit super appellatione de proditione. Eodem anno, Papa Alexander Turonis conciliū celebrauit in Ecclesia sancti Mauricii. Intererat Cantuar. Archepiscopus, & alii prælati Angliæ multi. Tempore illo, rex Scotorum Malcolmus, & Rhesus princeps Demeciæ, id est, Australium Wallenſium, & alii multi magnates, fecerunt homagium regi Henrico, apud Wodestok. Ipso quoq; tempore, Rogerius, Comes Clarenſis, à Thoma Cantuar. Archiepiscopo, apud Westmonasteriū vocatus est ad faciendum ei homagium de castello de Tunbrige. Quod, cum audisset rex, prohibuit fraudulenter hoc fieri, & hoc fuit primum indicium odii regii manifestum.

Facta est recordatio libertatum regis apud Clarendunam, cui non consensit Thomas Archiepiscopus.

ANNO gratiæ. 1164, apud Clarendunam coram rege, & magnatibus regni facta est recordatio regiarum libertatum, & consuetudinum, cui quia Thomas Cantuar. Archiepiscopus assensum non præbuit, recessit cum magna indignatione regis. Dedicata est Ecclesia de Radingo, translatumq; est corpus sancti Eadwardi de terra in feretrum à beato Thoma Cantuar. Archiepiscopo. Eodem anno, multas passus est iniurias apud Northamtonam idem Archiepiscopus. Recessit de nocte, & exilium subiit, & multa pericula perpessus in terra, mare in fragili cymba transiit. Comes Flandriæ, & Comes Bononiæ, parauerant eidem, machinante rege, insidias. Sed, Deo protegente, omnes euasit.

Strages & captiuitas Christianorum facta est in terra sancta.

ANNO gratię. 1165. terræ motus factus est 7. Kal. Febr. in Ely, & Northfolk, & Suthfolk, ita quod stantes prostrauit, campanas pulsauit. Rex in Walliam expeditionem fecit. Regi-

Regina Alienora, peperit filiam, quam vocauit Iohannam, poſt quam, peperit filium, quem vocauit Iohannem. Eodem anno, Godefridus de ſancto Aſapho, in Eccleſia ſancti Albani, Anglorum protomartyris, ad maius altare, in cœna domini chriſma confecit, & oleum ſanctum, fultus authoritate priuilegiorum ipſius Eccleſiæ, in præſentia Roberti abbatis. Eodemque anno, Noradinus quidam, Turcarum princeps potentiſſimus, in finibus Antiochenis Hareng caſtrum obſedit. Quo audito, Boamundus princeps Antiochenus, cum ſuis adiutoribus vicinis, ſcilicet Tripolitano Comite Reimundo, Salamanno Siciliæ præſule & Charos Armeniorum principe, obſidionem potenter, & ipſum Noradinum cum ſuis in fugam propellunt. Quem cum fugientem temere inſequerentur, reuerſus eſt cõtra eos inſequẽtes, & ipſos omnes memoratos cepit, & vinculis ſtrictos apud Alapiam cuſtodiæ mancipauit, ipſum caſtrũ quod reliquerat, ſibi leui negotio ſubiugauit.

Excommunicantur à beato Thoma, omnes obſeruatores regiarum conſuetudinum.

Anno gratiæ 1166. Alienora regina Angliæ, in fine anni peperit Iohannem. Rex quoque Henricus tranſfretauit in Normanniam, Cantuar. archiepiſcopus. Thomas excommunicauit omnes obſeruatores conſuetudinũ, & libertatũ regiarũ apud Clarendunã recitatarum, quas potius execrabiles abuſiones, quam vſus, vel libertates appellauit, & quoſdam regis ſuper hęc fautores, tam clericos quam laicos nominatim excõmunicauit. Eodem tempore, rex cito poſt procurauit amotionẽ Thomæ archiepiſcopi à Pontiniaco. Nam cognouit locũ & manſionem illã placere ei, & hoc per capitulum Ciſtercienſe, & cito poſt ab Anglia totum genus ſuum, non tãtum à London. ſed à regno ſuo immiſericorditer proſcripſit. Per idem tempus, ad ſubuentionem terræ ſanctæ, de vnaquaque carrucata terræ totius Angliæ quatuor denarii conceſſi ſunt, & collecti. Obiit Robertus, abbas ſancti Albani, cum Eccleſiam ſuam. 24. annis rexiſſet. Epiſcopi Angliæ facti ſunt regis fautores, & beati Thomæ in cauſa ſua perſecutores. Rex Francorum Ludouicus, ſolus factus eſt conſolator beati Thomæ. Quapropter reges occulto odio ſeſe detrahebant.

Alexander papa, & rex Francorum Ludouicus facti ſunt, conſolatores beati Thomæ.

Anno gratiæ 1167. Alexander papa, cognita cauſæ iuſtitia beati Thomæ, factus eſt eius conſolator & adiutor, exul coexulis. Exulauit enim vterque pro libertate Eccleſiæ. Eodem anno, obiit Robertus Lincoln. Diſcordantibus regibus Frãcorum & Anglorum, Caluus Mons, Giſortium, & alia caſtra, & munitiones cum villis & ciuitatibus à Normannis occupata & ſuccenſa ſunt. Obiit quoque Matildis imperatrix. Matildis filia regis Hẽrici nupſit Henrico Duci Saxonum. Tunc vero temporis, exulante beato Thoma archiepiſcopo, maneria ſua, ſiluæ, viuaria, homines, & aliæ poſſeſſiones infiſcantur & deſtruuntur, quorum cuſtodiæ præficitur Ranulphus de Broko, vir doctus pecuniam emũgendi, ſeminantibus diſcordiam Gilberto Epiſcopo London. & aliis multis Epiſcopis, Roberto quoque de Broko, clerico, qui ſub Ranulpho archiepiſcopatũ cuſtodiebat. Eodem anno, Simon prior eccleſiæ Sancti Albani in abbatem eius Eccleſiæ, electus, die Aſcenſionis a London, epiſcopo ſolenniter eſt conſecratus. Obiit Comes Patricius in Aquitania. Obiit Robertus, ſecundus prior Wintonienſis.

Rex Henricus ſchiſma procurauit, in odium beati Thomæ martyris.

Anno gratiæ 1168. rex Henricus, cuius ira in odium verſa eſt contra beatum Thomam, & contra papam, qui partem beati Thomæ fouit, miſit ad imperatorem Fredericum, ſignificans ei, quod adiutor eius foret ad eiiciendum de dignitate papatus Alexandrum, eo quod aduerſarius ſuus factus fuit, & quia proditoris ſui, ac fugitiui Thomæ, qui quandoque fuerat Cantuar. archiepiſcopus, cauſam contra regem fouit. Et fecit rex abiurari in anglia obedientiam debitam papæ Alexandro, à puero duodeno ad hominem ſenem. Miſit etiam ad regem Frãcorum Ludouicum, petens inſtanter, ne inimicum ſuum, ac proditorem Thomam, fugitiuum foueret. Sed cum inhoneſta (vt ei videbatur) petentem non exaudiuit pius rex Ludouicus. Eodem anno obiit Richardus prior Norwic.

Alienora regis Henrici filia, nupſit regi Caſtiliæ Aldefonſo.

Anno gratiæ 1169. Alienora filia regis Anglorum, nupſit Aldefonſo regi Caſtiliæ. Archiepiſcopus Thomas excommunicauit Gilbertum Londonienſem Epiſcopum. Rex autem conſolator vanus, eum exhilarat, grauiter comminando beato Thomæ. Eodem anno, miſſi ſunt à latere domini papæ duo legati, ſcilicet Vinianus & Gratianus, vt pacem componerent inter regem Henricum & archiepiſcopum Thomam. Sed infecto negotio principali, tantummodo rapinis intendebant, & ſic redierunt, inani labore conſumpto.

Corona-

Coronatur in regem Henricus Iunior & beatus Thomas martyrizatur

ANNO gratiæ.1170.Henricus, primogenitus Henrici regis, coronatus est in regem apud Westmonasterium,in die sancti Basilii,à Rogerio Ebor.Archiepiscopo, contra cõsuetudinem & libertatem Ecclesiæ Cantuar. Vnde Archiepiscopum Ebor.qui filium regis coronare præsumpsit,suspendit,& quosdam Episcopos, qui illi solennitati intererant, & multos alios excommunicauit.Ipse vero,Archiepisc.Ebor.& Episcopi transfretauerũt, & venerunt ad regem in Normanniam,grauem de beato Thoma querimoniam reponẽtes. Vnde rex,supra modum commotus, conquestus est grauiter de ipso Thoma Archiepiscopo,audientibus quibusdam suis familiaribus. Ipsi vero,hoc audito, festinanter accelerarunt ad vindictam, & venientes Cantuar. ipsum Archiepiscopum in Ecclesia sua irreuerenter excerebrarunt.Erant autem quatuor milites,ad opus militare, scilicet ad effusionem sanguinis,nimis strenui,Reginaldus filius Vrsi, Hugo de Moreuilla, Gulihelmus de Traci,Richardus Brito. Martyr igitur occubuit 4. Kal.Ianuar. Omnes autem milites illi,mortui sunt infra 4.annos,in pœnitentia tamen. Robertus vero de Brok,clericos Ranulphi de Brok, qui episcopatum tenuit, excommunicatus,dum pranderet,canes tacta, licet esurientes,noluerunt commedere,cum ex aliorum manibus porrecta auide raperẽt. Eodem anno,ossa Gigantis in Anglia detecta sunt,cuius corporis lõgitudo 50. pedũ erat.

Obiit Henricus VVinton.Episcopus.S. Godricus migrauit ad dominum.

ANNO gratiæ.1171.obiit Henricus Winton.Episcopus.Rex Henricus transfretauit in Hyberniam.Vbi Archiepiscopi & Episcopi ipsum in regem,& dominum ceperunt, & ei fidelitatem iurauerunt,regulus qui Monoculus dicebatur,ei homagium iurauit.Rex Henricus reconciliatus est Ecclesiæ Cantuar. In nocte natalis domini tempestas valida perhorruit. Gilbertus Episcopus London.&alii excõmunicati absoluti sum.Rex glorioſe de commisso peccato pœnitentiam egit. Creuerunt miracula de sancto Thoma Cantuar. Archiepiscopo,in toto terrarũ orbe.Gloriosus vir, vitæ venerabilis, Godricus de Finchale,Eremita,agonem cursus sui in hoc mundo consummans,brauium gloriæ recepturus in cœlo,ex hac luce migrauit ad dominũ,cuius vita & mors tractatus exigunt speciales. Eodẽ anno,in festo sancti Nicolai apud Albamarliam, Rogerius Ebor.Archiepiscopus,præstito iuramento,quod ante coronationem noui regis literas prohibitionis à domino papa nequaquam susceperat,& quod se regi de consuetudinibus regni obseruandis, non obligauerat,quodque mortem beati Thomæ Archiepiscopi, nec verbo nec scripto nec facto scienter procurauerat,ad officii sui plenitudinem misericorditer est restitutus. Eodem anno combusta est Ecclesia Norwic.

Henricus rex Iunior,mouit guerram contra patrem suum Henricum.

ANNO gratiæ.1172. in nocte natalis domini,tonitruum in Anglia,in Hybernia,& in toto regno Francorum auditum est,subitum, & horribile,vt manifeste videretur sanguis beati Thomæ mugiendo clamare ad dominum. Eodem anno, auersum est cor Henrici iunioris ab amore patris sui,ita,vt eidem guerram moueret,vt rex in signum tanti peccati sui,quod nondum expiauit,sua sibi sentiret viscera repugnare. Gilbertus quoq; London. Episcopus se,iuramento præstito,de morte beati Thomæ purgatus,suo officio restituitur.

Festum sancti Thomæ celebratur,ipso canonizato.

ANNO gratiæ. 1173.festum beati Thomæ celebratur authoritate Apostolica,per totam Angliam,ita scilicet,quod præter solenne seruitium,quod fit de natali,cantatur de ipso seruitium speciale,& dicatur collecta specialis.Rex pœnitentiam aggrauat,Thomam specialibus inuocat.Capti sunt rebelles regi,rex Scotiæ,Comes Leicestriæ: & rex iunior patri pacificatur.Rex venit Cantuar.& in capitulo absoluitur à conuentu Cantuar. Resignat etiam illas consuetudines super maius altare,pro quibus beatus Thomas decertauit vsq; ad mortem.Gulihelmus abbas de Radingo assumptus est in Archiepiscopum Burdegalensem.Cui successit Iosephus.Eodem quoq; anno,propter contumaciam Comitis Roberti,contra regem recalcitrantis,obsessa est,& per regem Henricum subuersa nobilis ciuitas Leicestriæ & murus,qui videbatur indissolubilis,funditus in circuitu dirutus. Rex quoq; Iohanni,cognomento,Sine terra,filio suo vix septenni,filiam Huberti Comitis de Moriana primogenitam, quam ex relicta Henrici Ducis susceperat, matrimonialiter copulauit. Eodẽ anno,Rogerius,abbas Beccen.electus est in archiepisc.Cantuar.sed abbas nimis religiosus,penitus cõtradixit.Eligitur igitur Richardus in loco eius,prior Douerię, & eiusdem Ecclesię monachus.Illo etiam anno,Rudulphus de Warneuilla, sacrista Rothomagensis,& thesaurarius Ebor.constitutus est Angliæ cancellarius. Maria,soror beati Thomæ,facta est abbatissa Berkingensis,moribus suis exigentibus,& rege sic iubente.

Rex

Rex Henricus, inuocato beati Thomæ auxilio, omnes hostes suos superat.

ANNO gratiæ.1174. Rogerius de Molbraio à fidelitate regis senioris recedens, in insula Auxholm, castellum, ab antiquo dirutum, reparauit. Ad quem multitudo Lincol. nauigio transuecta castellum obsedit, & constabularium, & milites omnes ad deditionē coegit, & castellum subuertit. Eodem tempore, pridie Kalend. Maij, rex Anglorum, cum audisset militiam Richardi filii sui vrbem Sautonicam occupasse, sumptis secum Pictauiensibus, ad eius liberationem processit. Rex cepit in maiori Ecclesia Lincolniensi 60. milites, cum balistariis & aliis quam plurimis hostibus suis, qui de Ecclesia castellum fecerant, & eam commessationibus, & aliis immundiciis polluerant. Rex inuocans auxiliū beati Thomæ martyris, contulit Ecclesiæ Cant. ad luminaria inuenienda, annui census 40. libras. Ipsa die S. Syluestri, scilicet sabbati, tradidit Deus regem Scotię Gulihelmū in manus suas, apud **Richemund** castellum vinculis mancipandum. Ipsa eadē die, rex Henricus iunior, nauibus quas congregauerat ad transfretandum in Angliam, ope fretus Comitis Flandrensis, & eorum stipatus, & confidens agminibus, vt eam sibi subiugaret, dissipatis penitus, & prævalida tempestate subito exorta, fere submersis, in Galliam turpiter redire cogebatur. Ipso anno, Richardus consecratus est in archiepiscopum Cantuar. Romæ ab Alexan. papa. Et Richardus Winton. Episc. cum Eliensi, Herefordensi, & Ciceſtrensi electis, ab eodem archiepiscopo consecrantur. Galfridus vero Nothus, Lincoln. electus, quia electio eius nondum fuerat cōfirmata, transfretauit in propria persona transalpinaturus.

Rex Scotorum Gulihelmus, facta pace, deuenit in homagium regis Henrici.

ANNO gratiæ 1175. ciuitas Rothomagensis obsessa est. Ipso anno, pax facta est inter regem & filios suos. Rex Scotorum Gulihelmus, cum rege Anglorum pacem fecit in hunc modum. Deuenit homo ligius regis Anglorum de regno Scotiæ, & omnibus terris suis, & homagium ei fecit, vt domino suo speciali. Et similiter omnes Episcopi, cum Comitibus & baronibus Scotiæ. Iurauerunt præterea, quod nullum fugitiuum regis Anglorum vnquam receptabunt. Concilium generale habitum est apud Westmon. 15. Kal. Iulij, præsidente Richardo Cantuar. archiepisco, & apostolicæ sedis legato. Rogerius Eborac. archiepiscopus concilio non interfuit. Obiit Reginaldus, Comes Cornubiæ. Hugo Petroleonis, sancti angeli diaconos cardinalis, venit legatus in Angliam, & præstitit authoritatem tradēdi clericos ante iudicem secularem, pro forisfacto foreſtæ, & laico feodo in fauorem regis. Eodem anno Gulihel. Turbes Episc. Norwic. obiit.

Iohanna filia regis Henrici, nupsit regi Siculo.

ANNO gratiæ 1176. Richardus Contuar. archiepiscopus, in diæcesi sua, quæ ab antiquis temporibus vno tantum fuerit archidiacono contenta, tres archidiaconos constituit, scilicet Sauaricum, Nicolaum & Herebertum. Eodem anno, Iohan. decanus Sarum, consecratus est antistes Norwicensis. Nec multo post, rex fecit complanari castella de Legeoc. de Hūtind. Waltun, Grobi, Stedesberie, de Haye, de Threſte, & alia quam plurima in vltionē iniuriarum, quas ipsi frequenter regi intulerant domini castellorum. Deinde idem rex per consilium, & assensum filij, constituit iusticiarios per sex partes regni, † *Cuilibet.* in qualibet parte sex, qui iurauerunt, q; † quilibet ius suū illęsum conseruarent. Eodemq; anno, Iohanna filia regis, Siculo regi nuptura 5. Idus Nouembr. apud sanctum Ægidium marito suo tradita est. Hugo quoque Petroleonis, legationis suæ cancellato cursu, transfretauit. Rex quoque Henricus secundus, dedit filiam suam iuniorem regi Apuliæ, & 6. Kal. Septembris, transfretauit. Obiit Richardus, Comes de Strigoil. Comes Gulihelmus de **Arundel** / obiit 4. Idus Octobris, apud **Wauerle** / & sepultus est apud **Wymundham** / vnde patronus fuisse dinoscitur 14. Kalend. Nouembris, Walterus prior Winton. factus est abbas Westmonaster. Eodem anno, amoti sunt canonici seculares de **Waltham** / & introducti regulares, in fine tamen anni, nec ipso anno completum est negotium. Obiit tertius prior de Merton.

Fredericus venit ad pedes papæ Alexandri, satisfacturus.

ANNO gratiæ 1177. restaurata est regularibus canonicis Ecclesia de Waltham, & in ea regula beatissimi Augustini, doctoris magni, honestissime conseruata. Quæ quidem Ecclesia de **Waltham** / ex tunc tā in temporalibus quā spiritualibus, fœlix euidenter susscepit incrementum. Hoc autem negotium infra vnum annum fœliciter est consumma tum. Initium tamen habuit in vigilia Pentecostes. Philipp. Comes Flandriæ, & Philippus de Magna villa, pfecti sunt Hierusalem. Freder. imperator venit ad pedes Alexādri papæ satisfaciēs de trāsgressionibus, & sic finitum est schisma. Eodem anno, ventus vehementissimus

tissimus arbores radicitus,ædificia funditus prosternens, intulit multis damna vix restaurabilia. Eo etiam anno rex Anglorum terris suis pro voluntate dispositis 15. Kal. Septemb. in Normanniam transfretauit,& confestim inter regem Franciæ,& ipsum, habito colloquio,hoc modo concordiam inierunt. Ego Ludouicus rex Franciæ, & ego Henricus rex Angliæ,volumus ad omnium notitiam peruenire,nos, Deo inspirante,promisisse,& iuramento confirmasse,quod simul ibimus in seruitio crucifixi,& ituri Hierosolymam, suscepimus signum sanctæ crucis, & amodo volumus esse amici adinuicem, ita scilicet, quod vterque nostrum alteri vitam & honorem fideliter conseruabit.

Rex gratanter visitat sepulchrum beati Thomæ martyris.

ANNO gratiæ. 1178. nix maxima valles impleuit,dumos,& arbores absorbuit. Qua liquescente, armenta & aliqui homines inuoluti fluctibus perierunt 6. idus Ianuar. sol passus est eclipsim. Rex quoq; Anglorum Henricus, Galfridum filium suum 7. Idus Augusti apud Wodestok cingulo decorauit militari. Idem quoque rex cum omnia pro voto cõpleuisset, recognoscens beneficium beati Thomæ martyris sepulchrum humiliter & gratanter adiit,gratias eidem exhibiturus. Et extunc præparauit se vterque regum,in thesauris,armis & aliis necessariis,ad iter Hierosolymitanum magnifice arripiendum, ita scilicet,quod concussus est totus Oriens præ timore. Eodem anno,Richardus de Lucio, Angliæ iusticiarius 3. idus Iunii, fundamenta iecit ad construendam Ecclesiam conuentualem in honorem beati Thomæ martyris, in loco,qui vocatur Westwd, in territorio Rossensi. Eodemq; anno,beatus Albanus visibiliter exiens ab Ecclesia, venit ad quendã virũ vicum sancti Albani inhabitantem,& dixit ei: Sequere me. Qui videns illum splendidum, ad instar solis,timuit,& obediens secutus eum euntem per viam, quæ ducit versus Aquilonẽ & clatuit strata ex eo,& ait vir martyri. Domine quis es? Ait ille. Ego sum protomartyr Angliæ Albanus,& duco te ad sepulturam sancti Amphibali,cuius doctrina conuersus sum ad dominum,& martyr effectus, vt ossa eius reuerenter inueniantur, & à terra leuentur. Locus sepulturæ eius, fere tribus miliaribus distat ab Ecclesia mea. Et collocoquebantur,sicut solet amicus cum amico,& locum docuit, & vir locũ signauit diligenter, & impressit in animo per quandam lapidum ordinatam positionem. Quo facto,martyr reduxit virum,& cum venissent ante fores Ecclesiæ,monuit eum martyr,vt omnia referret abbati,& conuentui, & vale dicto recessit martyr, & intrauit Ecclesiam suam. Vir autẽ Robertus,(hoc enim erat nomen ei) se in domum suam recepit. Vt hæc omnia vera,non autẽ phantastica credantur,facti sequentis docuit euidentia. Nam postquam viri discreti, abbas & conuentus super his certificarentur,ad locum dictum venientes,inuenerunt beatũ martyrem Amphibalum,cum sociis, vbi miracula Deus inaudita celebrauit. Quorum vnũ duximus huic opusculo inserendum. Mortuus quidam quatriduanus,ita scilicet quod à die mortis 4. dies haberet & dimidium, ibidem resuscitatus,omnes videntes ad gloriam Dei,& laudem martyrum iuuantium ibi efficaciter procurauit.

Ludouicus, rex Francorum venit in Angliam,vt adoraret S. Thomam

ANNO gratiæ. 1179. Ludouicus rex Francorum, licet senex,& corpore iam debilis, fide tamen alacer & deuotione, venit in Angliam, nec impediuit eũ transfretatio,licet illud super omnia abhorruisset, vt sanctum martyrem, beatum Thomam, ad sepulchrum eius in Ecclesia Cantuar. facta* oratione, veneranter adoraret,vt ipse iam Dei amicus euidenter effectus, pro rege & regno Francorum Deum exoraret, quia quem Anglia persequens expulit, meruit fœliciter exulem recipere,protegere,& consolari. Et quia Christianissimus rex,Ludouicus,magnalia Dei audiuit,in beato Amphibalo martyre & sociis suis nuper inuentis celebrari, proposuit illuc ire, sed concilium suorũ non permisit eum à terra sua tantum elongari. Super quo dolens,sed contradicere nolens, misit illuc quasi vice vicaria capellanum dona eximia pro oblatione deferentem, & sic ad quædam alia sancta loca,per Angliam constituta. Consummato igitur voto peregrinationis suæ ad votum, rex ad propria inter Douerum & Whitsand / nauigando sine aliquo impedimento, remeauit. Et quia in mari nimis timidus erat, & timuit pericula, dicens esse plusquam humanum transfretare, petiit beatum Thomam, vt in illo transitu nullus pateretur ex illo tempore naufragium. In qua oratione creditur vsque hodie pius rex efficacem fauorem obtinuisse. Hæc facta sunt in initio Septembris. Et in his omnibus se fauorabilem & sociabilem, vt decuit, se exhibuit rex Henricus. Philippus filius regis Francorum coronatur. Alexander papa celebrauit concilium Romæ media quadragesima cum 310. Episcopis in patriarchio Lateranensi. Rogerius Wigor. Episcopus obiit. Quidam puer martyrizatur apud Wenlok. Scripsit etiam illis diebus abbas Ioachim libellum super Apocalypsim.

*Oblatione.

Cuius

Cuius ſcripta, quia miraculoſe factus eſt ſubito de ſimplici, & fere laico altilogus theologus, multum inter magnos recitabantur, & authentica habebantur. Sed quia videretur quaternitatem innuere, potius quam trinitatem, Eccleſia ſcripta ſua reprobauit. Cuius rei mẽtionem fecit papa Innocentius in cõcilio ab ipſo celebrato, & in principio ſuorum decretalium.

Obiit Ludouicus rex Francorum, Philippus amiciſſimus factus eſt regi Henrico.

ANNO gratiæ 1180. obiit piæ memoriæ Ludouicus, rex Francorum. 14. Kalend. Octobris, cui ſucceſſit filius eius Philippus. Moneta in Anglia renouatur. Obiit Iohannes Epiſcopus Ciceſtriæ. Rex Philippus Francorum ſuppoſuit diſpoſitioni regis Henrici, quaſi fidelis ſui, totum regnum ſuum, quia ipſum fideliſſimum, & prudentiſſimum regem ſciebat, & facti ſunt amiciſſimi, ſine aliqua mala ſuſpicione, & præteritorum recordatione, hæc charta teſtificante. Ego Philippus rex Francorum, &c. Ipſo quoque tempore, Richardus Comes Pictauienſis, famoſus etiam probitate militari, terras Galfridi de Luniaco crudeliter exterminans, vix Eccleſiarum pepercit ſanctitati. Conſummata vero ad votum guerra ſua, venit in Angliam, & à patre ſuo propter famam ſuam, quæ iam Ciſalpinas partes illuſtrauerat, honorifice nimis ſuſceptus eſt.

Obiit papa Alexander ſucceſſit Lucius presbyter Iohannes ſcripſit papa, & papa et.

ANNO gratiæ 1181. Rogerius Ebor. archiepiſcopus viam vniuerſæ carnis eſt ingreſſus. 12. Kalend. Decemb. Eodem tempore ſcripſit Papa Alexander Ioanni presbytero, regi Iudorum, Epiſtolam eleganter vt vnirentur, effecti per omnia concordes in fide catholica. Quod & idem Iohannes antea poſtulauerat per Epiſtolam ſuam, & per nuncium ſuum proprium, ſcilicet Philippum medicum. In quo arduo negotio, res finem fœlicem ſortita fuiſſet, niſi fama, imo potius infamia Romanæ auaritiæ totum mundum, vſque ad fines orbis terrarum maculaſſet, vnde refriguit prædicti principis deuotio, nolentis ſubiectionem deuotiſſimam ſubire Eccleſiæ Romanæ. Eodem anno, obiit papa Alexander, cui ſucceſſit Lucius. Venit rex de Normannia. Eclipſis ſolis facta eſt in vigilia exaltationis ſanctæ crucis hora tertia. Anno quoque eodem Baldewinus, Abbas Fordenſis, Ciſtercienſis ordinis, ſucceſſit Rogerio Epiſcopo ad Eccleſiã Wigorniẽſem, Obiit Comes Ceſtrię.

Henricus rex pro expiatione mortis ſancti Thomæ. 42. millia marcarum argenti, & quingẽtas marcas auri legat terræ ſanctæ.

ANNO gratiæ 1182. Dux Saxonum, cum Ducissa, venit in Normanniam. Galfridus Lincoln. electus, & regis Anglorum filius, cum eius electio eſſet à papa confirmata, poſtquam per ſeptennium eidem Eccleſiæ pacifice præfuiſſet, præſente rege & Epiſcopis regni, in Epiphania domini apud Marleburgum electioni renunciauit, nemine cõpellente. Eodem tempore rex Henricus apud Waltham, in præſentia procerum regni, ad ſubuentionem terræ ſanctæ. 42. millia marcarum argenti, & quingentas marcas auri liberaliter aſſignauit. Hoc enim pro morte beati Thomæ quã ſuper omnia pro ſeipſo, & poſteritate ſua formidauit, in confeſſione ſecreta irrefragabiliter promiſit. Eodemque anno, Walterus de Conſtantiis, archidiaconus Oxonienſis, conſecratus eſt Epiſcopus Lincoln. à Richardo Cantuar. archiepiſcopo, Andegauis, in Eccleſia ſancti Laudi. Galfridus filius regis, prior electus, qui ex ſuperbia generis, miniſterio Epiſcopali minime ſe dignatus eſt inclinare, ex tunc Deo, & hominibus extitit reprobus & deteſtabilis, iuxta ſententiam diuinam: Qui me erubeſcit coram hominibus. &c. Eodem anno, Walterus Roffenſis Epiſcopus, viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt.

Obiit iunior rex Henricus. Walterus de Conſtantiis in ſede collocatur.

ANNO gratiæ 1183. obiit delectabilis indolis, rex Henricus iunior, filius regis Henrici ſecundi, in die ſancti Barnabæ apoſtoli, qui primo Cenomanniis eſt ſepultus, deinde Rotomag. Walterus de Conſtantiis Epiſcopus Lincolnienſis in Angliam veniens, in ſede ſua collocatur. Eodem anno Girardus cognomento Puella, cõſecratus eſt Epiſcopus Couentrẽſis, qui cum ſancto Thoma martyre multos paſſus labores, per eiuſdem orationes, omnibus ſuperatis, digne ſedem aſcendit pontificalem.

Obiit Richardus Cantuarienſis archiepiſcopus. Saraceni Hiſpaniã inuadunt.

ANNO gratiæ 1184. obiit Richardus Cantuar. archiepiſcopus apud Hallingum, quæ eſt villa Roffenſis Epiſcopi. Obiit etiam Iocelinus Epiſcopus Sarum. Eodem anno, rex Henricus duxit in Agliam Ducem Saxoniæ cum familia ſua, & infra paucos dies Duciſſa apud Winton. peperit filium, quem vocauit Gulihelmũ. Eodem anno, Baldewinus Epiſcopus Wigorn. electus eſt in archiepiſcopũ Cãtuar. & Walterus Epiſcopus Lincoln.

electus est in archiepiscopum Rothomagensem. Eodem tempore, Philippus archiepiscopus Coloniæ, & Philippus Comes Flandriæ, venerunt in Angliam vota orationum beatõ Thomæ soluturi, crebrescentibus famosis miraculis in veneratione eiusdem. Perfecta magnatum peregrinatione, rex magnatibus ciuiliter occurrit, & duxit eos London. cum ipso per aliquot dies conuiuaturos. In quorum aduentu, præcepto regis, tota ciuitas splenduit mirabiliter variis ornamentis redimita. Anno quoque eodem, multitudo Saracenorum in partibus Hispaniæ Christianos hostiliter inuasura applicuit, Ducem ac regem habens maximum, regem Macemuth, & cum multa irrestaurabilia damna Christianis intulissent, rex miraculose à Deo, quasi vindice, percussus, horribiliter interiit, quo viso, omnes Dei inimici exterriti fugerunt. Regnauit autem diebus sub eisdem in Hierusalem Baldewinus, Almarici quõdam regis filius, qui elephantino morbo percussus, iam lumen amiserat oculorum. Conuocatis igitur regni proceribus, Guidonem de Liziniaco, Comitem Ioppensem, & Ascalonitanum, regni constituit procuratorem. Eodem tempore, Saladinus, Soldanus Damasci, subiugatis sibi omnibus regibus Saracenis, ex finibus fere totius Orientis, ita vt diceretur rex regum, & dominus dominantium, minabatur ore altisono, vt omnem sibi Christianitatem subiugaret, & ad hoc, quasi vir in bellicis negotiis expertissimus, multa machinamenta præparauerat. Mortuo itaq;, eo tempore, rege Hierosolymarũ, Baldevvino, regnauit pro eo Baldevvinus, puer 5. annorum, nepos eius, ex sorore sua Sybilla & Gulihelmo Marchione Montis ferrati genitus, qui statim coronatus in regẽ, Reimundo Comiti Tripolitano committitur nutriendus. Eodẽ anno, rex Henricus q̃ olim mente conceperat, totũ Hybernorũ dominiũ in Ioannem, minorẽ filium suum, effectum transferre procurat, qui cuncta terrę quoque illius homagia patris assensu dudum susceperat. Ioannem, Dublinensem archiepiscopum circa Kalen. Augusti, tanquam aduentũ filii, præcursorem in Hyberniam transmisit.

10 20

Patriarcha Hierusalem, & magister hospitalis veniunt in Angliam.

Anno gratiæ 1185. Eraclius patriarcha sanctæ Resurrectionis, & dominus Rogerius, magister hospitalis, venerunt ad regem Anglorum Henricum, apud Radingum. Qui cum sui itineris causam exposuissent, regem & omnes audientes pro terræ sanctæ inaudita desolatione ad lachrymas commouerunt. Deferebant etiam ad regem memorabilia suæ petitionis signa, natiuitatis Christi, passionis, resurrectionis, Turris Dauid, & sancti Sepulchri claues. Intimabant etiam lachrymabiliter Saladini propositum temerarium & prophanum, ostendentes insuper literas papales omnium istorum seriem, cum testimonio multiplici, continentes. Rex autem, inito consilio, respondit, quod oblatum sibi regnũ Hierosolymarum accipere & adire, & regnum Anglorum deserere, & hostibus vicinis exponere, non fuit, vt credidit, Deo acceptum, cum sit Deo tam gratum, tam deuotum hoc, vt illud. Patriarcha vero spe frustratus, ad propria remeauit. Quo cognito Saladinus fines Christianorum sibi conterminos miserabiliter cœpit deuastare. Obiit Lucius papa successit Vrbanus. Terræmotus factus est magnus apud Lincoln. 17. Kalen. Maii. Iohannes, iunior filius regis Henrici, factus est miles à patre, & in Hyberniam missus est. Baldewinus Wigorn. Episcopus, factus est Cantuar. archiepiscopus, Ioannes, præcentor Exonienſis, eiusdem Ecclesiæ electus est antistes. Circa eosdem dies obiit Baldewinus puer, rex Hierosolymarum, nec erat qui succederet tunc in regno propter Sybillam, sororem regis Baldevvini leprosi, & regis Baldevvini pueri matrem. Vnde maior creuit regni desolatio, & Saladini contra Christianos audacia.

30 40

Obiit Galfridus, Comes Britanniæ: Hugo Cartusianus monachus fit Episcopus Lincolniæ.

Anno gratiæ 1186. Baldewinus, Cantuar. archiepiscopus, pallium cum legatione in prouincia sibi subdita, ab Ecclesia Romana susceperat. Eodem anno, Gulihelmus de Veer in festo S. Laurentii, Herefordensis creatus est antistes. Eodem anno, Galfridus Comes Britanniæ, filius regis Angliæ, diem clausit extremum 14. Kalend. Septembr. & sepultus est Parisiis in Ecclesia beatæ Mariæ, infra chorum canonicorum. Reliquit autem duas filias, quas genuerat ex Constantia vxore sua, filia scilicet Conani comitis Britanniæ. Quæ etiam tempore, quo vir eius obiit, grauida fuit. Quę postea filium pariens Arthurum eum vocauit. Eodem anno, Hugo genere Burgũdus prior, Cartusiensis ordinis, vocatus est ad Episcopatum Lincolniæ. Gulihelmus de Northale consecratus est Episcopus Wigorn. & Iohannes, Exonienſis consecratus est antistes. Per idem tempus horribilia signa apparuerunt, terræ motus scilicet generalis, imago pueri Iesu, fracta sanguine manauit. Saladinus vehementius diatim terram sanctam depopulatur.

50

Terra

Terra sancta cedit exterminio. Crux sancta amittitur.

ANNO gratiæ 1187. Saladinus Parthos, Bedewinos, Turcas, Arabes, Medos, Cordinos conuocat & Ægyptios, quorum stipatus agminibus, nobilia iam castra inuadit & occupat, Magistrum militiæ templi, cum suorum fratrum exercitu, perimit. Iterum constituto alio templi præceptore, siue Magistro, & volenti fratres captos & cæsos, simul cum Guidone regni procuratore liberare: Comiti Tripolitano, & multis aliis nobilibus occurrit Saladinus intrepidus, quem cum nostri in ore gladii alacriter exceperunt, fit conflictus acerrimus, & pugnatum est vtrobique viriliter. Nostri tamen incaute inter præruptа, & scopulorum angustias intercepti sunt. Vnde licet laudabiliter decertassent, tamen prævaluit pars aduersa. Aiunt autem quod Comes Tripolitanus, corruptus muneribus, vexillum regium, quod infœliciter portauit, proditiose cadere permisit. In illo cõflictu captus est dominus Guido, vices regis gerens cum cruce sancta, & omnis multitudo Christianorum fugit miserabiliter dissipata, cuius maior pars cecidit trucidata. Facta est autem hæc misera belli congressio. 4. & 5. Nonarũ Iulii, infra octauas apostolorum Petri & Pauli. Euasit tamen ab hac clade Theodoricus, nouus magister templi, qui tamen ipsa die. 200. & 30. de fratribus suis præcellentioribus amisit. Comes Tripolitanus integer, & illæsus euasit, quare plus suspectus fuit. Capti sunt insuper cum cruce, eiusdem baiulatores Episcopus Aconensis & præcentor sepulchri dominici, iste cæsus, ille captus, & cito post in prælio pressus. Exinde Saladinus sumptis audaciæ cornibus, Achon inuasit, & cepit, deinde Galilæam, demũ sanctam ciuitatem Hierusalem. Eodem anno, mortuo papa Vrbano, successit Gregorius. Qui cum sedisset duobus mensibus, defunctus est, & Clemẽs tertius. 13. Kalend. Ianuar. subrogatur. Et tunc temporis Gilbertus London. Episcopus naturæ debitum persoluit, Eodemque anno, Richardus Comes Pictauiensis, cum audisset calamitatem terræ sanctæ, præcipue de cruce capta, animo nimis consternatus est, qui non expectata alicuius prædicatione, vel patris sui consilio, primus inter omnes proceres transmarinos signaculũ crucis deuote suscepit de manu archiepis. Turonẽsis, murmurans, & obiurgans, quod pater suus oblatum sanctum regnum ad defendendum abnuens, collũ suum de subiugo domini turpiter excussit. Ipso anno, mater Ecclesia Ciceestriæ, & tota ciuitas combusta est. 13, Kalendas Nouembris. Hugo quoq; de * Mihaute factus est Episcopus Cestriæ. Ciues captæ ciuitatis Hierusalem, pro vita tamem continuanda, Saladino cẽsum capitis persoluerunt, vir Bisancios. 10. mulier. 5. puer. 1. numerus. 14. mil. hominum. vtriusque sexus. Anno ipso, obiit Richardus Winton. Episcopus. 11. Kalend. Ianuarii. Et circa tempora illa, multi exemplo Richardi Comitis Pictauiensis, ad crucis signaculum, in vltionem tantæ iniuriæ crucifixi conuolarunt.

† *Minant.*

Cruce signantur, Imperator Fredericus, reges quoque Francorum & Anglorum.

ANNO gratiæ 1188. Fredericus Romanorum imperator, ad prædicationem Henrici Albanensis Episcopi & apostolicæ sedis legati, à papa Clemente ad hoc missi, crucem suscepit. Eodem anno, rex Francorum Philippus, & rex Anglorum Henricus, in Normãnia pro subuentione terræ sanctæ ad colloquium venientes, inter Tripam & Gysorsium, post longos tractatus, præsente Comite Flandriæ Philippo, in hoc pariter consenserunt, vt sumpto crucis signaculo, iter Hierosolymitanum socialiter expedirent. Rex igitur Anglorum primo crucem suscepit, de manibus archiepiscoporum Remensis, & Gulihelmi Tirensis. Deinde rex Francorum, & Philippus Comes Flandriæ, & alii multi Comites, & barones, & magnates quam plurimi, archiepiscopi & Episcopi, & populus, cuius non erat numerus. Circa dies illos Fredericus imperator scripsit Saladino Epistolam elegãtem, comminatoriam tamen & ipse contimilẽ nihil veritus rescripsit. Continebatur autem in Epistola diffidatio, & indictio belli. Anno ipso, Guido, rex Hierosolymorum, cũ apud Damascũ per annũ detentus fuisset in vinculis, in carcere Saladini, abiurans regnum Hierusalem, vix viuus dimissus est. Obiit eo tempore, Reimundus, Comes Tripolitanus, qui moriturus præ mentis alienatione, viaticum salutare non accepit. Rex vero solutus à vinculo, quasi à graui somno excitatus, Guido probissimus, sine quo nullus alius dissipati regni habenas assumpsit regendas, fracto turpi iuramento, resumpto spiritu, accingitur ad certamen, & quasi in tempestate valida, nauis iam pene submersæ assumens sibi gubernaculum, dispersos conuocat, & associatis sibi tẽplariis & hospitalariis, Venetis, Genuẽsibus, & qui iã venerũt, nobilibus, peregrinis, cũ spe bona aduentantiũ Achon obsedit, ad cuius liberationẽ Saladinus venit imperterritus properãter, & cũ acerrimus cõflictus per triduũ cõtinuaretur, ecce aspiciunt classem Danorum & Frisonum innumerabilẽ portũ sine offendiculo intrare, quo viso, statim Saladinus, vrbẽ relinquẽs desolatam, fugit. Erat tamen

robur ciuitatis, quasi inexpugnabile, & munitio virorum, ex parte Saladini, ad nouem millia armatorum. Eodem tempore, inimicus humani generis diabolus, huius magni negotii, iam strenue incepti, videns prosperitatem, & inuidens, seminauit discordiã: & guerram damnosam nimis, & hostilem generauit inter regem Francorum & Comitem Pictauensem Richardum, nec non, & regem Anglorum, vsque adeo, vt stragem & incendia ad inuicem exercerent, & iram & odium generaret. Tandem in Normanniam ad colloquium venientes, post multos tractatus viam pacis nõ inuenientes, magis, quam prius discordes, recesserunt. Iste Henricus genuit filios & filias, scilicet Gulihelmum qui puer obiit, Henricum Iuniorem regem, Richardum regem. Matildam Galfridum Alienoram Iohannam. Iohannam regem.

Comite Richardo adhærente regi Francorum, rex Henricus, tristitiæ absorptus, obiit.

ANNO gratię 1189. fames maxima, & mortalitas, genus humanum horribiliter coegit contabescere. Guerra aggrauata est inter reges Anglorum & Francorũ diatim, & iam ex toto corde cœpit Richardus, Comes Pictauensis, adhærere regi Francorum Philippo, contra patrem suum. Vnde magis amaricatur cor ipsius. Recesserunt etiam multi à rege Henrico, & adhæserunt Comiti Richardo, primi Britones. Clemens papa misit Ioannem de Agnania cardinalẽ, cum plena potestate ad lites regias & discordias dirimendas, q; aliquantulum, sed non ad plenum perfecit. Ad cumulũ miseriarũ contigit, q; * Saladinus, fœdere inito cum imperatore Constantinopolitano, tradidit omnes Ecclesias terrę sanctæ, quas suæ ditioni subiugauerat, ipsi imperatori & suis prælatis, vt in eis obseruarentur ritus Græcorũ. Insuper idẽ Saladinus misit Constantinopolim quosdam ritus suæ legis, ibi obseruandos. Richardus Comes Pictauen. in iram vehementiorẽ, ascendens, in patris contumeliã, regi Francorum homagium fecit. Circa dies illos Fredericus imperator, in festo sancti Georgii, loca dominicæ passionis visitaturus, peregrinationis iter arripuit satis magnifice apud Remisburgũ, transitũ per Hungariã & Bulgariam, vt proposuit, habiturus. Eodem anno, Galfridus Eliensis Episcopus 12. Kal. Septem. obiit intestatus. Eodem anno rex Anglorũ Henricus, in abyssum tristitiæ absorptus, maledicens diei, in qua natus fuerat & genituræ suę, apud Chinonem, pridie Nonas Iulii, diem clausit extremũ, & sepultus est apud fontem Ebraudi, postquam regnauerat, annis 34. mensibus 7. & diebus 5.

*Saladinus.

HAS terras habuit iste rex Henricus in manu propria scilicet, Andegauiæ & Cinomanniæ Comitatus ex successione patris, ex successioneq; matris Angliam, Hyberniam, & Normanniæ Ducatum. Ex parte vero vxoris Aquitanniæ Ducatum. Et notandum est quod Senescallus Franciæ, ad Andegauensem Comitatum pertinet, Hæc Treuetus.

Coronatio regis Richardi apud VVestmon.

IN magna mentis amaritudine mortuo, piissimo Henrico Anglorum rege, Richardus Comes Pictauensis, filius eius successit eidem in regno, & coronatus est apud Westmonasterium eodem anno, à Baldewino Cantuar. archiepiscopo, 3. Nonas Septembris præsentibus Waltero de Constantiis Rothomagensi, Ioanne Comin Dublinensi, & Treuerensium archiepiscopis. Nocte sequẽti, facta est strages Iudæorum London. Postea vero statim electi sunt in episcopos, Godefridus de Luci, in Wintõ. Richardus thesaurarius in London. Hubertus Walterus, in Saresburiensem Gulihelmus de Longo campo, in Eliensem Obiit quoq; Gulihelmus de Mandeuilla. Nonis Martii auditus est tonitruus, nimis horribilis. Eodem anno, cõmissum est bellum acerrimum inter Saladinum, & Christianos, in quo conflictu cruentissimo, ceciderunt filius Saladini cum suis aciebus, frater etiam eiusdem Saladini lethaliter vulneratus est. Septẽ quoq; acies infidelium dissipatæ sunt. Magister vero templi, & quãplures Christiani perempti sunt. Constantinopolitanus vero imperator versus in † arctum, non est adhuc ad cor reuersus. Eodem anno Kal. Nouemb. Godefridus de Luci Winton. & Hubertus Walterus Saresb. electi, apud Westmon. in capella sanctæ Catharinæ, per manus Baldevvini Cantuar. archiepiscopi, munus consecrationis susceperunt. Ioannes Agnaniæ Cardinalis mense Nouembri applicuit in Anglia apud Douerũ, per quem reformata est pax inter archiepiscopum & conuentũ, de capella de Haketuna. Sic diruta est capella. Rogerius prior qui contra voluntatem conuẽtus ab ãrchiepiscopo creatus, statim depositus est, & rex dedit, ad petitionem archiepiscopi, priori depositio abbatiam de Euesham. Tẽperata est postea sententia de capella prædicta, supplicãte archiepisc. quod facta parua, non habebit baptisterium, vel cœmiterium nec administrationem, nisi de vno seculari presbytero tantum. Rex Scotorum fecit homagium regi Richardo, de iure suo in Anglia. Et rex Richardus dedit ei castella

† arctum.

ſtella de Beruico, & de Rokesburgo. Et pro hac redẽptione caſtrorũ, & quieta clamatione fidelitatis, & ligantiæ de regno Scotiæ, & chartæ ſuæ confirmatione, dedit regi Anglorum. 10 millia marcarum argenti. Eodem tempore, rex Richardus dedit Iohãni, fratri ſuo, Comitatum de Somerſet/& de Dorſeto. Dedit etiam Alienoræ, matri ſuæ, dotem cõſuetã & præter hoc terras multas, & amplos honores, quintaq; die Decembr. tranſfretauit in Normanniam. Archiepiſcopus Baldevvinus ſuppoſuit interdicto terras Iohãnis Comitis, fratris regis, quia filiam Comitis Glouerniæ, tertio gradu conſanguinitatis eum contingẽtem, duxerat in vxorem. Eodemq; tempore, decima pars rerum mobilium conceſſa eſt, & collecta per Angliam, ad ſubuentionem terræ ſanctæ, nimis periclitantis. Illiſq; diebus prid. Kal. Ianuar. Richardus London. & Gulihelmus Elienſis, apud Lambeth. munus conſecrationis acceperunt, ab archiepiſcopo Baldevvino.

Richardus Dei gratia, rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ archiepiſcopis, Epiſcopis, abbatibus, Comitibus, & Baronibus, Iuſticiariis, & vicecomitibus, & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis totius Anglię ſalutem. Sciatis nos chariſſimo conſanguineo noſtro Gulihelmo, eadem gratia regi Scotorũ, reddidiſſe caſtella ſua Rokesburgum & Beruicum, tanquã eius propria, iure hæreditario ab eo & hęredibus ſuis imperpetuum poſſidenda. Præterea quietauimus ei omnes conuentiones & pactiones, quas bonę memorię pater noſter Henricus rex Angliæ, per nouas equietas, & per captionem ſuam extorſit, ita videlicet, vt nobis faciat integre & plenarie, quod rex Scotorũ Malcolmus, frater eius, anteceſſoribus noſtris de iure fecit, & de iure facere debuit, & nos faciamus ei quicquid anteceſſores noſtri prædicto Malcolmo de iure fecerunt, & facere debuerunt, ſcilicet in conductu veniendi ad curiam, & rediendi à curia, & in morãdo in curia, & in procurationibus, & in omnibus libertatibus & dignitatibus & honoribus, eidẽ iure debitis, ſecundum q; recognoſcetur à quatuor proceribus noſtris, ab ipſo Gulihelmo rege electis, & à quatuor proceribus illius à nobis electis, ſi autem fines ſiue Marchias regni Scotiæ aliquis noſtrorum hominum, poſtquam prędictus Gulihelmus rex à patre noſtro captus fuit, vſurpauerit abſq; iudicio, volumus vt integre reſtituantur, & ad eum ſtatũ reducantur, quo erant ante eius captionẽ, præterea de terris ſuis quas habet in Anglia, ſeu dominicis, ſeu feodis, ſcilicet in Comitatu Huntendune, & in omnibus aliis, & in ea libertate poſſidebat, & hæredes eius imperpetuũ, qua Malcolmus poſſedit, ſeu poſſidere debuit, niſi prædictus Malcolmus vel hæredes ſui aliquid poſtea infeodauerint, ita tamen q; ſi qua poſtea infeodata ſunt ipſorũ feodorum ſeruitia, ad eũ vel hæredes eius pertineant. Et ſi quid pater noſter prædicto Gulihelmo regi Scotiæ donauerit, ratũ & firmũ habere volumus. Reddimus etiam ei ligantias hominum ſuorum, & omnes chartas quas dominus rex pater noſter, de eo habuit per captionem ſuam, & ſi qua aliæ factæ per obliuionẽ retentæ aut inuentæ fuerint, eas penitus viribus carere præcipimus. Ipſe autem legius homo noſter deuenit de omnibus terris, de quibus anteceſſores ſui homines anteceſſorũ noſtrorum fuerunt, & fidelitatem iurauit nobis, & hæredibus noſtris. His teſtibus Baldevvino Cantuar. archiepiſcopo, & Waltero Rothomag. archiepiſcopo. &c.

Baldevvinus archiepiſc. Cantuar. celebrato concilio apud VVeſtmonaſterium iter arripuit Hieroſolymam.

Anno gratiæ 1190. Baldevvinus Cantuar. archiepiſcopus, celebrauit concilium apud Weſtmonaſterium 11. Kalend. Martii. Ibique valedicens fratribus, iter arripuit Hieroſolymitanum, nõ rediturus, quia obiit in terra ſancta. Rex Anglorum Richardus, & rex Francorum Philippus, poſt natiuitatem ſancti Iohannis, iter aggreſſi ſunt eundi Hieroſolymam. Gulihelmus Elienſis Epiſcopus legationem adeptus eſt, & concilium celebrauit apud Weſtmonaſterium. Obiit Walterus abbas de Weſtmon. & Gulihelmus Wigorn. Epiſc. Eodem anno, obiit Fredericus imperator Alemanniæ. Obierũt etiam Ranulphus de Glanuilla, & Baldevvinus Cãtuar. archiepiſcopus. Apud Ebor. facta eſt occiſio Iudęorum miſerabilis. Obſeſſa eſt Acon circumquaq; Chriſtianorum legionibus, & arctatur nimis. Capella ſancti Thomæ martyris, ibidem ædificatur. Elienſis Epiſcopus cõſtituitur per literas regis, ſummus iuſticiarius, & quaſi procurator Angliæ. Rex Arthurum ſibi hęredem conſtituit. Rex Richardus, & rex Francorum conueniunt apud Vizeliacum, vbi requieſcit corpus beatę Mariæ Magdalenæ, in octauis ſancti Iohannis Baptiſtæ, vbi rex Anglorum accepit peram, & baculum, in Eccleſia ſancti Dionyſii. Deinde reges concordes, & amici, & in ſancto charitatis vinculo confœderati, verſus mare transfretaturi profecti ſunt. Diuiſi autẽ ſunt exercitus propter victualiũ cariſtiã. Apud Meſſanã orta eſt diſcordia, inter reges Anglorũ & Francorum. Eodem die pax, ſed ficta, inter reges facta eſt,

quæ postea nunquam redintegrari potuit. Circa illos dies, annuente rege Richardo, liberata est Ecclesia Normannica a longo seruitutis iugo, quo premebatur, quod scilicet, nulla occasione, à secularibus capientur clerici potestatibus, sicut consueuerant, nisi pro homicidio, furto, incendio, vel huiusmodi enormi flagitio. Eliensis Episcopus, se supra se gerens, multum thesaurum in turri London. circumcingenda muro mirabili, quam etiam credebat Thamesi ambire, consumpsit, & regem de magna pecuniæ parte multipliciter damnificauit. Idcirco in fine à sublimi in profundum confusionis est præcipitatus.

Capta est Acon. Ciprus subiugatur regi Richardo. Obiit Clemens papa, successit Cœlestinus. 10

ANNO gratiæ 1191. rex Anglorũ Richardus, & Francorum rex Philippus profecti sunt à Messana ante dominicam palmarum, & post 11. Kalend. Maii, applicuit, rex Francorum ad Acon, & rex Anglorum 4. Nonarum Iunii. Acon autẽ capta est. 4. Idus Iulii, & ibi inter reges iterũ suscitata est discordia. Hoc etiam anno, Galfridus Ebor. archiepiscopus Turonis consecratus, in Angliam veniens, Doroberniæ applicuit. Qui comperiens sibi insidias parari à complicibus cancellarii, in ecclesia se recepit, qui deinde à satellitibus eiusdem cancellarii extractus, in castellum Doroberniæ ductus est, & per aliquot dies detentus, donec à Iohanne Comite, fratre suo, & iusticiariis terrę liberatus est. Circa idem tempus prædictus cancellarius, sublimitate, quam prius habuit, priuatus, Doroberniam venit, qui dolose transfretare cupiens, muliebri habitu se irreuerenter occultauit, quod quidam comperientes, eum deprehenderunt, & contumeliis merito affecerunt, & huius facti iusticiariis nunciauerunt, nec mora, postea transfretauit. Reginaldus Bathoniensis Episcopus, electus est in archiepiscopũ Cantuar. à monachis Ecclesiæ, sed in breui postea in fata decessit. Hoc etiam anno, Robertus filius Gulihelmi, filii Radulphi, seneschali Normanniæ, factus est Episcopus Wigorniæ. Obiit Clemens papa, cui successit Cœlestinus, à quo Hẽricus imperator coronatur in vigilia sancti Iohannis Baptistæ. Gulihelmus Postard de priore Westmõ. factus est abbas eiusdẽ loci. Hugo de Minaunt, Episcop⁹ Cestrię expulit monachos de Ecclesia Couentrensi, instituẽs ibidem clericos seculares. Rex Richardus Ciprum sibi subiugauit, vbi Berẽgariam, filiam regis Nauariæ Rothom. duxit in vxorem. Apud Glastoniam inuẽta sunt ossa Arthuri, regis famosissimi, qui locus olim insula Auallonis Britannice, id est, insula pomorum, dicebatur. Eodem anno, rex Richardus pro infinita pecunia reliquias sanctorum, quas Saladinus rapuerat in terra sancta, redemit vt haberet in cœlo intercessores quorum reliquias redemerat de manibus infidelium. In vigilia sancti Iohannis Baptistæ, die dominica, facta est eclipsis solis circa diei horam sextam, & perdurauit vsque ad octauam. Eodem tempore, facta est London. in capitulo sancti Pauli iuratio, de fidelitate obseruanda regi Richardo. Rex enim cancellarium habuit suspectum. Gulihelmus Rothom. archiepiscopus, constituitur per literas regis Richardi, summus Angliæ procurator, & dispositor, & electus est turpiter cancellarius.

Rex Richardus capitur à Duce Austria, & venditur imperatori.

ANNO gratiæ 1192. rex Richardus reuersus à terra sancta, à Duce Austriæ captus est in villa, quæ Gynaciam dicitur, in Austria, & Henrico imperatori traditus. Obiit Episcopus Wigorn. Sauaricus consecratur in Episcopum Bathon. Eodẽ anno, assumpti sunt calices, & thesauri Ecclesiarum, & quarta pars reddituum totius Angliæ, ad regis redemptionem. Rex Francorum venit Parisios de peregrinatione sua, vbi solenniter à clero & populo cum processione receptus est. Eodem anno, post Paschalem festiuitatem, Henricus imperator, in multis, regem Richardum accusauit. In primis, quod per eius auxilium & consilium, regnum Siciliæ & Apuliæ, quod sibi iure hæreditario debebatur, defuncto rege Gulihelmo, amiserit, pro quo adipiscẽdo exercitum per maximũ, data pecunia infinita, conduxerat, cum idem rex sibi auxilium fore præstiturum fideliter spopondisset, vt à Tancredo regnum illud obtineret. Deinde causatur de rege Cypri, qui ei affinitate cõiunctus fuerat, quod eum iniuste ab imperio eiecerat, & carcerali custodiæ deputauit, & terram eius cum thesauris violenter inuasit, & insulam cuidam alieno vendiderat. Postmodum vero ipsum accusauit de morte Marchisii de Monte Ferrato, hæredis sui, q. videlicet per eius proditionem ab Assessiuis peremptus sit, quos etiã miserat ad perimendũ dominum suum regem Franciæ, cui nullam etiam fidelitatem, vt debuerat, seruauit in communi eorũ peregrinatione, sicut iuramẽti sacramẽto inter vtrosq; fuerat confirmatum. Deinde conqueritur, quod signũ Ducis Austriæ cõsanguinei sui in terra sancta Deo militantis, ob eius contemptum in cloacam deiecerit, & Teutonicos suos verbis & factis

ctis dehonestauerat. Super his autem omnibus rex Richardus eleganter respondet, distincteq; & per ordinem, quod omnibus audientibus sufficienter videretur excusatus. Insuper misit imperialem legationem ad Veterem de Monte, rogans ipsum, & Assessiuos suos, vt per eius epistolam supra dicto crimine, ei impositio, suam purgarent innocentiam q; factum est anno sequenti. Serena in omnibus facta est fama regis, in omnibus accusationibus prætaxatis. Et ex tunc cœpit imperator mitius agere cum ipso, & taxata est redemptio eius ad centum quadraginta millia marcarum argenti ad pondus Coloniæ. Vnde calices Angliæ, & quarta pars reddituum, vt prætactum est, ad eiusdem regis liberationem cesserunt in alienam possessionem. Vnde Anglia ruinam incurrit, & damnum irrestaurabile. Sed pro redemptione tanti regis, leue fidelibus regni, & amicis regis videbatur. Comes vero Iohannes, frater regis Richardi, credens regem Richardum nunquam liberari, imo potius pecuniam totam redemptionis cũ redimendo ipso rege perdi, fœdus amicitiæ cum rege Francorum firmauit, in perniciem regis. Sciuit enim q; odio eum habuit, dispositoq; coronari, sed Anglorum virtute fuit præpeditus. Rex Frãcorum inuasit Normanniã, & castra eius violenter expugnata occupauit. Gisorsium tamen, sola proditione. Per idem tempus, rex Francorum filiam regis † Daniæ desponsauit, & statim repudiauit. † Dacia

Admonetur a papa imperator & Dux, vt dimittatur rex Richardus, sed frustra.

Anno gratiæ 1193. sufficienter purgata est fama super inuentis accusationibus, obiectis regi Richardo, lecta epistola, quam iam transmiserat Vetus de Monte imperatori & Duci Austriæ. Ammoniti sunt à domino papa, vt in pace dimitteretur rex Richardus, tam Dux quam imperator. Sed noluerunt vllo modo tam opimam prædam amittere. Per idem tempus mortuo Saladino, & sepulto in inferno, successit ei frater eius Safadinus. Rex Francorum expedienter guerram suam in Normannia continuauit. Videntes autem amici regis, & fideles regni, quod mora traheret periculum, redemptionem soluere maturabant, rege enim in angustia mentis posito, cui compaciebantur, Comes sibi regnum vsurpabat. Rex Francorum Normanniam occupare sibi conabatur. Vndiq; pericula imminebant. Rex Francorum reginam suam repudiatam custodiæ quasi carcerali mancipauit. Omnia cõmercia rerum venalium per totum regnum Angliæ, præcepto regis Richardi, constituta sunt vnius ponderis & mensuræ.

Liberatur rex Richardus. Redemptus venit in Angliam. Vadit ad sanctum Thomam.

Anno gratiæ 1194. rex Richardus, iam maxima parte suæ redemptionis persoluta, obsidibusq; datis pro parte persoluenda, die purificationis beatæ Mariæ ab omni custodia imperatoris, cui Dux Austriæ eum vendiderat, permissus est ad propria remeare. Rex autem, cum in Angliam venerat, beati Thomæ sepulchrum adoraturus adiit, postea ad sanctum Eadmundum, deinde ad sanctum Albanum Angliæ prothomartyrem, inde progrediens apud Notingham / omnes, quos Comes frater eius corruperat, edomuit. Castrum recepit, & cũ eis, quos cepit, misericorditer egit. Eodem anno omnes Ecclesiæ Angl. taxatæ sunt & carucatæ. Subactis igitur in breui omnibus aduersariis suis in Anglia, consilio procerum suorum, in octauis Paschæ, licet renitẽs apud Winton. coronam portauit, Huberto archiepiscopo missam celebrante, & Gulihelmo rege piissimo Scotorum præsente. Qui quidem rex Scotorum Gulihelmus, in die prædicta coronationis regis Richardi, vnum trium gladiorum de thesauro rege subtractorum, vt debitum seruitium, gerebat ante regem, Comites vero, Hamelinus de Warrenna à dextro latere regis Scotorũ, & Ranulphus Cestriæ à sinistro, duos alios gladios hinc inde gestabant. Deinde in festo sanctorum Nerei & Achillei, apud Portesmuthe / nauem ascendens, in Normanniam applicuit, & apud Bruis nocte illa quiescens, post laborem dormiuit, vbi Comes Iohannes, optimo vsus consilio, regi supplex occurrit, & se ad pedes eius humiliter cum militibus multis prosternens, miserationem fratris profusis lachrymis implorauit. At rex, in pace piissimus, prostratum lachrimans erexit, & in gratiam fraternitatis suscepit, & statim Vernolium ab obsidione liberauit, & totam patriam ab oppressione Francorum sedauit. Et statim post, fugato rege Francorum à finibus Turoniæ, quadrigas eius, & clitellas sub captione conclusit, sicque in Pictauiam subito transiens, omnes ibi aduersarios suos redire coegit, ita vt à castello Vernolii vsque ad Crucem Caroli non erat, qui ei resisteret. Circa hos dies, rex Francorum nuntios quatuor misit ad regem Anglorum verbis vtẽs pacificis in dolo, vt cessantibus vtrobiq; sumptibus, & laboribus inutilibus, sub certamine quinq; virorum, ab vtroque regno electorum, dirimerentur amborum quæstiones. Placuit prouisio ista regi Anglorum, dũmodo rex Francorũ quintus inter suos, & rex Angliæ quin-

tus inter ſuos in certamine appareret ,quod rex Francorum recuſauit.Eodem anno, Robertus Comes Leiceſt.à rege Francorum capitur.Henricus Mareſcallus, frater Walteri Mareſcalli ſenioris,ſit Epiſcopus Exon.Eodem anno,rex Richardus in angliam tranſiens ſtatuit per loca certa torneamenta fieri,vt Anglici,qui robuſti ſunt,ad bellumper excercitationem agiliores fierent. His etiam diebus Alexius quidam,Manuelis filius, innumerabili armatorum multitudine congregata, Curſak imperatorem Conſtantinopolitanum hoſtiliter aggreſſum cepit,& excœcauit, atque tandem ementulatum perpetuo carceri condemnauit,eiuſque imperium occupauit.

Dux Auſtriæ obijt excommunicatus.Rex de Marok Hiſpaniam inuadit.

ANNO gratiæ 1195.Hubertus Cantuar.archiepiſcopus, pridie kalend. Maii,ſuſcepit ſimul cum archiepiſcopatu legationem totius Angliæ,Wallię,&Scotiæ,&etiam Ebor. eccleſiæ. Prior hoſpitalis Hieruſalem, factus eſt epiſcopus de Bangor. 16 Kal. Maii. Eodem anno,Dux Aſtriæ,qui regẽ Richardum ceperat,Dei iudicio percuſſus, obiit excommunicatus,eo quod ſæpe ab eccleſia Romana admonitus, noluit regem Richardum liberum dimittere. Obierunt Hugo de Puſac Dunelm.& Henricus Wigorn. Meſſes præ nimia inundationũ abundantia perierunt.Imperator Henricus regnum Apulię& Sicilię ſibi ſubiugauit mortuo Tancredo, qui Gulihelmo regi iniuſte ſucceſſerat. Duxerat enim ſororem regis Gulihelmi, cui regnum illud, mortuo fratre,iuſtius ſucceſſerat.Eodem anno rex de Marrok erumpens in Hiſpaniam,ſtragem exercuit in Chriſtianos inopinatam.Eodemque anno,Garinus, abbas eccleſiæ ſancti Albani.3.kalend. Maii, diem clauſit extremum,cui ſucceſſit Iohannes, eiuſdem eccleſiæ monachus.13.kalen.Auguſti Tunc etiam temporis, admonitus eſt rex Francorum frequenter, vt reginam ſuam, modo quo deceret, tractaret. Admonuit etiam dominus papa Cæleſtinus,omnes Angliæ prælatos,ſuper promotione terræ ſanctæ, vt populis prædicantes,crucem fidelibus imponerent.

Pœnituit imperatorem Henricũ de redemptione accepta,ſed & non reſpicitur.

ANNO gratiæ 1196.Iohannes de Conſtantiis, Rothomagenſis decanus, conſecratur in epiſcopum Wigorn.13.Kalen. Nouembris,Gulihelmus filius Osberti,cognomento *A la barbe*, dum cauſam pauperum nitebatur defendere Londoniis, perimitur. Rex Anglorum Richardus,firmauit caſtellum nouum de Audeli contra voluntatem Walteri Rothomagenſis archiepiſcopi,& quoniam rex ſæpe admonitus noluit ab incepto deſiſtere,dictus archiepiſcopus Normanniam totam ſub interdicto concluſit,& ſic curiam Romanam adiit. Imperator Henricus de diuina vltione perterritus legauit capitulo Ciſtercienſium redemptionem regis Richardi,ad thuribula argentea facienda. Abbates vero illam ſub tali forma recipere noluerunt.Temporibus illis,quidam monachus de Euesham ductus in mentis exceſſum, vidit mirabilia,quæ ſpeciales exigerent tractatus. Philippus Pictauienſis conſecratur in epiſcopum Dunelmenſem.Obiit prædictus imperator, qui regem Richardum emptum vendidit,& idcirco vinculo anathematis obligatus,ſi clam pœnitentiam egerit,abſolutus neſcitur. Rex Anglorum Richardus fuit ad natale apud Pictauiam,&deinde,infeſto ſancti Hilarii conuenerunt ad colloquium Philip.rex Franc.&Richard.rex Angl.apud Louiers.vbi inter eos conuenit in hunc modum.Rex Franc. quietũ clamauit regi Richardo & hæredibus ſuis Iſſodum, cum pertinentiis ſuis,& ius totum, Ꝙ habuit in Berri,& Aluernia & Gauſconia,& redididit ei quiete caſtrum de Archis,&Comitatum de Albemaarle,& alia caſtella multa,quæ ocupaueratpoſt reditum ſuum de peregrinatione terræ ſanctæ.Et rex Anglorum,Richardus quietũ clamauit regi Francorum Gyzorſium,&totum Normannicum vigeſimum.Et hæc omnia vt rata haberentur', fideiuſſores adinuicem inuenerunt,&pœnam.15.millium marcarum ſtatuerunt.Proceſſu autem temporis,pœnituit regem Francorum tale feciſſe commercium.Cum rex Richardus hæc omnia prędicta in pace poſſideret, magnum cogens exercitum, fœdere regis Francorum rupto,Albemarlam obſidione vallauit. Quo facto,rex Anglorum pręcepit ſeiſiari in manu ſua omnes res&poſſeſſiones abbatum,de maiori monaſterio de Cluniaco,de ſãcto Dionyſio,&de Charitate,qui fideiuſſores erant regis Frãcorum ſuper pactione prædicta quæ talis fuit, quod ſi transgrederetur rex Francorum, ſoluerent ipſi prædictam pecuniam.Cepit interim rex Francorum caſtellum de Albemarla per inſultum,& ſubuertit illud,poſtea multa alia.Eodem anno, captus eſt quidam potens,regi Francorum familiariſſimus,Hugo de Caluo monte. Illis quoque diebus, Comes Iohannes, & Marchadius, non procul à ciuitate Beluacenſi,ceperunt Philippum eiuſdem ciuitatis epiſcopum,bene armatum,&Gulihelmum de Merlau,cum filio ſuo,cum multis aliis militibus, &plebe innumera,& veniens Marchadeus mane ante lectum regis Richardi, dixit idiomate Normannico.

mannico. *Sus Richard ſus, ie te aymene le Cantatur de Baluais.* Epiſcopus totus armatus preſentatus eſt regi Richardo, & ſic ex præcepto regis fuit Epiſcopus in carcere detentus in armis, pro quo cum dominus papa ſcriberet, vt liber dimitteretur, multum increpans regem Richardum, quod Epiſcopum filium ſuum chariſſimum ſic cepit, & detinuit, rex miſſa lorica Epiſcopi, in qua captus fuit, domino papæ ſcribenti pro filio ſuo, dixit in Epiſtola ſua, Vide pater ſi tunica filii tui ſit an non. Et deſinente papa petere amplius pro eo, per redemptionem poſtea liberatus eſt Epiſcopus.

Relaxatur interdictum in Normannia, Fulco prædicator claruit.

ANNO gratiæ 1197. rex Anglorum Richardus, pro ſententia interdicti relaxãnda, quam Rothomagenſis archiepiſcopus tulerat pro caſtello de Audeli, miſit ad Romanam curiam cancellarium ſuum, Gulihelmum Elienſem Epiſcopum, Dunelmenſem, & Luxonienſem Epiſcopos, vt cauſam ſuam defenderent contra archiepiſcopum. Gulihelmus vero Elienſis, obitus diem clauſit extremum verſus curiam, & ſepultus eſt in abbatia de Pymi, ordinis Ciſtercienſis 3. Kalend. Februarii. Socii autem eius Epiſcopi, Romã peruenientes concordiam inter regem & arhiepiſcopum ambobus indemnem procurarunt, quæ per chartam eſt confirmata. Tunc autem temporis intimatum eſt regi Richardo, quod naues ex Anglia conuenire conſueuerant ad ſanctum Valericum, deferentes inimicis victualia, cũ opus haberent, in ſuum magnum detrimentum. In cuius iniuriæ vltionem villam combuſſit, monachos diſperſit, ferretrumque ſancti Valerici cum reliquiis in Normanniam tranſuexit. In portu autem illo naues frumento onuſtas inuenit, quarũ nautas ſuſpendi præcepit, nauibuſque combuſtis, victualia ſuis militibus erogauit. ipſo quoq; tẽpore, munificentia regis Richardi multos de potentioribus Franciæ allexit præcipue, Comitem Flandriæ Baldewinum, Campanos, Britones, & multos nobiles Francigenarum, qui, relicto rege Francorum, regi Richardo adhæſerũt. illis quoque diebus, ſurrexit quidã alter propheta in Francia, prædicator efficaciſſimus, ſcilicet magiſter Fulco, pro quo dominus miracula manifeſte dignatus eſt operari. Iſte Fulco quadã die acceſſit ad regẽ Richardum Angliæ, & ait illi, dico tibi ex parte omnipotentis Dei, vt tres filias tuas, quas habes peſſimas, citius marites, ne aliquid deterius tibi contingat, cui fertur regem reſpõdiſſe, hypocrita mentitus es, quia filiam non habeo vllam. Ad quod Fulco, certe non mentior, quia vt dixi tres habes filias peſſimas, quarum vna eſt ſuperbia, altera cupiditas, tertia luxuria. Conuocatis igitur ad ſe Comitibus, & multis aliis, qui aderant, ait rex, audite vniuerſi cõmotionem huius hypocritæ, qui me dicit habere tres filias peſſimas, ſcilicet ſuperbiam, cupiditatem, & luxuriam, & præcepit vt eas maritem, do igitur ſuperbiam meam, ſuperbiæ templariorum, & cupiditatem meam monachis de ordine Ciſtercienſi, & luxuriam meam prælatis Eccleſiarum. Hic ſummopere conabatur vſuram extirpare, quæ, ab viris Italiæ iam deriuata, illis temporibus Franciam nimis maculauerat. Hic etiam Fulco, quendam religioſum, ac facundum prædicatorem miſit in Angliam, abbatem ſcilicet de Flai, ordinis Ciſtercienſis ad cõmertia, quæ dominicis diebus fieri tunc ſolebant deponẽda. Eo quoque tempore, Robertus de Salopesbirie conſecratus eſt in Epiſcopum de Bangor. Interea Comes Flãdrenſis, caſtellum de Arraz obſidione vallauit, quod cum rex Frãcorum liberare vellet, Comes ei aquæductibus adeo itinera intercluſit, quod neceſſario oportuit regem Francorum volũtati Comitis obtemperare. Menſuræ omnes & modii, legalis & vnius per regnum ponderis & menſuræ fiunt.

Otho coronatur in regem Alemannia honorifice.

ANNO gratiæ 1198. Otho, nepos regis Richardi, Aquiſgrani in regem Alemanniæ honorifice coronatur, procurante eodem rege Richardo, qui ſtatim filiam Ducis Louaniæ in vxorem ducens, in die coronationis ſuæ ſedit ſimul cum ea in cathedra ad menſam, ſed nondum coronata. Eodẽ anno, defuncto papa Cœleſtino, ſucceſſit Innocentius Tertius, in die cathedræ ſancti Petri papa conſecratus, & in Petri cathedra collocatus, vtinam Petri veſtigia ſecutus. Eius fauore exortum eſt in Italia nouum genus ordinis prædicatorum, qui Iacobitæ voluerunt appellari, quia vitam apoſtolicam videbantur imitari. Eodem tempore, Hugo * Ceſtrenſis Epiſcopus, in morte, mentis conpunctione, & de commiſſis pœnitentia ductus, apud Beccumherwpl in tranſmarinis partibus naturæ debitum perſoluit. Eodem anno, expulſis clericis, reuocatus eſt In locum debitum, & priſtinũ, conuentus Couentrenſis, dominica, qua cantatur lætare Hieruſalẽ. Euſtachius decanus Sarũ Epiſcopatus Elienſis munus & cõſecrationis ſuſcepit per manum Huberti Cãtuar. archiepiſcopi, apud Weſtmonaſteriũ, poſt quẽ & Galfrid' Ceſtrẽſis electus eſt. 11. kal. Iul. Quo tempore pluit ſanguis, ſuper ædificãtes turrim de Audeli. Circa dies illos orta eſt diſſenſio

* Couentrenſis.

inter

inter archiepiſcopum, & monachos Cantuar. propter Eccleſiam, quam idem archiepiſcopus apud Lambethe de nouo conſtruxerat. Timuerunt enim monachi, ne ſicut comminatum fuerat, archiepiſcopus ſedem illuc cathedralem transferret. Vnde Romam profecti, Innocentio papæ conqueſti, impetrarunt, vt archiepiſcopus à iuſticiaria deponeretur. Inde enim cornua ſumpſit & audaciam recalcitrandi. Non enim reuera decebat archiepiſcopum talibus implicare ſe negotiis ſecularibus, & cauſis, vbi periculum ſanguinis verſabatur, intereſſe. Amoto igitur archiepiſcopo per Eccleſiam Romanam à iuſticiaria, rex in loco eius Galfridum, filium Petri ſubrogauit. Illis quoque diebus, rex Francorum Philippus, & rex Anglorum Richardus congreſſi ſunt, inter Gaynes & Vernonem, in quo rex Francorum impotens ſuſtinere pondus belli, & ſui ſibi per fugam conſulentes, Vernonem pro refugio petierunt. Sed antequam poſſent ingredi caſtellum, rex Richardus illos inſecutus in ore gladii, cepit ex eis viginti milites, & ſeruientes 260.

Eodemq; tempore Richardus London. Epiſcopus debitũ naturæ perſoluit, Eiuſdemq; anni curriculo, rex Richardus, omnibus viribus congregatis, cepit per inſultũ tria caſtella ſuper regẽ Francorũ, ſcilicet Sirefontanum, Buriz & caſtrũ de Curceles, laudabili fultus Anglorũ auxilio. Rex vero Francorũ, aucto exercitu ſuo 400. militibus, & 1000, ſeruientibus, & cum cõmuniis ſuis de Mantua, & aliis locis, exiens profect⁹ eſt ad ſuccurrendum caſtro de Curceles, q; nondũ credidit eſſe captum, q; cũ ſciret rex Richardus, venit obuiã ei, & inter Curceles & Gyſorſium, acerrimum, & cruentũ nimis cõmiſſum eſt campeſtre prælium inter eos. Cuius prælii pondus rex Francorũ ferre non valens, coactus cũ ſuis ad Gyſorſium caſtellũ aufugit, & cũ fugiendo glomeratim pontẽ de Gyſorſio aſcendiſſent, confractus eſt pons præ multitudine tranſeuntiũ, & ipſe rex Francorum armatus, inſidens equo, ab alto in flumen de Ætho, cum aliis innumeris militibus cecidit, vbi rex aſcendens ab vnda rapida, & profunda, a limo extractus eſt, & vix à mortis diſcrimine liberatus. Pars autem poſterior exercitus fugientis, vt rex liberius à limo profundo extraheretur, reuerſa eſt contra regem Richardum, electiſſima ſcilicet pars gentis Francigenæ, quæ ſe periculo mortis, pro ereptione domini ſui, expoſuit. Ibi igitur prælio iam renouatum eſt cruentiſſimũ, ibiq; armorum tinnitus, & lancearum fragor perſonuit, tandem prequalente parte regis Richardi, capti ſunt tres electi milites regis Franciæ, ſcilicet Matthæus de monte Moretino, Alanus de * Ruſſi, & Fulco de * Gyreual, prẽter quos capti ſunt milites in ipſo conflictu nobiles centum, & ſeruientes, 200. pedites vero innumerabiles. Super hac autem glorioſa victoria, miſit rex Richardus epiſtolam conſolatoriam prælatis & amicis ſuis in Anglia commorantibus. Videns ergo rex Francorum vires regis Anglorum diatim excreſcere, ſupplicauit papæ, vt ipſe pacem procuraret. Papa igitur legatũ cum epiſtola ſpecialiſſima regi Anglorum Richardo deſtinauit, orans affectuoſe, vt precibus ſuis eſſet fauorabilis in pacis cõpoſitione. Rex igitur Richardus, qui promotionem Othonis nepotis ſui acceptauit, vt in regem Almannię coronaretur, ad quod, vt fauorem haberet domini Innocentii papæ & etiam ad promotionem imperialis dignitatis, adquieuit precibus ſupplicantis. Reges igitur in vnum conuenientes treugas tali pactione iurauerunt quinquennes, quod homines vtriuſque regis & mercatores, per terras alterutras ire & redire, emere & vendere poſſent ſine impedimento. Quo facto, rex Anglorum abbatem Ciſtercienſem & Reimundum monachum ſancti Albani, qui eodem tempore pro negotiis Eccleſiæ ſuæ ad regem tranſmiſſus fuerat ad curiam regis in Normanniam, Romam miſit, vt ibidem negotia prælocuta perducerent ad effectum, & ad hæc negotia perficienda cepit rex de vnaquaque carucata terræ totius Angliæ, 5. ſolidos de auxilio. Eodem anno, fuit tonitruus & coruſcatio, & pluuia, qualis nunquam antea videbatur. Euſtagius conſecratus eſt Epiſcopus Elienſis. Obiit Hugo Ceſtren. in habitu monachali apud Beccum. Obierunt Iohannes Wigornienſis, & Petrus de ſancto Dauid.

† *Buſci.*
† *Gilernal.*

Rex Richardus, ſpiculo baliſtæ ſauciatus, moritur, cui ſuccedit Iohannes frater eius.

Anno gratiæ 1199. Hubertus Cantuar. archiepiſcopus, Eccleſiam de Lambeth, quam Baldevvinus prædeceſſor ſuus in honorẽ beati Thomæ martyris fundauerat, & ipſe fere conſummauerat, procurantibus monachis Cantuar. in quorum detrimentũ fundabatur, authoritate ſummi pontificis ſic imperantis, ad ſui & multorum ignominiam cõplanauit. Eodem tempore ſtatutis, vt dictum eſt, treugis inter regem Richardũ & regem Francorum, rex Richardus in quoſdã barones Pictauię ſibi rebelles formidabile vexillũ direxit, & dum caſtrum Chalucis obſidione vallaſſet. 7. Kalen. Aprilis, quodam baliſtę ſpiculo vulneratus eſt, & vulnere male cuſtodito, cœpit mortis imminentis ſentire periculũ. Caſtrum tamẽ violenter occupauit, & authorẽ mortis liberum, pro amore Dei, abire permiſit.

misit. Moriturus igitur, corpus suum apud fontem Ebraudi, secus pedes patris sui, cuius proditorem se confitebatur, sepeliri iubens, Ecclesiæ Rothomagensi cor suum inexpugnabile, propter præcipuam dilectionem, quam aduersus Normānos gerebat, legauit. Apud castrum vero prædictum, viscera sua in Ecclesia recondi iubens, stercora sua Pictauiensibus, propter suæ proditionis notam, reliquit.

Coronatio regis Iohannis, fratris regis Richardi.

Iohannes igitur frater regis Richardi, iam defuncti, Comes Moretonii, in partibus transmarinis existens, pacem suam in Anglia nunciauit. Ducatum Normanniæ suscepit & homagia nobilium. Multi tamen magnates Arthuro, quasi naturali domino, adhæserunt. Et hoc fuit seminarium odii. Eodem anno, Gulihelmus genere Normannus, & Ecclesiæ sancti Pauli London. canonicus, apud Westmonasterium, per manus Huberti Cantuar. archiepiscopi, in episcopum London. consecratus est. 10. Kalend. Iunii. Per idem tempus, Dux Normanniæ Iohannes, in Angliam transfretauit. 8. Kalen. Iunii, & in crastino in vigilia ascensionis domini, London. venit, vbi congregatis Angliæ nobilib⁹, ab Huberto Cā-tuar. archiopiscopo apud Westmonasterium coronatus est, die ascensionis domini. Qui statim postea transfretauit cum maxima hominum multitudine. Timebat enim Arthurum, cui multi magnates adhæserunt, commorantem sub protectione regis Francorum. Præter enim regem, qui eum fouebat, adhæserunt ei magnates Andegauiæ, Cœnomanniæ & Turoniæ, quasi legitimo domino, dicentes consuetudinē, ius, & iudiciū esse, vt Arthurus, filius fratris senioris, in patrimonio sibi debito succedat, quod videlicet, Galfridus, pater eiusdem Arthuri, esset habiturus, si regem Richardum superuixisset. Ideirco Constantia mater Arthuri, ipsum regi Francorum commendauit custodiēdum, qui ipsum diligenter propter insidias, Parisiis educauit. Eodem tempore, cassata electione Philippi, Ducis Suauiæ & aliorum omnium, Otho rex Alemannorum, ab Innocentio papa, & Romanis omnibus electus est, & ad Romanum imperium admissus. Confirmata autē à domino papa electione, Philippus, qui factus est æmulus eius, Dux scilicet Suauiæ, excommunicatus est, & omnes eius fautores, nolentes ab Othonis persecutione desistere, & acclamatū est per totā vrbē: viuat Otho imperator. Illis quoq; diebus propter captionē fratris Petri de Duai, Cambracensis electi, interdicta est Francia.

Repudiata Hawysia, rex Iohannes duxit Isabellam, filiam Comitis Engolismi.

Anno gratiæ 1200. rex Iohannes Isabellam filiam Comitis Engolismi duxit in vxorem, & dominica proxima ante festum sancti Dyonisii consecrata est in reginam ab Huberto Cantuar. archiepiscopo, quia celebratum fuit diuortium, inter ipsum & Hawisiam, Comitis Glouerniæ filiam, eo quod contingebant se in tertio consanguinitatis gradu. Veruntamen Hugo, cognomento Brunus, ipsam Isabellam in suam susceperat vxorem. Eodem anno, obiit Gulihelmus Postard, Abbas Westmon. cui successit Radulphus de Arundel, obiit Hugo Lincolnienſis Episcopus Kalendis Decembris, qui vixit, in Episcopatu quatuordecim annis. Pax facta est inter Iohannem regem Angliæ & Philippum regem Francorum. Gylo de Brause, consecratur in Episcopum Herefordensem. 8. Kalendas Octobris, apud Westmonasterium. Ludouicus, filius Philippi regis Francorum, duxit in vxorem Blanchiam, filiam regis Hispaniæ, neptem regis Iohannis. Maugerius factus est Episcopus Wigorn. Iohannes de Grai, Norwicensis, & Ægidius vero Herefordensis. Eodem anno, ante natiuitatem dominicam apparuerunt de nocte quinque lunæ in cœlo, circa primam vigiliam noctis, prima in Aquilone, secunda in Meridie, tertia in Occidente, quarta in Oriente, quinta in medio illarum. Eodem tempore, claruit beatus Hugo, Lincolnienſis Episcopus, signis & virtutib⁹, quarum tamē manifestissima fuit, quod dum corpus eius à London. vsque Lincoln. portaretur, non erat hora, licet tempus aliquando procellosum fuerit, in qua in aliquo cereorum, qui circa feretrum portabantur, non esset ignis & lux accensa. Item, eodem tempore, fecit dominus miracula in cōspectu populi, prædicante abbate de Flay. de quo superius fecimus mentionem.

Rex Iohannes venit Parisios, & hospitabatur in palatio regis Francorum.

Anno gratiæ 1201. Innocentius papa cruce signatus mandat generaliter peregrinari. Rex Iohannes Anglorum celebrauit natale domini apud Guildenford, vbi multa militibus suis festiua distribuit indumenta. Hubertus vero Cantuar. archiepiscopus, quasi cū rege à pari contendens, eodem modo fecit apud Cantuar. vnde rex non minimam concepit indignationem. Deinde rex Cantuariam profectus, ibidem die Paschæ cum regina sua coronā portauit. Gulihelmus de Blegis, factus est Episcopus Lincolnienſis. Isto quoq; anno, sanctus Vlstanus, & sancta Modwenna crebris miraculis claruerunt. Innocentius

papa,

papa,cum ab ordine Ciſtercienſium pecuniam ad iter crucefignatorum violenter exigeret, a beata Maria eiuſdem ordinis aduocata nimis acriter correptus, ab hac quieuit exactione. Eodemque anno, celebrata apud Portesmue ſolennitate Pentecoſtes, rex cum regina ſua in craſtino naues aſcenderunt,& licet cum labore, in Normannia applicuerũt. Deinde ad colloquium conuenerunt reges prope inſulam de Audeli, & pacifice conuenit inter eoſdẽ, & poſt triduum rex Ioannes ad petitionem regis Francorum, venit Pariſios,& ibi in palatio regis hoſpitatus eſt,rege Francorum ſeſe alias recipiente. Hoc anno, horrendæ tempeſtates,& damnoſæ,terrores mortalibus incuſſerunt. Eodem anno Sirardus prior Norwic.obiit. Eodemq; tempore,ad inſtantiam Innocentii papæ, data eſt 40. pars reddituum omnium Eccleſiarum, in ſubſidium terræ ſanctæ contra Saracenos, qui tunc inualuerunt.Eodem anno obiit Hugo de Neuilla,qui leonem vicit,& interfecit.

Inimici facti ſunt iterum reges pro Arthuro.

Anno gratiæ 1202.rex Anglorum Iohannes, celebrauit natale domini, apud Argentomium in Normannia, & in quadrageſima ſequente, habitum eſt colloquium inter reges Franciæ & Anglię,vbi rex Francię contra regem Anglorum mortali armatus odio, præcepit indignanter,quatenus in continenti redderet Arthuro Comiti vniuerſas terras, quas tenebat, & iniuſte retinebat, ſcilicet Normanniam, Turonicam,Andegauiam, & Pictauiam, multaque alia exegit ab eo, quæ rex Anglorum ſe minime facturum reſpondit.Itaque cum colloquium ſucceſſus nõ haberet,die ſequenti, rex Francorum ſubito irruit in caſtellum de Butauant,cum impetu militari,& illud ſolo tenus ſubuertit, inde progrediens,caſtra & villas cepit hoſtiliter, & ſubuertit. Caſtellum vero de Radepondo per dies octo obſedit. Sed rege Anglorum ſuperueniente, confuſus receſſit,& ad Gurnaum conuertens,poſt dies paucos villam intrauit, & eam ſibi ſubiugauit. Reuerſuſq; Pariſios, Arthurum ſub tutoribus deputauit,tradens ei milites 200. de regno Francorum electos, vt irent in Pictauiam,&illam ſibi ſubiugarent.Qui audientes quod regina Alienora apud Mirabellum commoraretur,caſtrum illud obſidione vallauerunt,& illud ad deditionem compulerunt, tantum turri reſiſtente, in qua regina ſe receperat cum paucis armatis. Obſidione igitur per girum facta, venerunt ibi in auxilium Arthuri omnes Pictauiæ primates,ſcilicet Comes de Marchia,Hugo,cognomento Brunus, qui regi Anglorũ publicus fuit inimicus,propter Iſabellam reginam,quam idem Comes per verba de præſenti,in ſuam receperat,antequam regi Anglorum deſponſaretur,& ſic grandem exercitum confecerunt,& turrim inſtanter crebris aſſultibus infeſtauerunt. Regina in arcto poſita, regi Ioanni hoc ſignificauit, in Normannia tunc commoranti, rogans celerem ſuccurſum & efficacem.Quo audito,rex Iohannes cum maxima feſtinatione ad Mirabellum caſtrum in manu potentiſſima peruolauit,cui Francigenæ audacter, cum Pictauienſibus obuiantes,conflictum inimiciſſimum inchoarunt. Sed Franci repulſi,caſtrũ intrare coacti ſunt, & inſequens rex in caſtro pugnam cruentiſſimam continuauit,&laudabili Anglorum adiutus robore, victoria gaudebat deſiderata. Capti ſunt igitur ibidem de regno Francorum milites,200. & cum ipſo Arthuro omnes nobiles Pictauienſes, & Andegauenſes, ita quod nec vnus euaſit.Quos ſtatim miſit in Angliam & in Normanniam, vinculis mancipatos:Arthurum apud Faleſiam miſit, diligenter cuſtodiendum. Rex vero Francorum, qui turrim de Archis acriter obſeſſam impugnauit,incluſis viriliter reſiſtẽtibus, cum hos rumores audiſſet,confuſus ab obſidione receſſit.Rex igitur Iohannes, iubens Arthurum ante ſe adduci,ſciſcitabatur ab eo,ſi vellet ipſi,quaſi auunculo & domino, in bono amore & pace adhærere,cui procaciter & ſuperbe reſpondet,exigens tam regnum Angliæ quam alias terras ſuas.Rex eundem Arthurum duci præcepit apud Rothomagum feſtinanter, & ſub cuſtodia arctiſſima diligenter cuſtodiri,vbi cito poſt euanuit.Eodem anno, rex Iohannes,veniens in Angliam,apud Cantuar.coronatus eſt per manum Huberti Cantuar. archiepiſcopi 18.Kalend.Maii,& ilico in Normanniam transfretauit, quo cum peruenisſet,increbuit opinio per totum regnum Francorum de morte Arthuri,& per omnes nationes tranſmarinas,adeo quidem,quod rex Iohannes ſuſpectus habebatur ab omnibus, quaſi illum manu propria peremiſſet: Vnde multi animos a rege ſemper deinceps auertentes,ipſum vſque ad mortem perſecuti ſunt odio inexorabili. Ipſeque rex Francorum, ipſum regem Iohannem proditionis appellauit(ſuper quo à baronibus apud regem Franciæ,cuius Vaſallus erat,quum comparere nollet poſt multas citationes, per iudicium parium exhæredatus eſt) & poſtea manifeſte accuſatum infamauit.Eodem anno obiit Gulihelmus de Stuteuil.& Gulihelmus de Oxon.prior de Suthwerk. Cui ſucceſſit Richardus de ſancta Ætheldreda.

Rex

Rex francorum cœpit nobilia castra Normanniæ, torpente rege Iohanne

ANNO gratiæ. 1203. Iohannes rex Anglorum celebrauit natale domini apud Cadomum in Normannia, vbi postpositis curis bellicis, horas nocturnas in poculis expendit, & nos somnos matutinales vsq; ad prandia protrahendo, tumores portantibus, quod rex Francorum non domitando pigritauit, imo quotidie, nunc hoc nunc illud castrum sibi occupauit, respondit cachinnando, q; vna die omnia amissa recuperaret. Hugo de Gurnai, videns desidiam regis torpentis incorrigibilẽ, reddidit regi Frãcorum castellum de Monte forti, & tandem omnibus à rege deside recedentibus, amissum est Rothomagum. Videns tandem rex Iohannes, effœminatus & fluens in libidinem, defectum suum, & se omni militari subsidio, & refugio in Normannia destitutum, naues celeriter conscendens apud Portesmue in Anglia applicuit, & suos desæuiens, occasiones cauillatorias fingens, quod in partibus transmarinis eum destitutum militia deseruerunt, extorsit ab eis infinitam pecuniam. Eodem anno, magister Gulihelmus de Bleis, ecclesiæ Lincoln. præcentor, & canonicus eiusdem ecclesiæ, episcopus est consecratus die sancti Bartholomæi, apud Westmonasterium, à Gulihelmo London. episcopo, archiepiscopo Cantuar. graui infirmitate detento. Eodem tempore, oleum cœpit emanare miraculose à quadam imagine beatæ Mariæ de Sardenai, non longe à ciuitate Damasci, quod miraculum etiam multos Saracenos ad fidem catholicã vocauit, & multis languidis contulit sospitatem. Soldanus etiam quidam, scilicet Damascenorum, penitus cœcus effectus, inuocato beatæ virginis Mariæ auxilio, infusione olei illius, visus sui claritatẽ susc epit. Qui sexaginta metretas olei annui reditus dedit, ad lumen inueniendum ante altare beatæ virginis, vt lumen redderet pro lumine, & quia primum ex quo lumen recepit, lampadem vidit lumine coruscantem, & ex illo tempore, scilicet ad natale sequens, cœpit vberius oleum à præ dicta imagine stillatim eliquare, & oleum illud in anno consequenti in carnem solidari.

Clarescit miraculum de oleo imaginis sanctæ Mariæ de Sardenai.

ANNO gratię. 1204. rex Iohannes natale domini celebrauit apud Cantuar. Huberto archiepiscopo illi necessaria ministrante. Deinde in crastino circumcisionis conuenerunt ad colloquium apud Oxon. rex, & magnates Angliæ, vbi concessa sunt regi auxiliaria militaria, de quolibet scuto duæ marcæ & dimidia, nec etiam episcopi, vel abbates, siue ecclesiæ personæ, sine promissione recesserunt. Eodem anno, miraculis crebescentibus de oleo emanante de imagine beatæ Mariæ de Sardenai, vnde prædictum est, in carnem solidato, & exinde Soldano Damascenorum curato, fama celebris in Oriente fidem catholicam solidauit. Illis quoq; diebus, obsesso castro de Rupe Audeliaci fere per annum, nec sæpe petitum à rege Iohanne venit obsessis auxilium, Rogerius, Cestrensis constabularius, qui inter obsessos præcipuus habebatur, vir audacissimus, & armipotens, cœpit victualibus deficientibus, fame contabescere, similiter & alii milites præclari. Qui cum eõ perissent effœminati reguli Ioannis desidiam fallacem, maluerunt armis detruncari, quã fame turpiter interire. Irruperunt de castro, & se in medios hostes dederunt, equos optimos incidentes, & hinc inde hostibus, ensibus fulminantibus trucidatis, multos Francorum peremerunt. Tandem irruente conglobata militum multitudine, capti sunt, multa cæde cruentati, & sic cessit castrum de Rupe Audeliaci in regis Francorum potestatem pridie Nonas Martii. Quod videntes alii castrorum & ciuitatum custodes ex parte regis Ioannis in Normannia, significarunt ei in qua angustia essent constituti, & nisi celerius & efficacius haberent auxliũ, se ad regem Francorum, vellent, nollent, transituros. Quibus respondit. consulat sibi quilibet sicut sibi viderit melius expedire. Interim fluxit rex Iohannes miser, sed nulli miserabilis, in deliciis gulæ & luxuriæ, cum petulante regina sua, in cuius iacens gremio, omnia credebat cum ipsa possidere, confidens de pecunia, quam se iurauit ab Anglia extorsurum. Eodemque anno, Kal. Aprilis, in prima noctis vigilia, tantus rubor apparuit in cœlo versus Orientem & Aquilonẽ, vt videretur succendi firmamẽtum, in quo tamen rubore vehementissimo, stellæ, quod terribilius & mirabilius fuit, micantes apparuerunt. Durauit autem hæc visio, vsq; ad noctis medium. Eodem tempore, Godefridus Winton. episcopus, diem clausit extremum, cui successit Petrus de Rupibus qui procurante rege Iohanne, Romam profectus est, vbi xeniis liberaliter collatis ad summum Winton. ecclesiæ meruit prouehi sacerdotium, & ibidem consecrari. Eodẽ etiam anno, fuit vltimum Pascha pie sancti Marci Euangelistæ. Hoc etiam anno, facta est eclipsis lunæ, post mediam noctem, per longum tempus. 16. Kal. Maii. Adquisito castro de Rupe Audeliaci, rex Francorum cito cepit Vallem Rodali, & alia multa. Rothomagumque, quę pro pecunia non modica data induciis à rege Francorum ei concessis, adhuc pendebat,

licet parum ante hoc, quidam ipſam ciuitatem ipſi certiſſime promitterent, penitus in regis Francorum ceſſit ditionem circa omnium ſanctorum feſtiuitatem. quod audiens rex Ioannes, cachinnando cõminabatur, iurans per pedes Dei, quod ſterlingi Anglorum omnia reſtaurarent. Simon de Welles factus eſt epiſcopus Ceſtren. Baldewinus, Comes Flandriæ, factus eſt imperator Conſtantinopolitanus. Obiit Alienora regina Angliæ. Abbatia Belli loci regis, fundatur à rege Ioanne.

De errore monachorum Cantuar. ſuper electione archiepiſcopi.

Anno gratię. 1205. rediit à partibus tranſmarinis Petrus de Rupibus, natione Pictauienſis, in negotiis plus bellicis quam ſcholaſticis expeditus, à domino papa Innocentio. 7. Kalend. Octobr. conſecratus. Obiit Hubertus Cantuar. archiepiſcopus. 3. * Kal. Iulii, & Sauaricus Bathon. epiſcopus. 6. idus auguſti. Monachi vero Cantuar. timentes ne rex more ſuo electionem ſuam impediret, rege non inquiſito, Reginaldum ſuppriorem ſuum in archiepiſcopum elegerunt, & de nocte media, hymno, Te Deum laudamus, cantato, prius ſuper maius altare ac deinde in archiepiſcopali cathedra poſuerunt, quod clam ideo factum eſt, quia verebantur monachi, quod ſi electio, ſine regis conſenſu facta, ipſi regi innoteſceret, proceſſum negotii iratus impediret. Vnde nocte eadem, idem ſupprior præſtita cautione iuratoria, quod ſine licentia & literis conuentus ſpecialibus, ſe electum non gereret, vel literas conuentus de rato, quas habebat, alicui promulgaret, aſſumptis ſecum de cõuentu quibuſdam monachis curiam Romanam adeunt, quod factum eſt, vt electio regem lateret, donec probarent, ſi rem inchoatam perducere poſſent ad effectũ, regis ſuper omnia timentes cauillationes. Sed electus præfatus ſtatim, vt in Flandriam applicuiſſet, oblitus, quod fecerat, iuramenti, ſe Cantuar. electũ clara voce fatebatur, & propter hoc ſe Romanã curiam adire, vt ibi electio confirmaretur, & hoc fecit conſilio ſecum exiſtentium, credentium hoc prodeſſe cauſæ ſuæ. Inſuper literas ſuas omnibus oſtendit manifeſtas. Tandem Romam perueniens, electionem ſuam domino papæ, & eius cardinalibus illico publicauit, literas ſuas de rato palam omnibus oſtendens, conſtanterque à domino papa exegit. Papa vero reſpondit, & dixit ſe velle deliberare & expectare, donec ſuper hoc plenius certificaretur. Monachi vero hæc audientes, qui Cantuar. erant, de ſupprioré, quod violato ſcilicet iuramento ſecreta eorũ impudenter detexerat, irati nimis, continuo quoſdam de conuentu monachos ad regem miſerunt requirentes ab eo licentiam eligendi. Quibus rex annuit, & ſecretius eos alloquens, oſtendit eis epiſcopum Norwicenſem ſibi magna familiaritate coniunctum fore, &, vt ipſum in archiepiſcopum eligerent, imperium, promiſſa, preces, confundit in vnum. Conuenientes igitur in capitulũ, Ioannem De Grai, epiſcopum Norwicenſem in archiepiſcopum elegerunt, qui tunc pro negotiis regis apud Ebor erat. Vocatus igitur, venit ad regà feſtinanter, ſimulq; cum ipſo venit rex pompoſe nimis Cantuar. Prior vero Cantuar. in præſentia regis, & totius popularis multitudinis, in ipſa metropolitana eccleſia, electionem factam ſolenniter & rite de Ioanne de Grai palam pronunciauit, & aſſumentes eum monachi, cum hymno, Te Deum laudamus, ad maius altare portauerunt, tandem in cathedra archiepiſcopali collocantes. Quo facto, rex, videntibus cunctis, miſit electum illum in poſſeſſionem rerum omnium ad archiepiſcopatum pertinentium. Sicque in hac duplici electione, factus eſt nouiſſimus error, peior priore, quod fuit ſeminarium multarum in Anglia tribulationum & ſcandalorum, quæ nunquam poſtea ſedabantur penitus extirpata. Hoc anno confirmatus eſt ordo prædicatorum.

Nobile caſtrum Montis Albani à Iohanne rege capitur.

Anno gratiæ. 1206. rex Iohannes celebrauit diem dominicæ natiuitatis apud Oxoniam, quo etiam tempore, idem rex miſit ad curiam Romanam quoſdam Cantuar. eccleſiæ monachos, inter quos præcipuus erat magiſter Elias de Brandefeld, quib. de fiſco rex expenſas miniſtrauit copioſas, vt electionẽ de epiſcopo Norwic. factam impetrarent à domino papa confirmari. Miſerunt etiam eodem tempore epiſcopi, Cantuar. eccleſiæ ſuffraganei, procuratores ad curiam, grauem coram papa querimoniam reponentes, quod monachi Cantuar. ſine illis electionẽ de archiepiſcopo temere celebrare præſumpſiſſent, cũ ipſi vna cũ ipſis, de iure communi, & conſuetudine antiqua, electioni intereſſe debuiſſent. Allegarunt etiam procuratores memorati, ſuper præmiſſis, decreta, & exẽpla, quoſdam teſtes producentes, & literas teſtimoniales exhibentes, quibus oſtendere nitebantur, quod ipſi ſuffraganei, vna cum monachis, tres metropolitanos elegerant. Monachi vero é contrario aſſerebant, quod priuilegio ſpeciali Romanorum pontificũ, & de cõſuetudine approbata & antiqua, ſine ipſis electos facere conſueuerant, quod etiam per teſtes idoneos

neos docere promiserunt. Auditis, hinc inde allegationibus, testibusq; admissis, diligenter que examinatis præfixus est dies à domino Papa partibus. 12. Kal. Ianuarii, ad pronunciandum, vt tunc venirēt, quod ius dictauerit, reportaturi. Tandem super hoc data est sententia definitiua à domino Papa Innocentio pro monachis, & priuilegialiter in perpetuum confirmata. Eodem anno, rex Iohannes transfretans grandem exercitum secum ducens. 6. Idus Iulii applicuit ad Rupellam, cui obuiantes incolæ partium illarum, gaudentes adhæserunt ei. Securius igitur inde progrediens ad Montem Albani, castellū nobilissim, in quo tota militaris nobilitas illius regionis, & præcipue regis Francorū tenebatur inclusa, peruenit. Illudque protinus cuneis militaribus circumcinxit, acerrimo assaltu & continuo illud inquietans. Anglorumque vigilanti probitate captum est illud castellum inexpugnabile, quod septenni obsidione Carolus Magnus non posset sibi subiicere, vt gesta scribentes asseuerant. Captum autem est castrum die sancti Petri ad vincula. 15. die postquam rex Iohannes illuc aduenerat. Eodem anno Iohannes Ferentinus, apostolicæ sedis legatus, veniens in Angliam, eamque perlustrans, magnam pecuniæ summam abrasit, & tandem, ne nil aliud egisse videretur, apud Radingum in crastino sancti Lucæ Euangelistæ concilium celebrauit. Quo peracto, clitellis refertis, & sarcinulis caute amotis, repatriauit. Eodem tempore, viri religiosi & discreti, ac solennes de partibus transmarinis, inter reges pro pace reformanda discurrentes solicite, in festo omnium sanctorum biennales inducias impetrarunt. Rex Iohannes reuersus in Angliam apud Portesmue applicuit, pridie idus Decembris, quo etiam anno, Gulihelmus Lincoln. episcopus, viam vniuersæ carnis est ingressus. Iocelinus Wellensis, creatus est episcopus Bathon. & per ministerium Gulihelmi London. episcopi, munus consecrationis suscepit. Obiit Henricus Marescallus, episcopus Exon. cui successit Simon de Apulia, decanus Ebor. Ipso anno, obiit regina Francorum, mater regis Philippi. Eodemque anno, vir quidam simplex, & rectus in episcopatu Lincoln. degēs, vidit visiones mirabiles, ductus per sanctum Iulianum, quæ tractatus exigerent speciales.

Otho imperator venit in Angliam, Minorum incipit ordo.

Anno gratiæ. 1207. rex Iohannes natale domini celebrauit apud Wintoniam, præsentibus regni magnatibus. Deinde in purificatione beatæ Mariæ, tantum de rapina cogitans, & ponens spem & brachium in pecuniæ thesauris, cœpit per totam Angliam tertiam decimam partem ex omnibus mobilibus, & rebus aliis, tam de laicis, quam vitis aliis ecclesiasticis, & prælatis, cunctis murmurantibus, & contradicere non audentibus, imprecantibus tamen, & optantib. vt talis rapina nequaquā bonos euentus sortiretur. Quæ oratio à domino est audita, sicut sequens narratio declarabit. Solus Gaufridus archiepiscopus Ebor. non consentiens, sed plane contradicēs, clanculo recessit ab Anglia, & in recessu suo, omnes, specialiter in archiepiscopatu suo, hanc rapinam facientes, & in genere vniuersos ecclesiæ, siue rerum ecclesiasticarum inuasores, anathematis sententia innodauit. Eadem tēpestate, circa medium noctis, ventus vehemens repentinus superueniens ędificia diruit, arbores prostrauit, hæc funditus, illa radicitus, greges ouium, & boum armenta exaggeratis * millibus sexto Kalend. Febr, coegit interire. Eodem anno imperator Otho venit in Angliam, in cuius aduentu tota ciuitas London. induit solennitatem, palliis, & ornamentis aliis circumornata. Et habito colloquio cum rege auunculo suo, rediit in terram suam clitellis suis repletis. 5000. marcarum argenti. Sub his diebus prædicatores, qui appellati sunt Minores, fauente Papa Innocentio emergentes, terram repleuerunt, habitantes in vrbibus & ciuitatibus, deni & septeni, nihil omnino possidentes, de Euangelio viuentes, in victu & vestitu verā ac spontaneā paupertatem prætendentes, nudis pedibus incedentes, cincti funiculis nodosis, maximū humilitatis exemplū omnib. prębuerunt. Multis tamen prę latorum timorē magnum incusserunt, quia illorum prędicationibus, & confessionibus clandestinis primo, deinde manifestis receptionibus, illorum autoritatem inceperunt eneruare. Eodem tempore, decertantibus partibus pro duplici electione monachorum Cantuariensiū, videns dominus Papa eos non posse consentire in vnum vel alium electum, cassauit vtrumq; consulens & persuadens diligenter, vt eligerent magistrum Stephanum de Langtona, natione Anglicum, virum profundi pectoris, elegantem corpore, moribus præelectum, aptum & sufficientem, in quantum hominis est, vniuersalem ecclesiam gubernandi, asserens ipsius promotionem tam ipsi regi quam vniuersæ ecclesiæ Anglicanæ plurimum profecturam. Monachi vero ad hæc respondentes, asserebant sibi nō licere præter consensum regium, & sui cōuentus, canonicam electionem celebrare. Et Papa quasi rapiens verbum ex ore ipsorum, dixit. Sciatis quod vos plenariā habetis potestatem

tem in ecclesia Cantuar. qui potiores eligemini de conuentu, nec etiam super electionibus apud sedem apostolicam celebratis, solet assensus principum expectari. Vnde vobis, qui tot, & tales estis, quod plene sufficitis ad istam electionem, in virtute obedientiæ, & sub pœna anathematis præcipimus, vt illum in archiepiscopum eligatis, quem nos damus vobis in pastorem animarum vestrarum. Monachi vero in arcto constituti, excommunicationis sententiam metuentes, licet inuiti & cum murmure, assensum talem qualem præbuerunt. Solus tamē ex omnibus magister Helias de Brantefeld, qui pro parte regis & episcopi Norwic. aduenerat, noluit consentire. Cæteri autē omnes cum hymno, Te Deum laudamus, electum memoratum ad altare detulerunt. Qui deinde 15. Kal. Iulii, in ciuitate Viterbii, ab ipso papa, munus consecrationis suscepit. His ita gestis, papa regi Anglorum Ioanni, elegantissimam, sicut monachis promiserat, epistolam direxit, vt ipse, natione Anglicum, scientia & moribus incomparabilem magistrum Stephanum de Langtona, rite electum, & iam consecratum susciperet in Cantuar. archiepiscopum. Hæc autem postquam ad notitiā regis Ioannis peruenerunt, præcepit, vt omnes monachi, quasi rei læsæ maiestatis, à monasterio Cantuar. eiicerentur, & eiecti à terra sua violenter expellerentur. Circa illos dies obiit Simon, Ciceſtrensis episcopus. Eiectis monachis Cantuar. die sancti Swithuni, & bonis eorum confiscatis. Eodemq; anno die sancti Remigii, Isabella regina Anglorum peperit Ioanni regi primogenitum filium, & vocatus est nomine aui sui Henricus.

Interdicitur tota Anglia & Wallia.

Anno gratiæ. 1208. rex Ioannes celebrauit natale domini apud Windesoram, ac deinde sol passus est eclipsim imminente Martio. Tota Anglia & Wallia generali interdicto, nullo tuente priuilegio, subiiciuntur in vigilia Annunciationis beatæ Mariæ, executoribus huius rei existentibus, Gulihelmo Mondon. Eadwar. Elien. Maugerio Wigorn. episcopis. Philippus Dunelmen. & Galfridus de Muschamp. Ceſtren. & Gulihel. de Warenna obierunt. Eodem anno Isabella regina peperit regi Ioanni filiū, qui vocatus est Richardus, ita quod completo tempore puerperii natus est in vigilia epiphaniæ, anno proximo sequenti, & hic casus multas facit in historiis contradictiones. Ceſtrensi vero episcopo, succesſit Gulihel. de Cornehull archidiaconus Huntend. Dunelmensi, Richar. de Mariſco Philip. Dux Suauiæ, qui contra Othonem de imperio contendebat, occiditur. Rex omnia bona clericorum ob causam interdicti præcepit confiscari. Albi monachi in principio interdicti cessantes, postea, ad mandatum abbatis sui principalis, diuina celebrare præsumpserunt. Sed hæc præsumptio cum ad summi pontificis notitiam peruenisset, ad sui maiorem confusionem denuo sunt suspensi. Eisdemq; temporibus, rex Ioannes timens ne papa manum aggrauaret. s. vt ipsum nominatim excōmunicaret, absoluens omnes tenentes de eo ab eiusdem fidelitate, fecit omnes suspectos iurare ei fidelitatē, accipiens ab eisdem obsides speciales, nobiliores tamē ipsi regi, obsides exigenti, in faciem denegarunt, dicentes. Quomodo filios & charos nostros, ipsum genere non attingentes, seruaret illæsos, quinepotem proprium, eo genere mortis, quod murdra dicitur, nequiter propria manu trucidauit.

Rex vero interim nunc hunc, nunc illum, de magnatibus regni, vel pecunia iniuste
‹ mulctauit, vel libertatibus, aut possessionibus spoliauit, nonnullos vxoribus suis zelotypa-
‹ uit, filias defloratit, ita quod manifeste tam Deo, quam hominibus exosus videretur & detestabilis. Insuper vt appareret eius insatiabilis auaritia, & gulæ inextinguibilis, sicut & corporis, libido, capturam auium prohibuit, nobilium arctauit venationes, vnde non tantum amorem omnium amisit, imo odium incurrit inexorabile, etiam exosum eum habuit
‹ vxor propria, quam de adulterio adulter defamauit, & suspectos eidem familiares igno-
‹ miniose necauit, & in arcta custodia ipsam iussit custodiri, & inter cætera ipsius flagitia, a-
‹ pud Nottingham quam plures obsides pueros innocētes, alter Herodes, patibulo fecit suspendi. Vnde tam Anglici, quam alieni de subiugo intolerabili talis tyranni cupientes iam excurrere, cœperunt districte cogitare, ad cuius principis sinum aliquod refugium possent inuenire.

Imminente guerra iniit fœdus rex Scotorum Gulihelmus cum rege Iohanne.

Anno gratiæ. 1209. amotum est Scaccarium a Westmonasterio vsque Northamptonam per regem, in odium London. vsque ad natale. Et quia diebus natalitiis, quos in confinio anni præteriti & futuri, scriptores ponunt, natus est regi Ioanni filius, quem vocauit Richardum, aliqui hoc anno, aliqui anno præterito natum fuisse contendunt. Matris tamen eius vsque ad vigiliam Epiphaniæ durauerunt in puerperio crepundia. Hoc etiā anno, electus est episc. Lincoln. Hugo de Welles, archidiaconus Wellensis regisque cancellarius.

cellarius. Circa illos dies, rex Iohannes, Anglorum magno exercitu congregato, versus Scotiam vexilla direxit, & arma. Veniens autē in prouinciā Northanhumbrorū ad castellum q̄ Northam dicitur, acies ibi cōtra regem Scotorū instruxit ad pugnam. Quod cū regi Scotorum Gulihelmo nunciatum fuisset, timuit valde impetum ipsius, quem pronum ad omne genus sceleris, & sæuitiæ cognouit. Veniens ei obuiam, vtpote vir pius, iuste de pace tractare disposuit. Sed rex Anglorum, in furorem versus, imperauit illi, acriter increpando quod fugitiuos suos, & hostes publicos in regno suo receptauerat, eisque, in sui præiudicium, auxilium præstiterat, & fauorem. Sed cum hæc, & alia multa, cauillando, rex anglorum, prefato regi Scotiæ imposuisset, tandem, procuratoribus vtrorumque elaborantibus, talem concordiam inierunt, quod videlicet rex Scotorum daret regi Anglorum pro bono pacis. 11000. marcarum argenti. Et insuper, ad maiorem securitatem, tradidit ei duas filias suas in obsidatum, vt sic inter eos pax certior redderetur. Eodemque anno, Henricus Dux Saxonum, frater Othonis, venit in Angliam. Eodemque anno, Otho filius Ducis Saxoniæ, & nepos regis Angliæ, à Papa Innocentio tertio in imperatorem Romanorum consecratus est 4. Nonas Octobris. Ipso etiam anno, contempta scholarum vniuersitatis Oxoniæ reuerentia, fecit rex suspendi duos scholares apud Oxoniam, vnde dispersa & cōturbata est scholarium vniuersitas. Sub eisdem diebus, rex Ioannes, propter enormes tam militiæ quam ecclesiæ fatigationes, quas iam per biennium infatigabiliter exercuerat, nominatim est excommunicatus. Illisque temporibus, Magister Alexander, vir corpore elegantissimus, facie venerabilis, literarum plenitudine imbutus, ita vt Parisiis celebris haberetur magister & rector, & lector in Theologia, seductus tamen ambitione, regem Iohannem in errore suo tueri præsumpsit, & fouere, vnde in finem à summo honore in summam confusionem viliter præcipitatus est. Circa quoq; eadem tempora, Hugo Lincoln. electus, in partibus transmarinis, in episcopum Lincoln. à Rothomagensi archiepiscopo consecrationis munus accepit, Waltero de Grai commissum est sigillum regium, & factus est cancellarius. Iudæi quoque ad grauissimam redemtionem compulsi sunt.

Excommunicatur Otho nouus imperator.

Anno gratiæ. 1210. rex Iohannes fuit ad natale apud Windesore, præsentibus Angliæ magnatibus, & communicantibus ei, non obstante sententia, qua fuerat innodatus. Deinde, iubente rege, capti sunt Iudæi per totam Angliam vtriusque sexus, & incarcerati, pœnisque grauissimis afflicti, vt de pecunia sua regis facerent voluntatem. Per idem tempus, Papa Innocentius excommunicauit, & excommunicatum denunciauit imperatorem Othonem, atq; multos, tam Alemanniæ quam imperii Romani magnates, ab eius fidelitate absoluit. Vnde à multis instabilis, & mutabilis, diiudicabatur, eo quod eodem tempore eleuans allisit eum. Pax, quæ nunciata erat inter reges Anglorum & Scotorum, scripto mediante solenni, confirmata est. Rex transfretauit in Hyberniam, circa festum sancti Iohannis Baptistæ, cum maximo exercitu. Ex qua Hugonem de Lasci expulit, & omnem Hyberniam in deditionem accepit. In reditu autem suo, ingratus Deo & hominibus, grauissimum tallagium imposuit super omnes abbatias, maxime tamen domos Cistercienſis ordinis oppressit. Huic autem nequissimo consilio fauorem præbuerunt assidentes, & recipientes extortam pecuniam, scilicet Gulihelmus de Brewer, Robertus de Tunham, Reginaldus de Cornhulle, Richardus de Marisco apud sanctam Brigidam London. Walterus de Grai, electus est in episcopum Cestriæ. Et Henricus archidiaconus Staffordiæ in Exon. Multi Iudęorum præ maxima afflictione fugerunt ab Anglia. Eodem quoque tempore, Matildis, fœmina nobilissima, vxor Gulihelmi de Brausa, & filius eius Gulihelmus, & hæres Gulihelmi, apud Windeleshores, iubente rege Anglorum Iohanne, fame miserabiliter perierunt. Gulihelmus maritus eius, fugiens apud Scorham, & ibidem mutatis vestibus, quasi mendicus, clandestine transfretauit, & non multo post Parisiis obiit.

Pandulphus Papæ subdiaconus, & Durandus, sine spe pacis reuertuntur.
Absoluuntur omnes pertinentes corona Angliæ a fidelitate regis Iohannis.

Anno gratię. 1211. Gulihelmus de Brausa eiectus est ab Anglia extorris, & multas passus tribulationes, & quasi dolore tabescens, obiit Parisiis, & sepultus est apud sanctum Victorem in vigilia sancti Laurentii. Pandulphus domini Papæ subdiaconus, & Durandus hospitalarius, venerunt in Angliam pro pace componenda inter regē & sacerdotium. Sed nihil proficientes, reuersi sunt. Rex Iohannes in expeditionem vadens in Walliam, coegit Leolinum, principem Northwalliæ ad deditionem, violenter intrans illum locum, situaliter munitissimum, qui Snaudune dicitur, sabbato ante festum sancti Laurentii. Eo-

dem quoque anno, obierunt milites præclari, Robertus de Tunham, & Rogerius constabularius Ceſtriæ. Rex quoq; Francorum, Reginaldum, Comitem Bononiæ, extorrem à ſua expulit regione, qui in Angliam veniens, honorifice à rege Anglorum eſt ſuſceptus, à quo trecentas libratas terræ ſuſcipiens, fecit eidē regi homagium & fidelitatem. Ipſo quoque tempore, Innocentius papa, cū rex Angliæ Iohannes, nuntiis eius ſibi monita ſalubria prædicantib. adquieſcere contempſit, & nihil niſi ſubſannationes deriſorias reportaſſent, contumaciam ſuam admirans, & deteſtans induratā, reges & omnes alios, tam pauperes, quam diuites, tam' indigenas quam conterminos, ad coronam ſpectantes, vniuerſaliter à regis Iohannis fidelitate abſoluit, & ſubiectione ſequeſtrauit, diſtricte & ſub pœna excommunicationis prohibens vniuerſis & ſingulis, quatenus ipſum in menſa, conſilio, & colloquio, arctius euitarent. Habuit autem rex Iohannes fautores, & conſiliatores præcipuos in hoc errore & pertinacia, Gulihelmum fratrē ſuum, Comitē Sarum Albericum de Veer, Comitem Oxon. Galfridū, filium Petri, iuſtitiarium Angliæ, tres epiſcopos curiales, Philippum Dunelmen. Petrum Winton. & Iohannem Norwic. Richardum de Maiſco regis cancellarium, Hugonem de Neuilla, prothoforeſtarium, Gulihelmum de Wrotham, cuſtodem Portuum, Robertum de Veteri ponte, & Iuonem fratrem eius, Briennium de Inſula, Galfridum de Luci, Hugonem de Bailoil, & Bernardum fratrem eius, Gulihelmum de Canteleu, & Gulihelmum filium eius. Fulconem de Canteleu, Reginaldum de Cornhulle, Vicecomitem Cantiæ, Robertum de Braibroc, & Henricum filium eius, Philippum de Hulecotes, Iohannem de Baſſingborne, Philippum Marcum, caſtellanum de Nothingeham, Petrum de Malo lacu, Robertum de Gangi, Girardum de Athia, Hingelramum nepotem eius, Fulconem, & Gulihelmum Briwer, Petrum filium Huberti, Thomam Baſſet, Fulconem de Breāce, natione Normannum, & alios quam plures, quos longum eſſet enumerare. Qui regi in omnibus placere cupientes, conſilium, non pro ratione, ſed impetu voluntatis, pernitioſum dedere.

Rex Iohannes abiudicatur à regno, prophetat Petrus, redeunt epiſcopi.

Anno gratiæ. 1212. rex Iohannes fuit ad natale domini apud Windeſore, & in quadrageſima proxima ſequente, die dominica, qua cantatur Lætare Hieruſalem, idem rex Alexandrum, filium regis Gulihelmi, Scotiæ hæredem legitimum, Londini militari cingulo decorauit. Eodem anno, Maugerius Wigorn. epiſcopus, ob libertatem eccleſiæ Anglicanæ, & executionē iuſtitiæ, exul de regno Angliæ apud Pontiniacum diem clauſit extremum. Galfridus quoq; archiepiſcopus Ebor. & Baldewinus Comes de Alba marla, & Bonus abbas ſancti Edmundi, ipſo anno, debita naturæ perſoluerunt. Hoc anno, combuſta eſt eccleſia beatæ Mariæ de Suthwerk inter tres columnas eccleſiæ, & capella ſuper pontem London. & omnia ædificia, quæ ſuper ipſum pontem ſtabant, & pons nimis deterioratus eſt, & maxima pars de Suthwerk cōbuſta eſt, & ex illo igne Thameſim tranſilente combuſta eſt maxima pars London. ſcilicet tam ciuitatis quam ſuburbii, cum viris & mulieribus, & paruulis bene ad tria millia, exceptis his, quos ignis ex toto combuſſit, in
* 5. nocte translationis ſancti Benedicti abbatis, ſcilicet * 6. idus Iulii. Eodem anno, rege volente in expeditionem ire, & inuadere Wallenſes, ſubito diffamatum eſt, apud Ceſtriam Comites & Barones conſpiraſſe in eum. Vnde quaſi attonitus reuerſus eſt, & ei ſuper hoc nimis commoto, quidam inficientes, ſe excuſabant. Robertus tamen filius Walteri, & Euſtachius de Veſci, & Galfridus Ridel, cedentes temporis maliciæ, cum quibuſdam aliis exulabant, quidam vero in Francia, & quidam in Scotia. Exulante etiam Gulihelmo de Nectona, clerico, Galfridus de Norwico apud Notingeham incarceratur. Tandem apud Briſtoliam excogitata pœnæ nouitate, obiit miſerabiliter interfectus. Prædictorum autem Roberti & Euſtachii, & quorundam aliorum baronum & militum, & etiam epiſcoporū, & clericorum poſſeſſiones ſunt infiſcatæ, domus captæ, & dirutæ munitiones, & ipſos iugulari præcepit. Et ex illo tempore, vocatis & retentis alienigenis, ſuorum naturalium baronum merito incurrit odium inexorabile. Eodem anno, rex Iohannes, ab omnibus religioſis domibus & clericis, chartas exegit, quibus coacti, teſtificati ſunt ſe gratis contuliſſe ei omnia, quęcunque violenter, & nequiter extorſerat. Ipſorum quoq; dierum curriculo abiudicatus eſt à regno rex Iohannes & verificatum eſt onoma, quod ei quandoque in opprobrium aptabatur, vt diceretur Iohanes Extorris. Sub eiſdem quoq; diebus, quidam vir ſimplex & rectus, ſpiritu prophetiæ tactus, quod ſenſerat de eodem rege Iohanne, manifeſtauit coram cunctis. Hic vir heremita fuit, & Petrus nuncupatus, qui eo quod multis futura prædixerat, Sapiens dicebatur. Hic inter alia, quæ prædixit, aſſerebat in edito manifeſte, quod Iohannes non foret rex die aſceſionis proximo ſequenti, nec deinceps. Sed die

die illa, corona Anglię ad alium tranferretur. Vacillabant corda multorum, ſed in die prædicta, quando rex factus eſt Romani pontificis tributarius, declaratum eſt verbum propheticum. His itaque diebus dominus papa Innocentius remiſit à latere ſuo Pandulphum, ſubdiaconum ſuum, in partes Ciſmontanas, formam pacis lugubrem Angliæ deferentem, cui ſi rex aſſentire vellet, gratiam apoſtolicã poſſet inuenire, quia abiudicatus fuit à regno, & imminebat ei periculum vndique, meritis eiuſdem exigentibus. Pugnabant enim contra eum viſcera ſua, & ſibi ipſi factus vecors & rebellis, inſomnis & tabeſcens, vix ſeipſum miſer, nec miſerabilis, capiebat. Eodem anno obiit Henricus filius Alwini Maior Londoniarum.

Rex Francorum præparat ſe ad expugnandum Angliam. Obiit Galfridus Ebor. archiepiſcopus.

Anno gratię. 1213. rex Iohannes ad Natale tenuit curiam ſuam apud Weſtmonaſterium, cum pauciſſimo militum comitatu. Quo etiam tempore, Galfridus Ebor. archiepiſcopus, poſtq̃ per ſeptennium pro libertate eccleſiæ, & executione iuſticiæ exilium paſſus eſt, diẽ clauſit extremũ. Rex vero Iohannes in arcto cõſtitutus culpã ſuã in ipſos, qui furorẽ ſuum voluerunt cohibere, cupiẽs refundere, nunc hos nunc illos, de ſuis nobilibus proditionis arguebat, vocando eos zelotypos, quorum vxores, vt iactitabat, oppreſſerat & miſeros, quorum filias defloraverat. Inter cæteros vero Robertum, filium Walteri, minis, & conuitiis magis cœpit deturpare. Eius quoque ſternere caſtrum London. conſtructum, ſcilicet Caſtrum Bainardi, die Lunæ, in craſtino ſancti Hilarii, per manus inimicorum London. Eodem vero anno. menſe Ianuario, redierunt à curia Romana Stephanus Cantuar. archiepiſcopus, Gulihelmus London. & E. Elienſis epiſcopi, & habito in tranſmarinis partibus conſilio, regi Francorum & epiſcopis Gallicanis cum clero, pariter & populo ſententiam, quæ in regem Anglorum Romæ pro contumacia lata fuerat, ſolenniter promulgarunt. Deinde ex parte domini papæ, tam regi Francorum, quam cæteris vniuerſis, in remiſſionem omnium peccatorum iniunxerunt, vt omnes pariter ad Angliã hoſtiliter accedentes, Iohannem regem à regni ſolio deponerent, & alium, qui dignus eſt, apoſtolica authoritate, ſubrogarent.

Tunc rex Francorum rem diu deſideratam intelligens, accinxit ſe viriliter ad pugnam, & omnes ſuæ ditionis homines, Duces videlicet, Comites & Barones, milites & ſeruientes, cum equis & armis, iuſſit in octauis Paſchæ ſub nomine culuertagii, apud Rothomagum ita potenter conuenire, ne crimine læſæ maieſtatis, damnum incurrere viderentur. Fecit præterea omnes naues ſuæ poteſtatis, & alias multas, quas colligere poterat, frumento, vino, carne, & diuerſis armis optime munire, vt omnibus rebus neceſſariis, tam copioſus exercitus abundaret. Rex vero Ioannes ſuper his omnibus certificatus, fecit in menſe Martio naues de omnibus portibus Angliæ optime munitas congregari, vt in manu robuſta poſſet volentibus Angliã inuadere audacter reſiſtere. Similiter de tota Anglia & Hybernia, & locis finitimis exercitum copioſiſſimum congregauit. Et dum aduen, tum regis Francorum ſuper maritima expectaret, venit ad ipſum regem Ioannem Pandulphus de tranſmarinis partibus, imminentia ſibi pericula nunciando, affirmans quoque quod niſi ſub alis domini papæ potenter protegatur, omnia ſe amiſſurum. Et cum modum rex protectionis ab eodem. P. didiciſſet, iurauit rex, tactis ſacroſanctis Euangeliis, in præſentia P. ſe iudicio eccleſiæ pariturum. 16. Comitibus, & multis de potentioribus Baronibus ſimul cum eo iurantibus in animam ipſius regis, ita ſcilicet, quod ſi forte pœniteret, ab eiſdem hæc obſeruare cogeretur. Reſignauit igitur coronam Angliæ Innocentio papę, & ei fecit homagium, & fecit de liberrima regione ancillam, vt princeps prouinciarum fieret ſub tributo, chartam inde conficiens, omnibus eam audientibus lugubrem & deteſtabilem. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quod cum dominum, & matrem ſanctam eccleſiam in multis offenderimus, & propter hoc ipſum diuina miſericordia indigere noſcamur, nec quid digne offerre poſſumus pro ſatisfactione, Deo & eccleſiæ debita facienda, niſi noſmetipſos, & regna noſtra velimus humiliari, pro illo, qui ſe humiliauit pro nobis vſque ad mortem, gratia ipſa ſancta inſpirante, ad optimum conſilium baronum meorum, offerimus, & libere cõcedimus Deo & ſanctis apoſtolis eius, Petro, & Paulo & S. Romanæ eccleſiæ matri noſtræ ac domino papæ noſtro, Innocentio tertio, & ſucceſſoribus eius, omne ius patronatus, quod habemus in eccleſiis Anglicanis, totumque regnum Angliæ, & regnum Hyberniæ, cum omni iure, & pertinentiis ſuis pro remiſſione peccatorum noſtrorum, & totius generis noſtri, tam vluis quam defunctis. Et amodo illa à Deo, & eccleſia Romana, tanquam feudarius, recipientes, & tenentes in præſentia prudentis viri Pandulphi, domini papæ ſubdiaconi, & familiaris, fidelitatem exinde domino

Papæ Innocentio,eiusq; successoribus catholicis,& ecclesię Romanæ,secundum subscriptam formam,facientes, & homagium legium,in præsentia domini Papæ,si coram eo esse possemus, eadem faceremus. Successores nostros, & hæredes de vxore nostra in perpetuum obligantes,vt simili modo summo pontifici,qui pro tempore præfuerit ecclesiæ,sine contradictione dictã fidelitatem pręstent,& homagrum recognoscant, & nos insuper vacantium ecclesiarum custodiam perpetuo amittamus. Ad indicium autem huius nostræ perpetuæ oblationis, & concessionis, volumus & stabilimus, vt de propriis & specialibus redditibus prædictorum regnorum nostrorum, pro omni consuetudine, quam pro ipsis facere debemus, saluo per omnia denario sancti Petri; scilicet mille marcas sterlingorum ecclesia Romana percipiat annuatim, scilicet in festo sancti Michaelis quingentas marcas, & in Pascha quingentas marcas, septingentas marcas pro regno Angliæ, & 300. pro regno Hyberniæ, saluis nobis, & hæredibus nostris, iusticiis, & libertatibus, & regalibus nostris. Quæ omnia,sicut prædicta sunt,rata esse volentes,& perpetua,atque firma, obligamus nos, & successores nostros contra non venire. Et si nos, vel aliquis successorum nostrorum hoc attentare præsumpserit,quicunque fuerit ille, nisi ammonitus resipuerit, cadat à iure regni. Et vt charta obligationis, & concessionis nostræ semper firma permaneat,ab hac hora, in antea fidelis ero Deo,& beato Petro,& ecclesiæ Romanæ, & domino Papæ Innocentio, eiusque successoribus catholice intrantibus. Patrimonium vero beati Petri,& specialiter regni Angliæ & regni Hyberniæ,ero adiutor ad tenendũ & defendendum contra omnes homines pro posse meo,sicut me Deus adiuuat,& hæc sancta Euangelia. Teste meipso apud domum militiæ templi. Rex igitur Francorum, variis sermocinationibus nunciorum Papæ delusus,iam protecto rege Anglorum Iohanne sub clypeo Romanæ curiæ,destitit ab incepto,amissis circiter. 40000. librarum argenti,cum magna verecundia recepta. Die vero Iouis proxima post festum sancti Michaelis,Nicolaus,Tusculanus episcopus,legatus in Angliam accessit apud Westmonasterium, moram ibi faciens per 18. dies, vbi diligentem tractatum habuit cum conuentu ipsius ecclesiæ de reformatione spiritualium & temporalium.Idem vero Euesham in festo sancti Edmundi accedens, Rogerium ipsius Ecclesiæ abbatem, manifestis ex causis deposuit, substituens ibi Radulphum priorem Wigorn.Obiit Galfridus filius Petri,iusticiarius Angliæ pridie idus Octobris.Henricus London. archidiaconus Staffordiæ,factus est archiepiscopus Dublinensis. Obiit Robertus de Salopesberia,episcopus de Bangor, & sepultus est in medio foro Salopesberiæ, quoniam ita desiderauit. Per idem tempus, motio magna fit contra hæreticos Albingenses sub Duce Simone de Monteforti,in qua etiam guerra occisus est rex Arragonum. Rex vero Iohannes,qui de rege iam factus est regulus, imo Papæ tributarius, vel feudarius,non intelligens Petri prophetiam, de quo sermo prǽhabitus est, iussit eundem Petrum cum filio suo iniuste suspendi patibulo.

Rege Iohanne facto Romæ tributario,relaxatur generale interdictum.

Anno gratię. 1214. rex Anglorum Iohannes,tenuit ad natale domini curiam suam apud Winteforam,vbi multa magnatum suorum multitudini festiua distribuit indumenta. Et eo ipso tempore per dictum legatum depositus est Radulphus de Arundel, abbas Westmonast. per N.abbatem de Waltham missum ex parte legati apud Westmonast. ad executionem depositionis faciendam, in crastino sancti Vincentii, fracto sigillo ipsius in capitulo, & substitutus est loco ipsius Gulihelmus de Humec, prior Frontoniæ, monachus Cadomensis, & dominica sanctæ Trinitatis suscepit benedictionem à Gulihelmo London. episcopo. Die sancti Vrbani. 8. Kalend. Iunii, formata est pax,sed nondum perfecta,inter dominum Papam Innocentium & regem Iohannem, & iurata à multis Comitibus, & Baronibus terræ, hoc modo, quod idem rex in bona pace reciperet dominum Stephanum Cantuar.atchiepiscopum, & cæteros episcopos Angliæ, & restitueret eis ablata omnia, & satisfaceret sanctæ ecclesiæ in omnibus, & quod rex & hæredes sui darent singulis annis ecclesiæ Romanæ mille marcas sterlingorum scilicet pro regno Angliæ septingentas marcas,& pro Hybernia. 300. Eodem anno, applicuit Stephanus Cantuar. archiepiscopus, apud Doueriam,& cum eo Gulihelmus London. E. Elienſis, & Hugo Lincoln. episcopi. Die vero Iouis, in crastino sanctorum Processi, & Martiniani, relaxatur generale interdictum Anglicanæ ecclesiæ, assistentibus ex parte domini Papæ, prædicto Nicolao legato, & Pandulpho ipsius subdiacono, cum ipso archiepiscopo, & aliis episcopis,& prædictis Comitibus,& Baronibus iuratis ex parte regis & regni, apud sanctũ Paulum London. Eodem anno,in vigilia purificationis,rex Iohannes iter arripuit in Pictauiã, & die Iouis proxima post festum Apostolorum Simonis & Iudæ,in reditu suo inde,accessit apud

sit apud Westmonasterium, & ibi à clero & populo præsentibus memoratis, legato. N. & S. archiepiscopo, & fere omnib. Angliæ episcopis, honorifice susceptus est. Eodem tẽpore obiit Ioannes, abbas sancti Albani, die sancti Kenelmi regis & martyris. Sciendum quoq; quod interdictum, vnde sermo prolixior prælibatus est, durauit sex annis 14. septimanis, & duobus diebus. Tertio Nonarum Octobris, consecrati sunt apud Cantuar. Simon decanus Ebor. in episcopum Exon. & Walterus de Grai in Wigorn. Obierunt quoq; Gilbertus de Glanuilla, episcopus Roffensis. 8. Kalendas Iulii, & Ioannes de Grai episcopus Norwic. Hoc etiam anno, ante purificationem beatæ Mariæ, Comes Flandriæ cum quibusdam magnatibus trãsmarinis applicuerunt in Angliam, facientes ligantiam, & homagium regi Ioanni in ciuitate Cantuar. Postea cum Gulihelmo, Comite Sarum, reuertentes, magnum exercitum de conducticiis stipendariis, distribuentes regium thesaurum prodigaliter, conflauerunt, propositum habentes, vt regem Francorum Philippum, die dominica, non consuetum tali die arma portare, subito inuaderent, & confunderent. Habuerunt etiam spem magnam, & confidentiam de consilio, & auxilio Othonis imperatoris, qui certamen quasi exerto gladio expectabat. Exclamato igitur signo, Regales, regales, & ex alia parte, Montis gaudium, Montis gaudium, commissum est bellum de Boumes in Flandria, & decertatum est hostiliter vtrobiq;. In quo cõflictu, rex Francorum ab equo suo prostratus est, & ab hostibus vndiq; impetitus, frustatim detruncaretur, nisi quidam miles Normannicus, qui eum copore proprio protexit, & pro eo & super eum, multis confossus lanceis, concidit. Ipso etiam die euiscerati, & eneruati sunt sub eodem rege tres equi probatissimi. Triumphum inopinabilem tamen de inimicis suis ea die, Deo propitiante, reportauit. Vnde super hoc pius rex scribens vniuersitati Parisiensi ait. Laudate Deum charissimi, quia nunquam tam grauem afflictum euasimus. Primo igitur fugiente à bello Hugone de Boiues, qui Dux omnium videbatur esse, capti sunt multi magnates, tam de imperio quam de regno Angliæ. Imperator autem Otho cum suis, qui aderant, paucis, elapsus est, vt nunquam postea est fama sua redintegrata. Ad maiorem confusionem regis Ioannis Anglorum, amotus est idem rex à castro, quod Rupes monachorum dicitur, quod obsederat cum magno exercitu in partibus versus Pictauiam, per aduentum Ludouici filii regis Frãcorum, ita quod audito rumore de captione magnatum suorum apud Boiues, & impotentia resistendi ex alia parte, comperiit Deum & homines, sibi esse vndiq; offensos & exosos. Fugit igitur turpiter, & ignominiose à prædicta obsidione, & nisi datis 11000. marcarum argenti pro treugis tricennalibus citius in Angliam, procurante Roberto de Curci, tunc in Francia legato, recessisset: profecto probrose captus extitisset. Vnde Franci in eundem. R. legatum, verbis & contumeliis, quasi Anglum Anglicus spõte liberasset, insurrexerunt. Rex igitur in Angliam confusus & inglorius. 14. Kalend. Nouemb. venit. Eodem anno, Ioanni abbati ecclesiæ sancti Albani successit Gulihelmus de Trumpington monachus, assumptus de gremio ipsius ecclesiæ, vir omni præditus honestate. Die sancti Andreæ ab Eustachio Eliensi episcopo pontificaliter munus benedictionis in ecclesia sancti Albani suscepit.

Rex Ioannes in se reuersus, præ confusione cruce signatur, & multi nobiles cum eo.

ANNO gratiæ. 1215. rex Ioannes tenuit curiam suam ad natale domini apud Wigorn. vix per spacium vnius diei. Deinde London. cũ festinanter venisset, magnates Angliæ instanter ea, quæ rex in bona fide, humiliterq; promiserat, postulabant. Sed rex quærens cauillationes, & asserens rem esse arduam, quam petebant, & magna indigere deliberatione, inducias vsq; ad clausum Paschæ subdole rogauit, & assecutus est. Interim vt sub alis domini sui papæ tutius protegeretur, & contra suos durius amaretur, crucem suscepit & cum eo multi magnates. 4. nonas Martii. Eodem anno, Eustachius Eliensis episcopus apud Radingum viam vniuersæ carnis est ingressus. Ipso anno, maximus tractatus habebatur inter regem & barones, de pace regni inter Stanes & Windsoram, in prato, quod dicitur Runemed, quod interpretatur pratum consilii, eo quod ab antiquis temporibus ibi de pace regni sæpius consilia tractabantur, domino Stephano Cantuar. archiepiscopo cum quibusdam episcopis, existente mediatore. Primus autem dies memorati tractatus fuit dies Martis ante festum sancti Ioannis Baptistæ. Item super eodem tractatu dies Mercurii post festum sancti Bartholomæi, & continuatus & protelatus est tractatus, rege tamen absente. Exigentibus igitur baronibus, quæ promissa fuerant, rex subsannans respondit. Quare non exigunt isti regnum? Eodem anno, die sancti Martini celebratum est Romæ generale concilium sub papa Innocentio tertio, præsentibus primatibus archiepiscopis, 61. episcopis vero 412. abbatibus vero, & prioribus. 800. In quo

concilio,

concilo, dictus Papa Ludouicum regis Francorum primogenitum,& omnes Comites & Barones Angliæ, cum complicibus suis conspirantes,& insurgentes in regem Angliæ, Romanæ ecclesiæ vasallum, die sancti Andreæ apostoli solenniter excommunicauit. Crescebat iam guerra in Anglia de die in diem, baronibus hostiliter totam patriam Northampton/cum ipsa villa prius occupantibus,excepto castro, quod se viriliter defendebat. Ipsi vero machinis carentes necessariis,infecto negotio, recesserunt. Rex enim clanculo, antequam hæc euenirent, futura perpendens, castra sua communierat. Barones vero inde venerunt London. & 16. Kalend. Iunii,ciuitatem ingredientes,nullo contradicente, occuparunt. Ciues enim regem Iohannem pro multis iniustis exactionibus, quibus eos incessanter fatigauerat,odio habuerunt. Habito igitur ibi colloquio, miserunt quosdam de sociis suis, barones & ciues, vltra mare ad Ludouicum, quem in regem elegerant, significantes ei,vt festinanter in Angliam veniret, regnum sine contradictionis difficultate ilico recepturus. Et ne super hoc dubitaret,chartas patentes appensis nobilium sigillis,cum obsidibus, tam regi Francorum, quam filio suo quinquaginta transmiserunt. Eodemque anno,post festum sancti Michaelis, rex Iohannes castrum Roffense obsedit, in quo erant quidam barones strenuissimi, videlicet Gulihelmus de Albineto cum multis aliis. Quibus, Robertus,filius Walteri,qui London.cum vniuerso exercitu deses, & otiosus iacebat, tenebatur succurrere sed noluit. Vnde castrum memoratũ miserabiliter captum est,& nobiles capti & apud Corf. in carcerem detrusi ad voluntatem regis,& vix viui sunt redempti. Rex exinde tyrannus effectus,& proprii regni exterminator,alienigenas, videlicet Suaricum de Malleone,cum suis flexibilibus Pictauiensibus,& Girardum de Sotingin,cum suis volubilibus Flandrensibus,& Walterum cognomento Buc, cum suo grege fœtidissimo ad stipendia conuocauit. Ex tunc igitur exoritur regni perturbatio inaudita, & tam immanis, vt filii in patres, & patres in filios insurgere hostiliter viderentur. Stipatus igitur agmine detestabili alienigenarum, cuius dux & præceptor Falcasius de Breaute, vir quidem ignobilis,& genitura bastardus, neuter genere constitutus est. Rex Iohannes furia inuectus, partes Angliæ Aquilonares cœpit deuastare, castra baronum vel diruere, vel sibi mancipare, Aulas & municipia immisericorditer, quæ baronum fuerant, concremare, incolas excogitatis tormentis, vt pecuniam extorqueret, exagitare, ita vt videretur dominus furore irasci populo suo,& hæreditatem suam abominari. Vbique luctus, vbique miseria. Factus est sacerdos, vt populus,& sceptra ecclesiæ prophanantur. Proscribuntur episcopi, effugientibus pastoribus gregum agmina disperguntur. Eodem tempore quia fuit correptor, & in quo potuit, corrector regis Iohannis semper tamen recalcitrantis, ab officio suspensus est Stephanus Cant.archipisc. quasi esset fautor aduersariorum vasalli domini Papæ.s. regis Iohannis, per omnia desipientis. In concilio etiam generali suspensionẽ prænotatam dominus Papa confirmauit. Tandem vix, multis tamen elaborantibus, meruit idem archiepiscopus absolutionis beneficium obtinere. His diebus captum est castrum de Bedford/ & datum Falcasio, cui etiam contulerat rex vxorem nobilem, Margaretam de Ripariis cum possessionibus eam contigentibus. Cepit etiam idem Falcasius municipium Gulihelmi Manduyt de Hammeslape. Captum est etiam municipium de Tonebridge. Eodemq; anno, consecrati sunt in episcopos Gulihelmus de Cornhulle, die conuersationis S. Pauli in Cestren.& magister Benedictus, præcentor sancti Pauli London. 8. Kalend. Martii,in Roffensem, magister Richardus, decanus Sarum,in Ciceſtrensem. Interea electus est in archiepiscopum Ebor. magister Simon de Langton, vir quidem parum habens gratiæ popularis, vtinam Dei. Sed, procurãte rege,cito cassatus est. Poterat enim rex, iam factus tributarius Papæ, difficilia impetrare. Timebat autem rex,ne si Stephanus Cantuar. archiepiscopus,in Australibus,& frater eius Simon Ebor. archiepiscopus factus,in septentrionalibus dominarentur, quasi maximi prælati in Anglia, omnia ad vota eorum disponerentur,& alter alterius auxilio fulciretur. Per idem tempus, quædam pars baronum, qui Londoniis remanserant, equitationem facientes, deprædari prouinciam Cantabriensem, munitionem sine difficultate domino suo manciparunt, & 25. seruientes in ea inuẽtos, vinculis constrictos,secum London.captos abduxerunt. Inde peragrantes circumiacẽtes prouinciales, de Northfolk & Suthfolk/agricolas spoliarũt,& ciuitatum ciues, vix parcentes ecclesiis, appropriarunt. Villas quoq; de Gernemue, de Wich, & de Gypeswich, & partes finitimas ad grauissimam redemptionem compulerunt. Tandem per Colcestriam redeuntes, ibidem simili rabie impudenter in incolas sæuierunt. Obsidentur quoque, & capiuntur ab eisdẽ castra de Hertford, de Berkhamstede, & alia sibi vicina viriliter occuparunt. Eodem tempore, procurantibus amicis,& etiam alienigenis, timentibus similiter illaque-

ari, dimissus est à carcere vir nobilis, Gulihelmus de Albineto, facto prius fine pro redemptione sua, sex millibus marcarum, infra beuem terminum persoluendarum. In cuius negotii executione, vxor eius Agatha supra sexum muliebrem elaborans, pecuniam prætaxatam, licet cum magna difficultate, adquisiuit, & maritum suum laudabiliter liberauit.

Barunei morantur desides London. applicuit Ludouicus filius regis Francorum.

Anno gratię. 1216. qui est annus regni regis Iohannis. 18. idem rex Ioannes fuit in die natiuitatis domini, apud castrum de Notingeham. In crastino vero misit nuncios ad castrum de Bealuero, postulans illud sibi statim reddi. Quod si aliquantulum moræ fieret, Gulihelmus de Albineto, cuius castrum erat, qui in carcere regis detinebatur, nunquã exinde pransurus, fame moreretur. Quo cognito, ilico castellani, ipsi obuiam euntes, claues castri ipsi reddiderũt, saluis personis, & eorum armis, & possessionibus. Interea afflicta est Anglia afflictione magna, dum nobilium mulieres ludibrio traderentur, domus cõburerentur, syluæ succiderentur, terræ alienis donarentur, pecunia à quouis, tormentis exquisitis, extorqueretur. Interea barones desides London. iacebant nihil agentes, præterquã aliquando in loca finitima greges, & armenta pauperum, & eorũ dominos præda miserabiliter abducentes. Illis autem pigritantibus, rex nõ cessauit quotidie eorum castra & municipia, homines & possessiones, in suam redigere potestatem. Similiter, & satellites sui, diuersis partibus constituti, omnium baronum possessiones exterminio tradiderunt. Rex vero Aquilonaribus partibus Angliæ vastatis, & sibi subiugatis, se in terram regis Scotiæ, qui fautor baronum exstitit, subito inferens, castrum de Bewic, & quædam alia, quæ credebantur inexpugnabilia, violenter in suam redegit potestatem. Multã etiam ibidem stragem, & exterminium exercuisset, nisi eundem necessitas maxima, dilationem non capiens, reuocasset, sicut consequenter declarabitur. Et dum talia agerentur, ad instantiam regis, qui quasi ad dominũ suum papam nuncios crebro destinauit: ipse summus pontifex, vt vassallum suum nouum, nouus dominus protegeret viriliter & efficaciter, barones Angliæ quos prius excommunicauit in genere, iam iterato excommunicauit nominatim, & in specie. Circa quoque illos dies, depopulata est Elienſis insula per Falcasium, qui etiam ecclesiam ipsam cathedralem, equum insidens, euaginato gladio irreuerenter intrauit, extrahensque inde nobiles viros & matronas, nec non & clericos, ipsumque dominum Stephanum Ridel, virum clarissimæ famæ, honestum, & dapsilem ad grauissimam compulit redemptionem. Barones autem, iam in arcto constituti, postquam cognouerunt, quod dominum papam pro subiectione regni, & vassallagio regis inclinati validum haberent persecutorem, quem prius habuerunt defensorem: Ludouicũ, primogenitum Philippi regis Francorum, sibi in regem electum diatim expectarunt. Cui obsides cum chartis, & aliis obligationum generibus de fidelitate, & ligantia transmissis, solennibus legationibus destinarunt, qui, parandis præparatis aduentum maturauit. Rex vero Iohannes, audiens de aduentu Ludouici in Angliam, Cantuariam aduolauit. Et interim applicuit Gualo legatus, missus à domino papa Innocentio tertio adtuitionem regis Iohannis. Qui transitu facto per regem Francorum Philippum, ex parte domini papæ omnibus modis dissuaserat ne filium suum Ludouicum in succursum excommunicatorum transmitteret, ne ecclesia Romana patrimonio suo priuaretur. Quod cum intellexisset rex Philippus, hoc de regno Anglię dictum fuisse, ita mox respondet. Regnum Angliæ patrimonium Petri, vel ecclesiæ Romanæ nunquam fuit, nec est, nec erit. Rex enim Iohannes multis retroactis diebus, volens fratrem suum, regem Richardum à regno Angliæ iniuste priuare, & inde de proditione accusatus, & coram eo conuictus, damnatus fuit per iudicium in curia ipsius regis, quam sententiam pronunciauit Hugo de Pusatz, episcopus Dunelin. & ita nunq̃ fuit verus rex. Item si aliquando fuit rex, & etiã verus rex postea forisfecit regnũ per necẽ Arthuri, de quo facto dãnatus fuit in curia nostra. Item nullus rex, vel princeps potest dare regnum suum sine assensu baronum suorum, qui regnum tenentur defendere. Et si papa hunc errorem tueri, allectus nouæ dominationis libidine, contumaciter, decreuerit, exemplum omnibus regnis dabit pernitiosum. Ad quod verbum omnes circumstantes Franciæ magnates, quasi vno ore clamare cœperũt, q̃ pro isto articulo starẽt vsq; ad mortẽ, ne videlicet rex vel princeps per impetũ, ꝓpriæ voluntatis posset regnũ dare, vel tributarium facere, vnde nobiles regni efficerentur serui. Acta sunt hæc apud Lugdunum, die 15. post Pascha. Die vero crastina venit Ludouicus ad colloquiũ, & ait corã rege patre suo, &. G. legato, & omnibus eis assistentibus. Domine mi rex, si vester legius homo sum de tenemento, quod mihi dedisti, in tantum vobis teneor.

De re-

De regno Angliæ,quid ad vos aliquid constituere? Me subiicio iudicio parium meorum, si debetis me cogere, ne prosequar ius meum,& præcipue tale,quod ad te non pertinet vel non potestis iustitiam mihi exhibere,quia pro hæreditate vxoris meæ,scilicet neptis Ioannis regis, vsq; ad mortem,si necessitas exegerit, decertabo. Quod audiens legatus, rogauit regem,vt ei concederet saluum conductum per terram suam,quod rex benigne concessit. Dissimulante igitur rege Philippo, Ludouicus iter suum versus mare, vt in Angliam transiret,& legatum præueniret, maturauit. Ascensurus igitur nauem, inuenit in portu de Castels classem nobilissimã & copiosam, s. sexcentas naues, & quater viginti coggas bene paratas,quas Eustachius,dictus Monachus in aduentum eius ibidem cõgregauerat. Et intrãtes naues Ludouicus & omnes sui, prospero cursu vsq; in Taneth insulã peruenerunt,& in loco,qui Stanhore dicitur applicuerunt. 12. Kal. Iunii. Erat rex Ioannes tunc cum exercitu apud Doueriam,sed stipatus alienigenis stipendiariis, qui plus Ludouicum quam regem Angliæ Ioannem diligebant,non est ausus Ludouico hostiliter occurrere, ne forte in necessitate ipsum regem Ioannem derelinquentes,se ad Ludouicum transferrent. Vnde prælegit ad tempus recedere,quã dubium certamen inire. Transtulit igitur se vsq; ad Cantuar. fugiendo,& castrum Doueriæ sub custodia Huberti de Burgo, fiducialiter commissum dereliquit. Et cito post applicuit Gualo legatus ad tuitionem regis Ioannis, & regni, contra Ludouicum & eius fautores. Rex vero Ioannes fugit vsq; Wintoniam,ac Ludouicus,cum neminem sibi resistere cognouisset,apud Sandwicum naues exiens, totam illam prouinciam,præter Doueriam sibi continuo subiugauit,& versus London. properans,castrum Rossense in suam recepit potestatẽ, & 4. Nonarum Iunii perueniens London. primo ad sanctum Paulum orans, post in publico, à clero & populo, cum magno gaudio est susceptus, vbi omnium baronum cepit fidelitatem, & homagi. Postea in breui scilicet 18. Kal. Iulii. reddita est ei ciuitas Winton.& in crastino S. Ioannis castrum ciuitatis cum castro episcopi,& 6. idus Iulii. castra de Odiham,de Farnham,de Guileford,de Rigate. Obsessum est castrum de Windsore à comitibus & baronibus,Francis & Anglis, sed inde recedentes,nihil profecerunt. Ludouicus obsedit castrum de Douere,diu & acriter, sed nihil proficiens,confusus recessit.Castrum vero de Cantebruge,cum 20.seruientibus in eodem inuentis,à baronibus captum est. Eodem tempore, Gualo legatus exegit procurationes per totam Angliam ab ecclesiis cathedralibus & religiosorum, capiens pro singulis procurationibus, 50.solidos.Omnia etiam beneficia clericorũ pariter,& vitorum religiosorum,qui Ludouico adhęserunt,vel baronibus,in clericorum suorum vsus conuertit.Interim rex Ioannes ,accensus furore iracundiæ,prouincias de Suthfolk & Northfolk/ miserabili afflictione contriuit. Deinde versus aquilonem iter arripiens, apud Wellestrem bigas suas,& quasdam clitellas,quas terra absorbuit,irrestaurabiliter amisit.Quo audito,dolens inconsolabiliter, & profunda geminans suspiria apud Suineshcued abbatiam ordinis Cisterciensis pernoctauit, vbi, secundum consuetudinem suam, persicis cum musto, & pomario ingurgitatus,& dolore iacturæ recentis absorptus,incidit in magnam ęgritudinem. In crastino vero ne hostes sui insultarent,morbum dissimulans,mannum suum vix ascendit,& cito post,facta lectica equestri,descendit de palefrido,& ipsam intrauit, & sic vsque ad castrum de Leadford peruenit, vbi pernoctans morbum sensit multum ingrauescentem. In crastino autem vix ad castrum de Neuwerke transuectus peruenit,vbi lecto mortiferæ ægritudinis decumbens, vocato ad se abbate de Crokestune in arte medicinæ erudito,consilium confessionis, & eucharistiam ab eodem suscepit. Henricum vero primogenitum suum regni constituit hæredem, corpus suum delegans ecclesiæ Wigorn. sub protectione sancti Vlstani. Deinde cum summa mentis amaritudine, maledicens, & non valedicens omnibus baronibus suis,pauper,& omni thesauro destitutus, nec etiam tãtillum terræ in pace retinens, vt vere Ioannes Extorris diceretur, ex hac vita miserrime in nocte quæ diem sancti Lucæ Euangelistæ proxime sequitur,transmigrauit. Et quia iste Ioannes, se multis exosum præbuit,cum propter mortem nepotis sui Arthuri,tum propter suam incontinentiam,qua fœdus lecti matrimonialis dirupit,tum propter suam tyrannidem, tum propter tributũ, quo sub perpetua seruitute regnum Angliæ compediuit,tum propter guerram,quam sua merita prouocarunt,vix alicuius meruit lamẽtatione deplorari. Istæ sunt terræ,quas rex Ioannes amisit,scilicet pro angariis,& oppressionibus,multimodis fornicationibus, & variis iniuriis, quæ communiter non cessauit. Prima fuit Ducatus Normanniæ,Comitatus Bolismi,Comitatus Cenomãniæ,Andegauia,Pictauia,Lemonica,Aluernia,Angolisma. Hæc autem omnia quandoque regis Ioannis erant. Demum Angliam & Hyberniam,tributo suppositi,qui nihil horum recusauit vsq; addiem mortis suæ.

Iste

Iste Ioannes habuit filios & filias subscriptos.

Henricum, Richardum Comitem Cornubiæ, Eadmundum, Isabellam, Alienoram, Iohannam.

Coronatio regis Henrici tertii.

Defuncto vero Ioanne, rege Anglorum, cõuenerunt apud Glouerniam legatus Gualo, & multi magnatum Angliæ. Et quoniam Westmonast. vbi locus est ex consuetudine regiæ consecrationi deputatus, tunc ab inimicis suis fuit obsessum, cogente necessitate, ibidem est ante maius altare in ecclesia conuentuali Henricus Ioannis primogenitus in regem inunctus, & solenniter coronatus. Et quia se iam exosum, & superbum Ludouicus omnibus Anglis exhibuerat, & munitiones eorum, ac terras, spretis Anglis & fœdere, quod cum eis firmauerat, contulerat: omnes nobiles terræ in breui ipsi iuueni regi Henrico, qui nihil culpæ versus eos meruerat, reuertentes fideliter adhæserunt. Cesserunt igitur in ditionem suam, capta per barones, castra de Hereforde/ de Berchamstede/ & alia multa, & viriliter se habentes barones, meruerunt à legato absolui, & regis noui dilectionem. Eodem tempore, dum Papa Innocentius processionem faceret solennem Romæ, & illa effigies dominici vultus, quæ Veronica nuncupatur, populo aspicienda veneranter deportaretur, ipse papa ipsam loco solito aptauit, sed in crastino inuenta est versa, stans modo indebito, ita scilicet quod frons deorsum, barba versus humum verteretur. Quo audito, dominus papa timens valde hoc apparuisse in triste præsagium, composuit & constituit vnam collectã in honorẽ Veronicæ dicendã, & dicentibus veniam decem dierum cõcessit. Ipsis quoq; dieb. expirauerunt treugę acceptę in terra sancta inter Christianos & infideles.

Commisso prælio prius apud Lincoln. postea in mari deuictis Francis, Angli gloriose triumpharunt. Innocentius papa tertius moritur.

Anno gratię. 1217. Rex Henricus, filius regis Ioannis, ad natale domini apud Bristowe solennitatem natiuitatis dominicæ celebrauit. Baronum autem reliquiæ, qui London. commorabantur, successiue ad ipsum reuertebantur. Detegebatur autem quoddam iniquissimum propositum Francorum per quendam eorum, in proximo moriturum, videlicet vicecomitem de Melun. Qui postquam mortẽ irremediabiliter sensit appropinquare, timens de periculo animæ suæ, confessus est, quod propositum fuit Ludouici, & suorum Francorum, & mutuo iuramento cum fidei interpositione confirmato, subiugata Anglia, omnes Anglos irreuocabiliter exules exterminare. Præterea sententia excommunicationis, quam Angli præ omnibus nationibus formidant, ipsos barones ad proprium dominum naturalem, spreto Ludouico diatim reuocauit. Ludouicus relicta obsidione castri Douerensis, vt vires per adiutorium patris sui à Francia recolligeret, transfretauit & cito rediens iterum, idem castrum obsedit. Præparauit autem se maxima transmarinorum multitudo, vt in adiutorium Ludouici properarent. Eodem tempore Falcasius deprædatus villam sancti Albani, & quosdam nobiles ibidem, quasi in tuto refugio latitantes, etiam ab ecclesia violenter extraxit, & ipsam ecclesiam homicidio maculauit. Sed postea ipse martyr, beatus Albanus, adeo truculẽter ipsum Falcasium torno oculo aspiciens acriter increpauit, vt fere mente alienatus est, & id idem eadem nocte legatus per visionem aspexit, & id Falcasio retulit. Vnde idem Falcasius cum summa humilitate & timore ad ecclesiam beati martyris rediẽs, nudus pedes, & veste spoliatus, in capitulum intrauit, ab ipso abbate & singulis fratribus de suo transgressu cum lachrymis postulans indulgentiam, palam q; enarrauit quomodo acriter ab ipso martyre Albano correptus est, & etiam à quodã immani saxo ab ecclesiæ turri ad instar fulguris irruente obrutus corruit, fere exanimatus, &, vt ei visum fuit, vsq; ad portas inferni detrusus. Et sic à singulis corporalẽ suscepit disciplinam, & meruit ab abbate & fratribus obtinere indulgentiam postulatam. Eodem anno, barones residui, qui adhuc Ludouico adhæserant, cum multitudine Francorũ apud Lincoln. 15. Kãl. Iunii, scilicet in sabbato, in vigilia sanctæ Trinitatis, properanter illuc aduenientes, conuenerant ad occupandum ciuitatẽ cum castro, sed à fidelibus regis capti sunt, & Comes Perticensis interemptus. Quod audiens Ludouicus recessit ab obsidione castri Douerensis, & veniens London. expectabat Francorum optatum succursum & aduentum. Sed domino pro rege Henrico innocente propicio dimicante nauali bello in mari, non procul à Douera Francigenæ, sub infinita multitudine, interempto Eustachio pirata, cognomento Monacho, expugnati, & dissipati, vulnerati, capti, submersi sunt, & nonnulli trucidati. Quod audiens Ludouicus, duplici contritione contritus doluit inconsolabiliter. Et quia infirmati sunt gressus eius, rogauit humiliter ea, quæ pacis sunt. Conuenientibus igitur in vnum Gualone legato cum episcopis, & clero, & populo, & Gulihelmo Ma-

 rescallo,

rescallo,rectore regis & regni tunc existente,de pace tractatum diligentem habuerunt, in quadam insula satis vicina villæ de Kinston/& formata & facta est pax, inter regem & Ludouicum,in vigilia exaltationis sanctæ Crucis, ipso prius à sententia excommunicationis, qua,vt supra plenius dicitur,fuerat innodatus,solenniter absoluto. Eodem anno, papa Innocentius,postquam sedisset in cathedra annis. 18. mensibus. 5. & diebus quatuor 17. Kalendas Augúst. humanæ naturæ debita persoluit. Cui successit Honorius, 3. qui Cintius antea dicebatur,sessurus in cathedra annis 10.mensibus 7.& diebus. 19.sicut sequens narratio declarabit. A quo etiã approbatũ est, confirmatũ, & diligenter prosecutũ, propositũ negotii crucis,sicut in consilio Innocentii papæ fuit prætractatum. Cum autem forma pacis ad Ludouicum peruenisset audienda,& inspicienda,placuit timens multum deteriora. Partium igitur omnibus nobilibus conuocatis, iurauit primo Ludouicus & omnes complices sui, tactis sacrosanctis euangeliis, quod starent iudicio ecclesiæ,recederetque cum suis omnibus de regno Angliæ nõ rediturus, vel aliquam calumniam contra barones Angliæ, quos fallacia mendacii deceperat,impositurus.Induceret quoq; patrẽ suũ,quantum posset,& sciret,sine simultate,vt iura regi Henrico sua omnia restitueret.Et si quandoq; ad regnum Francię tenẽdum peruenirẽt,ipse eadem sine difficultate resignaret.Iurauit postea rex Angliæ Henricus, cum legato & Marescallo, & Magnatibus ibidem congregatis, quod redderent baronibus Angliæ,& omnibus aliis de regno, omnia iura, & hæreditates suas cum omnib. libertatibus ante petitis,pro quibus fuit guerra mota.Prisones,castra debita redemptionum,obligationes,iuramentorum fidei interpositum, obsides & consimilia,vtrobique sine plica fraudis, plene, & plane dimitterentur. Excipiebantur tamen quidam obstinati ab hac pace,de quibus non multum curauit Ludouicus,quia ipsi ad hęc sua opprobria impellentes,persuaserunt semper, & fouerunt, vtpote Simon de Langeton, & Geruasius de Hobruge cum aliis, qui postea transalpinantes, ex beneficio domini papæ vix meruerunt ecclesię & regno Angliç,restitutis beneficiis,quib.per legatũ spoliabantur, reconciliati. Quibus peractis,Ludouicus,vt dictum est,absolutus, acceptis mutuo à ciuibus London. ad viatica. 5000. librarum,ad Galliam irreuocabiliter properauit.

Moritur Saphadinus,capta turri cum catena,obsidetur Damiata ciuitas nobilis.

Anno gratiæ. 1218. Rex Henricus fuit ad natale,apud Northampton/Falcasio regi necessaria ministrante Mense vero Maii, rex Iohannes Hierusalem, cum patriarcha, & episcopis,incolis Bethleem & Acon, & aliis prælatis,Duce quoq; Austriç, magistris templi & hospitalis, & domus sanctæ Mariæ Teutonicorum, & Christianorum multitudine ab Acon vsque Damiatam prospere nauigarunt, & statim obsessa est turris quædam cum catena,quæ videbatur totius ciuitatis,non longe inde remotæ, robur & defensio. Et tunc fuit eclipsis lunę generalis,& non diu protracta obsidione,capta est à Christianis turris cũ catena. Destruuntur muri Hierusalem à Saracenis,ad reuocandum Christianos, ne obsideretur Damiata. Aduenit Pelagus Albanensis episcopus,apostolicæ sedis legatus, potius ad desolationem Christianorum,quam consolationem,sicut finalis rei euentus postea declarauit. Aduenit etiam magister Robertus de * Corsim, cardinalis, & magister Thomas de Nouin,theologi & prædicatores excellentissimi.Romanorum quoque multitudo, qui in primo certamine terga fugæ dantes, pernitiosum Christianis exemplum, sicut postea dicetur, præbuerunt. Venerunt etiam de regno Angliæ viri nobiles, & nominatissimi, illustris Comes Cestriæ Ranulphus, cum Comitibus Saero Winton. & Gulihelmo Arundello, & inclitis baronibus, Roberto filio Walteri, Iohanne constabulario Cestriæ, Gulihel. de Harecourt, Oliuerio filio regis Angliæ,cum sequela sua non modica, ad obsidionem Damiatæ. Nocte vero sancti Andræ, incomparabilis & inaudita tempestas,tonitrus, coruscationes, venti, & pluuiæ totũ fere mundũ per partes scil. Orientales & Occidentales terribiliter concussit, & tam mare quam Nilum ita coëgit subito intumescere, quod tam incolæ,quam Christiani damna incurrebãt irrestaurabilia. Eodemq; anno, dedicata est ecclesia S.Marię Wigorn.& corpus glorioſi episcopi,& confessoris Vlstani,prę-sentib. magnatibus regni,tam militum,quam prælatorum, translatum est vno eodemque die 7. Idus Iunii, litera dominicali. G. videlicet die Iouis,in septimana Pentecostes, præsidente ecclesiæ Siluestro episcopo, aliquando eiusdem ecclesiæ monacho & priore, magnifice hæc omnia procurante, & consummante.Et cum sanctus ille celebrius honoraretur,locis plurimis diuisæ sunt,& prælatis collatæ plures eiusdem reliquiæ,de quibus vna costa data fuit abbati Gulihelmo sancti Albani, quę gaudenter susceptа à conuentu, cum processione solẽni, in capis choralibus festiuis, cito post in auro collocata est artificiose,& consti-

* Cortus.

constitutum est vtrunque festum eius, scilicet depositionis, & trãslationis solenniter celebrandum. Circa eosdem dies, clitellis auro & argento refertis, Gualo legatus Romã postquam electionem Richardi de Marisco plenius procurauerat, & de multis Anglorum ad libitum redditibus disposuerat: remeauit. Ipse vero electus. 9. Kalendas Augusti, munus consecrationis suscepit. Pandulphus electus est in episcopum Norwicensem, qui recedẽte Gualone legato, successit in legationem eidem, & die lunæ post festum sancti Andreæ, venit London. apud sanctum Paulum. Eodem tempore facta est obsidio plena ciuitatis Damiatæ, compositis tentoriis, fossatis, & stationibus. Ipsis quoque diebus, obiit piæ memoriæ Siluester episcopus Wigorn. apud Rames. postquam omnia de patrono suo sancto Vlstano solenniter, præter feretrum, secundum desiderium suum diu præconceptum, cõsummauerat cui successit Gulihelmus de Bleis archidiaconus de Buckinghã, & consecratus est apud Westmonasterium dominica die, in crastino sanctæ Fidis virginis, & circa dies illos, post captam turrim, & obsidionem Damiatæ perfecte præparatam, Saphadinus dierum malorum inueteratus, fratruelumque suorum exhæreditator, ac regni Asiæ vsurpator nequissimus, dolore cordis affectus intrinsecus, mortuus est, & sepultus in inferno. Cui successit filius eius Coradinus, paternæ nequitiæ imitator indefessus. Rex Henricus proprium sigillum sibi fecit fabricari. Eodem anno Ranulphus prior Norwicensis factus est episcopus Cicestrensis.

Obiit Gulihelmus, magnus Marescallus, protrahitur obsidio Damiatæ, affliguntur Christiani, persistant tamen, offertur Hierusalem, cum regno, Christianis.

Anno gratiæ. 1219. qui est annus regni regis Henrici tertii quartus, fecit idem rex ad natale domini apud Winton. solennitatem magnam, quo etiam tempore Gulihelmus Senior Marescallus, regis & regni rector principalis, diem clausit extremum, & London. apud Nouum templum, in medio ecclesiæ tumulatus est, die Ascensionis dominicæ, videlicet. 17. Kalend. Aprilis, post cuius mortem memoratus rex in custodia Petri Winton. episcopi remansit instruendus. Eodem tempore, obsidio facta circa Damiatam, & continuata, nunc illis, secundum Martios euentus prælii, contulit, vel intulit pericula cum iacturis. Tandem die sancti Leonardi plus miraculo, quam hominum adminiculo, capta est vrbs Damiatæ, & cultui Christiano penitus restituta. Ipsis quoque diebus, Ludouicus instinctu patris sui ad partes se conferens Tholosanas, ipsam vrbem obsidione vallauit. Sed cum ibidem moram inaniter protraxisset & ibidem Simon de Monte forti Comes, egregiusque bellator, ictu lapidis petrarii obrutus occubuisset, & frater eiusdem Comitis simili modo occubuisset & infortunio: Ludouicus cum exercitu suo fame tabefacto, inglorius & confusus ad Gallias remeauit. Eodem anno, obiit Hugo de Mapenore, episcopus Herefordensis circiter Pascha, cui successit Hugo Foliot, & consecratus est Cantuar. circiter festum omnium sanctorum. Multa eodem anno concilia, & deliberationes habentur apud Westmonasterium inter barones, adhuc præ hostilitate nondum penitus pręterita, dissidentes, & inter Leolinũ Northwalliæ principem, & quosdã Angliæ magnates. Sed Leolinus semper illæsus per suas versutias permãsit. ipsis quoq; temporibus, cœpit violentior prædicatio instantissime fideles multos ad susceptionem crucis, contra Albingenses, communiter inuitare.

Translatus est beatus Thomas Cantuar. archiepiscopus, per Stephanum archiepiscopum. Canonizatus est beatus Hugo Lincoln. episcopus.

Anno gratiæ. 1220. Rex Henricus tertius, fuit ad Natale apud Marlebergam, adhuc sub custodia episcopi Wintonensis. Petri custoditus. Quo etiam anno, scilicet consecrationis eius in regem quinto, coronatus est apud Westmonaster. die Pentecostes, à Stephano Cantuariensi archiepiscopo, decimo sexto Kalendas Iunii, pręsentibus domino Pandulpho legato, & episcopis aliis, prælatis, Comitibus, baronibus & maioribus Angliæ, à quo archiepiscopo prædicatur ibidem crucis signatio. Deinde in festo sancti Barnabæ, conuenerunt ad colloquium apud Ebor. rex Anglorum Henricus, & rex Scotorum Alexander, vbi inter eos tractatum est de matrimonio contrahendo, inter eundem Alexandrum regem Scotiæ. & dominam Ioannam, sororem Henrici regis Angliæ, atque ibi fœdere confirmato, rex Scotorum ad propria remeauit. Eodem tempore, canonizatus est Romæ beatus Hugo Lincolnienſis, episcopus, & collegio sanctorum merito connumeratus, cuius festum celebratur quintodecimo Kalendas Decembris. Translatio quoq; beati Thomæ Cantuar. archiepiscopi, & martyris, sub Stephano glorioſæ memoriæ, eiusdem martyris successore in archipræsulatu quarto, magnifice in octauis apostolorum Petri

& Pauli celebratur. Sabbato autem ſancto, vigilia ſcilicet Pentecoſtes, inceptum eſt nouum opus capellæ beatæ Mariæ virginis apud Weſtmonaſt. rege Henrico tertio exiſtente ad hoc perſuaſore, funditore & primi lapidis in fundamento operis poſitore. Hoc anno, obierunt Henricus de Boun, Comes Herefordiæ, & Saerus de Quenci, Comes Winton. in itinere peregrinationis ſuæ verſus Hieruſalem. Dominica ante feſtum S. Barnabæ apoſtoli, vid. 7. Idus Iunii, dedicatur eccleſia S. Laurentii de Morduna, à Iohanne Arefertenſi epiſcopo honorifice, ſub magiſtro Thoma de Eſſex, tum eiuſdem eccleſiæ rectore. Hoc etiam anno, imminente tempore Aduentus dominici, orta eſt contentio grauiſſima inter epiſcopum Dunelmen. Richardum, & monachos, eo quod eſſet ſubſtantiæ eccleſiaſticę indiſcretus & prodigus dilapidator. Vnde ſub appellatione ſe protegens epiſcopus, plus ſolito profuſis opibus, Romam adiit, vbi eccleſiam ſuam pluſquã 30000. marcarum onerauit. Prioratus vero, & epiſcopatus hac continuata controuerſia, damna incurrit impreciabilia. Hoc etiam anno, itineratio iuſticiariorum domini regis per totam Angliam. Hoc etiã anno conſecratus eſt in epiſcopũ Elienſem, Ioannes abbas de Fontibus, vir ſimplex & iuſtus, ac recedens à malo, apud Weſtmonaſterium, in craſtino ſanctarum Perpetuæ & Fœlicitatis, dominica, qua cantatur, Lætare Hieruſalem. Tunc etiã temporis, Wallenſes metas terminorum ſuorum trãſgredientes, finitimis inter Angliam & Walliam cõſtitutis, præcipue Gulihelmo de Brauſa, damna cum iniuriis frequenter irrogarunt. Hoc anno Fredericus Secundus coronatus eſt Imperator Romæ, in baſilica ſancti Petri ab Hugolino epiſcopo Cardinali Oſtienſe, & Veliterno legato apoſtolicæ ſedis & Honorii. 3. papæ, 10. Kal. Decembr. Et depoſitus eſt anno imperii ſui quadrageſimo primo, per papam Innocentium 4. in Concilio Lugdunenſi.

Euſtachius de Faucunbridge, fit epiſcopus London. Pandulphus legatus Romam reuertitur.

ANNO gratiæ. 1221. Rex Henricus tertius, ad natale domini fuit apud Oxoniam, vbi feſta natalitia ſolenniter cum ſuis magnatibus celebrauit. Eodem tempore, Gulihelmus de ſancta Maria, eccleſię London, epiſcopus, reſignauit ſponte epiſcopatum in craſtino conuerſionis ſancti Pauli. Euſtachius de Faucunbridge, tunc * ſcaccarii theſaurarius. 5. Kal. Martii in epiſcopũ London. eligitur, cuius electio à legato Pandulpho apud Norwicũ confirmatur. Et dominica, qua cantatur Miſericordia Domini, tunc ſeptimo Kal. Maii, die videlicet ſancti Marci Euangeliſtę, apud Weſtmonaſterium cõſecratur à Benedicto Roffenſi epiſcopo, gerente vices domini Stephani Cantuarienſis archiepiſcopi, qui tunc propter ſpiritualia negotia ſanctæ eccleſiæ & regni Angliæ, in partibus agebat tranſmarinis, legato vero præſente. In breui poſtea, die Lunæ, videlicet proxima ante feſtum beatæ Mariæ Magdalenæ Pandulphus Norwicen. electus ceſſit legationi ſuæ ex mandato domini papæ Honorii, præſentibus Richardo Sarisbur. Petro Winton. Euſtachio London. epiſcopis, apud Weſtmonaſt. nullo alio tunc ei in legatione ſuccedente. Ille quidem multos bellicos tumultus, nondum congelatos, auctoritate ſibi tradita tempore legationis viriliter comprimebat. Idem receſſit ab Anglia poſt feſtum ſancti Michaelis. Circa idem tempus, Gulihelmus de Fortibus, Comes de Alba Marla, occupans quædam caſtra iniuſte, ad pacem domini regis nolens redire, excitauit contra eum hoſtilem rebellionem in Lincoln. vnde epiſcopo & ſingulis fautoribus eius à legato Pandulpho & epiſcopis & clero Angliæ, ob ſcelus tale perpetratum, excommunicatis, idem Comes irreuerenter coactus eſt ad deditionem, quibuſdam ex ſuis carceribus mancipatis, quibuſdam exilium perpetuum ſubeuntibus. Henricus rex, dedit Alexandro regi Scotiæ Iohannam, ſororem ſuam ſeniorem, in vxorem, quæ deſponſata fuit in craſtino Iohannis Baptiſtæ, apud Ebor. & nuptiæ, præſentibus ipſis regibus, & multis magnatibus, magnifice ſunt celebratæ. Eodem quoque anno Hubertus de Burgo, tunc iuſticiarius Angliæ, domino rege præſente cum domino Stephano, Cantuar. archiepiſcopo, & aliis terræ magnatibus, ſororem dicti regis Scotiæ, ſcilicet Margaretam, in ciuitate London. duxit in vxorem, dicto archiepiſcopo ſolennitatem deſponſationis celebrante. Ciuitas Damiata eripitur à poteſtate Chriſtianorum in vigilia decollationis ſancti Iohannis Baptiſtæ. Vnde cruceſignati, itineris propoſitum verſus eandem ciuitatem exequi volentes, audita Chriſtianorum cõfuſione ab itinere reuertuntur. Petrus de Rupibus, epiſcopus Winton. cruce ſignatus eſt. Euſtachius, London. epiſcopus, petiit ab abbate Gulihelmo, & conuentu Weſtmonaſterii proceſſionem, procurationem, viſitationem, & omnimodam iuriſdictionẽ, propter quæ, ad papã fuit appellatum. Eodẽ anno, obiit Gulihelmus de Albineto, Comes de Arundel, in partibus tranſmarinis, à Damiata rediens, & corpus eius per Thomam monachum ſancti Albani, in Angliam tranſportatur, apud Wimundham, cui ipſe Comes patro-

* *domini regis.*

patronus fuit, tumulandus. Eodemque anno, propter Wallensium frequentes irruptiones, qui etiam eundem regem paulo ante ad idem opus procurarent, rex Henricus propter loci opportunitatem castrum munitissimum firmauit, & ipsum à situ loci Montem Gomericum nominauit. Hoc anno, ordo fratrum prædicatorum confirmatur.

Reformatur pax inter ecclesiam sancti Pauli London. & ecclesiam VVestmonasterii.

ANNO gratiæ. 1222. Rex Henricus tertius, fuit ad Natale domini apud Wintoniam, episcopo ipsius ciuitatis, Petro, omnia sibi necessaria splendide ministrante. Ipso quoq; anno, sedata est controuersia, mota inter Eustachium episcopum London. & capitulum sancti Pauli ex vna parte, & Gulihelmũ tunc abbatem, & conuentum Westmonast. ex altera parte, per Stephanum Cantuar. archiepiscopum, Petrum Winton. Rirchardum Sarum episcopos, & Thomam de Merton, & Richardum de Dunestaple priores, in quos ambæ partes, tanquam arbitros & pacis ordinatores consenserunt. Qui monasteriũ Westmonast. ab omnimoda subiectione, & iurisdictione episcopi London. penitus exemptã declarauerunt. Et ordinauerunt quod ecclesia de Stanes, cum pertinentiis suis, in vsus proprios ecclesiæ Westmonast. conuertatur, & manerium de Sunneberi in proprietates episcopi London. & ecclesia eiusdem manerii cedat in vsus proprios ecclesiæ sancti Pauli in perpetuum. Et ecclesia sanctæ Margaretæ, cum tota parochia, cum omnibus capellis in parochia aliquando contentis, cum decimis, & omnibus pertinentiis, cum clericis & laicis in ea habitantibus, ab omni prælatione & iurisdictione London. episcopi, & officialium eius, & ecclesia sine omni exceptione, nullo mediante, subiecta sententialiter declarauerunt. Adiecerunt quoq; quod benedictiones abbatis, dedicationes ecclesiarum & capellarum infra limites dictæ parochiæ constructarum, vel in posterum construendarum consecrationes altarium, ordinationes monachorum & clericorum secularium, confirmationes puerorum, oleum & chrisma, & si qua sint similia sacramenta, vbicunque & à quocunque voluerunt episcopo, absq; contradictione omnimoda London. ecclesiæ imperpetuum recipiant. Eodem anno 2. Nonas Martii obiit Gulihelmus Eliensis, Angliæ thesaurarius, & Robertus Manduyt, domini regis camerarius, circa festũ. S. Barnabæ Magister Stephanus de Langeton, archiepiscopus, solẽne celebrauit concilium apud Oxon. in quo multa fuerunt statuta ad reformationem status ecclesiæ Anglicanę ac monasticæ religionis, sicut in dicto concilio alias continetur. Ante quod concilium, paucis diebus cõprehẽsus fuit quidam impostor, habens in corpore & membris, scilicet in latere, manibus & pedibus, quinq; vulnera crucifixionis. Et in eodem concilio, simul cum eo, alius nebulo vtriusque sexus, eiusdem erroris fautor, præsentabatur. Super quo conuicti, & publice confessi, iudicio ecclesiæ sunt puniti. Eodem anno Pandulphus consecratus est in episcopum Norwic. Eo ipso anno, obiit Gulihelmus de Humeto, abbas Westmonast. 12. Kalendas Maij. Cui successit Richardus de Berkinges, eiusdem loci prior, qui eodem anno 14. Kalen. Octob. à domino Petro Winton. episcopo, in ecclesia Westmonast. benedictionem accepit, Obiit Ranulphus Cicestren. episcopus, aliquando officialis Norwic. & eiusdem ecclesiæ postea prior. Cui successit Radulphus de Noua villa, qui consul totius regni factus antea cancellarius, custos & baiulus regii sigilli fidelissimus extiterat. Electus quidem fuit circa festum Omnium sanctorum, sed sequenti anno consecratus. Eodemque anno, quodam luctamine apud hospitale sancti Iacobi London. occasionem præstante, orta est dissensio & pugna magna, quæ tantum instinctu diaboli inualuit, quòd in confusionem & opprobrium suspensus est per malitiam quidam de nobilioribus ciuibus Londini, natu & possessione spectabilis, qui, vt impositum fuerat ei, seditionem in ciuitate cũ tumultu magno excitauerat, & damna abbati Westmonast. irrogauerat. Quod suspẽdium malitiose procurauerunt Hubertus de Burgo, tunc iusticiarius Angliæ, & Falcasius, tunc potens in regno dispositor. Vnde licet ipse prædictæ seditionis excitator, qui Constantinus dicebatur, reus esset, & dignus suspendio, tamen ipsi ciues London. ipsos, iusticiarum & Falcasium, semper postea exosos habuerunt, sicut futuri euẽtus manifeste docuerunt, sicut consequenter suo tempore declarabitur.

Rex, peruersos seductus consilio, quærit diuerticula de obseruandis libertatibus promissis. Quo resiliente resiluit rex Francorum Ludouicus.

ANNO gratiæ. 1223. Rex Henricus tenuit curiam suam apud Oxoniam. Et postmodum in octauis Epiphaniæ Londinum veniens cum baronibus & colloquium, requisitus est ab archiepiscopo Cantuar. & magnatibus aliis, vt libertates & liberas consuetudines pro quibus guerra mota fuit contra patrem suum, confirmaret, & sicut archiepisco-

pus ostendit euidenter, idem rex diffugere non potuit quin hoc faceret, cũ in recessu Ludouici ab Anglia, iurauerat, & tota nobilitas regni cum eo, q; libertates subscriptas omnes obseruarent, & omnibus traderẽt obseruandas Quod audiens Gulihelmus de Briwere, qui vnus erat ex consiliariis regiis, pro rege respondens, dixit. Libertates, quas petitis quia violenter extortæ fuerunt, non debent de iure obseruari. Quod verbum archiepiscopus molestè ferens, increpauit eũ, dicens. Gulihelme, si regem in veritate diligeres, pacẽ regni nõ impedires. Videns aũt rex archiepiscopũ in irã cõmotum, dixit. Omnes libertates illas iurauimus, & oẽs adstricti sum⁹, vt q; iurauim⁹ obseruem⁹ Et rex protinus habito super hoc cõsilio, misit literas suas ad singulos vicecomites regni, vt p milites. 12. vel legales hoẽs vniscuiusq; Comitatus, per sacramentũ facerẽt inquiri, q̃ fuerunt libertates in Anglia tẽpore Henrici aui sui, & factã inquisitionẽ mitterẽt apud London. ad regẽ, ad 15. dies post Pascha. Eodẽ anno, Gulihelmus Marescallus, Comes Penbrok, fuit in Hybernia. Leolinus autẽ hęc audiens, in manu forti cepit duo castella eiusdẽ Comitis, & in eis inuẽtos decapitauit. Sed Comes postea, collecto in Anglia copioso exercitu, castra eadẽ viriliter requisiuit, reddens Wallen. de strage talionẽ. Eodẽ anno, litera dominicali existente A. ciclo. 8. 9, Kal. Maii. fuit dies Paschalis, die. S. Georgii. Anno ipso. 3. Idus Augusti, obiit Philippus, rex Francorũ, qui suscipiens regnũ, patre suo Ludouico viuente, anno vero ætatis suæ. 15. regnauit annis 44. Cui successit Ludouicus filius eius, cuius scilicet Philippi mortem Cometa ardens, & crinita, paulo ante apparens, euidenter indicauit. Ipsius igitur obitu diuulgato, Henricus rex Anglorum misit archiepiscopũ Cantuar. cum tribus episcopis ad Ludouicũ iam in regem coronatũ, constanter rogans, vt redderet sibi Normanniã, eum aliis terris trãsmarinis sicut iurauerat in recessu suo de regno Angliæ, quãdo pax facta fuit inter ipsum & regẽ Angliæ, & magnates vniuersos. Ad hæc Ludouicus respondens, dixit, se Normanniã & terras illas iuste possidere, sicut ostendere paratus erat in curia sua, si rex Angliæ ad eã voluerit venire, ibidẽ iuri pariturus. Respondit præterea quod iuramentũ in Anglia factũ, ex parte regis Anglorum fuerat violatũ, dum imprisii sui, qui, ad Lincoln. capti fuerant, ad redemptionem grauissimã sunt cõpulsi, & Comes occisus Particensis. Ego vero nec iuramẽta eorum dudũ patri meo Philippo facta, & mihi ab eis obseruanda, non exegi, nec obsides retinui, sed omni in pace dimisi. De libertatibus autem regni Angliæ, quarum pater eius, & ipse contra iuramentũ suum violatores existunt, & pro quibus barones iustam guerrã mouerant, & quę in recessu meo concessæ fuerant, & ab omnibus iuratæ, actum est quod non solum illæ leges pessimæ ad statum pristinum sunt redactæ, sed & illis nequiores per totum regnum Angliæ sunt generaliter constitutæ, nec etiam ecclesiæ sanctæ (domine archiepiscope) libertates, quas in coronatione sua inuiolabiliter se iurauit conseruaturum, conseruat. Vnde qui prius pactũ violauit, periurus & iniuriosus existit, non ego. Quod audiens archiepiscopus & episcopi, qui eum eo erant, cũ aliud responsum habere nequiuerant, cõfusi ad propria sunt reuersi, regi Angliæ, quæ audierãt, referẽtes. Ipso quoq; anno, Iohannes de Bresnes, rex Hierusalem, & Magister superior hospitalis S. Iohannis, venerũt in Angliam circa octauas apostolorũ Petri & Pauli, pro auxilio postulando ad terræ sanctæ subsidiũ. Circa idẽ tempus, obierunt magister. S. de Apulia episcopus Exoniẽsis, circa festum Exaltationis sancti crucis, & Gulihelmus de Cornhulle, episcopus Cestrensis circa idem tẽpus. Eodem anno, Leolinus in potestate sua certificatus, & roboratus, crebras in conterminos fecit irruptiones, Gulihelmo Marescallo ad partes Hybernię diuertente. Quod cũ audisset Leolinus in manu forti cepit duo castella, alia quã prius. Quidã vero Anglici, scil. Hugo de Laci, & eius sequaces, eidẽ Leolino in odium regis adhærentes, & recalcitrantes, contra regem crebris insurgendo expeditionibus, Gulihelmum Marescallũ, inprimis Senioriẽ, postea autem Iuniorem, & quosdam alios regis barones ad deditionem premere conabantur, Et quoniam bellorum audacia ex præteritis euentibus, & successus futuros promittebat, incendiis confinia irreuerenter consumebat. Sed tota regio iam excitata contra ipsos maleficos, eosdem cum eorum sequacibus ad deditionem violenter compulerunt. Et qui facti sunt hostes in capite, corruerunt retrorsum in manu hostili, de qua non potuerunt deinceps ruina resurgere.

Castrum Bedfordiæ capitur, in quo capti suspenduntur.

Anno gratiæ. 1224. Rex Henricus tertius, ad Natale domini, tenuit curiam suam apud Northampton / præsente archiepiscopo. S. Cantuar. cum aliquibus suis suffraganeis & militia magna. Comes vero Cestriæ cum suis cõspiratoribus, apud Leicestr. festum suũ tenens, significauit regi cõtumaciter, quod nisi ab inceptis desineret exigẽdo castella sua, & adhærendo consiliis Huberti de Burgo, qui se supra se gerebat, omnes vnanimiter Angliæ

gliæ nobiliores in ipsum hostiliter insurgerent, & nolentem seu volentem cogerent humiliari. In crastino autem post missarum solennia, archiepiscopus Cantuar. cum suis suffraganeis, albis induti, candelis accensis, excõmunicationis sententiam tulerunt communiter in omnes regis & regni perturbatores, & ecclesiæ violentos inuasores. Interim tamẽ efficaciter prouidit rex, qualiter in manu potenti eorum posset insolentiã refrænare, clam mittens nuncios, literas regias deferentes, vt vires suas potenter conuocaret, quod vidẽtes regis aduersarii, timuerunt vtrobique sibi confusionem præparati, propriumque perpendentes defectum, venerunt apud Northampton ad regem vniuersi, & à Comite Cestriæ incipientes, reddiderunt singuli castella, municipia, honores, & custodias regi, quæ ad coronam suam spectare videbantur. Mansit nihilominus eorundem magnatum latens indignatio aduersus regem, quia noluit ad eorum instantiam Hubertum de Burgo, iusticiarium, secus quam deceret aut expediret regni rempublicam pertractantem, à magistratu suo amouere. Rex autem, licet Castra sua caute, adiuuante ecclesia, sibi mancipasset: corda tamen suorum baronum sibi in vinculo charitatis non conciliauit, quod cum per exploratores suos Ludouico, iam regi Francorum, & in regni solio confirmato, intimaretur, sumens de diuisione regni Angliæ confidentiam, vt in desolationem præcipitaretur, duxit exercitum grandem ad Rupellam, vt illam, armis vel precio, suo dominatui subiugaret. Quod audiens Falcasius, qui iam regem odio habuit, & vocans eum delirum & fatuum, signauit Ludouico, quod audacter propositum consequeretur inceptum quia ipse in medio Angliæ guerram moueret cum nonnullis nobilibus, ad hoc vnanimiter cõsentientibus. Incipiens ergo Falcasius recalcitrare, cepit quasi in hostili guerra vnum de iusticiariis regis, scilicet Henricum de Braibrok, in pace regis per stratam regiam itinerantem, & eundem in castellum suum de Bedford abduxit includendum, quod cum sine mora Ludouico fuisset declaratum, confidentius Rupellanos est aggressus, ac ciues audientes iam guerram in Anglia fumigare, & se quasi ab ipso rege derelictos, & de pecunia promissa delusos, à quo sperauerant omnem habere consolationem, cum magna mentis amaritudine sese, suamque ciuitatem, regi Ludouico reddiderunt. Tunc rex, tam in ciuitate, quã in castro suos fideles statuit circa initium autumni, & consequenter ante Assumptionem beatæ Mariæ omnem fere Pictauiam, custodes regis Angliæ expellendo, sibi adiugauit. Audiens vero rex Angliæ, quod Falcasius iusticiarium suum violenter captum incarcerauerat, & aliis iusticiariis suis, qui iusticiam exhibuerant, conquerentibus de rapinis eiusdem Falcasii, procaciter est comminatus, & cum omnibus, quos ad cõsilium de Northampton congregauit, ad obsidionem Bedfordiæ properauit. Falcasio tamen partes vicinas, more insidiantis, peragrante. Tandem post varios insultus, duobus circiter mensibus continuatos, captum est castrum viriliter ac violenter, & hostes regis, qui in eo inuenti fuerunt, patibulis ibidem paratis ignominiose, tam milites quam seruientes, quorum numerus fere ad cẽtum excreuerat, sunt suspensi. Falcasius interim, mille per meandros noctiuagus, & profugus petebat diuerticula. Veruntamen manus regis tandem nõ effugit. Captus est à regiis satellitibus, & transitum facientes, qui eum captum duxerant, per Bedford, monstrauerunt ei fratrem suum Gulihelmum de Breant, cum cæteris cadaueribus auræ præsentatis, & ductus London. episcopi custodiæ deputatus est, donec deliberatum foret, quid de tali esset faciendum. Tunc quoque tenebat beatus Paulus sub alis ecclesiæ suæ captiuum Falcasium latitantem, qui aliquando apud Bedford ecclesiam suam diruit, ad ædificium castri Bedfordensis construendum. Postea autem veniente die sui iudicii, non est morti addictus, quia aliquando, tempore guerræ, regi fideliter adhæsit, & seruiuit, sed abiurans Angliam, recessit irreditus. Vxor autem illius, quia nunquam, vel tyrannidi eius, nec etiam copulæ maritali consensit, cum filio eius Thoma indemnes permanserunt, immunes à pœna, sicut à culpa. Ipse tamen Falcasius Romanam curiam adiit, qui sciebat eam pro pecunia sibi de facili in quacunq; causa propiciandam. Sed machinatio sua non est à Deo permissa, vel à sanctis, quibus tot irrogauit iniurias, boni finis fortiri consummationem. Multis Angliæ nobilibus causa miserabilis ruinæ fuit ipse dictus Falcasius, mortis scilicet, pauperiatis, & degenerationis. De quibus vnus fuit ex vltimis, vir eximiæ nobilitatis, Iohannes Gisfardus, miles illustris genere, & corporis elegantia, qui in obsidione castri de Bedford spiculo balistæ, dum viriliter pro domino suo rege dimicaret, * obiit interemptus. Eodem quoque anno, consecrantur in episcopos, magister Alexander de * Sauenesbi, in Cestrens. Romæ à domino papa Honorio, die Paschæ. Gulihelmus, nepos Gulihelmi de Bruere Senioris in Exoniensem. Radulphus de Nouilla, in Cicestrensem, à domino Stephano Cantuar. archiepiscopo in octauis Paschæ. Hoc etiam anno,

* Confossus interiit.

* Stanesby.

domino regi pro magnis laboribus,&expensis suis,tam à prælatis quam à laicis concessum est per totam Angliam carrucagium, de qualibet scilicet carruca, duo solidi. Prædictum autem castrum de Bedford fecit rex interea solo tenus complanari.

Extorquetur quintadecima ab anglicana ecclesia,suspenditur Baldewinus imperator Constantinopolitanus per filiam.

Anno gratiæ.1225. Rex Henricus ad Natale domini tenuit curiam suã apud Westmonasterium, præsentibus clero & populo, cum regni magnatibus. Ipso anno, facta est generalis exactio quintędecimæ partis omniũ mobiliũ & catallorum,per totam Angliam, tã super viros ecclesiasticos & religiosos,quã seculares. Libertates generales tam forestarũ q̃ omnium aliarũ libertatum, licet nihil stabile vel solidũ adhuc obtinuerint, proclamatæ sunt. Richardus, frater regis,factus miles & Comes Cornubiæ, cum Gulihelmo Comite Sarisburiæ auunculo suo,& Philippo de Albineto,& quibusdam aliis magnatibus in Guasconiam committens se nauigio, dominica Palmarum transfretauit,& apud Burdegalem applicuit cum prosperitate. Eodem anno,obiit Ioannes Eliensis episcopus, aliquando abbas de fontibus, cui successit* Galfridus de Bulgo, archidiaconus Norwic. & consecratus est die apostolorum Petri & Pauli apud Westmonast. Eodem tempore, Baldewinus, Comes Flandrorum,qui, & imperator Constantinopolitanus, post* annalem peregrinationem rediit in Flãdriam,homagiis,& fidelitatibus & dominiis plurimarum vrbium prę stitis, & receptis. Filia vero eius & hæres,regi Franciæ Ludouico, tanquam tutori adhærens, multiplices molitur insidias,vt patrem proprium extingueret, & paternam abnuens cognationemtandem comprehensum,suspendio fecit interire. Circa eosdem dies Comes Sarum, qui in partibus Guasconiæ cum Richardo Comite Cornubiæ moram aliquam fecerat, ab inæstimabili maris periculo vix euadens, miraculose littori restituitur. Nec multo post obiit idem Comes. Vxor autem eius Ela Comitissa,post viri sui obitum, virum omnem respuens vitam castitatis continuando, in domo religionis, quam ipsa à fundamentis construxerat,post paucorum elapsum annorum, habitum cum velo suscepit sanctimoniali.

*Radulfus.

*Annosam.

Papa petit sibi dari de vnaquaque ecclesia cathedrali & conuentuali,duas prębendas,negatum fuit. Obiit Richardus episcopus Dunelmen.

Anno gratiæ.1226. Rex Henricus tertius, ad natale domini festum suum apud Winton. celebrauit. Quo peracto, profectus est ad Marleburgam, vbi graui infirmitate correptus, per multos dies iacuit desperatus. Venit interea terminus concilii,festum scilicet sancti Hilarii,apud Westmonast. præfixi, vbi rex cum clero, & magnatibus regni comparere debuerat, vt domini papæ mandatum audirent. Multis igitur in loco præfato congregatis episcopis,cum aliis prælatis & laicorum turbis,magister Otho,Dn.papæ nuncius, literas aperte coram omnibus recitauit, in quibus idem papa allegauit scandalum S. Romanæ ecclesiæ,& opprobrium vetustissimum,notam scilicet cupiditatis,quæ radix dicitur omnium malorum,& in hoc præcipue,quod nullus potest aliquod negotium in Romana curia expedire, nisi effusa magna summa pecuniæ, & donorum exhibitionę. Sed quoniam scandali huius & infamiæ, Romana paupertas causa est,deberent matris inopiã sublenare filii naturales, quia nisi à vobis, & aliis viris bonis, & honestis, dona reciperemus,deficerent nobis vitæ necessaria,quod esset omnino Romanæ incongruum dignitati. Adistud itaque scandalum penitus eradicandum,per consilium fratrum nostrorũ, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, quandam prouidimus formam, cui si volueritis consentire, à scandalo matrem vestram poteritis liberare, & in curia Romana, sine donorum obsequio, exhibitionem iusticiæ obtinere. Forma autẽ prouisa hæc est. Petimus in primis ab omnibus ecclesiis cathedralibus duas nobis prębendas exhiberi, vnam de portione episcopi,& alteram de capitulo,& similiter de cœnobiis,vbi diuersæ sunt portiones abbatis & conuentus. A conuentibus, quantum pertinet ad vnum monachum, æquali facta distributione bonorum suorum, & tantundem ab abbate. His in hunc modum propositis, persuasit ex parte domini papæ magister Otho, vt consentirent prælati,allegans supradicta incommoda,quæ in literis continentur. Hæc autem omnia audientes episcopi & ecclesiarum prælati, diuertentes seorsum ad colloquendum, cum super rebus propositis diutius deliberassent,respõsum suum in ore magistri Ioannis Bedfordensis archidiaconi communiter posuerunt,qui veniens in præsentia magistri Othonis,per hæc verba respondit. Domine,ista, quæ nobis proponitis, regem Angliæ specialiter tangunt, generaliter autem omnes ecclesiarum patronos regni tangunt, archiepiscopos, & eorum suffraganeos, nec non

non innumeros Angliæ prælatos. Cum ergo rex propter infirmitatem, & archiepiscopi, & nonnulli episcopi & alii ecclesiarum prælati, sunt absentes, in eorum absentia vobis respõdere non possumus, nec debemus. Et his dictis venit Iohannes Marescallus, & alii nuncii regis ad omnes prælatos, qui de rege Baronias tenebant in capite, districte iubentes, ne laicum feodum suum Romanæ ecclesiæ obligaret, vnde à seruitio sibi debito priuaretur, & sic singuli ad propria remearunt. Circa eadem tempora, Gulihelmus Longa spatha, Comes Sarum, fluctibus marinæ tempestatis iactatus, decubuit grauiter infirmatus. Intrans autem episcopus, qui advocabatur ad confessionem suam suscipiendam, intrauit ferens corpus Domini, vt ipsi Comiti postulanti salutare præberet viaticũ, & ipse Comes flens, & eiulans, & ab imo ducens suspiria, nudus omnino præter femoralia, à lecto prosiliens laqueum circa collum habens, sese contra venientem qui corpus Christi attulit, resupinum postrauit in pauimentum, creatorisque sui se protestans proditorem, omnes circumstantes ad singultum commouit lachrymarum, nec surgere, vel moueri voluit de loco ipso, donec plenarie facta confessione, cum iugi riuo lachrymarum viuifici sacramenti percepisset communionem. Et sic per dies aliquot in amaritudine pœnitẽtiæ perseuerans, in breui postea spiritum contritum fœliciter exhalauit. Contigit autem, quod, cum de castello ad nouam ecclesiam per vnum circiter milliare corpus eius ad tumulandum portaretur, cerei qui cum cruce de more portabantur accensi, inter pluuiarum effusiones, & ventorum turbines, non extinguebantur. Vt, sicut de beato Hugone episcopo Lincoln. & confessore contigit, aperte ostenderent Comitem de peccatis suis tam amarè pœnitentem, ad lucis filios pertinere. Hoc quoque tempore, missus est à domino papa, vt legationis officio fungeretur, in partes Gallicanas, magister Romanus. Qui ibidem, quod legatus Otho ab Anglis, à Francis sibi concedi instantissime postulauit. Sed in facie negabantur postulata. Ne igitur nihil fecisse videretur, fecit generaliter prædicari per totam legatiam suam, de cruce contra Comitem Tholosanũ assumenda. Rex vero Francorũ Ludouicus, impetrata papali prohibitione ad regem Angliæ, ne terras suas, eo absente, Deoque militante, hostiliter inuaderet, cruce contra Albingenses signatus est. Qui conuocato exercitu copioso valde, quia additi sunt ei omnes cruce signati, & coacti sequi iter suæ peregrinationis, nimis fastigiose assumpsit. Et dum in girum ciuitatem Auinionis obsedisset, ipsam dolo excogitato sibi expugnatam subiugauit. Sed successibus dolus ille caruit diuturnis. Nam procurante Comite Campaniæ, qui, vt sinistra fama refert, cum regina Blanchia adulterabatur, rex Ludouicus interiit potionatus. Circa ipsa tempora Falcasius, procurante Romana curia corrupta est muneribus & promissis, vt sua negotia expedirentur, & hoc maxime per clericum suum Robertum Passelewe, natione Anglicum, dum remearet versus Angliam, volens regem & regnum iterato perturbare, potionatus apud sanctum Cyriacum, vitam flagitiosam subito terminauit. Eodemque anno, Richardus de Marisco, moribus, & sequela regis Iohannis, quem ad episcopatum prouexit Dunelmensem, apud Burgum, postquam monachos innumeris vexationibus fatigasset, diem Kalend. Maii clausit extremum, ecclesiam suam fere 40000. marcarum debitis relinquens obligatam. Cui successit Richardus Saresberiensis, postulatus, qui iam tunc ad tres ecclesias cathedrales successiue est assumptus gubernandas. Eodemque anno, defuncti sunt episcopi, Benedictus Roffensis, & Pandulphus Norwicen. Pandulpho vero successit Thomas de Blonduilla, clericus de Scaccario regis, Huberto iusticiario efficaciter procurante, qui à Stephano Cantuar. archiepiscopo, dominica proxima ante Natiuitatem domini, munus consecrationis suscepit.

Chartæ libertatum post 15. collectam cancellantur. Obiit papa Honorius tertius. succedit Gregorius nonus. Rediit Comes Richardus de partibus Guasconiæ.

Anno gratiæ. 1227. Rex Henricus tertius, ad Natale domini, apud Radingum festum suum tenuit & celebrauit. Et eisdem diebus natalitiis, ne nil videatur in seculo iocũdum sine doloris admixtione, obiit Gulihelmus, Comes Essexiæ in dolorem, & in lamentationem, adolescens in donorum largitate satis profusus. Deinde, iam tyrannizans, rex London. veniens, causatus est ciues graui calumnia, quod in suum præiudicium dederunt Ludouico regi Francorum, nunc defuncto, quem quasi in sinu suo contra ipsum diu foouerant, quinq; millia marcarum argenti in recessu suo. Vnde compulsi sunt iidem ciues regi persoluere, cauillatorũ concilio, eandem pecuniæ, non sine multorum suspiriis & imprecatione, quantitatẽ. Cepit autẽ ab eis quintamdecimã partem omniũ mobilium suorum, & totius substantiæ suæ, sicut ei prius fuerat ab Anglia tota concessum. De Burgensibus

autem

autem Northampton cepit de auxilio mille libras,& ducentas, præter quintamdecimam, quam generaliter omnes de regno Angliæ, sine aliquo fructu, vel regni incremento subsequente, persoluebant. Compulsi sunt etiam viri religiosi, & clerici beneficiati, hanc quintamdecimam dare omniũ bonorum suorum,tam rerum ecclesiasticarum,quam laicarum, nec profuit eis appellatio ad dominum papam interposita,quia suggestum fuit eidẽ papæ ex parte regis,quod illa collecta facta fuit ad regni Anglicani restaurationẽ, quod ad ipsum iam specialiter spectare videbatur,& ita,qui pater & pastor sperabatur,factus est contra gregem popularem,luporum coadiutor. Ela Comitissa Sarum, relicta Gulihelmi de Longa spata, monachos Carthusienses, fundatos per maritum suum apud Heithorp, transtulit vsq; Hentonam Bathonien sis diœcesis. Eodem anno.cum iam rex securus fuit de quintadecima soluta,vel persoluenda,mense Februario apud Oxoniam concilio congregato,denunciauit coram omnibus se legitimæ esse ætatis, vt de cætero solutus à custodia, regia negotia ipse principaliter ordinaret, & sic, qui prius tutorem habuit & rectorem,Gulihelmum Marescallum,dum viueret,& postmodum Petrum Winton.episcopũ, excussit se consilio Huberti de Burgo,regni iustitiarii,de consilio & gubernatione dicti episcopi, & suorum, qui regi fuerant prius quasi pædagogi, ita quod omnes illos à curia sua amouit. In eodem itaque lugubri consilio, dum idem rex, spreto iuramento multiplici, & omni fœdere violato, fecit cancellari & cassari omnes chartas de prouinciis omnibus regni Angliæ, de libertatibus forestæ, postquam iam per biennium in toto regno fuerant vsitatæ,hanc prætendens occasionem, quod chartæ illæ concessæ fuerant & libertates omnes generaliter,signatæq; in chartis scriptis,dum ipse sciolus fuisset,& sub custodia, nec sui corporis vel sigilli aliquam haberet potestatem, vnde viribus carere debuit, quod sine ratione fuerat vsurpatum. Facta est igitur super his in concilio ingens murmuratio, & dolor amarissimus,quod sententiam tam ardui negotii, pro quo ratificãdo tam diuturna diligentia impensa est, tantus sanguis effusus,tanta pecunia persoluta, ad nihilum redactam,efflauit consilium malignantium,& reguli leuitas puerilis, nec erat qui reclamaret, quia præualuit pars iniuriantium.omnes tamen iustitiarium huius perturbationis suspicabantur authorem. Nam deinceps tanta familiaritate coniunctus est, vt omnes regni consiliarios,præter ipsum,pro nihilo reputaret. Tunc vero denunciatum est viris religiosis, & aliis, qui suis gaudere volebant libertatibus, vt inuocarent chartas suas de nouo regis sigillo,scientes quod rex chartas antiquas nullius momenti esse reputabat. Pro quarum innouatione,non iuxta sigillorum facultatem,aut consuetudinem,sed quicquid iusticiarius æstimabat,soluere sunt coacti. Eodem anno, defuncto papa Honorio. 3. successit Gregorius nonus,episcopus Ostiensis quintodecimo Kalend. Aprilis. A quo,eodem anno, confirmatus est ordo fratrum Minorum & certa regula scripta, & data, mortuo eodem anno fratre Francisco, in ipso ordine primo. Ad cuius prædicationem volucrum multitudo, cũ ab hominibus sperneretur, dicitur conueniisse. In ipsius quoque corpore, postquam beatam animam efflasset,inuenta sunt quasi recentia in latere, in manibus & pedibus, quinq; vulnera per modum crucifixi. Eodem anno,mense Maio,Richardus frater regis Henrici, venit in Angliam rediens de Vasconia. Eodem tempore, Henricus de *Sanfordia. Cantuar. archidiaconus,ad Roffensem episcopatum rite electus à Stephano Cantuar. archiepiscopo munus consecrationis suscepit. Quo etiam anno,Nonis Februar. Hubertus, Angliæ iusticiarius,gladio accinctus est à rege Comitatus Cantiæ. Illis quoq; diebus, facta est motio magna peregrinantium in terram sanctam,& prosperatum crucis negotium,finem fœlicissimum consecutum fuisset,si dominus Imperator,qui transfretaturus naues ascenderat,per morbi incommodum, post quatriduanam nauigationem, reuersus non fuisset. Anno ipso,orta est discordia inter Alexandrum episcopum Cestriæ,& canonicos suos Lichefeldenses ex vna parte,& priorem & conuentum Couentrensem ex alia, sub forma electionis,& pro quibusdam aliis articulis,vtriq; partium nimis dispendiosa.

*Sanfordia.

Decisa est contentio inter monachos Couentren. & canonicos de Lichefeld super electione episcopi.

Anno gratię. 1228. Rex Anglorum Henricus,festum dominicæ natiuitatis apud Ebor. solenniter celebrauit.Et inde recedens,versus London.recto tramite properauit. In quo itinere mensuras bladi,vini & ceruisiæ falsitatis arguens, ipsas iussit comburi. Ipso anno, cassata Romæ electione magistri Gulihelmi Scoti Dunelmensis electi, quia sic regi placuit. Richardus Sarum episcopus, ad eundem episcopatũ transfertur postulatus. Post cuius translationem, in confinio anni iam transacti, & sequentis, scilicet in aduentu domini,

mini,& infra dies natalitios,canonici Sarum tractantes de electione celebranda,magistrũ Robertũ de Bingliam,canonicum eiusdem ecclesiæ,in episcopũ rite elegerunt.Quo vtiq; anno,decisa est contentio,inter monachos Conuentrenses,& canonicos Lichefeldenses, super episcopo eligendo, Romæ per sententiã diffinitiuã,ita scil. vt deinceps episcopos alternatim eligant, hoc tamen obseruato, vt prior Couentrensis in electione primam semper habeat vocem. In qua sententia iuri monachorum plurimum videtur fuisse derogatum,qui antea semper pontifices elegerant abq; cõsensu canonicorum. Eodem anno dominus Imperator Constantinopolitanus humanæ naturæ debitum persoluit, filium hæredem relinquens paruulũ,& nõ idoneũ ad imperialem dignitatẽ.Circa dies illos,propter dilationes frustratorias,ne, sicut iurauerat,transfretaret, papa in dominum Imperatorem sententiam excommunicationis fulminauit,& sententiam per diuersas regiones fecit publicari,ex qua perturbatione Imperator in papã grauiter insurrexit. Rex Francorũ misit, super Comitem Tholosanum, expeditionem non modicam militarem. Anno ipso Stephanus Cantuar.archiepiscopus, qui magnifice reliquias beati Thomæ martyris trãslatas in locello aureo collocauit,& eiusdẽ martyris festum constituit solenniter celebrandum, ab exilio huius mundi, ad sui antecessoris beati Thomæ migrauit merito consortium. 7. Idus Iulii, & Cantuariæ sepultus est pridie Nonas eiusdem. Eodem tempore Wallenses prorumpentes, damna finitimis non modica irrogabant, quos rex cum iusticiario Huberto,collecto exercitu copioso, vix firmato quodam castro repressit. Tamen Wallenses insidiantes,nacta temporis opportunitate,illud solo tenus cõplanarunt.Propter ipsum,castrum Stultitiam Huberti appellarunt. Anni etiam ipsius spatio dominus Fredericus Imperator,mare mediterraneum ingressus,vt domino votum peregrinationis persolueret,in vigilia natiuitatis beatæ Mariæ apud Acon applicuit, cui veniẽtes obuiam clerus terræ & populus cum magno honore, vt tantum decebat virum, receperunt. Suspectum tamen ipsum multi habuerunt propter sententiæ, qua innodabatur, seueritatẽ.Tunc Imperator grauem tõti exercitui reposuit querimoniam, quod papa iniuste in ipsum tulisset sententiam,eo quod grauis infirmitas eũ redire compulisset. Soldanus autem Babyloniæ, sciens eum applicuisse, misit ei xenia preciosissima. Inuenit autem dominus Imperator, cum Acon applicuisset,exercitus populi Christiani principales,Ducem de Lenburgo,patriarchã Hierosolymitarum,archiepiscopos Nazarensem,& Cæsariensem, episcopos vero Angliæ Winton. & Exoniensem. Magistros etiam hospitalis,& Teutonicorum, qui præerant octingentis militibus peregrinis,& peditibus, quasi 10000. Hoc etiam anno venit in Angliam quidam archiepiscopus Armeniæ Maioris, gratia peregrinationis, ad loca sancta Angliæ oraturus. Literas quoque domini papæ, de personæ suæ commendatione,& causa sui itineris secum detulit testimoniales. Qui cum apud sanctum Albanum,Anglorum protomartyrem, orandi gratia peruenisset, inter cætera mirabilia,quæ per interpretem retulit scisciitantibus, aiebat quod vir,qui Christũ in carne vidit,adhuc viuit, eo quod Christus,cum duceretur ad crucis patibulũ,dixerat ei, sic te volo expectare donec iterum veniam. Vnde creditur victurus, donec dominus venerit ad iudicium magnum. Et inter loquendum interrogatus de conceptione beatæ virginis,si ecclesia Orientalis eam solennizet necne, respondit quod trium solenniter festiuitatum conceptiones recolit ecclesia Armeniæ ad minus, conceptionem scilicet Christi, quæ singulariter priuilegiatur, eo quod ex Spiritu Sancto sine macula concipientis consummata est, item conceptionem beatæ Mariæ virginis,& conceptionem beati Iohannis Baptistæ,eo quod angelica admonitio interuenit. In ecclesia tamen Orientali, duæ vltimæ festiuitates, non sic solenniter recoluntur,sicut prima. Eodem quoque anni circulo, Eustachius London. episcopus diẽ clausit extremum, in cuius loco canonici elegerunt magistrum Rogerium, cognomento Nigrum. Eodemque tempore,obiit Galfridus Elienſis episcopus, cui canonice electus successit Hugo,sancti Eadmundi abbas.

Papa nititur supplantare Imperatorem Fredericum,qui idcirco repatriat.

Anno gratiæ. 1229. Rex Henricus tertius ad Natale Domini tenuit curiam suam apud Oxoniã,vbi venit ad eũ archiepiscopus Burdegalensis,missus à magnatibus Guasconiæ, Aquitaniæ,& Pictauiæ. Venerunt etiam ad eum solennes nuncii de Normannia, quorum omnium communis erat suggestio, vt dominus rex ad partes securus veniret transmarinas,sciturus profecto,quod earũ magnates immutabiliter secũ starent ad omnia iura sua,quę ibidem amisit,recuperanda. Quod cum audiret Hubertus iusticiarius,distulit negotia in futurum,donec clementius tempus arrideret. Nuncii vero aliud non habentes in responsis,ad propria quasi delusi remeabant.Eodẽ tempore,papa Gregorius moleste

ferens

ferens, quod Imperator Fredericus, quasi spreto timore sententiæ suæ, negotia ecclesiæ in terra sancta amplectabatur, desperansq; quod ad vnitatem ecclesiæ non rediret, decreuit, ipso depulso, alium in culmine imperiali subrogare. Constituit igitur Iohannem de Bresne, ducem papalis exercitus, & eidem quicquid ecclesia Romana potuit adiutorii impendere, in thesauris, & armis, & indulgentia de peccatis, & admonitionibus ad prælatos, abundanter impendit. Quod cum imperatori significaretur, facta pace cum Soldano festinanter & caute, ne ad eum iste siniſter rumor perueniret, ad ecclesiasticum honorem & profectum, cum eodem treugam diuturnam & pacem constituit. Acceptaq; corona regni Hierusalem, naues parauit ad repatriandum, terræq; sanctæ valedicturus, orandi gratia ad flumen Iordanis cũ omni humilitate inermis, & paucis stipatus, perrexit, vbi à domesticis, quos putabat amicos, paratas insidias, muniante Babyloniç Soldano, euasit. Vnde semper postea, quasi suspectas personas, templarios exosos, & Soldanum habuit amicissimum, fidelitatem sentiens in infidelibus, & fidelium detestans infidelitatem, & ascendens naues in terrã sua prospere applicuit, susceptus cum gaudio, & adhęrentibus sibi fidelibus suis, sibi subreptas terras, in breui, imperio restituit viriliter vniuersas, de inuasoribus condignã capiens vltionem. Per idem tempus Stephanus domini papę capellanus ad restaurandum papę thesaurum perditum, & ad dictum imperatorem Fredericum deiiciendum, omnes decimas rerum ecclesiasticarum, non deductis expensis in tota Anglia, Hybernia, & Wallia, exegit, & permittente rege, extorsit. Vnde Anglia iam multipliciter bonis spoliata, miserabiliter cœpit ad egestatem inclinari, impotens postea respirare. Eodem quoque anno magister Robertus de Bingham, electus Sarum, apud Septoniam munus consecrationis susceptit. Qui fabricam nouæ ecclesiæ suæ non segniter prosecutus, ipsam fœliciter consummauit. Ipso quoq; anno rege, & priore, cum conuentu Cantuariç dissidentibus de persona in archiepiscopum substituenda, cassatoque Waltero monacho Cantuar. electus est in curia Romana, procurantibus Alexandro de Stanesby Cestrensi, & magistro Henrico de Sanford Roffensi, episcopis, & magistro Ioanne de Hotoft archidiacono Bedford, Magister Richardus cognomento Magnus Lincoln. cancellarius, & in ecclesia sua consecratur. Consecratiq; sunt cum eo per manum Roffensis episcopi in ea ecclesia, magister Rogerius London. electus, & Hugo Eliensis electus 4. Idus Iunii. Eodẽ anno, obiit Martinus de Pateshulle, decanus sancti Pauli London. 18. Kalend. Decembr. vir miræ prudentiæ, & legum regni peritissimus. Applicuit eo tempore in Anglia vir inuestigabilis versutiæ Henricus Mauclerc, Comes Britanniæ, vt regem Angliæ in partes saluo duceret transmarinas. Quod tamen negotium, vsq; ad serenitatem vernalis serenitatis, cepit dilationem. Eodemque anno, Richardus archiepiscopus pallium susceptit, à domino papa sibi transmissum.

Absoluitur Imperator. Rex Henricus pergit in Britanniam. Dux Saxonum venit in Angliam.

Anno gratiæ. 1230. Rex Henricus ad Natale domini tenuit curiam suam cum rege Scotorum, apud Ebor. quem ad illud festum inuitauerat, præsente archiepiscopo ciuitatis, cum magnatibus terræ nonnullis. Contigit eodem anno, in die scilicet Conuersionis sancti Pauli, in ecclesia sancti Pauli London. quod cum episcopus eiusdem ciuitatis in dicta ecclesia ante maius altare staret infulatus, ad celebrandum missam celebriter, vt moris est, congregato multo populo, subito in aere facta est nubium densitas, & solis obnubilatio admirabilis, vt vix socius socii discretam haberet agnitionem. Facta est repente tonitrui adeo horribilis concussio, & fulminis coruscatio, vt tota ecclesia, cum turri obrui videretur, nec defuit fœtor intollerabilis. Quo viso, clerus cum populo exiit glomeratim cũ festinatione, solo ad altare cũ vno diacono remanente episcopo. Eodem anno, restituta ciuitate Hierusalem imperatori Frederico, & populo Christiano cum corona regni Hierosolymitani, qui coronatus est in ipsa ciuitate. De modo, & tẽpore, regem Anglorum, & alios principes, vt eos exhilararet, per elegantes epistolas, auro bullatas, certificauit, in quibus continebatur, quod hic summatim perstringam. Soldanus Babyloniæ, vt prætactum est, ciuitatem Hierusalem populo, & cultui restituit Christiano, & patria tota libera fuit circumquaq;, ita vt pateret liber accessus Christianis peregrinis, ad loca sancta. Præterea restituta est ciuitas Bethlehem, & tota terra media inter Hierusalem & ciuitatem ipsam. Ciuitas quoq; Nazareth, & tota terra media inter Acon & ipsam ciuitatem, tota terra Turonis quæ largissima est, ac Christianis valde accommoda. Ciuitas Sydonis, quæ vulgariter dicitur Saeta, cum tota planitie, & pertinentiis suis, quæ multum fuit vtilis Sarracenis, maxime cum portus ibi sit congruus, & terra adiacens vberrima, & inde arma, & victualia, & multa necessaria ad ciuitatem Damasci, & de Damasco ad Babyloniã portarentur.

tarentur. Et quamuis ciuitatẽ Hierusalem, sicut melius vnquam fuit, reædificare nobis liceat, secundum pactum, necnon & castrum Iopen, castrum Cesariæ, Castrum Sidonis, & castrum S. Mariæ Teutonicorum, quod fratres ipsius domus in montana Acon ædificare cœperunt, & ab olim nullo treugarum tempore permissum extitit Christianis: Ipse tamen Soldanus, vsq; ad finem treugarum istarum decennalium, quæ inter nos & ipsum per decennium sunt statutæ, ædificia, vel castra aliqua de nouo facere, vel ædificare non debet. Sicq; die domĩnica. 18. die Febr. nuper prętęriti, ad laudẽ Christi, qui à mortuis hac die resurrexit, cõcordia huiusmodi hinc inde extitit iuramento firmata, & in Hierusalẽ coronã portauimus. Et sic visitauit nos oriens ex alto. Sed quia mundus iste semper amara dulcibus consueuit permiscere, cum ad imperium nostrum redeundo veniremus, aditu ad propria vix patente, inimicos nostros, quos papa, pater noster, in detrimentum nostrum exaltauerat, contriuimus, & motam vix sedauimus seditionem, & nisi nos sub tanta festinatione negotium hoc reuocasset, ecclesiæ status Dei gratia solidaretur mirabiliter exaltatus. Cumque hoc mandatum ad aures principum peruenisset, & postea in populis disseminaretur, deum glorificauerunt, qui non permittit sibi famulantes impediri, vel confundi. Eodemque anno, tempore quadragesimali, dominus Imperator, omni perturbatione complanata, hostibus suis nec papæ pepercit consanguineis, quos imperio inuenerat rebellantes. Quod videns Iohannes de Bresne, timens incidere in manus imperiales, fugit in partes Cisalpinas, nec potuit eum papalis instantia reuocare. Intermeantibus igitur solennibus amicis, sedata est discordia inter summum pastorem, & summum principem, quæ nimis fuerat ecclesiæ damnosa. Per idem tempus, Gulihelmus de Brausa, vir nobilis & potens, à Leolino principe Northwalliæ, sine iudicio, clam est peremptus. Eodemque tempore ad exactionem regis, archiepiscopi, episcopi, abbates, & priores, per totam Angliam, regi pecuniam dederunt non modicam, quasi per eam subtracta patri suo iura reuocare posset in partibus transmarinis. Proh dolor, ista exactio pecuniæ, & papæ de decimis ecclesiæ, consimilem finem est sortita. Ciues quoque London. pro eodem negotio, ad redemptionem grauissimam sunt compulsi. Iudæi etiam tertiam partem rerum suarum omnium, regi cum festinatione persoluerunt. Eiusdem anni curriculo, rex congregato copioso exercitu, pridie Kalend. Maii, naues ascendit, & in Britanniam applicuit, apud sanctum Mauloume. 5. Nonas Maii. Eodem quoq; anno, facta est eclipsis solis contra maiorem solitũ, summo mane. Ipso tempore, pacificati sunt magnates Francię, prius hostiliter dissidentes. Quibus congregatis cum equis, & armis, venerunt cum rege omnes, qui militare seruitium sibi debebant, in Britanniam, vt impetus regis anglorum reprimerent, qui in vrbe Andegauensi, cum Comite Britanniæ, & aliis Britonibus multis, qui eidem fidelitatem iurauerant moram traxit longiorem. Eodem tempore, submersus est Reimundus de Burgo, in flumine Ligeri. Circa idem tempus, Dux Saxonum, miles elegantissimus, quem dominus papa in imperium proposuit sublimare, fugit à facie Frederici Imperatoris persequentis, & venit London. vbi aduentum regis de Britannia expectabat. Ipso quoque tempore, Fulco Paganellus, & Gulihelmus frater eius, viri nobiles de Normannia, cum quibusdam aliis, quos secum traxerant, venerunt ad regem Angliæ in Britanniam, relictis castris suis cum terris vniuersis, & eidem, dum rex Angliæ in Britannia morabatur adhæserunt. Eodem tempore, dominus Imperator Romam veniens, cum omnem thesaurum domini papæ exhausisset, solenniter est absolutus, & eodem die, simul in vno palatio coëpulabantur cum gaudio & hilaritate. Illis quoq; diebus, rex Anglorum, cum multo tempore in Britannia iacuisset, & dies ociosos cum infinito thesauro consumpsisset, mortuis nobilibus, multis autem fame & infirmitate attenuatis, & ad extremam inopiam redactis, in Angliam inglorius rediit, inter quos Gilbertus de Clara, Comes Glouerniæ, diem clausit extremum. Remanserunt tamen post regẽ in Britannia, Ranulphus Comes Cestriæ Gulihelmus Marescallus, Gulihelmus Comes Albemarlæ cum aliis viris bellatoribus, donec clitellas penitus euacuissent. Ipso quoq; tempore, facta est eclipsis lunæ, remanente sibi breuissima claritate.

Orta est discordia inter regem & archiepiscopum Cantuar. Richardum pro castro de Tonebridge. Obiit idem Richardus.

Anno gratiæ. 1231. Rex Anglorum Henricus ad Natale domini tenuit curiam suam apud Lamhytham, Huberto, Angliæ iusticiario, necessaria ministrante, & ciuiliter procurante. Per idem tempus, orta est discordia inter regem & archiepiscopum Cantuar. Richardũ pro castello de Tonebridge, & aliis quibusdã terris, cum villa etiã de Tonebridge, & pertinentiis eius, quæ ad ius Cantuar. ecclesiæ spectare dicebantur. Eodem

anno, menſe Aprili, Richardus Frater regis, diſponſauit Iſabellam Comitiſſam Glouerniæ, relictam Gilberti de Clara, nuper defuncti, ſcilicet ſororem Gulihelmi Mareſcalli, Comitis de Penbrok, & nuptiis vix completis, idem Comes Gulihelmus, diem clauſit extremum, & London. apud Nouum templum ſepultus eſt iuxta patrem ſuũ. 17. Kal. Maii. Circa illa tempora, ſtatutę ſunt treugæ inter regem Francorum & regem Anglorum, quibus ſtatutis, reuerſus eſt in Angliam Comes Ceſtriæ cum aliis, quos ibi rex Anglorum dimiſerat in Britanniã. Menſe vero Iulio, Petrus Winton. epiſcopus, completo in terra ſancta iam fere per quinquennium magnifice peregrinationis voto, reuerſus eſt in Angliam, Kal. Auguſti, & Wintoniam veniens, ſuſceptus eſt cum proceſſione ſolenni, in ſua eccleſia cathedrali. Eo ipſo anno, Richardus archiepiſcopus Romã petiit pro cauſa iam dicta vbi pro voluntate negotiis expeditis, rediens, apud ſanctam Gemmam, in domo videlicet fratrum Minorum, tertia dieta citra Romam, diem clauſit extremum, & ſic eo expirante, expirabant cum eo negotia impetrata. Eo tempore propoſuit rex ducere in vxorem, regis Scotiæ ſororem, indignantibus Comitibus, & baronibus ſuis vniuerſis. Non enim, vt dixerunt, decebat, quod rex duceret filiam natu minorem, cum Hubertus iuſticiarius natu maiorem haberet ſibi matrimonio copulatam. Sed cum ab hoc propoſito per Comitẽ Britanniæ, qui tunc erat regi pro pædagogo, rex inuitus impediretur, dedit eidem Comiti, multa, pmittenti ſed nihil adimplenti, 5000. marcarũ argenti, ac ſi tantũ defuiſſet de iactura præterita. Defuncto itaq; Richardo Cantuar. archiepiſcopo, decreuerunt monachi Cantuar. Radulphum de Nouella Ciceſtrenſem Epiſcopum, videlicet cãcellarium regis, ſibi in præſulẽ vnanimiter poſtulare, quia erat regi & regno fideliſſimus, & inconcuſſa columna veritatis. Sed poſtquam hæc poſtulatio domino papæ ſignificata innotuit, facta diligenti inquiſitione de moribus eius à magiſtro Simone de Langeton timens zelum fidelis viri, ne quandoque regnum Angliæ, quod ſincero corde diligebat, de iugo tributi, quo tenebatur, niteretur excutere, reſpondit, quod rapidus erat in verbo, & præſumptuoſus in opere, nec erat talis, dignus tali prærogatiua. Et vt facilius refilirent monachi à propoſito, benigne conceſſit eis licentiam, alium ſibi in archiepiſcopum eligere vel poſtulare. Circa eadem tempora, quidam, quos ſupra modum grauabat intolerabile iugum Romanorum, impetratis quibuſdam, quoquo modo, regalibus literis, blados Romanorum diſtrahentes, Cintium quendam Romanum, Eccleſiæ ſancti Pauli London. canonicum, hoſtiliter ceperunt, & poſt aliquos dies, vacuatis crumenis, abire permiſerũt. Sed cum hæc ad regis notitiam peruenirent, papa conquerente, totum crimen hoc in Hubertum iuſticiarium refudit, & ipſum ex illo tempore, tanquam quilibet Romanus fratet eius eſſet, qui ipſum regem in multis tribulationibus de regno obtinendo, efficaciter ſæpe adiuuit, Hubertum iuſticiarium inſatiabili corde perſecutus eſt, ſicut ſequens narratio, legere volentibus, declarabit.

Electus eſt in archiepiſcopum Cantuar. magiſter Iohannes Blundus, caſſato Iohanne priore. Hubertus de Burgo magnam patitur perſecutionem.

Anno gratiæ. 1232. rex Anglorum Henricus tertius, fuit ad Natale domini apud Winton. cui Petrus eiuſdem vrbis antiſtes omnia neceſſaria procurauit, & feſtiua, tam regi quam ſuis, exhibuit indumenta cum donatiuis. Per idem tempus, rex propter nimias expenſas, quas effudit in Britannia, auxilium pecuniare ſibi poſtulat, tam à militibus quam prælatis, exhiberi. Eodem tempore à conuentu Cantuar. electus eſt Iohannes, prior eiuſdem Eccleſiæ, in archiepiſcopum Cantuar. qui cum eſſet regi præſentatus, & acceptus, profectus eſt Romam, vt electionem rite factam impetraret à ſede apoſtolica confirmari. Sub eiſdem diebus, Henricus Roffenſis Epiſcopus, cum in ſabbato, quo cantatur; Sitientes venite ad aquas, apud Sidingburne, præſente electo Cantuar. parato tranſalpinare, ordines celebraſſet, aſtante clero & populo, ſermonem faciens, fiducialiter proteſtatus eſt dicens. Gaudete omnes in domino fratres, ſcientes indubitanter, quod, vno & eodem die, nuper exierunt de purgatorio, rex quondam Anglorum Richardus & Stephanus Cantuar. archiepiſcopus, cum vno capellano eiuſdem archiepiſopi, ad cõſpectum diuinæ maieſtatis migraturi, & in eo die, nõ niſi illi tres de locis pœnalibus exierunt. Et his dictis meis fidem adhibeatis pleniſſimam & certam, quia mihi & cuidam alii, tertia iam vice, hoc per viſionem reuelatum eſt, ita manifeſte, quod ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas remouetur. Venit eodem tempore Romam prior Cantuar. Iohannes electus Cantuar. vt eius electio à domino papa confirmaretur. Sed quia papa videbat eum nimis ſenem, & ſimplicem, & minus idoneũ tantæ dignitati, perſuaſit ei, vt cederet in ſpiritu lenitatis, quia credi-

credidit eum esse sanctum, & bene religiosum. Ipse vero libenter, & in spiritu humilitatis, factæ electioni renunciauit. Tunc papa, concessit licentiam monachis ipsis, quos minus discretos reputauit, vt alium, & talem eligerent, cui onus suum communicare, & curam competenter committere possent pastoralem. Circa dies illos, Leolinus, princeps Walliæ fines baronum Angliæ ingressus, cœpit more solito vacare incendiis & rapinis. Considerans autem rex diligenter, quid thesauri in ærario regio contineretur, minus multo, quam credidit, inuenit in deposito. Exegit igitur à suis ministris districtum ratiocinium, Ranulphumq; cognomento Britonem, cameræ suæ thesaurarium, ab officio suo deponens, tenensq; in arcto, ad grauissimam compulit redemptionem. Concilioque in his fretus episcopi Winton. Hubertum de Burgo. iustitiarium regni, ab officio suo, licet chartam regis haberet balliuæ suæ sibi perpetuandæ, rex amouit truculenter, Stephanum de Segraue subrogando. 4. Kalend. August. Exegitq; de thesauris suis ratiocinium, impositq; ei crimina enormia, obiecto etiam crimine læsæ maiestatis. Insurrexerunt igitur multi in eũ, insurgente rege, & eum in multis accusauerunt, inter quos ciues London. quasi appellantes eum sceleris, super suspendio Constantini, conciuis sui, exigerunt sanguinem suum de manibus suis, postulantes, instantia magna, sibi de tali iniuria iustitiam exhiberi. At Hubertus, cum talia cognouisset, ad ecclesiam Mertonæ fugit, ibidem inter canonicos delitescens. Eodem anno, tempore autumnali, electus est magister Iohannes Blondus, apud Oxoniam studens, & legens in theologia, in archiepiscopum Cantuar. qui à rege susceptus, cum monachis quibusdam Cantuar. Romam profectus est, vt electionem suam confirmari à sede apostolica impetraret. Temporibus sub eisdem, concessa est regi pro debitis, quibus adhuc pro Britannico negotio, Comiti Britanniæ tenebatur astrictus, quadragesima pars rerum mobilium ab episcopis, abbatibus, prioribus, clericis & laicis, sicut ea habuerunt, in frugibus tunc congregatis circa festum sancti Michaelis, consilio Stephani de Segraue, extorquenda. Per idem tempus Hubertus, regiæ iræ cognoscens asperitatem, non est ausus apparere præsentiæ regis die sibi præfixo. Tunc rex iratus, significauit Maiori London. iam hora instante vespertina, quatenus statim visis regiis literis, cõiunctis sibi vniuersis ciuibus vrbis, qui arma mouere possent, irent Mertonam, hostiliter inde Hubertum de Burgo viuum vel mortuum extracturus, & eidem præsentaturus. At Maior, signo communi pulsato, cum populo ciuitatis armatus illuc properauit, regiis mandatis pariturus. Quod cum audisset Hubertus, ante maius altare se in orationibus prosternens, corpus suum, & animã Deo cõmendauit. Dum autẽ illuc ruerent ciues armati cateruatim, suggestũ erat regi, quod si violata pace ecclesiæ Hubertum, quondã magistrum suũ, notum pro fideli omnibus fere Cisalpinis regionibus, totaliter confunderet, omnes, præcipueq; Franciæ nationes, in vos conuiciis insurgent & opprobriis, & forte, cũ ipsa vltrici ecclesia, arma mouebunt. Quo audito, & salubriter intellecto, ante seditionem motam, ciues furibundos festinanter reuocauit. Post hæc autem, Lucas, archiepiscopus Dublinensis, qui beneficia sibi ab eodem grataner collata recognouit, eundem Hubertum in domino consolatus, multis precibus impetrauit à rege inducias Huberto, vt tempus haberet deliberandi, vt obiectis commde posset respondere, quæ vix concessa sunt vsq; ad octauum Epiphaniæ. Tunc super his per literas regis Hubertus certificatus, ad sanctum Eadmundum iter arripuit, vbi vxor eius Margareta morabatur, glorioſi regis, & martyris rogaturus de tribulatione consolationem, & transiens per Essexiam, hospitatus est in villa quadam, ad ius episcopi Norwicen. pertinente. Quod cum regi fuisset relatum, ira incanduit vehementi, metuens, si Hubertus ita recederet, perturbationem machinaretur in regno, vnde facti pœnitens, misit post eum Godefridum de * Granecumbe militem, cum 300. armatis, præcipiens sub pœna suspendii, quatenus illum captum reducerent, & in Turri London. vinctum incarcerarent. At illi cum festinatione profecti, inuenerunt Hubertum in quadam capella, hospitio suo vicina, crucem in vna manu, & in altera corpus domini baiulantem. Erat enim præmonitus de aduentu quærentium animam eius, & surgens destrato, soporatus ad capellam confugit. At Godefridus, cum sociis armatis, capellam ingressus, præcepit ex ore regis, vt exiret de capella, & veniret London. cum rege locuturus. Sed Hubertus, quod iram regis nimis timebat, respondit, & ideo nullo modo exire ausus exiterat. At Godefridus, & eius complices rapuerunt crucem cum corpore Christi de manibus eius, & vinculis eum constringentes adduxerunt London. & ipsum in turri posuerunt compeditum. Quo audito episcopus London. grauiter conquestus est regi, de tam enormi violatione ecclesiæ, & procurauit audacter, & constanter, vt Hubertus in capella, qua captus fuerat, reduceretur. Fecit igiter rex circumuallari capellã, præ-

*Cranecũbe.

cipiens sub pœna suspendii, ne aliquo euaderet ingenio,& ne cibum haberet excubando diligenter, vicecomitibus Hertfordiæ & Essexię.cum copia vigilantium, districte præcepit. Videns igitur Hubertus mortem turpissimam sibi imminere, sponte de capella exiit offerens se vicecomitibus,qui eum obseruabãt. Dixit enim se potius velle regis misericordiam experiri,quam tabescere fame detestanda. Eisdem temporibus per regios satellites, Petrum de*Taney, Gulihelmum de Colewrthe,& Adam filium Gulihelmi,fecit rex colligi per Angliam quadragesimam omnium mobilium apparentium,sicut se habuerunt in crastino sancti Matthæi, anno regni sui 16. Circa idem tempus, obiit Ranulphus, Comes Cestriæ,& Linconl. apud Walingfort. 5. Kal. Nouembr. De cuius obitu,cum nunciaretur Huberto de Burgo rumor, & diceretur quod vnus de maximis hostibus suis mortuus esset, assumpto suspirio cum alto gemitu, ait, Deus propicietur animæ ipsius, & postulans psalterium, ante crucem stando, sine pausatione ipsum ieiunus psallendo compleuit pro anima comitis memorati. Eodemq; tempore,audiens rex quod Hubertus magnã partem pecunię apud Nouum templum deposuisset sub custodia Templariorum,omnia diripuit, dicens, omnia hęc & alia dolose,& furtim ab ærario suo fuisse subtracta. Hoc etiam anno, papa Gregorius constituit visitatores super religiosos, per vniuersum orbem constitutos. Eodemq; anno, Rogerius Lõdon.episcopus, accusatus inter alios super districtione frugũ Romanorum.saltem de consensu,profectus est ad sedem apostolicam,vt suam ibi purgaret innocentiam. Qui post multos labores, & spoliationem obiter,& emunctionem locu lorum in curia, demum vexatus inaniter remeauit. Nec multo post ægre sustinens vsurarios Christianos quos Caursiuos appellamus, in ciuitate sua habitare, & fœnora sua, variato nomine palliantes,exercere,conabatur eos à diœcesi sua propulsare. Sed ipsi recalcitrantes, Romanę curiæ fulti patrocinio, ipsi, post multos, quibus eum exagitauerant, labores, silentium imposuerunt. Eodem anno, Ela Comitissa Sarum,fundauit abbatiam canonicarum de Lacok.

* Staney.

Exegit rex ratiocinium à Petro,episcopo VVinton. Item à Stephano de Seigraue,& Roberto Passelevve.

Anno gratiæ. 1233. Rex Anglorum Henricus tertius,tenuit curiam suam ad Natale apud Wigorniam,vbi de consilio Petri Winton. episcopi,omnes naturales curiæ suæ ministros à suis amouit officiis, & Pictauienses,& alienigenas, eorum ministeriis subrogauit. Gulihelmum de Rodũe militem expulit contemptibiliter, qui in curia regis vices gerebat Magni Marescalli,quod idẽ Richardus Marescallus nimis molestè tulit. Walterum quoq; cognomento Mauclerk, episcopum scilicet Carleolensem, idem rex Henricus per consilium prædictũ,ab officio thesauriæ expellens,centum libras ab eodẽ exegit, & custodias quasdam,quas eidem per chartã confirmauerat,truculenter subtraxit. Consiliarios autem suos omnes, tam episcopos quam Comites,ac barones & quosdam de regno suo nobiles,ita præcipitanter abiecit,vt nulli crederet nisi episcopo memorato,quasi coleret ipsum pro Deo,charumq; suum Petrum de Riuallis. Vnde factum est, vt expulsis castrorum custodibus per totam fere Angliam, rex omnia sub ipsius Petri custodia commendaret. Tunc idem Petrus, Winton. episcopus, attraxit in suum consortium Stephanum de Segraue, regno & ecclesiæ nimis infestum, qui dederat prauum consilium magistro Stephano, papæ capellano, decimam collecturo ecclesiarum Angliæ, ne finem faceret cum prælatis Angliæ, sed ipsam decimam, in integrum collectam, diligenter papæ reseruaret, per quod consilium detestabile, ecclesia incurrit damnum inæstimabile multipliciter.Per hoc enim ascendit summa collectæ in duplam fere quantitatem,& quod peius erat,per hoc patuit Romanę curię cupiditati,numerus,& pretium ecclesiarum,præbẽdarum,& reddituũ singulorum Anglicanæ regionis,vnde magis ac magis rapinis eorum auidius inhiabant. Sed conditionaliter conuenit inter dictos ipsos Stephanos, quod pro illa proditione obtineret ipse Stephanus de Segraue,ad opus filii sui clerici à sede apostolica indulgentiam,plura beneficia,quod possint ei acquiri,libere possidendi.Sed caruit successibus fraus illa,in rempublicã nequiter machinata. Nam idem clericus, filius Stephani sæpedicti,per breue tempus,vltore Deo,vitam terminauit. Adiunctus est eis Robertus cognomento Passelewe,qui cum Falcasio domino suo Romæ contra regem & regnum aliquando toto conamine,& effusa nõ minima pecuniæ quantitate, grauamina machinabatur. Hic,sub Petro de Riuallis,thesauros regis custodiuit,sicque factum est, vt totius regni habenæ alienigenis,& ignobilibus,spretis aliis, committerentur. Inter nobiles igitur Angliæ surrexit quasi alter Mathathias,vir nobilis,& miles strenuissimus, Comes Richardus, regis Marescallus, zelo iusticiæ prouocatus, desipientis regis constanter increpans simplicita-

plicitatem. Ipſi quoq; Comiti adhæſerunt Gilbertus Baſſet, Warinus & Philippus fratres ſui, & Richardus Siwardus. Præter dictam cauſam diſcordię fomitem miniſtrauit, quod rex de conſilio alienigenarum, & quorundam iam dictorum indigenarum ipſum blanditiis, & adulationibus infatuantium, manerio de Netherauene in Comitatu Wiltesire, dictum Gilbertum Baſſet iniuſte, & ſine iudicio diſſecuit, ſpoliando violenter, & Petrum de Malolacu, Pictauienſem, eodem inueſtiuit. Quam iniuriam dictus Comes reputans ſuam, imo publicam, per epiſcopos, clericos, fratres prædicatores, & minores, inſuper per ſuos pares multoties regem interpellauit, vt dictum Gilbertum Baſſet, & alios regni naturales, ſecundum leges, & regni conſuetudines tractaret iudicialiter, alienigenarum & prę-
10 dictorum malignantium praua conſilia non ſequẽdo. Quorum preces & monitiones rex nullatenus exaudiuit, ſed ex hoc ira maiori commotus tam dictum Comitem, quam complices ſuos, in Walliam expulſos, fecit exulari, terris & poſſeſſionibus eorum datis in direptionem, & omnibus bonis confiſcatis. Et quoniam magna neceſſitas ad remedium excogitandum compulit memoratos, elegerunt potius tantæ iniuriæ viriliter reſiſtendum, & pro patria pugnandum, quam iniuſtam & voluntariam aliquorum exhęredationem ſuſtinere. Et licet in perſonam regis per caſum poſſent aliquando deſęuiſſe, hoc nolentes, ſuos per prædas, ſpolia, incendia, modis omnibus, quibus poterant, damnificauerunt per totam æſtatem, & hyemem, dicta guerra perdurante. Eodem anno. 10. Kal. Aprilis, mugierunt horribilia tonitrua, & ſecuta eſt per totam ęſtatem tanta pluuiarum inundatio, quod vbiq;
20 viuaria confregit & ſtagna, atq; molendina, per vniuerſam fere Angliam, à ſuis ſedibus violenter euulſit. In campis nempe arabilibus, pomariis fructiferis, & aliis locis inſolitis, proruperunt fonticuli, riuulis diſcurrentibus, qui piſciculos produxerunt, aptatis ad hos inſolitis molendinis. Eodemque tempore. 6. Idus Aprilis, circa horam diei primam, vltra fines Herefordiæ & Wigorniæ, in cælo quatuor ſoles adulterini, præter verũ ſolem, cum quibuſdam circulis ſeſe prodigialiter interſecantibus, apparuerunt, & ſubſecuta eſt ſtrages maxima in confinio Walliæ, in partibus conterminis, & in Anglia incendia miſeranda. Hoc anno, mortuus eſt Warinus Baſſet in obſidione, & aſſultu caſtri de Kaerdif. Ipſo quoque tempore, Romæ caſſata eſt electio magiſtri Iohannis Blondi. Scripſerat enim pro
30 eo epiſcopus Winton. domino imperatori, vt dignaretur iuuare eundem Iohannem, vt promoueretur ſine talibus impedimentis, quibus alii, qui ad eandem dignitatem vocabãtur, fuerant præpediti. Papa vero, qui imperatorem ſincero corde non diligebat, non adquieuit ſuæ petitioni, cauſamque ſimulans caſſationis ſuę, obiecit eidem Iohanni acriter, quod ſine diſpenſatione duo beneficia, quibus annexa fuit cura, obtinuerat, quę cauſa, vt ait, ſatis valida fuit ad ipſius caſſationem, & ita magis ei obfuit, quã profuit, epiſcopi Winton. familiaritas, & ipſius petitio. Eodem tempore, electus eſt in archiepiſcopum Eadmũdus de Abindune. Per idem tempus, videns ſe deſtitutum Comes Richardus, confœderatus eſt cum Leolino, & aliis magnatibus illius regionis, præſtito iuramento. Et tunc temporis, in craſtino ſcil. beatę Marię apud Doueram applicuerunt viri bellicoſi multi, ex regio-
40 nibus tranſmarinis venientes, & ad regem apud Glouerniam peruenerunt. At rex illorum & aliorum multorum vallatus cateruis, ad Herefordenſem vrbem exercitum ſuum promouit copioſum. Eodemq; tempore Walterus Carleolenſis epiſcopus, quibuſdam iniuriis ſibi à rege illatis, apud Doueram nauem erat ingreſſus, vt tranſfretaret. Superuenerunt autem quidam miniſtri regis, eiicientes eum cum ſociis ſuis de naui, & firmiter ex parte ipſius regis prohibebant, ne abſq; illius licentia de regno exiret. Applicuit autem eo tempore ibidem Rogerius London. epiſcopus, à curia Romana reuerſus, qui videns iniuriã illatam præfato epiſcopo, excommunicauit omnes qui in eum manus iniecerant violentas, & inde profectus ad regem, inuenit eum apud vrbem Herefordenſem cum exercitu
50 ſuo, ibiq; in præſentia regis, & quorundam epiſcoporum de violentia, Karleolenſi epiſcopo illata, ſupradictam ſententiam innouauit, rege tamen murmurante, & ne talem ferret ſententiam prohibente. Epiſcopo autem London. omnes qui præſentes fuerunt epiſcopi, fauorem præbuerunt. Eodem tempore, rex conſilio Petri Winton. epiſcopi, Mareſcallum diffidauit per epiſcopum Meneuenſem. Ipſo quoq; tempore, Hubertus, qui in caſtro de Diuiſis tenebatur incarceratus, prćmonitus quod eum epiſcopus Petrus fame perimere propoſuerat, ſponte ſeipſum ab alto muro miſit in foſſatum, & intrans in eccleſiam, violẽter à cuſtodibus caſtri extractus eſt. Sed reclamante epiſcopo viriliter, diœceſano ſcil. Sarum, in ipſam eccleſiam reductus, nõ multum poſt tempus, per complices Mareſcalli, inde raptus eſt, & militaribus armis decenter armatus, in Walliamq; ductus, regis hoſtibus, 3. Kal. Nouemb. eſt aſſociatus. Per idem tempus, quadam nocte, rex apud Groſmundum,

hostibus ex improuiso prorumpentibus, magnam cum magna iactura incurrit confusionem. Et postea paruo elapso tempore, facta est cõgressio grauissima & hostilis, apud castrũ Monumutẽse, vbi ex parte Marescalli captus fuit Thomas Siwardus iuuenis, bellator præclarus: ex parte regis milites. 15. seruientes autem quam plurimi. Acta sunt hæc die sanctæ Catharinæ. Eodem anno, construxit rex domum conuersorum London. errorem Iudaicũ relinquentibus, in certis redditibus, pro animæ suæ & patris sui redemptione, illis vitæ necessaria in perpetuum assignauit. Similiter zelo Dei tactus, hospitale nobile Oxoniæ, non procul à ponte peregrinis & infirmis, per partes illas transmeantibus, propriis sumptibus fabricauit.

Perimitur nobilis miles Richardus, Comes de Penbrok, in Hybernia. Eadmundus, consecratus in archiepiscopum Cantuariensem pacificat fratrem eius Gilbertum regi, simul & alios magnates regni. 10

Anno gratiæ. 1234. Rex Henricus tertius, tenuit curiam suam apud Glouerniam ad Natale domini. Guerra, quæ anno præcedenti incepit, hoc anno terminata est. Firmatæ sunt treugæ inter regem & prædictum Comitẽ, à Purificatione vsq; ad Pascha. Infra quod tempus, Richard. Comes de Penbrok in Hyberniam transfretauit. A iusticiario M. & ab aliis magnatibus Hyberniæ homagium, & fidelitatem sibi fieri, & castra reddi instantissime postulauit, firmiter asserens se à terra ipsa nunquam recessurum, nisi sibi prius castella reddita essent. Ex quo indignantes magnates Hyberniæ, in contradictionem conspirantes, sine moræ dispendio, omnibus viribus se suosq; ad resistendum parauerunt. Quodam vero die, rerum euentu exigente, dicti Comitis mangnanimitas, non expectatis suorum 20 auxiliis, pugnam cum ipsis aggreditur, quoniam omnes fere, quos habebat præsentes, in primo conflictu ipsum comitem solum in campo relinquentes, se in fugam conuerterunt, dicto Comite, post multorum necem, lethali vulnere sauciato, & sic hostes sui victores extiterũt, & ipsum captum, in proprium castrum, vbi post paucos dies diem clausit extremũ, reduxerunt. Et sic consolatio Anglicana, quæ per strenuitatem ipsius Comitis sperabatur respirasse, sorte tenebrosa subito obfuscabatur. Interim durantibus adhue huius tempestatis reliquiis, magister Eadmundus de Abendune, dominica, qua cantatur: Lętare Hierusalem, scil. 4. Nonas Aprilis, consecratur in archiepiscopum Cantuariensem à domino Rogerio Londinensi episcopo, apud Cantuariam. Qui quidem pallium suscepit eodem die, per manum Henrici Roffensis episcopi. Qui tantam gratiam in oculis regis inuenit, quod 30 ad instantiam suam, mutato consilio alienigenarum, & æmulorum dicti Huberti, omnes magnates, qui Marescallo adhæserunt, simul & Hubertum, ad pacem regis reduxit, & ipsis reconciliatis, & etiam Alberto, fratre Richardi Marescalli, in Hybernia, vt dictum est, perempti in hæreditate fraterna liberaliter substituto, abiectisq; prioribus consiliariis suis, & in confusionem datis, circa ascensionem domini guerra est pacificata. Eo ipso anno, in confinio imperii, partes Alemanniæ contingenti, non procul à mari, victi sunt quidam noui hæretici, dicti Canini, & de sub cœlo penitus in ore gladii sunt deleti. Ipso etiam anno, aperti sunt oculi regis, & relatione fide dignorũ certificatus de fidelitate & cõstantia Comitis Richardi Marescalli, & de proditione sibi facta per quasdã adulterinas literas in Hyberniam transmissas, exegit ratiocinium sibi reddi de thesauro suo, simul & de sigillo nequiter custoditis, à Petro Winton. episcopo, & Petro de Riuallis, Stephano de Seigraue, & Roberto Passelewe. At ipsi regis metuentes iracundiam, subito recesserunt. Vnde ad pacem ecclesiæ fugientes, episcopus, & Petrus Riuallis, in ecclesia cathedrali apud Winton. latitabant. Stephanus vero de Seigraue, in ecclesia sanctæ Mariæ, scil. abbatia *monialium, vbi se clericum esse, & fuisse palam protestatus est, dilituit. Robertus vero ad latibulum se conuertit incognitum, ita quod quærentes eum, defecerunt scrutantes scrutinio, cui latitanti vix tutum fuit quoddam cellarium apud Nouum templum. Archiepiscopus autem, Eadmundus, Cantuar. vir miræ sanctitatis, & mansuetudinis, pacem & honorem regis & regni sitienter desiderans, omnem effudit diligentiam pluries intermeando, vt pacem inter regem & suos homines naturales solidaret. Rex autem sciens ipsum sanctum & 50 iustum, animum suum precibus suis multum inclinauit. Tandem interueniente pecunia, cum precibus pontificialibus, regiam clementiam prænotatis impetrauit. Et sic fortunalis tota, volubilitate fallibili, curiales & aulicos exagitauit. Eodemque anno, exigentibus meritis suis, datus est in confusionem Comes Britãniæ, per regem Francorum, cui solũmodo pro nobilitate sanguinis, ne morte turpissima puniretur, regia pepercit mansuetudo, quia cum regem Angliæ multiplici proditione fefellisset, attentauit & regem Francorũ nequiter simili decipere impostura. Rex autem Anglorũ ab illo proditore abstulit omnes terras & possessiones, quas in Anglia possidebat. Quod cum audisset idẽ Comes versutus & fallax,

*Canonicorum.

lax, ipsum scilicet vtrobique cecidisse in laqueos, quos tetendit, ex ingenuo Comite factus est pirata nequissimus, insidians Angliæ mercatoribus, in aquis multis operationem facientibus, multa multis faciens impedimenta. Anno ipso, rex percipiēs simplicitatem suam à multis multoties circumueniri, saniori fretus cōsilio, Hugonem de Pateshulle, clericum, cuius prudentiam & fideliratem, dum diffinitam pecuniam, à vicecomitibus recepisset, indubitanter expertus est. Transtulit illum, vt suum summum thesaurarium & consiliarium, dicens ei, quia super pauca tibi commissa fuisti fidelis, supra plura te constituam. Pater tuus, vir nobilis, fidelis, & magnæ authoritatis fuit, te precor quoq; patrizare. Ipso quoque tempore, orta dissensione grauissima inter papam & Romanos, idem papa, cum suis cardinalibus recessit Perusium, vbi per aliquod tempus morabatur. Et ipso anno, capta est insula Maiorica, quæ sic dicta est, ad differentiam cuiusdam vicinæ insulæ minoris, quæ Minorica appellatur, quæ sunt in mari mediterraneo inter Hispaniam, & terrā regis Marochiæ. Capta est autem per regem Arrogoniæ & ciues Massiliæ, & Christiano cultui restituta. Anno ipso, obiit Hugo Folioth, Herefordensis antistes, cui successit magister Robertus de Meideneſtanes, qui ab Eadmundo Cantuar. archiepiscopo munus consecrationis suscepit.

Obiit Hugo Lincoln. episcopus, succeſſit Robertus Groſſeteſte. Petitur Iſabella ſoror regis in Imperatricem.

Anno gratiæ. 1235. Rex Henricus tertius, ad Natale domini tenuit curiam suam apud Westmonasterium. Eodem tempore 7. Iudæi adducti sunt coram rege apud Westmonasterium, qui de Norwico puerum quendam, quem furto sublatum iam per annum à conspectu Christianorum absconderant, circumciderunt, vocantes eum Ieremiam, volentes eum crucifigere, vt dicitur, in solennitate Paschali. Sed super hoc conuicti in regis præsentia, confessi sunt rei veritatem, & sic de vita sua & membris in ipsius voluntate sub carcerali custodia remanserunt. Ipso tempore, obiit Hugo de Welles, Lincoln. episcopus sexto Idus Februarii, & sepultus est apud Lincolniam in ecclesia cathedrali. Cui successit Robertus, cognomento Grosseteste, qui apud Radingum munus consecrationis ab Eadmundo Cantuar. archiepiscopo suscepit. Eodem anno, obiit Gulihelmus abbas sancti Albani, die sancti Matthiæ apostoli, postquam strenue ecclesiam rexerat annis 20. & mēsibus tribus, cui successit Iohannes prior Hertfordiæ, videlicet cuiusdam cellæ ad ecclesiam S. Albani pertinentis. Et circa eosdem dies, Henricus de Sanfordia, Roffensis antistes, diem clausit extremum. 6. Kalend. Martii. Hoc etiam anno, qui est annus postquam constitutæ sunt treugæ decennales in terra promissionis, inter Romanum Imperatorem Fredericum & Babyloniæ Soldanum, facta est prædicatio solennis de cruce assumēda per orbem vniuersum, Christiana fide insignitum, ad communitionem & instantiam dicti Gregorii papæ. Qui literas in diuersas orbis partes prælatis, in theologia & officio prædicandi peritis, per minores & prædicatores, autenticas destinauit, & prosperatum est negotium crucis in manibus eorum. Ipso quoq; anno, post Pascha, Imperator Fredericus missis nunciis in Angliam, petiit à domino rege Henrico Isabellam sororem suam, sibi dari in vxorem. Consilio itaque super hoc cum suis habito, eam cum nunciis, viris spectabilibus, eidem Imperatori destinauit. Quam quidem venerabiliter acceptam, despōsauit die Pentecostes. 6. Kal. Iunii. Eodem anno, misit rex solēnes nuncios in Prouinciam, vt nomine suo Alienoram, filiam Comitis Prouinciæ, ipsi ducerent in vxorem. Qui sponsalibus inter eos cōtractis, fecerunt per Robertum Muchegros, militem, nomine regis, per verba de præsenti, die S. Clementis apud Tarascum contrahi matrimoniū. Quod postmodum apud Viennam. 18. Kalend. Ianuar. fuit innouatum. Hoc quoque anno, Corduba, nobilis ciuitas Hispaniæ, à rege Castelliæ capta est, fratre Miramulini ibidem occiso, cum innumerabili plebe infidelium. Eodemq; anno, in Aduentu domini, obiit Robertus, filius Walteri. Per idem tempus, Petrus Winton. episcopus, ad mandatum domini papæ, Romam profectus est. Compositæ sunt sub compendiosa abbreuiatione, decretales Gregorianæ. Huc vsq; Rogerus de Windeleshore, chronica sua digessit.

Rex Anglia Henricus tertius, duxit Alienoram filiam Comitis Prouincia. Oritur diſcordia inter papam & Imperatorem.

Anno gratiæ. 1236. Rex Henricus tertius ad Natale domini, tenuit curiam suam apud Wintoniam. Ipso anno, rex Henricus tertius duxit Alienoram filiam Reymundi, Comitis Prouinciæ, in vxorem, quā desponsata apud Cantuariam, nuptias celebrauit apud Westmonaster. die sanctorum Fabiani & Sebastiani. Eodem anno. 17. Kal. Septembris, obiit Thomas de Bloneuilla, episcopus Norwic. cui successit Radulphus die apo-

ſtolorum Simonis & Iudæ. eodemq; anno, magiſter Walterus de Cantilupo, electus eſt in epiſcopum Wigorn. Obiit Thomas abbas Eueshamiæ 4. Idus Decembris, cui ſucceſſit Richardus prior Hurley, qui 7. Kalend. Octobris, fuit electus, & prima dominica Aduentus proxima ſequenti apud Heywode à Couentrenſi epiſcopo benedictionem accipiens, in craſtino beati Nicolai fuit in eccleſia Euesham ſolenniter inſtallatus. Diebus etiam illis, rex Henricus tertius, pro ſalute animæ ſuæ, & reginæ, & vt Deus iocundum principium fine fœlici conſummaret, ſobolem conferendo fructuoſam, conceſſit apud Merton, & conſtituit quaſdam bonas leges nouas, & iuſſit eas per regnum ſuum, in perpetuum inuiolabiliter obſeruari. Quæ leges, vel cõſuetudines longis retroactis temporibus exleges, extiterant & iniurioſe, ſicut in ſcripto tunc ſuper his confecto, poterit diligens indagator plenius edoceri. Circa idem tempus, circiter per tres menſes, tanta pluuiarum continuarum abundauit inundatio, quantam nullus ſe meminit præuidiſſe. Eodem tempus, orta eſt diſcordia nimis diſpendioſa inter dominum Imperatorem Fredericum, & viros Italicos, qui communiter ad imperium ab antiquo ſpectare dignoſcuntur. Et quia dominus papa parti Italicorum fauit manifeſte, præcipue Mediolanenſium, quorum fama ſuper multis hęreſibus, vſuris, & Symoniis laborauit, multorum fideliũ diatim amiſit deuotionem. Eo eodem anno, in ciuitate Aurelianenſi, orta eſt diſſenſio inter clerum & ciues, & profilientibus vtriſq; ad arma, commiſſum eſt bellum inter eos ciuile & inteſtinũ, & præualentibus ciuibus, poſt multi ſanguinis effuſionem, trucidati ſunt multi ex ſcholaribus genere præclari, & merſi in flumine Ligeris. Sed eorum parentes in vltione graui, à ciuibus cito poſtea ſanguinem occiſorũ requirebant. Tota vero ciuitas ab epiſcopo ipſius ciuitatis interdicto eſt ſuppoſita, & totum regnum Francorum grauiter perturbatum, donec magnorum virorum prouidentia ſeditio quieuit refrænata. Sub ipſo tempore ortum eſt horrendum ſchiſma inter Romanam eccleſiam, & Græcam, ita, vt iubente papa, multi præcipue per regnum Francorum, ad Græcorum expugnationem cruce ſignabantur. Circa dies illos inualuit hæretica prauitas eorum, qui vulgariter dicũtur Paterini, vel Bugares in partibus primo Tranſalpinis, adeo quod fidei puritatem in finibus Franciæ & Flandriæ auſi ſunt contagione maculare. Sed diligenti miniſterio, & indefeſſa prædicatione theologorum minorum, & prædicatorum, præcipue magiſtri Roberti, fratris de ordine prædicatorum, cognomento Bugre, ab illo errore conuerſi ſunt, & confuſa eſt eorum ſuperſtitio deprehenſa & conuerſionem refutantes incendio fecit miſeras animas exhalare. Illis quoq; diebus facta eſt ſtrages maxima Iudæorum in partibus Italicorum, ita vt multi eorum in Franciam & Angliam ad refugium conuolarent. Tunc vero temporis, obiit nobilis miles, Gulihelmus de Albineto. Necnon ſub eiſdem temporibus dominus Imperator Fredericus ad regem Angliæ nuncios ſolennes deſtinauit, pecuniam non minimam, quam ei cum ſorore ſua rex promiſerat, inſtantia magna poſtulantes. Ipſo anno, magni & multi fontes, & riuuli inſoliti proruperunt, piſces fluuiales nutriẽtes. In craſtino vero beati Martini, & per octauas ipſius, vento validiſſimo, aſſociato tumultu, quaſi tonitruo, inundauerunt fluctus maris, metas ſolitas tranſeuntes, ita, quod in confinio ipſius maris, & in mariſco, vtpote apud Wiſebiche, & locis conſimilibus, nauiculæ, pecora, necnon & hominum maxima periit multitudo. Circa illa tempora epiſcopus Winton. venit de partibus tranſmarinis.

Exigitur auxilium pecuniare, & promittitur emendatio.

Anno gratiæ. 1237. Rex Henricus tenuit curiam ſuam ad Natale apud Wintoniam. Miſit autem continuo per omnes fines Anglorum ſcripta regalia, præcipiens omnibus ad regnum Angliæ ſpectantibus, videlicet archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & prioribus inſtallatis, Comitibus, & Baronibus, vt omnes ſine omiſſione in octauo Epiphaniæ London. conuenirent, regia negotia tractaturi, totum regnum contingentia. Quod audientes magnates, regiis præceptis continuo paruerunt, credentes ſe papalia, vel imperalia mandata, communem ſtatum contingentia, contrectare. Conuenit igitur die præfixo Londini vniuerſa regni nobilium multitudo, & cum in palatio Monaſterii cõſediſſent, regis voluntatem auditurі, ſurrexit in medio Gulihelmus de Rale, regis clericus familiaris, in cuius ore rex verba ſua poſuerat, magnatibus ſuis proponenda, & ait: Mandat vobis dominus rex, quod ſine theſauro eſt, ſine cuius adminiculo regnum nõ poteſt eſſe ſecurum. Multa enim expoſuit in expenſis ſororis ſuæ Imperatricis. Multa elapſa ſunt in cuſtodiis variorum cuſtodum, quibus quaſi ſibi credidit, qui ſecus quam decuit, vel expediuit, ſibi credita tractauerunt. Veruntamen quicquid antea fecerit, de cetero ſpretis alienigenis, & eorum conſiliis, quorum cauillationes non ſine multis damnis expertus eſt, ſuorum

rum naturalium consiliis inclinabit. Auxilium igitur à vobis postulat instanter pecuniare, vt per regium thesaurum status regni confirmetur. Quod verbum cum grauiter nimis omnes accepissent, resonuit murmur cum gemitibus & dolore, eo quod toties delusa est regis simplicitas, quæ delusio semper in damnum reipublicæ dignoscitur redundare. Insuper quod tam crebro ab ipsis, quasi à seruis vltimæ conditionis, sine fructu extorquetur pecunia. Quod cum rex cognouisset, cupiens murmur hoc sedare, pollicebatur sub iureiurando, se nunquam amplius nobiles regni iniuriando lacessere, vel molestare, vel eorum pecuniam talibus exactionibus mutilare, dummodo eidē benigne. 30. pars mobiliū Angliæ concederetur, spontaneaq; promisit voluntate, libertates magnæ chartæ suis regni fidelibus ex tunc inuiolabiliter obseruare. Et quia videbatur, non penitus immunis à sententia, quam tulerat archiepiscopus, cum omnibus episcopis Angliæ, in omnes violatores prædictæ chartæ, quam malo consilio fretus in parte violauerat: ne suspectus in posterum haberetur, fecit in publico innouare sententiam prætaxatam in omnes dictæ chartæ contradictores aut violatores, sic vt si ille per aliquem conceptum rancorem forte eam non obseruaret, in latam sententiam grauius recidiuaret. Vnde factum est, vt hæc audientium corda pacificaret. Concessa est igitur benigne ei sub tali conditione, 30. pars regni, scilicet mobilium, ad sui dispersi thesauri restaurationem, saluis vnicuique auro suo, & argento, equis & armis, in reipublicæ vtilitatem, impendendis. Eo tempore Leolinus, princeps Northwalliæ, percussus paralysi. grauiter infirmabatur. Misit igitur, antequam huius rei fama dispergeretur, Herefordensem, & Cestrensem episcopos ad regem Angliæ, rogans attentius in domino, regiæ clementiæ ex tunc sincero corde conciliari, & indissolubili amicitia sub certa forma confœderari. Considerabat enim principatus sui, & corporis debilitatem, & filiorum suorum inuidiam, Griffini scilicet, & Dauidis, perpendens quod ipso mortuo, dissiparetur eorum consilium, & in seipsum diuisus principatus iuxta illud Euangelicum, magnam indueret desolationem. Sed multi magnatum Walliæ, hęc non acceptantes, ipsius Leolini cor vsque ad tædium vitæ in suam propriam perniciem amaricarunt. Circa eadem tempora, Richardus hæres Comitis Glouerniæ, Margaretam, filiam Huberti de Burgo, Comitis Cantiæ, clam sibi matrimonio, procurantibus eodem Comite & vxore eius Margareta, copulauit. Vnde in ipsum Comitem ita regis vehementer excanduit, & diuortium inter ipsos faciendum pro posse procurauit, proponens ipsum dictum Richardum cum alia vxore maritandum. Eodem anno, dominus Imperator Fredericus, ad impetus seditiosos, qui frequenter in vrbe Romana solent oriri, alterum senatorem creari constituit. Et circa illa tempora, dominus papa vocauit Comitem Britanniæ ad suum consilium, sciens illum bellicosum, & in guerræ dolis versutum, & ingeniosum. Sed cum idem Comes thesauro papali vacuos loculos repleuisset, quæsiuit diuerticula, asserens non audere Imperatorem sapientissimum & potentissimum infestare, ne magnitudinis suæ mole premeretur. Sed si dominus papa ipsum vellet mittere ad expugnandum crucis inimicos, vt potius deberet desiderare, paratus erat patris sui præceptis obedire. Erat autem cruce signatus, & oportuit eum ex crucis acceptæ voto transfretare. Quod cū papa comperisset, dissimulans se laici muscipulari fallaciis, dimisit eū in pace. Ipsis diebus, ingressis viam vniuersæ carnis Wigorn. & Norwicensi episcopis, elegerunt monachi Wigorniæ magistrum Walterum de Cantelupo in præsulem, quem cum difficultate dominus papa acceptando, in episcopum consecrauit. Norwicenses autem, priorem suum, virum religiosum ac discretum, sibi in præsulem elegerunt. Cuius electio, licet rite facta, quia tamen regi displicuit, quibusdam ridiculosis exceptionibus, non sine conscientiæ reatu, est cassata. Sub ipsis etiam tēporibus sublatus est de medio immortalis memoriæ Iohannes de Bresna, quondā rex Hierosolymitanus, iam pene culmen Constantinopolitani imperii adeptus. Fratet quoq; Iordanus, prior fratrū prędicatorū vir vitę venerabilis, submersus in mari mediterraneo, ab exilio huius mundi ad patriā migrauit claripā Gregoriū, qui his nouis ordinibus fauorabilis extiterat, canonizati sunt, & in sanctorum collegio annumerati, meritis suis exigentibus sanctis, ex ordine prædicatorum frater Dominicus, & sanctus ex ordine minorum frater Frāciscus. Eodem anno, Richardus Dunelmensis episcopus, qui prius duobus præfuit episcopatibus, Ciceſtren. & Sarum, in secunda hebdomada Passionis dominicæ migrauit ad dominum, apud Tharentā in Wiltesire, ecclesiā monialiū, quā fundauerat accipiens sepulturā. Monachi vero Dunelmenses inuocato de supernis auxilio, priorem suum, virū discretum, & religiosum, in episcopū suum vnanimiter elegerunt. Circa illa tempora Comes Cestrię Ioannes, cognomento Scotus potiona-

tionatus, vt dicitur, obiit, & eiusdem pestis genere episcopus Lincoln. præuentus, vix est à portis mortis reuocatus. Ipsis quoq; temporibus pœnituit regem tot, & tantos honores fratri suo Richardo, necnon & Gilberto Marescallo, & quibusdã aliis, qui sibi videbantur ingrati, contulisse. Misit igitur Romã nuncios secretos, & familiares ad papam, rogans attentius, vt per legatum in ipsum Angliæ regnum, quod sibi specialiter spectare videbatur, quem dignaretur sine dilatione destinare, statum regni periclitantem procuraret reformare. Magister igitur Otho, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, venit legatus in Angliam, circa festũ beatæ Mariæ Magdalenæ, qui postea in octauis beati Martini solenne celebrauit concilium London. in ecclesia sancti Pauli, quod per tres dies continuos perdurauit. Conuocatis omnibus prælatis Angliæ & Walliæ, dominis Cant. & Ebor. archiepiscopis, de prima & proxima sessione, à dextris ipsius legati, in dicto concilio, multa ad reformationem status Anglicanæ ecclesiæ fuerunt agitata & quædam vetera innouata. Et ne videretur nihil fecisse, aut pro nulla ecclesiæ reformatione in Angliam venisse, iussit sub formidabili pœna, vt ecclesiæ non dedicatæ dedicarentur. Hebdomada autem proxima ante Natale, transfretauit Eadmundus Cantuar. archiepiscopus, Romã aditurus pro quibusdam negotiis, ecclesiam suam contingentibus. Et circa dies illos ditissima ciuitas ac nominatissima, Corduba, in Hispania, super Saracenos capta, per regẽ strenuissimum ac Christianissimum Alfonsum, regem castellę, est cultui Christiano restituta.

Orta dissensione inter scholares Oxoniæ & Romanos, occisus est cocus famulatus legati. Obiit regina Scotiæ. Baldewinus Imperator Constantinopolitanus venit in Angliam.

Anno gratiæ. 1238. Rex tenuit curiam suam ad Natale domini apud Westmonast. vbi in crastino Epiphaniæ, rex Alienoram sororem suam, Comitissam de Penbrok, nuptui dedit Simoni de Monte forti. Propter quod Comes Richardus indignabatur plurimum. Vnde totum regnum fuit commotum. Postmodum circa festum sancti Hilarii proximè sequens, rex Henricus sine consilio baronagii maritauit Richardum de Clare, filium Comitis Glouerniæ, Matildi filiæ Comitis Lincoln. vnde maxima succreuit indignatio Richardi Comitis, & fere omnium magnatum Angliæ. Qui fere omnes, cum equis & armis cõuenerunt apud Sutwerck in octauis sancti Hilarii, volentes irruere in Simonẽ de Monte forti, & Comitem Lincoln. pace totius regni turbata. Quæ turbatio caute per dominum Othonem, tunc legatum & per electum Valentinum Gulihelmum, qui in ipsa turbatione venit de partibus transmarinis, fuit sedata, amotis tunc à consilio regis Comite Lincoln. & Simone de Monte forti. Eodem anno, Otho dominus legatus in festo Paschæ apud Lincoln. extitit, inde post quindenam Paschę, per Oxoniam transitum faciens, apud Oseneiam diuertit, vbi familia sua clericos scholares eiusdem villæ ad iurgia & conuicia prouocante, habitus est conflictus inter eos, ita vt ipsis irruentibus in Romanos, & Romanis resistentibus, cocus famulatus domini legati ibi fuit interfectus; pluribus ex vtraq; parte lethaliter vulneratis. Dictus siquidẽ legatus, vsq; ad vesperas à clericis obsessus, turrim ecclesiæ ascendens præ timore, secretius misit ad regem apud Abendunam tunc existentem, rogans instanter, vt ipsum ab obsidione liberaret. Qui in crastino per milites suos, vsq; Walingeford, cõductum præstitit eidem. Vbi omnes, qui in ipsum insultum fecerunt, publicè excommunicauit, & officio & beneficio priuatos denunciauit, & irregulares promulgauit. Omnes nihilominus ecclesias Oxoniæ interdicto suppossuit, studium ibidem suspendendo. Quas sententias per Wintonien sem episcopum, & de Euesham, & de Abẽdonia abbates in crastino apostolorum Philippi & Iacobi, clero, & populo conuocato, cum magna solennitate apud sanctam Frideswidam Oxoniæ fecit publicare, & executioni demandari. Rex vero propter pacem suam infractam, magistrum Odonem de Kilkenni, qui dicto insultui dicebatur interfuisse, cum. 18. aliis scholaribus capi fecit, & in carcerem detrudi, priuilegio clericali penitus relegato, & sic tota æstate apud Oxoniam, scholaribus dissipatis, studium suspendebatur. Tandem abbas, & canonici Oseneię, & magistri Oxon. regentes, discalceatis pedibus, capitibus discoopertis, superioribus vestibus exutis, & discinctis, veniam à legato pluries humiliter petierunt, & sic ad vltimum per mediam ciuitatem London. vsq; ad domum Dunelmẽsis episcopi, vbi hospitium eius tunc fuerat, proficiscentes, veniã consequi meruerunt, studio apud Oxoniam restituto, & dictis sentẽtiis relaxatis. Tunc vero temporis, obiit Iohanna regina Scotiæ soror regis, quæ veneratin Angliam, vt fratrem suum regem visitaret, quæ sepulta est apud *Tharentum domum sanctimonialium. 4. Nonas Martii. Illo quoq; anno, data est sententia pro monachis Rossensibus à domino papa, super controuersia mota inter archiepiscopum & eosdẽ monachos, de epi-

*Tapentem.

de episcopo sibi eligendo. Et confirmatus est electus eorum magister Richard. de Wendoure, die sancti Cuthberti. Eodem quoq; tẽpore, Baldewinus Imperator Constantinopolitanus, expulsus à Græcorum Imperio, venit in Franciam, & Angliam, vt à Francorum & Anglorum regibus, amicis suis & cõsanguineis, efficax consiliũ, & auxilium ad iura sua reposcenda postulando consequeretur. Tulit autem secum coronam spineam, quam Iudæi plectentes, capiti Iesu Christi crucifixi imposuerant. Anno quoque eodem, dominus rex Angliæ misit præsidium militare Frederico Imperatori ad sibi subiugandum rebelles suos in Italia, sub Ducatu Gulihelmi electi Valentini, Henrici de Trubleuilla, militis prę-
clari, & Gulihelmi Hardel clerici, sub quibus exercitus Anglorum domino Imperatori per totam ætatem, non sine magno damno Longobardorum, imperio rebelliũ, strenue à rege stipendiatus, militauit. Vnde papa maximam contra Anglos concepit indignationẽ. Eodemq; tempore, Soldanus Persarum potẽtissimus, & domino Imperatori amicissimus, de quo certe sperabatur, quod quandoq; baptismi susciperet sacramentũ, viam vniuersæ carnis est ingressus. Per idem tempus, Simon de monte forti, transtulit se ad curiã Romanam, vbi effusa non minima pecunia, à domino papa impetrauit, vt ratum haberetur matrimoniũ, quod non sine læsione conscientiæ contraxerat cũ Alienora, regis Henrici tertii sorore. Votum enim solenne fecerat corã Eadmundo archiepiscopo, de cõtinuanda in vita sua castitate. Circa idẽ tempus domino Imperatori circa Mediolanũ obsidionẽ continuanti, omnes fere mundi principes exemplũ à rege Angliæ accipientes, præsidium militare destinarunt. Sed infecto negotio ad Brixentiũ qui Mediolanensibus indeficienter auxiliabantur, transtulit obsidionẽ. Eodemq; anno, Eadmundus Cantuar. archiepiscopus à curia Romana rediit, sub quo etiã tẽpore, prior & conuentus Cantuar. maximam induit confusionem, vnde prior, quasi depositus per legatum, ordinem cum quibusdam aliis fratribus intrauit Carthusiensem. Inde electo alio priore, secus quã deceret, ipse electus, & electores cum toto conuentu supponuntur interdicto, ab archiepiscopo excõmunicati. Eo tẽpore, obiit Petrus Winton. Episcopus. Quod cum rex cognouisset, omnem, quã potuit, adhibuit diligentiam, vt inclinaret corda monachorum Winton. ad electionem Gulihelmi electi Valentini, vt eundem in præsulatum promouerent. Sed monachi vidẽtes ipsum esse alienigenam, & nobilibus regni suspectum, possequé de facili nocere ipsi regno, cum frater eiusdem electi Comes sit Flandrensis, & si forte in subuersionem regni conspirarent, alter alteri auxiliaretur, noluerunt aliquo modo consentire. Vnde rex ipsis damna incessanter, & grauamina vndique inferre moliebatur. Ipsi vero maluerunt persecutionem pati pro iustitia, quam soli regi acceptum virum, curæ pastorali insufficientẽ, moribus, gestu, & literatura incompositum, natu alienum, & de effusione sanguinis infamẽ, in suarum animarum pastorem eligere, contra suarum conscientiarum puritatem. Dissimulantes igitur monachi, sub induciis à rege impetratis, elegerunt Gulihelmum de Rale, virũ discretum, & regi familiarissimum, quem nullo modo credebant regẽ velle repellere. Quod cum rex cognouisset, iratus valde, nec electionem, nec electum acceptauit, imo ipsum Gulihelmũ electũ à consilio suo & familiaritate propulsauit. Similiq; episcopũ & sua familiaritate exclusit. Nec non authoritate domini papæ, missis ad curiam Romanam magistris Simone Normanno, & Alexandro seculari, legistis conductitiis, non sine multę pecuniæ effusione, cassari procurauit. Eodem anno, circa festũ sancti Matthæi, quidã facinorosus pseudoclericus, infaruatũ se simulans, donec secreta diuerticulorum exploraret in curia regis, nocte quadam apud Wodestok clam ingressus per fenestram, rege & regina in alia camera, diuina eos protegente clementia, eadem nocte decubantibus, ad clamorem cuiusdam sanctissimæ & generosæ mulieris, scilicet Margaretæ Byset, quæ secundum consuetudinem ad psallendum in psalterio suo excubabat, & postea aliarũ puellarum, quas in ipsa camera inuenerat, est interceptus. Qui postmodum vinculis astrictus, se ad interficiendũ regem & reginam, ibi missum fuisse ore polluto est confessus. Hic, post modicũ temporis interuallũ, apud Couentre per equos distractus, mẽbratim in quatuor partes est diuisus. Cuius partes ad maiores regni ciuitates in tanti sceleris memoriã missæ sunt distrahendæ, & suspendendæ. Et tunc tẽporis, Simon de monte forti de partibus repora, electus Valentinus Gulihelmus Romam adiit, vocante eum domino papa, ad quem fama ipsius peruenerat, quod vir erat in negotiis bellicis strenuus, & circumspectus. Et procurante eodem papa, in curia Romana postulatus est in electum Leodiensem, & nihilominus tamen, vt electus Valentinus diceretur, & esset, mutato solummodo nomine,

scilicet

scilicet vt diceretur electus Leodiensis,& procurator Valentinus, vt abusio vocabulorum vitaretur. O monstruosa humanæ cœcitatis ambitio. Adhuc & ad Winton. non habito tamen respectu ad officium pontificiale,sed emolumentum temporale,rege fauente totis nisibus aspirabat. Eo tempore,quædam gens barbara,& innumerabilis, dicta Tartari,partes Aquilonares Orientis miro vastarunt exterminio, magno pauore omnium Christianorum principes & populos concutientes. Ipso quoque anno,dominus Otho,legatus,ad reformationem ordinis sancti Benedicti, omnes abbates nigri ordinis London. conuocauit. Capta est etiam ipso anno, magna, & famosa ciuitas illa in Hispania, quæ Valentia Magna dicitur,& cultui Christiano mancipata. Circa idem tempus, dedicatæ sunt iuxta statuta concilii London. celebrati, nobiles ecclesiæ conuentuales, in diœcesi Lincoln. in mariſco ab episcopo Lincoln. Ramesia, Burgum,& Sautreia. Ecclesia de Ramesia. 10. Calend. Octobris. Ecclesia de Sautreia,eadem septimana. Ecclesia de Burgo, 4. Kalend. Octobris. Ipso tempore rediit Baldewinus Imperator Constantinopolitanus in Græciam, militia stipatus copiosa, vt hæreditatem suam in manu armata à Græcis, qui eum expulerant ab imperio,reposceret. Sed defuit diuinus fauor propositis. Periit enim Francorum in eius exercitu multitudo numerosa. Ipsis quoq; diebus claruit fama beati Roberti, quõdam heremitæ, tumba eius oleum resudãte. Eodem anno consecratus est electus Roffen. in Cantuar. in crastino sancti Eadmundi apud Sanctum Gregorium,quia archiepiscopus suspenderat ecclesiam Cantuar. à diuinorum celebratione, assistentibus archiepiscopo, Magistris. R. Nigro episcopo London. R. Grosseteste episcopo Lincoln. & domino Hugone,episcopo Elien.& domino. R. de Neuel episcopo Cicestrensi,& magistro Simone de Langton archidiacono Cantuar. & alia multitudine nobilium præclaro, præmissa debita postulatione à priore Roffensi Richardo & installatus fuit in die S. Andreæ apud Roffam.

Natus est Eadwardus filius regis Henrici tertii primogenitus. Imperator Fredericus excommunicatus est a Gregorio papa nono.

Anno gratiæ. 1239. tenuit rex Natale domini apud Winton. Die vero sancti Stephani, obiit Alexander episcopus Couentrensis, apud Andeuer. Ad quem episcopatum, Gulihelmus de Rale,à monachis Couentrensib.& canonicis Lichefeldiæ in capitulo Couentren. ad preces regis,concorditer fuit electus. Qui pendẽte assensu suo electioni præstando, cassata electione prioris Simonis Norwic. in episcopum Norwic. est electus, & postmodum consecratus. Predicti siquidem monachi & canonici, ad electionem faciendam iterum conuenientes,Hugonem de Pateshulle thesaurarium regis de scaccario, licet primo non concorditer, precibus tamen regis mediantibus,discordantes ad concordiam reuocati,elegerunt,cuius electio in fine huius anni extitit confirmata. Eodemque anno, captus fuit quidam,qui se participẽ criminis læsæ maiestatis cum alio proditore,anno præcedenti ad caudas equorum distracto, confitebatur, qui quosdam magnates Angliæ,& præcipuè Ranulphum Britonem,decanum de Winburne, dicti criminis conscios asserebat. Qui postmodum, contra se sponte de mendacio confessus, ad patibulum ad caudas equorum tractus London. iudicialiter est suspensus. Item eodem anno,natus est Eadwardus dictus Longshankes, domino regi Henrico & Alienoræ reginæ filius primogenitus, apud Westmonaster. 15. Kalend. Iulii,in nocte sequenti,scilicet, in vigilia sanctorũ Marci & Marcellani,& est Eadwardus vocitatus. Qui denominationem accepit à glorioso confessore Eadwardo, cuius corpus gloriosum in basilica S. Petri Westmon. requiescit. Qui quarto die post,domino Othone tunc legato, in conuentuali ecclesia ipsum baptizante,à dominis. R. London. Gulihelmo Carleolensi episcopis, necnon, & à Gulihelmo Norwicen. Electo,domino R. fratre regis,Comite Cornubiæ. S. de Monte forti Leicestriæ. H. de Boun Herefordiæ & Essexiæ Comitibus, & S. Normanno archidiacono Norwicen. Petro de Malo lacu, Almarico de sancto Amando proceribus, Comitissa de Penbrok,& vxore, Bertrami de Krieil, à sacro fonte est eleuatus, & eodem die, à domino Eadmundo Cantuar. archiepiscopo est confirmatus. Quam natiuitatem cursores principibus, regno Angliæ conterminis, & Angliæ magnatibus nunciantes, reuersi sunt donis pretiosis onerati. Eodem vero anno,dominica Palmarum,excommunicatus est Imperator Fredericus à papa Gregorio Nono,propter quasdam certas & scriptas causas, quã sententiam cum suis causis in cunctis regionibus per vniuersos prælatos, in singulis ecclesiis sibi subiectis, cum solennitate pulsatis campanis, & candelis accensis, præcepit dominus papa promulgandã. Ipso quoq; anno, obiit electus Valentinus & Leodiensis apud Viterbiũ in reditu à curia Romana. Itẽ magister R. de Meideneſtan,episcopus Herefordẽsis, sponte cedens episcopatui. 16. Kalend. Ianuar. habitum fratrum minorũ apud Oxoniam

suscepit

ſuſcepit. Ipſo anno, obierunt Gulihelmus de ſancto Iohanne, & Henricus de Trubleuilla. Pridie vero Idus Iunij contigit eclipſis ſolis ab hora tertia, vſque ad ſextam. Hoc autem tempore floruit cardinalis Oſtienſis, qui librum, qui Copioſa vocatur, compoſuit. Scripſit eodem anno dominus Imperator ſenatoribus & populo Romano, aſſerens quod quamplurimum mirabatur ſuper hoc, quod permiſerunt ipſum, præcipuum principem principum, in vrbe excommunicari. Scripſit etiam epiſtolas elegantes & prolixas cardinalibus, & omnibus magnatibus Chriſtianis, præcipue tamen regi Henrico, & fratri ſuo Richardo, Comiti Cornubiæ, ſororiis ſuis, ſe in multis excuſans rationibus, & dominum papam multipliciter accuſans, & aſſerens, quod cum eſſet per omnia iuri parere promptus, & paratus, & legatos ſolennes hæc oblaturos deſtinaſſet, papa hæc præſciens, præcipitanter ante aduentum legatorum, in ipſum ex induſtria ſententiam fulminauit. Eodem anno, ingreſſus eſt legatus terram regis Scotiæ, non tamen mare tranſiit. Nullo tamē prohibente, ab omnibus prælatis, & clericis beneficiatis 13. partem reddituum ſuorum collegit, & domino papæ tranſmiſit. Per idem tempus, ſcripſit dominus papa Cantuar. & Ebor archiepiſcopis prolixam nimis epiſtolam, conquerens grauiter de enormitate Imperatoris, imponens ei crimen hæreſis. Scripſit autem, tam legato quam dictis archiepiſcopis, vt ipſam epiſtolam, per omnes ſuæ ditioni vel legationi terras ſpectantes, publicarēt, addens quod ipſe Fredericus, dictus Imperator, iam dotes Eccleſiæ hoſtiliter inuadens, eas ſibi auſu temerario manciparet, tanquam inimicus Eccleſiæ manifeſtus. Et ipſo anno, congregati ſunt cruceſignati, præcipue de regno Francorum exercitus numeroſus, ex nobilioribus regni apud Lugdunum, tractaturi quam viam magis expediret tenere, tendentes ad terram ſanctam. Et inito conſilio, pars per maritima nauigio à Maſſilia verſus Orientē iter arripere tutius, ac compendioſius cenſuerunt. Quod, cum cognouiſſet dominus Imperator, ſcripſit eis perſuadens amicabiliter vt non videretur eis graue expectare, donec pacificaſſet rancorem, & diſcordiam motam inter eum & patrem ſuum, dominum papā, & rebelles Italiæ iuſtificaſſet. Propoſuit enim, & firmiter aſſerebat, eſſe ipſis Dux & capitaneus, ſolatium efficax, & auxilium ipſis impenſurus. Sed ipſi, more Franc. impetuoſi, & magniloqui, noluerunt Imperialibus conſiliis obſecundare, vel à propoſito iam inchoato reſilire, quia victualia ſibi congeſſerant, naues iam conduxerant, amicis valedixerant. Quod comperiens Imperator, irreuocabilem voluntatem Francorum ęgre tulit. Iuſſit tamen omnes portus, & tranſitus, per ditionem ſuam, eis libere patere, nec aliquod eis impedimentum inferri. Ipſis quoque temporibus, accuſatus eſt grauiter Comes Cantiæ, Hubertus de Burgo, coram rege, & curia tota London. vbi poſt multas diſceptationes, vt iracundia regis, quæ immoderate nimis contra ipſum excanduerat, quieſceret, adiudicatum eſt vt quatuor caſtra ſua chariſſima domino regi reſignaret, vt cætera ſibi cum regis beneuolentia in pace remanerent. Reſignatorum nomina hęc, Blācum caſtrum, Groſmunt. Scenefrithz, & Haetfeld. Temporibus autem ſub eiſdem, intruſit rex quendam priorem, in prioratum Winton. natione Britonem, conuētui infeſtum, vt per ipſum, quē creauerat, corda monachorum ſuæ voluntati inclinaret ſuper electione celebrāda de ſuo Epiſcopo. Sed ſic eos magis exaſperauit. Ipſis diebus Sardinia, inſula opulentiſſima, ceſſit in ditionem Imperatoris, quam idem Imp. dedit filio ſuo. Eodemq; anno, Alex. rex Scotiæ, deſponſauit Mariam filiam Engelrami de Cuſcy, cuiuſdam excellentis baronis Franciæ. Anno ipſo conſecratus eſt Gulihelmus de Rale, electus Norwicen. in epiſcopum, in Eccleſia ſancti Pauli London. ab archiepiſcopo Eadmūdo. Ipſo quoque anno, facta inter ſe conuentione apud Northampton, iurauerunt Comes Richardus, &. G. Mareſcallus, & alii magnates Angliæ quam plures, quod non amplius quærentes exceptiones dilatorias, quin illo anno ad iter Hieroſolymitanum arripiendum, ſe accingerent. Ipſo anno, dominus Imperator iter verſus vrbē Romā direxit, & cepit Viterbium, & multas partes adiacentes, petiitque conuocari generale concilium in quo palam innocentiam manifeſtaret, & ſuam famam purgatam reſtauraret. Circa idē tempus. 5. Idus Auguſti, dedicata eſt eccleſia conuentualis Abendoniæ. Et eodem tempore, dedicatæ ſunt eccleſiæ de Eueſham, Glouerniæ, Theukesbiriæ, Winchecumb. Perſcore, Alenceſtriæ, & multæ aliæ per regnum Angliæ, iuxta ſtatuta concilii Lōdon. celebrati. Ipſoque anno, circa feſtum ſancti Michaelis, obiit in mari miles egregius, Radulphus de Thony.

Rex Henricus fecit iurari fidelitatem filio ſuo Eadmundo per totam Angliam.

ANNO gratiæ 1240. rex Henricus tertius tenuit curiam ſuam ad Natale domini apud Winton. vbi Baldewinum de Ripariis, ipſo die Natali, baltheo cinxit militari, & Comitatu Vectę inſulę inueſtiuit. Eodem tempore confirmata eſt electio Hugonis de Pates-

hulle, electi de Conuentre. Et ipso tempore mortua est Comitissa Glouerniæ, Isabella, vxor Comitis Richardi, sub partus discrimine nimis dolendo. Et eodem tempore, per totum mensem Febr. apparuit Cometa in parte Occidentali, emittens radium versus Oriẽem. Circa illos dies Comes Leicestren. Simon de Monte forti accinxit se ad iter Hierosolymitanum arripiendum. Sub eisdem temporibus, obiit princeps Nortvvalliæ Leolinus, idibus Aprilis. Quo mortuo, orta est dissensio inter filios suos Griffinum primogenitum, & principatum ipsa ratione sibi vendicãtem, & Dauidem natu minorem, sed legitimum, & regis Angliæ, ex parte sororis, nepotem, sibi sua ratione principatum vendicantem. Pro quorum dissensione tota regio Walliæ induit confusionem, dissipata & desolata, iuxta euangelicum illud: omne regnum in se diuisum desolabitur. Tandem tamen, interueniẽtibus amicis, statut⁹ est dies & locus recõciliationis inter ipsos reformãdæ. Ad quẽ locum venit Griffinus pacifice in spe pacis obtinendæ, sub ducatu Richardi Episcopi Bãgorensis, & aliorum quam plurimorum virorum venerabilium. At Dauid Griffinum in dolo captum custodiæ carcerali impudenter mancipauit. Vnde prædictus Episcopus grauem coram rege Anglorum reposuit querimoniam, ipsum quoque Dauidẽ vinculo anathematis innodauit. Ipso quoque tempore, rex fecit iurari filio suo Eadwardo fidelitatem à ciuibus London. & multis aliis regni magnatibus. Sub eisdem etiã tẽporibus absoluebãtur per prædicatores, & minores (pecunia interueniente) multi cruce signati, in scãdalum Ecclesiæ & ordinis ipsorum. Die quoque Ascensionis dedicata est Ecclesia Noui templi Londoniarum. Obiit Gulihelmus Comes Warenniæ London. 10. Kalend. Iunii. Ipso eodem anno, archiepiscopus Cantuar. Eadmundus, non minima effusa pecunia, quoddam obtinuit priuilegium, tam regno quam sacerdotio gratissimum, scilicet, vt si Ecclesia cathedralis per menses sex vacaret, viduata pastore, per archiepiscopum diœcesanum eidẽ prouideretur. Sed quia videbatur hoc in præiudicium regiæ dignitatis & iacturæ redundare, cassatum est idem priuilegiũ, pecunia iterum interueniẽte. Vnde archiepiscopus, cũ vidisset sic iustitiam manifeste vacillare, & tot labores suos annullari, inconsolabiliter doluit, nolensque accipere consolationem, ex illo tempore cogitauit spõtaneus exulare. Ipso quoque tempore, imperator se in ira magna accingens ad vltionẽ super diffamatione magna, qua nomen suum dominus papa in vniuersis finibus Christianorum denigrauerat, Romæ appropinquans in manu forti, cepit Viterbium cum partibus adiacentibus, & dotes Ecclesiæ Romanæ suæ subdidit ditioni, vnde Ecclesia Romana magnam induit cum desolatione confusionem. Eodem quoque tempore, venit in Angliam Thomas Comes Flãdriæ, auunculus reginę, cui rex occurrens statim cum magna alacritate, cõtulit annuum redditum multi census annui, pro homagio suo. Ipso quoque anno regina Francorum peperit filiam. Et sub eisdem diebus exercitus Francorum crucesignatorũ volens impetũ facere super Saracenos in Terra sancta apud † Gathre, victus, cõfusus, & captus, est, ex quo pars apud Damascum, pars apud Babylonem, pars apud Gasire vinculis mancipatur. Obiit itaque Wil. Comes Warrenniæ, Lõdon. decimo Kal. Iunii. Comes Glouerniæ Richardus valedicens amicis suis, ad iter Hierosolymitanum se accingit & cum eo multi nobiles Angliæ. Imperator scripsit regi elegantem Epistolã, in qua increpat regem, q⁹ in perniciem regni sui, & imperii, terram suam per papales quæstionarios depauperari, & ipsum solenniter excommunicari permittit, qui magis rationabilem, quam alii principes Christiani, haberet excusationẽ huic præcepto domini papæ resistẽdi, eo q⁹ sororius exiſtit domini Imperatoris. Rex Francorũ cum summo honore suscipit Comitem Richardum, & exhibet omnia necessaria magnifice, transeunti, & ad Massiliam, cum suo comitatu, saluo perducit, vbi etiam contra prohibitionem papæ naues ascendit. Conuocatur concilium generale, in proximo Pascha celebrandum. Ipso quoque anno, Kalend. Iulii, consecratus est Hugo de Pateshulle, regis thesaurarius, in Episcopum Cestrensem Gulihelmo de Hauerhulle, canonico Ecclesiæ sancti Pauli London. in thesaurario, loco eiusdem Hugonis, subrogato. Et eodẽ anno, die sanctæ Mariæ Magdalenæ, obiit Iohannes Comes Lincoln. Extorquetur pecunia diuersis argumentis à viris, præcipue religiosis, ad opus papæ, quæ nunquam ei profuit, sed obfuit, quia omnia in vsus cedunt imperatoris. Abbates, querimoniam super his coram rege reponentes, pro consolatione desolationem accipiunt, vnde legatus magis desæuit in eosdem. Comes Prouinciæ Reymundus, pater reginarum Franciæ & Angliæ, occurrens cum gaudio Comiti Richardo, impendit ei transfretaturo auxilium, quoad potest, liberaliter, & consilium. Mortuo autem Leolino principe Nortwalliæ, oritur, & orta continuatur dissensio inter filios suos, Griffinum & Dauidem. Tandem vt prædictum est, Griffinum, pacifice vocatum ad consilium, Dauid in dolo capit, & captum

† Vathre.

captum incarcerat. Vnde magiſter Richardus, Epiſcopus de Bangor, in cuius conductu venit dictus Griffinus, recedit quaſi exul à Wallia, ipſo Dauide in vinculo anathematis compedito. Griffinus autem ſignificat occulte regi, q; in manu valida ipſum liberet à carcere & fraterna ſubiectione, & ipſe, ſuus homo legius libenter factus, tenebit de eo terram ſuam iure hæreditario ipſum contingentem. Inſuper theſaurum non modicum ipſi regi largiretur. Epiſcopus autem de Bangor regi, ſuper hac proditione, prædicta iniuria, iterum querimoniam reponit grauiſſimam. Vnde rex commotus vehementer, nepotē ſuum dulciter exhortatur, vt hæc ſatiſfaciendo corrigat, ne manum apponat vltionis. Die ſancti Bartholomæi electus eſt in Epiſcopum Herefordenſem, magiſter Petrus de Egleblanke, quondam clericus Gulihelmi electi Valentini, rege hoc vigilanter procurante. Qui ſine moræ diſpendio, & aliqua difficultate, quia regi acceptus ab ipſo eſt receptus, & cito poſt ſolenniter in præſentia regis eſt conſecratus. Et circa idem tempus magiſter Albertus, natione Colonienſis, apud Weſtmonaſter. conſecratus eſt in archiepiſcopum Armachanum. Die ſancti Remigii dedicata eſt Eccleſia ſancti Pauli London. Et circa illos dies, regina peperit filiā, & vocatū eſt nomē eius Margareta, eo q; in diſerimine puerperii ſanctā Margaretā, inuocaſſet, & quia ſoror ipſius reginæ, ſcilicet regina Frācorū ipſo nomine intitulatur. Eodēq; anno, obiit vir nobilis, & legum regni peritus, Thomas de Moltona, miles. Circa dierum eorundē curricula, venit in Angliam domini papæ familiaris, & conſanguineus, magiſter Petrus Rubeus. Qui cito tranſiit Angliā, & in Scotiam veniēs, ibidē viceſimā ad opus papæ non ſegniter abraſit. Eodem tempore, magiſter Petrus de Supino in Hyberniam miſſus, vt ibidem viceſimā vigilanter meteret, quicquid poterat inde, non fictus papæ quæſtionarius, apportauit. Quę pręda ad numerum mille & quingentarum marcarum, & amplius dicitur aſcendiſſe. Collecta autem Petri Rubei, quam à Scotorum finibus emunxit, hanc ſummam creditur duplicaſſe. Qui poſtea remeans per Angliam domos religioſorum perſcrutans nouis argumentis, pecuniam ad opus papæ argute nimis exegit, cogens eos iurare, quod illud ſacramentum, quaſi confeſſionis arcanum, vſque in dimidium anni celarent. In quo corda fidelium auertit à deuotione, & dilectione Romanæ Eccleſiæ, & dolore magno ſauciauit. Ipſo tempore, reuocatus eſt legatus per autenticum papale, multum admonitus, vt aduentum ſuum ad Romanam curiam maturaret, & concilium generale anticipando præueniret, vt fratres, præhabita moroſa deliberatione, tractatum haberent ſimul cum eo de imminente eiuſdem ruina, & periculo irreſtaurabili, Imperatore iam dotes Eccleſiæ inuadente. Eodem anno Mauricius Hyberniæ iuſticiarius, venit London. ad regem, vt ſine ſcrupulo maleuolentię vel odii reſeruati, Comiti Gilberto Mareſcallo pacificatus, ſuam purgaret de morte Comitis Richardi Mareſcalli, in Hybernia trucidati, innocentiam. Et ſub eodem tempore, rex de Cunnach venit ad regem London. & eſt vtriuſque negotium competenter conſummatum. Sub eiſdem temporibus, monachi Dunelmenſes, procurantibus aduerſariis ſuis, Romæ inutiliter commorantes in infirmitate & dolore contabuerunt, & mortui ſunt. 4. ex ipſis, cum clericis ſuis & miniſtris. Quod cum audiſſet eorum prior, condoluit vehementer, & ceſſit electioni de ſe factæ ſpontaneus. Sub eiſdem temporibus vidēs Imperator, quod papa concilium conuocauerat ad deiectionem ipſius, per hoc, quod idem papa ſeculare brachium, & præcipue hoſtium imperii publicorum in auxilium eius aduocauit & formam conuocationis, ſecus quam prælocutum fuerat, alterauit, pœnituit eū in hoc conſenſiſſe, vt concilium conuocaretur. Et reſiliens ſignificauit regi Anglorum, vt muniret omnes regni ſui prælatos ex parte Imperatoris, ne venirent ad illud generale cōcilium, in perſonis & rebus ſecuritatem in ditione ſua penitus denegantis & nolentis, vbi præſidebit inimicus eius capitalis, cauſam commitere dubio foro tam excellentē. Dominus papa è contra ſcripſit, ſignificans eiſdē prælatis, vt humanis minis poſtpoſitis, patri ſuo ſpirituali obedienter obſecundarēt, nec omitterēt, quin ad cōcilium communiter venire ad terminum ſtatutum, properarent. Vnde Epiſcopi fluctuantes in propoſito, quid agēdum foret, dubitabant. Dum igitur fortunalis rota ſic mundanū curſum volubiliter exagitaret, dominus Eadmundus Cantuar. archiepiſcopus, qui ſponte exulauerat apud Pontiniacū, decubuit grauiter infirmatus. Interim Comes Richardus, qui ſe precibus omniū religioſorū Angliæ commēdauerat, per Dei gratiam & precum fideliū efficaciam, proſpere apud Acon applicuit, & infra biduum, poſtquam applicuerat, acclamari fecit in publico, voce præconia, vt nullus pro defectu pecuniæ, cuiuſcunq; nationis fuiſſet, à Terra ſancta recederet, quin Deo ſub clientela ſua, ad ſtipendia ſua, fideliter militaret. q;, cū audiſſent Saraceni, quāuis rex Nauarię, & Comes Britanniæ impudēter receſſiſſent, cœperunt

runt nimis prudentiam & potentiam Comitis formidare, tum quia hoc nomen, Richardus, adhuc Saracenis inimicũ ipsum intitulauit, tum quia auro & argento abundauit, tum quia sororius erat Imperatoris, & amicissimus, tum quia frater regis Anglorum nominatissimi, tum quia Comes erat Pictauiæ & Cornubiæ. Vnde postea pacẽ fecit toti Ecclesiæ honorabilẽ, imo etiã toti Christianitati, quã non poterant vnquam aliqui tẽporibus nostris impetrare, sicut sermo sequens luculenter declarabit. Et dũ hæc in Terra sancta Deo disponẽte agerentur, Eadmũdus archiepiscopus Cãtuar. à Põtiniaco, gratia melioris aeris hauriẽdi, semotus, apud Sociũ grauiter infirmatus, corpus suũ monachis Põtiniacẽsibus, delegãs, viã vniuersæ carnis est ingressus, vbi dominus magna miracula dignatus est operari, adeo quod beatissimi cõfessoris Eadmundi fama iã oẽs partes Cisalpinas sua claritate meretur illustrare. Trãsiit igitur ex hoc mũdo ad patrẽ dictus archiepiscopus Eadmũdus. 14. Kal. Decembr. Illis quoq; tẽporibus, nonnulli Episcoporum regni Angliæ, & quidam abbates mare transierunt, vt si aliquo modo pateret trãsitus, vel per terram vel per mare, veniendi ad conciliũ, præceptis apostolicis satisfacturi illuc properarent. Cõsecratur Lõdini apud sanctũ Paulum, Magister Petrus de Egeblank, in Episcopũ Herefordẽsem. Eodemq; anno, geminato Dei beneficio in regno Frãcorũ, delata est in Franciã corona Saluatoris spinea, quã quandoq; Iudæi plectẽtes capiti crucifixi apposuerũt. Circa quoq; eadẽ tempora, arctabantur immisericorditer à Saracenis captiui Christiani, qui in vinculis apud Damascum, Babyloniam & Nazre tenebãtur. Rex vero Nauariæ, qui & Comes est Cãpaniæ, Comes quoq; Britanniç, cognoscẽtes Comitis Richardi prudentiã & magnificentiã, inuidia stimulati, & dolentes, si, quod ipsi cũ suis Francis non potuerunt ad optatũ effectũ perducere, ipse Richardus, quẽ vocabant Anglicũ impubẽ & inexpertum in bellicis expeditionibus, cõsequeretur: pacem dolosam cum domino de Nazre inierunt, vt ipse suos captiuos liberos abire permitteret, qui nullam tamen super eos habuit potestatẽ, vt saltem sic aliquid fecisse in Terra sancta viderẽtur. Statimq; ante sociorũ suorũ liberationẽ. s. Francorũ captiuorũ, naues apud Ioppen clam, & subito, ad propria redituri, ascẽderunt. Et sic suas proprias proditiones manifeste toti mundo detunicauerunt, qui laudes alienas impudenter sibi cupierũt ascripsisse. Hoc etiã anno, obiit Iohannes filius Roberti vir nobilis & potens, vnus de præcipuis baronibus plagæ borealis.

Impeditur concilium generale, captis prælatis. Eadmundus archiepiscopus claret miraculis. Pax reformatur inter Christianos & Saracenos.

Anno gratiæ 1241. qui est annus regis Hẽrici Tertii. 25. tenuit idem rex curiã suam Londoniis apud Westmon. vbi magnates regni quamplurimi, festa cum eo natalitia celebrarũt. Quarto vero die Natalis, legatus à domino papa reuocatus, prælatis Angliç valedicens, versus mare iter arripuit transalpinum. Quem rex, cum strepitu tubarum suarum, & innumerabili multitudine nobilium concomitantium, cum prælatis & clericis, põpose nimis vsque ad maris confinia perduxit, & in crastino Epiphaniæ naues apud Doueriam ascendit trãsfretaturus, mutatis rubeis indumentis. Reliquit autẽ tam regnum, quam Ecclesiam in Anglia nimis desolatam, præcipue tamen Cantuariensem enormiter, quæ in regno Angliæ dinoscitur dignissima, perturbatam: ac si non pro consolatione, sed potius desolatione aduenisset. Circa eosdẽ dies, Petrus de Sabaudia, auunculus reginæ, venit in Angliam, cui rex solenniter occurrens, præter Comitatum Richemundiæ, quem ei præconcesserat, munera contulit pretiosa, & sui consilii constituit capitalem. Die vero sancti Eadwardi, quem rex miro cultu de more solennizat, ipsum Petrum cum. 15. iuuenibus, vt tyrocinium suum superstitiosius serenaret, cingulo militari insigniuit. Et eodẽ die, quasi imperiales nuptias, in maiori palatio Westmonaster. cum multitudine cõuiuãtium, festũ suum celebrauit. Temporibus vero sub eisdem, magister Nicolaus de Fernham, electus est in Episcopum Dunelmensem, vir quidẽ moribus & scientia præditus, à rege & omni populo, non tamen sine difficultate, susceptus est, citoque confirmatus. Eodem etiam anno, Iudæi ad grauissimam compulsi redemptionem sub pœna mortis, vel ẽxilii, regi. 20. millia marcarum numerarunt. Verno autem tempore arridente, Gulihelmus de Fortibus, Comes de Albamarla, Petrus de Malo lacu, & multi alii nobiles de regno Angliæ, iter Hierosolymitanum magnifice arripuerunt. Crux quoque sancta, ipso anno, in regnum Francorum est allata, & cum tanta solennitate & deuotione Parisiis est recepta, quantam se nullus meminit præuidisse. Noua mœnia constructa circa Turrim Lendon. sicut anno proximo elapso, & ipsa nocte, admirantibus multis, corruerunt. Ipso quoque anno, dominus Imperator timẽs de periculo sibi imminente, si examẽ papæ sibi nimis infesti subiret in concilio, quod iam imminebat in proximo, mutato consilio

scripsit

scripsit principibus diuersis. Familiarius tamen regi Angliæ, vt præmuniret, exhortans diligenter prælatos terræ suæ, ne venirent ad concilium sibi suspectum, scientes liberum transitum per ditionem imperialem tam per mare, quã per terras in personis & possessionibus sibi penitus denegari. Quibus prælatis scripsit efficaciter dominus papa, vt spreto timore minarum Imperatoris excommunicati, ad concilium audacter properarent. Interim Falencia, ciuitas opulentissima, quã ipse Imperator iam per annũ obsederat, violẽter capta est. Ipso quoq; tempore venerabilis archiepiscopi Cãtuar. Eadmũdi, cuius corpus apud Pontiniacum requiescit, solenne nomen, & præclara memoria, miraculis crebrescentibus, partes Cisalpinas luculenter perlustrauit, cuius insignia tractatus exigerent speciales. Ipso quoq; tempore, monachi Cantuar. beneficium absolutionis à domino papa meruerunt obtinere. Et sub eisdem diebus monachi Winton. pro eo quod constanter episcopum Norwic. Gulihelmũ, in pastorem sibi postularent, enormes, procurante priore suo intruso, quodã scilicet Britone, persecutiones viriliter pro Christo & executione iustitiæ, pertulerunt. Ipsis quoq; diebus, fecit rex personam Bonefacii electi de * Baleis, magnificando commendari, vt dignus videretur esse, vel ad archiepiscopatum Cantuar. vel episcopatum Winton. quo promoueretur. Sed res effectum non sortita, eadem facilitate euanuit, licet multorum prælatorum testimoniis tituli ipsius roborarentur. Imminente tempore æstiuali, Otho, quandoque legatus in Anglia, & qui legatus fuerat in Frãcia, infinitam secum prælatorum trahentes multitudinem, naues ascenderunt apud Genuam ciuitatem, vt sub ducatu Genuensium saluo ad concilium peruenirent. Ad quos animandos papa vnum legatum destinauerat, qui ab eodem papa potestatem acceperat, omnes imminenti periculo se opposituros, ab omnibus peccatis suis absoluendi. Sed cum omnes vasto mari se commendassent, venerunt eis obuiam piratæ Imperiales, qui omnes sub captione miserabili concluserunt, & multos ex eis vel submerserunt, vel irreuerenter trucidarunt. Quos autem viuos acceperunt, per longos maris tractus sub caumate intolerabili adustos, sub vinculis & arcta custodia vsq; Neapolim (vbi ex præcepto Imperatoris carceri sunt addicti, in totius ecclesiæ dedecus & ignominiã) perttahunt. Facta autem fuit hæc infausta naualis congressio, die sancti Marci Euangelistæ. Interim duo papales exactores, Petrus videlicet Rubeus, domini papæ consanguineus, & familiaris (talis enim erat titulus epistolarum suarum) & Petrus de Supino, per Angliam, Scotiam, & Hyberniam, pecuniam infatigabiliter ad opus domini papæ exquisitis argumentis abradere non cessant, rege vero hæc omnia malo nimis consilio permittente. Eisdemque temporibus absoluebatur quicunque vellet, pro pecunia crucesignatus, prædicantibus & illud persuadentibus, ex præcepto papæ, fratribus tam Minoribus quam Prædicatoribus, ita vt multi hodie crucesignati, in crastino à voto suo, data, quam possent, pecunia, non sine multorum admiratione, absoluerentur. Eodemq; anno 5. Kal. Iunii, obiit Gilbertus Marescallus, Comes de Penbrok extra villam Herefordiæ, toto corpore confractus in quodam hastiludio, vbi milites vires suas infœliciter certatim sunt experti. Delatum est igitur corpus London. sepeliendum. Post cuius obitum, quia rex dictum hastiludiũ prohibuerat, nec pro ipso omissum fuit, Walterus, frater Gilberti Comitis, vix à rege impetrauit, vt hæreditatem sibi debitam obtineret. Circa idem tempus, rex Francorum fratri suo Aldefonso Comitatum Pictauiæ contulit, & cingulo militari solenniter, excluso Comite Richardo, qui Deo in Terra sancta interim militauit, insigniuit. Ipso quoq; tempore, memoratus Comes Richardus treugas accepit cum Soldano Babyloniæ ea conditione, vt omnes Franci, qui captiui tenebantur, liberi permitterentur. Hierusalem quoq; cum locis finitimis, & multis aliis ciuitatibus, & castellis, in libera pace dimitteretur, cũ quibusdam conditionibus, quæ Christianis honorabiles & fructuosæ sunt, sicut in eiusdem Comitis epistola cõtinetur. In cuius negotii principio, rex Nauariæ, qui & Comes est Cãpaniæ & Britanniæ, & viri de seditione notabiles, nequiter & formidolose fugã clandestinã arripuerunt, apud Ioppen naues, vt ad propria redirẽt, cũ nil boni in Terra sancta peregissent, ascendentes, & clam atq; subito sub noctis silentio à facie domini, relictis Francis fratrib⁹ suis in vinculis & carcere, fugiẽtes. Ipso autẽ anno, Griffinus, filius Leolini primogenitus, qui ad conciliũ fratris sui Dauidis pacifice venerat, & dolose captus, in carcere fratris tenebatur, regi per Episc. de Bãgor Richardum, humiliter supplicauit, vt ipsum à fratris sui manibus misericorditer liberaret, & ipse totam terram suam, quæ eũ iure hęreditario contingebat, ab ipso rege gratãter teneret. Pro eiusdem igitur liberatione, cum rex liberaliter scriberet Dauidi pro ipso supplicando, nec proficeret exauditus, arma parat, & vexilla in Walliam hostiliter dirigit, conuocato exercitu copioso, quem aduentantem,

* Balcis.

tem,cum Griffinus filius Madochi, quidam princeps Walliæ,& magnates de confinio Walliæ,cum pace recepissent, in via ipsius terræ, quam æstus iam per quatuor menses continuatus arefecerat,sine offendiculo pertransiens, ita ipsum Dauidem, cum suis cõplicibus exterruit,quod non tãtum fratrem suum Griffinum liberum dimisit, verũ etiam in propria persona ad pacẽ regis,mansuetus & edomitus peruenit,examẽ curiæ suæ per omnia subiturus.Rex igitur ad votum completo negotio, misit in Turrim London. Griffinum,à fratris carcere liberatũ,regis cõpedibus, donec quid de eo facturus esset, deliberasset,vinciendum,& ipsum Dauidem in London. vt ad curiam veniret super obiicienda responsurus,sub saluis fideiussoribus obligauit, & sic cum gaudio rex victor, sine sanguinis effusione,ad propria remeauit.Ipso tempore, Comes Richardus, fœliciter ac magnifice consummato negotio Terræ sanctæ,firmatoque federe pacis & treugarum per chartas & iuramenta vtrobique, naues vt rediret ascendit, & post diuturna maris discrimina, apud Trapes in Sicilia applicuit. Cui veneranter occurrentes imperatoris officiales & portuum custodes,ipsum cum magna veneratione susceperunt, habebant tale præceptum à domino suo Imperatore.Eodemque anno,dominus rex aureum feretrum ad reponendum reliquias glorioſi regis,& confessoris Eadwardi,ex sumptibus propriis honorificentissime fecit London.fabricari.Et circa eosdem dies, apud Bristoliam obiit quondam Comitis Britanniæ filia, in custodia diuturni carceris strictissime reseruata. In ipsis quoque diebus,Gregorius.9.papa, quasi conceptos dolores ex vndique auditis casibus, quos sibimet suscitauerat,impotens sustinere.11.Kalend.Septemb. diem clausit extremum, ætate fere centenarius.Ipso tempore Franci per Comitem Richardum liberati, & in equituris, vestibus,ac viaticis honorifice attribiti,ad propria cum gaudio reuertuntur. Comes vero cum domino Imperatore,gratia mutuę visitationis & confabulationis,diu præoptatæ,corpus & cor recreando commorabatur, & nisi mors dominum papam de medio surripuisset, pacem gratiosus in Ecclesia composuisset. Dum autem cardinales, vt moris est,de electione papali inclusi tractassent, obiit magister Robertus de Somerkote, cardinalis.Electus est autẽ in papã Galfridus Mediolanensis, quẽ Cælestiuũ vocabãt, qui cũ vix.17.dieb⁹ sedisset,viã vniuersæ carnis est ingressus. Die vero sanctæ Fidis passus est sol eclipsim,quasi viderentur cœlestia statui Ecclesiæ concordare.Viduabatur etiam eodẽ anno,regnũ Angliæ præclaris magnatibus, & Ecclesia prælatis eximijs. Præter enim prælatos nostros capitales Romanos,videlicet põtifices ad minus duos,qui ab hoc seculo migrauerunt,obierunt in Anglia piæ memoriæ Rogerius London.4.Kalend. Octob.& Hugo Cestriæ.7,Idus Decembris,Episcopi, præter etiam Comitem de Albamarla Gulihelmum,& Comitem Marescallum.G.de quibus mentio ptælibatur. Obierunt vices agens iusticiarii, Stephanus de Segraue.6.Idus Nouembris,& etiam vir nobilis & potens Walterus de Lacy circa Pascha in Hybernia. Obierunt insuper Gilbertus Basset, miles nobilis,& in armis strenuus,Iohannes Byset, Angliæ protoforestarius, Robertus Marmion, Petrus de Bruis,Guiscardus Leydet, Itẽ migrauerunt ad dominum peregrinãtes in Terra sancta,vel eundo vel redeundo, Eudo, frater Comitis Richardi, Hamo, cognomento Peecham,Baldewinus de Betun, Ioannes filius Ioannis,dicti Comitis Senescallus, Iohãnes de Bello campo,miles elegantissimus,Girardus de Furniuaus, & plures alij, quorum fideliter Deo militantium,& vestigia pedum eius adorantium, nomina in libro vitæ indelebiliter annotantur.Eodemque anno,in partus discrimine obiit Isabella Romanorum Imperatrix, soror regis Angliæ, Anglorum spes,& gloria singularis, Kalend. Decembr. Quod cum imperator, per quandam lugubrem epistolam domino regi Anglorum nunciasset,in fine, quasi dolorem temperauit,ipsius epistolæ dicens sic.Restat de omnipotẽtis dono regia soboles,de qua in conspectu patris rex & regina consurgũt, suæ iudices genetricis. Susceperat enim Imperator prolẽ ex ea prosperam,filium scilicet & filiam. Trãsiit annus ille regno Angliæ pestifer & turbulentus, Terræ sanctæ inimicissimus, eo quod Tẽplarii hostiliter Hospitalarios impugnarant,nec poterant industria diligẽtissima Comitis Richardi pacificari,ecclesiæ Romanę virulentus &hostilis adeo quod mortuo papa, & iterum alio electo,et infra paucos dies ab hoc seculo rapto, omnes fratres corporibus, & cordibus, atque diuersis locisdissipati, sese inuicem infestabant.

Petrus de Sabaudia, Comes Richemũdiæ, resignat castra nobilia, quæ à rege susceperat custodienda ipsi regi.

Anno gratiæ.1242. qui est annus regni regis Henrici tertii 26. tenuit idem rex curiam suam ad Natale Domini apud Westmonasterium,in maiori palatio suo,sicut de consuetudine habuit,sereniſſimam, vbi cum moram per.15. dies pertraxisset, rumor de aduentu

aduentu Comitis Richardi, de Terra ſancta redeuntis, percrebuit. Quo cognito P. de Sabaudia, Comes Richemundiæ, caſtra regni eminentiora & famoſiora, quæ ſuſceperat cuſtodienda, in manum regis, vt vir diſcretus & circumſpectus, prudenter reſignauit. Intellexit enim quod magnates Angliæ, magnam de eius exaltatione repentina concepe-
runt indignationem, vnde nimis aduentum Comitis formidabat. Porro hæc ipſius Petri prudentia, multorum corda ſedauit turbatorum. Eodem anno, in Pictauia orta eſt ſeditio magna, quæ poſtea ruinam maximam, & ſchiſma lethale, nec non & guerram, & damnũ generauit irreſtaurabile. Comes enim de Marchia, inſtinctu Iſabellæ, quam Franci Ie-
10 zabel impiiſſimam nominãt, vxoris eius, matris ſcilicet regis Angliæ, calcaneum leuauit contra dominum ſuum regem Franciæ. Indignabatur enim vehementer, quod Aldefonſus, frater regis Francorum, Comes iam Pictauiæ, cui rex Francorum Comitatum eundem nuper contulerat, homagium debitum ab eo exegit. Vnde procaciter reſpondens dictus Comes de Marchia, cum ſuperbia & abuſione, quod de iure debuit, abnegauit. Aſcendit igitur ſuper hoc vſque ad regem Francorum querimonia non leuis. Admonebatur Comes talem inſolentiam corrigere. Sed multoties admonitus, hoc facere con-
temnens, & muliebri vtens conſilio, ſignificauit regi Angliæ, vt veniret in Pictauiam, non
comitatu Anglorum ſuorum, ſed quantitate pecuniæ communitus, & omnes terras ſuas
ei redderet tranſmarinas. Rex autem conſiliis Pictauienſium, quibus prodere proprium
20 eſt, fidem adhibuit & conſenſum, & in theſauris & nauigio tranſitum præparans, nullius amicorum ſuorum neq; hominum naturalium conſiliis, vel precibus potuit retardari. Diebus illis ſcripſit dominus rex omnibus Angliæ magnatibus, diſtricte præcipiens, vt omnes generãliter London. die Martis proximo ante Purificationem beatæ Mariæ virginis, de arduis negotiis regni, dilationem non capientibus, tractaturi conuenirent. Ipſo quoque tempore dominus rex de aduentu fratris ſui Comitis Richardi certificatus, occurrit ei ad mare lętabundus cũ magno comitatu, & ipſum ſuſcipiens cũ gaudio & honore, fraterno affectu in amplexus eius ruẽs, lachrymas fudit exultationis. Et per plures dies cõmorantes, ſeſe mutuis collocutionibus conſolabantur, & epulis recreabantur. Interim non ceſſabant Pictauienſes, regem epiſtolis & legationibus ſtimulare & animare, vt ad i-
30 ſpos transfretando venire non omitteret, ſine offendiculo & contradictione iura ſua & omnes terras ſuas vltra maria recepturus. Imminente autẽ Purificatione, & die generalis perleamenti, conuenit tota Angliæ nobilitas, tam prælatorũ, quam magnatũ apud Weſtmonaſterium. Innotuit autẽ iam cunctis, quod Comes de Marchia, & alii Pictauiæ nobiles, qui omnes de proditione ſemper fuere notabiles, regem vocabant, vt non manu militari ſtipatus, ſed theſauris inſtauratus, ac ſi nullam militiam Anglię reputarent, ſed ſolam pecuniam deſiderarent, ad ipſorum pręſidium acceleraret. Iam iam enim eos rex Francorum, quaſi manifeſtos proditores hoſtiliter inuaſerat. Inſonuit igitur murmur inter Anglos, & non minimam ſuper hoc indignationem conceperunt, quod rex ſerius ad talem ſuggeſtionem fidem prębuerat, & conſenſum. Cum autem congregarentur, exegit rex
40 cum magna inſtantia pecuniam ad acquirendam terram ſuam tranſmarinam. Et cum nõ poſſet rex reuocari à propoſito concepto, prece vel conſilio ſuorum hominum fidelium & naturalium, ſolutum eſt concilium cum indignatione. Conuenerat autem rex pręlatos ſingillatim, quid quiſque ei dare vellet, vſus Romanorum verſutia, & ſic cum non poſſet omnes ſimul congregatos flectere, ſingulos ad voluntatem ſuam eneruando, eorum conſtantiam inclinauit, & ſic conceſſa eſt ei pecuniæ à prælatis quantitas numeroſa. Et exinde militibus, quos nouerat indigere, magnam partem diſtribuit, vt cũ ipſo transfretarent. Cum autẽ rex Francorũ de tranſitu regis Angliæ certificaretur, mare & partes mari conterminas, præcipue Rupellam, & alia maris confinia verſus Pictauiam & Vaſcon. ſpectantia, manu militari cõmuniuit. Eodem tempore, applicuit Comes Sarum apud Doueriam,
rediens de Terra ſancta. Cum autem vidiſſet Comes Richardus, quod dominus rex nul-
50 la poterit ratione ab incepto reuocari, conſenſit vt cum eo transfretaret, & ſe magnifice ad tranſitum præparauit: & eodem exemplo excitati multi alii nobiles, cum rege & dicto Comite, ſe ad tranſitum præparauerũt. Commiſſa igitur regni cuſtodia archiepiſc. Ebor. Waltero, eo quod vir diſcretus & fidelis inter omnes regni reperiebatur, dominus rex comitante regina, & fratre ſuo Comite Richardo, cum ſeptem aliis Comitibus, & militibus circiter 300. naues aſcendit Idibus Maii, iter & vela dirigens verſus Burdegalim. Ipſo quoq; tempore, rex Scotiæ Alexãder, filiã Engelrami de Cuſcy, cuiuſdam videlicet potẽtis baronis ac crudelis de regno Frãc. Margaretã nomine, ſibi matrimonio copulauit. Cũ vero dominus rex in partibus tranſmarinis moraretur, quidam nobilis, natione Hyber-

nicus,Gulihelmus ſcilicet de Mariſco, exul & profugus pro quodam ſibi impoſito facinore,in inſula Londeie,quæ non multum diſtat à Briſtolia,rapinis,& prædis intendebat. Tandē captus cū.17.ſociis ſuis,adiudicatus eſt crudeli morti,& rege ſic dictante, tractus eſt cum dictis.17.ſociis ſuis ad caudas equorum,ad patibulum London.ſuſpēdendus. Pater ergo ſuus,quidam de potentiſſimis Hyberniæ,nomine Galfridus de Mariſco, hoc audito,fugit in Scotiam,vix ibidem tutas latebras habiturus.Qui præ confuſione,& dolore contabeſcens,cito poſt vitam miſerabilem optata morte terminauit.Et circa eadem tempora obierūt quidam nobiles,videlicet Gilbertus de Gaunt,Baldewinus Wak,Philippus de Kyme,& in partibus Borealibus Rogerius Bertramus cū quibuſdā viris præclaris,humanis rebus exēpti ab hac luce migrauerunt.Obiit etiam Comes de Warewik,vir potens & genere ſpectabilis. Et eodem tempore, vnus filiorum Imperatoris Frederici, nomine Henricus, qui exigentibus meritis ſuis,diuturno carcere, iubente patre, detinebatur,miſeram animam exhalauit. Perhibetur enim, ſeipſum ex tædio vitæ, manu propria, nimis infœliciter peremiſſe. Ipſo quoque tempore, rex Francorum piiſſimus, & elegantiſſimus,ſpiritu tactus miſericordiæ,& tranquillitatis, obtulit domino regi Angliæ optimam formam pacis, eo quod eius erat conſanguineus,& vxor eius regina, reginæ Angliæ ſoror extiterat.Sed rex Angliæ, Comitis de Marchia ſeductus falſis policitationibus, ipſam penitus recuſauit,aſſerens ſe nunquam à conſilio dicti Comitis,receſſurum, quem patrem ſuum de more appellauit.Et ſtatim hoſtiliter & inconſulte ipſum regem Francorum diffidauit.Pœnituit igitur regē Franciæ,ſe regi Angliæ ſic humiliaſſe,& euoluta oloflamma,impetum fecit vehementiſſimum in omnia, quæ Comitis erant de Marchia,& infra breue tempus adeo proſperatum eſt negotium Martium in manu eius, vt iam contritis hoſtibus eius,finem guerra ſua ſortita eſt adoptatum. Occupauerat enim iam caſtrū dictum Frontenay,quod videbatur Pictauiēſibus inexpugnabile,& in ipſo filium Comitis de Marchia,cum.100.militibus occupauit.Inde caſtrum,quod dicitur Mouent.Deinde diatim alia caſtra,necnon & ciuitates,& earum habitatores, præclari ciues & milites, ſponte in ſuam ſe dederunt poteſtatem. Tandem ventum eſt apud prædictam ciuitatem vineis opulentiſſimam,flumine,quod Tarenta dicitur, lætificatā, quæ Talleburc dicitur, vbi rege exiſtente Francorum,rex Anglorum ex alia parte cominus flumine extitit, ita vt ad inuicem alii aliorum papiliones,& ſigna videre potuerunt, ereptuſq; eſt ibidē rex Anglorum à diſcrimine confuſionis per induſtriam Comitis Richardi. Nocte igitur fugiens rex Anglorum fœliciter ac prudenter,venit Xantonas, ſed eum inſecutus eſt ſtatim rex Francorū,ibiq; factus eſt acerrimus conflictus inter Anglos & Francos extra ciuitatē, in quo plus laudis Angli promeruiſſe coacti ſunt Francis,licet inuitis confiteri. Accreſcente autem regis Francorum indies exercitu,ad inſtar ſtagni ex torrētibus inundātis, facta eſt ſeditio in ciuitate,vnde natis ſiniſtris rumoribus,rex Anglorum repentino auolatu ſe cōtulit Blauium,probroſe fugitiuus, vbi per aliquot dies infirmatus commorabatur. Hæc igitur audiens Comes de Marchia,tactus dolore cordis intrinſecus, miſſo Comite Britāniæ ad regem Francorum interceſſore & mediatore,vix ad pacem regis Franciæ, ſed duriſſimis tamen conditionibus,relicto rege Angliæ,poſtquam theſaurum eius exhauſerat, & honorem exufflauerat,eſt receptus.Deinde Reginaldus de Pontibus,poſt quem Gulihelmus,cognomento Archiepiſcopus,quos ſequebantur vicecomes de Thoarz,necnon & alii nobiliſſimi Pictauienſium,receptis tamen caute, imo potius proditioſe, regis Anglorum denariis,quotquot poterant antea,ad regis Francorum alas conuolarūt.Obiit autem tunc temporis,abbas de Eueſham Richardus, cognomento Gras, monachus Weſtmonaſt.vir diſcretus & circumſpectus,iure ciuili & canonico eleganter expeditus, apud Ryolam:vnde rex quia eius ſpecialis extitit conſiliarius,& quandoque vices agens cācellarii,doluit vehementer.Et dum rex Angliæ his turbinibus exagitaretur,regina Alienora,proxima partui,apud Burgedalim commorobatur, nec inde receſſit donec peperiſſet filiam,& vocatum eſt nomen eius Beatrix,Comitiſſa prouinciæ, quæ Beatrix vocabatur, ſic procurante:nata eſt igitur in craſtino natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtę. Eodem tempore,quod non ſine ſibilo & deriſu,cum dolore referunt Angli,quædam mulier ſingulariter mōſtruoſa,cuius cadauer vermibus multis hæreditariū,lectica vacuā poterat onerare,videlicet Comitiſſa de Byarde,cū filio ſuo Gaſtone,&.50.militib',ducta cupidine ſterlingorū,quibus nouerat regē Angliæ abūdare,venit ad eū,& facta cōuentione vt regi proſtipēdio militarēt.13.libras ſterlingorū qualibet die ſuſcepit numeratas. dicta vero mulier gygātea,vel filius eius,vel eorū militia, quæ per multū tēporis cū rege morā fecerūt ſumptuoſam, nunquam regi profuerunt, imo potius obfuerunt, & in fine ridiculoſe defuerunt.

runt. Rex interim Francorum, inito cum optimatibus suis consilio, quia vidit opus Martium in manibus suis ad votum fœliciter prosperari, proposuit regem Anglorum, quem iam nouerat Pictauiensium viribus, & solatio destitutum, & iam in procliuum desperationis declinantem, hostiliter, & non segniter, vsque ad Blauium insequi, & inde vsque Burdegalim, si illuc foret migraturus, & negotium guerræ siue belli vsque ad consummationem indefessa diligentia continuare. Et ecce dominus misertus regis Anglorum, dans quando & pro vt vult, salutem regibus, ne incassum videretur se religiosorum Angliæ in recessu suo orationibus commendasse, corda Francorum intolerabiliter superbientium, quodam dissensionis inter eos exorto schismate, perturbauit. Dicebant enim quidam eorum, quod non foret expediens Francis, quod rex Angliæ caperetur, vel confunderetur, ne Anglia Franciæ subiugaretur. Quia si sic eueniret, Franci etiam nobilissimi, si à rege Francorum opprimerentur, vbi profugis pateret refugium, vel Anglis, si similia paterentur? Vidimus enim interdicta Anglia, Franciam Episcopis Angliæ, & quibusdam magnatibus, vt pote Roberto, filio Gualteri, sinum refugii & protectionis aperuisse, & Angliã Comiti Bononiæ, Reginaldo. Et qui talia dicebant, erant de his, quos Comes Richardus in Terra sancta redemerat, quos cum audissent alii Frãcorum, arguebant eos proditionis, & sic orta dissensione, fere ad intestina bella conuolabant. Præterea alimentorum, præcipue aquarum penuria eorum exercitum, qui numerosus erat, adeo miserabiliter inuasit, vt fame, & siti inualescentibus, tumuerunt, & infirmitate contabuerunt, & variis afflicti miseriis animas fatiscentes exhalarunt. Comprouinciales enim puteorum ora obturauerant, riuos & fontes perturbatos intoxicauerant, prata cum pascuis arauerant, & amotis pecudibus, annonam cum fructibus elongauerant. Hausis igitur aquis, tam equi quam homines perierunt, & oblatrantibus diebus canicularibus qui tunc instabant, homines infirmi decubuerunt, & carentes requiei solatio & curantiũ medicamine, citius obierunt. Mortui igitur sunt de exercitu Francorũ magnates, vexilla ferentes, quater 20. & de pedestri manu circiter 20. millia. Rege autem Franc. simul grauiter infirmato, cecidit timor grandis cum desperatione super Francos, dicentes q; eleemosynæ regis Anglorum ipsos deiecerant. Formidabant etiam vehementer regem suum qui tener erat & delicatus, imo etiam seipsos morte opprimi repentina, exemplum etiam robustiorum morte præuentorum augebat formidinem. Obierat enim ibidem Robertus Malet, quidam Baro Normannie, armis strenuissimus, & singulari dignus præconio. Obiit insuper ibidem, eadem peste Richardus de Beaumund, inter omnes Francos generosus, & gestis magnificis intitulatus. Coactus est igitur rex Francorum, fatis sibi aduersantibus, treugas quinquennes à rege Anglorum postulare, in Franciam, vt aerem solitum hautiret, mature rediturus, quæ libenter, imo gaudenter sunt concessæ postulanti. Receptis igitur homagiis magnatum Pictauiæ, & suis naturalibus hominibus, ac fidelibus in castris eorum positis ac ciuitatibus, vt ipsis præessent, & eos regerent, rex in Franciam remeauit, & in breui sanitati restitutus, Pictauienses iussit, vltimis traditos conditionibus, arctissime custodiri, vnde datum est eis iam pro lege, vt nec nuptui filias suas tradant, nec de vna ciuitate in aliam, sine Francorum licentia. Comes etiã de Marchia, de proditione accusatus & appellatus eodem anno, coram rege Francorum, vix à mortis ignominiosæ dispendio est ereptus. Factus est tamen, quasi cunctis prodigiũ, id est, signum ad digitum in subsannationem & sibilum vniuersis, eo quod regem Angliæ tam pernitiose prodidit, in ipsum temere confidentem. Ex ipso igitur tempore dehonerata est regis Angliæ prodiga sollicitudo, quæ inconsulte Pictauiensibus, quolibet anno 7. millia marcarum, pro eorum vmbratili homagio, & inutili seruitio, distribuere consueuit. Eodem anno, videlicet in crastino sancti Michaelis, dedicata ecclesia conuentualis de Waultham ab Episcopo Norwic. Gulihelmo, solẽniter, assistentibus aliis plurimis Episcopis & prælatis. Ipso quoque tempore, exigitur scutagium. Conceduntur & colliguntur ad opus regis indigentis, videlicet de quolibet scuto 20. solidi. Cum autem rex pacifice transisset vsq; Burdegalim, & treugis captis inter regem Franciæ & ipsum, moram ibidem traxisset inutilem & nimis sumptuosam, quidam Angliæ nobiles, iam nimis indigentes, & alieno ære obligati, licentiam repatriandi petierunt, nec obtinuerunt. Comes autem Richardus, eodem tempore, non clare licentiatus, recessit, & in mari repatriando multa passus pericula, & à naufragio vix ereptus, in insulam, non procul à Cornubia ad aridam iactatus, votum vouit dominо se domum religiosorum ordinis Cistercienſis fundaturũ, quod postea fideliter adimpleuit. Circa eadem tempora, obiit nobilis vir, Richardus de Burgo, multas in Hybernia habens terras & possessiones. Et eodem anno, Hugo de Lacy, in Hybernia bellator

nomina-

nominatiſſimus,cuius bella & conquæſtus tractatus exigerent ſpeciales, ab hac luce migrauit. Ipſis quoque temporibus, epiſcopus Lincoln. Robertus, vir in Latino & Græco idiomate peritiſſimus, teſtamenta 12. patriarcharum de Græco fideli interpretatione tranſtulit in Latinum. Quæ per multa tempora incognita & abſcondita fuerunt per inuidiam Iudæorum, nec ad notitiam Hieronymi, vel alterius interpretis peruenerunt. Manifeſtæ enim in eis de ſaluatore prophetiæ reperiuntur. Eodem quoque anno, Kalendas Decembris, obiit Iocelinus, Epiſcopus Bathon. plenus dierum. Iminente vero feſto ſancti Michaelis, non permiſſi ſunt abbates Ciſtercienſis ordinis ad generale capitulum eorum transfretare, eo quod eodem anno, à rege rogati de lanarum ſuarum exhibitione eum iuuare noluerunt. Tranſiit igitur annus ille ſatis frugifer, atque fructifer, Angliæ pacificus, ſed terris regno Angliæ pertinentibus vltramarinis bellicoſus & damnoſus: Terræ ſanctæ ſuſpectus: Imperio formidabilis: toti Eccleſiæ turbulentus, ſede papali adhuc vacante, fratribuſque, tam locis quam cordibus inuicem diſſipatis, ita vt vix ſeptem vel octo Romæ commorarentur.

Rege Anglorum inutiliter commorante apud Burdegalim, colligitur pecunia in Anglia ad opus eiuſdem.

Anno gratiæ 1243. qui eſt annus regni regis Henrici Tertij, 27. fuit idem rex apud Burdegalim, non tamen ad Natale domini: ſed hyemans & commorans inutiliter. Comitiſſa de Biarde &. G. filio ſuo, & Vaſconibus ab ipſo rege, quē ad votum tenebant, quotidianas expenſas ad placitum, & ſtipendia non modica extorquentibus, nec alicui negotio bellico rex vel Angli intendebant, niſi quod ne nil ageretur, quædam parua municipia rebellantiū in finibus Burdegalis ſibi mancipantes, quoddam monaſterium, q. Verrines dicitur, in quo quidam rebelles ſe receptauerant, obſederunt. Vbi quidam regis familiaris conſiliarius, Iohannes Maunſel, clericus, dum animoſius omnibus aliis obſeſſos infeſtaret, vſq; fere ad exanimationem iactu lapidis contritus, & ſpiculo vulneratus, vix manus effugit inimicas. Qui, quia pro regis honore tam libenti animo mortis ſe oppoſuit periculo, factus eſt de familiari, regi familiarior, & de locuplete locupletior, ita vt ad magnatum nobiliſſimorum attingere meruit celſitudinem. Collocatique ſunt ei redditus opulentiſſimi. Circa eadem quoque tempora, monachi Couentrenſes de morte abbatis de Euesham, qui pro electo Couentrenſi habeatur, certificati, præcentorem ſuum, dominū Gulihelmum de Monte peſſulano, virum ſanctum, & moribus & ſcientia præditum, conſentientibus aliquibus canonicis Lichefeldenſibus, in Epiſcopum & paſtorem ſuarum animarum elegerunt. Sed dominus rex, ſicut iam ei moris erat, alium malens in ipſum Epiſcopatum promouere, ſtatim ſe oppoſuit, neq; electionem neque electum acceptans. Et ſtantibus cum eo quibuſdam canonicis de Lichefeldia, & lite ventilata, fiunt vtrobique diſpendia moroſa & ſumptuoſa, videlicet, 245. lib. Eodem quoque tempore, venerunt quinq; Portuū cuſtodes, & quidam, qui vina & victualia vendebant, alij quoq; qui de ſtipe regia pendebant, inſtantiſſime ſua à rege poſtulantes ſtipendia. Burdegalenſes inſuper, quibus rex obligatus ex debitis inæſtimabilibus tenebatur, nec iam domino ſuo liberas habere habenas permittebant. Sed iam erat ei ipſa ciuitas ſua Burdegalis pro carcere: arctabant, & ſtimulabant ipſum, vſq; ad animæ amaritudinem. Et iam, licet ſero, pœnitens ſe dominus rex ſuorum naturalium hominū Anglorum conſiliis nō adquieuiſſe, deſiderauit Angliæ gaudere ſecuritate, & Weſtmonaſter. delitiis exaturari. Ex tunc igitur cogitauit Angliæ portū repetere, & peritorū, pcurāte induſtria firmatæ ſunt treugæ, quæ ſubarratæ & initiatæ fuerant die ſancti Gregorij. Comes autē Britanniæ diſſimulans, vtpote vir doloſus, & omni vulpecula aſtutior, hoc ſe ſcire, in mari piraticus factus rapinis intendebat, & multos multis bonis ſpoliauit, præcipue mercatores, qui in præfatis treugis confidentes, per fines illos tranſmearunt. Quod, cum conquerente rege Anglorum, ad aures piiſſimi regis Franc. peruenisſet, ait. Ha, quoties illum proditorē redargui, nec correptus corrigitur, ſed diſſimulat ſe, quæ facta ſunt, neſcire? Ne ſua ſibi fraus patrocinetur, ſpolietur ſpoliator, & domino regi Angliæ reſtituantur ablata, quod & factum eſt. Inſuper ſpoliator, & infamis factus eſt & iuſta punitione condemnatus. Ipſo quoq; tempore congregati ſunt Cardinales, vt papam eligerent, ſignificabantq; Imperatori, q. iam non leuiter, per totam Chriſtianitatem, famam ſuam denigrauerat. Sparſim enim dictum fuit, q. ipſe Imperator, electionē papalem, & Eccleſiæ promotionē impediuit, Cardinalium aliquos, & prælatos quoſdam incarceratos retinendo. Et in calce mandati addebant, quod ipſos quos ſic tenebat, dimitteret, præcipue Cardinalē Othonē, vt intereſſet electioni, & fieret ad votum ſuum electio, & ad imperii honorem, pacem, & exaltationem. Quibus verbis ſi-

bis fidem adhibens Imperator, dictum Othonem Cardinalem, simul & prælatos, quos temere tenuerat, liberos abire permisit. Cum autem ad fratres idem. O. ipsum expectantes peruenisset, & simul omnes de electione papæ contractassent: seminante discordiam Sathana non poterant cõuenire, nec in vnũ assentire. Vnde Otho Cardinalis, pudore cõfusus, proposuit ad carcerem Imperatoris redire eo quod transgressi sunt Cardinales, quæ promiserant incarceratorum liberatori. Quod, cum Imperatori innotuisset, acceptans Othonis fidelitatem, significauit ei, quod non tantum pro liberato, imo pro amico ipsum habuit, & habiturus erat. Congregato igitur copioso exercitu, Imperator Albaniam ciuitatem ad ecclesiam Romanam specialiter spectantem depopulans, comminabatur Cardinalibus, quod omnia, quæ ecclesiæ Romanæ essent, solo tenus complanaret, nisi concorditer sine impedimento papam eligissent. Mandauitque senatori vrbis, & aliis amicis suis, vt conclusos electores, arctissime in manu armata custodirent, nec ire permitterent, donec papam creassent. Insuper rex Francorum, cum tota regni sui vniuersitate, epistolam efficacissimam, preces armatas & imperiosas continentem, per solennem nuncium transmisit Cardinalibus, persuadens vt ecclesiæ prouiderent, sine moræ dispendio. Talia igitur mandata formidantes, consilium inierunt, vt iterum congregati, inuocata spiritus sancti gratia, die statuto, non moroso, electionem sine impedimento diabolico papalem celebrarent. Dierum illorũ curriculis, quod multi dubitabant, num papalis potestas, sede vacante, ad Cardinalium vniuersitatem deuolueretur, an non, per quasdã literas abbati de Warduna, transmissas, plenius certificamur, sic incipientes. Miseratione diuina. R. Ostiensis, & Velleter. I. tituli sanctæ praxedis. S. tituli sancti Laurẽtii in Luc. S. tituli sanctæ Mariæ in Cosmodin. E. sanctorum Cosme & Damiani. O. sancti Nicolai in carcere Tulliano, sanctæ Romæ ecclesiæ cardinales, religioso viro, abbati de Warduna, salutem in domino, & cæt. Et in sequẽtibus dicitur. Nos autem, penes quos potestas residet, apostolica sede vacante, & cæt. Ipso quoque tempore, rex Anglorum, cum diutinam moram in Vasconia consumpsisset, cõmissa tutela Vasconiæ, quam Senescalliam vocant, Nicolao de * Mueles, † militi fideli, ac prudenti, inops, extorris, & inglorius rediens versus Angliam, trãsfretauit. Cui magnates Angliæ innumerabiles, ex eiusdem regis mandato, occurrerunt, super littus maris moram damnosam, tędiosam, & sumptuosam protrahentes. Tandem ipsum cum sospitate venientem reuerenter susceperunt, & muneribus impræciabilibus simul prelati vt magnates honorarunt, & cum London. peruenisset, cortinis, lãpadibusq; plateas adornari, & Ecclesias cæterorum numerositate iussit coruscare. Et imminente sancti Eadwardi festiuitate. f. 3. Idus Octobr. venit gaudenter Westmonaster. occurrente processionaliter, in festiuis indumentis, in classico campanarum, & incredibili accensorum cereorum numerositate, conuentu. Eodem anno, tempore videlicet natiuitatis sancti Iohannis Baptistæ, post multas disceptationes, ac varias Ecclesiæ Romanæ tribulationes, mortem papæ Gregorij repentinam, mortem quoque nimis lugubrem magistri Roberti Somerkote, Cardinalis, & alias varias fortunæ aduersantis tunsiones, Cardinales in vnum propter metum Imperatoris congregati elegerunt Senebaldum Cardinalem in papam, natione Genuensem, virum in decretis, & iure canonico eleganter eruditum, peccuniæ tamen non contemptorem. Creatus est autem Anagniæ, & vocatum est nomen eius Innocentius Quartus, & die apostolorum Petri & Pauli confirmatus est, & confirmatus confirmauit statim sententiam latam à prædecessore suo Gregorio in Imperatorẽ Fredericum. Vnde Imperator, cum contrarium suæ spei reperisset, in iram vehementissimam incandens, significauit Romanis, quod in magnum eorum præiudicium creatus est papa alibi, quam in vrbe, & in maius, quod sententiam Gregorij papæ confirmauerat. Vnde statim Imperator nouo papæ moliebatur grauamina, & insidias præparauit, posuitque in transitibus viarum & portuum arctas custodias, & per mare galeas, ne bullarum portitores transmearent, & pecuniam in nocumentum sui ei reportarent, ita vt nec Prædicatorib*, nec Minoribus, scripta, vel intersignia vel nũcia baiulantibus, seueritas parceret imperialis. Eodem tempore, Templarij apud Acon Hospitalarios hostiliter obsederunt, & in eorum contẽptum, & contumeliam, treugas per Comitem Richardum cum Soldano Babyloniæ per consilium ipsorum Hospitalariorum prudenter initas, impudenter infregerunt: & ipsum Soldanum, confœderati aliis Soldanis, fidem in infidelibus credentes reperire, non verebantur impugnare. Vnde tantummodo videbatur illa comminatio fulgurantis Euangelij imminere, scilicet: omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Circa eadem tempora, cum Episc. Lincoln. nimis impetuose, & secus quam deceret, abbatem de Bardeney deposuisset, & idem abbas ad conuentum

† Molis.

Cantuar.

Cantuar. penes quem ex ſuis priuilegiis reſidet poteſtas, lites in prouincia Cantuar. exortas, vacante ſede papali, terminare, appellaſſet, noluit dictus Epiſc. appellationē differre: vnde conuentus memoratus dictum Epiſcopum ſolenniter excommunicauit. Epiſcopus autem, ad iam creatum papam nuncios deſtinauit, qui, vix ſaluo vtriuſque partis iure, ad cautelam abſolutionis beneficium meruit obtinere. Confirmantur in Epiſcopū Winton. Epiſcopus Norwicenſis, poſtulatus, & Bonefacius in archiepiſcopū Cantuar. Circa dies illos, videlicet. 18. Kal. Decembr. mater reginarum Franciæ & Angliæ, Beatrix, vxor Comitis Prouinciæ, mulier ſingularis ſpeciei, venit in Angliam rege vocāte, & in viaticis nimis ſumptuoſis totum iter ſuum pompoſe procurante: ipſiuſq; aduentū in precioſorum munerum largitione, in cereorum inæſtimabilium accenſione, in campanarum tinnitu, & turbarum clangore, rex fere vſq; ad mare, cum nobiliū multitudine occurrēs, alacriter ſerenauit. Duxit autem ſecum filiam ſuā Senchiam, Comiti Richar. maritādam. Cum autem London. veniſſet, iuſſu regis, videlicet in octauis ſancti Martini, luto & omnibus offendiculis amotis, pallis & cortinis tota ciuitas reſplenduit adornata. Die vero ſancti Clementis, Comes Richardus deſponſauit vxorem ſuam, memoratam Senechiam, filiam Reimundi Comitis Prouinciæ, & dictæ comitiſſæ Beatricis, ſororem ſcilicet reginarum Franciæ & Angliæ, apud Weſtmonaſterium. In cuius deſponſatione tanta conuiuarum multitudo, tantaque nuptialis lætitiæ reſplenduit ſerenitas, vt feſtum illud generale, ſpeciales exigens tractatus, Hymenæum reddidit admirātem. Et dum mundus, multiformis præſtigiator, ſic mortales exagitaret, quidā habitum tantū geſtans religionis, monachus vmbratilis, & ſophiſticus, Iohannes, qui authoritate fultus tantummodo regia, nomen & officium Prioris Eccleſiæ Winton. videlicet Cathredalis, ſibi temere vſurpauerat, poſtquam illam nobilem Eccleſiam diuerſimode, non ſine multa dilapidatione, ſcandalo, & conuentus ipſius Eccleſiæ variis afflictionibus turbauerat, miſeram animam exhalauit, viarum ſuarum fructus recepturus. Rex tamen mafium ſuam diutius aggrauans, prohibuit ne quis Gulihelmum de Ralie, qui ſe falſo, vt ait, Epiſcopum Winton. fecit ſolēniter acclamari, hoſpitio ſuſciperet, vel eidem in venalibus communicaret, vel victualium neceſſaria miniſtraret, & qui ei in aliquo horum ſubueniret, hoſtis regis, imo publicus haberetur. Epiſcopus autem memoratus Gulihelmus, vt Eccleſiam ſuam viſitaret, Winton. adiit. Maior autem ciuitatis, & ſuorum conciuium nonnulli, ſuper hoc præmuniti, & præcepto ipſius regis animati, omnes portas ciuitatis cōtra ipſum preclusit. At Epiſcopus nudis pedibus ad vnam portam ciuitatis, poſtea ad alios extra ciuitatem cum ſuis presbyteris & clericis, aditum, vt in pace Eccleſiam ſuam intraret, humiliter ab his, qui ſupra portas erant in propugnaculis, poſtulauit. Denegātibus autem Maiore & multis ciuibus, & regis miniſtris, & procaciter obſtantibus, Epiſcopus ciuitatem totam, cum Eccleſia Cathedrali, & omnibus aliis interdicto ſuppoſuit, & ōnes monachos ſequaces, & fautores Prioris intruſi per poteſtatem regiam, iam defuncti, vt dictum eſt, anathematis vinculo innodauit. Eiſdem temporibus, pro imperialibus miniſtris, nimis Viterbienſes opprimentibus ipſa tota ciuitas Viterbii cum partibus adiacentibus, per Reinerū de Viterbio, Cardinalē cōuerſa eſt ad Romanos, qui partes papæ confouebant. Et eodem tempore receſſerunt ab Imperatoris fidelitate multi nobiles & potentes: qui igitur oderūt eū, extollētes caput, comminati ſunt ei, quod ipſum vſque ad internecionem perſequerentur. Humiliatus igitur Imperator ſecundum illud Dauidicum (Imple facies eorum ignominia, & quęrēt nomen tuum domine) formam pacis obtulit Eccleſię, ſcilicet vt iuraret ſe libenter ſtare cenſuræ Eccleſiaſticæ, de iniuriis ei illatis ſatiſfacturum, ita ſcilicet vt prægnoſceret in quibus, & præuiſa via, & omnibus prægnitis. Quod cū denegaretur ei, magis ſolito deſæuit in Eccleſiam, & viros Eccleſiaſticos. Fecit etiam inter alias ſuas tyrānides, duos fratres de ordine Prædicatorum, & tot de ordine Minorum incarcerari, quia Epiſtolas inter principes & magnates, in imperatoris & imperii detrimentum, deprehēſi ſunt baiulaſſe, qui in carcere ob immanitatem preſſuræ defecerunt. Temporibus etiam ſub eiſdem, non tātū partes Orientalium, imo iam mediterraneorum, & etiam Occidentalium concluſit & vehemēter perterruit rumor, qui de Tartaris inhumanis, & eorum exterminio ventilatus, omnia climata mūdi peruolauit: ita vt videretur beati Methodii prophetia effectū veritatis euidenter ſortiri. Et ſub eiſdem diebus, quidam, in Alemannia præcipue, ſe aſſerentes vitam & habitum religionis elegiſſe, in vtroque ſexu, ſed maxime in muliebri, cōtinentiam, cum vitæ ſimplicitate, profitentes, ſe voto priuato Deo obligarunt. Mulieresq; quas Bigrinas vulgariter vocamus, adeo multiplicatæ ſunt, quod earum numerus in vna ciuitate, videlicet Colonia, ad plus quam mille aſſeritur aſcendiſſe. Et tunc temporis in partibus

partibus maxime Vltramontanis, multiplicati sunt hæretici, præcipue illi, quos Paterinos appellamus, qui temporibus retroactis latuerunt, & deprehensi graui morte puniebantur. Iam non erubescentes, neq; punitionem neq; censuram Ecclesiasticam formidantes, in publicum & recta ceruice proruperunt, ita vt finis mundi à multis creditur imminere, propter diuersas mundi & nouas, de die in diem, emergentes tribulationes, cum in commination Euangelica intonet dominus dicens: Surget gens contra gentẽ & cæt. Transiit ergo annus ille Ecclesiæ periculosus, regno Anglię procellosus, frugifer satis tamen, & fructifer, multos nobiles in Christianitate perimens, & perturbans: Italicis præliosus: Terræ sanctæ suspectus: Templariis, Hospitalariis schismatis & scandali generatiuus.

De quodam magno conuiuio Comitis Richardi apud VValingfordiam.

Anno gratiæ. 1244. qui est annus regni regis Henrici Tertii, 28. fuit idem rex ad Natale Domini apud Walingfordiam, conuiua fratris sui, Comitis videlicet Richardi, vbi nimis fastigiose conuiuantes, inuitatis omnibus fere regni nobilibus, Londini iniciatarum reliquias nuptiarum consummauerunt, vt reliquię cogitationum festum peragerent nuptiale. Erant autem præsentes ibidem, præter optimates Angliæ, quos perlongum esset enumerare, Beatrix Prouinciæ Comitissa, & eiusdem filia, * Senchia, nurus ac noua sponsa spectabilis. Quibus rex, cum summo conamine se serenum exhibuit, & iucundum. Tandem conuiuii solennitate completa, rex comitante dicta Comitissa Beatrice, cum multis nobilibus Angliæ & Prouinciæ vtriusque sexus, instante festo Circumcisionis dominicæ, Londinum properauit, vt ibidem in præsentia & conspectu Prouincialium, solennizans festiuitatem sancti Eadwardi miro apparatu apud Westmonaster. speciale suũ domicilium magnifice celebraret. Qua peracta, memorata Comitissa, versus mare lora dirigens, ad partes natiuas remeauit, rege cum numerosa regni multitudine vsque ad maris littora pedetentim comitante. Sed antequam apud Douoriam nauem ascendisset, ne mundana gaudia impermixta arrideant mortalibus, occurrerunt ei lugubrium rumorum portitores, nunciantes, Reimundum Comitem Prouinciæ, maritum suum, irremediabili morbo percussum, solum expectare sepulchrum, qui in omni tribulatione efficax Romanæ ecclesiæ exhibuit patrocinium, & Imperatori nocumentum. Quod cum audisset dominus rex, incõsolabiliter dolens, q; solum potuit, in precibus & eleemosynis, Dei misericordiam pro ipso interpellauit. Circa idem tempus, confisus dominus Papa nimis de regis simplicitate & patientia, quendam nouum pecuniæ extortorem, non insignibus legati redimitum, sed inauditis potestatibus communitum, nomine Martinum, transmisit in Angliam, qui se in solitum legatorum & papalium nuntiorum & clericorum receptaculum, scilicet in nouum templum Londini, statim recipiens, potestatem suam redditus recipiendi & pecuniam multipliciter extorquendi manifestauit, & eam exercuit diligẽter, vsq; ad multorum cordium summam amaritudinem, & conscientiarum læsionem. Habebat enim potestatem, collationem beneficiorum prohibendi, donec ad votum suum ipsi foret satisfactum. Qui exiles redditus, quasi quisquilias, despiciens, opimis manus rapidas iniecit. Habebatq; potestatem excõmunicandi, suspendẽdi, & multipliciter voluntati suę, licet impetuose, resistentes puniendi, & pro voluntate: quasi ipso die in papali Cancellaria, bullatas chartas autenticas more protulisset consueto. Vnde à nonnullis, nec sine causa, dicebatur, ipsum plures chartas bullatas, sed vacuas, ad placitũ suum scribendas, quod absit, detulisse. Cœpit igitur memoratus magister Martinus, vndiq; munera, præcipue palefridos concupiscibiles, & vasa pretiosa imperiose à prælatis exigere, exigendo extorquere, maxime à religiosis, ad opus suum (stulte enim orat, qui sui obliuiscitur) & ad opus papæ redditus, & præbendas præelectas: vtens hac odibili adiectione, nõ obstante priuilegio, & cæt. Inter quas, dum præbenda opima quædam Sarum vocaret, dictus magister Martinus, sedulus explorator, auidas & aduncas manus iniiciens, irrequisito, imo potius inuito, loci ipsius Episcopo, contulit ipsam cuidam adolescentulo, domini Papę nepoti. Similiter & alias ipsius Papæ consanguineis, quibus idem Papa mirabiliter abundauit, collegit: dictus magister Martinus indefessus, nõ sine multorum peritorũ stupore. Credebant enim multi, & credentes sperabant, quod Romana curia multipliciter à Deo flagellata, fræno moderaminis suam auaritiam solitam, aliquantulum saltem, coerceret. In octauis vero Purificationis beatæ Mariæ virginis, obiit vas superbiæ, & omnis fomes contumeliæ inter dominum Papam & Imperatorem exortæ, Iohanes de Columna, Cardinalis Romæ. Qui vir Martius, & genere præclarus inter omnes Cardinales, castris, & palatiis, nec non & thesauris, & redditibus instauratus, claruerat potentissimus. Eodemque tempore, magister Rogerius, præcentor Sarum confirmatus est in Episcopum Bathonien sem. Quidam

* Cincia.

dam quoq; monachus de gremio ipſius Eccleſiæ, Thomas, aſſumpſtus, rite electus eſt in abbatem de Euesham, & creatus. Anno quoque eodem, venerabilis pater Ciceſtrenſis, Radulphus de Nouilla, Angliæ Cancellarius, columna veritatis, penes quem ipſum regnum erat, baſis fidelitatis, Londini in nobili palatio ſuo, quod à fundamentis conſtruxerat, non procul à Nouo templo, & Domo cõuerſorum. Kal. Febr. vitam temporalem terminauit, perpetuam adepturus. Ipſo tempore, Otho Cardinalis, qui aliquãdo legatus fuit in Anglia, factus eſt Epiſcopus Portuenſis. Diebus quoque ſub eiſdem, Gulihelmus Epiſcopus Winton. ægre ferens moleſtias ei à rege diatim illatas, & multiplicatas, cum apud Suthwerk in domo canonicorum, quaſi latens commorabatur 10. Kalend. Martii, clandeſtinam fugã ſummo mane arripuit, nauemq; Londini aſcendit, partes Gallicanas exul & aſylum ſecuræ pacis aditurus, & per Thameſim nauigans in alta maris indiſtanterſe recipiẽs, antequam ad regis notitiã hoc peruenifſet, in portu ſancti Valerici proſpere applicuit. Inde ſe ad Abbatis villam tranſferens, obuium habuit ibidem piiſſimi regis Francorum nuntium ſolennem, qui eundem epiſcopũ ex parte domini ſui regis cum gaudio & vultu ſuſcepit ſereniſſimo, in omnibus ei ſpondens regale patrocinium, & in omni tribulatione conſolationem: præcepitque edicto regio vt Maior Abbatis villæ promtã haberet totam communem ipſius ciuitatis ad eiuſdem epiſcopi defenſionem, ſi forte ipſum inſequerentur aliqui ex parte regis Angliæ ad nocendum, ita ſcilicet, vt ſi opus poſtularet, ad arma conuolantes, hoſtiliter pro epiſcopo contra omnes aduerſantes dimicarent Sic igitur exulante Winton. epiſcopo, fama regis Anglorum per omnes partes Ciſalpinas non mediocriter denigratur. Dicebant enim Franci, Anglorum ſemper æmuli, materiam ſumentes exinde nequiter obloquendi: Eia, eia, ecce rex Angliæ contra omnes regni ſui inimicos deſes & imbellis, omnes ſanctos Epiſcopos ſuos perſequitur, & proſcribit. Nunc beatum Thomã, nuper glorioſum Eadmundum, Cantuar. archiepiſcopos, & in præſentiarũ, Epiſcopũ Winton. qui etiam ei diu diligenter ac fideliter ſeruiuit, non permittit vel Eccleſiam ſuam ingredi, vel regni ſui pace gratulari, malens alienigenas & ignotos promouere. Quod cum electo Cantuar. Bonefacio innotuiſſet, dolens de regis Angliæ infamia, ipſum regẽ per amicabilem ſuper hoc corripiens epiſtolã, admonuit diligẽter ipſum regẽ, vt memoratum Epiſcopum reuocans, in priſtinam amicitiam ſuſcipiens & familiaritatem, ingredi permitteret in Epiſcopatũ ſuum, & epiſcopale officium ſuum libere exercere, ac libertatibus ſuis & poſſeſſionibus temporalibus gratulari, ne ipſi regi & regno deterius eueniret. Scripſit etiã cito poſt, dominus papa ipſi regi efficaciſſime, vt ipſi Epiſcopo in amicitiam reuocato, ſinũ panderet miſericordiæ. Scripſit inſuper dominus papa reginę Angliæ epiſtolam elegantẽ, in cuius titulo, & tenore aſſerit eam, neſcitur qua ratione, ſuam eſſe conſanguineam, forte ad cautelã, vt ipſam redderet precibus ſuis fauorabiliorem: Admonuit igitur diligentiſſime, vt rigorem flecteret regalem, & rancorem verſus Epiſcopum Winton. cõceptum mitigare ſtuderet. Legit enim papa, & didicit hoc nomẽ mulier, etymologizare. Dicitur enim mulier, quaſi molliens herum. Pro huius enim beneficii liberali impenſione, paternaq; ſolicitudine, quã dominus papa pro promotione & pace Epiſcopi diligenter exhibuit, prædictus Epiſcopus Winton. ne ingratitudinis poſſit redargui, plura, quam 6. millia marcarum numeraſſe domino papæ perhibetur: & dominus papa, ne de contemptu valeret corripi, nec vnum denariũ reiecifſe. Et dum mortales mundus tot turbinibus concuteret: Griffinus, filius Leolini, principis Northwalliæ, iam defuncti, primogenitus, qui in Turri Londinenſi captiuus tenebatur, tædio diuturni carceris & inſoliti grauiter affligitur, cogitauit argumentoſe, qualiter incluſionem poterat euadere carceralem. Vna igitur noctium, deceptis cuſtodibus, ex laceratis linteaminibus, tapetiis & mappis, funem intricando connodandoq; longum connexuit, per quẽ cum ſe perpendiculatim à Turris ſummitate dimiſiſſet, per alicuius tractũ ſpatii, rupto fune corruens, fractis ceruicibus, expirauit. Erat quippe magnus & ponderoſus valde. Per eadem quoque tempora, facta cruentiſſima cõgreſſione bellica in Terra ſancta, inter Saracenos, omnium Saracenorum peſſimos, Choroſminos, & inter omnes, qui erant ad arma apti, Chriſtianos, & facta ſtrage miſerabili, & omnibus ſeculis deploranda, capti ſunt, & in captiuitatem deducti Magiſtri Templi, & Hoſpitalis, & fere omnes Templarii, & Hoſpitalarii, & alii fratres ordinum diuerſorum, vtpote domus Alemannorum ſancti Lazari, & omnes fere nobiles Terræ ſanctæ vel in prælio ceciderunt, vel in captiuitatem Saracenorum detrudebantur. Soldanus enim Babyloniæ, quem Templarii, rupto treugarũ fœdere, per Comitem Richardum inito, expugnarunt, in tantæ iniuriæ vindictã Choroſminos in eorum direxit exterminium. Veruntamen Tartari memoratos Choroſminos

à fini-

à finibus suis in ore gladii prius propulsauerant, & sic miseri Christiani præda prædę & prædonum, peccatis suis exigentibus, facti sunt. Hæc igitur lugubris congressio, & vniuersali damnosa & probrosa Christi Ecclesiæ, facta est infausto sydere inter Ascalonem & Gazaram, die sancti Lucæ. Et dum in Syria genus humanum tot turbinibus quateretur, in Anglia & eius confiniis sæuit in humanis diuina potentia rebus. Romana igitur Ecclesia, rubore deposito, tempore noui papæ nostri Innocent. 4. secus quam sperauimus, non cessabat per prouisiones cotidianas redditus imprudenter extorquere, a via antecessorum suorum non exorbitando, imo manum super omnes aggrauando. Exiit igitur murmur, licet sero, in cordibus Anglorum diu conceptum & retentum, in manifestam querimoniam, & quasi parturientes loqui, non poterant amplius se continere. Patientia enim eorum desidiosa erat, & humilitas infructuosa est, imo potius & damnosa, & ipsa abutebatur Romana proteruitas insatiabilis. Et in vnum conuenientes totius regni nobiles, regem efficacissime super hoc conuenerunt, asserentes se malle mori, quam amplius tales enormitates tolerare. Non enim eorum, neque antecessorum suorum intentio fuit, quando contulerunt bona viris religiosis, & aliis locis pia consideratione constructis, vt ipsa ad arbitrium papæ viris Italicis ignotis, & eis, quos nouerãt simoniis & vsuris pollutos, & vitiis multimodis, quibus non est cura, prædicatio vel hospitalitas Christi fidelibus impendenda, contribuerent. Rex igitur non mediocriter ad iram prouocatus, sciens ac sentiens talibus querimoniis inesse veritatem, scripsit domino papæ verbis humilibus, & efficacissimis, vt talia studeret paterna sollicitudine corrigere. Ipsis quoque temporibus, Dauid princeps Northwalliæ ad alas papalis protectionis confugere proponens, terram suam obtulit ab ipso tenere, reddendo inde sibi vnam certam summam pecuniæ, vt dicitur, quingẽtas marcas: cui perhibetur dominus papa fauorem præbuisse, in magnum regni Angliæ præiudicium & iacturam. Nouit enim mundus principem Walliæ ab antiquo vasallum regis Angliæ extitisse. Per eadem tempora, fama beati Eadmundi Archiepiscopi Cantuar. & confessoris glorioßissimi, omnia Cisalpina climata odore bonæ famæ repleuit. Tot enim & tanta dominus ipsius meritis operatus est miracula, vt viderentur Apostolorum tempora renouari. Petierunt igitur Monachi Pontiniacenses, in quorum Ecclesia dicti præsulis ac confessoris corpus sanctissimum dinoscitur requiescere, vt à domino papa, facta rite inquisitione, idem sanctus canonizaretur. Sed dominus papa negotium illud suspendens, promisit se hoc facturum cum aliqua magna ac solennis foret in curia Romana fidelium congregatio, & hoc factum est, vt dicitur instinctu quorũdã inuidorum, qui memoratum Archiepiscopum viuum in vita sua persequebantur, qui nec defunctum persequi desinebant. Ipsis quoq; temporibns, dominus rex, petitionibus domini papæ, & aliorũ magnatum precibus emollitus, cœpit mitius agere cum Gulihelmo, Episcopo Winton. significans ei, quod si benigne concederet & ratas haberet collationes beneficiorum, quæ clericis suis ipse rex contulerat de Episcopatu Winton. nec exigeret ratiocinium de iam acceptis per ipsum regem maneriorum instauramentis, & sententiam interdicti, in ciuitatem Winton. latam, relaxaret, toleransq; benigne ac patienter priorem, quẽ ipse Wintoniæ constituit, & monachos, qui cum rege steterunt, libenter ipsum in pristinam familiaritatem reuocaret. Quod audiens magister Henricus de Susa, regis clericus, qui in curia Romana contra Episcopum Winton. steterat regis procurator, qui maximam à rege pecuniam acceperat ad conterendum dictum Episcopum, in partes sui natiuas, subito & clã diuertit, asportauitq; secum dictam pecuniam, & per eam adquisiuit sibi, vtinam non cõparauit, vnum Episcopatum, prouentum ipsius rei non officium desiderans, & nũtius corruo consimilis, in Anglia postea non comparauit, prænoscens viam pacis inter dominum regem & Episcopum Winton. immioere. Has igitur dum annalis orbita temporales mutationes transcurreret, Imperator Fredericus, superbiæ stimulis exagitatus, pœnitere cœpit quod se vnquã Ecclesiæ humiliasset, & papæ insidiarum laqueos postea retendit, quos dominus papa, aliquoties præmunitus, prudenter declinauit. Et vt partem suam cautius roboraret, quia paucos suæ solicitudinis & laboris habuit participes, decem in paruo tempore creauit Cardinales, videlicet magistrum Iohannem, cognomento de Toleto Cisterciensis ordinis monachum, natione Anglicum, literatura eleganter eruditum, & quosdam alios plus generositate quam virtute morum vel scientiæ præditos, quorum nomina longum esset scripto inserere, ac indignũ. Octauo die ante festum natiuitatis beati Iohannis Baptistæ, accessit dominus papa ad ciuitatem Castellanam, quæ ab vrbe octodecim distat miliaribus, vt ibidem vicinius Imperatori, efficacius de pace tractaret, quæ tamẽ suspecta, imo potius sub desperatione, ex iam auditis, erat suspensa. Vigilia autem Apostorum Petri

& Pauli, venit ad Sutrium ciuitatem. Imperator autem iam recalcitrans, significauit ei q̃ nihil faceret de conuentis, nisi literis absolutionis prius habitis. Et cum Papa respondisset, & diceret hoc fore rationi dissonum, orta est contentio inter nuncium imperatorium & ipsum papam. Papa igitur ex tunc, quasi suæ præsagus perturbationis, repentinam & clandestinam fugam arripere satagebat, nullo tamen conscio, ne fugienti dominus Imperator repagula præpararet. Fuerunt tamen, qui dicerent hoc ipsum cogitasse, vt venientibus munerum portitoribus occurreret, quia, qui pecuniam portabant, non ausi erãt ad ipsum ꝓpter custodias Imperatoris peruenire. In hora igitur primi somni, in vigilia apostoloru m Petri & Pauli, dominus papa relictis papalibus ornamentis, se leuibus armis armauit, & ascendens equum velocissimũ, manu non vacua, quodam vix cubiculario conscio clam subitoque discedens solusq;, equinis lateribus & calcaribus acutis non pepercit, ita quod ante primam, potius raptus quam vectus. 34. miliaria pertransiuit, nemine comitãte, vel ipsum sequi potente. Media autem nocte clamor est in curia: ecce papa sic recessit. Assertiue quoq; dixerat papa die antecedenti, se omnia negotia in curia expedienda, in crastino videlicet die Apostolorum, & honore eorundem, benigne expediturum vt sic omnes se talia non facturum redderet certiores. Et venit ipso die ad castrum supra mare, quod dicitur Vetus ciuitas, cui venerant ibidem in occursum. 23. galeæ, armis & armatis bene communitæ de Genuensibus, parentibus suis, qui prompti erant ipsum assumere & in suam ducere ciuitatem illæsum & indemnem, propter retributionem. Et ante noctem, qui festine sequebantur, venerant ad eum septẽ Cardinales, & sero dominus papa intrauit cum illis. 7. Cardinalibus, & paucis clericis, vnam illarũ galearum, & in triduo per multa pericula maris, propter Pisanos & alios ei insidiantes, venit ad Portum Veneris, inde tertia die venerunt Genuam lętabundi. Occurrentes vero ciues, se fere omnes suos esse parẽtes vel affines iactitabant. Hinc est, q̃ quia ipsi Genuen. tam prompti in occursum ei ad Veteris ciuitatis portum peruenerant præmuniti, non fuisse hoc factum præ timore Imperatoris, imo potius, vt occurreret pecuniam afferentibus, asserunt quidam argumentosi. Acclamãtibus autem omnibus ciuibus vtriusq; sexus & applaudentibus in clangore tubarum, & classico campanarum in ciuitate, in qua natus fuit papa, promisit eos indubitanter se de redditibus præcipue Anglicanis, & sterlingis desiderabilibus, ditaturum, nec fefellit eos ꝓmissio. Cũ autẽ Domino Imperatori hoc innotuisset, more Satyrico infrenduit, & ait: Fugit impius, nemine persequente, & timet sibi conscius, nemine accusante. Luce clarius video, quare fugit videlicet vt occurreret Francis & Anglis pecuniã sibi præsentaturis. Doluit tamen Imperator super hoc, & obstupuit vehemẽter & suorum portuũ & ciuitatum custodes desidiæ redarguit & proditionis. Fecit igitur in circuitu Genuæ, præcipue versus Galliam, exitus viarum, ne ad papam pecunia portaretur, in quam solum confidebat, vel bullata litera deportaretur, in qua gloriabatur, arctissime custodiri, ita vt iam erat domino papæ Genua pro carcere, & patria pro exilio. Ipso quoque tempore, vt partem suam magis roboraret Imperator, nuptui tradidit quandam filiã suam cuidam Grecorum principi potentissimo, nomine Bartacon, Ecclesiæ Romanæ inobedienti, & ideo schismatico, in domini papæ detrimentum & contumeliam. Et sic diatim, domino irato, malorum cumulus susceptit incrementum. Et dum mundialis procella mortales quateret, & turbaret: Wallenses, nec volentes nec valentes, colla sua legibus ignotis, & dominationi Anglorum submittere, duces sibi constituentes Dauidem Leolini filium, & domini regis nepotem, & quosdam alios potentes de Wallia, contra regem & eius Marchisios guerram mouerunt cruentissimam. Quibus pro præcepto regio, & terrarum suarum tuitione viriliter restiterunt, dimicantes crebrius, Comes de Clara, Comes de Hereford, Thomas de Munemue, Rogerius de Mõthant, & alii Marchisii potentes & præclari. Qui in principio certaminum calculum deteriorẽ reportantes, tandem de aliquibus hostium, vt moris est in guerræ * alea, triumpharunt. In primo autem certamine ceciderunt, hinc inde, viri circiter centum. In festo vero. S. Barnabæ apostoli, fuit dominus rex apud sanctum Albanũ triduo commorans, ibiq; rumoribus crebr escẽtibus de Wallensiũ insolentia, & aures & cor regis offendentibus, superuenerunt alii rumores, qui tam aures quã cor regium perturbabant, scilicet de Roberti Passelewe, clerici sui, qui corpus & animam regio famulatui exposuit, repentina cassatione: qui ad Episcopatum Cicestrensem electus fuerat: & alterius, loco ipsius, videlicet magistri Richardi de Withz, sine assensu regio, subrogatione. Dominus igitur rex, cui derogatum fuit, iratus valde, episcopatum cepit in manũ suam, non permittens nouum electum aliquẽ habere ingressum in eundẽ episcopatũ, vel dominium. Insuper magnã concepit indignationem

aduersus

aduersus omnes, qui hæc procurauerant, præcipue aduersus electum Cantuariensem Bonifacium, quem maxime redarguit ingratitudinis, imponens ei, quod esset læsor regiæ dignitatis in principio suæ promotionis. Et ab imo trahens rex suspiria, tacitus tandem ait, merito hæc patior, quia impediens liberam electionem Cantuar. vbi tot sancti præcesserunt, prorsus indignũ ibi censui promouendum. Circa eadem tẽpora, dominus rex Angliæ aduersus regem Scotiæ graues mouit quæstiones, imponens quod in ipsum regẽ Angliæ & regnum, contra fidelitatem regi Angliæ & regno prestitam, magna de nouo moliebatur grauamina. In cuius rei argumentum, in Laudonia, Angliæ contermina, castra fortissima construi procurauit. Insuper Galfridum de Marisco, inimicum suum, & fugitiuum, in terra sua protexit, & receptauerat. Prætera vxorem sibi elegit, filiam Ingelrami de Cusy, cuiusdam baronis de regno Francorum iniquissimi, & regi & regno Angliæ inimicissimi. Misit igitur rex, quod tamen non oportuit, pro Comite Flandriæ, vt ei veniret in adiutorium contra regem Scotiæ, guerram sibi commoturum, ac si esset impotens sine eo ipsum inuadere. Vires quoq; totius Angliæ nobilitatis, ad hanc guerram commouendam & sustinendam, conuocauit. Memoratus igitur Comes Flandriæ vocatus, cito venit, ducens secum Flandrenses, prædam & rapinam, vt mos est eis, auidissime sitiẽtes: scilicet 60. milites, & centũ seruientes, regis denariis inhiantes. Rege igitur iam profecto versus partes Angliæ aquilonares, dictus Comes, qui apud Douer iam applicuerat, expedienter regẽ sequebatur, concomitante fratre suo Cantuar. electo, Bonifacio: qui cum pertransientes ad sanctum Albanum, pernoctaturi ibidem, peruenissent, occurrit eis magister Walterus de Sufeldo, electus Norwic. & statũ ibidem in episcopũ Norwicensem, ab electo Cãtuar. confirmatus est. Rex autem Scotiæ Alex. de hostili aduentu regis Angliæ certificatus, prudentissime sese præmuniuit: omnes conterminos amicos, legatis & epistolis, instantissime sollicitans, vt ipsum in tanti discriminis periculo adiuuarent. Vnde inestimabilem, præcipue peditum, conflauit exercitum. Misit insuper ad Iohannem de Cusy, fratrẽ vxoris suæ, in regnum Francorum: supplicans eidem, vt sibi contra regem Angliæ certaturo potenter subueniret. Ingelramus enim pater dicti Iohãnis, paulo ante mirabiliter expirauerat. Corruens enim ab equo suo, quodam stipite faciente offendiculum, pependit à strepa. Equus attonitus discurrens, quendam fluuium intrauit profundissimũ, vnde videns Ingelramus mortem imminere, conatus est ascendere equum, & ecce euaginato per se gladio, subito transfossus est. Obiit igitur dictus Ingelramus, suspensus, tractus, perfossus gladio, & submersus. Hæc iccirco diuertens à materia mea dixerim, vt mundo innotescat mirabilẽ Ingelrami vitam mirabili fine terminari. Misit igitur filius eius Iohãnes, loco eius substitutus, præsidiũ militare regi Scotiæ per mare. Sed rex Angliæ hoc audito, partes maris per Quinque portuum custodes arctissime iussit custodiri: à quibus territi versus Scotiam nauigãtes, per viam, qua venerant, sunt reuersi. Videns autem rex Scotiæ regi Angliæ non posse resistere, pacem petiit, & obtinuit cum difficultate. Et sic pax inter reges Angliæ & Scotiæ reformatur. Electo autem Norwic. confirmato, electus est in episcopũ Landauensem magister Gulihelmus de Burgo, domini regis clericus. Et dum annalis orbita his temporibus voluereturꝫ rex edicto publice proposito & submonitione generaliter edita, fecit notificari per totam Angliam vt Baro quisq; terram tenens à rege in capite, haberet prompta regali præcepto omnia seruitia militaria, quæ ei debebantur, tam Episcopi & Abbates, quã laici barones: & profectus est cum exercitu copioso versus Nouũ castrum super flumen Tinam: vbi, cito postquam illuc venerat, venit ad illum Comes Flandriæ cum suis commilitonibus, Esterlingis sitienter inhiantibus. Cõgregata igitur vniuersitate totius Angliæ nobilium apud memoratum castrum, tractatum est diligenter, super tam arduo negotio cõsilio habito, circa assumptionem beatæ Mariæ diligentissime, vbi compositum est inter reges, procurante Comite Richardo, & aliis magnatibus salubriter & prudenter vtrobique crebrius intermeantibus. Dicebant vtiq; discreti viri & circumspecti, auertat Deus ne tot Christianorum sanguis innoxius effundatur, quantum eminens congressio comminatur. Satis, imo nimis, Orientales Christiani trucidantur, sed illi sursum ad dominum, vt pium est credere, subuolarunt. Sed heu quantus dolor si nunc tot millium millia morti succumberent, pro libidine dominandi, & terras ampliores possidendi. Porro rex Scotiæ vir bonus, ab omnibus, tã Anglis quam Scotis amabilis, habebat exercitum numerosum valde, videlicet mille ad vnguem armatos in equis bonis & electis, licet non Hispanis vel Italicis, & cõpetenter ferreis vel lineis armaturis communitos, peditum vero inæstimabilẽ multitudinem, circiter (vt dicitur) centum millia. Qui omnes vnanimes confessi, & de peccatis suis absoluti, & prædicantium cõsolatione, quia pro patria sua iusse forent dimicaturi, ani-

mati mori minime formidabant. Ne autem tot Christianorum sanguis funderetur in cõgressione hostili, pax fœliciter inter dictos reges est reformata, & charta conscripta de pacis inuiolabili obseruatione. Quæ quidem cito post, à summo pontifice est confirmata iuramenta quoq; & omnimodæ obligationes præstitæ, vt quæ erant ibidem vtrobiq; salubriter prouisa, firmiter forent imperpetuum obseruanda. Interim Wallenses vehementer pertimescentes, ne rex pace facta cum rege Scotorum super eos cum toto exercitu hostiliter irrueret, siluerunt, & more leporino in pace latuerunt. Rex vero omnibus in partibus, Scotiæ conterminis, pacifice compositis, ad pacificas Westmonaster. delicias, immemor iniuriarum à Wallensibus sibi & suis illatarũ, indistanter remeauit. Quod cum Wallenses intellexerunt ad instar apum, de aluearijs suis scaturientium, exierunt de latibulis suis, & rapinis, incendijs, & cædib. haud segniter intendẽtes, & Anglos turpiter non sine multorũ suorum hominum iactura repellentes. Per idem tempus relaxatum est interdictum, quo premebatur Ecclesia Winton. & omnia in pace honorifice reformata. Consecratus insuper est tertio Idus Septembris, magister Rogerius, Præcentor Sarum, in Episcopum Bathoniensem, cuius redditibus iam vacantibus magister Martinus clericus domini Papæ, quẽ quidem multi, lepide loquentes, magistrum Mastiuum, propter suam rapacitatem, nominabant: manus aduncas iniecit cuidam Papæ consanguineo ignoto, tamen conferendis. Die vero sancti Dionysii cõsecratus est in Episcopum Londin. Fulco Basset, Decanus Ebor. Eodemq; tempore, obiit Episcopus Cuuerensis, Adam apud Wardon, vbi aliquando Abbas extiterat. Obiit quoq; eodem tempore Episcopus Herefordensis Iohannes, qui priuatus Episcopatu suo, apud sanctum Albanum papali iussu perendinauerat circiter 20. annis. Circa quoq; eadem tempora, Episcopus Lincoln. pro lite sua terminanda, quæ mouebatur inter ipsum & Canonicos suos in præsentia domini Papæ, curiam Romanã adiit, similiter contra eum Decanus Lincoln. & quidam eiusdem Ecclesiæ canonici. Eisdem quoq; temporibus, videlicet die lunæ, proxime ante festum Omnium sanctorũ, venerunt ad Synodum Roffensis Episcopi quidam, nouæ religionis speciẽ prætendentes, dicti Cruciferi, à cruce quam quilibet baculo suo baiulabat alligatam. Et eodem tempore se transtulit dominus Papa à custodibus imperialibus, ad Astensem ciuitatẽ. Et cito post raptim & noctu Lugdunum se contulit. Ex tunc igitur cogitauit Concilium generale congregare, præcipue vt Imperatorẽ deponeret, & ibi, vel in inferioribus Galliæ partibus ignominiose eum ab Imperiali culmine præcipitaret. Rex autem Franciæ comperiens, quod dominus Papa regno suo appropinquauit, sciens quod de aduentu suo nihil boni regi vel regno proueniret, conuocauit magnates suos, consulens eos quid super his foret agendum, & cũ conuenissent, ecce papalis petitio directa est ad ipsum regem & proceres, vt liceret ei ad Remensem ciuitatem, quæ tunc suo Antistite viduabatur, se transferre. Quod cum Franci attoniti audissent, statim constanter responderunt. Hæc se nullo modo velle tolerare. Rescripsit ergo rex Franciæ domino Papæ moderate, proceres suos nullatenus velle consentire vt in Franciam veniret: timebant enim ne quasi mus in pera, anguis in sinu hospites suos remuneraret: nec permitterẽt duo magna luminaria in suo climate apparere, ne, vno aliud absorbente, eclipsis fieret, nec valuit verborum elegantia, in epistola papali composita, vel exemplum de fœlicis memoræ papa Alexandro sumptum, constantiam Francorũ eneruare. Dicebant enim, quam dissimilis ille vir huic puero. In crastino autem Animarũ conuenientes omnes Angliæ magnates, regi instantissime auxilium pecuniare ab eis sibi concedi postulanti, toties læsi & illusi, contradixerunt in facie. Eodemq; anno, significauerat dominus Imperator regi Angliæ & eius magnatibus, per specialiem suum nuntium & consiliarium, videlicet Petrum de Vinea, vt non sinerent regnum Angliæ depauperandum amplius, pecunia sua spoliari, & Papam ex ipsa inaniter saginari, & ipse dominus Imperator Angliam à tributo liberaret. Asserebatq; memoratus Petrus, omnem pecuniam, quam Anglia effuderat in vsum Papæ, dominum Imperatorem in vsus suos suscepisse, vt quæ in Imperij detrimentum donabatur, in eiusdem successus proueniret. Rex igitur propositum habens in Walliam expeditionem mouere, à ciuibus, quasi à seruis vltimæ conditionis, & Iudæis, pecuniam extorsit non minimam, quadam ficta causa contra eosdẽ prædictos ciues, quod scilicet quendam abiudicatum & exulem, Gulihelmum Buketel, fouerant: qui tamen precibus & muneribus fratris sui Andreæ legalis factus extiterat. Dia vero sancti Hugonis obiit Margareta soror regis Scotiæ, relicta scilicet Gilberti Comitis Marescalli, Londini: quam rex Angliæ repudiauit: & sepulta est in Ecclesia fratrum Prædicatorum. Eodem anno in Aduentu domini, rex Francorum Ludouicus, ex reliquiis corruptelæ quam in Vasconia contraxerat, grauiter infirmatus, in lethalẽ extasim raptus,

iacuit

facuit alioquot diebus quasi mortuus,& assertione populorum circumsedentium penitus exanimatus. Assistebant autem ei iacenti mater eius,nobilis domina Blanchia, & frater eius Richardus, Comes Atrebatensis,& Episcopus Parisiẽsis,& alii,sed pauci de sibi familiarissimis,dolentes quod iam rex mortuus obriguisset,sed mater Blanchia maternum affectum impotens dissimulare,iussit crucem sanctam cum lancea, & corona, paucis euolutis annis in Franciam delatã,exanimi,imo vt asseritur exanimato corpori,applicari, & suspirans cum singultibus sermonem prorumpentibus,ait. Non nobis domine Christe, non nobis,sed nomini tuo da gloriam. Salua hodie regnum Franciæ,& coronam,quam hactenus gratia tua sustinuisti, Monstra virtutem tuorũ insignium, quæ in terra post te reliquisti,in magno iudicio apparitura: in quibus confidentes gloriamur. Mira res: Rex statim oscitans,tibias & brachia ad se trahens, halitus faciens,& suspirans, se signo crucis signari postulauit,vouens se Terram sanctam aditurum. Quod & factum est. Eorundem temporum curriculo, Dauid princeps Northwalliæ,qui ad Asylum papale vt prætactũ est fugerat,& fauorem inuenit vt collum de subiugo regis excuteret:à suo domino Papa, quem elegit meruit has literas nõ sine multæ pecuniæ inutili effusione reportare. Innocentius & cæt. dilectis fidelibus de Albere. & de Kem. Cistercienſis ordinis,& Bangorienſis diæcesis,salutem & Apostolicam benedictionem ex parte dilecti filii nostri, nobis viri Dauidis, Principis Nortwalliæ & cæt. vt supra. Cum igitur ea quæ vi & metu fiunt,quæ in constantem cadere possunt,carere debeãt robore firmitatis,discretioni vestræ per Apostolica scil. mandamus quod inquisita super hæc veritate,si ita est,authoritate nostra prædictũ Principem ab obseruatione extorti sic iuramenti penitus absoluentes,sententiam,siqua occasione huius in eius personam vel terram ab aliquo forsan lata fuerit,relaxetis. Hæc autem cum ad audientiam domini regis & suorum magnatum peruenissent,& cito post ad aliorũ principum notitiam fama referente peruolassent,indignati vehementer,& Romanã auaritiam detestantes, ipsum regem Angliæ non attendere huiusmodi mandata papalia tam iniuriosa persuadebant,sed potius ad hostile certamen reprimendam tam ingrati nouam insolentiam conuolare. Quod cum cognouisset Papa, hæc omnia conniuentibus oculis dissimulando elabi permisit sub silentio. Veruntamen pecuniam Dauidis prodigi, vt sic castigatus melius saperet,nequaquã restituit. Hoc anno frater Vincentius Specula sua terminauit. Transiit igitur annus ille frugifer & fructifer, ita vt summa siue quarterium frumenti,ad precium duorum descenderet solidorum: Terræ sanctæ inimicissimus: Ecclesiæ Romanæ nubilus & infamis: regno Angliæ turbulentus:regno quoq; Francorum formidabilis: Ecclesiæ vniuersali suspectus: Italicis bellicosus & timendus.

Iohannes de Gatesdene,de clerico factus est miles, die Natalis domini. Eadmundus, regis filius, nascitur.

Anno gratiæ 1245. qui est annus regni regis H. Tertii 29. fuit idem rex ad Natale domini Londini. Ibiq; die Natalis Iohannem de Gatesdena clericum,& multis ditatum beneficiis,sed omnibus prius resignatis, baltheo cinxit militari,ad coniugalem vitam quã prælegit conuolantem. Diebus sub eiusdem electus Cantuarienſis: & Wigorn.& Hereford Episcopi transfretarunt: qui inter omnes Angliæ prælatos erant domino Papæ specialissimi,& ad voluntatem eius perficiendam, etiam in detrimentum regni,quia ipse eos creauit,proniores. Electus siquidem Cantuar. naues ascensurus, iussit nemora Archiepiscopatus abscidi,& vendi & quasdã tallias & collectas in terris suis fieri. Et constituit quẽdam suum officialem, natione Pictauiensem,magistrum Hugonem de Mortimer qui diligenter mandata sua exequebatur. Die vero sancti Marcelli regina Alienora peperit domino regi filium,& vocatum est nomen eius Eadmundus. In crastino vero Purificationis beatæ Mariæ,obiit Comitissa Oxoniæ,Isabella de Bolbek. Et in crastino sancti Valentini, obiit Baldewinus, Comes Deuoniæ. adolescens primæ indolis,& miles elegantissimus, quem Comitem Insulæ vectæ,id est Wight,vulgariter appellamus. Ipso quoq; anno,eminente tempore quadragesimali fecit Dominus Papa iterato excommunicari Imperatorem Fredericum per totam Franciam & Angliam, vt nominis infamia per totam volaret Christianitatem,quia nouas in cõsanguineos suos fecerat inuasiones. Ipsa quoq; quadragesima apud Montgumeri,factæ sunt irruptiones bellicæ,inter Anglos & Wallenses,Castellanus autem,positis à tergo insidiis,& fugam cum formidine simul simulans, multos è Wallensibus incaute insequentes intercepit,& interceptos absq; redemptione trucidauit. Dauid igitur vt iacturam illam redimeret, iussit prærupta montium arctissime, per quæ transituri erant Angli,per ædituos suos custodiri. Dum igitur illac quidã de Anglia nobilissimus,videlicet Hubertus filius Matthei, ptransiret infausto fidere iactu lapidis

obrutus expirauit. Deinde memoratus Dauid cum ſuis complicibus caſtrum, quod Monthant dicitur, occupauit: &, ipſis intus inuentis trucidatis, ſolo tenus complanauit. Anno eodem circa medium quadrageſimæ venerunt curſores domini papæ in Angliam, de conuocando concilio generali præceptum eius baiulantes, ſub hac forma. Innocentius &c cæt. Dei virtus & Dei ſapientia, cuius ineffabili maieſtati ſubiecta ſunt omnia &c cæt. Per idem tempus, rex enormem, vt ſibi ſuiſq; videbatur, paſſus iniuriã, eo quod plures iam Epiſcopi ſine ſuo aſſenſu creabantur in regno ſuo, ſuper hoc querimoniam repoſiturus, & pro ſuo iure ab antiquis temporibus obtento allegaturus, ad curiam Romanam magiſtrũ Laurentium, de ſancto Martino procuratorem ſuum deſtinauit. Excuſauerunt ſe multi in Anglia prælati, tam abbates quam Epiſcopi, alii per petitionem regiã, alii quia ſenes & valetudinarii: alii per præcioſa munera ne ad concilium venirent ſe excuſando, licenter remanſerunt. Ipſo eodẽ tempore, obiit Galfridus de Trane, Cardinalis, quo non erat aliquis alius domino papæ familiarior vel vtilior. In Anglia autem obiit quidam nobiliſſimus, in plaga aquilonaria, dictus, Gilbertus de Hunfranuilla. Ipſis quoq; diebus Templarii & Hoſpitalarii ad reſtaurationem iacturæ ſuorum fratrum, multos ſeculares, quos potuerũt eligere, in ſuum ordinem ſuſcipientes, in Terra ſancta, ad defenſionem ciuitatum deſolatarum, & caſtrorum iam obſeſſionem vel deditionem expectantium, ſuccurſum deſtinarunt. Comes quoq; Richardus mille libros ad ſuccurſum terræ illius caritatis intuitu tranſmiſit. At cum deuoluerentur illorum dierum curricula, domino papa Lugduni commorante, camera ipſis combuſta eſt, cum omnibus in ea contentis. Et fuit multorum aſſertio, quod deteſtabilis illa charta, quæ tempore regis Iohannis de tributo Angliæ, annis ſingulis Eccleſiæ Romanæ ſoluendo confecta fuit, in cinerẽ ibidem redacta eſt. Et tunc temporis cum domini papæ quidam hoſtiarius, dum ſecus quam decuit cuidam volenti ingredi ad papam reſpondiſſet, emancabatur. Ipſo quoq; tempore, obiit magiſter Elias de Derham Canonicus Sarum. Cuius redditibus vacantibus manus rapaces ſtatim iniecit magiſter Martinus, præmemoratus domini papæ conſanguineus, ad diſtribuendum. Die vero Pentecoſtes, dominus rex Londini feſtum tenẽs ſereniſſimum, Richardum de Clara, iam Comitem Glouerniæ, comitantibus 40. tironibus, baltheo cinxit militari: & tirocinii ſui initialia feſta gaudenter cõſummauit. Audiens autẽ dominus rex, multos de proteruitate dicti magiſtri Martini grauiter conquerendo murmurare, reuerſus ad ſe licet ſero, cœpit dolere, quod tantum toleraſſet Romanos alienis bonis ſaginari, & vbi non ſeminauerunt tantum meſſis congregaſſe. Fecit igitur per ſingulos Comitatus Angliæ inquiri ſummam reddituum Romanorum, & inuentum eſt, quod ad tantundem pecuniæ aſcendiſſet, quantum redditus ipſius, videlicet 60. millia marcarũ puri redditus exceptis aliis variis emolimenris. Admirans igitur rex inſatiabilem Romanæ curiæ proteruitatem, miſit ad ipſam curiam procuratores ſuos, vt contradicerent de tributo iniurioſe impoſito, & vt coram Concilio querimoniam reponerent de oppreſſionibus, & iniurioſis exactionibus, quas dominus papa quotidie non deſinit in Anglia exaggerare. Miſitque dominus rex Fulconem filium Warini, vt diceret prædicto magiſtro Martino quod, ſibi caudæ prẽcauens, à terra ſua cito fugeret. Non enim poterat furorem volẽtium irruere aliquatenus cohibere. Fulco igitur mandatum regis exequens fideliter, ex parte vniuerſitatis Angliæ dixit eidem magiſtro Martino, vt ante quartum diem ſequentem nullatenus in regno inueniretur, ne extunc in fruſta concideretur. Magiſter igitur Martinus more Romanorum, qui fugantes fugiunt, & fugant fugientes, multum timens pelli ſuæ, accepto domini regis conductu, ab Anglia ante tertium diem clanculo fugit repentinus. Eodem quoque tempore, Gulihelmus de Monte Peſſulano electus Couentren. nolens amplius iniurioſos impetus, quos à rege diu ſuſtinuerat, tolerare: ius ſuum in manus papæ patienter reſignauit. In cuius loco magiſter Rogerius de Weſchã, theologus, videlicet decanus Lincoln. electus eſt, Epiſcopo Lincoln. procurante, rege penitus irrequiſito. Vnde antequam plenam Epiſcopatus ſui poſſet obtinere poſſeſſionem, multa ſuſtinuit diſpendia & pacis damnoſam (nec immerito) dilationem. Simili quoq; modo, ipſo eodem tempore, irrequiſito regio aſſenſu, caſſata electione Roberti Peſſeleu, electus eſt in Epiſcopum Ciceſtre. magiſter Richardus de Withz, vnde ne tãta regis iniuria remaneret inulta, Baronia ad epiſcopatum pertinente priuari meruit multo tempore, donec multiplicatis interceſſionibus impetrauit, tam ipſe quã electus Ceſtren. vterq; ex regis gratia ſuæ poſſeſſionis gauderet plenitudine. Eodẽ anno, cõſecrati ſunt Lugduni, vbi adhue dominus papa cõmorabatur, Bonifacius de Prouincia, in archiepiſcop. Cantuar. & magiſter Richardus de Withz in Epiſcopum Ciceſter. & magiſter R. in Epiſcopum Ceſtre. à domino papa, non ſine regni

An-

Angliæ magno damno ac periculo. Papa enim ſic Epiſcopos attraxit, vt magis ei tenerentur obligati, & contempto rege fierent in damnum regni proniores. Interea Rob. Peſſeleu de cuius caſſatione mentio prælibata eſt, adiunctis ſibi de auctoritate regia ſociis, videlicet Laurentio de ſancto Albano clerico, & Galfrido de Langeleia milite, ſub quodam colore iuſticię per noua placita foreſtæ multos, vt regem ditaret, depauperauit. Eodem quoque anno, dominus rex ex deuotione ſpeciali & dilectione beati Eadwardi glorioſiſſimi regis & confeſſoris, Eccleſiam beati Petri conuentualem maiori parte dirui fecit, octauo die inchoans Apoſtolorũ videlicet Petri & Pauli, vt decentiorem conſtrueret & ampliorem. In quo opere ſumptus non modicos expoſuit more Chriſtianiſſimi regis, indubitãter credens illum theſaurum ſibi incorruptum in cœlis reſeruari. Inſuper ex regia munificentia, ſibi innata, contulit dominus rex memorato ſancti Petri monaſterio, ob honorem eius & ſancti Eadwardi & regalis loci reuerentiam, donaria regalia, vel potius imperialia, in palliis, gemmis, & vaſis mirificis, quæ oculos intuentium in admirationem, & corda mouerent ad ſtuporẽ, ita vt inter omnes Eccleſias ciſalpinas, & ſi fas eſt dicere trãſalpinas, Eccleſia Weſtmonaſt. theſauro regali copioſius abũdaret. Eodem tempore, Galfridus de Mariſco inter nobiliſſimos Hyberniæ non extremus, exul & profugus obiit, miſer nec tamen miſerabilis. Quem proſcriptum ab Hybernia, expulſum à Scotia, fugatum ab Anglia, poſt filii ſui Gulih. de Mariſco mortem turpiſſimã, Francia ſuſcepit mendicantẽ, vbi vitam terminauit infelicem. Hęc ideirco auditoribus ſcribo prolixius, vt perpendat quiſq; quem finem proditio ſortitur, & præcipue lęſæ maieſtatis crimen. Pater enim in Comitẽ Mareſcallum Richardum in Hybernia, & filius eius Gulihelmus, in regem ſeditionẽ temere ac infeliciter auſi ſunt machinari. Eodemq; anno circa feſtũ natiuitatis S. Iohannis Baptiſtæ, fecit dominus rex omnes in regno Angliæ, qui ei ſeruitium militare debebãt, edicto regio ſubmoneri, vt ipſum in Walliam hoſtiliter profecturũ, fideliter, vt decebat, communiter ſequerentur. Nam Wallenſium inſolentia nimis iniurioſa ipſum ad hæc compellebat. Vndecito poſt profecturus, apud S. Paulum Londini licentiam à ciuibus ibidem conuocatis, ſatis ciuiliter, & à clero orationes humiliter poſtulauit. Per idem quoque tempus, dominus rex ſano fretus conſilio, ex quo certificabatur de Concilio generali, in proximo Lugduni celebrando, nuntios ſolennes ad Concilium deſtinauit, videlicet Comitem Rog. Bigod, Iohannem filium Galfridi. Gulihelmus de Cantilupo, Philippum Baſſet, Rad. filium Nicolai, milites, & Gulihelmũ de Powic, clericum, vt domino Papæ & toti Concilio grauamina exponerent, quæ regno Angliæ in multis à Romana curia diatim inferuntur: pręcipue de tributo in guerræ tempore extorto, cui contradictũ fuit, & aperte per Stephanum archiepiſcopum Cant. reclamatum. Quod in poſterum ita factũ eſt. Anno quoq; eodem cum dominus Papa qui Lugdunum aduenerat, & iã per aliquod tempus moram protraxit grauiter cõqueſtus eſt, quibuſdã magnis prælatis maxime Cluniacẽſi & Ciſter. abbatibus, quod Eccleſia Romana multum arctabatur, ęre alieno prægrauata. Vnde ab ipſis tanquam à filiis chariſſimis & ſpecialibus ſubſidium pecuniare inſtanter poſtulauit. Abbas autem Cluniacenſis impetrata licentia ac poteſtate cellas ſuas depauperandi, vt papam ditaret: multa munera multaq; xenia in equis deſiderabilibus & præcioſe faleratis Papæ contulit, quorum etiam aliqui pecunia erant onerati. Similiter & abbas Ciſtercienſis, vt videretur & à multis certiſſime diceretur vt Papa dona afferentibus, potius occurriſſet, quam à facie Frederici perſequentis aufugiſſet. Archiepiſcopus autẽ Rothom. P. & abbas S. Dionyſii, natione Anglus, cum hæc audiſſent, volentes priores datores ſuperare, tantam in moneta numerata pecuniam theſauro papali addiderunt, vt hæc ſcientibus, quantitas & numerus ſtuporẽ non immerito generaret. Vnde archiepiſcopus ſuam relinquens Eccleſiam, irreſtaurabiliter pecunia ſpoliatam, in Cardinalem multũ domino Papę ſpecialem, meruit ſublimari. Abbas autem S. Dionyſii in Archiepiſcopum Rothom. ſimili conditione pompoſius infulari: Abbas vero Cluniaci in Epiſcopũ Lingonenſem, q. multum deſiderauerat, vt vnus eſſet ex Paribus Franciæ, incathedrari. Archiepiſcopus vero Lugdunenſis nolens aliquatenus, vt Papam ſaginaret, ſuam Eccleſiam deſtruere, imo potius dolens quod Papa totam Chriſtianitatẽ & vniuerſalem Eccleſiã turbaturus, illuc aduentaſſet, & ſuum Archiepiſcopatum oneraſſet ſua præſentia, & ad concilium prælatorũ vniuerſalium aduenientium omnia in manus Papæ ſponte reſignauit. Cuius loco papa procurante vir bellicoſus, & ſecularib. negotiis aptior quam ſpiritualibus, ſubrogatus eſt, Philippus de Sabaudia, frater archiepiſcopi Cant. Bonifacii, vt ſic Papa tantis viris & tam generoſis ſuam partem cautius roboraret, & genus eorũ Romanæ curiæ aſtutius cõfœderaret: curam animarũ non ſine multorũ iuſtorum oblocutione poſtponendo. Electus igitur

Lugdu-

Lugdunenſis, Philippus memoratus, ex papali indulgentia opimos redditus, quos in Anglia habuit & multis aliis locis, licenter retinens, vt fortius & efficacius papalibus intenderet & ſecularibus negotiis, ſuam diu diſtulit conſecrationem nec officium Epiſcopale curabat exercere. Similiter & frater eius, Cantuar. Archiepiſcopus Bonifacius, ſuæ immemor Eccleſiæ, nec recolens ſanctitatis ſuorum in Eccleſia Cant. prędeceſſorum, quaſi nauta nauem, curam omiſit paſtoralem. Et ſe per multum tempus in partibus Lugdunenſibus multum à Cant. diſtantibus commorans, abſentauit. Vnde Eccleſia Anglicana, quæ per ipſum ſperauerat reſpiraſſe, pro conſolatione induit confuſionem & deſolationem. Cum autem iam feſtum natiuitatis beati Iohannis Baptiſtæ aduenisſet, congregati ſunt Lugduni prelatorum innumerabilis multitudo, Concilium generale celebratura. Multos tamē, ne aduenirent, impediuit Imperator Fredericus, præſciens quod ad ſuum impedimentū & dedecus ipſos papa conuocarat. De Hungaria vel de Terra ſancta, propter Tartarorum & Coroſminorum vaſtationem & propter regionum diſtantiam nullus aduenire valuit, aut voluit. Multi etiam in Anglia prælati tum propter ſenium, tum propter infirmitatem, tum per regias preces in ſuis prouinciis pacifice remanſerunt, ſeſe per procuratores ſuos deſtinatos rationabiliter excuſantes. Imperator vero præſciēs graues fore quæſtiones mouendas (nec immerito) cōtra ipſum, nec non & papalē iram diutinam, iam in odiū, diſcretos ac ſolennes ſuos procuratores & plocutores ad Conciliū deſtinauit, viz. Thadeū de Sueſſa, Petrū de Vinea, & magiſtrū Walterum de Ocra, clericos facundos & diſcretos, & cum eis milites nobiles & diſertos. Congregata vero ſancta & vniuerſali Synodo, in Eccleſia ſancti Iuſti apud Lugdunum, propoſuit in medio dominus papa graues contra Fredericum querimonias, ita vt intelligerent liquido omnes maxime propter hoc Conciliū fuiſſe conuocatum. Inter quas graues querimonias grauiſſima contra Imperat. F. reſonabat, q̄ prælatos in mari truculenter inuaſit, ſubmerſit, cepit, & incarcerauit. Procuratores vero, prout cauſa eorum tolerauit, ſatis prudenter ad obiecta reſponderunt. Sed cum rationes papales prævaluiſſent, omnes fere in ipſum Imperatorem frenduerunt, Anglici tamen dolentes de ſua confuſione, propter affinitatem, quæ inter dominum ipſorum, regē Angliæ, & ipſum Imperatorē contrahebatur & fœdus amicitię inter ipſos initum, & prolem, quā ex Iſabella Imperatrice, Imperator ſuſceperat, diu diſſimulantes ſiluerunt. Inualuerunt tamē vndiq; inſurgētes Imperatoris aduerſarii, nec poterāt imperiales nūtii vel exaudiri, vel audiri. vnde Thadeus videns damnationē domini ſui imminere, ait. Vere dies iſta, dies irę calamitatis, & miſeriæ. Gulihelmus de Powic qui cū nobilibus domini regis Angliæ procuratoribus Comite Rogerio & aliis ſociis præſens affuit, volēs hæc prædicta per interruptionem differre, ſurgens in medio, grauamina regis & regni Angliæ proponens ſatis elegāter, conqueſtus eſt grauiter quod per curiam Romanam extortum eſt tributum iniurioſe nimis, tempore guerræ à rege Iohanne, dum ſumma mentis anguſtia torqueretur, cui etiā manifeſte contradictum fuit & ex parte vniuerſitatis regni reclamatū, quod talia nullo modo facere poterat, per os venerabilis Stephani, Cant. archiepiſcopi, quo non erat tunc maior in regno. In quod tributū nunquam patres noſtri conſenſerunt, vel aliquo tempore conſentient, vnde ſibi petit inſtanter exhiberi iuſtitiam cum remedio. Ad quod papa non oculos eleuans nec vocem diſſimulauit, donec quæ magis eum angebant primitus exuperaſſet. Et poſt paululum magiſter Gulihelmus propoſuit in medio grauiſſimā querimoniam de multiformi extorſione reddituum & pecuniæ per Romanam curiam à prælatis Angliæ, quaſi à ſeruis vltimæ conditionis: hanc elegantem oſtendens epiſtolam ex parte vniuerſitatis Anglię. Reuerendo patri Innocentio, Dei gratia ſummo pōtifici, magnates & vniuerſitas regni Angliæ, recommendationem cum pedum oſculo beatorum, matrē noſtram Romanam Eccleſiam totis viſceribus diligimus vt debemus, & cæt. Quam epiſtolā, omnes fere papales iniurias & tyrannides, Angliæ violenter irrogatas, continentem, diligens inquiſitor in regis theſauro ſi velit poterit reperire. Cum autem hæc grauamina manifeſte in medio proponerentur, aſſeruit Papa hæc moroſa indigere deliberatione. Suſpēdit igitur ad tempus reſponſionē, licet vrgenter inſtarent nuntii, poſtulantes certam ſuper his reſponſionem. Addebant quoq; iidem nuntii priori querimoniā, videlicet de violēta oppreſſione, & intolerabili grauamine, & impudenti exactione & iniuria, quæ per hanc inuiſam adiectionem, papalibus literis frequenter inſertam exercetur. (Non obſtante &c cæt.) per quam ius pro nihilo habetur, & authentica ſcripta eneruantur. Altiori igitur inſiſtens negotio dominus Papa, poſtquam ſe talia prouide promiſerat correcturū, in dominum Imperatorem Fredericum, ſine aliqua palpatione, diſſimulatione, vel dilationis indultu, ſententiam depoſitionis in pleno concilio, licet Thadeus & eius ſocii conſtanter re-

reclamassent, plenam satisfactionem pollicentes, terribiliter fulminauit. Quam, quia nihil tam arduum nostris temporibus est tentatum, huic libello duximus annotandam.

Sententia lata in Imperatorem Fredericum.

Innocentius &c cæt. sacro præsente Concilio ad rei memoriam sempiternam, ad Apostolicæ sedis dignitatem, licet indigni dignatione diuinæ maiestatis assumpti, omnium Christianorum curam vigili sedulaq; solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum discernere & prouidæ deliberationis statera librare debemus, vt quos iusti * rigor examinis dignos ostenderet, congruis attollamus fauoribus, quos autem reos pœnis debitis deprimamus, appendentes semper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuiq; iuxta qualitatem operis, pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum diu guerrarũ commotio nonnullas professionis Christianæ prouincias diutius afflixisset, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem & pacem Ecclesiæ sanctæ Dei, ac generaliter cuncto populo Christiano ad præcipuum principem secularem, huius dissensionis ac tribulationis autorem, à fœlicis recordationis Gregorio papa, prædecessore nostro, pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuntios magnæ authoritatis viros, venerabiles videlicet P. Albanensem tunc Rothomagẽsem archiepiscopum & G. Sabiensem, tunc quondam Mutinensem Episcopos, ac dilectum nostrum filium Gulih. Basilicæ 12. Apostolorum presbyterum Cardinalem, tunc Abbatem sancti Facundi, qui salutem zelabatur ipsius, duximus destinandos: facientes sibi proponi per ipsos quod nos & fratres nostros, quantum in nobis erat, pacem omnia secum habere nitimur, cum omnibus hominibus parati optabamus, sibi & tranquillitatem dare ac mundo etiam vniuerso. Et quia prælatorum, clericorum, omniumq; aliorum, quos detinebat captiuos, & omnium tam clericorum quam laicorum, quos ceperat in galeis, restitutio poterat esse pacis plurimum inductiua: illum vt eos restituerat, cum hoc idem tam ipse quam sui nuntii, antequam ad Apostolatus vocati essemus officiũ, promisissent, rogari & peti ab ipso fecimus per eosdẽ, ac proponi insuper quod iidem pro nobis parati erant audire & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem quam facere vellet princeps pro omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus & offerri. Præterea quod si etiam cum in aliquo contra debitum læserat Ecclesia, quod non credebat, parata erat corrigere ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse quod contra iusticiam in vllo læserat, vel etiam quod nos eum contra iusticiam læsissemus, parati eramus vocare reges, prælatos, & principes, tam, Ecclesiasticos quam seculares, ad aliquem tutum locum, vbi per se vel per solennes nuntios conuenirent. Eratq; parata etiam de consilio Concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac reuocare sententiam, si q̃ contra ipsum iniuste tulisset, & cum omni mansuetudine & misericordia, quantum cum Deo & honore suo non poterat recipere de iniuriis & offensis ipsi Ecclesiæ suisq;, p eum irrogatis, satisfactionem ab ipso fieri. Volebat etiã Ecclesia monis amicos suos sibiq; adhęrẽtes in pace ponere, plenaq; securitate gaudere, vt nunq̃ hac occasione possent aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis, & precum insistere curauimus lenitate, idem tamen Pharaonis imitatus duritiã, & more aspidis obturãs aures suas, huiusmodi preces & monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die Cœnę domini proximo nuper præterita præcedente, coram nobis & fratribus nostris, præsentibus charissimo in Christo filio nostro, Constantinopolitano Imperatore illustr. cœtuq; non modico prælatorum de sanioribus, populoq; Romano, & iuxta multitudinem aliorum, qui eodem die propter solennitatem ipsius de diuersis mundi partib. ad apostolicam sedem conuenerunt, quod staret mandatis nostris, & Ecclesiæ per nobilem virum Comitem Tholosanum, ac magistros Petrum de Vineis, & Thadeum de Suessa, curiæ suæ iudices & procuratores suos, speciale super his ab ipso mandatum habentes, præstiterit iuramentum: post modum tamen quod iurauerat nõ impleuit. Quin imo ea intẽtione ipsum præstitisse probabiliter creditur, sicut ex factis sequentib. colligitur euidenter, vt idẽ Ecclesiæ ac nobis illudere potius q̃ pareret, cum anno & amplius iã elapso, nec ad ipsius Ecclesiæ gremium reuocari potuerit, nec sibi de illatis ei dãnis & iniuriis curauerit satisfacere, licet sup hoc extiterit requisitus. Propter q̃ non valentes absq; graui Christi offensa eius iniquitates amplius tolerare, cogimur vrgente nos conscientia, iuste animaduertere in eundẽ. Et vt ad præsens de cæteris eius sceleribus taceamus, quatuor grauissima quæ nulla possunt celari tergiuersatione commisit. Deierauerit enim multoties: pacem quondam inter Ecclesiam & imperiũ reformatam temere violauit. Perpetrauit etiã sacrilegium, capi faciẽs Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac aliarũ Ecclesiarum p̃latos & clericos religiosos & seculares, venientes ad Conciliũ,

quod

quod idem prædeceſſor duxerat conuocandum. De hæreſi quoq; non dubiis & leuibus, ſed difficilibus & euidentibus argumentis ſuſpectus habetur. Plura ſiquidem eum commiſiſſe periuria ſatis patet: nam olim cum in Ciciliæ partibus morabatur, priuſquam eſſet ad Imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ G. ſancti Theodori diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, fœlicis recordationis Innocentio Papæ prædeceſſori noſtro & ſucceſſoribus eius, Eccleſiæque Romanæ pro conceſſione regni Ciciliæ ab eadem Eccleſia ſibi facta, fidelitatis præſtitit iuramentum: & ſicut dicitur, illud idem poſtquam ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad vrbem, coram eodem Innocentio ſuiſq; fratribus, & aliis multis præſentibus, ligeum hominium faciens, in eius manibus innouauit. Deinde cum in Alemanea eſſet. Eidem Innocentio Papæ, & ipſo defuncto bonæ memoriæ Honorio Papæ prædeceſſori noſtro, & eius ſucceſſoribus ac ipſi Eccleſiæ Romanæ, præſentibus Imperii principibus ac nobilibus, iurauit honores, iura, & poſſeſſiones Romanæ Eccleſiæ, pro poſſe ſuo ſeruare ac protegere bona fide. Et quod quæcunque ad manus ſuas deuenirent, ſine difficultate reſtituere procuraret: nominatis expreſſe dictis poſſeſſionibus in huiuſmodi iuramento, quod poſtmodum confirmauit, coronã imperii iam adeptus. Sed horum trium iuramentorum, temerarius extitit violator, non ſine proditionis nota, & læſæ maieſtatis crimine. Nam contra præfatum prædeceſſorem noſtrum G. & fratres ſuos, commonitorias literas eiſdem fratribus deſtinare, ac dictum G. apud fratres ipſos ſicut apparet per literas ab eodem tunc directas eiſdem, & prout fertur per vniuerſum fere orbem defamauit, ac venerabilem fratrem noſtrum G. portuenſem, tunc ſancti Nicolai in carcere Tulliano, diaconum Cardinalem, & bonæ memoriæ I. Prẽneſt. Epiſcopos, Apoſtolicæ ſedis legatos, nobilia & magna Eccleſiæ Romanæ mẽbra, perſonaliter capi fecit, & bonis omnibus ſpoliatos, ac per diuerſa loca non ſemel ignominioſe deductos carceribus mancipari. Priuilegiũ inſuper quod beato Petro & ſucceſſoribus eius in ipſo tradidit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, videlicet quodcunq; ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. In quo authoritas & poteſtas Romanæ Eccleſiæ conſiſtit, pro viribus diminuere, vel ipſi Eccleſiæ auferre ſatagit, ſcribens ſe præfati G. ſententiam non vereri latam ab eo excommunicationis in ipſum, non ſolum contemptis clauibus Eccleſiæ non ſeruando, verumetiam per ſe ac officiales ſuos, & illam & aliam excommunicationis, vel interdicti ſententias, quas idem omnino contempſit, cogendo alios non ſeruare. Poſſeſſiones quoque præfatæ Eccleſiæ Romanæ videlicet Marchiam, Ducatum Boneuentum, cuius muros & turres dirui fecit, ac alias quas ac Tuſciæ in Lumbardiæ partibus, & quibuſdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas detinet occupatas. Et tanquam ei non ſufficeret, quod manifeſte contra iuramenta præmiſſa, præſumẽdo talia, veniebat per ſe vel ſuos officiales, earundem poſſeſſionum homines deierare compulit, ipſos à iuramẽto quibus tenebantur Romanæ Eccleſiæ de facto, cum de iure non poſſet, abſoluens, & faciens eoſdem fidelitatẽ nihilominus abiurare prædictam, ſibiq; fidelitatis huius iuramẽta patrare. Pacis quoq; ipſum violatorem exiſtere plane conſtat. Quia cũ olim tempore pacis inter ipſum & Eccleſiam reformatæ iuraſſet corã bonæ memoriæ I de Abbatis villa, Epiſcopo Sabienſi, & magiſtro Thomaſio, tunc ſanctæ Sabinæ preſbytero Cardinali, præſentibus multis prælatis, principibus & baronibus, quod ſtaret & pareret præciſe absque vlla conditione omnibus mandatis Eccleſiæ ſuper his pro quibus erat vinculo excommunicationis aſtrictus, cauſis excommunicationis expreſſis per ordinem coram eo: & omnibus Teutoniæ hominibus, regni Ciciliæ, ac quibuslibet aliis, qui Eccleſiæ contra eum adhęſerãt, omnem remittens offenſam & pœnam: & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipſos pro eo quod Eccleſiæ aſtiterant, patrari in anima ſua per Comitem Acerar. faciens iuramentum. Poſtmodum pacem & iuramenta huiuſmodi nequaquã erubeſcens irretiri periuriis, non ſeruauit. Nonnullos etiam ex ipſis hominibus, tam nobiles quã alios poſtea capi fecit, & eis bonis omnibus ſpoliatis, vxores eorum & filios captiuari, ac terras Eccleſiæ contra promiſſionem, quam eidem I. Sabinenſi Epiſcopo, & Thomaſio Cardinali fecerat, irreuerenter inuaſit. Licet ipſi extunc in eundem præſentem ſi contra veniret excommunicationis ſententiam prouulgauerint, & cum idẽ Apoſtolica ſibi authoritate mandaſſent, vt nec p ſe, nec per aliũ impediret quin poſtulationes, electiones, & cõfirmationes Eccleſiarum & monaſteriorum, in regno præfato libere de cætero fierent, ſecundũ ſtatutũ Concilii generalis: & quod nullus deinceps in eodem regno, viris eccleſiaſticis, ac rebus eorum imponeret tallias vel collectas: quodq; nullus ibidem clericus vel perſona Eccleſiaſtica, de cætero in ciuili vel criminali cauſa conueniretur corã iudice ſeculari, niſi

super feudis,quando ciuilis haberetur:ac Tẽplariis,Hospitalariis,& aliis personis ecclesiasticis, de damnis & iniuriis irrogatis eis satisfaceret competenter: ipse mandatum huiusmodi adimplere contempsit.Liquet namque vndecim ac plures Archiepiscopales,& multas episcopales sedes,abbatias quoq; & alias ecclesias ad præsens in regno vacare prædicto: easque, ipso procurante,sicut aperte patet,fuisse diutius prælatorum regimine destitutas in grauc ipsarum præiudicium & periculum animarum.Et licet forte in aliquibus eiusdem regni ecclesiis electiones sint à capitulis celebratæ,quia tamen per illa eadem familiares clerici sunt electi,probabili potest argumento concludi,quod facultatẽ non habent liberam elegendi.Ecclesiarum autem ipsius regni non solũ bona fecit,prout voluit, occupari,sed & cruces,calices,thuribula,& alios sacros earum thesauros & pannos sericos,velut cultus diuini cõtemptor auferri, licet vt dicitur,ipsis ecclesiis exacto tamẽ prius pro eis certo precio, in parte fuerint restituti.Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur,nec solum trahuntur ad iudiciũ secularĩ,sed vt asseritur cogũtur subire duella,incarcerantur,occiduntur, & patibulis cruciantur in confusionem & opprobrium ordinis clericalis.Præfatis autẽ Templariis,Hospitalariis,& personis ecclesiasticis, non est de damnis & iniuriis eisdem illatis,satisfactum.Eum quoque certum est sacrilegii esse perpetratorem.Nam cum præfati Portuensis & Prænestinus episcopi,& quã plures ecclesiarum prælati & clerici,tam religiosi quam seculares,ad apostolicam sedem pro celebrando Concilio,quod etiã ipse prius petiuerat conuocari,per mare venirẽt,viis terræ ipsius de mandato eius omnio præclusis.Idem destinato Encio, filio suo cum multitudine galearum,& per alias quamplures, longe antea serio præparatas,in partibus Tusciæ maritimis in insidiis positis,contra eos vt grauiꝰ posset virus euomere præconceptũ,ipsos ausu sacrilego capi fecit,quibusdam prẽlatorum ipsorũ &aliis in huiusmodi captione submersis, nõnullis etiam interemptis & aliquibus hostili insecutione fugatis,reliquis autẽ bonis spoliatis omnibus,&de loco ad locum in regnũ Ceciliæ opprobriose deductis atque ibidem diris carceribus mancipatis,quorũ aliqui macerati squaloribus,& inediis pressi miserabiliter defecerunt.Merito insuper contra eũ de hæretica prauitate suspitio est exorta. Cum postquam excommunicationis sentẽtiam à præfatis.I.Sabinensi Episcopo,& Thomasio Cardinali prolatam incurrit.Et dictus.G.papa ipsum anathematis vinculo innodauit,ac post ecclesiæ,Romanorum Cardinalium prælatorum.&clericorũ,à diuersis partibus ad sedem apostolicam venientium captiones, claues ecclesiæ contempserit & contemnat, sibi faciens celebrari,vel potius in quantum in eo est,prophanari diuina.Et constanter asseruit,vt superius est enarratum,in se præfati.G.papæ sententias non vereri.Præterea coniunctus Saracenis amicitia detestabili,nuncios & munera pluries destinauit eisdem,& ab eisdem vicissim cũ honorificentia & hilaritate recipit,ipsorumque ritus amplectitur,illos in quotidianis eius obsequiis notabiliter secum tenens. Eorundem etiam more vxoribus,quas habuit,de stirpe regia descẽdẽtib.Eunuchos prẽcipue quos vt dicitur serio castrari fecerat, non erubescit deputare custodes.Et q. execrabilius est olim existens in partibus transmarinis facta compositione quadam,imo verius collusione,cũ Soldano,Mahometi nomen in templo domini diebus ac noctibus publice proclamari permisit.Et nuper nuncios Soldani Babylone,postquã idem Soldanus Terræ sanctæ & Christianis habitatorib. eius per se ac suos dãna grauissima & inæstimabiles iniurias irrogarat, fecit per regnum Ciciliæ. cum laudibus ad eiusdem Soldani excellẽtiam, sicut fertur,honorifice suscipi & magnifice procurari.Aliorum quoquẽ infideliũ pernicionibus & horrendis obsequiis contra fideles abutens, & illis qui dãnabiliter vilipendentes apostolicã sedem,ab vnitate Ecclesiæ recesserunt,procurans affinitate ac amicitia copulari, claræ memoriæ Ducis Bauariæ specialem ecclesiæ Romanæ,ac filium deuotũ,fecit pro certo, vt asseritur,Christiana religione despecta,per Assessinos occidi:&Bartaconi,Dei&ecclesiæ inimico, à communione fidelium per excommunicationis sententiam, cum adiutoribus,conciliatoribus, & fautoribus suis solenniter separato, filiam suam tradidit in vxorem. Catholicorum vero principum actus & mores respuens, neglecta salutis & famæ integritate,pietatis operibus non intendit.Quinimo,vt de suis nefariis dissolutionibus sileamus,cum dediceret opprimere,non curat oppressos iniuriis releuare, manu eius vt decet principẽ ad elemosinas nõ extenta,nec ecclesias,nec monasteria, nec hospitalia cernitur cõstruxisse,cum destructioni ecclesiarum institerit,& religiosos ac alias ecclesiasticas personas iugi attriuit afflictione.Nunc igitur hæc non leuia sed efficacia sunt argumẽta de suspicione hæresis contra eum, cum tamen hæreticorum vocabulo ius ciuile contineri asserat,&latis aduersus eos sententiis debere succũbere.Qui vel leui argumẽto

à iudicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerunt deuiare Præter hæc, regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium beati Petri, quod idem princeps ab apostolica sede tenebat, in feudum tam ac tantam in clericis & laicis, penitus nihil habentibus, & omnibus exinde fere, probris electis in examinationem & seruitutem redegit & abire paupe-
res coegit. Illos autem qui remanserunt, sub seruili conditione viuere ac Ecclesiæ Roma-
nę, cuius principaliter sunt homines & vasalli: offendere multipliciter & hostiliter impu-
gnare compellit. Posset & merito reprehẽdi, quod mille squinatorũ annuam pensionem in qua pro eodẽ regno ipsi Romanæ Ecclesiæ tenetur, per nouẽ annos & amplius soluere prætermisit. Nos itaque super præmissis & quam pluribus aliis eius nefandis excessibus cum fratribus nostris & sacro Cõcilio, deliberatione præhabita diligenti, cum Iesu Chri-
sti vices licet immeriti teneamus in terris, nobisq; in beati Petri Apostoli persona sit dictũ. Quodcunque ligaueris super terram. & cæt. Memoratum principẽ qui se imperio & re-
gnis omniq; honore ac dignitate reddidit tam indignũ, vt propter suas iniquitates, à Deo ne regnet vel imperet est abiectus, suis ligatum peccatis adeo ac abiectũ, omniq; honore ac dignitate priuatum à domino ostendimus, denunciamus, & nominamus, sententiãdo priuamus, omnes qui ei iuramento fidelitatis astricti tenentur, ab huiusmodi iuramento perpetuo absoluimus, authoritate apostolica firmiter inhibendo: Ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori vel regi pareat, vel intendat, decernendo quoslibet qui deinceps ei, velut Imperatori vel regi Consilium vel auxilium præstiterint, seu fauorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio spectat electio, eligant libere successorẽ. De præfato vero regno Siciliæ prouidere curabimus, cũ fra-
trum nostrorũ consilio, prout viderimus expedire. Datum Lugduni. 17. Kalend. Augusti. Pontificatus nostri anno tertio. Hæc igitur in medio Concilio prolata, cunctis nõ mediocrem timorẽ incusserunt. Thadeus igitur & alii Imperatoris procuratores confusi recesserunt. De reparatione autẽ Terræ sanctæ, & de executione iusticiæ multa in eodẽ Concilio duxit statuenda, quæ diligẽs indagator poterit scripta reperire. Hæc tamen prædicta non arbitror prætereũda vt plenius sciantur causæ quare dominus papa, Innocẽtius quartus, Fredericum ab Imperii solio præcipitauit. Hæc cum ad noticiam Frederici peruenis-
sent, indignatus quam plurimum, scripsit quandam epistolam domino regi Anglorum, & regi Francorum, & multis aliis principibus: in cuius epistolæ fine dedit intelligi mani-
feste, quod sua fuit intentio nobilitatem & dignitatem vniuersalis Ecclesiæ annullare. Et ipsam Ecclesiam ad statum reducere pristinę paupertatis & humilitatis primitiuæ. In quo verbo se volens excusare, impudẽter accusauit. Interim dominus rex apud partes Wal-
liæ cum exercitu suo commorans ipsos Wallenses fame & inedia multum coarctauit, & secundum guerræ consuetudinem sæpe ipsos damnose inuasit. In qua inuasione aliunde laudabiliter impetum consummauit. Sæpe tamen deteriorem calculum reportauit. Tan-
dem depopulata illa parte, quæ Anglesey dicitur, firmauit vnum castrum inexpugnabile videlicet Connach, & muniuit prudenter ad insultus & discursus Wallensium reprimen-
dos, & sic inde triumphans, recessit. Circa eadem tempora Reimũdus Comes Prouinciæ, pater reginarum Francorum & Anglorum, humanę naturæ debita persoluit. Qui de fi-
liabus magnifice nimis maritatis stupore toti mundo dereliquit. Dominus autẽ rex à Cõ-
naco, vt iam prædictum est, sumptuose nimis communito recedẽs, Mauricium Hyberniæ iusticiarium, eo quod ficte & tarde auxilium ab Hybernia, domino regi duxerat pericli-
tanti à iusticiaria deposuit. Loco eius. I. filium Galfridi subrogauit. Eodem quoque anno, postulante domino rege Francorum, qui vt prælibatum est in mortis discrimine cruce si-
gnabatur, missus est à latere papæ quidam legatus, vt negotium crucis prædicando pro-
moueret. Vnde tum propter Deum, tum propter regem infiniti nobiles Frãciæ cruce si-
gnabantur. Dominus etiam rex Frãcorum, ab Ecclesia in regno suo ex permissione & in-
dultu domini papæ de omni prouentu vniuersaliter, decimam partem ad promotionem suæ peregrinationis procurauit. Cum autem dominus papa pro retributione tanti bene-
ficii ad sustentationẽ Landgrauii, quẽ iam elegerat vt succederet Frederico in Imperio & ad expugnandum ipsum Fredericum, quem deiecerat, ab eodẽ regno Frãcorũ vicesi-
mã postulauit. Saraceni autem & præcipue Choroſmini, qui iam de Christianis in Terra sancta irato Deo triumphauerant, & Terram sanctam vsque ad Acon contritis Hospita-
lariis & Templariis, & nobilibus Christianis, hæc audiẽtes sese fortius munierũt, ne in ad-
uentu Francorum primerentur. Circa idem quoque tempus magister Richardus, Exo-
niensis Ecclesiæ cancellarius, in Episcopum Exon. videlicet Kal. Decembris, est conse-
cratus. Et eodem tempore, obiit Comes Marescallus Walterus Londoni. Et cito post, scilicet

licet, Nonis Decemb. obiit Anſelmus frater ipſius, elegans & egregiæ indolis adoleſcens, ipſum Comitatum cum Mareſcallia, qui ei iure hæreditario contingebat, recepturus: vnde ante mortem Comes appellabatur, & pro Comite habebatur. Et ſic omnes filii magni Mareſcalli Gulihelmi (neſcitur quo peccato exigente) iuxta Comitiſſæ matris eorum vaticinium, ſine liberis poſt ſe relictis, quaſi vmbræ ab hoc ſeculo migrauerunt. Omnes tamen ſucceſſiue Comites (prout mater prædixerat, quaſi ſpiritu prophetico) extiterunt. Et ſic nobilis clypeus ille Mareſcallorum, tot & tantis hoſtibus Anglię formidabilis euanuit. Sed & multi alii in reſiduo regno Angliæ, præcipue p defectu liberorum, multis nobilibus magnaq; nobilitate viduati. Interea dominus papa quicquid pecuniæ ex omnibus regnis & Eccleſia, & perſonis maxime Eccleſiaſticis abradere potuit, miſit Landgrauio Thuringiæ, ad eius guerram contra Conradum filium Frederici ſuſtinendam. Iamq; archiepiſcopus Coloniæ, & alii prælati nobiles & potentes, cum multis Alemannię magnatibus, ipſi Landgrauio memorato, papali pecunia ſaginati, adhæſerunt: ita vt debilitato iam ipſo Conrado, totum fere Alemanniæ regnum ipſi Landgrauio cœperat inclinare.

Dominus papa obmurmurat eo quod Angli conqueruntur de variis oppreſſionibus ſuis, præcipue autem de tributo, quæritque argumenta vltionis.

Anno gratiæ 1246. qui eſt annus regni regis Henrici Tertii 30. fuit idem rex ad Natale Domini apud Weſtmonaſterium: cõuocatis etiam multis regni nobilibus, præcipue fratre ſuo Comite Cornubiæ Richardo, cũ vxore ſua, innumerabilibuſq; alĩs, qui cum ipſo rege in partibus Walliæ æſtus & pondera guerrę cũ variis periculis & magnis ſumptibus ſuſtinuerãt: vt qui in tribulatione conſortes erant, participes fierent in exultatione. Ipſo tempore Bonifac. Cantuar. archiepiſcopus, paſtor & prælatus, anteceſſoribus ſuis, qui ante ipſum in Eccleſia Cantuar. plurib. fulſere virtutibus, multũ diſſimilis, dedit intelligi domino papæ, non ſine S. Eadmundi præiudicio & dedecore & aliorum ſanctorũ prędeceſſorũ ſuorum, q; prælati qui ipſum in regimine archiepiſc. Cantuar. pręceſſerant, ipſam Eccleſ. licet opimã, ære alieno & debitis inæſtimabilib. irremediabiliter obligarũt. Vnde a papa impetrauit literas nimis execrabiles: quarũ ſumma hæc eſt: Damus venerabili fratri noſtro Hereford. Epiſc. noſtris literis in mãdatis, vt ipſe per ſeptennium, & non vltra, omniũ beneficiorum Eccleſiaſticorũ quę deinceps in ciuitate, dicœceſi & prouincia Cantuar. vacabunt, primi anni p uentus vſque ad. 10000. marcarũ ſummã: (quæ ſi ante dictum ſeptenniũ haberi poterit, nil amplius exigatur) necnon 2000. marcarum de ipſius archiepiſcopi redditib. colligat annuatim & cõuertat fideliter in ſolutionẽ debitorũ Eccleſ. memoratæ. Prouiſo q; perſonis ſeruientibus in eiſdem beneficiis de prædictis redditib. idem Epiſc. faciat cõpetentẽ ſolutionẽ pro ipſorum ſuſtentatione, ne ipſa debitis defraudentur obſequiis, aſſignari. Per idẽ tẽpus conuocati ſunt nobiles regni, vt die, qua cãtatur Lætare Hieruſalẽ, London. de arduis regni negociis diligenter, prout neceſſitas vrgenter poſtulabat, contrectarent. Papa .n. indignatione, quã concepit contra regẽ & omnes regni nobiles manũ ſuam ad grauamina quotidiana, diuerſis excogitatis argumentis ad emungẽdam pecuniã extendit, & quotidie aggrauauit. Intumuit. n. & excanduit ira papalis cõtra miſeros Anglos, eo q; auſi erant de oppreſſionib. & iniuriis ſibi diatim illatis conqueri in Concilio. Multiplicabantur autẽ ſine intermiſſione in regno iniuriæ: & in conſpectu eius videlicet in curia ſua, viluerunt Angli pluſquã alii etiam vltimarum nationũ. Vnde fertur dixiſſe: Expedit vt cõponamus cum principe (i. cum Frederico) vt conteramus illũ regulum Angliæ, vaſallum noſtrũ iam recalcitrantẽ. Præterea quia dominus rex obtinuit priuilegiũ vt nõ veniat legatus in regnũ niſi rogatus, miſit quoſdã ſophiſticos legatos & trãſformatos, habentes poteſtatem magnã in extorquendis redditib. & pecunia, & in omnibus legatis p teriores, licet inſignia legatorũ non haberent, nunc clericos, nunc fratres Prædicatores, nunc Minores: de quibus papa fecit ſuos Bedellos & theloniarios, in læſionem & detrimentum ordinis & p feſſionis eorum, qui ſpontaneam paupertatem & humilitatem Deo vouendo p miſerunt. Vnde quãplures eorũ ſanas habentes conſcientias, præcordialiter ſuſpirantes doluerunt, dicentes: Heu quam cito, inuidente diabolo, noſter ordo deſipit. Per mille annos ordo ſancti Benedicti tantum non ſuſcepit detrimentũ. Miſit etiã dominus papa manum ad vlteriora, vt ſc. bona ſine teſtamento decedentium, non ſine principum iniuria & iactura, in gremio ſuæ auaritiæ amplecteretur: etiamſi infirmus, p pter imbecillitatem non potens vel nolẽs loqui, proſe relinqueret teſtatorẽ, quæ iniuria & leges dicitur contraire. Præterea, q; eſt inauditum, Dauidis, nepotis ac vaſalli domini regis Angliæ, terram ſibi iniurioſe vſurpauit, ſub graui tributo poſſidendam. Et citari fecit dominum regem, vt eidem Dauidi ſatisfacturus ſuper quibuſdam, vt dicebat, iniuriis

sibi ab eodem rege illatis responderet: in multorum sannam, & sibilum, & derisiones. Et cito post memoratus Dauid medio sublatus, in morte sua paucos pro ꝓditione sua meruit habere lamentatores. Conuenerunt igitur (vt præceptum vrgebat regium) magnates Angliæ vniuersaliter, vt de prædictis efficax consilium haberent & festinũ, prout necessitas non leuis nec mediocris postulauit. Medio vero quadragesimæ, videlicet quando cantatur, Lætare Hierusalem (vt prælibatũ est) edicto regio conuocata conuenit ad parliamentum generalissimũ totius regni nobilitas, vt de statu regni iam vacillantis, prout exigebat vrgens necessitas, contrectarent. Angebat. n. omnes, tam nobiles quam prelatos, grauamẽ intolerabile à curia Romana incessanter illatũ: q; non poterant sine nota desidiæ & immineˉte ruina diutius tolerare. Qui eo anxius mentibus sauciabantur, q; papa ꝓmissionis suæ immemor, & potius trãsgressor, quã Anglis fecit in Concilio, grauius quã ante regnũ bonis suis spoliauit. In primis igitur aggressus est dominus rex ore ꝓprio Episc. per se, postea Comites & barones, deinde vero abbates & priores, videlicet super his pro quibus miserat nuncios suos solennes ad Conciliũ Lugdu. & quasdã indulgentias & literas papales, quas dicti nuncii reportarunt super moderamine suarum oppressionũ, ostẽdit eis: & qualiter papa dictis nunciis pro rege & regno multa bona ꝓmisit. Sed quia dominus rex post indulgentias memoratas & promissa, magis sentit papam, prout cõmuniter audiuit, & vere postea didicit, manum aggrauare, & quasi per contemptũ & irritationem plus solito in regnum proteruire, Ecclesiã opprimendo: ꝓposuit & ostendit eis manifeste articulos super grauaminibus & oppressionibus Ecclesiæ & regni in scriptis bullatis (quæ diligens inquisitor poterit reperire in regio thesauro) & conquestus est grauiter toti vniuersitati cõgregatæ de manifesta papæ transgressione. Gaudebant autẽ vniuersi, sperantes regis constantiam totum regnum, nec non & Ecclesiam, à papalibus oppressionibus & iniuriis potenter liberasse. Placuit tandem singulis & vniuersis, ob reuerentiã sedis apostolicæ, scribere domino papæ, & per solennes nuncios supplicare vt intolerabilia grauamina sua iam consueta & iugum subtraheret importabile. Eodem anno conditæ sunt leges cum rigoris incremento super his qui furtiue damna faciunt in alienis parcis & viuariis. Et in illo parliamento fuit concessum & sancitũ, vt vindicta in inuentis & conuictis caperetur: sicut diligens lector ex scriptorũ super hoc cõfectorum testimonio plenius poterit certificari. Soluto igitur memorato parliamento, scripserunt & omnes episcopi statim per se domino papæ, & dominus rex per se, abbates & priores per se, Comes vero Richardus & cum ipso omnes nobiles per se, elegantissimas epistolas, tam Cardinalibus quã domino papæ, vt parcerent regno Angliæ, & solita grauamina reuocarẽt, ita vt ferrea corda merito possent emollire. Erant autem grauamina seriatim scripta: quæ in epistolis sedulus perscrutator poterit reperire. Eodem anni tempore, Conradus Frederici filius, contra archiepiscopum Colonienſem & alios Alemanniæ nobiles Landgrauio & Ecclesiæ firmiter adhærentes, guerram continuans, dum impetum in eos faceret forte repentinum, victus recessit & confusus. Quidam enim potentes Alemanniæ Duces, in quibus confidebat, in arcto belli periculo, censu papali corrupti, ipsum Conradum reliquerunt, aduersæ parti fauentes, & ad ipsius Conradi inimicos nequiter transmigrarunt. Vnde ipse Conradus in belli discrimine periculose constitutus, dum poterat, sese viriliter defendit. Tandẽ cæde multorum cruẽtus, vix se per fugam cum paucis à morte liberauit. Eodemq; tempore Fredericus aliquãtulum ad se reuersus, humiliatus est, forte perterritus, & insurgentium insultus pertimescens. Obtulit ergo domino papæ suorum excessuum facere satisfactionem cõpetentem. Super quo negotio constituit procuratorem & mediatorem dominum regem Francorũ: qui perturbationi imperii & Ecclesiæ misertus, partes suas, pietatis intuitu interponens, prouinciã Lugdunensem, vbi tunc dominus papa cum suis Cardinalibus morabatur, adiit, non parcens expensis & laboribus. Sperabat enim certissime rancorem papalẽ mitigare, vt Fredericũ tantum prin cipem releuans, ipsum Ecclesiæ reconciliaret. Dominus autẽ papa, ob reuerentiã & honorẽ tanti tegis, ipsi aduentanti vsq; Cluniacum occurrit. Et cum conuenirent, & tractatum super præmissis haberent diligentem efficaciter fecit dominus rex verba pro ipso Frederico. Obtulit enim idẽ Fredericus, vt peregre in sanctam Terram abiret, irrediturus in tota vita sua, ibidem Deo militaturus, filio suo ꝓ eo & loco eius in imperio cõstituto. Ad q; papa: Ha, quoties talia ab ipso oblata sunt, nunquam fidẽ sortita. Et rex: nonne, pater mi, scriptum est in Euangelio. Quod si peccauerit frater tuus in te, dimittendum est ei vsq; septuagesies septies? Et papa: Fili, Induratum est cor ipsius, alter Pharao est: in omnibus reddidit incredibilem. Cũ autẽ nullam gratiã poterat rex Franciæ piissimus in oculis papæ, quã sperauerat, inuenire, cum indignatione & ira

ſtra receſſit, eo quod in Seruo ſeruorum nullam reperit humilitatem. Vnde volenti ingredi regnum Franciæ, vt ibidē tutius commoraretur, domino papæ rex Franciæ introitum denegauit, dicens: Chriſti piiſſimi vicarius nequaquam Chriſti ſequitur veſtigia. Dixit enim Chriſtus: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eū qui venit ad me, nō eiiciam foras. Iſte aūt humilianti ſe ſinum non aperuit miſericordiæ. Et ſic mala malis accumulabantur. Eodemq; anno maritata eſt filia Reimundi Comitis Prouinciæ iunior, cū Comitatu prouinciæ, Carolo fratri iuniori domini regis Francorū. Emitq; idem dominus rex & regno ſuo addidit Comitatum Maſconiæ. Et ſic fœlix ſuſcepit incrementū ipſum regnū memoratum. Anno quoq; ſub eodem amariſſimę recordationis gens barbarorum, exterminatis multis per eos regionibus Orientalibus, reuerſa eſt hoſtiliter ſuper regem Hungariæ, vt terram ipſius generali exterminio deuaſtarent. Eodemq; tempore, cū nuncii domini regis à curia Romana rediiſſent, reſponſumq; durum nimis à papa reportaſſent, ita vt nullam haberent efficaciam epiſtolæ tot & tales ad curiam miſſę ex parte regis, vel vniuerſitatis tam magnatum quam prælatorū: doluit dominus rex & indignatus eſt vehemēter quod ipſe & nobiles ſui, qui tot bona curiæ Romanæ gratanter toties contulerant, in ſua iuſta petitione ſunt repulſi. Fecit igitur dominus rex per vniuerſos regni ſui Comitatus acclamari voce præconia, & per ciuitates & burgos, & per ſcripta regia denūciari, vt nullus prælatus, vel clericus, vel alius mandato papali in contribuēdis auxiliis pareret aliquatenus. Sperabatur igitur certiſſime quod rex incœpto ſuo propoſito conſtanter ſtaret, papalibus extorſionibus viriliter, vt cœpit, contradicendo. Sed ſibilis ambitioſorū clericorū conſiliariorū ſuorum, & quorundā papalium Epiſcoporum, quorū conſiliis dominus rex ſe plus æquo inclinauit, eadem qua concepta fuit eneruata eſt conſtantia leuitate: minas papales adeo pertimeſcebat & trepidauit timore, vbi nō erat: quia quæ iā ſuſceperat viriliter, muliebriter dereliquit. Et ſic totus iſte apparatus quaſi nebula à facie ſolis euanuit coruſcantis. Hæc tamen, licet infructuoſa ſint, duxi ſcribenda, vt poſteris innoteſcat vacillātis regni diuiſio, & Anglorū nobiliū corda mutantia, necnon & regis inconſtantia muliebris. Et vt peſtis mundum concuteret generalis, regnum Francorum cōſimili vulnere gemuit ſauciatum, vnde multi nobilium cogitabant contra papā ſtando recalcitrare: vt ſequens ſermo plenius declarabit. Eodem tēpore Comitiſſa Albemarlæ, ſoror Comitiſſæ Winton. rebus humanis eſt exempta. Vnde magna Galewera Comitis Wint. Rogeri ceſſit dominio. Obiit etiam ſub eiſdē diebus Iſabella mater domini regis Anglię, quondā Angliæ regina, diu quoq; Marchiæ Comitiſſa. Et dum eodem anno operoſa tempora Iulii & Autumni agricolas detinerent, tonitrus, cum coruſcationibus, incomparabilis & nimis damnoſus per vnum diem & noctem perdurans, totius Anglię perterruit amplitudinem, cuius fulgur multos hominum peremit & iumenta. Eiſdem tēporibus Comes Cornubiæ Richardus quandam domū ordinis Ciſtercienſium, nō procul à Winchecūbia, loco opportuno, iuxta votum quod in mari periclitans fecerat, cōpetenter fundauit. Fecitq; aliā Eccleſiam, videlicet quam pater ſuus rex Iohannes fundauerat, cui nomen Bellus locus (domino rege ſic volēte & iubente) ſolenniter dedicari. Eodemq; anno & eiſdem diebus obiit, I. de Nouilla, Protoforeſtarius Angliæ, non vltimus inter totius Angliæ nobiles annumerandus. Et circa eoſdem dies Epiſcopus Carleolenſis, die apoſtolorū Petri & Pauli, mutato habitu, ſe in ordinem Prædicatorum præcipitauit. Anno quoq; ſub eodem, quidam potentiſſimus de Apulia, nomine Theobaldus Francus, adiunctis quibuſdā ſibi complicibus, ipſum Fredericū, quē dominus Papa nuper damnauerat, & à culmine deiecerat imperiali, proditione diſpoſuit interficere. Qui antequam ſcelus præconceptū poſſet cōſummare, Fredericus fœliciter per fideles ſuos præmunitus, laqueos euaſit inſidiantium. Super quo caſu ſcribens domino regi Angliæ, & multis aliis orbis principibus, aſſeruit ipſos facinoroſos morti (iuxta merita ſua) addictos, confeſſos fuiſſe, hoc ſe, domino papa procurante & eos animante, auſos fuiſſe infœliciter attentaſſe. Vnde non mediocriter fuit fama domini papæ denigrata. Igitur receſſerūt multorū corda à dilectione papæ: qui tum propter odium inexorabile quod contra Fredericum obſtinate gerebat etiam humiliatum: tum propter manifeſta indicia auaritiæ ſuæ inſatiatæ, & in periculum animarum filialem quam ſinguli aduerſus eum ferre debuerant, deuotionem in maledictiones & odium conuertebant. Aſſumens igitur dominus papa ex præteritis audaciam, vt miſeros Anglos conculcaret & conculcatos magis ac magis depauperaret, videnſq; eos diſſipatos & effœminatos: ſolito imperioſius prelatis Anglię ſignificauit, vt in Anglia omnes beneficiati, in ſuis beneficiis reſidentes, tertiam partem bonorum ſuorū domino papæ per triēnium conferrent, non reſidentes dimidiam: multis adiectis duris conditionibus prædictum

ctum mandatum restringentibus. Ad quod primo exequendum diligenter, episcopum constituit Londinensem. Episc. igitur cum aliis quibusdam, quos ad hoc negotium exequendum conuocauerat exponendũ, hoc in propatulo in ecclesia sancti Pauli demonstrauit clericis ibidem conuocatis, videlicet de hac contributione terribili tractaturus: omnesq; audientes in stuporem commouit & dolorem: quia quod à papa iubebatur, impossibile videbatur & erat, & ecce superuenerunt ex parte domini regis, non potẽtis ad hoc amplius dissimulare, dominus Ioannes de Lexintona miles & magister Laurẽtius de sancto Martino clericus, districte ex parte domini regis prohibẽtes ne vniuersitates Anglicanæ, tã execrabili mãdato papæ aliquo modo consentirẽt. Quibus talia nunciantibus ipsi libenter paruerunt. Et hæc die sancti Andreæ acta sunt. Scripsit igitur totius Angliæ miserabilis vniuersitas domino papæ, impossibilia & intolerabilia præcipienti, explanãs & recolens solita grauamina corda omniũ grauiter sauciasse: & adhuc sentire vulnerã recentia, videlicet de .6. millibus marcarũ, quę magister Martinus domini papæ clericus nuper extorserat. Et sic ad horam quieuit tempestas, cito tamẽ postea, vt dicetur, rediuiua. Eodem anni tempore obiit piæ memoriæ Episcopus Saresberiẽsis, magister Robertus de Bingham, in crastino Animarũ, vir sine querela plenus dierum, & virtutibus redimitus. Eisdẽ etiam diebus obiit piæ recordationis abbas Westmonasteriẽsis, Richardus Berking, vir prudens & competenter literatus, & multis moribus decoratus: qui sua strenuitate redditus domus suæ incremento circiter .300. marcarum annuatim, prudenter ampliauerat, & multarum libertatum munimentis roborauerat: nulli tamen vicinorum suorum molestus & onerosus. Diebus itaq; sub eisdem dominus papa vehemẽter cœpit formidare, ne canonizationem beati Eadmundi Cantuariensis archiepiscopi & confessoris, quam diusibilis obloquentiũ in dies protraxerat, idem grauiter vltione manifesta puniret. Intrans igitur clanculum dominus papa in oratorium suum, cum consueta passione, videlicet iliaca, calculo meatus vrinales obturante, torqueretur: flexis genibus, obortis lachrymis, iunctisq; manibus orauit, dicens: domine sanctissime cõfessor Christi beate Eadmũde, non irascaris satis, eo quod inuidorum oblocutionibus honorem tibi debitũ canonizationis tuæ distuli nimis insipienter. Quod enim non adhuc impletur, magnifice tibi indubitanter voueo & polliceor, vita comite, adimplebitur. Fac igitur mecum hanc misericordiam, qui tot infirmis auxiliaris, vt me ab instanti sanes, vel saltem hanc mitiges grauissimam passionem. Quo dicto, statim diuinum sensit medicamen. Et exauditum se sentiens, grates rependit, certissime cogitans honorem sancto soluere repromissum. Dominica igitur proxima ante Natale domini, qua videlicet cantatur, Gaudete in domino, dominus papa beatum Eadmundum Cantuariensem archiepiscopum, quem dominus innumeris decorauit miraculis, sanctorum catalogo solenniter duxit ascribendum. Quo fœliciter canonizato, statim fecit missam solenniter celebrari, cuius officium ingressiuum est: Statuit ei dominus &cæt. Et quia sanctitas eiusdem confessoris totius est Ecclesiæ vniuersalis gloria, maxime tamẽ Anglicanæ nationis: canonizationis eius authenticum, vt deuotio sancta legentium inde semper recens habeatur in memoria, præsenti libello dignum arbitror annotandum.

Authenticum Innocentii quarti papæ de canonizatione beati Eadmundi Cantuariensis archiepiscopi.

Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis, & episcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris: & aliis ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Nouum matris ecclesiæ gaudium noui sancti celebritate, iocũdæ letitiæ referimus gaudia à cœlesti collegio, de collegæ noui consortio agi festum exultanti animo nunciamus. Gaudet quidem ecclesia se talem ac tantum produxisse filium, qui alios & sacræ conuersationis exemplo dirigat, & percepto iam beatitudinis præmio firmam spem eis tribuat de salute. Lætatur nimirum se tam clara sobole illustratam: quæ digno ab omnibus attollenda præconio, & deuota veneratione colenda, manifeste declarat ad hereditatis æternæ participium admittendos, qui ipsam matrem ecclesiam fide ac opere ꝓfitentur: & nullos in supernã posse gloriã, nisi per eam, tanquã regni cœlorũ clauigerã, introire. Gaudet cœlestis patria nobilis habitatoris aduẽtu: expertũq; colonũ fidei, suis incolis nouerit adunari. Exultãt ciues cœlibes de celebris aggregatione conciuis: de cõdigno cœli cõsorte nuper ipsis habito ꝓsallãt sancti. Exurgite igitur & vos fidei zelatores, & vna cũ Eccles. matre nostra lætamini de magnificentia & exultatione confratris. Affluite gaudio, & spẽ tutã assumite de cõdigena terrenorũ, facto cõpatriota cœlestiũ: exultate ingẽti lętitia quod nouell⁹ vobis apud Deũ patron⁹ accreuit, qui adest coram

coram ipso pro salute nostra placidus intercessor. En siquidem beatus Eadmūdus archiepiscopus Cantuariensis salubriter pensans ad factorē suum facturam affectu dirigi naturali, naturamq; collapsam reparatorem debere recognoscere, proprium creatorem & redemptorem suum affectuose ac studiose quæsiuit. Recte namque intentionis lumen baiulans, ad ipsum perfectorum operum processit gressibus, salutis semitam aliis & splendore vitæ ac doctrinæ claritate demonstrans. Vnde horum trium, intentionis puræ, perfecti operis, & recti sermonis dulci concordia, velut delectabili psallens tripudio, tribus hostibus, carne, mūdo, dæmone, virtute perseuerantiæ superatis digne meruit, veræ fidei, secuiæ spei, & feruidæ charitatis ternario insignitus, summæ Trinitatis arce, trino electorū, virginū sc. continentiū, & coniugatorū, ordine præparata, palma victorię honorari. Et nūc de suis actibus aliquid dicamus: licet ipsius vita, quo plenius exponitur, eo relatoris gustui plus dulcescat, magisq; delectet animos auditorum: ab annis teneris filium Dei tenere diligens, eum postmodum tenere corde non desiit: quia ipsum tenellæ mentis tabulæ stylo rectæ cōsiderationis inscripsit, quinimo quanto maiori profecit ætate, tanto pleniori cognitione in amorem eius exarsit. Et ne feruor spiritus, suæ carnis extingueretur ardore, sed mortificatione potius accenderetur, ipsius assidui eam asperitate cilicii edomans, eius libitum arctæ abstinentiæ nexibus alligauit: vt non suo ducta voto, sed spiritus voluntate, ad licita tute pergeret, & prouide ab illicitis declinaret. Nam districtis corpus macerauit ieiuniis: antiquorum obseruantiæ nouorum austeritatē, quę sibimet ipse idem indixerat, superaddens: dum deliciosorū ciborum oblectatione despecta, refectione contentus humilium communium, ieiuniorum tēporibus á permissis etiam elegit ieiunare cibariis, & certis insuper in hebdomada diebus amplius abstinere. Somni quoq; prolixitatem odiēs, diuturnis vacabat vigiliis: excussoq; torpore, orationi sedulo inistebat. Cubilis. n. spreta mollicie, ne requie delicata lentescceret, illā membris indulgebat iacendo quietem: vt breui sopore refectus, protinus surgeret, seque genuflexionibus & orationibus diutius deputaret. Ab initio autē viarum suarum sic munde vsque in finem incedere studuit, quod mundo vitato lubrico, in lutū non defluens voluptatis, mundiciæ nitore præfulsit: quid amplius? contriuit fragile carnis vasculum, vt in eo thæsaurum animæ sibi creditum cautius conseruaret. Doctor vero prędarus ac prædicator eximius & auditorum mentibus scientiæ lumen infudit, & pectoribus fidelium (auulsis vitiorum tribulis) semina virtutum iniecit: humilitate quippe sublimis, mansuetudine placidus, patientia fortis, benignitate affabilis, pietate condolens, misericordia innocens: & multiplici eleemosynarum irriguo in subuentionem affluens egenorum. Et vt gestorum suorum multitudinem succincta relatione texamus, sic Iesum firma credulitate cognouit, & agnitum sincero corde dilexit, ac dilectum totis votis ambiuit, quod mundo & eis quæ in mundo sunt penitus vilipensis, ad cœlestia cunctis studiis inhiauit: satagens se suo nomini actibus coaptare, vt sicut vocabatur Eadmundus, sic se vel à criminum labe mundum, vel è mundo abductum, seu extra mundi amplexus positum, operum testificatione probaret. Vnde tanquam spiritualis homo Eadmundus à carnis contagiis in extremis agens, & corpus Christi sibi delatum reuerenter adorans, hæc verba omni attentione notanda, mira protulisse cōpunctione aperte monstratur: Tu es in quē credidi, quē prædicaui, quē docui. Et tu testis es mihi, q̄ nihil aliud nisi te, domine, in terra quæsiui. Sicut tu scis quod nihil volo nisi quod tu vis fiat voluntas tua. Verum cum viuens Dei Ecclesiam præclaris illuminasset meritis, mortuus suæ claritatis radios non subtraxit: sed quum functus hac vita, verius viueret quam vixisset, eam postmodum illustrauit fulgore luminis plenioris. Non enim voluit dominus sanctitatem mundo supprimi tanti viri: quin sicut pluralitate innotuerat meritorum, sic miraculorum diuersitate pateret: vt qui tota ipsum deuotione coluerat, iam secum regnans venerabiliter coleretur. Nam cœcis lumen restituit. Et, quod est gloriosius, de cuiusdam oculis innatæ cæcitatis tenebras, infusi visus perspicuitate fugauit. Alii cuius linguam natura diutina taciturnitate ligauerat, liberam loquendi tribuit facultatem. Leprosam quandam, squamis lepræ mox decidentibus, subita & mirabili absterſione mundauit: tremula paralytici membra firmauit consolidatione neruorum: cōtractis artuum extensione, subuenit: tumentem hydropisim, corporis extenuatione, curauit: & quandā senilis ætatis veteri gibbo imis inflexā, restituit, erecta sursum eius facie, sanitati. His & aliis quam pluribus coruscauit miraculis manifestis: quorum seriem non duxim⁹ prędentibus inserendā. Conualescit ex ipsis fides catholica, Iudęorū pertinacia erubescit, confunditur hæreticorū fallacia, & obstupescit ignorantia Paganorū. Cantet itaq; Cantuariensis Ecclesia laudis diuinæ canticū, q̄ inter alias, modernis tēporib. venerabili-

rabilibus est decorata patronis, vnius quidem rubricata martyrio, & confessione alterius candidata. Exultet pleno gaudio fertilis Cantuaria, quod ab Ecclesiæ suæ area tam purum granum transmittit ad horrea summi regis. Lætetur & Pontiniacense monasteriũ, quod & talium & tantorum patrum meruit honorari præsentia: dum vnus ibidẽ diu degens, illud suæ vitæ moribus nobilitauit: & alter illuc accedens, ipsum reddita cœlo anima, sui corporis thesauro ditauit. Vt quasi adimpleretur q; ipse gloriosus martyr Thomas videlicet post longam moram, quam exilii sui tempore in eodem cõtinuauit monasterio, cum ipsis monachis de multa honorificẽtia charitatiue sibi ab eis exhibita respondere iuxta voti sui plenitudinem, nõ valeret, dixisse asseritur, quod esset sibi alius successurus qui condignam ipsis retributionem responderet pro eodem. Porro quia quos omnipotens Deus perpetuæ coronæ gloriæ in cœlis magnificat, summæ deuotionis studio ab hominibus in terris conuenit venerari (vt, quo solennius fideles sanctorum colunt memoriam eo dignius eorum patrociniũ promerentur) Nos de sanctitate vitæ ac veritate miraculorũ eiusdem sancti Eadmundi, curiosæ inquisitionis solennitate ac districti examinis discussione præmissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum, de communi fratrum nostrorum & prælatorum omnium, tunc apud Apostolicam sedem existentium, consilio & assensu, in dominica de Aduentu, qua cantatur, Gaudete in domino semper: sanctorum catalogo ascribendum, vel iam ascriptum duximus nunciandum. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & exhortamur attente, per apostolica scripta mãdantes, quatenus 16. Kalend. Decembris (cum tunc fœlix ipsius anima de carnis liberata carcere, ad astra conscendẽs, aulam cœlestem adiuerit, paradisi deliciis fruitura) festum eiusdem deuote ac solenniter celebretis. Faciatisque vos fratres archiepiscopi & Episcopi, per vestras ciuitates & diœceses à Christi fidelibus veneratione congrua celebrari: vt pio eius interuẽtu & hic ab imminentibus possitis periculis erui, & in futuro salutis præmium consequi sempiternæ. Cæterum vt ad venerabile eius sepulchrum feruentius & copiosius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem sancti agatur solennitas: omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia & beatorũ Petri & Pauli, apostolorum eius, authoritate confisi, vnum annum & 40. dies: accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulchrum infra eiusdem festi octauas. 40. dies de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Datum Lugduni, 3. Idus Ianuarii, põtificatus nostri anno quarto. Hæc igitur cum per totius Christianitatis latitudinem publicarentur, gaudium inæstimabile in omnium mentibus fidelium, præcipue tamen Anglorum (quia ipsum sanctũ Anglia genuerat & cœlo præsentarat) non immerito renouatur. Eodem quoque die, quo videlicet memoratus sanctus Eadmundus canonizatus est, magister Richardus de Crokesle apud Westmonasteriũ, eiusdẽ Ecclesiæ archidiaconus, in abbatẽ Westmonasterii vnanimi consensu totius conuentus rite electus est: tum quia ipse officio idoneus ac sufficiens reperiebatur, tum q; domino regi (in cuius manu opus Ecclesiæ semirutum, immo totius Ecclesiæ status dependebat) erat familiaris & acceptus. Electus est inquam, die canonizationis beati Eadmundi, non sine Dei nutu, vt pium arbitror sentiendum, quatenus ambo vna die & amator & amatus honoris susciperent multipliciter incrementum. Vnde per idem tempus (domino rege impetrante) ampliata est eiusdem abbatis dignitas, vt videlicet pontificialiter per omnia missam celebraret. Erat enim dum adhuc idem abbas archidiaconatus fungeretur officio dominus Richardus memoratus, beati Eadmũdi deuotus amator ac indefessus. Quod quidem electus recolens, nõ ingratus retributor, quãdam capellã iuxta septentrionale ostium Ecclesiæ suæ ad honorẽ dicti Eadmundi censuit merito dedicandam. Hic siquidem cito post creationem suam loco Prioris sui, viri sancti ac religiosissimi (qui, propter vitæ sanctæ suæ eminentiam, in capella hospitum, quam dominus rex condidit, meruit honorabilem sepulturam) dominum Mauricium præcentorem, virum approbatum, in honorem Prioratus merito subrogauit. Huius autem prænotatæ canonizationis gloriosæ veritatem cũ dominus rex certius audisset, & de manu fratris Iohannis, monachi Pontiniaci, natione Anglici, authenticum bullatum inspexisset & audisset, concepto magno gaudio, præcepit vt, accensis multis cereis omnes clericj de sua capella, assumptis festiuis indumentis, missam solenniter (cuius introitus foret, Gaudeamus. & cæt.) celebrarent, Eisdem diebus, canonici Saresburienses, vt præcauerent periculo Ecclesiæ suæ, & domino regi placerent, elegerunt in Episcopum & pastorem animarum suarum dominum Gulihelmum de Eboraco, Præpositũ Beuerlaci, domini regis clericum familiarem, & legum terræ peritum: qui sine moræ dispendio, sine alicuius contra

dictione

dictione vel impedimento, confirmabatur. Dominus quoq; Sylueſter eodem tempore qui ante diu non conſenſerat, forte reputans ſe indignum & inſufficientem in electionē memoratam, videlicet Carleol. conſenſit humiliter & cum Dei timore: eo dignior, quo ſe indignum reputauit. Erat domini regis clericus fidelis, charus & familiaris, eidem in cancellaria primum locum obtinendo miniſtrans prudenter. Eiuſdem anni in decliuum tendente curriculo, præter eos quorum in hoc volumine tangitur mortis memoria, obierunt magnates quidam Angliæ præclari, videlicet Richardus de Argentonio, miles ſtrenuiſſimus, qui in Terra ſancta diu Deo fideliter militauerat: in parte vero boreali Henricus de Bailloil, miles: in Hoilandia, Lambertus de Muletina miles: Item Ranulphus Brito canonicus Eccleſiæ ſancti Pauli Londini, domino regi quōdam familiariſſimus, &, poſtpoſitis multis magnatibus, eiuſdem conſiliarius ſpecialis. Qui tamen poſtea adeo regiam gratiam videbatur amiſiſſe, vt incarceratus ridiculoſam fabulā in populo generaret. Trāſiit igitur annus ille, Terræ ſanctæ ſuſpectus & formidabilis, Eccleſiæ nociuus vniuerſali, aduerſarius Imperio, Romanæ curiæ infamis & inimicus, regnis Francorū & Anglorum exactor hoſtilis, & prædator turbulentus.

De querimoniis factis papæ pro illius crebris exactionibus. Dantur tamen eidem. 11. milia marcarum.

ANNO gratiæ 1247. qui eſt annus regni regis Henrici Tertii, 31. tenuit idem rex curiam ſuam apud Winton. præſentibus multis regni electis magnatibus. Cui, cum illuc aduenirет, occurrit epiſcopus Winton. lætabundus, ſupplicans attentius vt cum ipſo epiſcopo ſuo pranderet in craſtino Natalis domini: vt ſic pateret omnibus offenſas omnes priſtinas pēnitus exufflaſſe, & ipſum Epiſcopum, in præſentia omnium cōuiuarum, in priſtinas amicitias reuocaſſe. Eodē tempore, vrgente mandato Papali rediuiuo, de importabili cōtributione prætaxata, ad quam Epiſcopi in generali Concilio Lugdunenſi. clerum infœliciter obligauerāt, fecit dominus rex magnates ſuos, necnon & Angliæ totius archidiaconos, per ſcripta regia Londinum conuocari. Quo cum peruenirent die præfixo archidiaconi, Epiſcopi omnes ſeſe gratis abſentarunt, ne viderentur propriis factis eminus aduerſari. Sciebant enim corda omnium vſque ad animæ amaritudinem non immerito fauciari, Cum vero dierum iſtorum fluenta prolaberentur, tepuit fidelium deotio: & filialis affectus charitatis, quem quilibet Chriſtianus aduerſus patrem ſuum ſpiritualem, videlicet dominum Papam, gerere tenetur, nō ſine animarum periculo læſus deperiit, & in odium execrabile & occultas maledictiones eſt conuerſus. Multi quoq; nobiles de regno Francorum contra Papam & Eccleſiam vniuerſalem conſpirabant, iuramēto & fidei interpoſitione confœderati: videlicet, Dux Burgundię, Comes Britanniæ, Comes de Sancto Paulo, & multi alii nobiles cum ipſis, ita quod iam videretur ſchiſma in Eccleſia manifeſte ſuboriri. Cuius conſpirationis tenor & modus Gallice conſcriptus, ad multorum notitiam, etiam extra regnum Franciæ, ſponte ab ipſis conſpiratoribus miſſus & publicatus, peruenit. Erant autem duo ſcripta, vnum Gallice, aliud Latinæ cōſecta, vnde vnum terribile, aliud terribilius. Quorū vnum huic libello (quia initia dolorum hæc vt timetur) hic duximus annotandum. Quia clericorum ſuperſtitio non attendens quod bellicis & quorundam ſanguine, ſub Carolo Magno & aliis, regnum Franciæ de errore gentilium ad fidem catholicam ſit conuerſum, primo quadam humilitate nos ſeduxit, quaſi vulpes ſe nobis opponētes, ex ipſorum caſtrorum reliquiis, quæ à nobis habuerant fundamentum: Iuriſdictionem ſecularium ſic abſorbent, vt filii ſeruorum ſecundum ſuas leges iudicent liberos, & filios liberorum: quamuis ſecundum leges priorum & leges triumphatorum deberent à nobis potiūs iudicari, & per nouas conſtitutiones non deberet anteceſſorum ſuorum conſuetudinibus derogari. Cum nos deterioris conditionis faciant quam Deus & voluit eſſe gentiles, cum dixerit. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Nos omnes regni maiores attento animo percipientes quod regnum non per ius ſcriptum, nec per clericorum arrogantiam ſed per ſudores bellicos fuerit adquiſitum, præſenti decreto omnium iuramento ſtatuimus & ſancimus, vt nullus clericus vel laicus alium de cætero trahat in cauſam coram ordinario iudice, vel delegato, niſi ſuper hæreſi, matrimonio, vel vſuris. (Amiſſione omnium bonorum ſuorum & vnius membri mutilatione tranſgreſſoribus imminente) certis adhoc à nobis executoribus deputatis. Vt ſic Iuriſdictio noſtra reſuſcitata reſpiret, & ipſi hactenus ex noſtra depauperatione ditati, quibus Deus propter ſuperbiam prophanas voluit reuelare contentiones, reducantur ad ſtatum Eccleſiæ primitiuæ, & in contemplatione viuentes, nobis ſicut decet actiuam ducentibus, oſtendant miracula,

quæ

quæ dudum à seculo recesserunt. Huius autem tenor epistolæ multos exercuit, qui credebant mutuum consensum esse inter Fredericum & Francos, præsertim cum vltima huius epistolæ sit Frederici, cuius finalis sententia hæc est. Semper fuit intentio nostræ voluntatis clericos cuiuscumque ordinis ad hoc inducere, & maxime maximos, vt tales perseuerarent in fide, quales fuerunt in Ecclesia primitiua, Apostolicam vitam ducentes, humilitatem dominicam imitantes. Tales autem clerici solebant angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitate non armis, sibi reges & principes subiugare. &c.

Ipso quoque anno clerus immo potius totius Anglicanæ Ecclesiæ vniuersitas, querimoniam coram Papa & Cardinalibus reposuerunt super oppressionibus & intolerabilibus grauaminibus, quibus frequenter Ecclesia & regnum fatigabatur. Et quia epistola super hoc domino Papæ missa ex parte vniuersitatis Ecclesiæ Anglicanæ, ex corde omnium prælatorum angustiato nimis, & vsque ad amaritudinem spiritus prouocato processit, & ne lugubre schisma subsequatur (vt nõ minimum formidatur) ipsam huic libello duximus annectendam.

Epistola missa Papæ.

Sanctissimo patri in Christo ac domino Innocentio, Dei prouidentia summo Pontifici, vniuersitas cleri ac populi in prouincia Cantuariensi constituti, deuota pedum oscula beatorum. Cum Anglicana Ecclesia, à tempore commendatæ sibi fidei catholicæ, Deo & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, matri nostræ, placere studens adhęserit semper & seruierit deuote. & cæt.

Et quia impossibile & importabile erat inter cætera grauamina, quod voluit tunc dominus Papa, exigens à quolibet beneficiato residente, tertiam redditus sui partem, & à non residente vero dimidiam: adiuncto eo quod vellet sibi bona intestatorum vsurpare: ipsis Cardinalibus per eosdem nuncios, qui & præscriptam epistolam detulerunt Domino Papæ, & ex parte vniuersitatis Angliæ significatur sub hac forma.

Epistola missa Cardinalibus pro eadem causa.

Quære quod supersit in his epistolis ex historia Mat. Paris. pag. 957. & 958.

Reuerendissimis patribus in Christo & dominis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deuoti sui. & cæt. salutem, reuerentiam debitam, & honorem. Ad vniuersitatem vestram velut ad bases, Ecclesiam Dei fulcientes, humiliter supplicantes confugimus, & obnixe deprecamur quatenus pressuras quibus mancipamur attendere dignantes, opem ferre velitis, vt post repetita grauamina, quæ Anglicanæ Ecclesiæ præteritis diebus occurrerũt, respirari possit, & ex hoc vobis assurgere teneamur ad debitas gratiarum actiones. A tempore namque vltimi Concilii Lateranensis, primo vicesima triennii in subsidium terræ sanctæ, postmodum decima in subsidiũ domini Papæ, postmodum præstationibus aliis. & cæt.

De contributione. 11. millium marcarum Papæ missa in eius subsidium ab Anglis.

His autem auditis infremuit curia Romana, & suam doluit auaritiam tam redargui quam refrænari. Timentes quoque papa & Cardinales ne sibi, quod comminatione tali imminebat, ingrueret periculosa confusio, non penitus omittebant grauare regnum & Ecclesiam Angliæ (non enim permittebat hoc paternæ charitatis inopia) sed rigorem memoratum tali moderamine temperarunt, vt ad. 11. millium marcarum summam, subsidium prius postulatum restrinxerunt. In quod Episcopi Angliæ congregati, & super hoc, consilium cum deliberatione habentes, pro persecutione Romanæ Ecclesiæ reprimenda, adhoc, licet graue sibi videretur, in prædictam pecuniæ summam domino Papæ contribuendæ consenserunt. In ipso tamen concilio (quod omni charitate fraterna ac ciuilitate caruit) excluserunt omnes abbates Angliæ exemptos, voracitati Romanæ curiæ periculosius exponendos,

De domini Iohannis Maunsel multiplici promotione.

Et dum istorum tempora voluerentur euentuum, dominus Iohannes Maunsel, Ecclesiæ sancti Pauli Londini Cancellarius, rege sic iubente, & instanter petente (cuius petitio imperiosa est & coarctans) sigilli regii custodiam suscepit, Cancellarii vices acturus & officium. Collata est insuper memorato Iohanni præpositura Beuerlaci ab archiepiscopo Eboracẽsi. Quam licet dominus rex fratri suo vterino, scilicet domino * Æthelmaro doluit non fuisse collatam, tamen quia dictum Iohannem in solicitudinibus suis supportandis inuenit fidelem & necessarium, noluit eum dominus rex pati dispendium vel offendi, vel honore sibi collato quomodolibet spoliari. Eodemque tempore misit dominus

* *Almerico.*

minus Papa quosdam de suis clericis in Angliam & Hyberniam, cum magna potestate, vt pecuniam colligerent: nec potuit adhuc, quamuis vndique multiplicarentur querelæ, frænum moderaminis suæ adhibere cupiditati. Missus est eodem tempore in Hyberniam magister Iohannes Rufus, ad pecuniam ibidem diligenter colligendam magnis armatus potestatibus, quasi legatus, non tamen rubris vestibus insignitus, ne videretur dominus Papa dominum regem Angliæ offendisse, qui quodam gaudet priuilegio, videlicet vt non veniat legatus in terram suam, nisi postulatus. Memoratus igitur. I. legatus sophisticus, vigilanter mandato Papali & suæ intendens vtilitati, ab Hybernia circiter sex millia marcarum extorsit: quæ, per conductum religiosorum, in festo sancti Michaelis, fecit Londinum transportari. Pro simili quoque causa missus est à domino Papa magister Marinus London. Electus quoque Bethleemita, magister Godefridus, filius præfecti, non curans de Episcopatu ad quem electus fuit, venit in Angliam, à domino Papa obtinens indulgentiam vt quasi Episcopus mitratus incederet, & conuersans in Anglia, redditibus acquisitis incumberet & acquirendis. Scotiam etiam in primo aduentu suo impigre perlustrauit. Anno quoque sub eodem, Idus Februarii, factus est in Anglia per diuersa loca terræmotus, contra terræ illius consuetudinem & naturam, qui ædificia multa concutiens, damnosus extitit & terribilis: quia vt credebatur significaturus aliquid, & insolitus erat his partibus occidentalibus, necnon & innaturalis: cum soliditas Angliæ cauernis terrestrib⁹ & profundis careat cõcauitatibus, in quibus secundũ philosophos, solet terræmotus generari. Subsecuta est igitur continue aeris intẽperies diuturna, squalor ineptus, hyemalis, turbulentus, frigidus, & pluuialis, qui vsq; ad festum trãslationis sancti Benedicti perdurauit: ita vt tam agricolæ quã hortulani ver in hyemẽ & æstatis partẽ potiorẽ ordine retrogrado cõquesti sint fuisse cõmutatum: & se spe seminũ, plantularũ, fructuum & segetum frustratos vehementer formidabant. Credebaturque status mũdialis propter memoratum terræmotum alia mutatione concutiendus, aliquam quoq; Anglis perturbationem parturire. In crastino vero Purificationis beatæ Mariæ obiit Londini Fulco de Castro nouo, miles eximius: cuius corpus, ob reuerentiam consanguinitatis regiæ, ac generositatis, fecit dominus rex, completis exequiis, magnifice in præsentia sua in Ecclesia Westmonasterienſi sepeliri.

Priuilegium Angliæ aduersus Cardinales.

De morte Landgrauii noui electi in regem Alemanniæ.

Tempore quoque sub eodem, ne terræmotus supra memoratus minaci careret significatione, Landgrauius, quem dominus papa in imperium promouere desiderauit, & in promotione cuius, infinitum thesaurum vndique extortum inaniter effuderat, turpiter victus, viam vniuersæ carnis ingressus, infamis & exosus, curiã Romanã cõfusam reddidit ac verecundam. Et sic fœda relinquens vestigia tam regnum Alemanniæ quam Imperium salutauit.

Mittuntur legati per diuersas mundi partes in grauamen Frederici.

Hoc autem quum audisset dominus papa, tactus dolore cordis intrinsecus, Cardinales legatos solennes per diuersa mũdi climata, plenitudine potestatis sibi cõcessæ, trãsmittit armatos, vt ipsum Fredericum & filium eius Conradum, qui ipsum Landgrauiũ vsque ad ignominiosam mortem infatigabiliter persequebãtur, pro posse grauarent, & thesaurum ad expugnationem eorum à viris Ecclesiasticis, maxime religiosis, abradere non cessarent. Destinauit igitur dominus papa vnum (Octauianum nomine) in Alemanniã, alium in Italiam, alium in Hispaniam, alium vero (scilicet Sabinensem Episcopum) in Norwegiã (de quo plenius infra dicetur) & præter hos, multos fratres ordinis Prædicatorum, & ordinis fratrũ Minorum, magna potestate roboratos, vt vniuersum mundũ commouerent contra memoratos, Ecclesiæ Romanæ rebelles & hostiles.

Fredericus fecit omnes Calabros, Appulos & Siculos facere homagium Henrico filio suo.

Dum vero horum temporum curricula reuoluerentur, suspectæ memoriæ Fredericus, quem Imperatorem nominare vel dicere prohibemur, fecit omnes Calabros, Appulos & Siculos facere homagium dilectissimo filio suo Hẽrico, quẽ de gremio sibi charissimæ Imperatricis Isabellæ, sororis videlicet domini regis Angliç. susceperat, ad imperij robur & munimen. Audiens quoq; idem Fredericus quod in diuersas partes legati a domino papa, ad læsionem famæ suæ & status mitterentur, scripsit Ensio regi Sardiniæ, filio suo naturali, vt diligenter Ianuensibus, domini papæ consanguineis & amicis, & legato suo ad illas partes destinato, efficaces pararet laqueos cum insidiis, quod & ipse vigilanter adimpleuit, ne patri videretur inobediens. Similiter quoque significauit Conrado regi Ale-

gi Alemannię, vt & ipſe legato in Germanię prouincias trāſmiſſo, & archiepiſcopo Colonienſi, & omnibus eis auxilium, conſilium, aut etiam fauorem impendentibus, potenter prudenterque reſiſteret, & clitellas theſauro, quem à viris eccleſiaſticis abſtulerant, vacuaret. Similiq; modo omnibus amicis verba trāſmiſit cōſolatoria & admonitoria: quæ multi eorum toto conamine feſtino effectui mancipare ſtuduerunt. Hęc cum domino Papę & Cardinalibus innotuiſſent, cōmota eſt curia non mediocriter. Papa verò irā irę & odiū odio ſtomachatus coaceruās, ipſū Frederic. die Paraſceues adeò ſolenniter ac horribiliter excōmunicauit, vt audientibus & videntibus non tantùm timorem, ſed etiam horrorem incuſſerit vehementem.

De aduentu fratris Ioannis Anglici, miniſtri Prouincialis, in Angliam.

Diebus quoque ſub eiſdem venit quidam frater de ordine Minorum, nomine Iohannes, in Angliam, natione Anglicus, miſſus a domino papa, multiplici armatus poteſtate, vt ad opus domini papæ, à viris Eccleſiaſticis, & maxime ab abbatib⁹ exemptis, colligeret pecuniā diligenter. Et quia dominus rex priuilegiū dignoſcitur habere vt non veniat legatus in Angliā niſi vocatus, miſſi ſunt iam tales legati, ſophiſtice transformati. Accepit igitur (quia propter honeſtatem ſic oportuit), pcurationes ſatis opimas, teſte domino Decano S. Pauli, qui 20. ſolidos pro pcuratione eis liberaliter exhibuit. Et quia legati vice fungebatur, eques inceſſit. Et, quibus fauit, pepercit: & ad voluntatē ſuam exēptis impoſuit in contributione conditionem. Epiſcopi autē exemptos multipliciter vexauerunt, & argumento ſe pecuniam vndiq; extorſerunt ab eiſdem, quia priuilegiati & eorum priuilegia ſemper ſunt eis exoſa, & quaſi ſpina in oculo: licet tales literæ repugnarent manifeſte.

Litera vniuerſitatis cleri domino Papæ directa.

Sanctiſſimo, &cæt. Tranſmiſſus ad venerabiles in Chriſto patres, Cantuarienſem & Eboracenſem archiepiſcopos, ac eorum ſuffraganeos vir religioſus ac diſcretus, frater Iohannes, miniſter ordinis fratrum Minorum Prouinciæ, veſtrę nuncius ſanctitatis, quaſdā nobis de credentia literas detulit apoſtolicas: eadem authoritate ore tenus iniungēdo, vt tam pro nobis quā pro noſtris ſubditis viris Eccleſiaſticis, literas obligatorias ſuper certa ſumma pecuniæ pro ſubſidio ſedis Apoſtolicæ ſinguli faceremus. Nos autem ſuper hoc tractatu habito diligenti deliberatione, pariter attendentes quod ſi talia contigerit aggredi, ipſis ſubditis inconſultis, tumultum magnum facerent, nos reputantes forſitan prodi- 30
tores eorūdem: & ſic ad rebellionem potius prouocarentur & ſcandalum, quam ad promotionem memorati negotii: vt proceſſui ipſius annuere abſque conſilio & voluntate nō potuerimus eorundem. Vnde plurimum affectantibus nobis reuerenter mandatis, ſicut decet & poſſumus, apoſtolicis obedire, pacique & tranquillitati cleri & regni proſpicere: in hoc commune habita deliberatione, vt videlicet ad præfatum ſubſidium (exemptis tribus clericis & exceptis), xi. millium marcarum quantitas, tam à dictis Archiepiſcopis, quam eorū ſuffraganeis & ſubditis, vniuerſaliter tribuatur. Ad quod quidem dictos ſubditos pro noſtris viribus inducemus. Quod ſi forte (quod abſit) ad hoc inducere nō poſſimus, ſinguli noſtrum per ſe ſuam dabunt pecuniæ quantitatem, prout varie ſe extendet poſſibilitas facultatum. Sane cum exceptione exemptorum & trium clericorum, in tanti 40
ſubſidii quantitate, clerus noſter non modicum grauabitur. Timemus quod ſi quis in poſterum à ſubſidio ſupranominato excipiatur, clerus memoratus ad cōſentiendū minime perducatur. Vale.

Oritur murmur in clero, & in regno querimonia.

Ex his & conſimilibus inſolitis grauaminibus ortum eſt murmur, in clero & populo, ita vt quicquid contulerunt, inuiti cum imprecationibus, & (vt potius verum non ſupprimatur) cum maledictionibus contribuerunt: rememorantes etiam domino papæ cū præcordiali querimonia grauamina, & oppreſſiones importabiles præſentantes.

Nota grauamina Eccleſiæ Anglicanæ.

Grauatur intolerabiliter Eccleſia Anglicana in prouiſionibus infinitis: in decima omnium bonorum: in feſtinato auxilio: in pecunia pro militibus exacta: in ſubſidio per Othonem legatum multipliciter extorto: in preſtatione, 6. millium marcarum: in viceſima triennii: in ſubſidio Imperii Romani: in ſubſidio modo gratis conceſſo: in ſubſidiis ex parte domini regis & archiepiſcopi Cantuarienſis petitis. Omnia quidem hæc importabiliter & amaro ſpiritu portata, & affectu & effectu deuotionis carentia. Et ideo omnia inaniter profuſa, & (vt breuiter concludatur) amiſſa.

Qualiter reſponſum eſt fratri Iohanni apud ſanctum Albanum & apud VVeſtmonaſterium.

Cum

Cum autem veniſſet prædictus frater Ioannes ad ſanctum Albanum, exegit irremediabiliter ab abbate multum diuerſis partibus grauato 400. marcas, in ſubſidium domini Papæ. Et cum per omnia inexorabilis & inflexibilis eſſet, nihil penitus remittere volens de dicta exactione, abbas memoratus, ſolus inter omnes exemptos, ad præſentiam domini papæ appellauit de tam intolerabili exactionis grauamine, malens iudicium ſubire papale, quam alicuius fratris Minoris arbitrio prægrauari. Et dum quidam de fratribus ſe ad iter præpararet, ille Iohannes frater ſtatim domino papæ nunciauit quod ſolus abbas S. Albani inter omnes exemptos, non curans papalibus mandatis obtemperare, appellauit. Vnde frater ille, quem abbas ad curiam deſtinauit, inuenit dominum papam nimis exaſperatum & commotum contra abbatem & eiuſdem nuncium. Sed poſtquam dominus papa, aliquantulum mitigatus, placidam autem narrationi ipſius nuncii accommodaſſet, & grauamina domus ſancti Albani, & ſuper hoc importabilem exactionem fratris Iohannis ſeriatim expoſuit. Vnde papa & rigorem miſeratus temperauit, & de prætaxata pecunia magnam minorauit portionem. Frater autem ſupradictus Iohannes cum ad Weſtmonaſterium pro eadem cauſa aduenisſet, videlicet pecuniam ad opus papæ exacturus: reſponſum eſt ei ſtatim in faciem, quod dominus rex, pro arduis negotiis ſtatim totius regni contingentibus, miſerat dominum abbatem Weſtmonaſterii & dominum Iohannem Manſel (tanquam ſpeciales conſiliarios ſuos) in partes Alemanniæ. Vnde Prior & conuentus nullo modo ſine capite eorum ipſi fratri quomodolibet ſuper aliqua exactione, ſicut nec iuſtum erat, reſponderent. Cum autem ipſe frater Iohannes audiſſet, quod prudenter & circumſpecte, necnon & audacter, & quaſi munimine regio ſepti reſpondiſſent, cum propter Dei tum propter domini regis timorem & reuerentiam, ad horam ſiluit retrocedens.

Nota illius fratris legati transformati poteſtatem.

Eodemque tempore, ad maiorem Anglorum depreſſionem & grauamen, aucta eſt eiuſdem Iohannis fratris poteſtas, & etiam aggrauata: & magis ac magis à papa ſtimulatur, vt vigilanter memoratæ pecuniæ intenderet colligendæ, & exigeret ampliora, his literis.

Authenticum papæ.

Innocentius, &c. Intellectis his quæ tuis literis intimaſti, præſentium tibi authoritate mandamus, quatenus ſi pars prælatorum eccleſiaſticorum regni Angliæ, ſuper exhibendo eccleſiæ ſubſidio, per te authoritate noſtra petito, reſponderit, ſe exemptos, & cæt. vt maiorem etiam, quam petieritis ab eiſdem, pecuniæ quantitatem aſſignes: quibus volueris, pro ſubſidio memorato infra terminum competentem per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compeſcendo: quocunq; priuilegio ſeu indulgentia qualibet non obſtante, licet præſentes expreſſam de ipſo non faciant mentionem. Datum Lugduni. &c. Si quis priores poteſtates eidem fratri conceſſas, videre deſiderat, ad exemplaria, quæ apud ſanctum Albanum ſeruantur, recurrat

De vocatione omnium nobilium Angliæ ad parliamentum.

Per idem tempus, dominus rex comperiens regnum ſuum enormiter vndique periclitari, iuſſit omnem totius regni nobilitatem conuocari, vt de ſtatu ipſius tam manifeſte periclitantis, Oxonię, die qua cantatur, Quaſi modo geniti, diligenter contrectarent. Prælatos autem maxime ad hoc Parliamentum vocauit arctius, quia videbat eos iam frequenter per papales extorſiones depauperari, quod frequentia conſuetudinem & regni ruinam manifeſte minabatur. Sperabatur igitur communiter aliquid ſalubre eccleſiæ & vniuerſitati ibi ſtatuendum: quod tamen omnes fefellit, ſicut ſermo ſequens declarabit.

Conrado rege Alemanniæ caſſato, eligitur Gulihelmus Comes Holandiæ.

Eiſdemq; diebus dominus papa, infinita pecunia promiſſa nobilibus Alemanniæ ad deiectionem Frederici & filii eius Conradi regis Alemanniæ, procurauit diligenter, vt caſſato ac reprobato Conrado Frederici filio, rege Alemanniæ, loco illius eligeretur & ſubſtitueretur Gulihelmus Comes Holandiæ, archiepiſcopo Colonienſi amicitia indiſſolubili confœderatus, epiſcopo autē Leodienſi conſobrinus, nepos Ducis Brabantiæ, & multis Alemanniæ magnatibus ſanguine, affinitate, vel amicitia coniunctus: adoleſcens ætate, viribus integer: & pro ætate, militia illuſtris, moribus compoſitus, conſilio circumſpectus. Quod cum Frederico ac filio ſuo Conrado innotuiſſet, miſſa expeditione militari non minima ad ciuitatem Aquiſgrani, vbi de conſuetudine antiqua coronantur reges Alemanniæ, fecit eam arctiſſime communiri, ne nouus electus quomodolibet in ipſam intraret coronandus. Archiepiſcopus igitur Coloniæ, & archiepiſcopus Moguntiæ, & epiſcopus Leodienſis, cum cæteruis legati cruce ſignatis, & aliis Alemanniæ magnatibus i-

psam ciuitatem circumuallantes obsidione, non cessarunt petrarum & iaculorum immissione vigilanter & potenter infestare, & obsessis omne genus victualium præcludere.

Applicant quidam aduenæ, vt ditentur.

Ipso quoq; tempore applicuerunt in Anglia vacui & esurientes, ære alieno patulis rictibus inhiantes, quidam magnates aduenę & longinqui, videlicet Baldewinus, dictus imperator Constantinopolitanus, cum quibusdam aliis suis fautoribus, à Græcorum finibus violenter expulsus. Qui paucis annis ante elapsis, omnibus sacris reliquiis, quas in Græcia habere poterat, venditis, & vndecunq; mutuo accepta pecunia, imperium Romanũ quasi suum vendicans, potenter, non sine multis sumptibus, inuaserat. Et consumpto non minimo thesauro, inhoneste acquisito, victus, pauper, profugus, in omnibus bonis spoliatus, & extorris inde fugit & inglorius: licet ipsum dominus papa fouere incepisset, & contra Vastagium generum Frederici, bella mouentem acerrima, missa ei pecuniæ quantitate non minima, efficacissime iuuisset. Egere igitur cœpit dictus Baldewinus, & paucis ante annis, quando pro simili causa in Angliam aduenerat, expertus domini regis Angliæ liberalitatem, nedum dicam prodigalitatem, iterum venit ad eundem, quem sibi finxerat cõsanguineum iuuamen pecuniare petiturus: vnde rediit clitellis refertis desideratis esterlingis. Et sic, multipliciter spoliatis Ægyptiis, Hebræi ditabantur.

Applicat episcopus Sabinensis Cardinalis in Anglia.

Applicuit quoq; tempore sub eodem episcopus Sabinensis, Romanæ ecclesiæ Cardinalis, iturus in partes Boreales legatus, videlicet Norwegiam & Sueciam, & præcipue vt regem Norwegiæ Haconem, in regem inungeret & solẽniter consecraret. Transitum autem fecit de Douera vsq; ad Lennam, de licentia domini regis, vt ibidem ventum prosperum, nauigaturus versus dictas regiones, præstolaretur. Intrans quoq; nauem iussit in ea leuari & ornari vnum altare, & missam à quodam fratre prædicatore, quem nunquam antea videbant qui præsentes erant, celebrari.

Applicant fratres domini regis vterini.

Applicuerunt etiam tunc temporis tres fratres domini regis vterini in Anglia in eodem portu, scilicet apud Douearam, Guido de Licinun. miles, & Gulihelmus de Valentia, non adhuc miles factus & Ælmarus clericus, ex mandato domini regis vocati: & præter hos Alesia soror eorum, videlicet soror eiusdem regis vterina, puella nondum maritata: vt de Angliæ (relicta Pictauia, quam Franci cœperunt conculcare, & incolas proditores cachinnando appellare) diuitiis & deliciis vberrime ditati saginarentur. Quibus aduentantibus rex occurrit lætabundus, & fraternos ruens in amplexus & oscula multiplicata, promisit eisdem honores & possessiones amplissimas, & promissiones suas, sine moræ dispendio, vberius quam promisit, fideliter adimpleuit, quod sermo subsequens plenius auditoribus dilucidabit.

Maritatæ sunt quædam puellæ quibusdam nobilibus Angliæ.

Anno quoq; sub eodem, in initio mensis Maii, domino rege propter hoc apud Wodestocke specialiter, videlicet à festo sancti Vitalis vsq; in crastinum apostolorum Philippi & Iacobi, commorante, maritatæ sunt duæ puellæ vltramarinæ, de partibus Sabaudiæ vel Prouinciæ oriundæ (per prouidentiam & procurationem Petri de Sabaudia, qui propter eos illuc perrexerat) * Eadmundo Comiti Lincolniæ, & Richardo de Burgo adolescentulis nobilibus, quos dominus rex in palatio suo per aliquot annos educauerat, & moribus instrui fecerat eleganter. De quo maritagio, quia ignotæ & alienigenæ naturalibus regni & indigenis, ignobiles (vt dicebatur) nobilibus, & deformes formosis, & etiam inuitis matrimonialiter copulabantur, murmur & indignatio nõ minima inter nobiles regni personuit ventilata, timentes non medioeriter ne rex intenderet nobilitatem Angliæ notha permixtione cogere diatim degenerare.

* Aimundo.

Desponsatur Iohanna filia VVarini de Mutenheinsil.

Diebus quoq; sub eisdem, Idibus videlicet Augusti, maritata est Iohanna filia Warini de Mutenheinsil Gulihelmo de Valentia, fratri domini regis vterino: hoc volente & diligenter ac argumentose procurante domini regis consilio, propter opulentissimam hęreditatem, ipsam Iohannam contingentem, ratione genitricis.

Gulihelmus de Longa spata & multi alii nobiles cruce signantur.

Eodem quoq; anno episcopus Wigorniæ, Walterus, Comes Legiocestriæ Simon de Monte forti, Gulihelmus de Longa spata & multi alii nobiles de regno Angliæ, exemplo domini regis Francorum & magnatum de regno eius, animati, circa tempora Rogationum crucem assumpserunt: vt in Terra sancta, Christi vestigia adorantes, & pro eius obtinenda hæreditate viriliter dimicantes, suorum peccaminum veniã consequerentur.

Transf.

Transfertur beatus Eadmundus confessor apud Pontiniacum.

Eiusdem anni sub curriculo, translatus est beatus Eadmundus Cantuariensis archiepiscopus & confessor, apud Pontiniacum in Ecclesia conuentuali monachorum Cisterciensis ordinis solenniter, in Christianissimi regis Franciæ, Ludouici & innumerabilium magnatum, tam prælatorum quam aliorum, præsentia. De cuius sanctitate cũ constaret omnibus certissime quod integer inueniretur: inter omnes sui sexus, eminentissima assistebat obsequiis illius, prout potuit & decuit, domina Blanchia mater domini regis Franciæ. Quæ faciens vigiliam cum ieiunio & oratione, & lũmine non minimo, orando deuotissime replicauit dicens: Domine pater sanctissime confessor Eadmunde, qui mihi supplicãti benedixisti & filiis meis, quãdo viuus exulãs, per me indignã vestri gratia transitũ fecisti in Francia: Peto confirma quod mitialiter operatus es in nobis: & confirma regnum Franciæ in soliditate pacifica & triumphali. Cuius libertas est ab antiquo, omni exulanti & persecutionem patienti, & prælato maxime, sinũ pandere pietatis, ꝓtectionis, & asyli. Hoc recolat sanctitas tua non ingrata, tibi hæc & tuo Thomæ fecisse, ꝓfugo & egenti.

Eiusdem materia prosecutio.

Die vero crastina, videlicet. 7. Idus Iunii, quo translatum est corpus beatissimi Episcopi & confessoris Vlstani, amici glorioſi regis & confessoris Eadwardi, apud Wigorniã (quod factum arbitror diuino nutu) translatum est apud Pontiniacum corpus beati Eadmundi archipræsulis & confessoris, annis quibusdam reuolutis. Sciendum quoq; est immo toti mundo prædicandum, quod corpus totum eiusdem sancti Eadmundi integrum inuentum est & incorruptum, & odoriferum, & (quod mirabilius est in mortuo) cum omnibus membris flexibile, sicut solet esse in dormiente: naso tantum passo iniuriam, qui lamina nimis demissa compressus est, non tamen consumptus. Capilli eius & vestimentũ inuiolatum colore & substantia. Et ex tũc prouisum est hoc primitus benignissimo domino rege Francorum procurante, quod concessa fuit licentia Anglis liberius omnibus aliis, alterius nationis, corpus ipsum adire, & videndo orandoq; venerari.

De alteratione moneta secundum sui formam.

Temporibus sub eisdem, moneta esterlingorum, propter sui materiam desiderabilẽ, detestabili circumcisione cœpit deteriorari & corrumpi per illos falsarios monetarum, quos tonsores appellamus: adeo vt vix interiori circulo nummi parcendo, limbum literatum totaliter asportarent. Cum igitur cœpisset supra modum numisma vitiari, cœpit domini regis consilium de remedio tractatum habere diligentem, vt videlicet moneta in forma vel materia salubriter mutaretur. Visum quoque est multis discretis & circumspectis, quod vtilius foret materiam mutare, quam formam alterare: cum ratione materiæ, nõ formæ, talem incurrisset moneta mutilationem. Cui rationi Francorum numisma & multorum aliorum principum perhibet testimonium & exemplum.

De extorsione pecuniæ per archiepiscopum Cantuariensem.

Temporibus quoque sub eisdem Bonifacius Cantuariensis archiepiscopus, Episcopus Cantuariensis prouinciæ. & cæt. *Reliqua quære in historia Matthei Paris.*

Gulihelmus Comes Holandiæ electus est in regem Alemanniæ.

Sub illius anni profluuio, in crastino videlicet Assumptionis, magnates Alemanniæ ad quos ius spectat electionis pro maiori parte, elegerunt sibi in regem Alemanniæ Gulihelmum Comitem Holandiæ: hoc procurantibus cum summa diligentia, domino papa, & archiepiscopo Colonienſi, & legato, & aliis æmulis Frederici.

De sanguine Christi apud VVestmonasterium allato.

Circa illos dies sanguis Christi, qui in Terra sancta habebatur thesaurus preciosissimus, datus & missus est domino regi Anglorum per quendam fratrem hospitalis: qui cum eodẽ thesauro literas detulit testimoniales de ipsius thesauri certitudine, omni acceptione dignissimas, à domino Patriarcha Hierosolymitano, & à magistris militiæ Templi & Hospitalis, qui omnes vnanimi voluntate & prompta deuotione domino regi ipsum thesaurum donantes contulerunt & præsentarunt: & ipse speciali domui suæ, Ecclesiæ sancti Petri Westmonasterii, die scilicet translationis sancti Eadwardi, ipsum dedit ex sui sibi innata regia magnificentia ac liberalitate. Impetrauit quoque ab Episcopis, qui tunc præsentes extiterant, eadem die, indulgentiam sex annorum, & centum ac 16. dierum omnibus sanctas reliquias venerantibus & præsentiam adeuntibus. Eademque die dominus rex Gulihelmum de Valentia fratrem suum vterinum, cum quam plurimis aliis tyronibus, balteo cinxit militari. Eodem tempore dominus Silvester regis clericus, vir quidem modestus & discretus, & consuetudinũ curialium, quæ in cancellaria regia exercentur, peritissimus,

mus, die ſanctæ Agathæ in epiſcopum Carleolenſem conſecratur. Die vero ſancti Eadwardi venit Comes Legeceſtre de partibus tranſmarinis. Die vero apoſtolorum Simonis & Iudæ, rediit Comes Richardus de eiſdem partibus, qui ob regia negotia & ardua ſcilicet arcana illuc deſtinabatur. Diebus itaque ſub eiſdem, magiſter Thomas, cognomẽto Walenſis, Lincolnienſis eccleſiæ archidiaconus, electus eſt in epiſcopum Meneuenſem. Die vero ſanctorum, Fœlicis, Symplicii, & Fauſti, & Beatricis, qui eſt dies ſancti Olani regis & martyris, inunctus & coronatus eſt in regem princeps Norwegiæ Haco, vir quidem prudens & circumſpectus, & eleganter literatus. Obierunt autem eodem anno, die beatæ Catharinæ, Gulihelmus Comes de Ferrariis, vir bonus, & plenus dierum: & cito poſt, vxor eius Comitiſſa. M. Obierunt quoq; eodem die alii nobiles, Richardus de Burgo, & Gulihelmus filius Hamonis. Tranſiit igitur annus ille, vberrimus in frugibus, ſterilis in fructib. Angliæ prædatiuus, Terræ ſanctæ inimicus, eccleſiæ ſpoliator, Italiæ cruentus, imperio ſuſpectus, Alemanniæ Martius, Wallię conculcator, & toti mundo turbulentus.

Beatrix mater reginæ venit in Angliam: obiit epiſcopus Bathonienſis.

ANNO gratiæ. 1248. qui eſt annus Dñi. Henrici regis. 32. fuit dominus rex ad Natale domini apud Wintoniam, vbi dies natalitios, Comitantibus multis magnatibus, magnifice celebrauit. In craſtino autem, videlicet die ſancti Stephani, prandebat cum ipſius ciuitatis epiſcopo. W. Eodem tempore Richardus Siward (de quo multa prædicta ſunt) morbo percuſſus eſt paralytico. Eodemq; tempore Beatrix mater reginæ venit in Angliã, dominum regem & filias ſuas viſitatura, Comitante Thoma de Sabaudia, quondam Comite Flandriæ. Tempore quoq; ſub eodem, videlicet circa feſtum ſancti Hilarii, obiit Robertus epiſcopus Bathonenſis. Sub illius autem anni initialis curriculo, in octauis videlicet Purificationis, edicto regio conuocata eſt totius Angliæ nobilitas, vt de regni negociis nimis perturbati & depauperati diligenter contractarent apud Weſtmonaſterium. Aduenerunt igitur illuc, excepta baronum & militum, necnon & abbatum, & Priorum, & clericorum multitudine copioſa, duo epiſcopi cum totidem Comitibus. Et cum poſtulaſſet dominus rex auxilium pecuniare, indignati ſunt magnates vehemẽter: præſertim quia in vltima tali exactione, cui nobiles Angliç vix conſenſerunt, confecit chartam ſuam quod amplius eis talem non faceret iniuriam & grauimen. Reprehenſus eſt inſuper ſuper indiſcreta alienigenarum vocatione: quibus omnia bona regni, in ſui depauperationem, prodigaliter diſtribuit & diſperſit: nobiles quoq; regni ſui ignotis ignobilibuſque maritauit, multoties conſenſu mutuo, qui ſolet debitũ matrimonium complere, irrequiſito. Culpatus eſt inſuper, quod quicquid in eſculentis, potibus & robis expendit, rapit violenter, ſine pactione prompta, vel indilata. Redargutus eſt inſuper quod epiſcopatus, & abbatias, & etiam gardas vacantes immiſericorditer depauperat, contra iuramentum ſuum, quod eſt primum & præcipuum in coronatione ſua. Calumniatur itaq; grauiter, eo quod ſicut magnifici patres & prædeceſſores ſui, ſcilicet reges Angliæ habuerunt, iuſticiarium nec cancellarium habet, nec theſaurarium per commune concilium regni, prout deceret & expediret: ſed tales qui ſuam qualemcunq;, dummodo ſibi ipſis quæſtuoſam, ſequuntur voluntatem: nec qui reipublicæ ſed ſingularem quærunt promotionem. Hæc cum audiſſet dominus rex, confuſus erubuit, & erubeſcens doluit, ſe in tot Deum & homines offendiſſe. Promiſit igitur humiliter, certiſſime ſe hæc omnia gratanter emendaturum. Et cũ demiſſiori vultu & precibus crebrioribus adhuc inclinare attentaſſet voluntati ſuæ, videlicet de auxilio pecuniari ſibi concedendo, non acquieuit vniuerſitas, multoties ſic deluſa: ſed vnanimi conſenſu reſponderunt: emendationem ſitienter deſideramus, expectabimus adhuc patienter: & prout ſe geret dominus rex, & ſe habebit verſus nos, & nos eidem ſecundum ſua merita reſpondebimus. Poſita ſunt igitur omnia hæc in reſpectum vſq; ad quindenã natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ: infra quẽ terminum ſperebant magnates regem emolliri poſſe, & cor ſuum ſalubribus conſiliis inclinari. Et hoc ſalubriter factum eſſet (vt dicitur) niſi ſuorum conſiliatiorum, qui formidabant ſuum exinde expirare dominium, ſibilis eneruaretur. Fortuna igitur mundanis euentib. dum ſic illuderet, Parmenſes, qui miſerabili obſidione vndique opprimebantur concione facta, ſeſe Deo & beato Rogerio epiſcopo London. (quem enormiter, vt dictum eſt, offenderant) feliciter humiliauerunt. Vna igitur die ciues audientes, quod obſeſſor eorũ & oppreſſor continuus & proteruus, Fredericus, propter quippiã negocii ſeſe abſentauerat, relinquens Thadæo, iudici ſui palatii, cuſtodiã exercitus ſui & theſauri imperialis, & alii ſuis principibus in obſidione commorantibus: inuocato de ſupernis auxilio, in exercitum Frederici audacter exeuntes, repentinumq; impetum facientes, ad votũ triumpharunt. Cuius rei ſeriem, hæc epiſtola ſcire volenti plenius dilucidabit.

Litera

Literæ ſuper præmiſſis.

Strenuis & prudentibus viris, domino Bonifacio de Sal. poteſtati, militibus, & populo Mediolanenſi, Philippus vicedominus, poteſtas, milites, & populus Parmēſis, ſalutē, cum gloria, & honore. Laudes retribuimus Deo Patri, Filioq; ſuo Ieſu Chriſto, & Spiritui Sancto, trino Deo & vni maieſtati, & virgini glorioſæ, qui non propter noſtrorum exigentiam meritorum, ſed propter ſuam clementiſſimam pietatem, ciuitatem noſtram protegit, defendit, viſitat, & gubernat: quod manifeſte conſpicimus in victoria triumphali, quam die Martis, duodecimo Februarii exeuntis, contulit nobis Deus, genitricis ſuæ interuentu. Quamuis enim mille quingenti de noſtris iuiſſent inter Coluirum & Berſillū, & præterea duæ portæ in integrum, & ille ſæuiens draco, qui per tantum temporis obſederat terram noſtram, nos omnino crederet deglutire, iam extra ſua mœnia cunctis militum & peditum ſuorum agminibus ordinatis, & ſuis fidelibus commiſſis, & ipſo parum remoto: nos, inuocato Dei auxilio & virginis glorioſæ, cernentes quod potens eſt Deus deponere ſuperbos, & humiles exaltare, protinus exiuimus contra ipſos, populus & milites vniuerſi, nequaquā veſtigia noſtra retardantes, quoad hucuſq; dimicantes iunximus nos cum eiſdem. præcedente vexillo cum forma virginis precioſæ, cuius regebamur ſemita & ducatu. & quamuis duriter à principio reſtitiſſent, nos tamen inualeſcentes, durius in eoſdem confregimus, & proſtrauimus omnes ipſos, & contriuimus vniuerſos. Et cum hoc audiſſet impius Fredericus, & cogitaret ſuis ſuccurrere, formidauit nobis occurrere. Et deſcendens per ſubterfugia tanquam latro, dimiſit ſuos & ſpolia ſua prorſus vniuerſa. Ex quibus tria millia cepimus & plures. Cepimus quoque carochium Cremonenſium. Cepimus etiam mœnia quæ fecerat, & omnia caſtra ſua: & habemus omnia quæ habuerat. Interfecimus quoq; Thadæum iudicem ſuum, cubicularios & camerarios ſuos. Noſtros quoq; bannizatos de ſuis militibus & populo interfecimus vltra mille quingentos, præter ſubuerſos equorum pedibus & ruina, quos præ multitudine deſcribere non potuimus: alios autem de ſuis fugauimus vſquequaq;. Tandem in ciuitatem regreſſi, cū Dei laudibus & honore, noſtræ diſpoſuimus negotia ciuitatis, confidentes in illo qui eſt vera ſalus omnium. Contritis enim amodo brachiis impiorum, amodo nos & noſtri pace perpetua potiemur. Et hæc vobis ad gaudium intimamus, magnificentiam veſtram deſcentes, quatenus omnes vniuerſaliter in noſtrum auxilium, mora ſublata qualibet, cū carochio noſtro accedatis. Quoniam cum Deus aperuerit nobis viam, procedere volumus per eam feſtinanter, vt recuperemus Burgum ſancti Dominici, & Bercillum & alias terras noſtras: capientes inſuper nauigium Cremonenſium, inimicos & noſtros & veſtros, deleamus eos de libro viuentium. Tollite moras omnes, viri prudentiſſimi, vt conſtantes: quia poſt Deum & beatam Mariam virginem, triumphi noſtri vos authores & participes reputamus. Sciatis quod combuſta terra maledidicti Frederici, habemus omnes, quos de noſtris & Placentinis in vinculis detinebat. Valete. Nunciate hæc amicis noſtris & veſtris: vt gaudium noſtrum, quod eſt plenum, omnibus pateat amicis noſtris. Diebus quoq; ſub eiſdem, moneta Angliæ per deteſtabiles tonſores & falſarios adeo intolerabiliter eſt corrupta (ſicut prætactum eſt) quod eam nec indigenæ, nec etiam alienigenæ oculo recto, vel illæſo corde poterant amplius intueri. Prouiſum eſt igitur, non alterato legali pōdere, vel literata ſupraſcriptione, crucis brachia in altera parte denarii vſque ad limbum eius duplicia extenderentur, vt quadrifariam diuidi poſſet competenter hoc modo. Anno quoque ſub eodem, Walterus cognomento Mauclerc, quondam epiſcopus Carleolenſis, ſed imminentibus diebus decrepitæ ſenectutis, aſſumpto habitu fratrum Prædicatorum, vt pauper moreretur, debita naturæ laudabiliter perſoluit. Sanæ enim trutina rationis ponderabat, quod potius per dominum regem, quam morum & ſcientiæ conſiderationem, in epiſcopatum ſeculariter, & irreligioſe in apicem promotus eſt pontificalem. Hic eſt ille, quem frequenter Fortuna ſubleuauit, vt fortius alliderет: qui ſe conſiliis regalibus arduis, quæ minime valuit vel voluit adimplere, incaute immiſcuit: qui matrimonia domino regi reprobanda, nunc in Pontino, nunc in Scotiæ partibus inconſultius procurauit. Huius quoque conſilio, poſtquam ad ordinem ſe contulit Prædicatorum, procuratum eſt, vt nouum & inauditum priuilegium in eorum ordine, à domino papa, forte pecunia interueniente, exorqueretur. Anno eodem, fratres Prædicatores impetrarunt à domino papa priuilegium, ne alicui fratrum liceret, ab eorum ordine ad alium tranſmigrare: (licet conſtet ordinem ſancti Benedicti arctiorem eſſe & excellentiorem, & tempore & authore maioris reuerentiæ & dignitatis, quam regulam ſancti Auguſtini, cui Prædicatores ſubiiciuntur.) Nec alicui etiam liceat abbati vel Priori ali-

quem talem fratrem ſuſcipere: (cum tamen ipſi transfugos monachos ſuſcipere dignoſcantur) Quod videtur eſſe diſſonum rationi, cum non liceat à rigidiori ad remiſſiorem deſcendendo tranſmigrare: necnon & huic præcepto naturali, prout recitat ſanctus Benedictus: quod tibi non vis fieri, alii ne facias. Cum autem multi moribus, ſcientia, & genere pollentes, & poſſeſſionibus amplis abundantes ad eorũ ordinem à ſeculo conuolarent: nec poſtea talem formam religionis, qualem ſe inueniſſe ſperabant, reperierunt: ſed, pro clauſtro, totius regionis circumiacentis latitudinem, præſertim cum in principio regulæ ſuæ reprobet ſanctus memoratus. B. id genus monachorum quod Girinagum dicitur, cœperunt dolere & pœnitere quod ad talem ordinem pertranſirent, & ſubterfugia caute quærere ſatagebant: vnde cæteri ſe dolentes derelinqui, qui inter eos maiores eſſe cenſebantur, remedium procurarunt memoratum. Epiſcopus autem ſępedictus, ne cognominis ſui ſiniſtra ſignificatio infauſtum effectum conſequeretur, Prædicatorum habitu præmunitus, fine laudabili meruit fœliciter terminari. Obierunt quoq; eodem anno duo fratres de eodem ordine, quibus maiores non erant, immo nec pares, vt creditur, in finibus Chriſtianorum, in eruditione ſcientiæ, præcipue theologiæ, videlicet frater & magiſter Robertus cognomẽto Bacun, & Richardus de Fishakele: qui egregie plurimis annis in eadem facultate clero legerunt, atq; populo prædicarunt. Sub eodem quoque annali cutriculo obiit magiſter Simon de Langtona, frater præclarę memoriæ Stephani Cantuar. archiepiſcopi, eiuſdem eccleſiæ archidiaconus, qui fratriſſare negligens, ſi eccleſię ſuæ perſecutor & perturbator extitiſſet non eſt mirandum: quinimo regna Francorum & Anglorum, & eorundem regnorum corda & ſtatus non mediocriter commouit & damnoſe perturbauit, ſicut ſuo loco plenius enodatur. Eodẽ anno obiit magiſter Ioannes Blundus Eboracenſis eccleſiæ cancellarius, inter theologos qui nulli quandoq; ſecundus habebatur, qui cum ſcientia & moribus immineret eligebatur quondã in archiepiſc. Cantuarienſem, ſed per memoratũ M. Simonẽ (quietis neſciũ) caſſatus eſt, & immerito reprobatus, perturbator igitur & perturbatus ad turbas ſimul perrexerunt defunctorũ. Eodem quoq; anno Kal. Iunii, Luna ſtatim poſt ſolis occaſum paſſa eſt eclipſim fere generalem, deueniente autem quindena natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ conuenit London. totius Angliæ ferme nobilitas, credens firmiter ex certa domini regis promiſſione, vt mutata priſtina voluntate & conſilio, naturalium ſuorum ſe conſiliis inclinaret, cui, ab ipſo reſponſio taliter deriuatur. Non videtur mihi quod veſtrũ ſit mihi imponere conditionem, dum'q; licet vnicuiq; veſtrũ, mihi denegaſtis. Porro licet cuiq; & cuilibet, quolibet vti conſilio & cuilibet patrifamilias quẽcunq; de domo ſua ille voluerit, vel vlli officio poſtponere, præponere vel deponere, eleemoſynas erogare, mutuo quid accipere, & domum ſuam, ſuo vel cuius vult arbitrio gubernari, quod vtiq; domino ac regi veſtro temere præſumitis denegare. Quinimo domini ac principis nutu potius habent dirigi & voluntate ordinari, quicunq; cenſentur inferiores: non eſt enim ſeruus ſuper dominum, ſicut nec diſcipulus ſupra magiſtrum, quoniam papa nec iuſticiarium, nec cancellarium, nec theſaurarium vult ſubſtitutũ habere prout exigitis, vel ſi ſubſtituerentur amouerẽ. Et cũ reſpondentes aſſerebant magnates ſe nihil aliud velle, niſi promotionẽ regiam & publicã & ſuperfluitatem indiſcretã in eleemoſynarum profuſione, & nimia cereorum accẽſione caſtigari: nequaquã exaudiebãtur. Luce igitur clarius videbant hoc ab eorũ conſilio emanaſſe quorum ſi vniuerſitas exaudiretur dimidium exſufflaretur: reſpõderunt igitur magnates ſe nullo modo velle amplius depauperari, vt bonis eorum inutiliter diſtributis, forent alieni, ſaginati. Soluto igitur nõ ſine indignatione cõſilio vnuſquiſq; ad propria (ſpe fraudatus) remeauit. Cũ igitur neceſſe haberet dominus rex theſaurum habere (quia in breui miſſurus in Vaſconiã erat militarem expeditionem contra Gaſconem filium Comitiſſæ de Biarde ingratiſſimum proditorem qui domini regis terras vaſtauit) miſit ſigillatim preces efficaciſſimas viris religioſis, vt eidem theſauris deſtituto manum porrigerent largitatis, tempore opportuno gratam viciſſitudinem reportaturi. Quod ipſi animo libenti (licet vndiq; grauati) adimplere propenſius ſatagebant, vnde & ſi de aliis taceamus ab vno ſolo abbate videlicet Rameſeię centum libras reportauit. Præcepit præterea vaſa & vtenſilia & iocalia regni ſui vendi pro pondere, non habito reſpectu ad aurum quo fulgebant argentea, vel ad opus licet artificioſum & laborioſum, & quamuis materiam ſuperaſſet opus. Æquinoctio autem autumni temperiem gratam miniſtrante, dominus rex Francorum acceptis ſolenniter apud ſanctum Dionyſium & alia ſacra loca ſolenniis in regno ſuo, & voto firmato: iter arripuit Hieroſolymitanum, & per Lugdunum vbi papa morabatur tranſitum faciens, ipſum humiliter ac deuote ſalutans obnixius deprecabatur, vt ſaluo in omnibus honore eccle-

ecclesiastico Frederico iam bene humiliato,& veniam postulanti,gratiam concederet reconciliationis, & Christi in hoc cuius vicarius esse dignoscitur in terris vestigia sequeretur,paruæ pietatis sinum panderet pœnitẽti saltem, vt pateret via tutior peregrinanti: ad quod cum cerneret dominum papam vultum contradictionis protendentem, dominus rex tristis recessit,dicens: timeo ne cum recessero parentur regno meo propter inexecrabilem tui duritiam in proximo,hostiles insidiæ: tibi imputetur si Terræ sanctæ negocium (quod absit) impediatur: veruntamen Franciam non permittas infestari imo vt pupillam oculi procures custodiri, vt à qua status totius dependet Christianitatis. Ne igitur penitus peturbatus rex recideret: prouisum est vt ad dominũ regẽ Angliæ nuncius mitteretur spe-
10 cialis ac solennis, prohibens eũ ne aliquid de pertinenciis regno Fancorũ quomodolibet impeteret hostiliter aut infestaret: ad quod destinati sunt in continenti magister Albertus domini papæ notarius,& magister Paulus eiusdem domini papæ familiaris. Qui ad dominum regem Angliæ venerunt apud Windelissor in festo exaltationis sanctæ crucis,dominus autem rex Franciæ facta domino papæ morosa confessione, & obtentata omniũ peccatorum remissione,cum benedictione recedens à curia Romana,versus Marcilinam lo-
ra direxit, & vexilla, & cum Aduinioni appropinquaret, ciues ex antiquo odio scintillas adhuc accensas reseruantes: ipsi regi paratis insidiis quãtum poterant nocumenta machinabantur. Similiter nacta occasione parua ciues Marsiliæ & compatriotæ, impedimenta multa eidem malitiose procurabant: rex autem vix sedato tumultu,ad secam non cum
20 omnibus qui eũ sequebantur sed præelectis,nauem ascendit,versus Ciprum vela dirigens sinuosa, vt in ea veluti fertili & temperata quietius hyemaret. Et dum brumalis frigiditas algenti mundo durius immineret,arctabantur obsessi in ciuitate Aquisgrani vehementer: denegabatur enim illis vndiq; exitus & introitus,& omnium collatio victualium,solaque sustentabat eos vmbratilis Conradi consolatio. Cogebantur enim necessario se qualicũque conditione hostibus mancipare, & eorum arbitrio pertractari. Ciuitatem igitur iam captam victores lęti igne diruunt,& Gulihelmus Comes Holandiæ in regem Alemanniæ per manum Conradi archiepiscopi Colonienſis die omnium sanctorum solenniter coronatur. Conrado ad succursum obsessorum properanti, quidam magnates Alemãniæ filii ecclesię potenter restiterunt, vnde ille victus recessit & confusus. Eoque anno in ęstate ca-
30 pta est nobilis ciuitas Hispaniæ Sibylla,à victoriosissimo rege castelle. A. non sine multorũ Christianorum admiratione dicentiũ. Quid sibi vult istud? plus acquisiuit iste solus rex ad opus & honorem ecclesiæ Christi quam dominus papa ac omnes sui (cruce signati) à quibus abradit infinitam pecuniam,omnesq; templarii & hospitalarii,qui innumerabiles vndiq; à Christianitate vindemiant redditus & thesauros. & admiratæ sunt turbę dicentes, O altitudo diuitiarum &c. Post festum autem S. Michaelis, Walterus de Suthfeld episcopus Norwicensis transfretauit,de quo transitu idem episcopus,multos in Anglia suspectos reddidit & suspensos. Eodem tempore, misit dominus rex in Vasconiam Comitem Leicestriæ Simon,& cum eo copiosam militaris manus multitudinem, sed tamen ad alleuia-
tionem sumptuum ipsorum, eodem tempore exegit à ciuibus Londonienſibus, duo
40 millia librarum, quæ & ipsi domino suo & regi in articulo necessitatis constituto(licet grauati)concesserunt. Transiit igitur annus ille aere temperatus & serenus,horrea frugum replens abundantia, ita vt summa frumenti ad duorum descenderet precium solidorum. In pomeriorum vero fructibus quod pro mirabili habebatur per loca vberrima,per loca sterilia, vermibus, cucurbitinis vbiq; pestis se ingessit, omnia virentia in arbustis penitus demolientibus: fluxit quoq; annus iste Terræ sanctæ hostilis, Italiæ inimicus, Franciæ lugubris, Germaniæ exitialis, Sabaudię horribilis, curiæ Romanæ infamis, Anglię vero depdatiuus, multis quoq; argumẽtis termini mũdialis indicatiuus, ireq; diuinę cõminatorius.

Comes de Legeceſtria redit de VVaſconia, Roboratur Freth. De terræ motu.

ANNO gratiæ. 1249. qui est annus domini regis Henrici tertii, 30. fuit idem domi-
50 nus rex ad Natale domini Londini, videlicet ad speciale sibi domicilium Westmonasterium, vbi cum dapsili valde conuiuio vt solet dies transegit natalicios, cum multitudine nobilium copiosa, conuocauit tamen multo plures vt festo S. Eadwardi quem præcęteris sanctis præcordialius diligit & veneratur secum gaudenter interessent. Qui libenter aduenerunt tum propter sancti amorem & venerationem, tum pro Christi sanguinis reuerentia nuper vt prædictum est adepti, & venia peccatorum eidem concessa atque fidelibus obtinenda, tum pro domini regis ipsos vocantis authoritate. Erant autem iam præsentes qui aduocati sunt cum rege & regina Comites Richardus frater domini regis & Marescallus Rogerus, cum quatuor aliis Comitibus & episcopi totidem congregati.

Et dum apud Weſtmonaſterium dominus rex moraretur diebus videlicet nataliciis rediit Comes Legeceſtria à partibus Vaſconiæ, cum quibuſdam aliis magnatibus, militibus & ſeruientibus qui illuc deſtinati domino regi fideliter militarunt. Quorum aduentus ipſum regem & totam eius curiam nō mediocriter exhilarauit. Coëgerat enim dictus Comes quendam domini regis proditorem nequiſſimum videlicet Gaſconem filium Comitiſſę Brardiæ, qui in illis partibus multa damna fecerat, treugas inuitum accipere, & quendam alium publicum prædonem & incendiarium & inimicum domini regis cruentiſſimum, videlicet Gulihelmum Bretium, dictus Comes captū in turri regulæ vinculis mancipatum tradidit arctiſſime cuſtodiendum. Cum autē rota fortunalis talibus mundi mutaretur voluminibus, rumores inauditi ac terribiles Angliæ climata peruolarunt: qui videlicet vt euangelicæ minæ verificentur: quod erunt per loca terræ motus. Quædam villæ in partibus Sabaudiæ non procul à communi ſtrata quæ eſt per valles Moriani, circiter. 12. villę cum duabus domibus religioſorum à vicinis montibus ſeſe reuoluentibus & horribiliter corruentibus (cum ſuis incolis qui bene ad decem millia ſunt recenſiti) obrutæ perierunt. Diebus quoque ſub eiſdem epiſcopus Dunelmenſis. N. iam valetudinarius exemplo Carleolenſis, Waltero plenius informato, epiſcopatum ſuum ſponte reſignauit, vt ſibi liberius in orationibus & contemplationibus vacaret & pauperior moreretur. Veruntamen datis à domino papa prouiſoribus archiepiſcopo Eboracenſi & London. & Wigoren. epiſcopis: aſſignatum eſt eidem quædam maneria (Houerdon, Scocton) & de ipſo epiſcopatu, vt tanto viro ſtatus & honor pontificalis ſaluaretur. Feſto autem beati Eadwardi, quod de eiuſdem glorioſi regis & confeſſoris depoſitione celebratur, dominus rex, iuxta ſuam talem piam conſuetudinem, vigiliam, quæ diem præcedit (quæ vigilia eſt die tertia ante Epiphaniam domini) in ieiunio panis & aquæ & diligenti vigilia, & continuis orationibus, necnon in elemoſynarum tranſegit diſtribuitione. In die autem iuſſit miſſarū ſolennia in eccleſia Weſtmonaſterienſi, ſolenniter in holoſericis impreciabilibus, & cereorum multitudine, & conuentus ſonora modulatione mirifice adornata, ſereniſſime celebrari. Prȩcepit etiam voce prȩconia in publico acclamari, vt ſuſpenſis aliis nundinis & Londini mercaturis, ibi tenerentur nundinæ per quindenam duraturę. Diebus quoque ſub eiſdem, nobilis ciuitas Italię Vercell. cum partibus circumiacentibus ſeditionem ciuium, qui ſeſe odiò inteſtino perſequebantur, in Frederici ceſſit ditionem. Quę cum audiſſet dominus papa, doluit incōſolabiliter, & tota curia Romana. horribili igitur anathemate ſolēniter & frequenter innodauit omnes illos, qui in dicta ciuitate ſeditionē mouerant aut proditionem perpetrauerant, per quam ipſa à fidelitate eccleſię ſequeſtrabatur, vt cęteri ſimilia perpetrare formidarent. Et dum temporum iſtorum volumina prolaberentur, Fredericus, vt partem ſuam vndiq; aduerſariis vallatam roboraret, per matrimonium ſeſe filiumq; ſuum Conradum, qui filiam Ducis Bauarię deſponſauit, prudenter ſtuduit cōmunire, & fœdere matrimoniali multis magnatibus indiſſolubili amicitia copulari. filiam namq; ſuam eiſdem diebus nuptui dedit Thomæ de Sabaudia, quandoq; Comiti Flandriæ, cuſtodiamq; Vercell. & partium adiacentium commiſit, & multas terras contulit & redditus opulentos, vt ſic ſibi totum genus ſuum redderet gratum & in viciſſitudine opportuna firmius obligatum. Quadrageſimali autem tempore iam propius imminente dominus rex partes adiit Wintonienſes, latronum & veſpilionum repletione non mediocriter infames, vbi paulo ante iuſticiarii extiterant itinerantes, qui mundaſſe debuerāt omnes partes illas à peſte prȩnotata: ſed ita cōfœderati erant fures memorati quod iidem iuſticiarii licet diligētes, maliciam eorum nequaquam poterant decurtare, nec ceſſabant deprædationes violentes ac manifeſtæ, reſonabantque aſcendentes clamores & querelæ, & vt iniuriæ intolerabilius multiplicarentur', vina domini regis prædationi latronum deridentium patuerunt. Commotus eſt dominus rex vſq; ad ſpiritus amaritudinem, nec immerito, nec poterat amplius vltionem diſſimulare. Facto igitur ſubtili ſcrutinio, & arguta inquiſitione (quia ſic oportuit fieri vt multiformium proditorū ars artem falleret) præcepit dominus rex coram ipſo, in aula Chriſti Wintoniæ, ſubito conuocari. 12. viros, per quos certius credebat de rei veritate edoceri, & cōminatus eſt eis terribiliter, ſub pœna ſuſpendii. vt nomina exprimerent malefactorum quos ſciebant. At ipſi ſemoti longum ſuper hoc tractatum habentes: nulla voluerunt ratione latronum cœtus depalliare. Prȩcepit igitur dominus rex iratus valde, clauſis Caſtri ianuis, ipſos comprehenſos continuo incarcerari, & tanquam reos ſuſpendii, vinculis & compedibus coarctari. Et ſtatim aduocatis aliis. 12. fecit diligēter inquiri ab ipſis, & eos exhortat' eſt admixtis minis terribilib. vt ipſi nō conſequētes priorū veſtigia, nomina malefactorū domino regi, (cuius intētio ſumma fuit

ma fuit patriam mundare) expresse reuelarent, qui sepositi, & diffusum tractatum super his habentes cœperunt vehementer formidare, ne & ipsi eadem qua primi. 12. calamitate inuoluerentur. Omnes igitur illius patrię malefactores, qui partes illas furto macularũt, expresse nominando notauerunt, & notatos accusarũt: comprehensi sunt igitur rei quamplures, tam de ciuitate quam de partibus finitimis, præcipue tamen de Comitatu Sutthamtoniæ, circiter 70. ad minus, quorum quidam potentes fuerant & abundantes, quibus dominus rex confidenter commiserat patriam illam à furibus arcendis custodiendam. Quidam autem adeo nobiles habebãtur, vt pares militibus reputarentur, & eorũ terra ad precium 40. vel 50. vel 24. librarum recenseretur. Quidam autem de familia domini infames, accusati, sunt conuicti, & ad mortẽ suspendii adiudicati. Sicq; consummatũ est in hac parte negociũ, vt accusantib. his alios, & aliis hos, plusquã 20. suspendio perierũt, præter incceratos, quorũ sub incerto periculum dependebat: & ita sic volẽte Deo, Domino vltionum, patria Winton. per quam crebro tum propter nundinas tum propter portũ ciuitati propinquum, tum propter ciuitatis celebrem frequentiam institores tam vltramarini quam cismarini transierunt: à latronum retiaculis, quibus abundauit, per Dei vltionẽ & domini regis cautelam liberata est.

Cernis completas hic nostro tempore metas,
Si plus forte petas tibi postea nuncies ætas.

Tempore quoq; sub eodẽ, die Omniũ Sanctorũ, cum magno honore intronizatus est Bonifacius Cantuar. archiepiscopus, conuocatis ad tantã solennitatẽ rege & regina, & omnibus fere Angliæ prælatis. Circa idem tempus conuenerunt abbates nigri ordinis apud Bermundesheie, die. S. Calixti. De communi consilio prouisum est inter cætera, quod dominus rex ab ipsis omnibus impetrauit, vt pro ipso & regina dicatur quotidie in missa quæ in veneratione beatæ viginis canitur in eorum ecclesiis, Collecta celebris videlicet. Deus in cuius manu. Eodẽ tempore fratres Prædicatores quandam attulerunt petrã albi marmoris, quæ à tempore Christi in Terra sancta vestigium Saluatoris protendebat. Ipsam impressionem asserunt incolæ Terræ sanctæ fuisse Christi vestigium in cœlum ascensuri. Dominus autem rex idem ecclesiæ contulit Westmonasterienſi, sicut nuper sanguinem Christi nobile donatiuum. Prima autem dominica Aduentus domini Walterus de Kirkeham electum Dunelmensis, consecratus est apud Eboracum ab episcopo Eboracensi. W. cuius idem episcopus est suffraganeus. Eodem anno abbas de Bello loco ecclesiam suam, quam videlicet rex Iohannes à fundamentis construxerat, præsentibus rege. H. & Richardo fratre suo, & multis aliis magnatibus necnon prælatis, solenniter valdè fecit dedicari. Abbas insuper memoratus. 20. monachos electos & 30. fratres transmisit ad inhabitandum nouam domum Cistercienſis ordinis, quam Richardus Comes non procul à Winchelcumba nuper fundauerat, votum quod in mare fecerat complendo. Sub eiusdem anni circulo, quinto Nonas Iulii, obiit Alexander rex Scotorum, vir sapiens & modestus, iram enim voluntariam, quęrens sæuiendi occasionem, exacuit in quendam de nobilioribus regni sui, nomine Oenum de Argathel, strenuum militem & elegãtissimum. Et dum proponeret ipsum exheredare, imposuit ei notam proditionis, quia anno proximo præterito homagium fecerat regi Norwegiæ, pro tenemento cuiusdam insulæ, quam pater eiusdem Oeni ab eodẽ rege tenuerat pro homagio suo in pace multis annis. Oenus igitur nolens offendere regem Scotorum, supplicauit ei vt cõcederet ei inducias vt homagium suum simul cum insula memorata regi Norwegiæ resignaret, quod denegans idem rex, ipsum Oenum vsq; prope Argathel diffidatum nauigando hostiliter insequebatur, stimulatus vt dicitur importunis instigationibus cuiusdam episcopi de Strathenne, fratris videlicet de ordine Prædicatorum. Rex igitur exiens de naui antequam equum valeret ascendere, quasi vltione, morbo subito & lethali percussus est, & volens innocentem exheredare, inter manus magnatum suorum ex improuiso, cum ipsa ambitione virę, spiritum exhalauit. Anno quoq; sub eodem Hugo cognomento le Brun, Comes de Marchia, cum rex Frãcorum apud Damiatam applicuisset, rebus humanis exemptus est, qui idcirco minus meruit deplorari, quia priuigno suo, regi Anglorum, in ipsum confitentem, proditionis laqueos in Pictauia prępparauit. Eodem anno circa Pentecosten, obiit quidã de nobilioribus baronibus Borealibus Rogerius, filius Iohannis, puerum relinquens heredem: cuius custodiam rex contulit Gulihelmo de Valentia. Fluxit igitur annus illeminus frugifer, tamẽ abundanter: sed in fine æstatis messes ablatæ speciem mentitæ & humani generis prouocationem suffocabantur. Annus Romanæ curiæ infamis, Franciæ & Angliæ turbulentus.

Depar-

De partu domina Senchia, vxoris Richardi Comitis Cornubie. & cæt.

ANNO gratiæ. 1250. qui est annus domini regis Henrici Tertii, 34. fuit idem rex apud Wintoniam ad Natale domini, vbi festa natalicia, vt moris est, magnifice cœlebrauit. Eodem quoq; tẽpore infra Natalicios Comitissa Cornubiæ Senchia, vxor Comitis Richardi, peperit ei filium apud Berkhamstede, ad quem baptizandum Comes vocauit archiepiscopum Cantuar. infantis auunculũ, & vocatum est nomen eius Eadmundus, ob honorem beati Eadmundi Cantuariæ archiepiscopi & confessoris. Tempore quoque sub eodem transfretarunt multi nobiles de regno Angliæ, nec patuit causa alicui de populo, videlicet Comes Richardus. Comes Glouer, Hen. de Hastingo, Rogerus de Turkeby, & multi alii nobiles cum illis. Præterea de prælatis. Lincoln. London. Wigorn. Episcopi, & cum illis de Episcopatu Lincoln. Oxon. & Bedford. archidiaconi, & alii. Comes vero Richardus cum maximo apparatu & comitatus fastigio, per regnum Franciæ transiuit 40. militibus de nouo vestitis. Robis consimilibus, & in armis delicioſis auro micante receptis phaleratis, & multis bigis, & 50. summariis & familia numerosa, cõcomitãte Comitissa vxore sua, & Henrico primogenito suo, ita vt Francis admirantibus, tam mirabile quam honorabile spectaculũ præberet intuentibus. Suo aduentui honorabili domina Blanchia cum summa occurrit reuerẽtia, applaudens & munera offerens preciosa, tanquã consanguinea cõsanguineo, imo potius velut mater filio singulari. Causa autẽ solius Episcopi Lincolniæ, quare trãsfretauit patuit vniuersis, videlicet vt eos quos vocaret ad curiam Romanam, qui ꝓpter inaudita eis inferenda grauamina & cõminata, ad sedem apostolicam appellauerunt, sc. exempti, Templarii, Hospitalarii, & alii multi: qui postea à domino papa, pecunia interueniente, caute sibi pacem redemerunt, secundũ id ethnici iudicis cõsilium: auxilium sub iniqua lege rogato. Et sic Epis. proposito suo frustratus, confusus ad propria remeauit. Comes Richardus cum maxima gloria & honore transfretauit & comitante H. filio suo primogenito & familia multa nimis regaliter in equis phaleratis, & rarissimis vestimentis adornata, Franciam pertrãsiens Lugdunũ peruenit, vbi tunc papa morabatur. Et venienti omnes fere Cardinales reuerenter occurrerunt, Episcopus autẽ Lincoln. iam illuc aduenerat: qui, cum multi sese versus papã vt pacẽ haberent redemissent: querulus papã redarguit, dicens. Domine credidi auxiliante præcepto vestro omnes de quibus conquestus sum castigasse, & ab eorũ errore potenter reuocasse, & ecce nouissimus error factus est peior priore. Omnes. n. se redimunt, & panditis sinum omnibus præmia offerẽtib. vnde eneruatur authoritas mea, & propositum irritatur. Cui papa, frater liberasti animam tuã. Quid ad te, de gratia mea fecimus eis gratiã. Nunquid oculus tuus nequã est quia ego bonus sum? Et sic recessit Episc. à suo proposito fraudatus, aliis tamẽ nimiũ vexatis propter hoc, atq; damnificatis. Tempore sub eodẽ deuicto & affligato Gulihelmo de Holãdia, rege Alemanniæ, licet eũ papa multũ ditauerat. Fredericus in multos sibi rebelles desęuit triũphando, & ad tẽpus multos conterendo peremit, secundũ id, ante ruinam exaltabitur cor. Tẽpore sub eodem, cum venisset Comes Richardus Lugdunũ, vt prædictum est, papa ipsum cum summo honore susceꝑit, supplicans vt cum eo pranderet, & refecti sunt in vna mensa papa & Comes Richardus collateraliter. Hoc autẽ factũ est ante dies Rogationũ. Et eodem die cum Soldanus Babyloniæ optimã pacem obtulisset, sed Francorum superbia ad pacem oblatam minime potuit inclinari, cõmissum est prælium infœlicissimũ inter Christianos & Sarracenos, & captus est rex Francorum ab infidelibus, quod nunquã antea contigit. Et se reddiderunt Sarracenis multi nobiles Francorum sine conflictu vel vulnere, tanquam maledicti à domino, & capti multi vltro apostatarunt in ignominiã fidei Christianæ, & totius vniuersalis Ecclesiæ opprobriũ sempiternũ. Et fugit frater regis, Comes Atrabatensis, & submersus periit in quodã flumine, & dissipatus est totus Christianorum exercitus & confusus. Gulihel. vero Longa spata pugnauit vsq; ad mortẽ, & alii quã plures nobiles, natione Angli, exẽplo Gulihelmi prouocati, & in domino fideliter animati videlicet Rober. de Vair, & alii: quorũ nomina in librovitæ indelebiliter annotãtur. Quod autẽ æterna dignũ arbitror memoria. Videbatur in nocte præcedenti matri suæ abbatissæ de Lacoc, quõdã Comitissæ Sarũ: q; dictus Gulih. aperto cœlo eleuatus est totaliter armatus, cuius armaturã bene nouit, & angelis eũ gaudenter susciꝑientib. intrauit, quo intrãte dixisse videbatur mater, quis est hic? respõsum est ei, nõne cognoscis filiũ tuũ Gulihelmũ & eius armaturã: & mater, cognosco vtiq;. Ille est quẽ tu mater contẽplaris. Abbatissa vero materna sedulitate tẽpus notauit & visionẽ, elapso autẽ dimidio anno sequente, cũ omnes qui casum sciebant & diu celabant ne mater pro filii funere plus æquo doleret, tandem

proru-

proruperunt in hęc verba: domina non expedit diutius celare casum qui accidit filio tuo Gulihelmo & addentes qua die infausta prælians contra infideles pro Christo martyr detruncatur. At illa comperiens diem & visionē memoratam rei gestæ respondere, eleuatis manibus gratias egit Deo vultu alacri, dicens. Gratias refero tibi ego ancilla tua Domine, quod de carne mea peccatrici talem nasci præcepisti tuorum hostium expugnatorē. Archiepiscopus Cantuar. Bonifacius, causa vitandi episcopum Lond. & religiosos in eadem ciuitate, tam contra episcopum quam contra viros religiosos ciuitatis similiter & contra quosdam alios, licet æquitatis ductus ratione, tanta dicitur austeritate processisse, vt ipsis instanter resistentibus, multi eum præcollaudantes, de eius tunc mirarētur feritate. Tandem post multas hinc inde expensarum effusiones, & laborum diuersas vexationes, determinatum est vt suam archiepiscopus (secundum ius commune) rationabilius & tolerabilius exerceret iurisdictionem, & sic visitationem prosequeretur, sub diffinita modificatione, & mota cessauit tempestas. Diebus sub eisdem videlicet circa festum natiuitatis S. Iohan. Baptist. communi vocatione congregati sunt de vniuersis terris totius Christianitatis, etiam de Terra sancta fratres de ordine Prædicatorum apud domum eorum de Holborne, quæ est Londini, vt ibidem de statu ordinis, sui, & eorum officio diligenter inuocata Spiritus Sancti gratia contractarent, & si corrigēda cernerent reformarent. Et quia proprias non habebant facultates, magnates & prelati de partibus vicinis, ex mera liberalitate sua, eis per aliquot dies victualia inuenerunt. Rex autē prima die capituli accessit illuc personaliter, orationum suffragia petiturus ab eisdem, Procuransq; eos, pauit vt decuit regaliter. Sequēte die regina, deinde episcopus Londinensis, postea Dn. Ioannes Mansel, cōsequenter alii, vtpote abbas de Waltham, & ciues London. vt ipsi literatorie supplicauerant. Erant autē fratres. 400. & amplius. Eodem tempore, cōmissum est sigillum regni magistro Gulihelmo de Kilkenni, viro prudenti & circumspecto, ac iuris perito. Eisdem tēporibus, quidā miles, quondā socius, & eiusdē in officium custodiæ forestarū successor, nomine Galfridus de Langleia, Boreales partes peragrās, & de forestarum & venationum transgressionibus perscrutans, quoscunq; poterat irretire, tam grauiter mulctauit, pecuniā extorquendo, vt quantitas thesauri ad opus regis collecti in auditorum cordibus stuporem generaret. Die vero S. Kenelmi peruenerunt rumores de captione regis Franciæ, & totius exercitus Christiani confusione, quibus rumoribus nunquā, præcipue in Francia, auditi sunt flebiliores ad noticiam catholicorū, vnde tota Christianitas mœrore tabuit & dolore. Eodem anno, mense Octobri, Luna existente prima, die mensis primo cœpit mare densa caligine perturbari & perturbatum solitos fines pertrāsire, occupansq; partes littoris, quas nunquā se meminit aliquis prœuidisse, damna finitimis maxima irrogauit. Anno quoq; sub eodem, die videlicet S. Luciæ, circa horam tertiā, factus est terræ motus in Anglia, & quod in illa terra euenit maxime cōstat admirandū, nec est hoc visum tēpore cuius nō extat memoria. Ipsa enim patria solida est, ac petrosa & minime cauernosa, factus insuper fuit cum ipso tetræmotu, tanquā terribilis tonitruus & mugitus subterraneus, quæ dicebantur vel futurā pestem non minimā, vel regnorum mutationem, vel mortem famosi principis præsagire. Obiit igitur eodem anno & die maximus principum mundi stupor, Imperator Fredericus, obiitq; eodem anno, episcopus Winton. Gulih. de Rale in partibus transmarinis, videlicet apud Turon. vbi circiter. 12. menses * moram continuerat, monachi autē Wintō, ad instantiā domini regis, elegerūt sibi Ælmarū fratrē suū vterinū, in suarū animarū pastorē. Obiit insuper episcopus Roffensis circa festū S. Michaelis, & quia sanctus habebatur, procurāte rege, sepultū est corpus eius apud Westmon. Eodē anno 4. Kal. Iun. obiit Robertus de Lexintona Dn. regis clericus & consiliarius spiritualis, qui in iusticiarii officio diu cōmorās amplas sibi cumulauit possessiones, & regis thesauros ampliauit.

Fridericus Imp. mort.

* mortem expectauerat.

Completo igitur hoc anno: iam fluxerant ex tēpore gratiæ 25. annorū quiquagenæ i. e. 1250. Notandū autē est, nec est leuiter attendendū q; in nulla 24. quinquagenarū antecedentiū tot euenerunt mirabilia & insolutę nouitates, quot euenerunt in hac vltima quinquagena, videlicet 25. & sunt nonnulli historiographi, qui asserūt quod nec in omnibus aliis quinquagenis tot prodigia & nouitates admirandæ euenerunt, sicut in hac iam terminata. In hac n. quinquagena Tartari, de suis longinquis & inuestigabilibus sedibus erumpētes, climata Orientalium tam fidelium quam infidelium ferali exterminio vastauerūt. Admiralius Muremelinus Africanorū & Hispanorū rex potentissimus incredulorū, fines Christianorū inuadit, sed ipse cū vniuerso exercitu suo victus retrocedit. Prædicāte Oliuerio in partib. Germānię, apparuit toti populo manifeste in aere Dn. noster Iesus Christus crucifixus. Recessit Greca ecclesia à subiectione Romanę, Babtizato Grecorū potētissimo schisma-

schismatizante: Damiata ciuitas in introitu Ægypti, opulentissima & munitissima atq; famosissima, bis capta est à Christianis, & bis amissa. In Anglia plures facti sunt terræmotus & pluries mare prodigialiter terminos suos consuetos transgrediens finitimis inaudita damna irrogauit. Anglia interdictum passa est per fere septenniũ, & per tantundem temporis guerram intestinam tolerauit. Tandemq; per inertiam regis Iohannis, tunc regnantis, facta est tributaria. Idem rex Iohannes Normanniam, & multas alias terras vltramarinas amisit. Angliam & Hyberniam, Innocẽtio, 3. papæ iure tributario subiugauit. Priuilegia autem sanctorum patrũ Romanorum suo robore priuantur & authoritate (per hanc adiectionem) (non obstante) non sine eorum iniuria & contemptu. Prohibitum est iudicium q̃ fieri consueuit per ignem & aquam: permissumq; est alicui, in Episcopatum pmoto, pristinos redditus retinere. Permissum est in Anglia iam quasi licite vt habitent Christiani vsurarii inter Christianos, papa protegẽte, cum sit vsura in vtroq; testamento condemnata, quos vsurarios vulgus appellat & ipsi se mercatores papæ palam esse profitentur. Prohibitum est ne quis Ecclesiæ patri immediate succedat sine papali dispẽsatione, vel illegitimus ad dignitatem promoueatur. Moneta per tonsuram corrupta renouatur. Electus est in dominum, & tanquam regem Angliæ Ludouicus primogenitus Philippi regis Franciæ, propter intolerabiles regis Iohannis oppressiones, tandem idẽ Ludouicus fidei transgressor & promissorum, mortuo rege Iohanne inglorius ad patrem remeauit. Otho & Fredericus papæ rebelles imperatores, confunduntur: quibus prostratis culmen emarcuit Imperiale, papa duos in apicem imperii promouere conabatur. Sed antequam eleuarentur elisit eos dominus, videlicet Henricum de Raspen, Landgrauium Hassiæ & Thuringiæ, & Comitem Sowartzemburgi, ac Gulihelmum Comitem Hollandiæ, filium Florentii quarti Ducis, & Mathildis filiæ Henrici Ducis Brabantiæ. Gulihel. tamen cœpit infra memoratam quinquagenam eleuari, sed cito post periit interfectus. Captus est, & totus exercitus eius dissipatus, rex Franciæ Ludouicus, & multarum magnates regionum cum eo, & conuentus Templi, Hospitalis, Theutonicorum, & sancti Lazari, & ciuitas Hierusalem cum suis Ecclesiis & locis sanctis Christi præsentia consecratis, bis destructa, nunc à Chorismi-nis, nunc à Soldano Babyloniæ exterminata. Eclipsis solis bis contigit per triennium. Terræmotus in Anglia plures, & maris insolita dilatatio. Conciliũ generale bis celebratũ est, Romæ sc. & Lugduni. In vltimo Imperator Fredericus excõmunicatus & cassatus. Non procul à Ianua, videlicet in mari, multi prælati capti sunt, & nõnulli submersi. Wallia quoque Leolino principe suo viduata, & postea duobus filiis suis Dauide & Griffino cito præuentis, legibus Angliæ & regis dominatui incuruãtur. Vasconia per Comitẽ Simonẽ edomatur, postea recalcitrans regi inclinatur, & à vendicatione regis Hispaniæ liberatur. Maxima pars Hispaniæ Christiano cultui restituitur per regẽ Castelliæ strenuissimũ: & nobilissimæ ciuitates sc. Corduba, Sibylla, & magna Valentia, & aliæ quamplures, & insulæ opulentissimæ dicto regi mancipantur, & fide catholica fideliter illustrantur. Papa velut exul & profugus, & ab vrbe expulsus, fugit à ciuitate in ciuitatẽ, locis plurimis latitãdo, persequente Frederico ipsum Innocentem quartum. Qui tandẽ Lugdunũ veniens, ibi tutius latitauit. Iste tamen nullatenus flagellum domini castigantis recognoscens, Ecclesiã plus grauabat quã antecessores eius vniuersi. Tres apostolici sederunt infra duos annos, vacauit sedes papalis, per annũ & 9. menses. Suspenduntur prælati à collatione beneficiorũ donec illi satisfiat, pro quibus scribit vt eis prouideatur in quantũ duxerint acceptandũ. Fratres Prædicatores & Minores ex præcepto domini papæ, vrgente obedientia, fiunt domini papæ thelonarii nuncii, & quasi legati: seduli pecuniæ papalis collectores, prædicando, cruce signando, & iterum facto fine resumendo: infirmis morituris & testamenta condituris assistendo. Omnia ad commodum domini papæ diligentes negotiatores, multimodis armati potestatibus, conuertebant.

Quæ sequũtur in hac pag. pertinent ad historiam regis Iohannis.

Ordines multiplicabantur in Anglia, præter ordines Prędicatorũ & Minorum, videlicet fratres de Monte Carmeli, fratres Cruciferorum: & quidam qui se appellant fratres de ordine sancti Augustini, & multi alii. Item in Alemãnia & Francia mulieres quæ se Begninas nominant. Multi sancti in Anglia florent, vel de Anglia, beatus scilicet Eadmundus Cantuar. Archiepiscopus, apud Pontiniacum iacens, coruscat miraculis, eiusdemque frater magister Robertus. Sanctus Robertus heremita apud Knaresburg, virtutibus claret manifestis. Episcopus quoque Londini Rogerius, ad cuius tumbam signa appenduntur quamplurima, beneficiorum collatorum infirmis testimonialis. Item in Alemannia, sancta Elizabeth Landegrauea de During. Sanctus Augustinus in Norwegia, claris probatis & approbatis miraculis illustratur. Et extra istam quinquagenam, cito tamen post,

apud

apud Linconl. Sanctus Robertus eiusdem ciuitatis episcopus, examinatis miraculis glorioſe nimis honoratur, vnde in eadē eccleſia, alii priſtini ſanĉti (ſcil.) S. Remigius & S. Hugo, quaſi congaudentes & applaudentes nono confratri ſuo, S. Roberto, licet non canonizato: ſua Chriſti fidelibus beneficia miraculorum quaſi circa impenderunt, vt eorum teſtimonium canonizationi ęquipolleret. Et non multos poſt dies, quendam puerum eiciter annorum trium, quem Iudæi circumciderunt, crucifixerunt, & poſt excogitata tormenta in cruce occiderunt in eccleſia Lincoln. ſepultus, multis ſanitatis ſuffragia dicitur contuliſſe, ita vt eccleſia Lincolnienſis beatiſſima prædicaretur, & à peregrinaliter eam adeuntibus honoraretur. Ipſe quoque Ciceſtriæ Richardus adeo claruit miraculis vt viderentur Apoſtolorum tempora renouari. Reædificatur eccleſia Weſtmonaſterium ſumptibus domini regis Henrici, & feretrum aureum ad opus ſanĉti Eadwardi de eiuſdem theſauro fabricatur Vaſa inſuper cariſſima impretiabilia & admiratione digna, cum gemmis & ſericis pannis prælectis, & nouis libertatibus, eidem domui à rege conferuntur, ædificauitque dominus rex capitulum incomparabile. Albigenſium, Iouinianorum, Bugororum, & aliorum errantium hæreſes prædicatorum diligentia exufflantur. Interea ſancta pars Chriſtianorum (Saracenis ad votum ſæpe triumphantibus) non mediocriter infirmatur, ſed in Hiſpania iactura talis fœliciter inſtauratur. Antiochia turris inſurgentibus arctatur, & vſque quaque ad ciuium vineas & agriculturas, & vſque ad muros ab eiſdem appetitur & impugnatur. Paſcha hoc anno, ſuo loco debito, ſcilicet. 6. Kalendas Aprilis euenit, quod nunquā ea die euenit anno videlicet quinquageſimo. Omnia vero elementa, quod eſt notabile & ſignificatiuum, hac vltima annorum quinquagena inſolutum & irregulare detrimentum tolerarunt. Ignis quaſi fulgur temporibus hyemalibus frequenter reboauit, & terribiliter cecidit, & emicuit contra naturæ curſum conſuetum. Aer quaſi prēgnans prænotato tonitruo, fulgure, & pluuiarum inundatione caligauit perturbatus. Aqua quaſi mare ſolitas metas tranſgreditur: & in mari vbi profunditas eſſe conſueuit arida apparuit, & loca conterminia deuaſtauit. Terra quidam in Anglia, etiā in Ciltria terræmotus inſolitus pluries perhorruit, & in Sabaudia ciuitatum, villarum, montium, caſtrorum, eccleſiarum: & multorum millium hominum abſorptio fuit & terribilis & inaudita.

Virginis à partu iam mille volumina phœbus,
Cum bis centenis & quinquaginta peregit
Annua: ſed viſum non eſt ſub tempore tanto,
Aprilis ſexto fuerit quod Paſcha Kalendas,
Dum quinquagenus orbem percurreret annus:
Hoc tamen euenit anno, cui terminus hic eſt.
Nec quinquagenis aliis, tot digna ſtupore,
Sicut in hac, vidit quiſquis natusue renatus.

Hic quoq; propoſuit frater Matthæus * Commentaria ſua terminare propter immi- * *Chronica.*
nentia quædā pericula. Si. n. de potentib. vera dicantur & ſcripturæ cōmendenrur: bella parantur ei: ſi taceantur, vel ſi bona pro malis annotētur, mutilabitur, & de blandimentis, adulationibus & falſitatibus grauiter opus totale condemnabitur & redarguetur. Libellus iſte authori ſuo ager ſterilis poteſt merito appellari. Nam ſudor in cultura laborioſus, in colligendæ meſſis tempore, commoditatis omnimodæ carentia ſi lex eſt, & ſpinæ & tribuli pro fructibus colliguntur. Et quia iuuat in ſterili ſpargere ſemen humo, ſperandum tāmen eſt quod bona quę homo non remunerat ingratus, Dei largitas plenius recompenſabit. Bonum quippe eſt ad Dei laudem euentus rerum notabilium ſcribendo perpetuare, vt ſubſequentes legendo caſtigentur, mala quæ digna ſunt vltione deuitando, & bonum quod dominus plene remunerat operando. Dictus autem frater Matthæus Pariſius, dum in propoſito fuiſſet hiſtorialem librum ſuum terminare, ſic ait.

Terminatur hic Matthæi
Chronica: nam Iubilei
Anni Diſpenſatio
Tempus ſpondet requiei:
Detur ergo quies ei
Hic & cœli ſolio. Et paulo poſt
Siſte tui metas ſtudii Matthæe quietas,
Nec ventura petas quæ poſtera proferet ætas.

De admirabili tonitruo & coruscatione in vigilia Natalis Domini.

ANNO gratiæ. 1251. Rex Henricus tertius anno regni sui. 35. fuit ad Natale domini Wintoniæ, Nocte autem Natalis domini tonitrus est auditus & visa coruscatio. Rex quia sperauerat in partes proficisci Orientales peregrinus, vbi aurum cedit in monetam, aureos cœpit desiderare & colligere, vt qui negocia expedire in curia regis desideraret, aurum potius quam argentum ipsi regi largiretur. Mortuo vt prædictum est Frederico: omnes captiuos quos idem F. in vinculis tenuerat, fecit filius illius Conradus ad vlteriora terræ transferri, & ad Palerniam, vel alias Siciliæ ciuitates, vt securior esset de illis: transmitti aliquos tamen illorum concessit Henrico filio imperatoris Frederici & nepoti regis Anglorum, redimendi, vel aliter ad arbitrium suum tractandi. Diebus autem sub eisdem mota est discordia inter Saracenorum potentissimos Soldanos: sed maxime inter Alapēsium & Babyloniorum Soldanos & magistratus. Indignabantur & inuidebant, eo quod ipse Babyloniorum Soldanus acceperat in bello regem Francorum, famosissimum, ac potentissimum: imo plus commouebantur, eo quod ipsum iam redemptum liberū abire permiserat, & iam tutus apud Acon cum Christianis commorabatur. Summa autem redemptionis regis Francorum, erat sexaginta millia librarum auri primi & purissimi, absq; aliis denariis communibus, videlicet Esterlingis, Turonensibus, & Parisiensibus qui ad infinitum numerum ascenderunt. Numerus autem interfectorum sexaginta millia, & viginti millia & amplius, exceptis submersis, fugitiuis dispersis, & eis qui vltro hostibus sese reddiderunt, & illi apostataruntqui plus aliis nobis nocuerunt. Prohibiti sunt Iudæi per regem & regales, sub magna pœna, ne carnes comederent. 6. Feria, vel in quadragesima. Odiosiores enim facti sunt regi Anglorum, quia improperatum fuit regi Francorū, quasi pro opprobrio, & redargutione, quod Christiani sustinent Iudæos habitare inter se, qui dominum eorum & Deum tot lacessitum iniuriis tandem crucifixerunt. Memfredus, filius Imperatoris naturalis, respirans, insurgit contra papam. Nutheta ciuitas in qua plusquā 3000. Sarracenorum habitant, quam construxit Imperator, non destruitur, sed à Memfredo protegitur. Guido frater regis vocatus vt dicitur venit in Angliam cum aliis fratribus prędditatis. Angli vilescunt & depauperantur, præcipue ciues London. Prælati & viri religiosi, papa iubente, & rege spoliāte, in vltimā seruitutem detruduntur. Papa venit Perusium. Vix rediit Comes Leceſtriæ. S. de Vascon. sed multiplicatis viribus iterū remeauit. Hæc detestabilis adiectio (Non obstāte) eneruat sanctorū scripta & facta. Cedit episcopus Dunel. Nicolaus, assignatur ei portio competens, videl. Stoctona, Houedū, & Estentona Henricus de Bathon. miles, & domini regis Iusticiarius grauiter accusatus & diffamatus coram rege, vix mortem euadit. Comitissa Arundell, fundat vnam ecclesiam sanctimonialium non procul à Len, quæ Marcham dicitur. Rumor increbuit in partibus Occidentalibus, quod Fredericus Imperator obierat die sanctę Luciæ. Archiepiscopus Cantuariensis Canonicos London. eo quod eos visitare vellet: cum maximo grauamine potenter conatur confundere, tandem visitauit sed cum moderamine. Obiit Gulihelmus de Cantelupo regis Consiliarius, succedit Gulihelmus filius eius. Wallia incuruatur legibus Angliæ. Confirmatur Wintonienſis & Roffensis electi. Papa recessit à Lugduno, venit sed vix Mediolanum. Obiit Paulinus piper, regis dapifer & consiliarius. Obiit Galfredus dispensator, miles strenuus. Mirabilis pestis oritur in Francia de quibusdam nebulonibus videlicet pastoribus ad triginta millia multiplicatis. Omnes tamen euanuerunt. Damiata ciuitas à Saracenis solo tenus complanatur. Papa nouas condit decretales. Æquinoctiali tempore mare metas suas longo spacio transgressum est. Regina Scotiæ, scilicet relicta Alexandri repatriat. Acceptis Torneamentis, apparet odium & inuidia inter Alienigenas & Anglos, & formidabile susc ipit incrementum.

Alexander rex Scotiæ desponsauit Margaretam filiam Henrici, apud Eboracum.

ANNO gratiæ. 1252. Rex Henricus Tertius, anno regni sui. 36. fuit apud Eboracum, vbi Alexander, iam rex Scotiæ, desponsauit filiam regis Angliæ Margaretam ad Natale domini, & rex Angliæ, regem Scotorum baltheo ibidem cinxit militari. Et rex Scotiæ fecit homagium regi Anglorum. Committitur custodia regis Scotiæ, & reginæ, & regni, Roberto de Ros, & Iohanni de Baliolo. Iudæi grauiter talliantur. Accusatus grauissime Comes Leceſtriæ. S. resignat custodiam Vasconiæ regi. Ariditas. 4. mensibus maxima inualuit. Beneficiati in episcopatu Lincolniæ promouentur ad sacerdotium inuiti. Conradus prosperatur in guerra contra papam nec prosunt papæ rapinæ consuetæ. Obiit Robert. Passelew vetus Anglicus & inueteratus quo machināte amiserat abbas Ramnsiæ, potissimam partem nundinarum S. Iuonis. Multorum autem sicut & eius pacem pertur-

perturbauerat,& minuit possessionem. De ipsius moribus non moralibus, multa in hoc libro præscribuntur. Sopita est discordia, quæ fuit inter abbatem Westmonasterien sem, & eius conuentũ, rege procurãte. Obiit victoriosissimus rex Hispaniæ Aldefonsus. Doluit inde rex Anglię, sed plus Blanchia. Confertur Vasconia Eadwardo, nec fit mentio de Comite, cui quondam fuerat concessa, & incartata, & ipse in possessione cõstitutus. Æstus & ariditas maxima & diuturna in æstate. Factum est hastiludium quod Tabula rotunda vocatur, vbi periit strenuissimus miles Herualdus de Munteinni. Obiit Gulihelmus de Hauerhulle clericus regis & thesaurarius. Ecclesia Elien sis nobiliter per Episcopum Hugonem reperata dedicatur. Obiit Comitissa Margareta de Ripariis. In festo sancti Eadwardi fuit magnum concilium Londini, vbi rex auxilium pecuniare postulat: Episcopus autẽ Lincolniæ Robertus primo contradixit, postea alii animati per eum restiterunt. Talliantur ciues Londinen. quos Barones consueuimus appellare, quasi serui vltimæ conditionis Calfridus de Langeia, qui miles & iusticiarius de Foresta, supra modum nobiles Boreales fictis de causis pro captura carnis ferinæ depauperatus deponitur à balliua, & vnus de custodib. reginæ Scotorum constitutus ibi, tantum tyrannizauit, vt ipsius impetus nobiles Scotiæ non poterant tolerare, & amouerant eum. Ipse autem ad seruitium Eadwardi se transtulit, in quo seruitio multos regi & Eadwardo (sicut dicetur in sequentibus) suscitauit inimicos. Hunc nutrierat & exaltauerat Robertus Passelew, sed postea more cuculi, nutritus nutrientem supplantauit. Eodemque anno, venit magister Albertus, domini papæ clericus specialis, & notarius, offerre Comiti Richardo regnum Apuliæ. Sed cum Comes exigisset securitatem, videlicet quædam castra domini papę & obsides vt esset in possessione, & aliqua saltem securitate de papali promisso. Respondit Albertus se papam super hæc conuenire. Albertus interim multa sibi beneficia acquisiuit, quibus acquisitis, transalpinauit, & audita (dominus papa) Comitis responsione, noluit aliquod propositũ continuare de premissis. Eodem tempore venit in Angliam archiepiscopus Cantuar. Bonifacius, cuius aduentus paucos prælatos, & multo pauciores laicos (quod inuiti dicimus) lętificauit. Ortũ est graue scandalum, & discordia hostilis inter archiepiscopũ Cantuariẽsem & electum Wintoniæ, eo quod electus Officialem archiepiscopi, magistrũ videlicet Eustachium, fecit capi violenter in Ecclesia de Lambeth, cum quodam capellano, & indecenter nimis tractari & abduci: vigilanter igitur procurantibus rege pro fratre suo Æth. & regina pro auunculo suo archiepiscopo, vix tandẽ tantaque est sedata perturbatio. Eodemq; anno, prima dominica Aduentus domini, obiit dominarum domina secularium Blanchia, post multas quas pro filiis suis sustinuerat tribulationes. Ioannes Mansel domini regis clericus, & consiliarius specialis, industria sua promerente, ad inæstimabiles redditus prouehitur & possessiones. Ipso quoq; anno, Episcopus Lincoln. Robertus, fecit diligenter computari alienorum redditus in Anglia, per istum papam scilicet Innocentium promotorem, & inuentum est quod nunquam aliquis prædecessorum suorum in triplo aliquos sui generis vel patrię tot ditauerit. Temporibus quoq; sub eisdem permisit rex astute nimis viros religiosos affligi à nobilibus viris, qui canibus venaticis vtebantur, eorum vicinis, adeo vt eorum libertates eneruarentur, & culturæ conculcarentur. Eodem anno statuit papa Innocentius, vt Cardinales capellis rubeis vterentur.

De perturbatione conuiuii apud Wintoniam.

Anno gratiæ 1253. rex Henricus Tertius, anno regni sui 37. fuit in Natali domini apud Wintoniam, qui iuxta ritum tantæ solennitatis, ciues Winton. fecerunt xenium nobilissimum. Quos idem rex nuper obligauerat ad ducentas marcas eidem in breui persoluendas. Quod quidem festum non modice obscurauerat discordia præmota inter archiepiscopum Cantuar. & electum Winton. rege tantum procurante, pro iniuria quadã magistro Eustachio de Len, officiali suo, facta per eundem electum, & ob hoc excommunicationis sententia innodatum: quam tamen commotionem rege & regina procurantibus in breui commutauerunt in pacem. Conuocati tunc temporis in præsentia regis prælati Angliæ, & instanter petentes chartas suorum custodiri prædecessorum, regis super hoc quam citius obtinuerunt assensum. Et data super hoc sententia, candelis accensis hoc manifestarunt in publicum, vnde gratanter annuerunt contributionem, quam ab eis rex petierat, non modicam. Frater quidam de ordine Prædicatorum, Petrus nomine à Mediolanensibus, pro assertione veritatis, & fidei defensione, eorum vitia, errores, & hæreses redarguens, latenter interemptus est. Quem dominus papa à miraculorum indiciis manifestatum, martyrem duxit magnifice canonizandum. Ciuis quidam Bononiensis Brancaleo nomine, creatus est in Senatorem Romanũ. Qui potestate susceptа, iusticiã in

omnibus terribilem exercuit & ſuſpenſis malefactoribus commiſſam ſibi vrbem & populum laudabiliter gubernauit. Iudæi non pauci effugantur à Francia, tranſmiſſo ſuper hoc de Terra ſancta regis Franciæ mandato. Improperabant enim eiſdem Saraceni, quod iniuſte eos Chriſtiani impugnant, cũ falſos Iudæos Chriſti ſui peremptores inter ſe degere permittant: iuſtum enim eſſet eos prius eiicere, & poſtea ad alios ſibi rebelles feſtinare. Obiit abbas ſancti Auguſtini, & eorum præcentor eidem eligitur ſubrogari. Comitis vero Gloceſtriæ Richardi filius primogenitus deſponſauit neptem regis Angliæ, filiam ſcilicet Guidonis Comitis Engoliſmi, de Pictauia oriundam, ætate paruulam, immo infantulam, procurante hoc rege H. & pro maritagio vſq; ad 5000. marcarum regaliter largiente. Comes Leiceſtriæ reſignauit cuſtodiam Vaſconiæ, & eam ſibi propoſuit rex Hiſpaniarum vendicare, habens de donatione eius antiquam chartam regis. H. ſufficientem ac regum Richardi & Ioannis confirmationem. Hoc cum audiſſet rex, vehementer doluit prædictum Comitem ſcilicet ab huius cuſtodia ſemotum, quippe quia vir potens erat, & in arduis ſapiens, & defenſor tutiſſimus, eumq; ſtuduit amotum reſtituere, vnde Comes clam receſſit in Franciam, onus huius declinãs iterum reſumere: quem Franci non modice affectabant Seneſcallum Francię habere, ſed minime valuerunt eum ad conſenſum inflectere. Comes Glouer. Richardus, & Gulihelmus de Valentia, transfretarunt, principaliter vt matrimoniũ prædictum ad effectum perducerent: ſecundario vt in quodam haſtiludio, tunc tẽporis acclamato, tranſmarino, ſe ſuaſque vires & audaciam, & equorũ ſuorũ auſu probarent temerario celeritatem: qui proſtrati, ſpoliati, & baculati, fomentis & balneis indiguerunt diuturnis. Tunc tẽporis, quarto die, viſa eſt Luna antequam eſſet prima pronunciata. Iuuenes Londin. ſtatuto pauone pro brauio, ad quindenam vires ſuas ad equorum curſus ſunt experti. Quidam autẽ tyrones de familia regis, ſuper hoc indignãtes, conuiciabantur eiſdem, eis ſe in certamine opponentes, quos ipſi Londinenſes cum fragmentis haſtarum rubricantes & laniantes ab equis ſuis dederunt præcipites, & fugauerũt fugientes. Querelis igitur ſuper hoc multiplicatis regi, rex ad ſolitam ſe conuertens vltionem, magnam à Londinenſibus petiit pecuniam. Poſt paucos dies auditum eſt, quod Regula in Vaſconia, cum ſancto Milione, & multa alia caſtra, capta ſunt & amiſſa, & ſtrages hominũ erat non minima. Rex igitur non mediocriter formidans, ne per tales amiſſiones tota Vaſconia pateret diſcrimini, conſtituit vt miſſis breuibus, per ſingulos comitatus clamaretur vt cuiuslibet arma debita & conſueta cenſerentur, & ſi ſufficientia eſſent monſtrarentur, vt ſcilicet ſi neceſſe incumberet, quiuis ad præliandum paratus exiſteret. Videret præterea vt quicunque 15. libras terræ haberet, miles efficeretur. Similiter vt excubãtes vigiles in qualibet ciuitate conſtituerentur, qui vicos & plateas, exitus & introitus diligenter cuſtodirent. Prouidit inſuper vt ſi quis à latrone vel ab aliis obiter damnificaretur, ipſi quibus patriæ iminebat cuſtodia, læſo ſatisfacerent, & malefactores inſequentes ab eiſdem patriam mundaret. Quæ quia ſine communi baronagii aſſenſu prouiſa ſunt cõſtitui generaliter minime valuerunt. Obiit magiſter Richardus de Witz epiſcopus Ciceſtriæ. 4. Nonas Aprilis, vir eminentis ſcientiæ & eximiæ ſanctitatis, & quandoque beati Eadmundi Cantuar. archiepiſcopi clericus & conſiliarius ſpecialis. Huius autem Richardi aſſertionibus & fratris Roberti Bacun de ordine Prædicatorum, certificatus: frater Matthæus Pariſienſis, memorati S. Eadmundi vitam à fide dignis ſibi relatam diligenter perſcripſit. Poſt receſſum comitis Simonis de Vaſconia, cœperunt Vaſcones bella ad inuicem mouere, alter alterius caſtra inuadere, homines captiuare, ædificia in fauillas redigere. Ex quibus primus fuit Gaſto, dominus Biardæ & Peregoti, qui ſe tranſtulit ad regem Hiſpaniarum, vt inde plus regem Angliæ infeſtaret. Et ſic hoſtes regis in Vaſconia animauit, ita vt Burdegalis, quæ toti Vaſconiæ victualia conſueuit miniſtrare, cœpit egere. Dominus rex conceſſit eccleſiæ de Waltham, & confirmauit, vt quotieſcunq; dominum illam contigerit vacare, conuentus tam de Baronia quam de poſſeſſionibus eccleſiæ liberam habeat pro voluntate ſua diſponendi facultatem, duo inſuper mercata, & alia bona eidem contulit, & ſuper his chartam ſuam, licet prius obtentam iterum confecit. Cum eccleſia Romana ſui præſulis & paſtoris diutius viduaretur præſentia, rogatus eſt dominus papa ſolenniter à Romanis, vt Romam rediret, gregem ſuam more paſtoris gubernaturus: qui tamen retardatus iterũ vocatus eſt & ſolenniter, hoc adiuncto, vt ſcilicet tunc ueniret aut nunquam. Quo audito dominus papa, de mora timens periculum trahere, à Peruſio recedens, Romam vſque properauit. Et licet in multa tenebatur pecunia eiſdem, quam pro eo contra Fredericum expenderent, gaudenter & reuerenter ab omnib, ſuſceptus eſt. In quindena Paſchæ, adunato magno parliamento, petierunt prælati fere

omnes

omnes, insimul congregati, vt dominus rex chartas conseruans & libertates, quas sępius promiserat, sanctam insuper ecclesiam permitteret suis gaudere libertatibus, maxime de electionibus prælatorum tam cathedralium ecclesiarum, quam conuentualium. Quæ omnia rex se indemniter obseruaturum protestans: eorundem vna cum aliis magnatibus, ad suę prępcipue peregrinationis subsidium, postulatum de cõtributione reportauit assensum. Concessa est igitur regi decima pars prouentuum ecclesiasticorum per triennium, à militibus vero scutagium illo anno, scilicet ad scutum tres marcæ. Rex autem bona fide promisit se omnia inuiolabiliter obseruaturum, quæ & alias multoties iurauerat, & pater suus Iohannes primo affirmabat, & vt certiores fierent de promisso, præcepit super hoc in præsentia sua sententiam proferri in publicum, quod & factum est hoc modo.

Sententia excommunicationis lata contra transgressores libertatis ecclesiæ.

Tertio igitur die Maii, in maiori aula regia Westmon. sub præsentia & assensu domini Henrici, Dei gratia, regis Angliæ, &c. Quo facto, prolata fuit in medium charta patris sui. Ioh. in qua iterum concessit idem I. rex mera voluntate, vnde recitari fecerunt libertates prædictas. Dum autem rex memoratam sentẽtiam audisset, tenuit manum suam ad pectus suum sereno vultu & voluntario: & in fine, proiectis candelis & fumigantibus, dixerunt singuli: sic extinguantur & fœteant in inferno omnes huius sentẽtiæ incursores, & respondit rex cum omnibus astantibus, Amen. Amen. Episcopus autẽ Lincolniæ Robertus, huius rei suspicans instabilitatem, fecit illico per totam Diœcesim Lincoln. memoratam renouari sententiã. Tunc temporis Burdegalenses significarunt regi, quod nisi festinanter veniret in Vasconiam, omnia foret amissurus, addentes quod per tyrannidem Simonis, Comitis Leicestrię, multos subditos & amicos perdidisset, quod falsum est quia multoties plures rebelles & fortiores edomitos regis subdiderat dominationi. Fecit igitur rex acclamari voce præconia in Vasconia, quod nullus extunc Comiti Simoni intenderet vel obediret, addens quod propter oppressiones & querelas eorum deposuit prædictum Comitem, & chartam quã de obtineda Vasconia, per triennium sequens præfecerat eidem, precio redemit. Quod Vasconibus quã plurimum placuerat, ex quo sciebant eius dominationem expitasse, seq; regi inimicos facilius exhibere. Ernaldus de Bosco, miles, constitutus est protoforestarius loco Roberti Paslewe, scilicet in partibus Australibus Angliæ, vsq; ad fluuium qui dicitur Trenta, Iohannes vero de Lexintona, miles, à dicto flumine vsq; ad regnum Scotiæ, loco Galfridi de Langlea. Miracula manifesta celebrantur ad tumbam Richardi, episcopi Cicestrensis. Cuius corpus exanimatum, inuentum est ciliciatum & circulis ferreis constrictum. Eligitur magister Iohannes Clipping, in episcopum Cicestriæ, eiusdem ecclesiæ canonicus. Emanarũt apostolica mandata per circuitũ, vt quilibet episcopus, tam transmarinus quam cismarinus, districte visitaret monachos omnes, tam exemptos quã non exemptos, in sua Diœcesi constitutos, & eosdẽ compelleret quosdã articulos obseruãdos, qui nec ad regulam. S. Benedicti pertinent, nec de eius substantia existunt, vnde Franciæ monachi, pacem sibi cogitantes pręuidere, datis. 4. millibus ad libratũ Turonensium domino papæ, huiusmodi impetũ cõpescuerunt. Abbas similiter S. Albani, cũ cæteris paribus suis & eorum conuentibus ad præsentiã domini papæ appellauit quã citius. Circa Kal. Iunii, rex certificatus de desolatione Vasconiæ, milites omnes per Angliam, sibi seruitiũ militare debẽtes, fecit summoneri, vt in octauis S. Trinitatis parati essent apud Portesmute, in Vasconiam cũ rege transfretaturi, & eam ad dominũ suum & pacem potenter reuocaturi. Captis interim vsq; ad mille nauibus earum custodes, vento carentes, per tres ibi menses moram protraxerunt, & rex thesauro pro magna parte iam consumpto, à proposito est præpeditus, ita quod transitus ille Dei videretur fauore destitutus. Obiit episcopus Landauensis Gulihelmus, cuius obitum cęcitas septennis subarrauit. Comes Rogerius Bigotus, Marescallus Angliæ, filiam regis Scotiæ, quam antea spreuerat, iudicio ecclesiæ salubriter eruditus, ad matrimonium libens accedens & tutus reaccepit in vxorem. Rex autem vento diu desiderato sibi prosperante, 8. Idus Augusti, valedicens Angliæ, Neptuno se cõmisit, constitutis regni sui custodibus Richardo Comite fratre suo, & regina: commisso eorum custodiæ Eadwardo primogenito suo. Circa Assumptionem beatæ Mariæ, applicuit rex in Vasconiam apud Burdegalim: occurrentes autem ciues, ipsum vt decuit reuerenter susceperũt. Iussit igitur ilico regulã obsidione vallari, vbi quamplurimi hostium suorum Gastonentium latitabant, ipso Gastone ad regem Hispaniæ confugiente, cuius se fecit amicum, & Vasconiæ (eum vt dicebant contingens) eidem promisit dominium. Audientes Franci quod rex Angliæ in Vasconiam aduentasset, timentesq; ne Pictauienses transfugium facerent ad regem Angliæ dominum eorũ, frugalem manum

Reliqua quære in historia Matthæi Paris.

illuc militarem destinauerunt, non permittẽtes eos habere custodiam castrorum vel ciuitatum: & sic licet inuiti fideles effecti, nec Francis nocuerunt, nec Anglis prodesse potuerunt. Obiit Thomas de Hereford archidiaconus Northumbriæ in octauis S. Laurentii, fine sancto & beato: hic quandoq; beati Eadmundi Cantuarien. archiepiscopi discipulus in schola, & socius extitit familiaris, vnde factus est ei vsq; ad mortẽ secretissimus. Similiter & magister Richardus, postea factus episcopus Ciceſtriæ, eiusdẽ sequi nitebatur vestigia. Hic quia pauperum fuerat amator, cuidã pauperrimæ domui, fratrum scil. de Monte Carmeli, corpus suum delegauit. Hunc sanctum archidiaconũ Thomam, similiter & episcopum Ciceſtriæ Richardum, licet non Romæ canonicentur, sancti Eadmundi contubernio credimus indubitanter sociari. Hos igitur tres beatos, Eadmundum, Richardum, & Thomam, Dei confessores, Anglia in prẽsenti produxit glorioſos. Miles quidam de electi- 10
otibus regis Franciæ, existentis tunc in Terra sancta, non mediocriter accensus de filio suo milite strenuissimo, quem idem rex ipso nescitẽte fecit suspendi pro transgressione quadã, de quo etiam idem rex fideliter promisit patri suo prẽbere remedium, cuidam se Soldano, Christianis derelictis transtulit, & de amico factus est eis inimicus, & Paganis aditis factus est apostata formidabilis. Cum dominus papa significasset per apostolica scripta episcopo Lincoln. Roberto, sicut (& multis aliis pluries fecerat) præcipiens vt aliquid faceret quod eidem episcopo videbatur iniustum & rationi dissonum: rescripsit idem episcopus domino papæ in hæc verba. 20

Rescribit domino papæ R. Lincolnia episcopus.

Reliqua quære in historia Matthæi Paris.

Salutem &c. Nouerit discretio vestra quod mandatis apostolicis affectione filioli deuote & reuerenter obedio &c.

Cum hæc epistola ad noticiam papæ peruenisset: ipse dominus papa valde commotus, ipsum proposuit mittere in tantã & præcipitare confusionẽ, vt toti mundo foret stupor & tremoris exemplum: tandẽ tamen consilio saniori emollitus sub dissimulatione permisit transire ne maiorẽ videretur super hoc tumultum excitare. In vigilia assumptionis obiit venerabilis vir Ranulphus abbas Rameſiæ: domum suam & gregem, tam in spiritualibus quam temporalibus, relinquens abundantem. Rex nuncios suos solennes destinauit ad regem Hispaniæ, scilicet episcopum Bathonien. & Iohannem Mansel clericum suum spe- 30
cialem, postulans sororem suam Eadwardo filio suo primogenito, & hæredi regni Angliæ legitimo matrimonialiter copulari, & vt ipse rex eundem. E. cingulo decoraret militari. Episcopus Lincolnienſis Robertus, ægritudinis lecto detentus in spiritu cognoscens tribulationes ecclesiæ in proximo imminere recitansq; coram clericis suis quædã facta Romanæ curiæ, grauiter redarguit tam fratres Prædicatores quam Minores, dicens quod eorum ordo ideo in paupertate voluntaria, id est, spiritus constituitur, vt liberius magnatum error ab eisdem reprehendatur. In hoc autem quod ipsi peccata magnatum audacter nõ redarguunt eosdem hæreticos dixit esse manifestos, & addidit.

Hæresis quid.

Hæresis est sententia humano sensu electa, scripturæ sacræ contraria, palam edocta, pertinaciter defensa. Hæresis enim Græce electio est Latine. Dare autem curam animarũ paruulo, sentẽtia est alicuius prælati, humano sensu electa propter carnem vel temeritatẽ, 40
& est scripturę sacræ cõtraria, quæ prohibet fieri pastores qui nõ sunt idonei ad arcendum lupos, & est palam edocta quia manifeste portatur charta sigillata vel bullata, vel est pertinaciter defensa: quia si quis voluerit contradicere suspenditur & excommunicatur. Cui autem tota diffinitio hæresis conuenit, hæreticus est: sed quisq; fidelis tenetur se opponere hæretico quantũ potest, qui ergo potest contradicere & non contradicit, peccat, & videtur fautor esse erroris, secundũ illud Gregorii, non caret scrupulo societatis occultę, qui manifesto facinori desinit obuiare. Cum autẽ hæc & alia multa lugubria, querula voce, de 50
statu ecclesiæ proposuisset episcopus memoratus, ab huius mundi exilio, quẽ semper exosum habuit, in nocte S. Dionysii, apud Bugden, manerium suum, fœliciter ad dominũ migrauit. In eadem vero nocte, vt dicitur, episcopus Londinẽsis Fulco, cum esset prope illud manerium, audiuit signũ dulcissimũ in sublimi pulsari. Fratres etiam quidã Minores versus illum locum properantes, illius mortis ignari, classicũ mellitum in sublimi audierunt campanarum, inter quas vnum signum dulcissimum articulatim audierunt prælectum. Tandem vero cognouerunt vtriq; illam visionis seu auditionis horam extitisse, in qua idem S. Episcopus fœliciter migrauit à corpore. Iste Robertus episcopus Lincoln. de ima Suffolchiæ gente, in villa de Strodbrocke, traxit originẽ. Obiit Gulihelmus de Vescy, miles quidam de nobilioribus baronibus Borealium partium Angliæ, rege tunc in Vasconia existẽte, & eandem custodiam Alienigenæ cuidam committente. Defuncto vt prædictum est

episco-

episcopo Lincolniæ Roberto, orta est discordia inter archiepiscopum Cantuar. & Canonicos Lincolniæ. Vendicabat enim archiepiscopus potestatem conferendi præbendas & reddituſ in eodem episcopatu tunc vacante. Canonici vero cum multis clericis iuſ huius non ignorantibus, contradixerunt, vnde archiepiscopus eos & omnes contradictores excommunicauit, sed magister Gulihelmus Lupus ei in faciem contradicens, pro omnibus ad sedem apostolicam appellauit. Alienora regina Angliæ peperit filiam Londini, die S. Catharinæ, quæ ab archiepiscopo Cantuariensi baptizata, à die natiuitatis suæ nomen sortita est Catharinæ. Parisiis orta est discordia sumptuosa inter scholares, & fratres Prædicatores. Noluerunt enim ipsi fratres approbatis cõsuetudinibus & iuribus vniuersitatis subiacere, sed pro voluntate propria regere & cessare, aliaque communitati contraria perpetrare, vnde vtrobiq; Roma petita, consumpta pecunia & labore, vix est pax reformata. In ecclesia vero Lincoln. cumulantur diatim miracula miraculis. Operante enim domino pro prædicto S. Roberto, alii sancti, qui in eadem requiescunt ecclesia, (videlicet S. Remigius & S. Hugo) ad beneficia fidelibus impendenda suscitantur. Hic vero Robertus bonum habens zelum ad dominum & proximum, licet canonicos suos multum vexauerit, & in religiosos terribiliter & religiosas fulgurauerit, confidenter tamen dico quod plus Deo placuerunt eius virtutes quam displicuerunt excessus, quod nunc per miracula ad tumbam eius manifestantur coruscantia.

De perendinatione regis Henrici apud Besancium.

Anno gratiæ. 1254. Rex Henricus tertius, anno regni sui. 38. fuit ad Natale domini in Vasconia apud Besancium, vbi Vasconensibus in vestibus duplicib. & aliis rebus desiderabilibus, pretiosa cõtulit donatiua. Regina autẽ surgens à puerperio, domino suo regi de suis tedditib. quingẽtas marcas trãsmisit. In crastino vero beati Thomæ martyris, Lincolnienses canonici elegerunt sibi in episcopũ magistrum Henricũ de Lexintona, eiusdem ecclesiæ decanum, qui transfretans, vt regi præsentaretur, coram eo formidabat apparere, quia ipsum & totum capitulum rex precibus solicitauerat, vt episcopum Herefordensem eligerent, quod tamen omnes renuebant: veruntamen rex non inueniens in dicto electo causam reprobationis ipsum admisit. Circa idem tempus vocauerat rex, reginam & primogenitum suum & hæredem Eadwardum vt ad eum venire quantocius non omittant, vt ad effectum duceretur quod prælocutum est de matrimonio inter ipsum & regem Hispaniæ contrahendo. Venerunt in Frãciam quidam Sarraceni ad fidem Christi conuersi, quorum quidam erant baptizati, quidam vero baptizandi. Et hæc fuit eorum causa conuersionis: viderant enim quondam regem miraculose à manibus potentissimi Babyloniæ Soldani liberatum, maximam insuper regis in aduersitate patientiam, inflexibilem in proposito constantiam, & quod post captionem suam, moram continuauit, castra firmauit, ciuitates contra Dei hostes communiuit, quod pro amore Dei sui regnum suũ deseruerit, se maris, bellorum, alienorumque regnorum periculis expositurus, pro animabus infidelium lucrandis laborauit. Orthodoxorum insuper informatione didicerant, quod Mahumeti lex spurcissima, animarum est intoxicatiua. Attulerant autem regis Franciæ literas patentes, vt de eleemosynis regis sustentarentur donec ipse veniret in proprias partes, eis plenius prouisurus. In septuagesima vero applicuerunt naues quædam Barbarorum, rabie ventorum agitatæ, magnæ quidem & elegantes, quibus non sunt visæ penes nos consimiles, armamentis naualibus & bellicis victualibusque omnimodis communitæ, & appulsæ sunt non longe à Beruico. Et cum interrogarentur, quinam essent: noluerunt vel forte nescierunt intelligibiliter intimare, qui, cur, vnde, vel qualiter aduenissent, nec linguam eorum aliquis ex balliuis intellexit, vnde permissæ sunt in pace recedere. Visæ sunt etiam aliæ tales naues super mare. Gasto de Biarde (congregata hostium regis multitudine) temere attentauit ciuitatẽ Baioniæ seditiose & hostiliter intrare, eamq; occupare. Est autem Baionia sita super mare, secunda in tota Vasconia ciuitas. Sed plerique de ciuibus quosdam admittentes de hostibus regis, quia & ipsi eum oderant, comprehensi sunt per regis fideles, & cum aliis proditoribus puniti. Iohannes Hansard non vltimus inter partium Aquilonariũ optimates obiit (in expeditione) funere generali. Cessante autẽ frigoris asperitate, quæ fere tota illa hyeme inhorruerat continuata, tanta ouium & ferarum pestis sequebatur mortifera, vt ouilia ouibus, forestæ feris vacuarentur: in copiosis autem gregibus vix pars dimidia remaneret. Dominus papa considerans liberales artes iam in mechanicas fuisse pene conuersas propter lucrum, adolescentesq; ætate & scientia satis simplices, cathedras ascendere (indigne) magistrales: vt eleuati timeantur, & facti venerabiliores sine fundamento ad culmina scandãt celsiora: scripsit super hoc elegantem epistolam ad

omnes prælatos in regnis Franciæ, Angliç, Scotiæ, Walliæ, Hiſpaniæ & Hungariæ, conſtitutos, ſalubre prouidens cõſilium contra huiuſmodi indiſcretam præſumptionẽ, quam alibi ſedulus indagator potent reperire. Cogitante papa Innocentio, vt generaliter dicitur, oſſa epiſcopi Lincolniæ Roberti extra eccleſiam proiicere, nocte ſequenti apparuit ei idem epiſcopus, vt dicitur, pontificalibus redimitus: vultuq; ſereno, & intuitu auſtero, ac voce terribili ipſum papam affatur, pungens ipſum in latere cuſpide baculi paſtoralis, & dixit. Senebalde papa, propoſuiſti ne oſſa mea in mei & eccleſiæ Lincolnienſis opprobrium extra eccleſiam proiicere? Vnde hæc tibi temeritas? Nullam poteſtatem in me habere te dominus amodo patietur: ſcripſi tibi in ſpiritu humilitatis, vt errores tuos corrigeres, ſed tu monita ſalubria contempſiſti: vç qui ſpernis, nonne & tu ſperneris? Sic recedens ipſum papam quaſi lancea tranſuerberatum dereliquit, cum ſuſpiriis ingemiſcẽtem. Quinto Kalendas Aprilis, confirmatus eſt electus Lincolnien. videlicet Henricus de Lexintona, Decanus eiuſdem eccleſiæ ab archiepiſcopo Cantuarienſi B. Menſe autem ſub eodem, videlicet tertio Idus Maii, obiit epiſcopus Carleolenſis Silueſter, ſupinus corruens de equo, & oſſium diſſolutis compagibus expirans. Eodem tempore videlicet nono Kal. Aprilis, obiit Comes de Ferrariis Gulihelmus, filius Gulihelmi, vir diſcretus & legum regni peritus: hic in carpento vel lectica vehi ſolebat, & dum quadam die vehiculum ſuum ſuper quendam pontem, videlicet apud ſanctum Neotum caderet euolutum, ipſe contritis membris ad mortem tendebat velocius. Anno eodem confectum eſt chriſma in eccleſia ſancti Albani, à venerabili epiſcopo Bangorienſi Richardo. Commiſſum eſt tunc temporis bellum cruentiſſimum in confinio Flandriæ & Brabantiæ, inter Francos & Flandrenſes ex vna parte, & Comitiſſam Flandriæ & eius complices, videlicet Gulihelmo de Holandia regem Almanniæ & multos alios magnates Brabantiæ & Alemanniæ, ex altera parte, pro duobus filiis dictæ comitiſſæ de viris duobus progenitis. In quo certamine lamentabiliter ceciderunt bellatores ſtrenuiſſimi, ita vt de vna ciuitate Flandriæ iacuerunt ad decem millia interempti. Tandem ceſſit victoria Gulihelmo de Holandia regi memorato & Alemannis. Franci autem victi, vulnerati, & pro maiori parte trucidati, deteriorem calculum ſubierunt. In abyſſum igitur deſperationis & deſolationis Franci præcipitati, ſignificabant domino regi Franciæ, in partibus adhuc tranſmarinis commoranti poſt redemptionem ſuam, vt ad propria quantocius redire properaret: audentes qualiter corona Franciæ titubaret per ſuperbiam muliebrem, Comitiſſæ videlicet Flandriæ, quæ duobus innitens filiis & duobus viris, totum regnum Galliæ repleuit anguſtiis. Ipſo tempore miſſus erat pro negociis regni Angliæ ad partes illas dominus Iohannes Prior de Nouoburgo. qui ſuper his caſibus certificatus, hæc ſcripturæ plenius & proceſſiue commendabat. Captorum autem & occiſorum magnatum, militum, ſeruientium, & de copiis armatorum, in illo prælio ad pluſquam centena millia dicitur numerus aſcendiſſe. In quindena Paſchatis congregati magnates Angliæ ad parliamentum Londini, per tres fere ſeptimanas aduentum Comitis Richardi inaniter expectarunt: quibus rex ſignificauit, quod pecunia & viribus indigebat amplioribus. Reſponderunt autem omnes quod nequaquam ad ſuccurſum domini ſui regis corporaliter venire omitterent: ſi de hoſtili aduentu regis Hiſpaniæ, hoc comminantis, vt dicebant, plenius certificarentur. Mirabanturq; quod idem rex nunquam tempori, quo Comes Legeoceſtriæ Simon, Vaſconiæ præfuit, eam vendicauit. Vnde argumentis huiuſmodi. Sed per eundem Comitem qui tunc de partibus rediit tranſmarinis, veritatem nuncians, ſuper hoc magnates edocti, falſum intelligentes huiuſmodi eſſe mandatum, cum indignatione redierunt. Exigente Comite Richardo non modicam pecuniam, à Iudæis ad opus regis, quamplurimum indigentis, Helias de London. pontifex Iudæorum, reſpondit pro omnibus. O domini videmus quod dominus rex nos delere proponit de ſub cœlo: det nobis petimus licentiam ſuam: ecce parati ſumus de regno ſuo exire, & recedemus irredituri. Hæc cum ſingultibus & lachrymis dicebat amariſſimis: vnde magnates, eorum miſerti, eos permiſerunt recedere. Irruptio alia hoſtiliter facta eſt inter Francos & Alemannos. Friſones, qui neutraliter ſe habebant, à Gulihelmo de Holandia hoſtiliter impetuntur. Tunc temporis, ſcilicet 16. Kalend. Iunii, conſecratus eſt in epiſcopum, Lincolnienſis electus, Henricus de Lexintona, ab archiepiſcopo Cantuarienſi Bonefacio, in partibus tranſmarinis. Cum in exercitu regis in Vaſconia Wallenſes quidam punirentur à fratribus regis & Pictauienſibus, nulla prius mota querela ſuper hoc coram Comite Herefordenſi, qui ſecundum antiquum ius Conſtabularius eſſe dignoſcitur regii exercitus, & ſuper hoc idem Comes querimoniam coram rege fecerat, nil niſi ſubſannas reportaret, indignan-

dignantes ſuper hoc Angli, propoſuerunt in Pictauienſes irruere. Rex autem paueſcens, veniamque humiliter poſtulans, vix furorem eorum compeſcuit quin ſanguis latius inundaret. Vnde quidam magnatum videntes pacis firmitatem elongari, de regis tamen licentia, quam citius redierunt ad propria. Reuocatum eſt & caſſatum immane iudicium, quo Henricus De la mare, Iuſticiarius itinerans, fecit amerciari domum ſancti Albani ad centum libras, eo quod homines abbatis non venerunt coram eo extra libertatē S. Albani, ſicut nec debuerunt. Vnde impetrauit idem Abbas literas regis ſuper hoc, regina & comite Richardo exiſtentibus regni cuſtodibus, regeque agente in Vaſconia. Conceſſum eſt eodem anno à rege Henrico, quod monachi de Weſtmonaſter. & eorum ſucceſſores, coram quibuſcunque Iuſticiariis habeant extractas Rotulorum de amerceamētis & omnimodis finibus hominum ſuorum, & de catallis fugitiuorum & damnatorum eorundem. Inde autem fuit prius charta confecta & illis conceſſa anno gratiæ. 1252. Quo etiam anno conceſſum eſt eis, quod conuentus habebit quæcunq; eos contingunt tempore vacationis. Cum Winchelſienſes reginæ transfretaturæ nauem parauiſſent ſufficientem, Iermuthenſes vero Eadwardo multo pulchriorem, mota eſt inter eos diſcordia, ita vt naue pulchriori fracta, nautas inuadētes quoſdam vulnerauerunt, quoſdam interemerunt. Vnde querela ſuper hoc repoſita non modica, ad tantæ tranſgreſſionis vltionem omnes vnanimiter intenderunt. Regina autem huiuſmodi perturbata contentione, cum ad transfretandum paratis omnibus & ipſa pararetur, ecce aliud mandatum regis, priori cōtrariū, aduēit, ne regina trāsfretaret. Leſa igitur vtrobiq; & anguſtiata, quid ageret excogitat. Ad ſe aūt cōuerſa, à propoſito ſtatuit nō differre ſe, ſed cū filiis ſuis & familia nobili, ſub ducatu auunculi ſui Cantuar. archiepiſcopi, 4. Kal. Iunii, apud Porteſmue nauē aſcendit: pridie autē Kal. Iunii apud Burdegalim applicuit. Loco autē ipſius reginæ ſubſtitutus eſt regni cuſtos Walterus de Gray, archiepiſcopus Eboracenſis. Illo autē anno vētus Borealis continue perflans, vernos flores & fructus per tres menſes ſuffocauit. Circa Kal. Iulii, tempore ſolſtitiali ſubita prorupit inundatio pluuialis cum grandine, qualē non prēuidimus, durans per vnā horā & amplius, abradēs cooperatoria domorū & ramos dilacerās arborū. Menſe Maio obiit ſpes Anglorum & gloria, adoleſcens mirę ſpeciei & deſideriorū, Henricus filius Imperatoris Frederici. Interiit aūt (vt aſſeritur) ipſo Cunrado procurāte. Quod non eſt credibile, nec videtur: cū idē rex poſt prędictā mortem, nū quam vt antea, vultum oſtendit ſerenum. Sed re vera quidam flagitioſus, Iohannes Maurus, ipſum potionatum & adhuc ſub morte palpitantem quodam manutergio ſuffocauit. Orta eſt grauiſſima cōtentio inter dominum papā & Conradū regem Siculorū. Accuſauit. n. eum papa in multis ſcil. de hæreſi & homicidio. Ille autem ſingulis reſpondit, conſtanter inficiendo.

Eadwardus miſſus eſt in Hiſpaniam ad maritandum.

Miſſus eſt Eadwardus filius regis primogenitus, in magna pompa & apparatu, ad regem Hiſpanię Alfonſum, vbi Alienorā iuuenculam, ſororē ipſius regis apud Bures deſponſauit, & ab eodem cingulo donatur militari. Rediens autem Eadwardus cum nupta ſua ad patrem, detulit ſecum chartam regis Hiſpaniæ, quod quietam clamauit totam Vaſconiam, pro ſe & hæredibus ſuis, auro bullatam. Contulerat autem illico rex Angliæ filio ſuo prædicto, & eius vxori Vaſconiam, Hyberniam. Walliam, Briſtolliam, Stanfordiā, Granthām, cum aliis. Ex ipſo tempore cœpit rex reditum in Angliam maturare. Compertumque eſt certis ratiociniis regem per ipſam in Vaſconiam transfretationem conſumpſiſſe in expenſis viceſies & ſepties centum millia librarum, & amplius, exceptis terris, gardis, & redditibus, quos contulit alienis, & triginta millibus marcarum in fratribus ſuis vterinis conſumptis. In translatione ſancti Benedicti, venit epiſcopus Norwicenſis ad ſanctū Albanum, ex præcepto tam papæ quam regis, vt bona omnia eccleſiæ illius, excepta baronia, decimaret: ſecundum quod conceſſum fuit regi per triennium, condicionaliter tamen, ad Terræ ſanctæ ſubuentionem peregrinanti. Conuocauit igitur omnes eccleſiarum rectores & vicarios, & cuſtodes eccleſiarum de terra ſancti Albani, vt bona eorum præſtito taxarentur ſacramento. Omneſque obedinarios eiuſdem monaſterii fecit bona ſua diſtricte & fideliter taxare, aſſerens quod poſtmodum fieret ſuper eandem taxationem inquiſitio cum diligenti & diſtricta excuſſione. Monſtrauerat inſuper authentica ſua, tam papalia quam regalia, & quod inuitus illa ſubierat grauamina. Vnde nouitas excreuit inaudita. Conſueuerunt hactenus populares prælatis decimas exhibere: nunc ordine retrogrado & peruerſo coguntur prælati decimas perſoluere laicis & inuiti. Circa translationem vero prædictam, ſcilicet ſancti Benedicti, venit dominus rex Francorum de Terra ſancta, vocantibus eum vrgentiſſime magnatibus ſui regni (vt prædictū eſt) qui cū proſpere

ſpere applicuiſſet in partibus Marſiliæ, quæ non multum diſtant à Monte Peſilano, ibidem pauliſper quieſcens commorabatur. Sed ſuis ſtimulantibus proceribus ad Franciam venire feſtinabat, quia vix breues treugas rex Alemanniæ, Gulihelmus prædictus, Francis conceſſit ſeu tenuit. Veniens ergo rex memoratus in propria, illico tractauit qualiter præfatam diſſenſionem ad vocationis ſuæ cauſam (mediante iuſticia) pacificaret. Quinto idus Auguſti, obiit epiſcopus Elienſis Hugo, quandoque abbas ſancti Eadmundi, qui in vtraque eccleſia circiter. 40. annos laudabiliter Deo militauerat. Cuius corpus cum magna veneratione ſepultum eſt in Elienſi eccleſia, in presbyterio nouo, quod à fundamentis ſumptibus propriis magnifice conſtruxerat. In cuius obitu flos Nigrorum obiit monachorum, qui ſcilicet abbas abbatum in Anglia extiterat, & epiſcopus epiſcoporum coruſcauit. In vigilia Aſſumptionis circa horam primam, comitante inundatione pluuiali, inſonuit ictus tonitrui cum fulgure, quod cadens ſuper turrim eccleſiæ ſancti Petri, in villa S. Albani, & eam penetrans cum horribili fragore, maximam quercum quaſi plicam contorſit, & quaſi in fila minuta diſſipando contriuit. Eligitur magiſter Thomas de Veteri Ponte in epiſcopum Carleolenſem, licet dominus rex pro alio, videlicet Priore de Neuburgo vrgentiſſime ſupplicauit. Venerunt in æſtate quidam nobiles de imperio Græcorum ex auro veſtiti, cum equis, ſummariis, & familia copioſa ad curiam Romanam, qui dominum papam aggredientes, verbis aſperrimis impoſuerunt ei quod enormiter errauit in fide, & per eum omnes Latii, qui dicunt ſpiritum procedere à patre & filio, qui tamen à patre procedere aſſeritur, ſecundum Græcorum probationem & approbationem, & hic eſt error antiquus Græcorum. Aliaque inconuenientia redarguebant, quæ curia eadem euidentiis exercebat.

Papa autem pretioſa eis munera contulit, & fide inſtructos remiſit. Cum magiſter Albertus ad Romam reuerſus reſponſum Comitis Richardi domino Papæ nuntiaſſet, miſſis iterum à papa ſecretis nuntiis ad regem Angliæ, obtulit ei & conceſſit regnum Siciliæ & Apuliæ, ad opus Eadmundi filii ſui. Vt videlicet ipſe eos adquirere feſtinaret regaliter, & iuuamen parare, quale ſine grauamine poſſit. Rex autem de promiſſo adeo exhilaratus eſt, vt prædictum Eadmundum iam regem Siciliæ palam vocaret, credens profecto ſe iam ſubarratum de regno. Rex igitur quicquid pecuniæ habere potuit, miſit domino papæ vt Conradum & omnes ſuos Siculos & Apulos expugnaret. Papa autem non modicum congregans exercitum, & eis neceſſaria copioſe diſtribuit. Cumque defeciſſent expenſæ, regi ſignificauit, qui mittens ei literas patentes obligatorias omnia promiſit acquietare. Papa autem mandatis huiuſmodi acquieſcens, recepto ab vſurariis infinito theſauro innumeros ad exercitum ſuum congregauit. Quorum multitudo parum papali commodo vel regali profecit. Rex igitur Conradus irruptiones perpeſſus hoſtiles, opprobria, & diffamationes, graui cœpit dolore contabeſcere: & lethali lecto decumbere. Dicebatque væ mihi miſero, vt quid me genuit patet meus? Imperium quod vſque nunc floruit modo marceſcit. Maledicens ergo diei ſuæ natiuitatis, miſer migrauit à corpore. Papa autem hoc audiens, & ad vlteriores partes Apuliæ ſe transferens, totum fere regnum vſurpauit. Quod videntes optimates regionis, indignati ſunt: & ſuſcitantes quendam filium Frederici naturalem, nomine Memfredũ, adhęſerunt ei: facientes ei homagiũ, & ſic factus eſt nouiſſimus error peior priore. Poſt feſtum omniũ Sanctorũ venit peſtis ſequiſſima, quæ malum linguæ appellatur, & multos equos in Anglia & in Francia interfecit & multos infirmos & inutiles reddidit, qui vix poſtea ſanari potuerunt. In craſtino vero Aſſumptionis, arripuerunt iter duo monachi eccleſię S. Albani verſus Romam, ad repellendũ inſolentiã epiſcoporum, qui viſitationem nitebantur facere in eadem eccleſia, ſecundũ apoſtolica mandata, contra ſuorum tenorem priuilegiorum, videlicet dominus Gulihelmus de Huntoedon, & dominus Ioannes de Beretun. Eodem anno, cum hyemali tempore mare omnes terras ſibi vicinas occupauit, ita quod nec fruges poterant apparere, nec arbores vireſcere atque frondeſcere, adueniente tempore autumnali, inuentæ ſunt omnes terræ illæ licet diligenter cultæ, omni frugum genere carentes, ſalſugine maris inebriatæ. Ligna quoque tam ſylueſtria quam fructifera, arefacta ſole, patuerunt ſecuribus excidenda. Vnde nautæ in aquis operantes, veraciter ſunt experti quod mare in iſta fluctuatione, quaſi de alueo ſuo exiens, arenas in medio ſui vbi ſolet eſſe altitudo præfecit. Cum Comes de Warwick, Iohannes de Pleyſiz., & Guilbertus de Segraue, & alii nobiles Angliæ, cum eiſdem, per terram propoſuiſſent à Vaſconia repatriare, veniſſentque ad quandam ciuitatem in Pictauia, quæ Pontes dicitur, occurrentibus ciuibus & applaudentibus, honorifice ſuſcepti ſunt. Quibus in ſecuritate vt putabant epulantibus,

ecce

ecce currentes ciues, celata proditione inter eos compoſita, dixerunt eiſdem: ecce comites veſtri, & familia veſtra mouerunt iam ſeditionem in ciuitate. Erant nanque in ciuitate hoſpitati præter eos viri præclari de regno Angliæ quamplurimi. Et cum clamatum eſſet ad arma repoſcebant arma ſua hoſpitibus prius tradita ſibi liberari. Ipſi noluerunt, ſed vt prouiſum fuit ipſa retinerunt. Irruerunt igitur in eos ciues armati, & immiſericorditer captos cuſtodiæ manciparunt carcerali, nec eis valuerunt literæ regis Franciæ de ſaluo progreſſu.

Rex aurem hoc audiens, ſcripſit pro eis ciuibus eiſdem, ſed eius contempſerunt mãdatum. Obiit Gulihelmus de Cantilupo, iuuenis elegans & diues, qui iam tertius fuit Cateluporum, qui infra paucos annos de medio ſunt ſublati. In feſto S. Eadwardi, emanauit Breue inauditum à Cancellaria regis, vt inquiratur in maneriis religioſorum quot ſint carucatæ propriæ & quod conſuetudinariæ, & ſi poſſunt vnam carucatam facere vel maius vel minus, ſimiliter de precariis.

Item cuius æſtimationis ſint quælibet per ſe communibus annis, deductis expenſis. Item cuius æſtimationis ſint ſeruitia ruſticorum, item & quanti ſint redditus eorum, & vt hæc inquiſitio fiat per quatuor viros religioſorum fideles, & præpoſitũ loci in ſingulis maneriis. Suppleuit autem officium Cancellarii magiſter Gulihelmus de Kilkenni, modeſte & laudabiliter, qui & Cancellarius appellatus eſt. Non multo poſt, electus eſt idem magiſter Gulihelmus in epiſcopum Elienſem. Circa eoſdem dies, obierunt tres abbates in Mariſco, videlicet de Croiland, de Thornie & bonus abbas de Ramſeie, ſcil. Gulihelmus de Hacholt. 16. Kal. Nouembris, rex Francorum ad propria reuerſus nullam admittere voluit conſolationem, ſed oculis in terram defixis cum ſumma triſtitia & crebris ſuſpiriis imaginabatur captionem ſuam, & per eam Chriſtianitatis generalem confuſionem. Tandem quidam epiſcopus ſanctus, conſolans eum, ait Caue domine ne in tale tædium & triſtitiam præcipiteris, maximum enim peccatum eſt, quia ſancto ſpiritui cedit in præiudicium. Reduc autem ad oculos patientiam Iob, tolerantiam Euſtachii, & ſic de aliis: cui rex ſi ſolus opprobrium paterer & aduerſitatem, & non redundarent peccata mea in eccleſiam vniuerſalem, hæc æquanimiter ſuſtinerem. Decantata igitur miſſa in honorem Sancti Spiritus, per Dei gratiam monita admiſit rex conſolationis. Rex quoque Angliæ omnimoda pace compoſita cum rege Hiſpaniæ, reditum ſuum in Angliam maturauit. Qui licentia de rege Franciæ obtenta, per terram magis elegit remeare. Cupiens inſuper regnum viſitare Francorum miſſis nunciis, ad regem, licentiam impetrauit tranſeundi. Quod audiens Comitiſſa Cornubiæ, quod rex Angliæ ſimiliter cum regina ſorore ſua foret tranſiturus per regnum Franciæ, & quod regina Franciæ altera ſoror eius venientibus occurſaret: ex indultu viri ſui, ſcilicet comitis Richardi, vt ſorores viſitaret, multo ſtipata comitatu transfretauit. Electus interim Wintonienſis Æthelmarus monachos ſuos miſerabiliter oppreſſit, ita vt aliqui eorum mentis amaritudinis fatigati, nunquam poſtea reſpirarent. Conuentus igitur diuerticula quærens tutiora, diſperſus eſt ad diuerſas domus nigri ordinis gratia perendinandi. Rex autem improperans ei ſuper hoc, quod ingratus dedecus reddidit pro honore, pro beneficio maliciam rependendo. Electus autẽ mandatis huiuſmodi nõ obtemperans, loco eorum qui receſſerant, indignos cucullauit. Priore autem Romam adeunte, Prior nouus per electum intruditur, qui omni perturbatione in eos, pro electi voluntate, ſruebatur. Circa feſtum. S. Nicolai, obiit papa, Innocentius quartus, apud Neapolim, duplici dolore fauciatus. Poſtquam .n. eum epiſcopus Lincoln. Robertus cuſpide baculi pupugerat, languore continuo laborabat & poſtquam exercitus ſuus diſſipatus eſt & victus, ipſe vix poſtea remanſerat ſemiuiuus. Eadem vero ſeptimana, facta eſt viſio quædam in ſomnis cuidam Cardinali de eo, quod coram iudice ſedente pro tribunali incuruatus idem papa, grauiter accuſatus eſt à quadã matrona nobiliſſima. Vnde ipſe veniam ſuper hoc deprecans, villicationis ſuæ mercedem ſortitus eſt finalem. Hanc vero viſionem plenius narrauit euigilans, & publica facta eſt in partibus illis. Succeſſit autem ei alius vir ſatiſq; bene religioſus, epiſcopus videlicet Oſtienſis, nepos G. papæ. Vocatus eſt Alexander quartus. In principio autem creationis ſuæ ſcripſit cunctis eccleſiarum prælatis, poſtulans humiliter vt orarent pro ipſo, vt dominus daret ei poteſtatem, gratiam, & voluntatem, eccleſiam Dei congrue gubernare, & vicarius Dei, & Petri ſucceſſor competenter appellari. Hic nempe quorundam conſilio & perſuaſu, prædeceſſoris ſui Innocentii guerram inchoatam contra Fredericales, & præcipue Memfredum, filium Frederici naturalem, continuauit. Et ne rex Angliæ de ſpe fraudaretur concepta de promiſſione ſibi facta de regno Siciliæ.

De trans-

De transitu regis Angliæ per Franciam.

Tunc veniens rex Angliæ ad domum nobilem sanctimonialium, videlicet Fontem Ebraudi, fecit tranferri corpus matris suę Isabellæ in ecclesiam, & ibi sepeliri. Similiter veniens ad Pontiniacum infirmatus, ad feretrum beati Eadmundi orauit, & sanitatem recepit. Quo in Franciam properante, iussit rex Franciæ magnatibus terrę, & ciuibus ciuitatis, per quos idem rex foret transiturus, vt omnibus semotis offendiculis, omnia ornamentis redimirent, & ei obuiantes & obsequentes, reuerenter susciperent. Rex autē idem occurrit ei apud Carnotum. Iussit insuper idem rex omnia mense necessaria de sumptibus suis dicto regi, dum esset in regno suo, exhiberi: quod rex Angliæ in parte acceptauit. Habuit enim in comitatu suo mille equos pulcherrimos, exceptis bigis, & summariis, & exceptis propriis assessoribus. Aduenerunt etiam ei obuiam regina Franciæ, & sorores suæ, Comitissæ Andegauiæ & Prouinciæ, vt sororibus suis, scil. reginæ Angliæ, & Comitissæ Cornubiæ simul cum rege aduenientibus occurrerent. Fuerat autem mater earundē ibi præsens, nomine Beatrix, quæ Prouinciæ Comitissa vocatur. Scholares autem Parisienses maximę nationis Anglicanæ, suspensis ad horam lectionibus, cereos emerunt vestesq; festiuas, & diuersa, quæ gaudium poterant attestari: & præparatis cantantibus florigeris cum sertis, & coronis, & musicis instrumētis, processerunt obuiam venientibus, sicq; transigunt totum diem illum & crastinum, ciuitate tota Parisiis mirabiliter adornata, in gaudio, & canticis humanioribus, & exultationib. Rex autem Angliæ oblato sibi palatio regis Franciæ ad hospitandum: apud vetus Templum hospitatum est, præcipiens illico vt in crastino summo mane omnes domus eiusdem curiæ pauperibus replerentur reficiendis. Visitatis in crastino honoralibus locis Parisiis. Epulabatur rex Franciæ cum rege Angliæ, post prandium vero transmisit idem rex Angliæ magnatibus Francigenis cuppas nobiles, & alia preciosa donatiua. Interfuerunt eidem cōuiuio reges duo, & reginæ duæ, duces. 25. episcopus. 12. militum autem præclarū numerus inæstimabilis, Comitissæ vero. 18. Nocte vero illa hospitatus est rex Angliæ in palatio regis in medio ciuitatis. Voluit enim ita rex Franciæ. Sicque fuerunt duo reges sese simul colloquiis recreantes per 8. dies. Quo recedente compertū est eum mille libras exposuisse in expēsis Parisiis. Exceptis donatiuis inpretiabilibus. Veniens autem rex ad mare, nec ventum habens prosperum, apud Boloniam moratus est inuitus. Vbi obiit Petrus Chaceporc, natione Pictauēsis reginæ thesaurarius, & regis clericus, & consiliarius specialis

De graui contribulatione Angliæ facta per rostandum.

Anno gratiæ. 1255. rex Henricus tertius, cum rediit de Vasconia fuit apud S. Mariam de Bolonia, ad Natale domini, anno regni sui 39. ventum expectans prosperum ad transfretandum in Angliam fecitq; honorifice sepeliri corpus prædicti Petri Chaceporc, qui in vigilia Natalis domini interiit. Hic sexcentas marcas legauit comparandum terram in Anglia, vt ibi ecclesia religiosorum canonicorum de Mertona electorum ædificetur, & pro anima eius, & omnium fidelium ibidem Deo in perpetuum seruiatur. Die vero dominica, rex trāsfretans, apud Douerią prospere applicuit, cui aduentati occurrerunt Comes Richardus frater eius, & alii nobiles, ad hoc de longe aduocati, qui simul cum aliis prælatis munera ei obtulerunt preciosa. Cum dominus rex electionem de magistro Gulihelmo de Kilkenni acceptasset, de fidelitate Dn. Henrici de Wengham confisus. Eidē commisit sigilli sui custodiam, quam dictus magister Gulih. electus prę habuit. Londinenses autem regi, quem sitienter desiderauerant aduentanti, obtulerunt centum libras, nec tamen rex hoc pro gratuito reputauit, dicens: hoc tanquam pensum sibi debitum persolui. Qui cum hoc agnoscerent, vas quoddam preciosissimum ei super addiderunt, & sic grates reportarunt. Non diu postea, rex quęstionem mouens de Londinensibus, pro quodam clerico, mortis reo, & incarcerato apud Newgate & elapso, exegit ab eisdem 3000. marcarum, nomine punitionis. Qui responderunt, quod rex ipsum incarceratum concesserat episcopo, eo quod clericus esset. Sed quia episcopus idoneum carcerem non habuit, supplicauit ciuibus, vt eidem carcerem prędictum accommodarent ad præfatum clericum, qui ibidē impositus euasit, vnde talis euasio, deceptis custodibus episcopi, nobis non fuerat imputanda. Cumque sic se iuste excusarent, remissionem impetrare à rege non poterant. Obiit Herualdus de Bosco vnus ē Prothoforestariis Angliæ, 8. Idus Februarii: sepultus est autem apud Bethelesdene, ante maius altare. Exegit insuper rex à Iudæis 8000. marcarum, sub pœna suspendii in breui soluenda. Ipsi vero petita à rege licentia voluerunt (vt prius tactum est) exire de Anglia irredituri. Quos tamen rex tradidit Comiti Richardo ad pecuniam extorquendam puniendos. Vnde idem Comes regi accommodauit, non minimam

nimam pecuniam sub pignore auri pretioso. A festo vero S. Valentini vsque ad mensem sequentem ventus vehemens cum pluuiarum infusionibus, diebus ac noctibus, inauditã excitauit perturbationem. Eiecitq; mare in episcopatu Norwic. quandam belluã, monstruosam nimis, turbinibus fluctuum exagitatam & interfectã. Quæ multo maior balena extitit, veruntamen non balena, sed monstrum dicebatur, quę totam patriam vicinam dirauit. Missus est in Angliam quidam elephas, quem rex Franciæ pro magno munere dedit regi Angliæ, cum esset in partibus Gallicanis: nec credimus alium vnquam visum fuisse in Anglia. Dedit insuper regina Franciæ regi Angliæ vnum pauonem, videlicet lauacrum lapideum mirabile, quod similitudinem pauonis in forma ostendebat: & erat lapis preciosus, qui Perla dicitur, ex auro & argento, & Saphiris, sicut verus pauo orbiculatus. Qui rex ad S. Albanum veniens, per 6. dies moratus est ibidem, die qualibet & nocte cum magno luminari beatum visitans martyrem, & ei pallas offerens preciosas & vnam capam Coralẽ. Sub diebus autẽ Dominicæ passionis filius cuiusdam militis, nomine Ioãnes de Sceldford, de militia. S. Albani, vt eiusdẽ patris sui hęreditatẽ citius cõsequeretur, illius mortem procurauit, nec canonicum quenquã cum prædicto patre inuentum viuum dimisit. Vnde conuictus super hoc, Londini equis ad furcas tractus, cum alio cõsangineo suo sibi cõsentienti, suspensus est. Eodem anno in quadragesima, vt pro vero accepimus, visio quædam nocturna contigit papæ Alexandro, de nouo creato. Eadem fere, quæ prius contigit cuidam Cardinali, vt præscripũ est de Innocentio Papa nuper defuncto. Iussit igitur pius papa eleemosynas, pro ipso erogari & missas celebrari. In quindena vero Paschæ conuenerunt Londini ad Parliamentum omnes nobiles Angliæ, vbi dominus rex multis se debitis conquestus est implicatum, nec se posse sine eorum auxilio liberari postulans vt de Baroniis sine quibus decimæ fuerunt sibi concessæ, plenam reciperet portionem. Inito igitur inter eos consilio, consensum est quod multum sese grauarent pro magnæ Chartæ obseruatione, extunc & deinceps. Exigebãt igitur vt de communi consilio regni sibi iusticiariũ, cancellarium & thesaurarium eligerent, sicut ab antiquo consuetum est: qui etiam non amouerentur nisi communi regni consilio, & deliberatione. Quibus responsum est, quod nullo modo hoc faceret. Tandẽ dilationem sumpsit negotium hoc, vsq; ad festum S. Michaelis, vt interim fidelitatẽ regis experiret versus eos, in Chartæ obseruatione, toties promissæ & redemptæ, & ipsi pro possibilitate ei studerent subuenere. Tunc temporis tantum erat aer intempestiuus per totum fere tempus vernale floribus & arborib. inimicissimus, quod toto mense Aprili nec imber, nec ros, terrã arentem imbuens, vel modicum præstitit refrigerium. Ebor. archiepisc. Walterus de Graie, in prædicto parliamento cerebrum habens pro cotidianis ieiuniis & solicitudinibus infirmatum, ita vt amisso penitus comedendi appetitu supra modum debilitaretur, ad Fulenham, manerium episcopi London. diuertit, vbi tertia die post aduentum suum fœliciter expirauit. Hic 40. fere annis ecclesiam suam Eboracensem strenue rexit, exceptis tribus mensibus & tribus septimanis. Et sic circa Kal. Maii, viam vniuersæ carnis est ingressus. Cuius corpus honorifice delatum est Eboracum, in ducatu episcopi Dunelmensis Walteri, suffraganei sui, & in ecclesia Eborum condigne traditur sepulturæ. Significatum est capitulo Lincoln. à magistro Hugone de Mortuo mari, domini Cantuar. Officiali, vt cassato Gulih. Lupo quãdoq; archidiacono Lincolniẽsi, alium sine dilatione loco ipsius subrogarent, vel ipse magister Hugo, authoritate apostolica, & domini sui Cantuariensis, illud faceret, & canonicos de inobedientia puniret. Canonici igitur nouum sibi archidiaconũ creauerunt, magistro Gulihelmo prædicto omnia hæc patienter tolerante, & pro ecclesiæ suæ libertate viriliter laborante. Dominus papa Alexander Octauianum Cardinalem destinauit cum magno exercitu ad destruendam ciuitatem Nucheram, cum Menfredo rege ibidem latitante. Cum igitur Octauianus dispositis agminibus cum quodam ingenioso & potente bellatore Marchisio ad ciuitatem fere peruenisset: Irruit terror super hos & illos, ita vt nec ciues aduenientes, nec aduenientes ciues auderent hostiliter impetere. Tandem autem Marchisius dixit Octauiano. Donne recedat tertia pars exercitus nostri. Sunt enim quasi obsessi & inclusi Memfredus & eius exercitus: non enim audent exire. Iterum autem idem Marchisius exercitum minuit, ita quod vix duodecim millia de 60000. remanerent. Quo facto, proditor ille Marchisius prædictum Memfredum secrete adiuit, & omnia hæc per se facta, quasi per amicum Frederici fidelissimum intimauit. Exiit igitur Memfredus & eius exercitus, & exercitui papali appropinquantes, Octauiano vix euadente, omnes quasi auiculas illaquearunt, præter familiam Marchisii omnibus trucidatis.

Vt Chartamagna obseruetur.

Acclamtum est in comitatibus & annunciatum est in ecclesiis, vt magna Charta inuiolabiliter teneretur, quam rex Iohannes concessit, & iste rex præsens multoties confirmauit, & lata est sententia solenniter in omnes eiusdem violatores, quam tamen rex minime obseruat, bona ecclesiæ Eboracensis vacantis inhumane distrahens, dicensq; Quare non obseruant ipsi episcopi & magnates erga subiectos suos Chartam illam quam tantum clamitant obseruari. Cui responsum est. Domine deceret vos primitus obseruare, & alii sequerentur. Accusantur Robertus de Ros, & Iohannes de Baliolo, quod regnũ Scotiæ, regem & reginam, quorum tutela eisdem fuit concessa, infideliter & inhoneste contrectarent. Seminarium autem huius accusationis initium sumpsit à magistro Reginaldo de Bathonia, Physico, qui in Scotiam destinatus, vt regi & reginæ curam suam apponerer, eorundem cognoscẽs grauamen, regi Anglię totum significauit: vnde dictus magister eorundem custodes super hæc redarguens, ibidem (vt dicitur) nõ diu post potionatus, lectulo decubuit, quam citius moriturus. Ecclesię quædam nobiles in Anglia debitis prægrauãtur innumeris, videlicet Cantuar. in quatuor millibus marcarum. Vnde tradiderunt sex maneria sua Iohanni dę Gatesdene militi, vt eos à debitis liberaret, & ea sub bonis conditionibus, donec debita euacuarentur, retineret. Similiter & Roffensis Prioratus inęstimabilibus debitis illaqueatus, se in manus prædicti Iohannis & aliorum creditorum obligauit. Nobilis insuper Winto. Prioratus, irrestaurabilibus iacturis prægrauatus, suas merito sensit cicatrices, vt prædictum est. Quid de ecclesiæ beatæ Mariæ Ebor. cœnobialis, & aliarum nobilium ecclesiarum enarrarem confusionem? Sed vt hominibus manifestetur Dei indignatio. In statu corporum, supracœlestium fit discordiæ manifestatio. Luna enim passa est eclipsim insolitam mense Iulii, in nocte post festum sanctæ Margaretæ, quæ fere per quatuor horas perdurauit. Obiit nobilis Baro, & inter omnes nobiles Angliæ nobilissimus, & sapientissimus, Warinus de Munchenesy, cuius testamẽtum ad, 200000. marcarum dicitur ascendisse. Hæredis autẽ illius custodiã contulit dominus rex fratri suo Gulihelmo de Walentia, qui filiã eiusdem Wareni desponsauit. Iohannes Franciscus, domini regis clericus pręcipuus, paralysi percussus, à monachis S. Mariæ Ebor. & de Seleby fusius est lacrymis deplorandus. Iohannes de Grey, miles modestus & discretus, à curia se subtraxit regis, fœliciter edoctus. Dominus rex conuocato exercitu, versus Scotiam lora direxit & vexilla. Grauem de Roberto de Ros, & Iohanne de Baliolo, mouens quęstionem. Qui regno Scotiæ appropinquans, præmisit Comitem Glouern. & Iohannem Mansel, vt veritatem super præmissis inquirerent. Qui Castra puellarum, in quo rex & regina fuerant, appropinquantes, sepositio comitatu sequente, caute intrauerunt. Deinde eorum comitatus stillatim subsequitur. Accersita igitur à regina veritate super statu suo & præmissis grauaminibus, eam ciuiliter & modeste consolabatur. Vocantes districte Robertum de Ros, vt veniret responsurus in curia regis Angliæ, ad sibi obiecta. Qui tandem veniens sub certa forma, spopondit domino suo regi Angliæ, de omnibus respondere, veruntamen rex de consilio suorum fecit seisiri terras prædicti Roberti, & arctæ custodiæ deputari. Iohannes vero de Baliolo, qui grauiter, sicut & Robertus, accusabatur: de pecunia, qua abundauit, regi satisfaciendo, pacem sibi comparauit. Cunctis igitur pacificatis, cum dominus rex Angliæ & regina sufficienter cum rege Scotorum, & regina, eorum filia, colloquium mutuum habuissent, rex versus partes australes Angliæ reditum maturauit. Et cum Dunelmum venisset, quorundam concilio susurronum certificatus de pecunia non minima in ecclesia eadem deposita, videlicet episcopi Nicolai de Fernham, & episcopi Elienſis, Gulihelmi de Kilkenni, & quorundam clericorum. præcepit igitur rex vt seris & sigillis confractis, licet inuitis monachis, pecuniã inuentam ad opus suum tollerent ministri sui, non quasi ablatam aut raptam, sed accomodatam, & bene eisdem persoluendam. Consecratus est magister Gulihelmus de Kilkenni, in episcopum Elienſem, in partibus transmarinis scilicet apud Belesmum, die Ascensionis beatæ Mariæ, ab archiepiscopo Cantuarienſi. B. episcopi vero cæteri Angliæ, similiter & conuentus Cantuar. super hoc doluerunt, ne in consequentiam traheretur. Quia semper in Anglia consueuerunt episcopi consecrari. Infra octauas vero Natiuitatis beatæ Mariæ, venit Londinum electus Tholetanus, frater regis Castellæ, Sinchius nomine, ætate. 20. annorum, & cum eo quidam potens de Hispania, Garsias Martinus nomine, qua de causa, nesciebatur, sed causa videndi terrarũ & gentium diuersitatem. Quos dominus rex honorifice præcepit suscipi, & nullum eisdem vel suis offendiculum opponi. Audiens rex Franciæ regem Angliæ prædictum fœdus matrimonii iniisse cum rege Castellæ, suspectam habens huius copulationem, postulauit filiã, eiusdem

dem regis Castellæ filio suo in vxorem exhiberi, vt tanto plus conditionem suam meliorarer quo ipse filiam. Rex vero Angliæ sororem obtineret, quod ad votum impetrauit. Episcopus Herefordensis, Petrus de Egeblanche, regis auribus instillauit, vt tria vel quatuor sigilla de aliquibus authenticis Angliæ prælatis habere se faceret. Et ipse industria sua cæteros prælatos, vna cum eis ita obligaret, vt regis indigentia, quam nouerat, quam citius respiraret. Vnde inclinato rege ad consensum, Romam adiens, dominum papam inuenit mœstum & debitis non modicis irretitum. Cui episcopus. Pater sancte, ne solicitetur paternitas vestra de quantitae debitorum, quia ante recessum nostrum ab Anglia de solutione vestra forma prouidebitur certissima, dummodo de fauore & licentia vestra liceat mihi prosequi, quod corde concepi, quo annuente.

De sententia lata in transgressores libertatis ecclesiæ Anglicanæ.

Anno gratiæ. 1256. lata est sententia in omnes transgressores libertatis ecclesiæ Anglicanæ, nec non & magnæ Chartæ de libertatibus de Foresta in hunc modum. Anno domini 1256. in maiori aula regis Westmonaster. sub præsentia & assensu domini Henrici Dei gratia regis Angliæ, & dominorum Richardi Comitis Cornubiæ fratris sui, Richardi de Clare, Comitis Gloecestriæ & Herefordi, Rogeri Bigoti Comitis Northfolchię & Suthfolc atq; Marescalli Angliæ, Humfredi de Bohun comitis de Hereford & Eastsex, Iohannes de Waren. Comitis Susex & Surrey, & aliorum optimatum regni Angliæ: nos Bonifacius diuina miseratione Cantuariæ archiepiscopus, totius Angliæ primas, Fulco Londinensis episcopus, Hugo Eliensis, Robertus Lincoln. Walterus Wigorniæ, Walterus Norwic. Petrus Hereford, Gulihelmus Satum. Walterus Dunel. Siluester Karl. Gulihelmus Bathon, Laurentius Roffensis, sacris induti, candelis accensis: transgressores libertatum ecclesiasticarum & libertatum seu liberarum consuetudinum regni Angliæ, & præcipue eorum quæ continentur in Charta communi libertatum & Charta Foresta, excommunicamus, & sententiam solemniter tulimus sub hac forma. Authoritate Dei, patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, & glorioſę Dei genitricis semperq; virginis Mariæ beatorum apostolorum Petri & Pauli, omniumq; apostolorum, beati Thomæ archiepiscopi & martyris, & omnium Sanctorum martyrum, beati Eadwardi regis Angliæ, omniumq; confessorum atq; virginum, omniumq; sanctorum Dei, excommunicamus anathematizamus & à liminibus sanctæ matris ecclesiæ sequestramus omnes illos, qui a modo scienter & malitiose ecclesias, & libertates priuauerunt suo iure. Item omnes illos qui ecclesiasticas libertates vel antiquas regni consuetudines approbatas, & præcipue libertates & liberas consuetudines, quæ in Charta communi libertatū & de Foresta continentur, concessas à domino rege, archiepiscopis, episcopis & cæteris ecclesiæ prælatis, Comitibus, baronibus, militibus, & libere tenentibus, quacunq; arte vel ingenio violarint, infregerint & diminuerint, seu mutarint clam vel palam, facto vel verbo, vel consilio contra illos vel illorum statuta ediderint, vel edita seruauerint, conseruata introduxerint, vel seruabunt introductas. Scriptores vero statutorum, necnon consiliarios, executores, & qui secundum ea præsumpserint iudicare. Qui omnes & singuli superius memorati sentiam se nouerint incursuros ipso facto qui scienter aliquid cõmiserint de prædictis: qui vero ignoranter, nec cõmoniti infra. 15. dies à tempore monitionis se correxerint & arbitrio Ordinariorum plene satisfecerint de commissis, ex tunc sint hæretica sententia inuoluti. Ad assumptionem beatæ Mariæ virginis, celebrauit rex Henricus splendide festiuitatem apud Wodstock, inuitatis ad eundem Alexandro rege Scotiæ, cum sua regina regis nostri filia omnibus etiam Anglorum maioribus ibidem conuocatis cum solennitate magna: Sewallus electus Eborum, in archiepiscopum consecratur ab episcopo Wigorniæ, & Henricus Prior Euesham, in abbatem loci intronizatus ab abbate Persorensi. In crastino Natalis domini, electus est dictus Richardus Comes Cornubiæ, à Teutonicis in regem Alemanniæ: & Elerius abbas de Persore, Baro factus est de Scaccario regis, initio quadragesimæ.

De coronatione Richardi Comitis Cornubiæ in regem Romanorum.

Anno gratiæ. 1257. Henricus tertius rex Angliæ, anno regni sui 40. curiam suam solennem tenuit apud Westmonasterium ad Pascha generaliter, cùm omnibus regni maioribus, vbi interfuerunt nuncii proceres celeberrimi, mole corporea & cultuum splendoribus excellentes, ex parte magnatum Alemãniæ, pro domino Richardo Comite Cornubiæ, germano eiusdem regis Angliæ, quem in regem (vt prædixit) elegerunt Romanorum. Qui acceptis obsidibus statuto tempore tanto dignus ministerio, peruenit Aquisgranum cum honore & gloria, die veneris proxima ante festum Ascensionis dominicæ,

rentibus eidem ante ciuitatis ipsius introitum omnibus nobilibus & maioribus vniuersaliter clericis & laicis ciuitatis eiusdem, qui eum magnifice & honorifice, cũ magno tripudio & iubilo susceperunt. Tandem in die Ascensionis dominicæ, præsentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus & Ducibus, Comitibus, Baronibus, & nobilibus regni innumerabilib. in sede Magni Caroli, sanctæ vnctionis chrismate more regio delibutus, sceptrum Romani regni suscepit & coronam, Senchia consorte sua secum vt decuit soleniter coronata. Eodem anno, Walterus Norwicen. episcopus obiit, successit magister Simon de Wanton. Et Radulphus de Norwico, Cancellarius Hyberniæ à Canonicis Dublini, in archiepiscopum loci canonice electus, à suis procuratorib. in curia Romana nequiter proditus est & cassatus, & Fulconi de Sandford, qui à causa aderat, archiepiscopatus idem confertur. Eodem anno guerra Walliæ detestabilis incepit. Nam Eadwardus regis filius cuius dono eam in magna parte nactus est, partes Cestriæ adiit. Vbi malo consilio circumuentus, iugum seruitutis insuete Walensibus imponendo, singulorum corda à se prorsus alienauerat. Leolinus igitur princeps Wal. collecto exercitu, viriliter patriam defendebat, & paternas libertates sustinendo, Anglis potenter resistebat, ad quem expugnandum missus est Stephanus Bausan, & alii multi milites strenuissimi, qui omnes fere vnodie, vna hora, per quendam proditorem Rhesum Vaghan nomine, seducti & miserabiliter iugulati, corruerunt. Pauci verò ê multis euaserunt coopertis. 200. circiter equitaturis in hoc miserabili conflictu perditis, & a Walensibus acquisitis. Hæc autẽ occisio longo retroacto tempore crudelior & immanior (heu proh dolor) extitit Anglorum gentis. Henricus ergo rex super hoc nimirum valde anixus, ingenti collecto exercitu, partes Walliæ adiit in Septemb. vsq; Cestr. & * Samake, ibi per mensem moram faciens, sine congressu aliquo Wallensibus, vtpote retrahẽtibus se, prout semper moris est illis, & in montib. paludibus, seu nemoribus se abscondentibus, nec vnquã cum Anglis in plano dimicare audentibus: nihil tunc dignum magnificentia sua ibidem potuit exhibere. Scutagium tamen per Angliam tunc temporis colligere fecit.

Gaimilron.

De colloquio apud Oxon. facto, & Pictauiensium expulsione.

Anno gratiæ. 1258. quidam, magister Arlotus vocabulo, à papa Alexandro missus, post Pascha venit in Angliam, ad eam excoriendã à rege (vt putabatur) inuitatus. Magnates igitur terræ videntes regnum vndiq; desolatũ, tum ex exactionibus, & tallagiis, tam curiæ Romanæ quã regis, quam etiã alienigenarũ, & præcipue Pictauiensiũ elatione præsumptuosa, fauore regio in regno nimium in sublimi prouecta, tantas in Anglia dominationes sibi vsurpantium & magisteria, post Pentecosten apud Oxon. colloquium generale celebrauerunt super his, necnon & status regni melioratione efficaciter & exquisite tractaturi. Quo non sine armis & equis electissimis muniti venerunt, vt si rex & alienigenę suis prouisionib. & statutis sponte cõtemnerent assentire, rigore appositio cogerentur, aut ipsi alienigenæ vniuersaliter sine mora regnũ Angliæ penitus euacuarent. Quas quidem prouisiones Oxon. & statuta necnon & magnã Chartam de libertatib⁹ & de foresta. Tandem domino rege ad suorum procerum obseruantiam statutorũ inclinato, per quendam de suis militib. tactis sacrosanctis iuramentũ præstãte, 24. prudentiũ virorũ nationis Anglicanæ, quos ad regni gubernationẽ sub eodẽ duxerint inter se eligẽdos, consilio se commendauit & considerationi. His igitur peractis fidelitatem regi & regno, & ad considerationẽ suorum Parium stare omnes, quotquot in regno cõmorare vellent, fecerunt iurare.

Fuerunt ergo nonnulli, qui ad id tempus pro fraterna cognitione regis cõfluxerant. Quos occultabat Anglia, adeo vt pro multitudine sua & elatione* onerosi Anglis viderentur. Æthelmarus videl. electus Wintõ. Gulih. de Valentia, Galfridus, & Guido de Lezen. fratres regis ex parte matris, cũ quibusdã aliis, renitẽtes condescẽdere iuratorũ prouisionibus aut iurare. Vnde ab Oxonio discedentes indignanter secesserunt in partes Winton. Quos autẽ proceres regni, in itam vehementer compulsi, cum equis & armis viriliter sunt insecuti. Veniẽtes demũ dominus rex & magnates vnanimiter Wintõ. illic aliud tenuerũt Parliamentũ, quod timẽtes præfati Pictauiẽses, iudiciũ expectare nolentes, per clãdestinæ fugæ præsidiũ, vna cũ quibusdã eorũ compatriotis, cõfestim à regno recedẽtes, Prouinciã expetierunt. Mortuo autẽ Ioanne rege, Isabella regina, mater regis. H. Tertii, nupsit Hugoni le Brun. Comiti de Marchia inter Franciã & Pictauiã, quæ peperit ei. 5. filios fratres regis. H. vterinos: videl. Gulih. de Valentia, Guido & Galfridus de Lizenen, omnes habẽtes cognomẽ à loco natiuitatis. Quartus Hugo le Brun, quintus Æthelmarus, postea Winton. episc. Arlotus etiã Dn. papæ nuncius, Romam rediit, infecto negotio pro quo venerat. Nunc multum post Comes Gloceſt. Rich. & Gulih. de Clare frater eius, virulento hausto inuo-

Odiosi.

inuoluti sunt. Consul vero celeri iuuamine reuelatus cõualuit, sed alter mortis celeritate præuentus est. In vigilia beati Ioann. Baptistæ, tempestas valida pluuiarum inundantium super riuos aquarũ Sabrinæ à Salopia versus Bristol. qualis nõ est visa nostris temporibus, ex cuius inundatione quasi ex abditis (vt dicebatur) inferi finibus erumpente, omnia prata iuxta Sabrinam similiter & sata perdita sunt & penitus violata. Dimersi sunt etiã in illis aquis vehementibus homines nonnulli, & pueri innumeri, & animalia innumerabilia diuersi generis. In eadem æstate obierunt multa millia hominũ Lond. & alibi per Angliam fame attenuatorum. Tam tarda subsequebatur frugũ in autũno maturitas præ nimia pluuiarum abundãtia, quod in pluribus regni partibus, ad festum omniũ Sanctorum messes reconderentur. Hoc anno interfecti sunt proditorie iuxta Carmadin Patricius de Chauton, dominus de Kedwelli, & Hugo de Vyun, milites egregii, & alii multi, tã equites quam pedites à wallensibus interempti. Ad festum S. Michaelis celebris illa Sarum ecclesia dedicata est, domino rege Henrico, & multis nobilibus Angliæ illic tunc præsentibus. Circa purificationem beatæ virginis, Richardus rex Alemãniæ, frater regis Angliæ rediens, applicuit apud Doueriam cum sua regina quinto kal. Febr. Qui iurare fecit in animam suam vnum de militibus coram rege nostro & suis notis Consiliariis, cæterisque magnatibus regni, apud Cantuar. se ad honorem Dei & vtilitatem regis Angliæ, necnon hæredum suorum pariturum ordinationi & stabilimentis cõsiliariorum regis nostri, ad hoc iuxta prouisiones Oxoniæ specialiter iuratorum.

Rex Alemanniæ venit in Angliam. Comes Leicestria redit in Angliam.

Anno gratiæ 1259. qui est annus regni regis. H. 43. fuit idem rex ad Natale domini Londini, vbi magna est tractatum solicitudine de rege Alemanniæ Richardo, qui sitiẽter desiderabat in Angliam venire. Fuit autem aduentus eius quibusdam valde suspectus, formidabant enim ne & ipse vindictam refunderet in Barones de exilio fratrum suorum vterinorum, & totius regni proposito salubri & felici supponeret repagula contradictionis ordinationi. Dum vero gaudia Natalicia agerentur, ne lætitia huius vitæ eueniat, tristitia impermixta, die sancti Thomæ martyris, obiit Philippus Louel domini regis consiliarius specialissimus, & thesaurarius, apud Hamesle ecclesiam suam præ dolore mentis vt dicitur annullatus, eo quod regi non reconciliandus accusabatur super iniuria & transgressione in foresta. Quo defuncto iussit rex omnia bona prædicti Philippi quam citius confiscari. Eodem tempore monachi Winton. comperientes quod rex nullum quem sibi eligerent in episcopum nisi charissimum acceptasset, elegerunt dominum Henricum de Wengham, regis Cancellarium, in episcopum & pastorem suum. Ipse autem considerans rem esse litigiosam, noluit ad hoc plene consentire, licet regem sibi fauorabilem exemplo possit obtinere. Circa festum S. Hillarii habito diligenti consilio super aduentum regis Alemanniæ, Barones nuncios solennes in occursum suum destinauerunt, videlicet episcopum Wigorn. abbatem S. Eadmundi, Iohannem Mansel, & Petrum de Sabaudia, cũ aliis, vt ipsos certificaret de causa aduentus sui & mora in regno. Comes autem Leceſt. nõ sine multorum admiratione in partibus adhuc morabatur transmarinis. Vnde magna in parte fuit consilium Banagii mutilatum. Rex autem acclamante præcone iussit ciuitatem Lond. mundatã incortinari, versus mare properando cum magnarum copia, equis & armis ad cautelam communita. Dictum enim fuerat quod idem rex Richardus vnum de fratribus vel plures secum adduceret, quod Baronum communio egre sustineret. Idem vero rex Richardus comitante regina in Angliam velificans, die sancti Iuliani applicuit apud Doueram, & sic remissa numerositate, quam congregauerat, cum priuata familia & castigata intrauit. Cui applicanti occurrit rex Angliæ, eidem vehementer applaudens, cũ non modica multitudine. Conuiuantes autem cum archiepiscopo Cantuariensi B. dies festiuos alacriter peregerunt congaudentes.

Die vero Purificationis venerunt reges & reginæ eorum, cum multitudine nobilium, Londinum. Quæ in aduentum tantorum principum mundata, multis honoribus & variis ornatibus splenduit serenata, occurrentibus eisdem aduentantibus ciuibus gaudentibus innumeris. In octauis vero Purificationis, congregati sunt nobiles Angliæ ad Parliamentum Londini, prout inter se prius condixerant. Comes autem Leceſtr. diutius ab eis absentatus, ibidem tunc conuenerat vna cum Biturien si decano, de secreto regis Francorum consilio transmisso. Circa Kal. Martii, Dn. Gulihelmus de Horton. monachus S. Albani, qui nuper in festo S. Catharinæ ex præcepto regis, & abbatis licentia, versus Scotiam iter direxerat, completis negotiis incolumis remeauit. Cui cum rex Scotiæ & regina & magnates regni, ad Parliamentum quoddam conuenientes, secundum quod rex An-

gliæ per eum expetiit, consensissel, considerantes quod graue esset principem regni de regno exire, & se tantis viarum laboribus & periculis exponere. Tandem miserunt solennes nuncios ad regem Angliæ & suum consilium S. Comitem de Bochan, magistrum Gulih. Cancellarium, & Dn. Alanum hostiarium, qui regis & reginæ & magnatũ Scotiæ in Angliã deferentes responsa, vna cũ charta prædictorũ magnatũ sigillis cõsignata, quã præfatus Gulih. de Horton. secũ prętulerat, cõpletis negotiis in breui remeabant. Eodẽ anno cũ immineret introitus Martii, capti sunt Lond. Walterus de Scotenay, principalissimus cõsiliarius Comitis Glouerniæ & Senescallus, suspectus de potione data eidẽ Comiti, & fratri suo Gulih. De qua potione Comes infectus, vix est à portis mortis liberatus: frater vero eius Gulih. interemptus. Similiter Gulih. de Bussaie Senescallus & consiliarius principalis Gulih. de Valentia. Hi licet antea sub tuta fuerant custodia fideiussorũ, nunc tamen capti & corã iudicibus præsentati, viliori sunt carceri & vinculis mancipati. Alter. n. potione, & alius iniuriæ conuincebatur frequẽtatione. Ipso tempore obiit Thomas quandoq; Comes Flandriæ, qui non pauca millia marcarum à simplicitate regis & reginæ obtinuerat. Ecclesiã. S. Albani sine causa nuper lędebat, dũ discordiã inter eam & regẽ imprudẽter seminabat. Circa Kal. vero Aprilis ex præcepto regis, & totius Baronagii consilio, arripuerunt iter transmarinum ad Parliamentum magnũ domini regis Franciæ pro pluribus arduis negotiis regna Franciæ & Angliæ contingentibus, Comes Glouer. & Leceſt. dominus Iohannes Mansel, Petrus de Sabaudia, & Robertus Vallerant, milites, habentes potestatẽ componendi & pacẽ inter eos firmiorẽ ineundi, si idẽ rex Franciæ pacta præcedẽtia, vt prędocutum fuerat inter speciales nuncios suos & regem Angliæ inuiolabilia satageret conseruare. Eodem tempore, accepta domo quadam cum mansione pertinente, cœperũt fratres prædicatores habitare apud Dunstaple: exemplo edocti fratrũ Minorum, qui nuper apud. S. Eadmundum mansionẽ, in non modicum abbatię nocumentum, constituxerant. Memorati itaq; fratres, priuilegiis Romanæ sedis animati, ecclesiã erexerant, & solenniter diuina prout desiderauerant, celebrabant. Ipso quoq; anno primaquindena quadragesimæ, obiit Comitissa Bononiæ, per cuius tyrannidem tot millia hominum (paucis annis iam elapsis) interfecta occubuerunt. Cum igitur nostri nuncii prædicti in partes peruenissent transmarinas, rex Franciæ illuc peruenit, vt illos Comitatus vacantes siue litigiosos, videlicet Bononiæ, Flãdriæ, & Henhoniæ, in suã reciperet potestatem. Prostratis turribus vrbis congregati sunt tunc temporis Romani cum indignatione & furore, creantes sibi duos nouos Senatores, qui constantes copiosum exercitum, insurrexerunt in senatorem nuper creatum, auunculum, scilicet Branchaleonis, ipsumq; in castro quodam Romæ obsidentes. Ipse tamen confidens de iuramento sibi facto fidelitatis, & de obsidibus quos habuit in sua ciuitate, scilicet Bononiæ, vnde erat oriundus, se strenue defendit, ne à nobilitate sui nepotis & prædecessoris deuiaret. Et sic in se confusa est ciuitas, & in magna parte consumpta. Eadem quadragesima orta est Oxoniis & Cantabrigiæ discordia grauissima inter scholares & burgenses: eo quod vnum reum mortis, carceri addictum, effracto carcere clerici violenter rapuerunt, in ecclesia trahentes ab ea protegendum, similiter & Parisiaca vniuersitas per Prędicatores & Minores non mediocriter est perturbata. Qui secundum vniuersitatis consuetudinem, scholarium noluerunt communitati adhærere. Ipsis quoq; diebus dum Parliamento suspenso statuta salubria prouiderẽtur, orta sunt verba contumelioſa inter Comites Glouerniæ & Leceſtrię, ita quod Comes Leceſtriæ, cõmotus in iram, transfretans secederet in Galliam. Quod cum Comes Herefordiæ & alii nobiles de confinio Waliæ audierunt, significauerunt Comiti Glouerniæ quod statuta communia firmius & fidelius seruaturus, prædictum Comitem reuocaret placatum, nullatenus talibus cõtrouersiis lacessitum: sin autẽ, ipsum Comitem Glouerniæ vnanimiter studerent impetere. Quo audito, ipse Comes sibi timens, misit Herueum Senescallum suum per totas terras suas ius tenere compromissum, & sic pro parte est hoc mitigatũ. Pax autem, inter reges prælocuta, mediantibus nunciis solennibus & multis, quorum nomina prænominantur, cum in promptu crederentur finienda: ecce inopinatũ cepit impedimẽtum. Comitissa. n. Leceſtrię aliis quietẽ clamantibus partem suam in Normanniã pro filiis suis quietã non concessit. Vnde subortis inter prędictos Comites verbis honestati contrariis, ne Franci inde gauderent, communibus amicis sedati sunt. Interim dum rex Alemanniæ Richardus in pace in Anglia moraretur, paratum est ei iter ad imperium libere recipiendũ, domino papa hoc (sed sub silentio) callide procurante, ne manifestus videretur aduersarius regi Hispaniæ, ad hoc anhelanti, existere. Rex autem Alemanniæ, vt se thesauris ad hoc sufficiẽtibus præmuniret abundantius, adhuc in Anglia latitauit secretius. Eodem tempo-

tempore, ascendente sole in Cancrum, facta est hominum pestilentia & mortalitas nō modica. Oleum .n. vinum, & annona, generaliter corrumpebantur per regna, & quia mortis rumphea, nulli parcens, nunc hunc nunc illum consumit, in illa peste obiit Fulco Basset, episcopus Londinensis, & die S. Vrbani, in ecclesia sancti Pauli Londin. solenniter est sepultus. Eadem septimana, fuit Walterus de Scoteney, qui se in comitatu posuerat, conuictus de potione fratri Comitis Glouerniæ porrecta. Vnde iudicialiter est ad patibulum per ciuitatem tractus, & Wintoniæ suspensus. Postea vero, scilicet die Iouis post Natiuitatem S. Iohannis Baptistæ, congregatis Canonicis S. Pauli Londini, ad eligendum sibi pastorē idoneum, tandemq; (disponente domino) vnanimi assensu omnium attributo, eligitur dominus Henricus de Wengham, domini regis Cancellarius, in episcopum Londinensem, vir quidem curialis, sed quod melius est moralis & discretus, prudens & circumspectus. Qui protinus ab amicis exhortatus, vrgente canonica electione pro communi ecclesiæ vtilitate gratanter suscepit. Licet prius enim fuerat electus ad episcopatū Wintoniæ, tamen quia alius præelectus, frater scilicet regis, de terra iudicialiter eiectus, in curia stetit Romana super hoc impetraturus: reliquit vt sapiens quod in arbitrio papali pendebat, pro eo quod pace gaudebat tranquilla. Diebus vero sub eisdem dominus Hugo Bigotus, vir fidelissimus, capitalisque totius Angliæ iustitiarius, associatis sibi Rogerio de Turkebi, & Gilberto de Preston. cœpit per Angliam circuire, à Comitatu in Comitatum, & à libertate in libertatem, omnibus pro meritis impensurus iusticiam. Qui quidem in Anglicanis legibus periti, in exercendis iudiciis iustissimi: præ omnibus aliis à communitate terræ ad hoc deputantur idonei. Hi vero (vt prædictum est) præelecti ita constituti fuerant & coniurati, vt æquanimiter, considerato diuite & paupere, seruo & libero, peregrino & cognito: in omnibus & singulis, donis omnimodis suspensis (interposita tamen misericordia) iudicia exercerent condigna: si enim iudicium non adhibita procederet misericordia iustissimi iudicis nequaquam sequerentur exempla. Sed vt Christi præambuli viri fierent sequaces & misericordiam miscuerūt iudicio, & iusticiam exercuerunt in publico. Inquisitiones siquidem nuper factas per quatuor milites in singulis Comitatibus, ad hoc specialiter deputatos: viriliter ac instanter persequentes, quamplurimas renouauerunt trangressiones ac iniurias huousq; à multis retroactis temporibus inultas & quasi oblitas, spretis omnibus ius propositum excęcantibus strictissime vindicādas. Nec aliquorum (licet potentium) promissis cedentes aut precibus, inquisita instanter veritate, quam citius fungebantur vltionibus. Qui cum venissent ad Wares, Comitatum Herfordiæ discussuri, fecerunt summoneri omnes homines de libertate sancti Albani, vt quicunq; vellent de quibuscunq; querimoniā aut aliquid huiusmodi reponere ibidē venissent coram eis iustitiam accipere & reportare. Quod cum abbati de S. Albano & eius consilio innotuit ecclesiæ suæ libertatibus & consuetudinibus existere contrarium, non acquieuerunt. Eodem tempore applicuerunt in Angliam nuncii solennes domini papæ, duo scilicet fratres Minores, vna cum duobus magistris (Cancellario scilicet regis Alemāniæ) qui in curia Romana diutius exiterat præpeditus, alioque incognito, sed nobili & discreto: qui expræcepto papali venerant ad regem Alemanniæ tunc in Anglia commorantem specialiter allocuturi. Literas eidem papales tulerunt, & mandata super imperii dignitate Romani, sibi sine contradictione concessa & cōferenda. Consimilia vero, super eodem negotio, exhortatoria ad omnes Alemanniæ magnates habuerunt mandata, vt scilicet regem suum iuxta beneplacitum apostolicum ad promotionem imperialem festinare inducerent. Et ne Memfredus princeps ad hoc strienter anhelans, eū præueniendo supplantaret, ipse secundū Romanæ sedis fauorē & auxilium, se præferendo, imperio sibi oblato viriliter inuestigaret. Quibus honorifice à rege susceptis ac reuerenter regratiando exauditis, remisit eos idem rex in regnum suum Alemanniæ, vt sibi iniuncta vberius adimplētes cū suis ibidē magnatib. super mādato papali diligenter tractarēt, certificatis ipsomet ad tā laboriosum iter improuiso arripiendū, & ob plura aduersantia incōsulto fortunali rotę se tradere supponēdū. Adquieuit tamē, prout potuit, apostolico obtēperare mādato, & tam excellenti (maxime pro proprio honore) adhærere cōsilio. Non diu vero post redierunt nuncii illi solennes regis Angliæ, videlicet, Comes de Clare, Iohannes Mansel, Petrus de Sabaudia, & Robertus Valerant, (Comite tamen Leceſtriæ trans mare remanente.) Qui quidem negotiorum sibi iniunctorum expeditionem ad parliamentum regis Franciæ exposituri, conuocatis Angliæ magnatibus in præsentia regis apud Londinum, responsiones & voluntates Francorum super negotiis & articulis singulis in publico coram omnibus prę sentarunt, pro quibus inter reges & eorum regna cōfirmandis specialiter

transfretauerunt. De quibus articulis postea in ordine suo, cognita veritate, dicerem in publico. Habito igitur super auditis tractatu inter eos diligentiori, communiter & expedienter prouisum est, vt quia aliter alias prædictum vacillauit negotium & vtrorũq; regũ absentiam, subsequenti tunc autumno, dominus rex cũ suis magnatibus quibuscunq; vna cum domino R. fratre suo, rege Alemanniæ, trasfretauit, & ad Parliamentum apud Abbeuile præfixum, præsente rege Franciæ cum suo consilio præsentialiter interfuit. Quod & cõmuniter est cõcessum, & in hoc parliamentũ tunc terminatur. Quo facto quia paulo ante summoniti fuerunt præmuniti omnes, qui regi debebant seruitium, vt ad festum S. Petri ad Vincula, proximo futurum, parati essent cum equis & armis contra Wallenses pugnaturi. Regisque & regni iniurias vt fideles vindicaturi. Sublato tunc regis aditu & plurimorum suorum potentium, qui cum eo deberent, vt prouisum est transfretare, datæ sunt treugæ inter prædictos regẽ & Wallenses vsq; ad idem festum anno reuoluto. Quia sic oportuit ad hoc quod vnum negotium perficeretur ad cõmodum, alterum relinqueretur imperfectum. Circa eiusdem anni curricula in partibus contigit Gallicanis infortuniũ lachrymabile, & maxime religiosis in æternũ lamẽtabile. In ecclesia S. Dionysii, Francorũ apostoli, fabrica quædã noua, subleuata in altum, lignis fuit connexis & insimul ligatis suffulta quam plurimis. Cumq; die quadã plures de conuentu, associatis sibi & secularibus, causa considerandi laborem subter ambularunt, ecce tonitrus magnus irruit & horribilis, qui vehementer lignorum struem concutiens resoluta iunctura ea funditus diruit, & multos tam religiosos quam seculares in terrã comquassatos extinxit. Vnde multorũ relatu asseritur aduenientiũ quod monachi eiusdem monasterii vsq; ad 14. seculares vero quãplurimi illo solo ictu perempti sunt infortunato. Quare magna (nec mirũ) ex insolito suscitabatur in Francia lamentatio, cum vita mutatur in mortẽ, & gaudiũ conuertitur in luctum. Anno vero sub eodem aliud euenit in partibus transmarinis horribile factũ, sed in caput agentis comparabiliter cõuersum, Engelramus de Curcy, vir magnus & quasi nobilium Franciæ primus, crudelitate simul & prauitate patrizans, clericulos duos cum suo magistro bestiam quandam vsq; in terminos suos insequentes iocando, furibunde apprehendit, & nullo vlterius exquisito iudicio innocentes suspendit. Qui cum regi Franciæ nunciaretur, aduocato eo clam, & super hoc facto publice conuicto, licet plures nobiles pro eo supplicassent, nec contra eum sententiam proferre voluissent, ipse rex iuramenti sui in coronatione recordans, proferens proprio ore suspensionis sententiam, eum fecit incarcerari, tempus expectans propositum perficiendi. Nec mirum si ipse alios damnans sine iudicio, pœna condemnatur consimili, cum patrem sequeretur, qui consimilia faciens, interitu truncabatur non dispari. Hic bona temporalia relinquens, quæ præomni tuebatur iusticia, nec vitæ satisfecit, nec animæ remedium ex eis procurauit. Sequente autem mense, die scilicet Mercurii infra octauas Assumptionis beatæ Mariæ, venit dominus rex ad S. Albanum, qui vnius tantum noctis ibidem moram transegit, & in crastino Londin. remeauit. Qui mane audito diuino seruitio, fecit extrahi feretrum, corpus cõtinens glorioſi martyris Albani, & coram maiori altari subleuatum reuerenter collocari. Quo facto, cõuentuq; ornanter redimito, venit rex cum suis nobilibus ibidem deuotius oraturus. Quibus sub martyre prostratis, cantatum est solenniter speciale canticũ de martyre, memoriam itineris regis subsequente. Circumstante vero cum cõuentu populo non modico, factoq; inter eos silentio, exposuit frater quidam eiusdem ecclesiæ causam aduentus regis, videlicet quia princeps & caput regni esset, & ob eiusdem regni negotia expedienda transfretaturus est, fortunæ ignarus penitus & reditus, idcirco huc venit deuotus à præsenti martyre glorioso licentiam & auxilium & à præsenti conuentu & populo orationum humiliter petiturus beneficium. Cui confestim conceditur ab omnibus & singulis quoad vsq; prospera illius audiatur regressio, missarum ac orationũ specialis & quotidiana deuotio. Quibus rex cum suis vehementer regratians, iterum fecit collectos de itineratione super se recitari, & sic deuotior sub fiducia recessit hilariori. Qui cum Lõdinum venisset nunciatũ est ei quoddã secretum ê partibus Gallicanis, quo præsens tunc transfretationis propositum cum aliis obstantibus est prępeditum, vnde deficiente ea, defecit & oratio repromissa, tempore sub eodem cum sæpe dictus electus Winton. de terra iudicialiter elongatus, adhuc in curia Romana staret recursum impetraturus, falsasq; sub simulatione veri, & subdolas papali inferret audientiæ suggestiones, protestans & dicens quod vi & iniusticia quorundam inuidorum, trium scilicet vel quatuor, tantum inimicorum, thesauris suis spoliatis, ab episcopatu suo electus, & contra regis ac communitatis Angliæ assensum de terra est violenter expulsus. Adiiciens quod dominus rex, & quam plu-

res An-

res Angli (exceptis illis prædictis) suum libenter pacificum paterentur ingressum. Tandem papalem deceptione subuertens intelligentiam, literas suas impetrauit ad plenariam omnium bonorum suorum in Anglia restitutionem. Vnde frater quidam de ordine Minorũ, nomine Walaschus, associatis sibi & aliis, specialiter est ad hoc à latere domini papæ destinatus, habens super hoc præceptum & potestatem, prædictum clericum in episcopatũ, & omnia alia ablata, si verum est (vt asserunt) authoritate papali instituere, & omnes contradictores & rerum suarum raptores, & detentores, excommunicationis & interdicti sententiam innodare. Qui cum venisset, ac congregatis magnatibus terræ in præsentia regis, veritatem super hoc inquisisset, omnibus & singulis vniformiter consentientibus, nec in aliquo à primo proposito, & suorum nunciorum contra prædictum electum præmissorum narratione discordantibus, veraciter cognouit præfatum electum celata penitus veritate papalem fraudulenter gratiã pręuenisse. Vnde proclamatũ est ab omnibus vna cum rege, & appellatum, ne huiusmodi de iure proscriptus, sua sit fraudulentia restitutus, & ne vlterius huiusmodi negotiũ in comune regni damnũ prosequeretur. Renouata nunciorũ destinatione, super eodem negotio melius propalando promittitur. Quod audiens prædictus nuncius sponte secessit rediturus, remotiorq; à proposito sit de iure electus. Sub eisdem diebus facta est quædam generalis collectio pecuniæ ab vniuerso clero Angliæ, tam de exemptis, quam non exemptis. Videlicet tricesimarum omnium prouentuum ecclesiasticorum, & arreragiorum, decimarum, & aliorum in scriptis episcoporũ contentorũ, ad soluendum in quindena S. Michaelis proximo sequentis, tribus episcopis, Bathoniæ scilicet, Elienſi, & Rosensi, qui se obligarunt in curia Romana, in quinq; millibus & quingentis marcarum pro rege ad euitandam excommunicationis sententiam, in personam domini regis proferendam & generale regni interdictum, ob debitum regis non modicum, & non persolutum. De cuius collectione literas papales & episcopales, ab vno ad alterum ttansmissas, qui videre desiderant, in libro additamentorum ad hoc signum inuenire prędualebit. Postea vero prænotato fratre Walascho, audita causa aduentus sui, redire licentiato, inquisitum est districtius qualiter, & cuius authoritate permissus fuit sine assensu communi Angliã introire. Cumq; compertũ esset, eum regia fuisse litera permissum, sigillumq; magnum tempore illo in regis camera retentum. Dn. Hugo Bigotus, iusticiarius, quam citius versus Doueriam properauit, Richardumq; de Gray, Constabularium Doueriæ, ac Portus custodem, ita aggressus est. Cum tu Richarde ab vniuersitate terræ constitutus sis, quasi fidelissimus Portuum custos, intrantiumq; & exeuntium perscrutator, sitque in tua custodia omnium nostrorum fiducia, cur talem permisisti (licet etiam regis fulciatur concessione) nobis non præmunitis intrare, cum omnium nostrorum communi contraueneris prouisioni, nec non proprium impudenter violaueris iuramentum? Te susceptum deponere iudicamus officium, & de transgressione tua in commune regni periculum condignum reportare iudicium. Quo deposito, capitur in manus dicti domini. H. iusticiarii, custodia quinq; Portuum Angliæ, vna cum Castello Doueriæ. Circa festum S. Michaelis, destinatus est episcopus Bangorensis ad regem Angliæ ex parte Leolini principis Walliæ, & omnium magnatum ad reformandam pacem inter eos & stabilitatẽ, adiungens quod ipsi communi assensu libenter conferent regi Angliæ. 16000. librarum argenti, pro pace inter eos & eorum regna habenda, & confirmanda, & vt apud Cestriam placitare possint, sicut antiquitus solebant, patriisq; legibus & terræ consuetudinibus gaudere vsitatis. Qui ad sanctum Albanum venies, ibidem moram trium pertraxit hebdomadarum: demum regem adiens, iniuncta distincte proposuit, sed quid responsionis reportarit, ignoratur. Tempore vero quo idem episcopus morabatur apud sanctum Albanum, venit domina regina ad sanctum Albanum, Londinum properans ad festum sancti Eadwardi, associatis sibi episcopo Briacensi à Britannia, Iohanne Mansel, & aliis vtriusq; sexus quam plurimis. Cui hora refectionis venienti, surgens conuentus de mensa, completo tamen prandio, processionem fecerant ei obuiam solennẽ, factaq; nobilissima scilicet, sex pallarũ oblatione. Licet eam ægritudo magna detinuit, in crastino tamen tempestate circundata Londinum properauit. Episcopus vero prędictus. 60. dies relaxationis charitatiue indulgens, cum eadem decessit. Aduentus autem eiusdem in Angliam talis dicebatur causa: videlicet quod ipso mediante, efficaciter expetiit Comes Britanniæ filiam regis, filii sui primogeniti coniugio copulari, & ad negotium huius procurandum eundem episcopum decreuit transmitti. Hic vero super hoc de die in diem instanter prosequendo, nunc regem nunc reginam sequebatur, donec requisito super hoc saniori consilio, certior sibi fiat exinde responsio. Huius autem copulationis exinde suspicatur oriri postulatio, quod per hoc

idem

idem Comes Comitatum & honorem de Richemundl, ſibi & ſuis propoſuit vſurpare, cuius ſolebat antiquitus dominio gaudere. Habito autem ſuper hoc rex conſilio, & Angliæ valedicente epiſcopo ſæpedicto, confeſtim nuncios in Britanniam deſtinauit, per quos ſui reſponſa beneplaciti tranſmiſit. Eiſdem vero diebus archiepiſcopus Cãntuarien. in eccleſiam ſancti Albani vehementer commotus, decimas de Ringeldon, quæ ad Elemoſynarium ſancti Albani pertinent, ſequeſtrauit, & per vnum fere quarterium anni intactas retinuit. Menſe eodem 8. ſcilicet Idus Nouembr. obiit. Gulih. de Weſtmilun, quondam Seneſcallus libertatis S. Albani. Hic iamdudum Wardam de Mikelfeld, à domino abbate Iohanne obtinuit, & pro ea perſoluit centum marcas Comiti Cornubiæ Richardo de quibus eandem terram à Iudaiſmo liberauit, viginti inſuper & 5. libras dedit eidem Comiti pro ſtauro eiſdem loci. Circa idem tempus, obiit Comitiſſa Cantiæ, dierum plena, & matura morte deiecta. Hæc autem multum dapſilis & commendata, vxor fuit quondam Huberti de Burgo, quandoque iuſticiarii Angliæ & Comitis Cantiæ. Non quia hoc ab hæreditate poſſedit, ſed quia dominus Henricus rex illi comitatum eundem, tunc in manus regis deuolutum benigne conceſſit, vnde dominium eius obtinens, nomen retinuit Comitis, & per conſequens vxor eius Comitiſſæ. Tunc temporis prouiſum eſt Londin. ad Parliamentum generale Baronum de iuſticiariis in proximo itineraturis, & qui in quibus ibunt Comitatibus, ad eorundem prouiſiones publicandas & ſtatuendas, tranſgreſſioneſq; cõtra eas quæ nuper prouiſæ fuerant diſcutiẽdas, ita ſcilicet quod infra Paſcha proximo ſequens tota circueatur Anglia, & de omnibus articulis iam renouatis plenum fiat ſcrutinium. Quos Gallice ſcriptos per eoſdem Barones, duximus alibi ſcripturis commẽdare. Circa feſtum S. Martini, dominus rex vna cum regina, & multitudine etiã nobilium numeroſa, iter arripuit verſus Doueriam, pro negotiis inter ſe & regẽ Franciæ, eorumque regna expediendis in Franciam transfretaturus. Qui commiſſis (vt dicebatur) regni cuſtodiis archiepiſcopo Cantuar. Dn. Hugoni Bigoto, iuſticiario, aliiſq; ſuis fidelibus, die Veneris poſt prędictum feſtum, nauem apud Doueriam aſcendit, & apud Whitſande proſpere applicuit. In cuius tranſitu narratũ eſt quod nunquã, ſimul & ſemel, tanta virorum, equorũ, aliorumq; maiorum nobilitas ab Anglia dicebatur exiiſſe, quanta tunc egrediebatur. Quod etiam multi eiſdem, in partibus obuiantes vltramarinis, aſſerebant, addẽtes q; non putabant, regem tot ſecum habuiſſe homines, tam pedites q̃ equeſtres, quot ſolum habuit equos ſummarios, exceptis aliis regis & ſuorum nobilium palfridis formoſiſſimis, reginæq; & ſuarum curribus nobiliſſimis. Habito autem rex Angliæ Pariſiis cum rege Fráciæ tractatu ſuper negotio prædicto, illico deſtinauit in Angliam nuncios ſuos, ſcilicet capellanum ſuum principalem, quondam abbatem cuiuſdam domus Ciſtercienſis ordinis, cum aliis: præcipiens diſtrictius, vt quicunq; in Anglia ius aut clamiũ in partibus vltramarinis ſe credebant habere, ad eum quam citius feſtinarent accedere. Quod & factum eſt. Sed quid exinde ſit actũ, nobis eſt ambiguum. Circa idem tempus dominus Papa cupiens prouidere eccleſiæ, indigne ab indignis vbicunq; miniſtratæ, Dn Cantuar. archiepiſcopo mandauit in ſcriptis, & ſic aliis (vt dicitur) Metropolitanis, diſtricte præcipiens, vt omnes & ſingulos rectores ſeu miniſtros eccleſiarum, ſibi & ſuis ſuffraganeis ſubditarum, qui cõcubinas ſiue aliquid huiuſmodi illicitum & inhoneſtum clam ac palam habent, & ſic ſpiritualibus inhoneſte miniſtrant, ab adminiſtratione & ſpiritualium poſſeſſione de cætero penitus remoueant, in locis eorum alios ſubſtituturi condignos. Quorum tenorẽ ſedulus poterit indagator alibi reperire. Eodem tempore, regis fatuitate & deſidia, in multis opprimebatur Anglia, dominatione Pictauienſium & Romanorum & præcipue Æthelmari Winton. electi, Gulihelmi de Valentia fratrum regis vterini, & petri de Sabaudia auunculi reginę, qui inciuiliter tam religioſos regni tractabant, quam alios ſeculares. Si quis autem iniuriam paſſus, ad ipſius, Gulih. Seneſcallum acceſſiſſet, iuſtitiam petiturus huiuſmodi reſponſa reportabat. Si ego tibi iniuriam facio, quis tibi rectũ faciet? Dominus rex vult, quicquid dominus meus vult, ſed non ê conuerſo. Sicq; nec regi nec magnatum alicui reuerentiam deferebant. Tranſiit autem annus ille parum frugifer, ſed parcius fructifer, & vt apparuit in quam pluribus anno præcedenti diſpar & contrarius. Anglia etenim quam diu languida, diuerſis diuerſorum quaſi regum poteſtatibus ſubiacebat & iniuriis.

Hoc cœpit in anno noua ſuccreſcente iuſtitia optatis reſpirare remediis. Hoc fuit in anno, & maxime autumnali tempore, tanta aeris temperies & ſiccitas, vt fruges licet tenuiſſimæ, pro voto tamen colligerentur in tempore. Item cum tanta tunc fuiſſet meſſis vt ſi tota ſaluaretur, duobus fere annis ſufficeret, ſed ſic fuit tota corrupta, vt infra annum multis exinde periclitantibus deficeret annona. In hoc quidem anno tanta ſuccreuit in modico

modico abundantia, vt ob messis & temporis siccitatem præstaret ex insperato sufficientiam. Fuit insuper annus ille sicut Anglis parcior in frugibus, ita & Francis in vineis corruptus à potibus. Attamen Anglis in multis gratus extitit & desiderabilis, Francis vero pacificus & concordabilis. Persistente enim Angliæ consilio in incœpta vitiliter emendatione, dominus rex partibus peritis Gallicanis, pro pace inter reges & regna eorum confirmanda, mora detinebatur diutina.

Comes Britanniæ desponsauit filiam regis Angliæ. De Romanis interfectis Londini. Discordia magnatum terræ.

ANNO gratiæ. 1260. qui est annus regni regis Henrici tertii. 44. fuit idem rex in Natali domini Parisiis, cum pluribus comitatus sui nobilibus, qui solennitatem tam sublimem celebriter peregit cum rege Francorum & suis magnatibus: ipsis inuicem cõuiuantibus, ac super pace & aliis necessariis inter eos & eorum regna instanter pertractantibus. Fuerat enim ibi vtriusq; regni non modica sanioris consilii & discretionis multitudo: inter quos fuit dominus Henricus de Wengham, Londin. electus & domini regis Cancellarius, qui hebdomada præcedenti ibidem fuerat in sacerdotem ordinatus. Tempore eodem facta est pax & concordia finalis inter eosdem reges, Angliæ scilicet & Franciæ, super dominio & potestate Normanniæ, quam quidem rex Franciæ sicut & eius antecessores diutius tenuerat, licet Angliæ rex vt ius suum semper exegisset. Vnde tunc tandem habito inter eos tractatu diligentiori, & conuentione super hoc firmata firmiori, reddidit rex Angliæ pro se & successoribus suis, regi Franciæ & suis successoribus, plenariã Normanniæ possessionem, resignando illi omne ius suum & dominium in eadem: quod patet per titulum breuium suorum in parte resecatum. Pro qua concessione recepit nomine mutationis quasdam terras, bonas & opulentas, cum summa pecuniæ de Scaccario regis Francorum percipiendæ. Hoc etiam adiecto quod Pictauia post decessum Ludouici, tunc regis Franciæ, ad regem Angliæ reuoluetur sine contradictione. Conuentio autem hęc & concordia, omni, quæ possit excogitari, securitate firmata, quam pluriũ est vtriusq; gentis magnatum sigillis ac testimoniis ratificata. Sub eisdem diebus rege adhuc cum regina in partibus commorante transmarinis, maritata est Beatrix, filia eius, Comiti Britanniæ, sed quod prius fuit prælocutum, & mediante episcopo Briacensi, ob hoc nuper in Angliam destinato, procuratum. Terra autem quam idem rex nomine mutationis pro Normannia recepit, eidem Comiti in maritagio, magna pro parte, remansit. Mota est tunc temporis contentio quædam inter archiepiscopum Cantuariæ. B. & capitulum Lincolniæ, ipso asserente se debere & velle iurisdictionem in ecclesia Lincol. sede vacante exercere, & etiam suos prædecessores libere exercuisse. Cui omnes filii ecclesiæ resistendo contradicebant intrepidi. Addentes quod mox cum vacauerit per archidiaconos & ordinarios ecclesiæ, omnis debet iurisdictio, sicut & solet, procedere, & sine eorum assensu archiepiscopum ad hoc non prævalere. Vnde archiepiscopus ambigens super hoc, scripsit omnibus religiosis infra eandem diœcesim habitantibus, rogans diligenter inquiri si quid in eorum scriptis aut libris inueniatur manifestum, quod per quemcunque prędecessorum suorum factum, parti suæ possit in hoc articulo proficere & alterius conditionem refrenare. Facto autem apud sanctum Albanum scrutinio super hoc diligentiori, nihil inuentum est ibidem, pro vna parte vel altera, aliorum responsione nobis ignota. Sicut aliquando solent mala se bonis, tristicia lætitiis admiscere, eisdem contigit Nataliciis dolor in Francia lamentabilis. Ludouicus etenim, regis Francorum filius & hæres, vir strenuus & procerus, vniuersis & singulis amantissimus: qui proxima esset in ætate (patre disponente) vxorem scilicet filiam regis Castellæ ducturus, & in regem Franciæ coronandus, viam est vniuersæ carnis ingressus. Quod audiens rex Angliæ, adhuc trans mare perendinans, lora tamen conuertens ad Angliam, dolore concepto Parisiis mox rediit, & se tam nobilis viri exequiis præsentauit. Circa Purificationem vero beatæ Mariæ virginis emanauit à Cancellaria Breue domini regis, eo tamen absente, ad omnes vicecomites, in quorum balliuis solebant viatoribus imminere pericula, vt omnes passus periculosos, tam inuiis, concauis, & boscis, & Haiis, quam aliis pacis regiæ perturbationibus faciant videri, & in continenti aut per dominos locorum aut per semetipsos emendari. Cuius tenor, videre desiderantibus, alibi inter Breuia patebit apertius. Tunc temporis, dominus Simon, Comes Leicestriæ, rediit in Angliam, illius præsentiam diutius viduatam. Venientique die sanctæ Scholasticæ virginis, ad sanctum Albanum, visitandi causa martyrem & conuentum, tumbæ obtulit preciosum Baldekinũ, & summo mane iter carpebat in cœptum.

In

In crastino vero S. Valentini martyris, consecratus est Londinensis episcopus, dominus Henricus de Wengham, ab archiepiscopo Cantuariensi. B. in ecclesia sanctæ Mariæ de Southwarke, præsentibus ibidem episcopis Wigorniæ, Cestrensi, & Sarum, rege Alemanniæ Richardo, & aliis, tam clericis quam laicis infinitis, qui ex consuetudine professionem faciens cum iuramento, huiusmodi verba exceptionis, audientibus cunctis, instanter proposuit. Hoc iuro & promitto saluis iure & liberate ecclesiæ Londin. quam pro posse meo defendam, & sustinebo in omnibus. Vnde licet indignante archiepiscopo, & ab officio suo fere cessante, ad magnam sibi imputata sunt hęc fidelitatem, & tutissimum eiusdem ecclesię subsecuturum munimen. Hoc autem idcirco extra ipsum episcopatum dicitur factum, ne si fieret, videretur archiepiscopus sic in eundem habere ingressum, qualis inter archiepiscopum & capitulum Londinensem sancti Pauli adhuc pendebat determinanda, super iurisdictione habenda in eis vel non habenda. Completo vero, licet cũ indignatione, consecratoris officio remanserunt cum consecrato omnes in mensa, videlicet præfatus rex Alemannię, archiepiscopus, & episcopi prędicti, cum multitudine infinita, vnde computari nequibant, hinc inde oblata Xenia nobilissima. In crastino vero sancti Matthię Apostoli, factum est Londini homicidium detestabile, & maxime Anglicis non mediocriter formidabile, tum propter temporis sacri quadragesimalis violationem, tum propter Romanę sedis stupendam nimis vltionem, necnon ecclesię censuram & districtionem. Considerata tamen causa facti eiusdem, prout veraciter dicti, processum linealiter transcripsi. Cum pię recordationis dominus Fulco, quondam episcopus Londin. prębendam quandã in ecclesia S. Pauli Londinensi, iam dudum contulisset cuidam magistro Rustando nuncio, Domini Papæ, in Anglia tunc morantis: eoque postea suscepto habita fratrum Minorum ingruente ægritudine de medio sublato in partibus Transalpinis, dominus papa prædictam prębendam cuidam alteri speciali suo in instanti contulit, prædictum contigit Episcopum de mundo transire, suumque Episcopatum in regiam custodiam venire. Vnde Rex de prædicti Rustandi morte certus, papalis tamen collationis ignarus, præfatam contulit prębendam Domino Iohanni de Crakehale thesaurario suo, & installari fecit in publico. Quo audito destinatus est in Angliam procurator quidam, Iohannes le Gras nomine, clericus nobilis, & scriptis papalibus munitus, ad prædictam domini papæ collationem nomine procuratorio suscipiendam. Archiepiscopus vero Cantuariensis, hoc exequens, prout iniunctum sibi fuerat, lite inter partes diutius agitata. Comperto tandem, quod papalis donatio regiam antecedebat donationem, eam sententialiter adiudicauit prædicto Romano, thesaurario excluso funditus, licet in ea diutius fuisset vestitus. Quo installato, mox capitale domicilium eiusdem prębendæ subintrare tentatur in ciuitate, negato tamen ingressu, præfatus clericus, viribus cedens & armis, Archiepiscopo recessit conquesturus. Quod cognoscentes inclusi, mox eum insequuntur à tergo, & inter transeuntium densitatem caput eius per oculos quidam abrasit: & sic à nemine deprehensus euasit.

Similiter & factum est alii eius socio deprehenso fugiendo. Facta autem super hoc inquisitione per totam ciuitatem, & nullo reo reperto, prolata est sententia, tam ab archiepiscopo quam ab aliis episcopis, in omnes illius sceleris fautores: ita quod audientes iudicialiter fierent formidãtes. Vnde hoc licet à quibusdã suspiciosis putari posset per dictum thesaurariũ procuratũ, ipso tamen innoxio, per inuidos ribaldos est perpetratũ. Indigna-bãtur. n. Anglici Romanos, tot & tam sæpe Anglicano ditari beneficio, per quos nec aliquis saltẽ indigena semel reficiebatur in anno. Et quia terram nimis sibi subiectã (vt eis videbatur) calcauerant, eos volebant huiusmodi facto exterrere à tam frequẽti & regno inutili deinceps aduentatione. Eodem quoq; anno, obiit quidã Baro magnus, & in toto regno famosus: videlicet dominus Gulihelmus de bello campo. Hic cum in magnis creuisset possessionibus, Dei vniuersa largientis nullatenus erat oblitus, suorum namq; prædecessorum beneficia confirmans, & augmentando benigne defendens, domorum quarundã extitit religiosarũ patronus, quarum quædam de monachis, quædam de canonicis, & quædã de sanctimonialibus infra suum erant dominiũ constructæ: & sicut ab ipso, sic à suis successoribus deinceps annuente domino erunt defendendæ. Circa idem tempus cum rex protracta in Galliis perendinatione diutina, in Angliam redire disponeret, instillata sunt ei non pauca sinistra de filio suo Eadwardo, & aliis nobilibus suis eidem cõsentientibus. Quæ quia carebant (vt dicitur) veritate, nequaquam præsumo nominatim proferre. Rex tamen cum magna cordis amaritudine hæc audiẽs, & licet falsissima pro veris tamen attendens, de non modica hostiliũ & armatorũ vniuersitate sibi prouidere præcepit vberrime.

me. Quo facto, certificatus est tandem de falsitate, nec adhuc fidem voluit adhibere. Vnde fluctuans sub ambiguo, partimq; exercitum dimittens, & partim retinens, assumptis ad minus 300. militibus cum innumeris sequacibus, circa festum sancti Marci Euangelistæ apud Doueriam applicuit intrepidus. Occurrentibus autem ei magnatibus suis cum prædicto Eadwardo: reuerenter, prout decuit, ac honorifice susceptus est cum gaudio. Ipse tamē rex quibusdam eorū, licet sibi prius specialissimis, nec verba pacis nec oscula præbuit, nec ab eis admisit. Tunc temporis seminata discordia fuerat lethalis inter quam plures regni principaliores, videlicet inter regem & Eadwardum filium suum, vt prædictum est. Item inter regem & Comitem Leicestriæ, Simonem: inter Eadwardum & Comitem Glouerniæ, necnon inter eosdem Comites prædictos, & alios non paucos. Vnde partibus hinc inde præmunitis, & viribus connexis, in proximo imminebat guerra formidabilis. Conuenientes autem tunc temporis milites ad Torneamentum apud Blye constitutū, illo hac de causa prepedito, omnes prout ibi cōuenerant, armis & equis cōmuniti, instantissime sunt cum aliis sibi connexis Londin. conuocati. Vnde nisi dominus Richardus rex Alemanniæ, tunc in Anglia perendinans, se diligenter pro pace interposuisset, concussio non modica succreuisset, sed semper expectato regis aduentu, sic partes ad bonum commonuit: vt furore parumper minorato, rex prout dimisit, regnum in pace repetiret. Veniens autem rex in vigilia Apostolorum Philippi & Iacobi, Londin. per quindenam fere moratus est ad sanctum Paulum in domo Episcopi Londin. Portæ namque & plateæ, sed & tota ciuitas ita fuerant solicite conseruatæ, lethali pro guerra succitata, quod vix aliquis, licet submilior, libere haberet exitum vel regressum, nec aliquis magnatum (vt dicebatur) præter regem, & paucos alios infra muros haberet hospitium, neque rex proprium voluit apud Westmonasteriū adire palatium, donec verius cognosceret qualē seminata discordia sortiretur effectum. Perdurante vero dissensione prædicta, (sicut semper solet, malum malo comitanter succedere) accusati sunt domino regi abbas & cōuentus de Burgo, quod se in non modicum debitum nuper obligarunt, pro domino Eadwardo suo filio, ad virtū suarum contra eum augmentationem, & paternam debellandam potestatem. Vnde rex indignatione commotus, aduocato abbate, præcipiendo, rogauit, vt pro se simile mutationis onus subiret: alioquin regiam indignationem incurreret. Cui cum abbas in propatulo respōderet se nullatenus hoc audere, aut domum suam ad hoc sufficere, addens quod de facto suo in Eadwardum securitate gauderet sufficiēti, nec ex hoc iniuriatum est regi. Licet eidem prius specialissimus, cum magna tamen regis indignatione recessit perterritus: formidabiliter enim minatus est eidem conuentui & Ecclesiæ, quod & postea monstrauit cum executione. Postea vero conuocato in præsentia regis apud sanctū Paulum Baronagio, habitoque prius tractatu de Eadwardo super iniuriis regi (vt dicebatur) illatis, paratus est idem Eadwardus se omnium obiectorum probare immunem, & ad duorum regū, scilicet patris sui, & auunculi, prouisionem in emendatione facienda se dare tractabilem: dicens omnes alios Barones & Comites sibi de iure non esse pares, nec suas in eum exercere discussiones. Vnde discussa hinc inde veritate, omniumque relatorum falsitate probata, pacificato regi concordatus est filius, multiplicatis de iure inimicorum confusionibus. Concordato ergo Eadwardo, regi & reginæ ac aliis amicis, exceptis Comite Glouerniæ suisq; fautoribus, mox querela subsequitur de Comite Leicestriæ, Simone, super pluribus iniuriis, tam citra mare quam vltra, contra regem (vt dicebatur) perpetratis. Præfixo igitur die ad respondendum, & se de obiectis expurgandum, idem Comes ad dictum diē, licet breuiorem, paratus est quātotius petitis satisfacere, & ad discutiendam super oppositis veritatem, omnium transmarinorum quam cismarinorum arbitrio obtemperare: exceptis quinq; tantum minutis, tam suæ quam Eadwardi discordiæ seminatoribus. Quo audito, Comes Glouerniæ cum suis consentaneis, timens sibi post prædicti Comitis purgationē, grauissimas de se suscitari querelas, vsq; ad aliud Parliamentū, præfatū diem prorogandum curauit. Vnde tumultu ad tempus sedato, rex proprium adiuit palatium cum gaudio. Articuli vero prætactarum culparum cum suis fabricatoribus plures sunt, & vltra modum transgressibiles, si veri essent. Sed quia incredibiles sunt, & nulla fulciuntur veritate, ne mendaciorum scriptor dicerer aut fabricator, eos huic paginæ non arbitror annotari. Immo qui eos sitiēter audire desiderat, à mendacibus mendacia exhauriet, & me in hoc relinquens alium relatorē exquirat. Mense vero Iunii, Comes de Albamarla trans mare pro quodam placito perendinans, apud Ambianum vitam finiuit. Cuius corpus in Angliam honorifice delatum est, & in quodam monasterio ab eodem constructo sepulturam obtinuit. Cuius hæreditas mox Comiti Glouerniæ tradebatur custodienda,

per 15.adhuc annos ſecundum ætatem hæredis duratura. Sed quia hoc contrà communem regni prouiſionem eſt & iuramentum, computatus eſt valor per annum, vt de tanta pecunia regi ſit exinde annuatim ſatisfactum. Diebus ſub eiſdem dominus Stephanus de Longa Spata miles peritiſſimus,& totius Hyberniæ regis authoritate iuſticiarius cum diutius languore grauiori tabeſceret, ibidem morte præuentus, viam eſt vniuerſæ carnis cum honore ingreſſus.Eodem menſe,circa feſtum ſancti Barthol.Apoſtoli,dominus Rogerius de Turkeby,regi præcipuus,& nulli in toto regno,maxime in iuſtitia & terræ legibus ſecundus,cum omnes præcelleret ſenſuum & rerum nobilitate & gloria, morte quaſi repentina præuentus , omnibus his cum ſeculo Londini valedixit,& fructum nobilitatis & vitæ ſuæ collecturus tranſmigrauit. Hic(vt communiter dicebatur) veſpere lectum iocundus adiit : ſed in craſtino diu expectatus ad Bancum , ſublato ſpiritu , cadauer extinctum permanſit. Vnde eodem mortuo,dictum eſt communiter,quod per totam quindenam præcedentem,licet ſemper Bancum iuſticiariũ tenuerit,tamen quaſi in extaſi poſitus,& extra ſe fuit.Admonituſq; a fratrib. & aliis de ſalute animæ, ita reſpondit:nihil vobis faciam,ite ad iuſticiariũ. Sic enim ſolitus fuerat dicere de clamore commotus & precibus ſe interpellantium. Fas tamen eſt credere, quod Deo diſpenſante,qui neminẽ vult perire, omnia iura ſua diuinitus accepit. Vnde dolorem de morte,exultatio de ſalute animæ ſuperauit.Nunciatus eſt itaque vno eodemq; die obitus iſtorum trium regi, qui magno ſe conſilio & exoneratione cognoſcens deſtitutum, dolorem non immerito concepit non modicum. Poſtea vero euenit quædam viſio cuidam militi in quodã loco ſecreto in angulo dormitante. Venit enim ad eum, imperans vt ad dominum Henricum de Ba perſonaliter adiret: dicens ei quod dominus Rogerius de Turkeby,iuſticiarius, eum vocat,habens vnum placitum in quodam loco placitandum,& nullo modo ſine eius preſentia terminandum. Quod cum miles quaſi negligendo implere dubitaſſet, ſecundo & iterum prædictum audiuit præceptum:& niſi hæc faceret,malum in proximo ſentiret imminendum.Tandem vero petito domino Henrico prædicto,nunciata eſt hæc viſio, ſed pro nihilo ab eo audita & habita, talem eſt(vt communiter dicitur)finem conſequutus continuo. Nam infra proximum menſem ſubſequentem,idem Henricus de Ba mortem perpeſſus eſt corporalem. Templarius quidam, tunc temporis de Terra ſancta properanter accedens,in vigilia ſancti Botulphi Londinum aduenit: deferens quam plures literas domino regi,& magiſtro Templi Londini,& aliis,ſed & plures detulit multis tam citra quam vltra montes magnatibus. Qui tanta velocitate tam ſpatioſam viam tranſcurrit,quod intolerabili compulſus neceſſitate,die,quo à Terra ſancta receſſit,eodem ad 13. ſeptimanas Londinum intrauit,faciens vnam dietam à Douera ad Londinum,ſicut alibi ſe feciſſe aſſeruit conſimiles. Perlectis autem his literis,tam rex & Templarii, quam omnes alii hæc audiẽtes,in tantam ſe dederunt lamentationem & dolorem,qualem nullus prçuiderat de huiusmodi priorem.Nunciatum enim fuit quod Tartari cum innumerabili procedentes potentia, Terram ſanctam iam fere vſq; ad Acram deſtructam occupauerant. Et quod mirum eſt auditu,durãte eorum exercitu per 40.dietas totam illam terram occupare proponebant: vt ſic deuaſtata ibidem (quod abſit) maiori multitudine,facilius poſſent ſuam vlterius vaſtationem dilatare.Adiunxitq; idem nuntius, quod omnes ad ſe confugientes vel captos alienos in prima acie belli exponunt:& pugnantes,tam viri quam fœminæ,ſicut ante ſic & retro bene ſagittant. Nec valebit Chriſtianitas eis reſiſtere, niſi potẽti manu Dei ſuffulciatur adiutrice. Vaſtatis eitam iam fere omnibus ibidem Templariis,& Hoſpitalariis,niſi feſtinus interueniat ſuccurſus, in mundo quã citius (quod abſit.)horribilis imminebit interitus. Hoc idem (vt dicebatur) ſignificatum eſt omnibus aliis circa mare Græorum potentibus. Subſequenti vero die ſancti Botulphi dominus Rex Alemanniæ, cum per annum fere & dimidium, in pace perendinaſſet in Anglia, quoſdam ibidem prædiſcordes concordans , quoſdam ſub certa forma pacis conſtituens , papali ſæpius aduocatione præmonitus imperium recepturus Romam tetendit quantotius. Qui Londini nauem conſcendens,vſque ad Graueſende velificauit. Deinde cum regina ſua ſibi occurrente, & mediocre comitatu arreptum iter transcurrere properauit. Quo abſente quam plures fluctuabant ſub ambiguo, quippe cum eius nuper præſentia imminentem guerram præpediſſet,formidabant quod pax præloquuta abſente illo nullius ſtabilitatis exiſteret.Tempore vero eſtiuali eiuſdem anni,magna & enormia euenerunt portenta ab aere: ita quod nonnulli dicebant extremum iudicium in proximo immittere. Inuentum namque fuit alicubi ſcriptum, & etiam à multis aſtrologis,& aliis frequenter prætestificatum, quod eodem anno tanta erit peſtis, quod vix inter ſex vnus euaderet indemnis

demnis, iuxta quod ingruente fame intolerabili, tanta & tam assidua coruscabant tonitrua, quod vix audente aliquo domum exire, necatis nō paucis, domos, blada, & nemora consumpsit, aliaq; vbiq; pericula inaudita ingessit. Tantæ etiā tempestates erant grandinum, vt non tantum lapilli vt pisæ, sed & lapides grossitudinis trium digitorum, & in quibusdam locis 15. necnon & in quibusdam (vt iuramento asserebatur) magni lapides, ad subleuamen trium hominum ponderantes inueniuntur cecidisse. Aliis vero in locis fruges, quæ sperabantur fertiliores, ita adnihilabantur quod vix sufficiebant messores suos remunerare. Vnde his & huiusmodi vbique dispersis, processiones indicuntur & ieiunia, orationesq; funduntur deuote, cum delictorum emendatione creberrima. Non multum siquidem post, suspicatum est bellum in breui succrescere, mortiferum Angliæ maxime, & Walliæ formidantum. Exiit namque regium (vt dicebatur) edictum, ad omnes sibi seruitium debentes, vt quam citius sibi prouiderēt necessaria, inneccssaria, in Walliam iturос pro regis iniuria vindicanda. Et quia prædicti Wallenses hostiles sunt ad bellum instructi, mortem non timentes, constituitur est contra eos dominus S. Leicestr. Comes, tanquam prudentior bellator Angliæ & validior, Anglorum exercitus dux & gubernator. Quisi inuicem sibi occurrerent cum hostilitate occasio putaretur vtrobiq;. Hoc tamen emergentibus postea impedimentis petita treuga differebatur vlterius. In vigilia quidem S. Laurentii, dominus Gulihelmus de Kirkhā, Episcopus Dunelmensis, maturus morib. & plenus diebus, cum Ecclesiam Dunelmensem per 12. annos laudabiliter rexisset, seculo valedicens & corpori, apud Houeden fœlicem animam suo reddidit creatori. Qui illinc reuerenter asportatus, die lunæ sequente, honorifice (vt decuit) in Ecclesia sua Dunelmēsi est sepultus. Hic licet de mediocribus sublatus & educatus, per totum fuit regnum famosus, & maxime dapsilis & mitis erga omnes comprobatus. Inter alia autem sui beneficia, vbiq; diffusa, duas Ecclesias ad valētiam 300. marcarum annuatim, scilicet de Herteburn. & Egelingham, in episcopatu Dunelmensi, ecclesiæ sancti Albani appropriauit, & litem inter easdem Ecclesias de Dunelmensi & de sancto Albano, diu agitatam, ad pacem finalem vsq; perduxit. Sed dum hęc instrumenta conficerentur, expectato tempore congruo, partes ponere in seisinam rerū, vtrobiq; consessarum nomine mutationis & pacis, idem Episcopus est interim de medio sublatus, & sic de necessitate idem negotio finis non imponebatur. Confestim autem prædicti episcopatus custodia magistro Iohanni Mansel est à rege contra communem prouisionem collata. Postea vero die veneris, post natiuitatem beatæ Mariæ, dominus Iohannes de Krakehale, thesaurarius Angliæ, & archidiaconus Bedfordensis, cum vndiq; sibi arrideret seculum, eidem valedicens, Londini diem clausit extremum: Hic non modica (vt dicebatur) abundans pecunia 18. millia librarum, post se reliquit intracta. Ecclesiæ etiam de Wantham non paruam pecuniam sibi debitam dimisit, collatisque eidem aliis beneficiis, corpus suum ibidem tumulandum legauit. Fœlicis siquidem recordationis domino Gulihelmo de Kirkham, Episcopo Dunelmensi, de medio sublato, capitulum Dunelmense cauens ne Ecclesia sua diutius viduaretur pastore, præfixo die eligendi, dominum Robertum de Stichil, commonachum suum, & priorē de Finchale, in crastino sancti Michaelis, vnanimi elegit assensu in Episcopum sibi, & pastorem, virum quidem elegantem, discretum, & commendabilem: licet enim regia interpellatione requisiti essent pro secularibus, habentes tamen Deum præ oculis, nullius fauore vel metu à legitima declinabant electione in semetipsis. Electus autem oblatum sibi diuinitus obtemperanter amplectens honorem, ductus à Priore suo Dunelmensi, cōfestim regiam adiuit præsentiam. Veniens itaq; Londinum, circa festum sancti Eadwardi, tempore Parliamenti, resistentibus sibi quibusdam, regem inuenit post aliquantulum sibi contrarium, sed tandem protracta ibidem mora per quindenam, eundem pro libito habebat propitium. Susceptus itaque à rege, & homagium ei de Baronia perficiens, destinatis litteris regiis ad prædictum custodem, in plenariam Episcopatus sui institituitur tēporalitatem: pro spiritualitate vero archiepiscopi Ebor. adiuit præsentiam. Die vero sancti Eadwardi, confluentibus ad tam nobile regis conuiuium, tam transmarinorum quam cismarinorum magnatibus, & aliorum innumeris, dominus rex cingulo dedit militari Iohannem de Britannia, filium Comitis Britanniæ, qui nuper filiam eius Beatricem duxerat in vxorem. Cum qua & totam terram habuit, quam pro Normannia obtinuit mutandam. Fecit in super rex & alios nouos milites vsque ad quater viginti, cinctis prius ab Eadwardo filio suo, duobus filiis Comitis Leicest. baltheo militari. Qui omnes statuto vltra mare Torneamento cum prædictis Eadwardo, Iohanne, & Henrico filio regis Alemanniæ, quam citius transfretauerunt, vt vniuscuiusque vires, vt moris est nouis militi-

bus,ibidem experiantur. Tractatum est quidem ad prædictum Parliamentum de Iusticiariis Angliæ,Cancellario,& Thesaurario, qui anno deberent dominari secuturo. Dominus enim Hugo Bigotus,prius iusticiarius,tunc secessit. Henricus de Wenghã,prius Cancellarius,Episcopatum Londin.obtinuit.Et dominus Iohannes de Crakhale, prius Thesaurarius,paulo ante (vt prædictum est)expirauit. Habito itaq; super hoc tractatu nõ paruo,tandem concordantibus cunctis commissum est sigillum regium magistro N. archidiacono Elienſi,abbatique de Burgo officium Thesaur.& domino Hugoni Despenserio, potestas iusticiarii.Mẽse vero Octobri,dominus R.rex Alemanniæ,papali frequenter aduocatione ad imperium inuitatus, cum nuper ab Anglia Romam petiturus successisset, clandestino,& inopinato recursu mox rediit: ita quod minoratis clientela & pompa, omnibus tam citra mare quam vltra admirationem ingessit. Dictum est enim, eum cum paucis hominibus,equisq; paucioribus,prolongatis dietis,depositis regalibus pompis,applicuisse. Sed postea cito subsequentibus hominibus suis solito circundari honore, vnde quam plures asserebant eum a Memfredo principe , & aliis anhelantibus ad imperium Romanum præcluso itinere, spoliatis thesauris, & effugatis seruientibus, fuisse præpeditum. Hoc adiecto,quod si vlterius præsumeret Alpes transcendere, quam citius posset cum sequela periculo subiacere. Nec est mirum quod super hoc non prouisus nec præmunitus, inimicos declinans,lora retraxit quam citius. Alii vero dixerunt quod magnatum suorum de Alemannia consilio præmonitus & præpeditus,nec vult nec expedit hoc instanti tẽpore hyemali, tam periculosum iter & longum transcurrere: sed poterit transacta hyeme sub diebus serenioribus securius pertranſire. Hoc adiecto,quod regnum suũ Alemanniæ,& omnes incolas habet & habebit in pace:& sibi coadiutores in p̃dicto negotio sine omni sentiet fictione.Ille vero acquiescens mox in Angliã rediit,vt prædictum est, vt terras suas & possessiones, ibidem minus rite dispositas, prout sibi & Henrico filio suo expediret, disponeret. Et sic adueniente tempore congruo, minime rediturus transfretaret.Item dixerunt alii,quod papali est admonitione reuersus, vt scilicet magister Albertus,nuntius suus,multas ob causas in Angliam destinatus, secretius contra Baronum prouisionem intraret,tam magnum sequens ductorem,& sic expedito papali negotio, idem rex eum sentiret sibi in prædicto negotio fauorabiliorem. Sed eodem vero tempore,orta est discordia intolerabilis in vniuersitate Cantabrigiæ, facta enim prius quadam contumelia inter duos garciones, vnum Australem, & alterum Aquilonarem: mox eis succurrunt compatriotæ,ita quod aliis in alios insurgentibus, quamplures verberati redduntur & vulnerati vtrobique. Sicque tandem tota villa perturbatur, quod omnes tam clerici quam laici,euacuatis domibus,glomeratim ad pugnam conuolarunt. Absentibus itaque clericis quidam de laicis domos eorum clam intrarunt, & bona diuersimoda abinde asportauerunt. Cancellarius enim villæ laicos aduocauerat in auxilium ad perturbatorũ rabiem mitigandam: vnde & raptores alii rapiendi habuerunt fiduciam. Depositа igitur super hoc querela coram rege,Laurentius de Broke mox illuc iubetur adire, habitoque super hoc districtiori examine: data sententia , spoliatores vsque ad sexdecim de eadem villa suspendebantur vna die. Alii etiam quamplures,tam clerici quam laici,vel ad Ecclesias fugiebant,vel carceri districto mancipati permanebant.

Rex Scotiæ venit in Angliam.

Istis etiam diebus & mense,venit rex Scotiæ Londinum,causa ductus multiplici,scilicet visitandi regem Angliæ & reginam, & Comitatus sui Huntingdunensis dominium exercendi & potestatem. Causam insuper aduentus sui declarans principaliorem,petiuit à rege quatuor millia marcarum sibi reddi, quas dixit sibi quõdam in desponsatione vxoris suæ ab eodem promitti.

Item totam terram inter Tynam & Eastwendam,quam asserebat suis quondam anteceſſoribus fuisse donatam. Item virile auxilium à rege & terræ magnatibus,contra inimicos suos,sicut eis quondam promisit cum maioribus Scotiæ per scriptum suum signatum,& per fratrem Gulihelmum de Hortun.procuratum & transmissum. Interfuerant autem tunc Londini reges Angliæ & Alemanniæ: quare tanta fuit & esse oportuit ibidẽ sumptuosa pompositas, quod tota circumiacens patria intolerabiles sustinebat expensas. Quem post paucos dies sequebatur regina sua , partui proxima, causa veniens visitandi regem, reginam, & Angliam, & volente Deo, ibidem prope illos pariendi. Ducta vero à venerabili viro Episcopo de Candida Casa, occurrente sibi fratre suo iuniore Eadmundo, vespertinali hora, apud sanctum Albanum, solenni cum processione susciputur, & honorabiliter hospitata. Mane Londinũ proficiscitur. Qua recepta,tunc ibi simul fuerant

rant tres reges & totidem reginæ, de quorum apparatu & nobilitate, quis poterit sine admiratione cogitare? Episcopus vero præsentata regina parentibus, oneratus pretiosis donis & variis, in Scotiam redibat quã citius. Rex etiam expletis vtrinq; negotiis, post ipsum rediit, & apud sanctum Albanum in redeundo hospitatus, pallam ibi quandam donauit. Narratum vero tunc fuit, quod idem rex centũ solidos percipiebat quotidie citra Humbram de bursa regis, tam in veniendo quam in redeundo: sicut antecessorẽs sui petere consueuerant regio aduocati mandato. Sed licet hoc fuerit pluries quasi de iure petitum, nunquam tamẽ fuit, per plurium assertionem, nisi de liberalitate exhibitum. Subsequenti vero mense decemb. Æthelmarus quondam Winton. electus, & frater regis Henrici vterinus, cum per tres ferme annos in curia Romana stetisset, gratiam rehabendi Episcopatum suum impetraturus, tandem papali obtenta benedictione, ab eodem est (vt dicitur) in Episcopum consecratus. Tendens itaq; cum plena potestate festinanter in Angliam, volente domino vitam terminauit in Francia, & Parisiis apud sanctam Geneuefam, honorabilem, vt decuit, sepulturã obtinuit. Cuius mors licet quibusdam lugubris, plurib. tamen & maxime Anglicis, scilicet prouisoribus Oxonii, videbatur salutaris. Quod & pro miraculo magno illis haberetur, quia si Episcopatũ Winton. reacciperet pacifice reuocatis omnibus præiectis, prædicta Baronum prouisio tenderet in nihilum, & sæuiente vltione in inimicos, nouissimus error fieret peior priore quam plurimum. Transiit autem annus iste parum frugifer, sed fructuosus abundanter. Nam pomaria, horti, & nemora ita fuerunt in generibus variis fertilia, quod frugum viderentur paucitatem suppletura, quod bene patebat ad oculum. Nam pretium bladi, quod fuit in fine autumni, dicebatur circa Natale domini hac de causa minorari. Annus etiam iste licet Terræ sanctæ fuerit maxime pro Tartarorum incursione, vt minabantur, formidabilis: Anglis tamen & Francis mortalitate excepta, bene dinoscitur tollerabilis. Expirauerant autem hoc anno Walterus Episcopus Dunel. Æthelmarus electus Winton. Comes de Albemar. Gulih. de Bello Campo, de Bedford. Rogerius de Turkelbi, Hẽricus de Ba. domini regis Iusticiar. Iohannes de Crakehale. eiusdem Thesaurar. & Stephanus de Longa Spata, Iusticiar. Hyberniæ, adiunctis & aliis quam plurimis, quorum memoria, & numerus Deo est soli retinendus.

De amœnitate aeris circa Natale domini.

Anno gratiæ. 1261. regis vero Henrici 45. tenuit idem rex Natale suum apud Windeshore: vna cum regina sua, & filia regina Scotiæ, ibidem partum expectando perendinante. Fuerat etiam ibidem rex Alemanniæ Richardus, qui nuper insperata velocitate redierat in Angliam, sed regina eius continuam simpliciter tenuit, tunc apud Berkhamstede, perendinationem. Quo tempore tanta fuit serenitas aeris, & contiua blandities, quod æstiuales magis quam hyemales imminere diceres amœnitates. Contigit autem sub eisdem diebus, quoddam mirum & cunctis audientibus magis magisque admirandum. Duo etenim perpetuo carceri non immerito mancipati, Rogerius scilicet de Clere, & Iohannes Ealriche, cum vnus per annos 18. & alius 10. & amplius, ferro onerati, apud Nevvgate Londini incarcerentur, de nocte euaserunt, abductis & aliis sociorum secum, qui omnes vincula non pauca etiam in exeundo sustinebant. Rogerius vero cum quibusdam eorum fugit ad Ecclesiam, & Iohannes cum aliis clam vt potuit se transtulit extra ciuitatem. Aliud vero insolitum hic est auditoribus enucleandum. Nam circa Purificationem beatæ virginis, cum deberet vernum serenari, tanta fuit niuis & gelu continuatio, per quindenam, quod nunquam per quam plurimos annos talem videres temporis & aeris contrarietatem. Dominica vero post festum Sanctę Scholasticæ, scilicet Idus Februar. consecratus fuit electus Dunelmensis Robertus de Stichille in Episcopum, ab archiepiscopo Ebor. apud Suthewell, qui celebrato ibidem laudabili conuiuio, sedem petiit Episcopalem cum festinatione, quam nunquam post electionem dicebatur reuisisse. Sub eisdem diebus regina Scotiæ Margareta, filiam peperit primogenitam, in Castello de Windesores, vbi moram vna cum matre sua traxerat diuturnam. Quod Scoti cognoscentes, nimis moleste ferebant reginam suam extra regnum proprium peperisse: quam penitus ignorabant partui tam proximam in recedendo extitisse. Ipsa enim eisdem hoc & regi caute occultauerat: vt sic natali solo repetito, liberius ibidẽ pariendi desiderium adimpleret.

Rex contra iuramentum suum init.

Eodem tempore Februar. dominus rex Angliæ, cum ex toto tempore suo haberetur maxime erga alienos largissimus, habito secum cogitatu secretiori, qualiter prouisioni Baronum suppositus, ex insolito cogebatur manum retrahere, & eorum custodiæ ac dispositioni licet vtili adhærere vehementer doluit, & se huiusmodi mutaturum corde firmiori

decreuit. Conuocatis itaq; magnatibus dixit: vos omnes pro communi & regis vtilitate (vt asseruistis) & commodo, necnon & pro thesauro meo ampliando, & debito perstitistis minuendo. Prouisumq; inter vos vniuersaliter decreuistis, præstitis iuramentis obseruari, cui & me, vna cum filio meo, iuramento alligastis consimili. Nunc autem indubitanter expertus sum vos non tantum regis & regni, quantum propriis inhiantes emolumentis penitus à pacto resilire, & me non quasi dominum, sed quasi ministrũ, vestrę subiugasse custodiæ. Thesauro insup ex insolito minorato, debitũ vbiq; succrescit, liberalitasq; regis & potestas fere prostrata succumbit. Vnde non miremini si vestro non amplius cõsessurus cõsilio, vos vobis relinquam de cætero, & super hoc remedio indulgeã perquirendo. Quo dicto, destinatis ministris Romam pro absolutione, rex specialiter scripsit regi Franciæ, & filio suo Eadwardo, pro subministrando sibi auxilio. Cui rex infinitos promisit milites per 7. annos, si necesse fuerit, propriis sumptibus sustinendos: & Eadwardus in congregandis vt dicebatur viribus labores adhibuit omnimodis. Studens eundem non iuuenem, sed etiam emeritum, à custodia eruere, & more solito regni sui dominum stabilire. Interim rex statuto magnatum neglecto, & consilio deceptus adulatorio, in Turrim se Londinensem intrusit, & thesaurum ibidem depositum, diruptis seris, ad consumendum dispersit. Conductis insuper operariis eandem fecit Turrim vbique firmari, ciuitatemq; Londinum, firmatis seris & clausuris, mandauit per gyrum communiri. Conuocatisque singulis de ciuitate à 12. annis, & supra, fecit omnes iurare de fidelitate sibi reseruanda, clamante hoc præcone, vt quotquot vellent regi militare, illius veniant suscipere pecuniam. Quo audito, magnates confluebant vndique cum viribus, hospitati extra muros, hospitiis suis intra omnino negatis. Sicque lethalis vbique suspicabatur guerra, nunquam per multos retro annos tam proxima. Eodem tempore diuulgatum est per circuitum, quod omnes Angliæ Episcopi moliuntur à religiosis, & maxime exemptis, Ecclesias sibi appropriatas reuocare, & ad hoc impetrandum procuratores sollicitos Romana in curia generaliter sustinere. Quod & bene putabant imperrare: quia causas petitionis varias & rationabiles assignabant (vt dicebant) nec pro vlla expensarum numerositate se retrahebant. Vnde vehementer formidabatur, ne sicut inter laicos tunc corporalis immineret guerra: sic & inter literatos, minoratis quorundam substantiis, spiritualis oriretur discordia. Circa idem tempus, dominus Papa cum nuper decreuisset concilium suum generale in quindena Paschæ Romæ celebrare, archiepiscopo super hoc Cantuariensi (vt dicebatur) præmonito, audito tandem viciniori incursu Tartarorum in Christianos, prædictum tunc distulit decretum, & fratrem Walterum de Reygate in Angliam misit, super hoc & alia salubriter prouisurum. Postea vero audiens idem Papa prædictos Tartaros vsq; ad 52. millia in Hungariam trucidatos, timensq; residuos sibi, cæterisq; Christianis in breui nocituros, summoneri fecit omnes prælatos transalpinos, & viciniores, vt citra festum Apostolorum Petri & Pauli Romæ conueniant, prouisuri qualiter prædictis cautius inimicis resistant. Veniens itaq; prædictus frater Walterus, fecit summoneri omnes Angliæ prælatos vt in quindena Paschæ coram ipso Londini conueniant, & mandatis auditis papalibus, de responsis salutaribus tractare non omittant. Tunc temporis, circa Pascha, impetrata fuit litera papalis super absolutione regis & Eadwardi filii sui, de prædictis iuramẽtis, sed rege hoc acceptante, Eadwardus se sponte iteratis innodauit sacramentis. Audientes hoc magnates, firmiter in proposito persistentes, destinatis ad regem mediatoribus, obnixe rogabant vt communiter præstitum inuiolabiliter teneret iuramentum. Et si quid sibi displicuerit, eisdem ostenderet ad emendandum. Qui non acquiescens, sed eorum ingressus vix patiens, dure minatur, ac proterue respondit, dicens, quod ipsis à conuentione deficientibus non amplius acquiesceret. Sed vnusquisque deinceps propriis defensionibus prouideret. Tandem tamen mediantibus quibusdam discretis, ad hoc vix mitigatus, inducitur vt duo eligerentur: vnus ex parte vna, & alius ex altera. Qui duo, tertium sibi assumerent, & auditis querelis regis & aliorum responsis, stabilem vtrobique pacem prouiderent. Quod hinc inde concessum, vsque ad aduentum Eadwardi cõceditur differendum. Audiens autem hoc Eadwardus, scilicet prædictam in Anglia discordiam per suum citius aduentum pacem sortiturum, adepta de Hastiludio victoria, confestim repatriauit, adductis secum Iohanne de Braines sororio suo, & Gulihelmo de Valentia, de terra nuper elongato. Qui tunc ingressum vix obtinuit, ita tamen vt præstito in ingressu sacramento Baronum prouisioni in omnibus obediret, & singulis contra eum depositis querelis & deponendis, si necesse fuerit, responderet. Eadwardus vero super vanis regis consiliis & consiliariis edoctus, eisdem valde iratus, sponte à se patris absentauit obtutibus, & fideli-

ter,

ter, vt præiurauerat, assensit Baronibus. Inquisitis itaque diligenter prædictæ contentionis fautoribus & cognitis, vnanimiter omnes cum Eadwardo coniurarunt, quod nunquam regi consentirent in vno, donec quosdam non nominandos à suo amoueret consilio. Addentes quod per talium pacis perturbatorum suggestiones rex sæpe decipitur, & in prætacta papali absolutione prouisio regi & regno salutaris infirmatur. Vnde reuelato eorum secreto, nunquam rex, talium consilio intermediante, suo poterit Baronagio prout decet consentire. Rex vero hoc tenuens confestim se infra Turrim Londin. cum eis recepit. Et Eadwardo foris cum magnatibus remanente, concursus in proximo formidolosus exercuit. Comites autem Glouerniæ & Leicestr. prius per verba indecentia discordes, pace sunt tunc firmissima confœderati simul cum Eadvvardo & aliis, contestantes q; aut prædictorum perturbatorum à rege remouerent consortium, aut guerra viciniore suscitanda alterutros se darent in interitum. Timentes itaque non mediocriter prædicti consiliarii, se infra Turrim Londin. & custodiam diutius receperunt, armis viribusque circumqua communiti. Qui tandem interueniente regina, vix quibusdam concordati magnatibus, circa Pascha inuicem susceptí sunt in pacis amplexibus. Quo facto dominus rex audacius se extra Turrim exposuit, domino Iohãni Mansel infra dimisso, versusq; Doueriam itinerauit continuo. Venienti autem cum mediocri familia, liberum patefecit Castelli introitum: cum nec eidem ablatum nec vetitum, sed tanquam clauis totius regni, custodiæ esset diligentiori à Baronibus deputatum. Quo rex statim se sentiebat de falsis suggestionibus deceptum, & Baronum suorum fidelitate vbique licet ignoranter sufultum, commendansque illius custodiam domino R. Valeran. mox Castellum Roffense adiit, & quædam alia, & vbiq; liberum inuenit introitum & exitum ad commoda. Eodẽ tempore, destinati sunt iusticiarii itinerantes per Angliã rege præcipiente, sed hoc contra communem prouisionem, & Baronagio minime consentiente. Quibus venientibus Herefordiam, & comitatu conuocato, die lunæ autem le, Hokeday, sedere volentibus, confestim se ingesserunt quidam ex parte Baronagii, districtius prohibentes ne ipsi hoc præsumerent, nec eis alii in aliquo responderunt. Tum quia rationabiles per dies, scilicet 40. nõ præcesserunt summonitiones, tum quia secundum prouisionem, non nisi semel in vno Comitatu in septennium sessuri erunt itinerantes. Vnde placito eorum silenter suspenso, mox à rege consilium petierunt super hoc responsum, & accepto mandato vt desisterent ad Northamptonam iter arripuerunt celerrimum. Mense vero Maii summonitis omnibus Angliæ prælatis, vt prædictum est, scilicet archiepiscopis, episcopis & abbatibus, tam exemptis quam non exemptis, Prioribus, archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Ordinariis, vt scilicet auditis domini Papæ mandatis, certis eidem satisfacerent in responsis. Die lunæ ante festum sancti Dunstani conuenerunt omnes Australes Londini coram archiepiscopo Cantuar. B. & prædicto fratre Gulihelmo, nuntio domini Papæ. Die vero lunæ subsequente Aquilonares apud Beuerley coram archiepiscopo Ebor. negotium idem exequente, celebratoq; hinc inde consilio super prædictis articulis, statuta quædam tunc noua prouiderunt, hic & ibi, super statum Ecclesiæ Anglicanæ, quæ vna cum aliis quondam apud Oxoniam prouisis sanxerunt custodiri. Super his autem & aliis maxime ad resistendum Tartaris communiter prouisis, nuntios discretos & generales prouiderunt Romam dirigere, qui communi eorum bursa victuri, dominum papam possent super eorum responsis in concilio prædicto, Romæ celebrando, certificare. Hi (vt communiter dicitur) tunc iurauerunt coram prædictis Episcopis, quod nihil contra ipsos procurabunt, aut patienter pertransire, sed contra religiosos & maxime exemptos studebunt contendere. Vnde ipsi exempti, omnibus aliis certa responsa donantibus, ita tunc vna voce responderunt. Vos pro vobis tantum, & contra nos, legatos mittitis ad curiam, & ad hoc nos cogitis vobis contribuere, si nuntios velitis generales p̃ communi nostrũ vtilitate transmittere, vobiscum libenter contribuemus, sin autem, nõ consentimus. Quo audito Episcopi suam exinde sumpserunt excusationem, rescribentes Papæ se propter diuisionem exemptorum, certam dare non posse responsionem. Ipsi igitur exempti timentes, nuntios post ipsos quam citius destinarunt speciales, qui cõtra prædictos procurarent, aut eorum contradicendo annullarent impetrationes. Tunc temporis volens dominus rex à iuramento prius præstito tanq̃ absolutus resilire, audacter circuit per ciuitates & Castella, volens eorum & totius regni sui plene possidere dominia. Animatus ex hoc, q; rex Franciæ, vna cũ magnatib. suis, nuper sibi promisit viriliter succurrere. Vnde & Comes sancti Pauli, & Gerardus de Rodes, cũ ingenti aduenerunt in succursum suũ numerositate. Hic Comes (vt dicebatur) eidem fecit regi fidelitatẽ de seruitio, & ob hoc qualibet septimana de-

decem recipiebat marcas de fisco, similiter faciebat prædictus Gerardus, sed cæteri omnes plenam habuerunt ante aduentum suum mercedem de 40. diebus. Veniens itaq; prædictus rex ad Wintoniam, ibidem castellum suum, vt alibi, liber introiuit, ac festum Pentecostes ibidem cum suis celebrauit. Vocatisque ibidem ad se Iusticiario & Cancellario, nuper institutis à Baronagio, sigillum suum sibi reddi & rotulos de iusticiaria sibi mandauit restitui. Quibus respondentibus se nullatenus hoc facere sine Baronum, vna cum rege, assensu & voluntate, confestim rex commotus, Baronagio inconsulto, dominum Walterum de Merton sibi præfecit Cancellarium, & dominum Philippum Basset, capitalem sibi & regno Iusticiarium. Quo audito magnates, considerantes hoc sibi & prouisionibus suis contrarium, timentesq; ne rex ita præsumeret eorum funditus eradicare statutum, cõmuniti armis & virib. illuc properabant quantotius. Iohannes vero Mansel hoc audiens, timensq; regi, sibi, suisq; consentaneis, suscitari exinde periculum. licet vehementer formidans, Wintoniam clam adiit, & vt clandestino Londinum rediret, regem secretius consulendo admonuit. Quo reuerso rex silenter de Castello (vt dicebatur) se emisit, & cũ pauca sequela subsequendo Londinum alacriter properauit. Eodem anno cum sedes Winton. per tempus non breue vacauerit, ipsi Wintonienses abbatem de Middelton, quondã Priorem suum, elegerunt in Episcopum, licet alium prius elegerunt, qui viuente Æthelmaro, & in curia stante Romana, contra ipsum impetraturus, Ecclesiam suam infinita ibidem obligauit pecunia. Hic quia prius electus dum Æthelmarus adhuc viuebat, per quẽ & ipse quõdam in priorem Winton. creatus fuerat, merito videbatur Episcopatum non debere tenere: vnde ipso Æthelmaro mortuo, ipsum abbatem voluerunt contra aliũ subrogare. Mense vero Maii, cum papalis indulgentia (de qua prædicitur) super regis & aliorũ coniuratorum absolutione impetraretur, fecit eam dominus rex coram omnibus publicari. Anno vero sub eodem grauis discordia oritur inter regem Henricum & suos Barones, eo quod eorum prouisionibus, prout in colloquio Oxonienſi hinc inde præstito iuramento fuerat stabilitum, vlterius assensum præbere renuit. Horum ergo spreto penitus concilio, seisiuit Castra, quæ in eorum fuerant commissa custodia. Officiales etiam regios vtpote Iusticiarium & Cancellarium, & alios constitutos per Barones amouit: in quorum loca, propria fretus volũtate, alios ad placitum subrogauit. Post Pascha B. archiepiscopus Cantuar. authoritate fretus Apostolica, concilium celebrauit prouinciale apud Lambetham, iuxta Londinum, consilio præsulum prouinciæ suæ, super executione præfati mandati Apostolici contra Tartaros, qui iam orbem terræ maxima ex parte grauiter oppresserant, prout superius pleniusdemonstratur. Ad quod quidem diuinæ indignationis flagellum Deo duce eruendum, sanxerunt sancti patres, consilio huic assistantes, ad processiones, & ieiunia, ac alia huiusmodi pietatis opera recurrendum, per quæ si in spiritu humilitatis, & in animo contrito, domino offerentur, diuina cessante iracundia, propter peccata populi ad vindictam succensa, fideles populos fore confiderent misericorditer liberandos. Circa quindenam Paschæ, Comes de sancto Paulo, venit in Angliam, à rege Angliæ (vt dicebatur) inuitatus, 80. circiter militibus, totidemq; satellitibus balistariis cõcomitatus, sed non multum post, infecto proposito, rediit cũ suis ad propria. Et eo tempore Iusticiarii itinerantes sederunt apud Gloceſtriam, deinde volentes sedere apud Wigorniam in octauis sancti Iohannis Baptistæ, non inuenerunt qui coram eis ad placitandum conuenirent, aut quicquam tanquam Iusticiariis responderent, eo quod suam fecerant itinerationem citra septimum annum, ante cuius completionem iuxta prouisionem regni, huiusmodi non licet exercere iudicia. Calumniabantur etiam compatriotæ breuitatẽ summonitionis, plenariumnec rationabile continentem in se rempus: secundũ quod in lege Anglicana salubriter est ab antiquo determinatum. Sexto Kal. Augusti, coruscationes fulgurũ, violentię fulminũ, Occidentales partes exterruerunt. Deniq; apud Euesham ictus è cœlo emissus ingentem, lapidẽ in cõfinio anguli altioris materiæ Turris locatum, impulit tanta vi vt in chorum caderet violẽter effractus, humũ penetrando, ferme monopedali longitudine. Mox etiam tecto Turris ex fulmine de sursum in summitate incenso comburitur per discensum longitudine circiter 30. pedum, siue (vt quidam asserunt) 50. computato ventilogio, sequutus est fœtor teterrimus hominum importabilis naribus. Tandem monachi cum plebe accurrentes, & in Turrim ausu admirando irrumpentes, aquarũ aspergine ignem extinguere conantur. Sed ad extinguẽdum & effugandũ inimici præstigias quasi frustra elaboratum est, donec (vt aiũt) radio Phœbe super ignem fulmineum illucescente, eundem deleret omnino & extingueret nutu Dei. Eodem anno in festo scilicet sancti Vrbani Papæ, & martyris, quod fuit 8. Kal. Iunii, obiit Papa Alexander, & ecc-

ceſſauit Romanorum Pontificatus tribus menſibus, & binis circiter hebdomadis. Cui tandem ſucceſſit patriarcha Hieroſolymitanus, & vocatus eſt Vrbanus. Et hoc anno tumultus, & ſeditio fuit in populo per Comitatus Angliæ pro nouorum Vicecomitum inſtitutione, ſingulis in pagis per regem poſitorũ: prioribus videlicet, quibus per Barones & communitatem terræ fuerant prius commiſſi Comitatus, regia remotis indignatione: ſed Comitatuũ comprouinciales quorundã optimatum regni iuuamine animati ac conſilio ſuffulti, necnon & ſagacitate magna edocti, nouos repulere viriliter Vicedominos, nec eis quicquam intendere volebant nec reſpondere. Propter quod igitur rex Henricus, graui mentis anxietate turbatus, ad deuotionem plebis excitandam & fidelitatem capeſcendam, vniuerſis Comitantibus Angliæ dirigit Epiſtolas valde motiuas ad pietatem, populique ſibi ſubiecti reuocandam beneuolentiam, quarum tenor in fine huius libri, vna cum prouiſionibus Oxoniæ, apponetur. Igitur ſuborta (ſicut ſæpè dictum eſt) inter regem & Barones magna diſcordia, & de die in diem plurimum ingraueſcente, conuenerunt Londini, & partibus ſibi proximis, Anglorum optimates armata manu, circa feſtum Omnium Sanctorum. Quorum potentiam ſuper ſe aggrauatam nimis metuens rex, conſtitit cum ſuis in Turrim Londini: qui & ſeruitium ſuum militare, cum celeritate, qua potuit, ibidem non diſtulit ab omnibus generaliter conuocare. Cum ergo vtriuſque partis fuiſſent congregati confautores, conquieuit tandem per internuntios ipſa perturbatio ſub ſpe pacis reformandæ ſine ſtrepitu guerræ, quorundam procerum ad hoc electorum cõſiderationibus parte vtraq; concorditer inclinata. Sicque Baronum omnis labor, & omne ſtudium præcogitatum diu, quorundam (vt putabatur) aſtutia intermixta, caſſatum eſt ad hoc tempus & emarcuit, quia ſemper nocuit differre paratis. Hoc anno obiit Senchia regina Alemanniæ, & ſepulta eſt apud Hayles, in monaſterio, quod dominus ſuus rex fundauerat. Et Eadwardus filius regis H. de partibus rediit transmarinis, ducens ſecum Guilhelmum de Valentia, & cæteros Pictauienſes, qui (vt prædictum eſt) coacti receſſerunt ab Anglia.

Canonizatio ſancti Richardi Ciceſtrenſis Epiſcopi.

Anno gratię. 1262. Sanctus Richardus, Ciceſtrenſis Epiſcopus, Romæ canonizatus eſt, & ſanctorum cathalogo aſcriptus, cuius dies feſtiuitatis celebratur 3. Nonas Aprilis. Interea Henricus rex abſolutionem impetrauerat à Papa Vrbano de ſuæ conceſſionis obſeruatione, quam fecerat Oxoniæ, à iuramentis, & aliis eaſdem ordinationes ſeu ſtatuta contingentibus: quas quidã prouiſiones mox per Angliam diſſolui mandauit. Richardus Romanorum rex rediit in Alemanniam, & Henricus rex noſter mare tranſiit, circa translationem beati Thomæ martyris, & in Francia per longum tempus perendinauit. Vbi & grauiter infirmabatur, necnon & pene omnes de familia ipſius febre quartana miſere cruciabantur, ſed multi obierunt. Inter quos Baldewinus de inſula, Comes Deuoniæ, tãquam in medio dierum ſuorum ex hac luce ſubſtractus eſt. Et Richardus de Clare, Comes illuſtris Gloceſtriæ & Herefordiæ. circa hoc tempus obiit in Cantia, & ſepultus eſt apud Thekesburie. De cuius virtute ac morũ prerogatiua. ſic de eo illic heroice intitulatur.

Hic pudor Hippolyti, Paridis gena, ſenſus Vlyſſis
Aeneæ pietas, Hectoris ira iacet.

Et Henricus Epiſcopus Londinenſis obiit, cui ſucceſſit Richardus Talbotus, qui & ipſe citiſſime poſt viuere deſiit. Magiſter Iohannes de Exon. ex collatione domini Papę Epiſcopatum ſuſcepit Wintoniæ. Cum iam per ſex annos vel eo amplius, frugibus in terra deficientibus deprimeretur Anglia, tandem anno præſenti refloruit terra, rediitq; viridantibus annis annus lætus & frugifer. Sic & cor omnium & caro omnium exultarunt in Deum vnum. Circa feſtum ſancti Andreæ Apoſtoli, ventus fuit validus, qui non ſolum domos & arbores, ſed & turres deiecit ligneas & lapideas. Vnde & Eccleſia de Croyland, maiori ex parte, vna cum Turri cecidit, & quinq; homines ſubtus aſtantes obruit. Et hoc anno Andreas Prior ſancti Swithini, Winton. ſuis meritis exigentibus ab Epiſcopo loci captus in capitulo, apud abbatiam de Hyda incarceratur: ſed cito poſt vincula confringens caute euaſit. In aduentu domini Wallenſes cum ſuo principe Leolino, de ſuis ſedibus irrumpentes, terras Rogerii de Mortuo mari hoſtiliter inuadunt, & depopulantur. Quoſdamq; nobiles & ſtrenuos, tam milites q̃ armigeros, ad munitionẽ & defenſionem Caſtri de Kenet, cõbuſti prius ab eiſdẽ, deputatos, intus incluſos obſederunt, & ſpẽ victualiũ eis eripuerũt. Vnde tandem Caſtrum illud & aliud quoddã fortiſſimum & inſigne ipſius Rogeri reddita ſunt illis. Quę Wallenſes (prout eorũ mos eſt) ad ſolum proſtrauerũt, & in planitiẽ redegerunt. Rogerius igitur de Mortuo mari, fama dignus æterna, in iram nimirum compulſus

vehe-

vehementem, quorundam magnatum Marchiæ manu intus auxiliari, pro loco & tempore eis insidias machinans, crebris excursibus eosdem aggressi, nunc 300. nūc quadringentos, aliquando 500. vel eo plures, vsq; ad innumeram multitudinē interimendo, stragē eis victrice manu infert miserabilem: ex intrantibus tamen vna vice marchionib. peditibus, circiter 300. fato infelici ab eisdem proditorie iugulatis. Eodem anno palatium regium apud Westmonasteriū ignis conflagratione, ex parte maxima, cōsumptum est. Quod quidam omen sinistrum portendere interpretabantur. At dominus rex, fuorum fidelium salubri consilio interueniente, ad pacem magnatum suorum, & regni melioratione constitutiones Oxoniæ dudū editas de mera ac libera voluntate sua inuiolabiliter obseruari præcepit, easdem cuilibet dirigendo Comitatui. Sed nec dum per hoc pacificatum est regnum, prout in sequentibus videbitur manifeste. Ægidius Episcopus Sar. obiit. Successit Walterus: & Richardus rex Alemanniæ, exhausto solito more in Teutonia thesauro suo, Angliam repetiit. De cuius acquisitione pecuniæ vere dici potest.

Non habet euentus sordida præda bonos.

De expeditione in VVallenses.

Anno gratiæ. 1263. Eadvvardus filius regis H. venit post Pascha in Angliam cū fortitudine magna militum, tam alienorum, quos secum adduxit de Gallia validissimos, quā Anglorū. Progrediensq; versus Snoudunum, expeditionem mouit contra Wallenses permaximam, sed eisdem se retrahentibus, & nostratibus pro soli inęqualitate, ac nemorum densitate, paludumq; profundarum caligine, cum eisdem congredi minime præsumentibus, sicut rebellionem eorum per hoc adiutam, ita virtutem Eadwardi & suorum impeditam fore, credēdum est. Sed tandem munitionib. in partibus illis, victualibus abundanter, & armatis potenter instauratis, rediit in Angliā reuocatus à patre. Hoc anno obierunt Iohannes abbas de S. Albano, & Labbas Glouceſt. Illi succesſit Rogerius, isti vero Reginaldus. Fuit autem conuocatio magna pontificum & cleri Angliæ post festum S. Trinitatis apud Westmonast. ad mandatum domini Papæ summonita coram Leonardo & Berardo, nuntiis eiusdē, ad extorquendam pecuniam ab Anglis ad opus Imperatoris Constantinopolitani, à suo imperio iamdudum electi. Quibus nil velle sibi in huiusmodi contribuere, tam à regno quam sacerdotio, prætensis in publico rationibus multiplicibus, tum propter dissidium regni tum propter depressionem, & inopiam, quæ iam diu gleba deficiente in populo grassata est, tum propter multas alias causas euidentissimas responsum est præcise: domino suo regi & sibimetipsis, in tanto necessitatis articulo, fore potius subueniendum quam extraneo principi. Hæc ideo ad instructionem posterorū hic inserere curaui quantinus sumpta cautelā de præteritis per vnitatē responsionis à communione mutuæ voluntatis ab huiusmodi vectigalium contributionibus præmuniantur posteri & præseruentur. Eodem tempore celebre monasterium & insigne Becci in Normannia cecidit in cineres. Barones Angliæ, iuramento astricti ad obseruationē (vt sæpius dictum est) statutorum Oxonienſium, consilio potiti, & opere suffulti efficaci Simonis de Monte Forti, Comitis Leicester nobilissimi, ac bellicis rebus peritissimi, quod diu super præmissis præcogitauerant, effectui mancipare non differunt. Quippe primo & principaliter in omnes alienigenas, quos rex & regina, necnon & Eadwardus, eorum filius, plus ęquo diligentes, ac spretis indigenis, eos in altum nimium huc vsq; prouehentes, guerram mouent, & prædas vrgēt per totam Angliā subito, & nihil tale cæteris præmeditantibus, sed & in domini regis consiliarios, atq; omnes quotquot sibi nouerant in aliquo adhærere, hostiliter insurgunt, maneria eorum, dominica, munitiones, & oppida, bonaq; tam Ecclesiastica quam mundana inuadunt vtrobiq;, & debacchantur. Vnde & Petrus Herefordensis Episcopus, natione Burgundus, captus est in Ecclesia sua cathedrali, & ductus ad Castrum de Erdesley: thesauro, quod habuit abundanter, & prędiis direptioni datis & cōfusioni. Sed & canonici seculares, compatriotæ ipsius, quos in eandem introduxerat Ecclesiam, similiter comprehensi, mittuntur cum eodē, custodiæ mancipandi. Exinde progreditur exercitus ille vsq; Glouceſtriam, & Castrum obsedit per quatuor dies, in quo quidam Matthias de Besill. alienigena, cui Comitatus & Castri fuerat à rege commissa custodia, erat cum paucis intrusus. Qui tādiu se tenuit in illo, exercitui obsidēti se reddere præcise recusans, quousq; prima porta versus vrbem combusta, deinde quorundam incarceratorum, auxiliandi gratia à carcere absolutorum, proditione, posterna ex altera Castelli parte ingressui patefacta, intrarent subito Barones. Matthias in Turrim fugere compulsus est fortissimam, triplici ostio ferreo ac seris munitā firmissimis. Qui tamen introitus, malleis ferreis & securibus, viri-

confractus, ingrediuntur belligeri, capto sic Matthia, nec tamen metu mortis, vel minis hostium, se eis reddere volente, quod ei vtique, etiam ab inimicis suis, ad laudem fuerat notatum. Ductus est ergo ad Episcopum prædictum simili sorte confligendus. Deinde iuit exercitus ad Wigorniam, & eam sine alicuius contradictionis obice, licet de villa & ciuitate custodienda literas regias susceperunt ciues, intrauit. A quibus fidelitate recepta, tendit ad Bruges, & regium ibi cepit oppidum, quod ciues Baronibus exclusis primo die nobiliter defensarunt, sed demum pacto inter eos stabilito, ne videlicet Wallenses (quorum turma ex altera parte vrbem assiliens extitit innumera) intrarent, reddiderunt se die subsequenti. Hoc facto, Barones illi gressus suos versus Australes regni partes direxerunt, assumpto secum Comite prædicto in ducem, per quem regebantur. Augebatur ergo numerus commilitonum suorum quotidie. Nã iam totius regni præstantiores viribus, & nobilitate præpollentes fere omnes, ad eos confluxerant. Ac deprædationib. & rapinis, suis quiq; prouinciis, super alienigenas misere debacchati sunt. Tunc erat triste æmulis alienigenarum, videre confusionem eorum. Nam quicunq; Anglicum idioma loqui nesciret, vilipenderetur à vulgo, & despectui haberetur. Vnde contigit quod & multi, tam religiosi quam alii, nationis extraneæ, exeuntes per clandestinæ fugæ præsidium, mortis supplicium seu dispendiosum captiuationis periculum metuentes, fugerent è regno. Sed & I. Maunsel, multarum in Anglia rector Ecclesiarũ, seu potius incubator: redditumq;, quorum non erat numerus, possessor magnificus, ita quod ditior eo clericus non videretur in orbe, Episcopali puta dignitate minime insignitus, metu Baronum aufugit latenter vltra mare de Turri Londin. in qua rex Angliæ & regina sua tunc temporis tenuerunt se. Quẽ cum H. filius regis Alemanniæ fugientem insequeretur, & ipse capitur cum applicuisset Bononiæ ab Ingerando de Feenes, procuratione (vt putabatur) reginæ. Interim Eadwardus regis primogenitus, Castrum illud munitissimum de Wintesores, quo non erat ad id tempus aliud splendidius infra fines Europæ, muniuit militarib. copiis alienigenarũ, quos secum (vt dixi) adduxerat in Angliam, ibidem introductis. Rex autẽ noster in Turri existens Londinensi, videns se circundatũ vndiq; atq; vallatum hostibus, paci Baronum acquieuit, & Oxonii prouisiones obseruare cõcessit. Sed regina muliebri irritata angore, pro viribus contraire nisa, assensum non præbuit. Vnde cum de Turri exisset, tendens per Tamesim versus Windeshoram, vbi alienigeni erant congregati, intercepta est à Londin. & ab eisdem enormiter blasphemata & exclamata, iactuq; lapidum & luti, subtus ponte, vilissime repulsa. Quod vtiq; pacis impedimentũ fuerat hoc incentiuũ patebit in sequentib.

Forma pacis.

Et hæc fuit forma pacis, concepta tunc temporis inter regem & Barones suos: videlicet, quod H. filius regis Alemanniæ per regem & reginam liberaretur: & quod Castra regis baronum custodiæ committãtur. Item quod prouisiones & statuta Oxonii firmiter & inuiolabiliter, tam à rege quam ab aliis obseruentur, & quod regnum de cætero per indigenas fideles & vtiles sub domino rege gubernetur. Insuper quod exeant alienigenæ à regno, vlterius nõ reuersuri, exceptis illis quorum moram fideles regni vnanimi assensu acceptarẽt. At illi qui in Castro nobili Windesor, fuerunt introducti, alienigenæ prędicti milites strenuissimi, num. quasi 100. & satellites multo plures, munierunt illud & instaurarũt eggregie patriã deprædantes & deuastantes circũquaq;. Interea cũ Simon de Monte Forti, Consul Leicestr. & Barones, circa partes maritimas pro liberatione dicti H. filii regis Alemanniæ, fuissent occupati, venit Eadwardus ad Castrum Bristoliæ. Qui cũ illic in oppido illo per aliquot moraretur dies, ecce, nulla ex parte ei arridente fortuna, oritur inter milites suos & municipes seditio magna, talis profecto quod vrbs tota, quæ sui debuerat esse dominii, à sua fidelitate & obsequio penitus se subtraheret, ciuibus ad ipsum obsidendum iam paratis, de Castelli captione iam securis. Is igitur hinc inde cuncta sibi sinistro omine cedere perpendens, eo quod iam tota Anglia contra eum & omnes alienorum fautores, vel contra Barones recalcitrare nolentes, ita exarserit & indignatione: accito ad eũ Walteto Wigornensi præsule, qui de latere Baronum extiterat, sub simulationis pallio cũ eis pacificare velle promisit. Quem cũ Episcopus accepta securitate (vt putabatur) manucepisset ad hoc fideliter prosequendum, pactum quod pepigit, transgreditur. Nam cum versus curiam iter arripuisset, vt promissum confirmaret, immisit se in prædictum Castrũ cum alienigenis. Igitur ad vincula S. Petri virib. congregatis, proceres regni & prouisionũ, ipsi vna cum rege, iam eis per omnia ore tenus hoc intimato, castrũ illud assiliendũ decreuerũt. Eadwardus ergo exiens è Castro, quasi pro pace tractanda, occurrit patri & Baronibus, quasi à Londino media via, finitoq; tractatu cũ redire voluisset, Comitis Leicestriæ ac

Wal-

Walteri Episcopi Wigorn. sinistra suspicantium, retentus calliditate, Castrum nō est permissus reintrare. Ergo Castrū illud nobile regi redditum est & Baronibus, sub hac tamen forma, quod hi qui intrusi fuerant, saluis sibi equis & armis, saluo exirent de regno, sine spe reuertendi, quos quidam Barones tunc ad mare conduxerunt. Circa illud tempus, Leolinus princeps Walliæ, terras Eadwardi destruxit in marchia Cestriæ. Et Castrum de Dissard optimum obsedit, cepit, & ad solū complanauit. Similiter & castrum de Gannoc, neq; forma, neq; situ à prædicto secundum. Eodem anno. 4. Kal. Augusti signum quoddā stupendū valde & admirandum, apparuit in firmamento, circa mediam noctem, à parte Aquilonari. Ac Nonis Augusti scilicet cito post, fuit eclipsis solis post horā nonā mirabili spectaculo videntium oculis. Ad Natiuitatem beatæ virginis maxima coadunatur congregatio Londini, procerum & cæterorum prælatorum regni, quanta non est visa longo tempore transacto in Anglia. In quo colloquio statuta Oxonii publice promulgata sunt, & per regnum integraliter iussa obseruari, sed deprædationes & rapinæ, personis illatæ ecclesiasticis, q; vtiq; valde foret difficile, necnon & quibusdam magnatibus, qui regi fauebant, similiter factæ, pro quo discordiæ schisma, inter eos hinc inde subortum, multum timebatur in Anglia, statuuntur restitui. Petrus Herefordensis Episcopus, à custodia, qua tenebatur absolutus est, & qui cum eo erāt, videlicet Matthias de Besill. & cæteri liberati sunt. Circa festum sancti Michaelis, rex noster, & regina, & Comes Simon de Monte Forti, cum multis nobilibus, mare transierūt, ad colloquium regis Francorū Ludouici, quod tunc tenuit Bononiæ, occasione perturbationis regni Angliæ. Ex procuratione autē regiæ suiq; generis processerat istud, quod ex præfato facinore patrato, in Londinenses odii traxerat incētiuum. Et non multum post hoc, magnum celebratum est Parliamentum Londini, in quo scissura (heu proh dolor) iam prævalente inter Barones, iuxta illud Euangelicum. Omne regnū in se diuisum desolabitur, & cæt. plures eorū qui primo in caluaticiis, & in deprædationibus faciēdis acriter exarserunt, iam regi & Eadwardo magnæ probitatis viro adhæserant, promissionibus conuersi delinitis, & terris amplis promissis sibi & collatis. Post hæc iuit rex cum exercitu magno (nam iā potentiores regni in manu forti adhærebant ei) ad Doueriam, vt Castrum alliceret de manu Baronum, quod nō obtinuit. Rediens ergo cum indignatione vehementi versus Westmonasterium, missisque interim clandestinis quibusdam ciuibus Londinensibus literis, vt ianuas custodiendo Baronibus interdiceretur ingressus, fere proditus fuit ille Simon de Monte Forti, qui extra ciuitatem in suburbio Sudwerke, cum suis paucis admodum, regii respectu exercitus, intererat. Dispositis namque turmis, haud longe ab eo loco ad ipsum assiliendum, nihil tale præmeditatum, iam appropinquabat exercitus: & ad eum capiendum cum summa securitate progreditur, cum ecce comperta deceptione irruunt Londinenses, quorū corda habuere Barones valde propitia, cum impetu fortitudinis magnæ catenas frangunt, portas aperiunt, & ad eum succurrendum cateruatim accurrunt. Sicque nutu Dei Consul eo die de manu hostili ereptus est. Nā dominus rex cognita per exploratores numerosa Lōdinensium multitudine in adiutorium ei venire exercitū suum fecit remeare. His itaque stis, de pace hinc inde componenda delaboratum est, tam à parte regis Franciæ quam pōtificum regni Angliæ instanter. Tandem vero submittentibus se per compromissionem rex Angliæ & Barones sui, indicto & ordinatione regis Franciæ super contentionibus, prouisiones Oxoniæ contingentibus, necnon & deprædationibus & rapinis factis hinc inde multipliciter, pro quo diuisio inter multos fuerat (vt dixi) iam suborta, itum est post Natale in Franciā ad recipiendum, quod super his dictus rex duxerit ordinandum. Igitur in crastino Vincentii martyris, congregato Ambiani populo innumerabili regum, pontificum & procerum, rex Franciæ Ludouicus, propositis & defensis ac rationibus partium plenius intellectis, protulit dictum suum & sententiam solenniter pro rege Angliæ contra Barones, statutis scilicet Oxoniæ, & prouisionibus, ordinationibus ac obligationibus penitus annullatis. Huic autem conuocationi rex Angliæ interfuit, & regina Alienora, Archipræsul etiam Cantuar. Bonefacius, & Petrus Herefordensis episcopus, Ioannes Manusel, qui ab Anglia perturbati, quanta potuere mala Baronibus non cessarunt machinari. Ab hoc vero tempore nouissimus error peior factus est priore. Interea Rogerius de Mortuo mari prædia dominica Comitis Leicestrię in Marchia deprædatur. Consul ergo, iam sibi in amicitias prouocato Leolino principe Walliæ, præclarū illuc misit exercitum, qui & terras eiusdem partim destruxit, & Castrum de Radnor cepit & combussit: in cuius succursum, cum Eadwardus de partibus rediens transmarinis, militari copia stipatus, conuolasset, Barones insequutus est, nec tamē eos aggressus, quia nullus

nullus factus est inter eos congressus. Castra autem Humfridi de Bahun Iunioris. s. Haie & Huntindun, obsedit Eadwardus & cepit, ac Castrum * Breconiæ, in deditionem accepit. Quæ cum prouincia & appendiciis Rogerio prædicto tradidit ad custodienda. Et ad illud tempus Robertus de Ferrariis Comes Dereb. cum exercitu magno venit Wigorniam. Cui cum ciues muralia ciuitatis & portas custodiendo viriliter restitissent, tandem ex inopinato per vetus Castrum intrauit, qui & villam destruxit ac Iudaismum euertit. At Barones redeuntes de Wallia, vrbem Glouern. non viribus vel obsidione, sed quadam nacti cautela, introierunt. Eadwardus etiam magna vsus audacia, subito venit à tergo, pōteq; celeriter super ripam Sabrinæ rēparato, qui & prius à prædictis fuerat combustus, intrauit Castellum, Baronum præsentia non obstante, inter quos in crastino Waltero Wigorniæ episcopo intercedente, & Eadwardi astutia vulpeculari interueniente, captæ sunt inducię, Baronibus ab vrbe recedentibus. Eadwardus ergo, vrbē cum Castro sic adeptus, Burgenses incarcerauit: & villam ad mille libras miserabiliter redemit. Exinde patrem suum regem adiuit Oxonię, qui iam de Francia reuersus, seruitium suum militare, ad proficiscendum super suos complices, generaliter conuocauerat per Angliam. Nempe rex vniuersitatem cleri Oxonię euacuare coegit ad tempus. Sed & sanctam virginem Fridesswidam personaliter & deuote visitauit, quod nullus regum Angliæ ante ipsum in persona propria, procul dubio, ausus fuerat. Interim Eadwardus & cæteri magnates in partibus illis, Baronesq; partis aduersæ depopulari, & incendere terras, & maneria alterius cuiusque non destiterunt. Ac Londinensis cum innumera multitudine ab vrbe sua irrumpentes, prædia & possessiones regis Alemanniæ atque Philippi Basset, aliorumq; plurium regi adhærentium, destruxerunt & combusserunt. Sed & clericos regis, atq; Barones de Scaccario, ac Iusticiar. de Banco, ceperunt & incarcerauerunt. Sic itaque annus iste intestina hostilitate, ciuilique discordia sauciatus, adeo vt quis cui crederet, quis cui mentis suæ secreta committeret, nesciretur. Vtpote his & illis diuersa sapientibus miserabiliter finitus est.

* Breknoc

De captione Baronum apud Northamtonam.

Anno gratiæ 1264. Circa mediam quadragesimam habito tractatu rex Angliæ cum proceribus regni apud Oxoniam, adierunt ipse & Richardus Romanorū rex, frater eius, ad Northamtonam cum exercitu admirabili, vexillis expansis, vbi Baronum pars non modica tunc in vnum erat congregata. Eosdem ergo in vrbem intrusos acriter assiliens, tandem confracto muro intrauit exercitus, & omnes quasi subito cepit Barones vexilliferos 15. circiter, & milites 60. cum satellitibus quorum non erat numerus. Horum erat præcipuus Petrus de Monte Forti, Iunior, qui ad Castrum confugerat, sed in crastino reddidit se. Erat & inter illos Simon de Monte Forti, Iunior, filius Comitis, qui introitu regalium in municipium pro posse dimicādo restitit, ob quod famam promeruit sempiternam. Hoc actum fuit Sabbato primo Passionis dominicæ. Omnes ergo captiui abducti sunt in exercitum, terris eorum in alterum dominium iam translatis. Rex autem Leicestriam tendens, in ea hospitatus est, quam regum nullus præter eum, etiam videre prohibentibus quibusdam superstitiosis, præsumit. Deinde ad Nothingam, & Castrum intrauit, nullo sibi resistente. Nam qui intro fuerant ex parte Baronum obuiam processerunt, & claues ei tradiderunt. Venerunt autem ad regem ibi de partibus Aquilonaribus nobiles in auxilium, videlicet I. de Bailol, Rob. de Brus, & Petrus de Brus, & alii Barones plures, cum multis millibus bellatorum, vbi & dominus rex festum tenuit Paschale. Misit etiam rex filium sum Eadwardum in Derebishire, & Stafordshire, cum exercitu præclarissimo, qui terras & maneria Roberti de Ferrariis, Comitis Derebie, vastando atque incendendo, necnon & Castrum eius Totteberie prosternendo, destructionem ei intulit miserabilem. Vbicunq; autem progrediebatur exercitus regis & Eadwardi hinc vel inde, comitabantur eos tres sociæ, prædatio, cōbustio, & occisio. Frenduit ex hoc quoq;, vbi incedebant, prouincia: & commota est velut arundinetum, Zephyro vibrante collisum. Pax in regno nulla, cædibus, incendiis, rapinis, & deprædationibus omnia exterminabantur. Clamor & luctus & horror vbiq;. Ad id tempus Iohannes Giffardus, mirę probitatis & audaciæ miles, cum aliis custodiæ Castri de Kenelworth deputatis, quod quidem Comes Leicestriæ mirabili structura ac reparatione firmauerat, ac machinis multimodis, hactenus inauditis apud nos & inuisis, mirabiliter instaurauerat, Castrum Warewick dolose ceperunt, ac Comitem honoris eiusdem, videlicet Gulihelmum Manduit, eo quod super conuersione sua nuper ad regem suspectus fuerat eisdem, cum vxore sua & familia, adduxerunt captiuos, & incarcerauerunt apud Kenelworth. Castrum autem

Warevvick,ne Regales confugium haberent ibidem, ſubuerterunt. Ac in ipſa Paſſione dominica Iudæi apud Londinum,de quadam proditione Baronibus ſimul & ciuibus inferenda, deprehenſi, omnes fere trucidati ſunt, theſauro incõparabili aſſumpto in Iudaiſmo. Poſt feſtum Paſchæ,Simon de Monte Forti,&cęteri Barones ſecum perſiſtentes,adiuncta ſibi Londinenſium manu auxiliari, Caſtrum Roueceſtriæ obſederunt. In quo Iohannes Warrenniæ Comes,& Comes Arundelliæ,& Henricus filius Romanorum regis, & multi nobiles fuerant introducti, qui & de prædicto colloquio Oxonii ad partes illas regni cuſtodiendas fuerant à rege deputati. Quo audito rex in partibus exiſtens Aquilonaribus,magna ſub feſtinatione greſſus ſuos retrorſum dirigens , illuc properauit,gratia obſidionis diſſoluendæ.Quod & factum eſt. Nam vt regem cum exercitu ſuo didicerant ſuperuenire,ipſi obſidione Turris fortiſſimæ,quam bellicis inſultibus,& machinarũ ictibus,viisq; ſubterraneis expugnatam,fuiſſent in proximo adepturi,protinus dimiſſa,Londinum repetierunt. Rex igitur proceribus ſuis ab hoſtili expugnatione liberatis, partes adiit maritimas,maneriis & poſſeſſionibus ſuorum complicum , à dextris &à ſiniſtris,datis vtrobiq; deprædationi & incendiis. Caſtrum etiam Gilberti de Clare, quod dicitur Tonebrigge,cepit.Barones vero 5.Portuum partim ſubdiderunt ſe regi,partim vero non, qui puppibus onuſtis in mari ſubtraxerunt ſe.Dum hæc circa maritima agerentur,Simon de Monte Forti , Comes Leiceſtriæ illuſtris , & Barones, viribus vndiq; congregatis,tam Londinenſium,quorum exercitus creuit ad 15.millia hominum,quam aliorum innumerabilium,illuc tendunt cum impetu fortitudinis ſuæ. Conſtituti igitur apud Flexinge in Suthſex,ſexto circiter milliaria à Prioratu de Levves:nudius tertius ante bellũ,huiuſmodi mandatum dirigũt domin ſuo regi.Excellentiſſimo domino ſuo Henrico,Dei gratia regi Angliæ. &cæt. Barones & alii fideles ſui, ſacramentum ſuum & fidelitatem,Deo & ſibi debitam,obſeruare volentes,Salutem & debitum cum omni reuerentia,& honore famulatum.Cum per plura experimenta liqueat,quod quidem vobis aſſiſtentes , multa de nobis mendacia veſtræ dominationi ſuggeſſerint,mala quanta poſſunt,non ſolum vobis,ſed etiam nobis & regno veſtro intendantes , nouerit veſtra excellentia,quod ſalutem & ſecuritatem corporis veſtri totis viribus, cum fidelitate vobis debita, volumus obſeruare, inimicos noſtros non ſolum,ſed & veſtros,& totius regni veſtri, iuxta poſſe grauare proponentes. Aliud ſuper prædictis ſi placet,non credatis. Nos enim veſtri fideles ſemper inueniemur. Et nos Simon de Monte Forti,Comes Leiceſtriæ, Gilbertus de Clara,ad petitionem aliorum,pro nobis & ipſis , præſentibus ſigilla noſtra appoſuimus. Data.& cæt.

Hanc autem epiſtolam Baronum ſuorum contemnens rex,ad bellum totis affectib. exardeſcit,ac talem eis diffidationis reſponſalem miſit. Henricus Dei gratia,rex Angliæ. & cæt.S.de Monte Forti,& G.de Clara,& complicibus ſuis.Cũ per guerram,& turbationem generalẽ in regno noſtro, p vos iam ſubortas,necnõ & incendia & alia damna enormia appareat manifeſte,quod fidelitatem veſtram nobis debitam non obſeruatis, nec de ſecuritate corporis noſtri in aliquo curatis,eo quod magnates & alios fideles noſtros, noſtræ fidei conſtanter adhærentes,enormiter grauaſtis, & ipſos,quantum in vobis eſt,grauare proponitis,ſicut per literas veſtras nobis ſignificaſtis, nos grauamen ipſorum noſtrũ proprium,& inimicos eorum noſtros reputamus : præcipue cum dicti fideles pro fidelitate ſua obſeruanda contra infidelitatem veſtram nobis viriliter aſſiſtant,de veſtra ſecuritate vel amore non curamus , ſed vos tanquam noſtrorum & eorum inimicos diffidimus. Teſte meipſo apud Levves 12.die Maii,anno regni noſtri 48.

Richardus Dei gratia Romanorum rex, ſemper Auguſtus: & Eadvvardus illuſtris regis Angliæ primogenitus, cæterique Barones omnes & nobiles, prædicto regi Angliæ conſtanter ſinceræ fidei & deuotionis operibus adhærentes, Simoni de Monte Forti G. de Clara,cæteriſque vniuerſis & ſingulis , perfidiæ ſuæ complicibus.Et literis veſtris,quas illuſtri regi Angliæ, domino noſtro chariſſimo tranſmiſiſtis , accepimus nos diffidatos à vobis,quamuis huiuſmodi verbalis diffidatio ſatis fuit ante nobis realiter veſtra hoſtili in rerum noſtrarum incendiis,& bonorum noſtrorum depopulationibus,perſequutione iã probata.Nos igitur vos ſcire volumus, vos à nobis vniuerſis & ſingulis tanq̃ hoſtes publicos ab hoſtibus diffidatos.Qui deinceps perſonarum veſtrarum & rerum diſpendiis,vbicunq; nobis ad hoc facultas affuerit,totis viribus inſiſtemus. De hoc autem quod falſo nobis imponitis , quod nec fidele,nec bonum conſilium regi domino veſtro damus,nequaquam verum dicitis. Et ſi vos, domine Simon de Monte Forti, vel Gilberte de Clara,velitis hoc idem in curia domini regis aſſerere,parati ſumus ſecurum veniendi ad dictam curiam procurare conductũ,& noſtræ ſuper hoc innocentiæ veritatẽ,&veſtrũ,ſicut per-

perfidorum proditorum mendacium declarare per alium nobilitate & genere vobis parem. Omnes autem nos contenti fumus prædictorum dominorum Sigillis, videlicet Romanorum regis, & domini Eadwardi. Datum vt prius.

De miserabili & horrendo bello apud Lewes commisso.

Cum igitur eorum concordiæ minime assentiret Deus, commissum est bellum inter eos apud Lewes 2. Idus Maii detestandum, & omnib. seculis inauditum. Siquidem Barones (apud quos in omnibus, & per omnia, vna fides, vna voluntas, qui sic erant affectione fraterna vnanimes, quod etiam mori pro propria non timerent) venientes summo mane extra Lewes, tentoria sua & sarcinas locauerunt supra montem. Curru etiam Comitis Leicestriæ, cum vexillo eiusdem, desuper ex industria deposita infra summatũ strictissime collocato. Disponũtur ergo acies & agmina belli, oratioque facta à duce eorum Simone de Monte Forti persuasoria, animantur omnes pro patria parati cum summa securitate pugnaturi. Præterea omnes confessione præuia, super humeros & pectora crucizarunt se. Rex ergo & cæteri nobiles comperto eorum subito superuentu, per castra expergefacti quantotius in arma colliguntur, & ad congrediendum acies bello disponunt, loricatorum maxima multitudine collocata. Sed multi ficti, & factiosi, ac omine fœlici carentes, eo die dum inordinatius ac præpropere progrediuntur, incautius pugnant, fictius perseuerant. Quin in ipso congressu loricatorum nobilissimi tam milites quam armigeri, circiter 300. animis dilituere, terga dantes turpiter fugerunt ad Castrum Peneneselli. Et hi erant Comes Warenniæ Iohannes, Gulihelmus de Valentia, Guido de Lizunaco, ambo fratres regis, Hugo Bigotus, & multi alii. Acies tamen regalis, quæ signo regio, quod Draconem vocant, digladiale mortis iudicium prætendente extitit insignita, progreditur, & prælium consertum est. Acies nanque regia laxato quantocius cuneo equos in hostem audacter admittit, & è conuerso. Sicque ictuum immanitate, ac horrendo fragore sibi inuicem acies offenderunt. Igitur Baronum acies hac vice penetrata est & dissoluta, Iohanne Giffardo milite strenuo, qui gloriam primi ictus præripere affectauerat, capto & ad Castrum abducto. Eadwardus vero Londinensium miscetur exercitui, eosque fugientes insequitur, nobilioribus dimissis itinere (vt ferunt) quatuor circiter milliarium stragẽ eis ingerendo miserrimam. Horum nanq; sanguinem pro materno sitiebat opprobrio, qui (vt prædictum est) genetrici suæ conuitia tot dudum intulerunt. At pars regii exercitus spoliis & prædis, ac sarcinorum direptionibus supra montem interim inhiantes, quosdam ciues Londinenses in curru Consulis ex cautela introductos, sperantes intro Comitem reperisse, trucidarunt. Sed Comes ille & Gilebertus de Clara, ac cęteri Barones, sagacius agentes, circa deditionem regis Angliæ ac captionem regis Alemanniæ, cæterorumq; totis viribus congrediuntur. Apparuit ibi virtus Baronum fulminea, inhiantius dimicantes pro patria, tandem victoria potiuntur. Nam rex Angliæ equo electissimo sub se confosso captus est. Richardus autem Romanorum rex captus est, capti sunt & multi alii: videlicet Iohannes de Baillol, Robertus de Brus, Iohannes Comin, & cæteri Barones Albaniæ: peditibus fere omnibus, quos secum adduxerant de Scotia iugulatis in numero grandi. Capiuntur & Humfridus de Bohun Comes Herefordiæ, Gulihelmus Bardulfus, Robertus de Tatteshale, Rogerius de Someri, Henricus de Perci, & Philippus Basset, prior iure nominandus, qui præ cæteris eo die cum rege existentibus, in ictibus dandis & recipiendis gloriam promeruit. Item & multi alii, quasi totius regni potentiores, ac in militia præstantiores partim capti sunt, partim vero fugæ indulserunt, ad instar quod duo fugarent decem millia, cæteris qui remanserant, ad duo vel plus (proh dolor) interemptis. O miserabile spectaculum morientium. O admiranda mutatio nobilium. Agnoscat ergo humana præsumptio, quid homo, quidque vires hominis. Inde tantum sane de viribus suis & potentia, q. & vtique maiores natu ac militia probatiores extiterant in regno prædicto, quod non crederent hostem eos ausum assilire, quem ipso die nimis propinquum experti, suorum tot perdidere, nec tamen sine cæterorum discrimine graui, quin ex eis strages magna facta sit, præcipue ex ipsa inuasione Eadwardi super Londin. Fertur autem quinque millia hominum in hoc flebili & infœlici conflictu occubuisse ex vtraq; parte. Erat inter cæteros miles quidam, Iusticiarius regis, nomine Gulihelmus de Wiltona. & Fulco filius Warini, Baro regis, occisorum in numero excellentiores, alter gladio interemptus, alter vero flumine vicino submersus. A parte vero Baronum, Radulphus Heringander Baro, & Gulihelmus Blundus vexillarius Consulis. Varios licentiosius poeta vel longius prosequator euentus, & modos interfectionum diuersos tractato: nos breuitas lege arctiori continet, nec qualiter sed quid acciderit dixisse indulget. Eadwardus a cæde redi-

sup. p. 383. hu. 29.

diens Londin. licet de patre & auunculo eius rege Romanum cæteri triumphum reportassent, cum resumptis viribus eos bello aggredi denuo disponit. Cum igitur sibi inuicem fere offendissent, ecce omnes quasi qui cum eo steterant fugę indulserunt. Quidam (vt dicebatur) gladio percutere, nec se in suis ictibus cognoscere valuerunt. Quid ageret Eadwardus qui commilitonibus dispersis sic, quasi solus in campo Martio remanserat? Rediens ergo in Prioratum Levvensem, vindictam ad tempora distulit meliora. Nocte vero sequenti pax quædam inter regem * reformata est & Barones: & Eadwardus, patre annuente, & Henricus filius regis Alemanniæ dati sunt pacis obsides, in Castro Douerię custodiæ ad tẽpus mancipati. Rex vero Alemanniæ captiuus ponitur in Turrim Lond. cæteriq; captiui per Castra diuersis locis intruduntur. Cuius euentum belli, calamitatis, & miseriæ, diei diræ & amaræ valde, motæq; seditionis, & guerræ inter ciues vnius terræ, signa portendere possunt, anno præterito visa in firmamento Nonis & 3. Kal. Augusti, prout in superioribus dictum est. Nudius tertius ante bellum permaxima pars ciuitatis Lond. in Westchepe proditorie incẽsa est. Marchiones Wallię videl. Rogerius de Mortuo mari, Iacobus de Andeleg, Rogerius de Clifford, Rogerius de Leiburn. Haimo Extraneus, & illi de Turbeuilla, cum pluribus aliis, qui de bello prædicto de Levves, nuper fugerunt, viribus congregatis guerram mouentes in Marchia, Baronibus recalcitrare moliuntur. Simon ergo de Monte Forti, copulata sibi in amicitias Leolino, principe Walliæ, partes easdem adiit cum ingenti exercitu, & Castrum intrauit Herefordiæ & Haiæ. Terras & prædia dominica, Rogerii de Mortuo mari, igni tradens vbiq; & depopulationi. At Hugo de mortuo mari coactus reddidit se Baronibus, Castello suo quod dicitur Richar. & cęteris terris custodiæ mancipatis & commendatis Iohanni filio Iohannis, & Castrum de Lodelawe redditum est. Exinde progreditur exercitus Anglorum & Wallensiũ ad Montem Gomericum, vbi prædicti Rogerius & Iacobus, pacem iniere cum Baronibus frustratoriam, prout patuit in fine, datis obsidibus hinc inde. Comes vero Leicestriæ festinauit ad mare contra alienigenas, quorum aduẽtus multiudine maxima, & fortitudine nimia, ductu reginæ, & Petri Comitis Sabaudiæ, aliorumq; plurium, quasi totius Europæ malorum, plurimum in Anglia metuebatur. Quibus nempe resistendis congregatur Cantuar. & circa partes maritimas circumquaq; omne robur regni, & ab vnaquaque ciuitate, & vrbe, villataq;, regio citatum edicto. Episcopi etiam in subsidium huiusmodi à domibus religiosis, & Ecclesiarum rectoribus decimam spiritualium receperunt. Videres autẽ tunc temporis super Berhãdown, tam equitum quam peditum, tantam in vnam congregatam multitudinem contra alienigenas, quantam in Anglia existere non crederes bellipotentẽ. Regina vero Angliæ cum exercitu quẽ habuit collecta plurimarum nationum, tot Ducũ tot Comitũ, tantiq; nauigii, quod vix credibile cuiq; videatur, perstitit in Flandria interim apud Bruges, classi illa per grandi in portu quidem Dam collocata, qui Angliam ingredi quotidie minabantur, anhelantes & in feruorem prælii pronos, tumescentibus oris iactitando, se demonstrabant. Quorum aduentũ nostrates, & maxime 5. Portus, & piratæ audacter sitiebant, nec eorũ potentiã, vt videbatur, in aliquo metuebãt. Tandẽ autem omnis illa congregatio nobiliũ innumera tã militum stipendiariorũ q̃ aliorum, q ad ꝓpria fuerãt stipẽdia, parentes & amici reginæ, ad propria reuertuntur, voto suo Deo dante penitus frustrati. Fuerunt qui dicerent, robur eorum & numerũ exercitus agnoscentes, q; si liberi applicuissent, terrã hanc præ nimia multitudine sua & fortitudine ditioni suæ, procul dubio, subiugassent. Sed conscius secretorũ pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, nouit omnia, & corda scrutatur singulorum, populum suum Anglicanũ ab alto prospicere dignatus est, dum tantorum corda magnanima contabescere iussit, & re imperfecta ꝓ qua aduenerant, tot superuenientes hostes repatriarent, exhausto in vanũ & perdito thesauro incõparabili: sed hoc tamen ad laudẽ & magnificentiam nobilis Alienorę Anglorũ reginę libet intexere, q; domino suo & E. filio eius, tam strenue & tã viriliter, tanq̃ virago potentissima, succurrendis fortiter insudauerit. Sũmus itaq; põtifex Vrbanus, instinctu stimulatus aduerso, in partẽ alterã declinãdo fauorẽ & animũ conuertit aduersum Barones, iræ & indignationis immensæ, occasione spoliationis psonis ecclesiasticis illatarũ, trahens incẽtiuum, fertur aũt dixisse, eũ non plus velle viuere q; q; Anglos subiugassent, vnde & legatũ direxit versus Angliã, virum summum dominũ Sabin. epiſc. Cardinalẽ, ad interdicendũ terrã, & excõmunicandum Barones ꝓuisionum inpresos. Sed cum terrã ingredi, resistentia eorũ, pro libitu nõ posse psensisset, citatis primo Ambiani & postmodũ Bononiæ q; busdã episcopis regni, & aliis quibusdã, sententiam excõmunicationis & interdictionis sup ciuitatẽ Lond. & 5. Portus, necnon & quasdam personas illustres & nobiles regni fulminatã, com-

* restaurata.

commisit exequendam. At illi sententiam ipsam contra iustitiam illatam attendentes, appellarunt ad Papam, ad meliora tempora, vel ad generale concilium, necnon & supremũ iudicem certis de causis & rationibus commendabilibus. Quæ postea appellatio, in Anglia congregato apud Radingum concilio recitata est, & ab Episcopis & clero approbata & executa. Interdictum autem licet inuiti suscipientes à legato prædicti Episcopi secum detulerunt. Sed cum applicuissent Deuoriæ scrutinio ex more in portu facto, interceptũ est à ciuibus, & in minutias dilaniatum, iactatur in mari. Nuntii quidam celebres, tam regis Francorum quam Anglorum, videl. P. Camerarius, vir nobilis de Francia, & H. de Alemannia, cum aliis, applicantibus Bononiæ, cum adhuc prædicti pontifices extiterant ibidem, ab oppidanis pessime tractati sunt, multis vulneratis, & ad nouẽ de Angliis crudeliter trucidatis, nec deferebatur Francigenis, eo q; in ducatu & cõductu venerant aliorũ.

Iam enim omnis illa regio maritima, imo omnis fere Gallia vsque Alpes instigantibus rege Franciæ, Petro Comite Sabaudiæ, Bonifacio archiepiscopo Cantuar. & electo Lugdunensi, cæterisq; parentibus reginæ nobilibus, in Anglos conspirauerant contra regem H. puta consistentes, sed & alia pars Europæ, scilicet Britanniæ Minoris, Vasconiæ, necnon & Hispaniæ, cuius terræ regis sororem duxerat Eadwardus, simili seditione commoti, aduersus eos odio exarserunt & indignatione vehementi. Attamen inclytus ille Comes Andegauiæ parti Comitis Leicest. fauebat, frater suus vt dicebatur, fidei iuramento astrictus, at vir Apostolicus prænominatus, Vrbanus, antequam votum cõpleuisset, quod Anglicis dudum promiserat: diem clausit extremum, tempore eis opportuno valde. Et circa hoc tempus, Elerius abbas Persoræ, propter infirmitatem suam sponte cessit, cui canonice Henricus successit. Supradicti igitur Marchisi, in rebellione more solito insurgentes, rupto pacis fœdere, & conuentione inter eos facta, dum Consul prædictus Leicest. tractis armorum copiis, Marchiam petierat (vt prædictum est) perlustrãt prouincias vltra Sabrinam & citra cum exercitu suo, rapinis & prædis semper assueto, indigenas circumquaque timore & tremore nimio concutientes: adeo vt vbicunq; peruagarent, compatriotæ ad Ecclesias confugerent in cemiteriis domicilia construerent, gratia corporum & rei suæ saluandæ. Huius mali author fuit ille præcipuus, Hamo Extraneus, præda nominatissimus, qui quamuis in congressu militari sepè fortiter fecerat, tamen tyrannide sua exigente pro nomine tyronis notam Trasonis merito incurrit. At illi per Castra stabiliti, abipsis Marchionibus à Bristollia vsque Cestriam, & alibi, vtpote qui & eadem nomine regis & Eadwardi nacti detinuerunt. Adhæc suis quique partibus viuos deprædando laxatis crudelitatis habenis misere debacchati sunt, & Robertus Walerandus & Warinus de Bassingborne, custodes Bristolliæ, armata manu venientes diluculo, ad castellum de Wallingford, in quo R. rex Alemanniæ captiuus, & E. filius regis H. obsides tenebantur, insultum dederunt acriter, vt eos raperent à custodia. Sed nihil profecerunt. Nam castellani quantotius expergefacti, eos repulerunt. Sperauerant namque hi succursu & auxilio potiri prædictorum Marchionum, prout inter eos statutum fuit: qui iam versus eos cum exercitu iter arripientes ad Persoram rumore sauciati infausto ex hoc facto & die anticipato reuersi sunt. Comes vero Leicestriæ sepedictus, ex eorum rebellione & fide rupta compulsus ad iram, habito super hoc colloquio apud Oxonium procerũ regni, assumpsit secum regem H. quem habuit adeo accliuem, quod nihil arduum ad id tempus sine eo facere poterat.

Venerunt Wigorniam, comitante se innumera militum & aliorum bellatorum multitudine, contra Marchisos, tanquam contra hostes regni publicos, dimicaturi. Videbatur tamen quod cor regis vna cum suis familiaribus inclinatum erat ad eos, eo quod hi pro rege, q; quasi in custodia fuit, nec non etiã occasione Eadwardi, filii eius, adhuc obsidis, quem multum dilexerat, guerram mouerant in populo & seditionem. Nam ex bello prædicto Lewensi diuisionem ac odium traxerant ad inuicem infestiuum. Præfati ergo Marchisi, licet numero pauciores fuissent, tamen de sua audacia præsumentes, vltra fluuium Sabrinæ cõtractis viribus restiterunt. Nam pontem ciuitatis Wigorniæ fortissimũ, ac cæteros pontes per ripam fregerunt, cimbis & transuectariis dimersis in profundum, sed in vanum laborauerunt contra tot nobiles, præcipue contra ipsum bellatorem sagacissimum, Simonem de Monte Forti, molientes resistere aut dimicare. Quinetiam Leolinum, iam à finibus Walliæ egressum, super eos à tergo pronum habentes superuenturũ, ad pacem venire compulsi sunt. Igitur vt Eadwardus egregius ille iuuenis, regis filius, à custodia absolueretur, redire ad pacem aliorum (licet eis dura fuerit ipsa & exitialis) coactus est. Nam vt eorum maior pars insulam Britanniæ per annum cuacuerat sancitum est

(malum interim regno vel proceribus minime molitura) sub pœna perdendę hæreditatis. Et ad hæc firmanda & assecuranda, tradiderunt castra quæ habuerunt in custodia, Comiti Leicest. fere omnia, quæ erant per Marchiam à Bristollia vsq; Cestriam distincta, sed & Cestria quæ fuit Consulatus Palatinus Eadwardi, facto excambio cũ Comite prædicto, in alienum transfertur dominum. Herefordia etiam, & alia Castra versus Australem plagam Walliæ sita, Petro de Monte Forti, & aliis Baronibus, iam pridẽ exposita sunt & commissa. His ita gestis rex rediit ad insigne palatium, quod dicitur Wodstock vbi Natale domini tenuit solenniter. Sed & Comes arridenti ei fortuna in omnibus, quæ mente conceperat, idem festum celebrauit in Castro suo de Kenelworth, nimis multo milite stipatus. Fertur autem eum habuisse ex propria familia ad minus 140. milites stipendiarios, præter alios innumeros, quando iuit in exercitu, deuotioni suæ deditos. Iam quidem omnis Anglia præter Aquilonem vlteriorem, quæ adhuc conspirauerat contra eum, instigantibus rege Scotiæ, & I. de Baliolo, inclinata extitit ei & subiecta. Vt nihil magnum absq; eo in regno ageretur. Omnia per ipsum ordinata sunt, omnia regis Castra eius ditioni sunt commissa. Nec etiam ipse rex, qui iam regnando quinquagesimus extiterat, nisi pro vmbra nominis habebatur, adeo vt terram suam perlustrare vel peragrare non poterat, quin in conductu & dispositione totaliter fieret alterius. Mortuo, vt dictum est, Papa Vrbano, successit ei Guido Sabinensis, qui fuerat legatus nuper in Angliam destinatus, & vocatus est Clemens quartus. Atq; his diebus Iohannes Maunsel, præpotens ille beneficiorum Ecclesiasticorum occupator, vitæ metas attigit vltra mare. Et Godfridus archiepiscopus Eboracensis transiit. Successit Walterus Giffardus. Habito autẽ magno tractatu super pace regni assequendo Londini, in quadragesima, absoluitur à custodia Comitis prædicti Eadwardus regis filius, qui a prædicto bello Lewensi tenebatur obses. Non tamen sui iuris fuerat omnino, quin totum tractaretur ad hæc voluntate Comitis & filiorum eius. Quod Eadwardus dissimulauit pro tempore & loco, eo quod opportunitatem euadendi expectauerat

De bello Euesham.

Anno gratiæ. 1265. qui est annus regni regis Hẽrici quinquagesimus, Comes Glouerniæ Gilbertus, in iram commotus contra Comitem Leicestriæ, qui sibi & filiis suis dominium totius Angliæ vsurpauit, fœdus cum Marchionibus iniit, & exercitum adunauit. Eadwardus ergo, filius regis Angliæ primogenitus, cum suis custodibus extra Herefordiam exiit gratia spaciandi, scandensq; dextrarium, deputatum locum transiit, & aufugit, qui ab exercitu Marchionum cum lætitiæ est susceptus. Comes Leicest. tandem furore repletus, regem Angliæ circumducens, fultus auxilio principis Walliæ, incendio castra & villas Marchionum destruxit. Rex ergo Angliæ, & Comes Leicestriæ, cum exercitu copioso in noctis silentio Euesham peruenerunt, quos insequebantur Eadwardus regis primogenitus, & Gilbertus Comes Glouerniæ, cum militia promptissima ad conflictum. Pridie igitur Nonas Augusti, in campo extra Euesham Comes Leicest. & sui complices sunt occisi, & rex Angliæ, remediabiliter vulneratus, per filium subtrahitur à prælio, & sanatur.

Regnante quidem glorioſissimo principe & illustri, H. tertio, Dei gratia rege Angliæ, regnũ eius diutius siluit & qeuit, fines eius pacẽ, princeps pacis, dominus posuit, & frumẽti adipe satiauit. Sed introductis in regnũ Gallis, Pictauiensibus, & Sabaudiis, quos dicti regis cõsanguinitas, affinitas, & liberalitas euexerunt, ipsisq;, put regiã magnificentiam decuit, sine iuris alieni pĩudicio sublimatis, qa omnis potestas cõsortis existit impatiẽs, inter ipsos cõsanguineos, affines, & incolas orta est cõtentionis materia, qs eorũ videretur esse potẽtior, & quis maior. Erant inter eos Simon de Mõte Forti, Comes Leicestriæ, dudũ Senescallus Vasconiæ, & Iohãnes filius Galfridi, prius Iusticiarius Hyberniæ, à suis officiis reuocati, quos maioris potestatis ambitio, & q̃dam cõmunis contra electũ Wintonienſem, & Gulihelmum de Valentia, fratres ipsius regis, contentio stimularunt, & fecerunt participes, imo principes factionis. In diebus illis prouisionum Apostolicarum in Ecclesiasticis beneficiis Angliæ multitudo succreuit, & pro commercio regni Apuliæ, exactionis debiti, tam mercatorum quam Romanæ Ecclesiæ iugũ graue. Hæc sunt illa discordiæ incentiua inter alienigenas & indigenas, tam nobiles quam prælatos, quorum pauci reipublicæ, plures inuidiæ, plures ambitionis mouebantur affectu. Collegerunt etiam pontifices, ne dicã Pharisæi, cõcilium aduersus Christum domini, regem suum, dicentes. Videtis quia nihil proficimus, si sic regem dimittimus. Venient Romani, & tollent nostros loculos cum argento. Constituamus ergo 24. seniores in circuitu throni eius, qui exclusis Parthis, Medis & Elamitis, aduenisq; Romanis, liberantes Hierusalem ab Ægyptiaca seruitute, negotia

gotia regni singula & vniuersa disponant, primos in cœnis accubitus & salutationes in foro tamen regiæ magnificentiæ reseruantes. Anno igitur regni eiusdem 42. conuenientibus Oxoniæ militibus, Baronibus & prælatis, edictis publice euocatis, cum armatorum potenti & innumera comitiua, præsentibus domino rege & domino Eadvvardo primogenito eiusdem, communi deliberatione, imo deliratione, taliter ordinarunt. Vt quia idem regnum reformatione multiplici sui status egebat, dictus rex pro se 12. personas de regno, & tota terræ communitas alias 12. prouiderent, qui regia potestate suffulti, totius regni curam susciperent, & de Iusticiariis, Cancellariis, Thesaurariis, & cæteris officialibus, ac ministris eligendis ab anno in annum in perpetuum prouiderent, eius Castra per se, & suos facerent custodiri. Cui ordinationi dictum regem, & eius primogenitum metus incarcerationis perpetuæ compulit consentire, pœnam capitalem comminati quibuscunque rebellibus, sine delectu conditionis aut ordinis, per edictum. Dictis Æthelmaro Winton. electo, & Gulihelmo de Valentia, dicti regis fratribus vterinis, & pluribus aliis, inchoatæ factionis exordio resistentibus, expulsis de regno, pariter & bannitis. Vniuersi & singuli alii Prælati, Comites & Barones, de infidelitate huiusmodi fideliter obseruanda, corporale præstiterunt iuramentum, & lata est ab omnibus archiepiscopis & episcopis regni, excommunicationis sententia in rebelles. Porro qua fronte patres conscripti, senex ille Wigorn. antistes, & quidam alii prælati, conscientiarum patres & iudices, subuersioni regiæ potestatis gratis præstitere consensum, admiratione non caret cum de terreno honore, dicto regi & hæredibus eius seruando, corporale præstiterint iuramentum: quod ordinando ne vnquam regerent, sed semper ab aliis regerentur, pessime seruauerunt. Si enim prodigalitas intolerabilis, vel defectus regis ipsius, euidenter exigeret operam curatoris: nusquam cauetur diuinis legibus aut humanis, vt vitio vel defectu cessante, pœna transeat in hæredes. Ne filium patris comitetur iniquitas. Ne vlterius sit pœna progrediens, quasi delictum. Et vt ad facti seriem redeamus, eleuatis in regno Angliæ 24. capitaneis antedictis, ordinatisque sub ipsis in regno & curia regia cunctis officialibus & ministris: fuerunt eis Parleamenta continua, sibi Escaetas & Wardas: ac filiis suis & nepotibus, spectantes ad patronatum regis, Ecclesias prouiderunt. Nihil fiscus, nihil Christus accepit, nihil Cæsari. Nihil palatio, totum Cæsarianis, & Palatinis accreuit, non in veteribus regiis debitis, sed & in sumptibus prouisorum totum vacauit ærarium libertate. Et quia Anglia, sicut & Roma, sustinere non potuit plures reges, inter Glouerniæ & Leicestriæ Comites, capitaneos principales, subito ortæ sunt inimicitiæ capitales, in tantum quod dictus rex ad instantiam dicti Glouerniæ Comitis, contra Eadvvardum primogenitum suum, cui dictus Comes Leicestriæ tunc adhæsit, de partibus Franciæ duxit exercitum copiosum. Sed dominis rege Alemanniæ, & Petro de Sabaudia, & quibusdam solennibus nuntiis illustris regis Franciæ mediantibus, dicto filio regis ad patris gratiam admisso, expulsus est Comes Glouerniæ à capitaneorum numero prædictorum, & inter ipsum & Comitem Leicestriæ facta est concordia in odium cæterorum. Sicq; per porentiam & industriam eorundem Comitum, facta est in Anglia noua turbatio, peior prima. Videntes ergo pceres antedicti 24. ad regis & regni regimen sic electi, tot multiplicatis capitibus, monarchia sublata, commune dissidium iugiter inualescere, & confusionis illius, quæ diebus istis euenit, periculum imminere, omnes præter quinq; subscriptos, scilicet, Episcopum Wigorn. & duos Comites prædictos. Hugonem Dispensatorẽ, & Petrum de Monte Forti, ad dissoluendũ prouisiones & ordinationes huiusmodi prouisas, & ad reducendũ regẽ in statum debitũ, consenserũt. Et licet nihil sit adeo naturale, q̃ vnumquodq; ui eo genere, quo ligatur, ideo statuta, communi consensu quantumcunque licita & vtilia, dissollia, hominũ succrescente malitia, tendentia iam ad noxam, possent omniũ statuentium, vel maioris partis eorum, contraria voluntate mutari, vel penitus aboleri (quemadmodum serpentem æneum in deserto, ad salutem populi, domino iubente, leuatum, Ezechias, errante populo, rite legitur destruxisse) placuit tamen prędictis regi & proceribus, timentibus culpam, vbi culpa minime reperitur, remissionẽ interpositi iuramenti ex certa scientia summi pontificis impetrare. Sed dicti quinq; in proteruitate concepta, (quod scripsimus, scripsimus conclamando) iugitur persistentes, conabantur astruere huiusmodi pragmaticas sanctiones, communi consensu & iuramento confirmatas, nullo posse cõsensu cõtrario dissolui, ad relaxationem huiusmodi iuramenti potestatem apostolicã nullam esse putantes, iuramentumque vinculum iniquitatis existere cum Herode facientes sibi de propria prudentia cõtra leges & canones, conscientias schismatis & erroris, trahẽtes secum ad sui erroris fomentum multos pseudoprophetas, lupos rapaces in ouium

veſtimentis, contra Chriſti vicarios, & Chriſtum domini, regem proprium, murmurantes, non vt ſpiritus ſanctus eloqui, ſed vt ſuperioris poteſtatis abiectus obloqui dabat illis. Verum cum ad enumerationem prouiſionē huiuſmodi, tempore procedente, cum per mortem Comitis Glouerniæ, & Iohannis filii Galfridi, tum per aduentum regis Alemanniæ, & Petri de Sabaudia, dictus rex Angliæ contra ſibi rebelles inciperet prævalere: dictus Comes Leiceſtrię, de ſuæ p̄ſumptionis negocio deſperat⁹, ad partes ſe tranſtulit Gallicanas, & interim reuocatis in Angliam Burgundionibus, Gallis & Campanis, quos prouiſiones Oxonii exules reddiderunt, regis primogenitus ipſos præ ſuis familiaribus Anglicis honorauit. Illis Caſtrorum ſuorum cuſtodiam, illis maiorum domus ſuæ miniſteria delegauit. Quamobrem quidam ſtrenui milites, olim familiares ipſius, vehementius indignati, confœderatione facta cum omnibus, quos aliquando regia poteſtas offendit, veteres carbones reaccendere molientes, dictum Comitem Leiceſtrię ad partes Anglicanas reuocarunt. Qui ſtatim poſt eius ingreſſum in regnum, confœderatis ſibi Wallenſibus, dictorum regis & regni capitalibus inimicis, & multis nobilibus Angliæ, quos omnes fecit in ſignum inchoatæ ſtultitiæ tonſorari, per quoſdam nobiles Marchiæ, ſibi tunc temporis adhærentes, dominum Herefordenſem epiſcopum, quem eccleſiarum & monaſteriorum Angliæ pro regno Apuliæ obligatio, & ſubditorum ſuorum oppreſſio, reddiderunt omnibus Anglis odioſum, ab eccleſia extrahi fecit, & carcerali cuſtodiæ mancipari: ipſo & cæteris omnibus, tam indigenis quam alienigenis, dicti regis familiaribus & amicis, per diuerſos eius exercitus, bonis omnibus ſpoliatis. In his tantæ præſumptionis exordiis, ſibi ſubtili calliditate proſpexit, vt, in odium epiſcopi memorati, ſibi populus adhæreret, & adhærentes ſtipendiaret de bonis huius ſpoliatis, & vt tranſgreſſores huiuſmodi, tam de papali quam regia gratia deſperatos, neceſſitas cogeret ei infallibiliter adhærere. Poſt, congregato exercitu copioſo, ciuitatē Londinenſem ingreſſus, dominum regem Angliæ, per oppreſſionem, ſibi Caſtrum Doueriæ, Turrim Londin. & cætera ſua Caſtra fortia reddere compulit, & in omnibus eius adquieſcere voluntati, dicto regis primogenito compulſo Caſtrū de Windeſore, expulſis inde & eiectis de regno omnibus eius familiaribus, de tranſmarinis partibus oriundis, reddere Comiti antedicto, Iohanneque Maunſel, Præpoſito Beuerlaci, dicti regis conſiliario principali compulſo, ob tantæ perſecutionis incurſus, ad partes ſecedere Gallicanas. Videntes autem dominus rex Alemanniæ, & regis Angliæ primogenitus, & cæteri regis Angliæ Conſiliarii & amici, per oppreſſiones, rapinas & deprædationes huiuſmodi, factas prælatis & ſubditis, clericis & laicis indiſtinctę, confuſionem ipſius regis & regni pariter imminere, procurarūt dictum regem Angliæ, à Parliamento Weſtmonaſterii, vſq; ad Windſoram clanculo ſe transferre, receptis in eius gratiam, domino Henrico filio regis Alemanniæ, Iohanne Comite Warēniæ, Rogerio de Clifford, Rogerio de Leiburne, Hamūdo dicto Straūge, & Iohanne de Vallibus, qui prius dicto Comiti Leieceſtr. conſtipatis viribus adhæſerunt. Et cum inter regem Angliæ & adhærentes ei ex parte vna, & Comitem Leiceſtriæ, & complices ſuos ex altera, per quoſdam mediatores ſolennes, de pace diutius tractaretur, tandem fuper omnibus controuerſiis ortis, occaſione prouiſionum Oxon. fuit a partibus in illuſtrē regem Ftancorum compromiſſum de dicto eius, ad altum & baſſum firmando, corporali præſtito iuramento, prout in inſtrumento ſuper hoc confecto, omnium prædictorum ſigillis ſignato, plenius continetur. Cumque dominus rex Francorum, ſummi pontificis inhærens veſtigiis, prouiſiones & ordinationes huiuſmodi, & quicquid ſtatutum fuit ex eis, arbitraria poteſtate caſſaſſet: Comes Leiceſtriæ & eius complices & fautores, præſumpſerunt eas, vt prius, nihilominus ſuſtinere, dicto regi Franciæ & præceptis eius in omnibus & per omnia reſiſtentes, demolienteſque cum Wallenſibus Caſtra domini regis fidelium: contra ipſorum Wallenſium, regis & regni hoſtium, incurſus inter Walliam & Angliam conſtituta, aſſociatiſq; ſibi Londinenſibus, violationes eccleſiarum, & deprædationes, & macerationes perſonarum eccleſiaſticarū, Chriſtianorū & Iudæorum cædes & incendia, ſine delectu cōditionis aut ſexus, ætatis aut ordinis, perpetrantes. Et cum abominationis hui⁹ clamor, quotidianis afflictorū gemitibus & querelis, aſcēderet ad præfatos principes ſacerdotū, omnes quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, inuenti ſunt proculdubio canes muti, valentes ſed nolentes latrare. Illis omnibus tam deteſtabiliter perpetratis, contigit Simonem dicti Comitis filium Northamptonam cum maximo exercitu occupaſſe, quam dictus rex Angliæ, cum eius exercitu præpotenti, facto inſultu, potenter & viriliter expugnauit, captis in ea 80. militibus ſtrenuis, & armigerorū & burgenſiū multitudine copioſa. Quod cū ad Comitis Leiceſtriæ notitiā peruenirēt, ipſe quaſi leo in

leo in saltu raptis catulis sæuiens, ad captionem Comitis Warrenniæ, totis viribus aspirans, vna cum Comite Glouerniæ, qui annum ætatis vicesimum non attingens, ei circumuentus adhæsit, ciuitatem Roffensem obsedit, pontem eius, & turrim ligneam super eum, ignita naue combussit, & demum ciuitatem expugnans, eam cum exteriori ballio Castri, bellatorum suorum insultibus occupauit. Quo audito, dominus rex Angliæ cum strenua militia Marchiæ, & partium Aquilonarium, ad amotionem obsidionis illius velociter versus partes Roffenses tetendit, & dicti Comites & Barones domino regi rebelles, hoc explorato versus Londinum, Castello Roffensi liberato, iter suum arripuerunt. Et rex versus maritima iter suum dirigens, quinque portus, prius sibi manifeste rebelles ad pacem suam, quam minime meruerunt, clementer & misericorditer reuocauit. Interim vero Comes Leicestriæ, vna cum Comite Glouerniæ, & Baronibus suæ partis, & communitate Londinensium, Londino exiens, iter suum in occursum regis Angliæ, domini sui, vexillis explicatis direxerit, & in crastino sancti Pancratii, mense Maii, in vertice montis Lewensis, bellatorum suorum acies ordinauit, positis in curru suo quatuor ciuibus Londinensibus regi Angliæ fidelibus, arma portare nolentibus contra eum, eiusdem Comitis vexillo desuper eleuato, quo facilius, vice sua, transfoderentur lanceis præcursorum. Et ecce regalis exercitus, tam inopinate præuentus, inordinate procedens, occursurus eis decliuum montis ascendit, & regis Angliæ primogenitus, primi agminis capitaneus, in primam partis aduersæ cohortem suos impetus dirigens, pluribus eiusdem cohortis nobilibus interfectis & captis, eam penitus dissipauit. Et ad aciem posteriorem directe progrediens, in qua Londinensium, Baronum, & militum magna fuit multitudo, omnibus ita terrorem incussit, quod illos, quos fuga non eruit, cruentatus & vibrans gladius interemit. In secundo quidem agmine, exeuntibus duobus regibus antedictis cum simplici & domestica comitiua, Comites Leicestriæ & Glouerniæ, & Barones, in medio sui agminis constituti, complicatis & submissis vexillis, à montis decliuo latere venientes, illis viriliter occurrerunt. Prælioque commisso, captisque dicto rege Alemanniæ, Iohanne Comyn, Philippo Basset, qui præ commilitonibus suis strenue dimicauit, & omnibus aliis maioribus ex parte regis Angliæ memorati, factaque multorum strage, quos pars vtraq; duxerat ad conflictum, reuersus est rex Angliæ ad Prioratum Lewensem, raro satellite sociatus, viris nobilibus, Comite Warenniæ, Gulihelmo de Valentia, Hugone Bigoto, & aliis quãpluribus ad Castellum Peueneseie fugientibus, & mare transeuntibus pro succursu. Tertia vero, & posterior cohors, habens quadringentos satellites loricatos, dominum suum regem in campo, sine culpa, sine non culpa relinquens, ad Ecclesias & latebras se conuertit, miserabiliter aufugiens. Et ingressi dicti Comites & Barones villam Lewensem, quos extra Castellum & Prioratum poterant inuenire, ceperunt, bona pariter & personas. Tandem dicto filio regis, à Londinensium & cæterorum fugientium cæde reuerso cum viris de Marchia, & cæteris suis familiaribus bellicosis, quorum numerus aduersariorum numero fuerat duplo maior, ipsisque viriliter se parantibus ad congressum, omnes & singulos Comitis Leicestriæ calliditas circumuenit. Per quosdam enim fratres Minores regi Angliæ, & eius filio nuntiauit, quod pacem & beneuolentiam dicti regis, & suorum affectans, ne plus humani sanguinis funderetur, causam suam supponerent libenter arbitrio quorumcunq; quos idem rex duxerit eligendos. Et, si rex & eius filius, obluionis huius moderamine non contenti, vellent congredi cum eisdem, ipsi regem Alemanniæ, Iohan. Comyn, Philippum Basset, & cæteros captos in prælio trucidarẽt, capitibus eorum leuatis in lanceis pro vexillis. Quamobrem rex & eius exercitus, moti visceribus pietatis, à suo proposito destiterunt, & habito tota nocte sequenti de pace tractatu, tandem in formam subscriptam fuit à partibus in fine consensum, scilicet quod rex & adhærentes eidem ex vna parte, & dicti Comites & eorum complices ex altera, penes illustrem regem Franciæ procurarent, per tres prælatos & tres nobiles Franciæ nominandos, & per ipsum regem Franciæ conuocandos, eligi duos viros de Francia, qui venientes in Angliam, sibi tertium de Anglia, quem eligerent, sociarent, & quicquid ipsi tres, tam de rege confirmando vel infringendo, quam de omnibus controuersiis habitis inter partes, & de statu Angliæ ordinarent, ratum & stabile permaneret, præstito super hoc corporali à partibus iuramento, factoq; super hoc instrumento, sigillo regis & omnium prædictorum sigillis signato, datis ex parte dicti regis obsidibus dictorum primogenitis antedictis, sicque rex suis hostibus se committens, & dicti hostes cum eo, primo Cantuar. & dictis obsidibus missis ad Castrum Douerie, demum Londinum peruenerunt, rege Alemanniæ, & cæteris captis in prælio, in diuersis Castris carcerali custodiæ mancipatis, Baronibus Aquilonaribus

quilonaribus & Marchiæ,fraudem dicti Comitis formidantibus, reuersis ad propria sine mora,omnibusq; qui regi Angliæ fideliter adhærebant,& qui ei quocunq; tempore seruiebant,clericis & laicis,omnibus bonis suis mobilibus spoliatis. Post hæc conuenientibus Londini prælatis,Comitibus,& Baronibus partis illius,quæ regem suum tam seditiose tenuit captiuatum: compromissi Lewensis, & præstiti iuramenti, imo suæ salutis,immemores , ad nouas ordinationes regni se conuertere curauerunt, inter cætera statuentes, quod duo Comites & vnus Episcopus,ex parte ipsius communitatis electi, nouem personas eligerent,quorum tres regi assisterent, & de concilio eorum trium & nouem, tam in domo regia quam in regno procederent vniuersa,& quod à rege sine illorum, saltem triũ, consilio,aliquid fieri non valeret. Sicque Comitibus Leicestriæ & Glouerniæ,& Episcopo Ciceſtrensi,qui cõtra dominum suum regem præliatur os,die præcedenti,prælium antedictum,ab omnibus peccatis dicitur absoluisse, consiliariis & Capitaneis principalibus ordinatis : rex comminatione facta sibi de rege alio eligendo, & regis primogenitus, de perpetuo carcere subeundo , si non præstarent assensum , coacti sunt commento fraudis huius cõsentire: omnibus Episcopis, Comitibus,& Baronibus consentientibus,& instrumento super hoc confecto apponentibus signa sua. Missæque sunt ad dominos, Episcopum Sabinẽsem Cardinalem,tunc Apostolicæ sedis legatum,& illustrem regem Franciæ, literæ de compromisso Lewensi penitus reuocando, & de noua pace,amicabili consensu partium,ordinanda.Cumq; per Londin. Winton.& Wigorn. & quosdam alios Episcopos Cantuar. prouinciæ, dicto domino legato fuisset instantius supplicatum,quod pacem illam promouere curaret,ipse dictos Episcopos,pro eo quod tantæ depressioni regiæ potestatis consentire præsumpserant,grauiter reprehendens , quia ei non patebat ingressus in regnum,publicis edictis Bononiæ propositis,eos citare curauit, vt super regni negotiis tractaturi cum eo,tertio die Bononię cõparerent.Quibus,dictis die & loco,& vltra diem, diutius expectatis,nec per se nec per procuratorem curantibus comparare, legatus eos à diuinorum celebratione suspendit. In prædictos vero Leicestriæ & Glouerniæ Comites, & eorum complices,ciuitatem Londin.& Quinque portus, qui transitum eius in Angliam manifeste præsumpserant impedire,excommunicationis & interdicti sententias promulgauit. Sed dicti Episcopi, Comites & Barones,& cæteri, grauaminibus quibusdam confectis,ad sedem Apostolicam,& si necesse fuerit,ad concilium generale,& ad Ecclesiam,tam triumphantem,quam militantem,per Wigorn.Ciceſtren.& Elien. officiales, legis peritos,& scribas vltra legales , & canonicas obseruantias appellantes, appellationes huiusmodi non curarunt, sed de gladii Martialis tuitione confisi, spirituali gladio paruipenso, vsque ad aduentum domini Othonis,Cardinalis,in Angliam,immiscere se diuinis obsequiis præsumpserunt. Regem vero prædictum, quasi captiuum ducentes inter filios sæpedicti Comitis Leicest. Hugonem Dispensatorem,Iohannem filium Iohannis,excluso Comite Glouer.quem solum de regno timebãt posse tantæ colligationis laqueos eneruare,omnia castella regis,& castra fortia diuiserunt,omniaq; officia domus regiæ capitalibus regis inimicis,vtpote qui contra eum cãpestri prælio dimicare præsumpserant, assignantes.De liberatione Eadwardi,primogeniti regis,fere per annum facta modica mentione , donec ipse pro liberatione sua Comitatum Cestriæ Palatinũ contulit Comiti Leicest.memorato,& sic de carcerali custodia cæterorum militum inimicorum eius, meruit liberari. Statum siquidem nobilium Marchiæ,persecutionesq;,quas per annum & amplius sustinebant,non posset aliquis dilucide declarare. Sed cum Comes Leicest. niteretur ipsos Marchiones in Hyberniam relegare,ipsi in vltimis Walliæ finibus,castra primogeniti regis ingressi,deprædatis Wallen.Castrorum hostibus prędictorum,sibi necessaria quæsierunt,donec dictus Comes Leicest.capto Comite Ferrario,qui occulte ad partem, inclinauit aduersam ad captionem Comitis Glouer.sæpedicti,quem inclinaturum similiter formidabant,Glouer. peruenirent.Tunc enim in hostilitatis communis occursum cõfœderatis dictis Marchisiis Comiti Glouerniæ,venientibus Comitibus Waren. & Guilhelmo de Valentia , cum magna balistariorum & militum comitiua, & applicantibus in Suthwallia,innata est maior audacia persecutorum suorum incursibus resistendo:Comitiq; Leicest.cum suis,regem Angliæ, & filium eius ducentib. apud Hereford. vt captiuos, obuiam eundi. Qui suo & principis Nortvvalliæ stipatus exercitu , & Simon natus secundus , regalis exercitus per regnum collecti , rector & ductor , ex duabus partibus venientes, vt Comites Glouerniæ & Warren. & Marchisios includerent , & interficerent vniuersos. Sed,disponente domino, qui est clauiger carcerum, redemptio captiuorum,regis primogenitus,die Iouis in hebdomada Pentecostes,cãpos Herefordiæ

cum

cum commilitonibus & custodibus eius spaciaturus intrauit,& ascensis singulorum dextrariis,& admittendo lassatis,is ascendens postremo proprium,non admissum,à sociis petita,licet non obtenta,licentia,ad dominum Rogerium de Mortuo mari apud Wigemor laxatis tetendit habenis.Et in crastino Comites Glouerniæ & Warren. cum suis, eidem Eadwardo apud Lodelowe occurrentes,remissis iniuriis & inimicitiis,amicitia reuocata, ad diruptionem pontium & submersionem nauicularũ Sabrinæ confidenter & alacriter cucurrerunt.Demum crescente militia per familiares dicti Eadwardi,quos partis aduersę potestas diu compulit latitare,expugnataq; & capta Glouernia,& vltra modum acto immisericorditer cum captiuis, coacti sunt Comes Leicest.& eis exercitus, in partibus Herefordiæ,circumclusi, regem suum vocalem , quasi captiuum ducentes,per omnia,quæ nolebat,vitam ducere captiuorum. Et cũ Simon,natus eiusdem Comitis Leicest.cum multis Baronibus & militibus,peragratis & spoliatis Cantia, Wintonia,& cæteris Australibus Anglorum partibus,Kenelwortham patri suo celeriter occursurus, suo infortunio, deueniret,dicti Eadwardus & Gilbertus,& eorũ exercitus,volente domino,præmuniti, die S.Petri ad vincula in aurora super eos irruentes,omnes præter dictum Simonẽ & paucos, qui fugerant in Castellum, suis vinculis manciparunt,& capta præda prædonũ spoliatoresq; spoliantes,diem festum ad noua Vincula celebrarunt.Ista omnia ignorantibus Comite Leicestriæ & eius complicibus expeditis,ipsi eadem die flumen Sabrinæ,exploratis vadis idoneis,occursuri dicto Simoni & eius exercitui,de Anglia venientibus,in nocte crepusculo transierunt,& duobus dieb.sequentibus in confinio Wigorniæ morata tracta,tertia die villã de Euesham ingressi,dũ ad refocillandas animas,fame & siti diutius fatigatas,paucis cibariis aspirarent,exploratores illorum,dominũ Eadwardum,& eius exercitũ non distantes ab eis per duo milliaria,nuntiabant. Et exeuntes Comes Leicest,& Barones, vna cum domino rege,violenter adducto , in cuiusdam collis ascensu , Eadvvardũ & eius exercitum in cacumine collis,non distantem ab eis ad iactum lapidis, properantẽ aspiciunt: factoq; cõgressu mirabili, ex parte domini Eadvvardi vno tantum milite,modica probitate notando,& duobus armigeris interfectis: Simon Comes Leicest.qui capite,manibus,pedibusq; truncatis,in campo interiit,Henricus filius eius,Hugo Dispensator Iusticiarius Angliæ,Petrus de Monte Forti,Gulihelmus de Mandeuilla. Radulphus Basset,Rogerius de sancto Iohanne, Walterus de Creppings,Gulihelmus de Eboraco,& Robertus Tregos,Barones & milites præpotentes,& omnes satellites,& equites bellicosi,exceptis 10.vel 12.nobilibus captis,in prælio corruerunt.Nomina autem magnatum vulneratorum & captiuorum sunt hæc,Guido de Mõte Forti,filius Comitis Leicestriæ,Iohannes filius Iohannis,Hẽricus de Hastinges,Humfridus de Boun Iunior,Iohannes de Vescy, Petrus de Monte forti Iunior,& Nicolaus de Segraue. Hæc de prouisionibus,imo de proditionibus Oxon.Levvens.& Londin. dicta sufficiant, & quæ variis æquitatis & iustitiæ fictionibus dealbatæ intus autem plenæ versutiæ, prouisores suos pessime prodiderunt. Multa siquidem,narratione digna,non inserui,ne epistolæ prolixitas aures offenderet audientium,sed illud præ cæteris oportet inserere,super quo regia celsitudo miratur,q; quidem,quorum conuersatio in cœlis esse describitur,omnia relinquentes pro Christo,cum Petro Christum,in Christi vicario Petrum,in Petri successore Clemente,Christũ Deum suum principem sunt hactenus persecuti,ędificatum à dicti regis rebellibus parietẽ,quem apostolica præcepit authoritas in sui noui operis initio demoliri,suis prędicationum & approbationum blanditiis linientes,nõ attendentes,vt decet,quantis priuilegiis & honorib. ipsos Romana decorauit ecclesia,q̃ paruulam sui ordinis plantulã,de valle Spoletana trãslatam,idem rex ad perfectam & spatiosam vineam in tot Castris & vrbibus dilatatã,fouit, coluit,& rigauit:vtinam,præcisis vitulaminibus spuriis,recipiant palmites incrementũ,& cultori suo reddant vuas,de cætero non labruscas. Bello igitur Eueshamiæ viriliter consummato,rex & regni proceres apud Winton.ordinarunt,quod ditiores ciuitatis Londinenses,in carcerẽ truderentur,q; ciues antiquis libertatib.priuarentur, & quod stipites & cathenæ,quib.ciuitas fuerat roborata,de medio tollerentur,p̃ eo quod Simoni de Monte Forti,Comiti Leicest.in regis contemptum,& etiam damnum regni,fortiter adhæserunt, quod & totum factũ est. Nam potentiores ciuitatis apud Castrum Windesoram carceri fuerant mancipati, qui postmodum pœna pecuniaria,ad summam non modicã, mulctabantur.Libertas fuit ciuib.interdicta,& Turris Londin.p̃ stipites,& cathenas ciuitatis, fortior fuit facta.Post hæc apud Westmonast.in festo translationis beati Eadvvardi, sentẽtia exhæredationis,in regis aduersarios ferebatur quorũ terras rex suis fidelib. cõtulit sine mora.Quidã vero exhæredatorũ suas possessiones,data pecunia,redemerũt. Alii cõglo

batis

batis viribus in nemoribus latuerunt, degentes miserabiliter solis spoliis & rapinis, quorum potentior & ad malum pronior fuerat Robertus, Comes Ferrarius, qui ea conditione fuit in integrum restitutus, vt si quoquo tempore à regis fidelitate recederet, suum perderet Comitatum. His temporibus, Guido & Simon, filii Comitis quondam Leicest. à carcere & custodia euadentes, partes Galliæ petierunt, sperantes per nouam seditionem, mortem patris sui per alienigenas vindicare, & sibi Angliam subiugare. Sed Dei prouidentia, quod inceperant, consummare non poterant, eo quod in vanitatibus & miseriis, dies eorum, sicut patebit, defecerunt. In hoc anno, quinquagesimo regis regni, qui merito dici poterit iubilæus, quidam eleganti stylo prædictorum bellorum causas perstringens, dicebat. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem, ducentem riuos lachrymarum, vt die ac nocte populi mei defleam interfectos? O Anglia, olim glorioſa, in regnis inclyta & erecta, quasi in superbia Chaldæorum. Naues Tharsis tuis nauibus comparari nõ poterant, portantibus aromata & vniuersa pretiosa per quatuor orbis climata. Fuit tibi mare pro muro, & portus tuos vt portas Castra munitissima munierunt. In te militia, clerus, & negotiatio floruerunt. Saphirum, Carbunculum, & Smaragdum, de paradisi deriuata fluminibus, tibi Pisani, Ianuenses, & Veneti transtulerunt. Tibi in bisso & purpura Asia, in Cinamomo & Balsamo Africa, in auro Hispania, in argento Germania seruierunt. Tibi de tua materia vestes preciosas, tua textrix, Flandria texuit. Tibi vinum tua Vasconia ministrauit. Tibi seruierunt omnes insulæ inter Hyades & Arcturum. Tibi interius abundabant feræ syluarum, iumenta in montibus atq; boues. Habuisti omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri tecum. Abundantia piscium cunctas regiones superas. Et licet maris angustata littoribus, breui terræ spacio distendaris, tibi tamen vbertatis tam famosæ per orbem benedixerunt omnium latera nationum, de tuis ouium velleribus calefacta. In te, gladiis conuersis in vomeres, pax & religio viguerũt, vt cæteris omnibus regnis Catholicis spectaculum sisteres & exemplum. Heu cur iam tanta gloria denudaris? Cur in temetipsam collisa succumbis? Cur filiorum tuorum intestina tyrannide debaccharis, & quasi cõiuraueris in teipsam; bellum tibi & non hostibus induxisti? Heu proculdubio tuæ præsumptionis scelera meruerunt, quibus ita fascinata iacebas, vt nec ipsa medicinã nec operam medicantis expeteres: imo verius recusares. Propter quæ clamat codie ad dominum per terram multus innoxius cruor fusus, qui tibi tot & alia preciosa transuexit. Sane tuæ gentis effrenata cupiditas, æmula religionis & pacis, superioris aspernata dominum, & regium iugum graue: tuo discrimini, per electionem consulens potestatum, eatenus dissidentiæ zizania seminauit, vt solutis consanguinitatis, affinitatis, & iuramenti fœderibus, in patrem filius, in fratrem frater, in dominum seruus insurgeret, & ouium inaudita ferocitas in pastores. Postremo se inuicem bellorum campestriũ clade conterrerent & crudeliter iugularent. Sicq; Charibdim cupiens euitare, in Scillæ voraginem, proh dolor, incidisti. Quod autem ex circumlocutionibus istis innuitur, in prouisionibus Oxonii supradictis luce clarius inuenitur.

Castrum Douoriæ regi redditur.

ANNO gratiæ supradicto, rex Henricus tenuit Natale apud Westmonasterium, vbi fuerat maximum Parliamentum nobilium, in quo fuerat salubriter ordinatum, quod in quolibet Comitatu sumptibus regiis vnus fieret Capetaneus, qui cum auxilio Vicecomitis arceret prædonum rabiem truculentam. A rapinis ergo multi, timore perterriti, cessauerunt: cœpit potestas regia respirare, & pax quodammodo pullulauit. Audientes igitur quidam nobiles, qui in castro Douoriæ in carcere tenebantur, quod domino suo regi prospera contingebant, hausto spiritu fortitudinis turrim castri viriliter occupabant, suis custodibus resistentes. Quod cum regi & primogenito suo Eadwardo innotuerat, ad Castrũ Douoriæ properarunt, illud etiam manu valida obsidentes. Custodes igitur Castri, aduersariis circumsepti, miserunt legationem ad regem, ea quæ sunt pacis rogantes: saluis sibi singulis, vita & membris, equis & armis, & cæteris necessariis, Castrũ regi protinus reddiderunt. Inde transiens Eadwardus, miles strenuus, rex futurus, terram maritimam perlustrauit, quosdam de habitatoribus. Quinque portuum, propter sua detrimenta puniens, quosdam terrens, quosdam vero ad pacem benigne suscepit. Soli municipales de Winchilseie sibi resistere nitebantur, sed eorũ municipium per insultus validos Eadwardus obtinuit, ad cuius ingressum multus sanguis noxius est effusus, & parcens multitudini, iussit ne de cætero spoliis intenderent in piratis. Sic in mari facta est tranquillitas magna nimis. Papa Vrbanus quartus obiit: cui Clemens quartus successit, qui nuper in minori officio constitutus, Guido Cardinalis Sabinensis vocatus, à Papa Vrbano in Angliam destinatus

destinatus, vt ibidem legationis officio fungeretur, iuxta mare in villa, quæ nuncupatur Bononia, traxit moram, eo quod terram ingredi non poterat Anglicanam propter manifestam contradictionem Baronum, & Episcoporum responsionem sophisticam: sententiamq; excommunicationis protulit in rebelles, & ad curiam Romanam, vnde venerat, est reuersus. Factus est pater patrum, petente rege Henrico, & destinauit in Angliã, per consilium Cardinalium, Othobonum, sancti Adriani diaconum Cardinalem, qui cum rubeis in Angliam veniens indumentis, in Ecclesia Westmonasterien si, congregato concilio, fecit mandata Apostolica publicari, qui suæ legationis fungens officio, sententiã in regis aduersarios fulminauit. Processu vero temporis, Henricum Londinensem, Iohannem Wintonien sem, & Stephanum Ciceſtrensem, qui partem aduersariorum regis fouebant, ab officio & beneficio suspẽdebat, & quia appellationis fungebantur remedio, iussit quod infra trimestre tempus se Papæ conspectui præsentarent, qui ad curiam venientes, fortunæ casus volubiles expectabant. Dominus Lincoln. Episcopus, forte sibi pacem redimens propter tempus, misericordiam non iudicium impetrauit. Dominus Walterus Wigorniæ antistes, in articulo mortis positus, se dicebat errasse fouendo partẽ Simonis de Monte Forti, & super hoc literas ad legatum direxit, petens beneficium absolutionis, quod obtinuit, & decessit. Interim quidam nobiles, exhæredationis sententiam non ferentes, insulam de Haxolm occupauerant, ad quas vndique confluxerunt viri, quorum pedes veloces ad sanguinem effundendum, & manus promptissimæ ad rapinam, adiacentem patriam deuastantes. Hos adiens Eadwardus, miles egregius, eorum colligationes dissoluit, volentes nolentesq; ad pacem redire coegit, qui de pace seruanda corporale sacramentũ Londini postea præstiterunt. Sed iurati quantocius errauerunt. Totam namq; Angliam commotione maxima cõmouerunt. Rarus aut nullus locus in Anglia fuit tutus, eo quod terra vespillonibus erat plena. Apud Castrum ergo de Kenelvvorth quidam incolæ & degeneres, confluxerunt, illud de rapina habitantium in circuitu munientes. Vexillum Simonis Iunioris, qui in Galliis morabatur, protinus erexerunt, ipsum illius Castri proclamantes dominum & hæredem. Quibus auditis, rex quendam ad eosdem de suis nuntiis destinauit, mandãs per literas regias, vt desisterent ab inceptis. Quem mancum ad regem cum proteruis responsionibus remiserunt. Interea primogenitus regis Eadvvardus, per syluam de Aultona transitum faciens, quendam militem, Adam Gurdun, de secta exhæredatorum, reperit in eadem insidias transeuntibus facientem, quem subito præoccupatum cum suis, iussit vt arma sumeret & resisteret sicut fortis. Qui statim filium regis congressu aggreditur singulari, pugnans viriliter cum eodẽ. Finaliter succubuit sauciatus, cuius audaciam commendauit Eadwardus iubens apponi cataplasmata vulneribus sauciati, hostem ipsum non reputans, sed tanquam hospitem secum ducens. Satellites vero ipsius iussit in arboribus syluæ suspendi. In partibus Borealibus Comes Ferrarius, contra suum sacramentum, nuper præstitum, cum copioso exercitu vagabatur, contra quem dirigebatur dominus Henricus, primogenitus regis Alemanniæ, qui eundem Comitem deuictũ, vinctum Londinum secum duxit, sibi acquirens laudis titulum pro triumpho.

De obsidione Castri de Kenelvvorth per régem.

Anno gratiæ. 1266. Henricus rex Angliæ, Natale suum tenuit apud Westmonasteriũ, vbi regionis nobiles conuenerunt in vnum, de pace regni, more solito, tractaturi. Exiit ergo edictum contra Comitem Ferrarium, qui secundum formam suæ obligationis, suo Comitatu perpetuo priuabatur, & Eadmundus filius regis Angliæ, in seisina duorum Comitatuum ponebatur, Derbei scilicet, & Leicestriæ. De Westmonaster. transiens rex Henricus, & exercitus bellatorum, Kenelvvorthiam peruenerunt, Castrum quantocius obsidentes, illud volentes, sed non valentes, suis viribus occupare. Parauerunt se exercitus ad insultum, sed interius inuenerunt promptissimos defensores. Mutuis namq; in se congressibus debacchantes, nobiles perierunt. Erigebantur exterius machinæ multæ nimis, nec mora obsessi ad quantitatem aliarum & numerum, similes machinas erexerunt, vnde contigit quod in emissionibus quandoq; lapides inuicem quaterentur. Sed per exteriores machinas, machinę obsessorum finaliter rumpebantur, nec sic castrum defensores reddere voluerunt. Maluerunt enim mori fortiter quam illud reddere violenter. Ipsos namq; audaciores reddidit desperatio, quia per frequentes egressus, fecerunt in exercitu regis strages magnas. Hos nec legati præsentis sententia, nec regis potentia, ab inceptis poterant reuocare. Igitur rege fauente, per prouidentiam Cardinalis, apud Kenelworth, clerus & populus conuocantur. Eligebantur ibidem 12. personæ de potentioribus procerum, & prudentioribus prælatorum, quibus dabatur potestas ordinandi super statu exhæreda-

torum. Electæ personæ iurarunt de vtilibus ordinandis. Rex primo, postmodum clerus & populus iurauerunt, quod dictum ipsorum inuiolabiliter obseruarent. Dictum ergo Kenelworthiæ tale fuit, quod quilibet exhæredatorum, secundum quantitatem delictorum, pœna pecuniaria mulctaretur, quam possessoribus terrarum suarum persoluerent, ita quod hæreditatum suarum redemptio non excederet septem annos, nec esset aliquatenus minor anno, exclusis duntaxat hæredibus Simonis de Monte Forti, & Roberti de Ferrariis Comitis Derbei, ab hoc dicto. Quod si terras suas non possent redimere, possessores earũ, tam diu eas in suis manibus detinerent, donec sibimetipsis de fructibus earum esset plenarie satisfactum. Processu tẽporis, obsessi in Castro Kenelworth, fame & miseriis macerati, facientes de necessitate virtutem, illud regi, saluis sibi necessariis, reddiderunt. His temporibus Carolus frater regis Franciæ Ludouici, Comes Andegauiæ & Prouincię, fretus auxilio patris patrum, Memfredum filium Imperatoris Frederici deuicit, & regna Apuliæ & Siciliæ, subiecit Ecclesiæ Romanæ. Postmodum in regem Siciliæ coronatus.

Exhæredati occupauerunt insulam Elienſem.

Anno gratiæ 1267. rex Henricus tenuit Natale suum Conuentriæ. Postmodum veniens ad Westmonasterium, Parliamentum tenuit cum potentioribus terræ suæ, sperans pacem in cunctis finibus Angliæ confirmare. Et ecce nuntii venientes, regi dixerunt quod quidam nobiles exhæredatorum, dicto Kenelworth, parere nolentes, cum maxima comitiua occupauerant insulam Elienſem, addentes, quod adiacentem patriam deuastabant. Rex igitur versus Cantabrigiam iter arripiens, ibidem aliquandiu moram traxit, aduersariorum, qui in prædicta insula fuerant, ad tempus impediens impetum & egressum. Viri ergo sanguinolenti & dolosi, egressum versus Rameſiã inuenerunt, qui circumquaque homines & iumenta more solito rapuerunt. His auditis, rex & sui Rameſiam clãculo venientes, & inuenientes de malefactoribus multos: quosdam gladio percusserunt, quosdam ceperunt, alii ibant qua poterant fugientes, positis ibidem custodibus, rex Cantabrigiã est reuersus. Interea Gilbertus de Clare, Comes Glouerniæ, cum magno exercitu venit Londinum, quasi domino suo regi auxilium præstiturus, verba pacifica loquebatur in dolo, sicque ciuitatem ingressus, ipsam protinus tanquam dominus occupauit, mandãs nuncios ad legatum, quod sibi Turrim Lõdinensem, in qua habitabat, redderet sine mora, & vt posset assequi citius suum velle, prohibuit ne legato victualia venderentur. Legatus siquidem, tanquam bonus pastor à bono pastore directus, veniẽs ad Ecclesiam sancti Pauli Londini, crucis negotium exposuit coram multis. Quidam ergo corde compuncti, crucem protinus receperunt, inter quos fuerant Thealdus archidiaconus Leodicensis, papa futurus, qui in Angliam venerat cum legato, cui valedicens, iter versus Terram sanctam arripuit, & nobilis vir, Thomas de Clare, qui spreto consilio fratris sui, Comitis Glouerniæ, regẽ adiit, & ei fideliter obediuit. Igitur de negotio crucis sermone completo, legatus imperterritus sermonẽ suum in Comitem Glouerniæ conuertit, monẽs vt fidelitatem, quam regi debuit & spopondérat, obseruaret, addens quod sibi pacis reformatori libertas egrediendi Turrim & ciuitatem Londin. nec etiam victualia debuerant denegari. Salubria patris monita, indurati cordis filius non audiuit. Legatus, cum quibusdã nobilib. regis fidelibus, clam Turrim Londin. est ingressus. Intrarunt etiam Iudæi non pauci, cum vxoribus & paruulis, post legatum. Quibus vna balliua castri fuit commissa, quam non segniter, in arcto positi, defendebant. Legatus postmodum in perturbatores pacis regis & regni, sententiam excommunicationis generaliter promulgauit, & Ecclesias ciuitatis Londinensis, & ciuitati contiguas, suppositi interdicto. In domibus tamen religiosis, sine strepitu campanarum & vocis, exclusis pacis perturbatoribus, missas celebrari præcepit. Vndiq; vallabant regẽ angustiæ, aduersariorum sæuicia, & defectus pecuniæ. Initoq; consilio, iocalia Ecclesiæ Westmonaster. imagines feretri aureas, & lapides precioſos, in manibus tradidit mercatorum, non modicam pecuniam mutuo recipiens pro eisdẽ, quæ tamen tranquillitatis tẽpore restituit Ecclesiæ supradictæ. Misit igitur rex pro Scotis, & Frãcigenis, qui se statim, vt ei succurrerent, parauerunt. Exeuntibus interim quibusdam de potentioribus insulæ, prædari volentibus, ne iterum in eadem insula Elienſi redirent, per regis exercitum, sunt præclusi. Illi vero versus Londinum properarunt, multa mala in itinere facientes. In aduentu igitur ipsorum, Comes Glouerniæ in maiori superbia eleuatus, Turrim Londin. acriter impugnauit, quam nõ poterat obtinere. Filii ergo Belial de familiis prædictorum, monasteria inuadentes, in eisdem depositi rapuerunt, alii per terram exercuerũt rapinas. Populares ergo, & maxime viri Westmonast. quibus dederat audaciã

vexatio

vexatio continua, quam plurimos de prædictis raptoribus peremerunt. Videntes malefactores ciuitatis, quod sibi populi vndique resistebant, egredi formidabant. Rex Henricus, vir innocens, timens dominum, & desiderans finem guerræ patienter nuntios suos, qui pro auxilio ierant, expectauit. Veniens igitur Cantabrig. ad regem patrem suum, fœlix Eadwardus, secum duxit de Scotia, & de partibus Borealibus 30000. hominum bellatorum. Dimissis custodibus Cantabrig. rex ad Windesoram peruenit, vbi de die in diem ipsius creuit exercitus. Inuasores Londinen. iam timentes, à rege pacem per nuntios petierunt, quam in forma petita non poterant obtinere. Indixerunt regi bellum postmodum, planitiem de Hundeslavve assignantes pro loco, quo rex in crastino veniens, resistentem neminem adinuenit. Attendens igitur rex aduersarios suos sibi non posse resistere, Stratfordiam iuxta Lõdinum properauit, ibidem aliquandiu moram ttahens. Malefactores ciuitatis in furorem conuersi, & quasi de rege vindicare volentes, deposita in Ecclesia Westmonaster. abstulerunt, sed per Dei prouidentiam monachis, & bonis monasterii pepercerant. Inde parochialem Ecclesiam, & villam Westmonast. inuadentes, labores populi rapuerunt. Et intrantes domos regias, fenestras, & ostia fregerunt, vix manus à cõbustione totius Palatii cohibentes. Ad regem in Stratfordia commorantem, venerunt de partibus transmarinis Comites Boloniæ, & sancti Pauli, secum ducentes 200. milites cũ sequela. Iuxta Turrim Londin. applicuerunt Vascones cum nauibus multis & magnis, omnibus armamentis naualibus præmuniti, regis expectantes mandatum. Obsessos itaque regis aduersarii se cernentes, pacem à rege, in arcto positi petierunt, pacemque petitam, saluo in omnibus Dicto Kenelvvorthiæ, obtinuerunt. Ad obstinatos insulæ Elienſis dirigitur dux Eadwardus, quos misericordia motus, licet inimicos, ad pacem, saluo Dicto Kenelworth, reuocauit. Alienigenę regratiati, & remunerati à rege, reuertebantur ad propria, terraque Angliæ, quæ diu tremuit, iam quieuit. Eodem anno, rex Henricus, ad Montem Gomericum, in Wallia, veniens cum legato, ad instantiam eiusdem legati rex terram, quam Wallen. vocant quatuor Cancella, receptis 32. millibus marcarum, Leolino principi Walliæ concedebat, sicque facti sunt amici rex Angliæ & princeps Walliæ, Leolinus. Erant enim prius inimici inuicem capitales. Conradus, nepos Frederici Imperatoris, de Theutonia venit in Apuliam cum Henrico fratre regis Hispaniæ, tunc senatore vrbis, & exercitu Romanorum. Quibus occurrit rex Apuliæ & Sicilię, Carolus, cum auxilio papæ Clementis iuxta Neapolim, & eosdem deuicit. Carolus postmodum per totam Romaniam & Tusciam, obtinuit principatum, qui Guidonem de Monte Forti, vicarium suum fecit. Hic Guido de consilio Comitis Aldebrandini, dicti Rubei, cuius filiam duxerat in vxorem, Romanis & Tuscanis multas iniurias irrogauit. His temporibus Græci fidem Ecclesiæ Romanæ tempore Clementis Papæ, timore Caroli, receperunt, à qua manifeste postmodum recesserunt.

De contentione inter Comitem VVarrennie, & Henricum de Lacy, Comitem Lincoln.

Anno gratiæ 1268. rex Henricus tenuit Natale domini apud Westmonasterium, diuinis laudibus propensius insistendo, eo quod dominus regnum suum post guerrarum discrimina confirmauit. Rege ergo, regni capite, quiescente, membra regni inuicem sunt collisa. Inter Iohannem namq; de Warrennia & Henricum de Lacy, futurum Comitem Lincoln. super quadam pastura orta est contentio magna nimis. Congregatis hinc inde exercitibus, se ad prælium parauerunt, tamen congredi timuerunt. Rex direxit iusticiarios ad eosdem, qui contentionem prædictam iudicio vel concordia terminarent. Qui, inquisita veritate p sacramentum cõpatriotarum, prædicto Henrico de Lacy eandẽ adiudicauerunt. Inter Iohannem etiam de Warrennia, & nobilem virũ Alanum de la Suche, Baronem, super quibusdam iuribus, atque terris, coram Iusticiariis regis apud Westmonaster. lites maximæ mouebantur. Dictus vero Comes, attendens quod iudicialiter succumberet, sicut prius, in prædictum Alanum, & filium eius, hæredem, prius conuiciis lacessitos, Aula regia irruit violenter, patrem semiuiuum relinquens, fugientem etiam filiũ vulnerauit. Ad Castrum suum de Riegate fugit scelere perpetrato, quem insequebatur primogenitus regis, Eadwardus, cum exercitu copioso, volens læsam vindicare regiam maiestatem. Comes subito præoccupatus. videns se non posse resistere, pedes obuius venit ei petens misericordiam. Quam concessit, dummodo satisfaceret de commissis. Qui regi postmodum per purgationem, & pecuniam satisfecit, parti læsæ multa promittens, processu temporis parum donans. Miles egregius, dux Eadvvardus crucem à legato pro se & patre recipiens, se parauit ad procinctum itineris Terræ sanctæ: regi Franciæ Ludouico impignorauit Vasconiam, filium etiam suum iuniorem, Henricum nomine, eidẽ ob-

fidem in Franciam destinauit, quem remisit rex Franciæ cum honore. Othobonus legatus, apud sanctum Paulum Londini, magnum Concilium celebrauit, præsentibus vniuersis prælatis Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hyberniæ in eodem, & ab Anglia post recessit. In festo Translationis sancti Eadwardi, ad instantiam regis Henrici, eundem sanctum, regni pontifices honorificentius in nouo feretro, quod prædictus rex ex auro præparati fecerat, transtulerunt. In huius sancti præsenti translatione, Benedictus clericus de Wintonia, & Iohannes laicus, qui venerat de Hybernia possessi à dæmonibus, per sancti regis merita receperunt pristinam sanitatem. Obiit Clemens quartus, Papa, circa festum sancti Andreæ.

Eadvvardus princeps iter arripuit versus Terram sanctam.

Anno gratiæ. 1269. rex Henricus tenuit Natale suum apud Westmonasterium, in timore domini, & in innocentia vitam ducens. Huius primogenitus, in armis strenuus & pulcherrimæ iuuentutis, Eadwardus, votum, quod vouerat, reddere Deo volens, mense Maio, versus Terram sanctam iter arripuit, quem sequebantur & præcesserunt multi nobiles & potentes. Astringebatur simili voto rex Franciæ, Ludouicus, qui Eadvvardum præcesserat cum magna militia gentis suæ. Hic volens fieri ditior spoliis Barbarorũ versus regionem Thunetis vela direxit. In quam prospero flatu perueniens, ciuitatem munitissimam adinuenit, quæ Thunes ab incolis nominatur. Ad hanc illius terræ Saraceni fugerant, de Christianorum subita multitudine stupefacti. Eadvvardus noster sulcauit maria versus Acon. & à longe aspiciens insulã Sardiniæ, ibidem applicuit: rumores certos de morte regis Franciæ Ludouici, & de aduẽtu Caroli regis Siciliæ audiens. Attendens Eadvvardus quod ille senex Carolus nihil aliud voluit, quia nec debuit, nisi iustum: Thunetem properauit, credens quod esset in senibus sapientia, & in tempore necessitatis prudẽtia. Ad quam veniens regionem, inuenit prædictum regem cum exercitu copioso. Eadvvardus vero delere volens aduersarios crucis Christi, ciuitatem Thunetis cum suis voluit expugnare. Rex Carolus prohibuit eum dicens, quod parati fuerant Saraceni satisfacere pro tributo, quod sibi debebatur per 17. annos, à tempore Frederici. In principio istius prouisionis, imo potius proditionis populi Christiani, rex Franciæ Ludouicus, diem clausit extremum: cuius primogenitus Philippus, nomen regis protinus est sortitus. Direxerunt ergo Barbari, regi Siciliæ 32. camelos, auro argentoq; non mediocriter oneratos, se & suam ciuitatem ab imminentibus periculis liberantes. Post hæc Carolus & Eadvvardus, totusque exercitus Christianus, versus Siciliam nauigabant. Et appropinquantes portui Tripolis ciuitatis, obuiis tempestatibus turbabantur. Rex igitur, & natu maiores, periculum euadentes, ad portum difficillime peruenerunt, alii in nauibus perierunt cum pecunia Barbarorum, nauibus Eadvvardi, inter alias positis, miraculose saluatis. Ad has enim Angelus domini percutiendas non peruenit, merito, quia pecuniam Barbarorum non cupiuit, sed terram, aspersam sanguine Iesu Christi, quantum in se fuit, restituere voluit Christianis. Adimpleuit siquidem per effectum, quod conceperat in affectu. Commendauit namque Henricum cognatum suum, primogenitum regis Alemanniæ, Carolo regi Siciliæ, & Philippo in regem Franciæ coronando. Et singulis valedicens, cum suis sequacibus, quamuis paucis, in ciuitate Acon applicuit: quã infra quartum diem reddendã didicit à Saracenis. Ciuitatis ergo illius puniit seductores, necnon & quosdam de Venetis, qui Saracenis arma & victualia ministrabant. Soldanus itaq; Babyloniæ, spe fraudatus, ciuitatem Aconem viriliter oppugnauit, quam non potuit obtinere. Inde transiens, cepit Hospitalariorum, de Crac & Margat, castra fortissima super mare. Carolus rex Siciliæ, Philippo nepoti suo, regi Franciæ futuro, vsque ciuitatem Viterbiensium fecit conductum, necnon & Henrico primogenito regis Alemanniæ, quem prædicti principes receperant commendatum. Hunc astantem Missarum solenniis, in Ecclesia sancti Siluestri ciuitatis prædictæ, Simon & Guido, duo filii Simonis de Monte Forti, quondam Comitis Leicestriæ, peremerunt. Viterbienses, in memoriam interfecti, modum interfectionis in pariete depinxerunt, quam picturam quidam versificator intuens, sic dicebat.

Regis Teutonici Richardi clara propago,
Sternitur Henricus, velut hæc designat imago.
Dum redit à Tripoli, regum fultus comitiua,
In crucis obsequio patitur sub gente nociua.
Irruit in templum, post Missam, stirps Guenelonis.
Perfodit gladius hunc Simonis atque Guidonis.

Disso-

Disposuit Deus vt per eos vir tantus obiret,
Ne, reuocatis his, gens Anglica tota periret.
Anno milleno domini, cum septuageno,
Atque ducenteno, Carolo sub rege sereno,
Vrbe Viterbina fit in eius carne ruina.
Cœli regina precor, vt sit ei medicina.

Ossa istius in monasterio de Hayles, quod pater ipsius à fundamentis in Anglia construi fecerat, sunt sepulta. Cor vero ipsius in cuppa deaurata iuxta feretrum sancti Eadwardi in Ecclesia Westmonaster. honorifice collocatur. Vnus de interfectoribus suis, Simon, filius Simonis de Monte Forti, in castro quodam iuxta ciuitatem Senensem obiit hoc anno, qui nuper, tanquam Cain, maledictus à domino, vagus fuit & profugus super terram.

De conualescentia regis Henrici, post infirmitatem.

Anno gratiæ. 1270. rex Henricus tenuit Natalem domini apud Winton. qui in quadragesima subsequente apud Westmonaster. infirmitate valida fuerat fatigatus. Et de conualescentia desperans, se orationibus Ecclesiæ cõmendauit. Monachi vero Westmonaster. tantum patronum perdere formidantes, in tempore pluuiali nudis pedibus nouum Templum Londini, processionaliter petierunt, ibidem missam pro rege in honore beatæ Mariæ virginis celebrantes. Eo modo, quo prius, ad propria reuertẽtibus, nunciabatur eisdem, quod rex conualuisset de infirmitate. Iusserat namq; suis, vt monachis præciperent, quod cantarent: Gaudent in cœlis: dicens quod conualuit precibus monachorum. Hybernici insurrexerunt in Anglos, pro magna parte interficientes & depopulantes eosdem. Eadwardus, cum magna militia exiuit Acon, transiens per Nazareth, Cako & Caiphas castra, interficiens, quos reperit, Saracenos. Sed reuertebatur quantocius, formidans pericula fratrum falsorum. Eodem anno obiit Bonifacius archiepiscopus Cantuariæ, Kal. Augusti, cui successit Robertus de Kilwarby.

Quod Eadwardus vulneratus fuit à quodam Assasino.

Anno gratiæ. 1271. rex H. tenuit Natale domini apud Westmon. Huius primogenitus Eadwardus, in ciuitate Acon, à quodam Assasino, à Soldano Babyloniæ in modum nuntii directo, cum cultello toxicato sauciatus est. Sed cultellum extrahens de manibus Assasini, eundẽ protinus interfecit. Noluit benignitas Saluatoris suum militem perire. Processu namq; temporis à lethalibus vulneribus curabatur. De Terra sancta, quidã nobiles de Hybernia, & nobilis vir, Thomas de Clare, qui secum captiuos duxit 4. Saracenos, in Angliam sunt reuersi. His temporibus ciues Norwicen. suam Ecclesiam cathedralem in odium Monachorum, instigante diabolo, combusserunt. Hos confestim, cum sapientibus regni sui, adiit rex Henricus, incendiarios trahens, pendens iudicialiter & cõburens, iubens catalla fugentium fisco regio mancipari. Richardus, rex Alemanniæ, frater regis Angliæ, diem clausit extremum, mense Februario, sepultusq; est in monasterio de Hayles, cuius patronus extitit, & fundator.

De morte regis Henrici Tertii.

Anno gratiæ. 1272. sexto decimo kal. Decembris, deuotus Dei cultor, illustris rex Anglorum Henricus Tertius, filius regis Iohannis, post quinquaginta sex annos & dies 20. coronationis suæ anno ætatis suæ 65. ab hac luce migrauit & 12. Kalendus eiusdem, die videlicet glorioſi regis & martyris, Eadmundi, in Ecclesia Westmonast. quam sumptibus propriis fecerat renouari, inuitis Templariis, qui corpus regium vendicabant, coram magno altari, sibi dignam meruit sepulturam. Qui quantæ fuerat innocentiæ, quãte patientiæ, quantæq; deuotionis in obsequio Saluatoris, dominus nouit, & qui ei fideliter adhæserunt. Et insuper quanti meriti in vita sua fuerat apud Deum, testãtur post ipsius mortem miracula subsecuta. Rege igitur sepulto, sicut mos est regibus sepeliri, Gilbertus & Iohannes, Comites Glouerniæ & Warrenniæ, necnon clerus & populus, ad magnum altare, Ecclesiæ supradictæ, celeriter properarunt, Eadwardo primogenito regis fidelitatem iurantes, qui si viueret penitus ignorarunt. Agebat enim in remotis partibus transmarinis, contra Christi aduersarios bellaturus. Postmodum ad nouum Templum Londini nobiliores regni pariter conuenerunt. Et facto sigillo nouo, constituerunt fideles ministros & custodes, qui thesaurum regis & pacem regni fideliter custodirent. Sicq; pax noui regis Eadwardi in cunctis regni finibus proclamatur. Hoc anno, combustio Ecclesiæ Norwicem. Eodem anno, Gulihelmus de Brunham, renunciauit Prioratui Norwicensi, cui successit Gulihelmus de Kirkbie. Iste Hẽricus genuit filios & filias, scilicet, Eadwardũ,

Margaretam, Eadmundum, Beatricem, Catharinam. Hybernici facto congressu cum Anglis, perierunt pariter & fugerunt. Eadmundus filius regis, genitus post Eadvvardum, de Terra sancta rediens, fuit receptus ab indigenis cum honore. Post mortem Papæ Clementis, per duos annos, & decem menses, sedes apostolica vacans fuit. Igitur Cardinales, conuenientes in vnum, dominum Theobaldum, archidiaconum Leodicensem, qui cõmorabatur in transmarinis partibus cum Eadwardo, communiter elegerunt. Qui, de sua electione auditis rumoribus, ad curiam properauit, & summum sacerdotium est adeptus. De isto dicti fuerant isti versus.

Papatum munus tenet archidiaconus vnus,
Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

Hic in creationis suæ primordio mandauit literas generales per singulas nationes de concilio congregando Kalendas Maii, sub Anno gratiæ * 1272. Vnde dictum fuit de illo.

* 1274.

Gregorius denus colliget omne genus.

His diebus, cum Eadwardus in ciuitate Acon diutius expectasset Christianorum & Tartarorum auxilium, eo quod proposuisset per manũ validam Saracenos delere, videns se ab vtrisque delusum, quia Christiani ad propria recesserunt, & Tartari, qui & Moalli, intestina tyrannide perierunt, dimissis in Acon stipendiariis, mare transiit, applicans in regno Siciliæ. Cui cum honore rex Carolus obuiauit, ipsum conducens vsq; vrbem veterẽ, in qua Romana curia residebat. Papæ Gregorio, modo domino, nuper familiari suo exposuit Eadwardus pericula Terræ sanctæ. Petiit postea quod sententialiter condemnaret Aldebrandinum, Comitem, dictum le Rus, & Guidonem de Monte Forti, qui Henricũ primogenitum regis Alemanniæ, cognatum suum, in Viterbio funestis gladiis peremerũt. Papa protinus propter hos mandauit. Comes Rubeus se purgauit. Dominus Papa Guidonem de Monte Forti, tam pro contumacia, quam offensa, anathemate perpetuo condemnauit, & sacrilegii, homicidii, sicatii, & læsæ maiestatis reum pronunciauit sententialiter, & infamem, ita vt neque condere testamentum, neque testimonium ferre, neq; Præses, Consul, vel Potestas esse poterit ciuitatis. Hunc etiam, ab omnib. officiis, dignitatibus, seu etiam ministrationibus ciuilibus, aut publicis, sequestratum & exhæredatum vsque in quartam generationem decreuit. Quod decretum iussit ab omnibus inuiolabiliter obseruari, quousq; idem Guido ad curiam Romanam aduenisset, & se voluntati Papæ in omnibus submisisset. Præterea omnes illos, qui eum receptauerunt scienter, excommunicationis vinculo innodauit, & terras eorum suppositit interdicto (mulieribus duntaxat exceptis), pœnitentiis decedentium, & baptismate paruulorum. His rite peractis, Eadwardus secessit à curia, cui cõmunitates ciuitatum Tusciæ & Italiæ, cum magno tripudio tubis ductilibus obuiarunt, communiter proclamantes, viuat Imperator Eadwardus. Mediolanẽses ei munera obtulerũt, equos electos, coopertos sclauoniis de Scarleto, quos, illis cogẽtibus, inuitus recepit. Recedens ab Italia, venit in Burgundiam, vbi quendam nobilẽ, qui rapinis, & spoliis intendebat, cum fortissimo castro suo, Comiti Sabaudiæ reddidit, vel inuitum. Prius namq; terrenum dominum nõ habebat, ideo transeuntes liberius spoliabat, quia non erat, qui excessus corrigeret delinquentium. Episcopi & abbates, Comites & Barones, de Anglia venientes, domino Eadvvardo in descensu montium Burgundiæ occurrerunt, benedicentes dominum, qui fecit prosperum iter suum. Galli igitur, qui nunquam indignatione & iactantia caruerunt, quorum superbia ad exterminium peruenit, videntes tantam multitudinem domino Eadvvardo obuiam venientem, Torniamentum apud Cabiloniam Burgundiæ proclamarunt. Die statuto, aciebus dispositis, Angli cum Callis pugnauerunt. Sed fortitudo Francigenarum finaliter fuerat dissipata. Eadvvardus primo, postmodum Comites, & Barones, cum laudis titulo recesserunt. In hoc torniamento, cõflictus peditum magnus fuit. Angli namq; indignationis stimulo agitati, quamplurimos de Francigenis occiderunt, & quia viles erant, parum de eorum interitu curabatur. Erant enim inermes pedites, spoliis intendentes. Eadvvardus vero de Burgundia transiens, venit in Franciam, quem rex Franciæ Philippus, ipsius cognatus, † lætanter suscepit. Erant enim isti, rex Franciæ Philippus, & Eadvvardus, de duabus sororibus procreati, & ideo se inuicem specialius dilexerunt. Cum ergo essent mutuis conuiuiis recreati, Eadvvardus à rege Franciæ terras, quæ sibi iure hæreditario competebant, petiit cum affectu, dicens, se paratum ad singula facienda, quæ iuris sunt. Rex igitur Franciæ petita concessit, & Eadvvardus sub hac forma verborum homagium fecit ei. Domine rex facio vobis homagium pro omnibus terris, quas debeo tenere de vobis. Vnde nonnulli receperunt

† *honorifice.*

ceperunt hanc proteſtationem, quaſi pro Normannia loqueretur. His rite peractis regi, & Paribus Franciæ valedicto, Aquitaniam properauit. Ad quam veniens, homagia & debita ſeruitia recepit de ſuis, caſtigans & terrens, quos ibidem reperit aduerſantes. Interim quidam Angli excandeſcentes inuidia & furore, quidam de ſuis alienam pecuniam ſitientes, & ex corde proprio prophetantes, dicebant Eadwardum nunquam in Angliam reuerſurum. Hi volentes de futuris contingentibus definire, vſq; ad numerum 300. loricatorum, exceptis peditibus, & inermibus equitibus, in partibus Borealibus conuenerunt. Quos inſequebantur nobiles milites & potentes, Eadmundus frater Eadvvardi, & Rogerius de Mortuo mari, cum armatorum maxima comitiua. Quod cum rebelles audierant coniurati, colligationibus diſſolutis, ad propria receptacula redierunt, nihil facinoris vlterius attentantes. His diebus quidam clericus, nomine Reimundus, Vaſcones natione, à ſummo pontifice in Angliam fuit miſſus. Qui poteſtatem habuit compellendi Eccleſiaſticas perſonas ad decimas, per duos annos, tam de temporalibus, quã ſpiritualibus Eadvvardo & Eadmundo, filiis regis Angliæ, perſoluendis. Hic partem collectæ pecuniæ tribuit nobilibus ſupradictis, pro expenſis ſui partem ſibi non modicam retinuit, & ad diſpoſitionem Papæ, partem maximam reſeruauit.

De euaſione Gaſtonis de Bierne.

Anno gratiæ 1273. Eadvvardus in partibus Vaſconiæ morabatur, vbi Gaſtonem de Bierne, quendam nobilem, conſanguineum ſuum, quem fideliſſimum amicum habere credebat, inuenit callidiſſimum proditorem, quem captum, honorificentius quam debuit, cuſtodiuit. Ipſe namq; cum cuſtodibus equitans die quodã gratia ſpaciandi aſcendit dextrarium, quem callide procurauerat, & aufugit, non longe de ſuis reperiens multitudinem armatorum. Eadvvardus inſequabatur protinus fugientem, caſtra ipſius capiens, non perſonam. Comitiſſa Lemouicenſis Eadvvardo reſtitit, homagiũ ſibi denegans, & ſeruitia cætera, quæ debebat. Hoc anno, circa feſtum ſancti Michaelis, obiit Henricus de Sandvvico, Londinenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit Iohannes de Chishulle, decanus ſancti Pauli.

De Concilio Lugdunenſi, ſub papa Gregorio decimo.

Anno gratiæ. 1274. Kalend. Maii, ſub Papa Gregorio decimo, apud Lugdunum fuit concilium maximum celebratum, quod à kalend. prædictis, vſque ad 16. kalend. Auguſti durauit. In hoc concilio dominus Papa Eadvvardum commendauit omnibus, dicens Terram ſanctam fuiſſe deperditam niſi veniſſet citius ad eandem. In hoc concilio Papa ſtatuit, quod ſubſequentes 7. annos de cunctis prouentibus Eccleſiaſticis, in ſubſidium Terræ ſanctæ, decimæ ſoluerentur. In hoc etiam concilio de conuerſione Græcorum, poſt ſchiſma, lætitia magna fuit. Qui Græci literas auro bullatas cum literis prælatorum de Græcia attulerunt ad concilium: quarum tenor ſequitur.

Literæ Paleologi Imperatoris Græcorum.

Sanctiſſimo & beatiſſimo patri, & ſummo pontifici Apoſtolicæ ſedis vniuerſali Papæ, & communi principi Chriſtianorum omnium, venerabili patri Imperii noſtri, domino Gregorio Michael à Chriſto Deo fideliter, rex, & Imperator, & moderator Græcorũ, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis filius magnæ ſanctitatis veſtræ, decentem honorem & reuerentiam, cum ſincera & pura affectione & omni poſtulatione. Quoniam miſſi ſunt à magna ſanctitate veſtra ad Imperium meum nuntii, Deo placentes, ordinis fratrum Minorum, Frater Hieronymus de Oſculo, frater Reimundus Beringarii, frater Bonagratia de ſancto Iohanne in Perſeceto, & frater Bonauentura de Mugello: & detulerunt literas magnæ ſanctitatis veſtræ Imperio meo. In quibus inter alia de confeſſione fidei, qua docet & prædicat, & confitetur ſacroſancta Romana Eccleſia, continebatur, & oportebat de his magnis reſponſionem facere decenter. Ecce hæc facit Imperiũ meum, habeat autem confeſſio fidei in literã ſic. Credimus ſanctam Trinitatẽ, patrem & filium, & ſpiritum ſanctum, vnum Deum omnipotentem, totamq; in Trinitate Deitatem, eiuſdem naturæ, coæternam & coomnipotentem, vnius voluntatis poteſtatis, & maieſtatis, creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, in quo omnia, per quẽ omnia quę ſunt in cœlo & in terra, viſibilia, inuiſibilia, corporalia, & ſpiritualia. Credimus ſingulã quamq; in ſua Trinitate perſonam, vnum verum Deum plenum & perfectum. Credimus ipſum verbum Dei æternaliter natum ex ſpiritu Sancto & Maria ſemper virgine cum anima rationali, duas habentem natiuitates, vnam ex patre natiuitatem æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum & hominem verum, propriam in vtraq; naturam, & perfectum non adoptiuum nec phantaſticum, ſed vnum & vnicum filium Dei, in duabus,

diuina ſcilicet & humana, naturis vnius perſonæ vnitatem non paſſibilem, etiam & immortalẽ diuinitate, ſed in humanitate pro nobis & ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe à mortuis vera carnis reſurrectione: die quadrageſimo, poſt reſurrectionem, cum carne, qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedentem ad dextram Dei patris, inde venturum iudicare viuos & mortuos, & ſe redditurum vnicuiq; ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala. Credimus & ſpiritum ſanctum, plenum & perfectum, verumq; Deum, ex patre filioq; procedentem, coęqualem & conſubſtantialem, & coomnipotentem & coæternum per omnia patri & filio. Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed vnum Deum omnipotentem, æternum, & inuiſibilem, & incommutabilem. Credimus ſanctam Apoſtolicam & catholicam vnam eſſe veram Eccleſiam, in qua vnum datur ſanctum baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionẽ huius carnis quam nunc geſtamus, & vitam æternam. Credimus etiam noui & veteris Teſtamenti, legis & prophetarum, & Apoſtolorum vnum eſſe authorem, Deum omnipotentem. Hæc eſt vera fides catholica: & hanc ſupradictis articulis tenet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia, ſed propter diuerſos errores, à quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos qui poſt baptiſmum in peccatis labuntur, nõ rebaptizandos, ſed per verã pœnitentiam ſuorum conſequi veniam peccatorũ. Quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequã dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis eorum, animas pœnis purgatoriis aut caracterii, ſicut nobis frater Iohannes explanauit, poſt mortem purgari, & ad pœnas huiuſmodi releuandas prodeſſe eis fideliũ viuorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelib. fieri conſueuerunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum autem animas qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus vel eiſdem exutæ, prout, ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorũ autem animas qui in mortali peccato, vel eum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparib. puniendas. Hæc ſacroſancta Eccleſia Romana firmiter credit & aſſeuerat, & quod nihilominus in die Iudicii, omnes homines ante Tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam & docet eadem ſancta Romana Eccleſia 7. Eccleſiaſtica ſacramenta, vnum ſcil. baptiſma, de quo dictum eſt ſupra, aliud eſt ſacramentum confirmationis, quod per manuum impoſitionẽ Epiſcopi conferunt, chriſmando renatos: aliud eſt pœnitentia, aliud euchariſtia, aliud ſacramentum ordinis, aliud eſt matrimoniũ, aliud extrema vnctio, quæ ſecundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramẽtum Euchariſtię ex azymo conficit ſancta Romana Eccleſia, tenens & docens quod, in ipſo ſacramento, panis vere tranſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti. De matrimonio vero tenet, quod nec vnus vir plures vxores ſimul, nec vna mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius, ſecundas & tertias deinde nuptias ſucceſſiue licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum aliud ex cauſa alia non obſiſtat. Ipſa quoq; ſancta Romana Eccleſia ſummum & plenum primatum ſuper vniuerſam Eccleſiam catholicam obtinet, quod ſe ab ipſo domino in beato Petro, apoſtolorum principe, ſiue vertice, cuius Romanus pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit. Et ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic, & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quęſtiones ſuo debent iudicio definiri. Ad hanc quilibet grauatus, ſuper negotiis ad Eccleſiaſticum forum pertinentibus, poteſt appellare, & in omnib. cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt iudicium recurri, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubiectæ. Ipſarum prælati obedientiam & reuerentiam ſibi dant. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod alias Eccleſias, & patriarchales præcipue, diuerſis priuilegiis eadem Romana Eccleſia honorauit, ſua tamen obſeruata prærogatiua. Hæc quidem in generalibus conciliis, hæc autem in aliquibus aliis, ſemper ſalua ſubſcripta fidei veritate, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, ſanctam, catholicã, & orthodoxam fidẽ cognoſcimus, & eam acceptamus, etiã corde & ore profitemur, quia hanc veraciter tenet, docet, & prædicat ſancta Romana Eccleſia, inuiolabiliter obſeruatura eandem confeſſionem. & in ea omni tempore perſeueraturos, nec ab ea vnquam vllo tempore receſſuros quoquo modo, aut deuiaturos vel diſcrepaturos, promittimus. Quem quidem primatum ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie con-

continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, fatemur & recognoscimus, acceptamus & sponte suscipimus: prædicta siquidem profitentes, & attendentes, & acceptantes, & promittentes nos seruaturos, prout dictum est. Rogamus magnam sanctitatem vestram, vt Ecclesia nostra Græcorum dicat sanctum Symbolum, sicut dicebat hoc ante schisma vsq; in hodiernum diem, vt permaneamus in ritibus nostris, quibus vtebamur ante schisma, qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra diuina præcepta, nec contra doctrinam noui & veteris Testamenti, nec contra sanctum Concilium vniuersalium istorum patrum approbatorum, à sanctis spirituali dominatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ celebratis. Hoc igitur non graue est vestræ magnæ sanctitati, nec inassuetum, & nobis nunc difficile, propter infinitam multitudinem populi. Cõmisimus autem & præsentib. nuntiis Imperii nostri, vt prænotata per præsentes literas Imperii nostri confiteantur & attendant vice Imperii nostri coram magna sanctitate vestra. Præsentes literas de nostra recognitione, acceptatione, & confessione, propria manu, Dei gratia Imperiali subscriptione signauimus, & sigillum nostri Imperii inferius fecimus appendi.

Litera prælatorum Græciæ.

Sanctissimo, reuerendissimo, & beatissimo Papæ, antiquo Romanotũ domino Gregorio Magno, pontifici excellentissimæ Apostolicæ sedis, & venerabilissimo domino & patri nostræ humanitatis. Nos qui Ecclesiasticam complemus ordinationem, vestræ Romanæ sanctissimæ Ecclesiæ salutem, & spiritualis subiectionis affectionem, vbiq; Metropolita Ephesius, præhonoratus Exarchus totius Asiæ, cũ ea, quæ circa me est, sancta Synodo. Metropolita eiusq; intracheia & præsul honoratorũ, cum ea, quæ circa me est, sancta Synodo. Metropolita Calcedoniæ superhonoratus, cum ea, quæ circa me est, sancta Synodo. Metropolita Tionorum, cum ea, quæ circa me est, sancta Synodo. Episcopus Metropolitanus Conconii, cum his, qui circa me sunt, Episcopis. Metropolitanus Naupacti superhonoratus, cum ea, quæ circa me est, sancta Synodo. Metropolitanus Arachæ Ponti superhonoratus, cum his qui circa me sunt Episcopis. Metropolitanus Conconii, cum his qui circa me sunt Episcopis. Metropolitanus Karias, cum ea quæ circa me est, sancta Synodo. Metropolitanus Berheriæ superhonoratus, cum ea quæ circa me est sancta Synodo. Metropolitanus Athenarum & locum Philipapolitis supplens, cum his qui circa me sunt Episcopis. Metropolitanus superhonoratus, & Exarchus insularum Kididadan, cum his, qui circa me sunt Episcopis. Metropolitanus Philippensium, cum his qui circa me sunt Episcopis. Metropolitanus Sinnicæ, cum his qui circa me sunt Episcopis. Metropolitanus Serrorum cum ea, & cæteris. Metropolitanus Ananstidas, Metropolitanus Alaniæ, Metropolitanus Priscæ, Metropolitanus Meditarum, Metropolitanus Anidi, Metropolitanus Christianapoleos, Metropolitanus Silibriæ, Metropolitanus Mestbrios, Metropolitanus Aprometus Akinnii. Metropolitanus Parii, Metropolitanus Dedimatici, Metropolitanus Anastasipoleos. Archiepiscopus Bisias, Archiepiscopus Bipsellorum, Archiepiscopus Gatilleris, Archiepiscopus Derkis, Archiepiscopus Præconis, Archiepiscopus Lopodii, Archiepiscopus Pergami, Archiepiscopus Melemerbi, Archiepiscopus Besias. Adhuc autem cum nobis pontificibus, & magna Synodo, & Archidiaconus honoratissimus Seuersibilis cum totali venerabili clero, cum his autem & qui clerum cõplent sanctissimæ Ecclesiæ magnæ Dei, videlicet magnus conconomus, prothedicus, logotheta, contricius, referendarius, qui super iudicia, qui super secreta, qui super sacrum & dona apostolica, qui præmicerius Patriarchalium notariorum, qui princeps Ecclesiarum, qui super petitiones, qui rememoratorii, qui hostiarii, qui Patriarchales notarii, qui prothopapæ, cum toto presbyterio Archidiaconatus Ecclesiastici, & qui domestici, cum omnibus psalmistis & lectorib. Non solum nunc sed prius beatissimæ & sanctissimæ vestræ Ecclesiç magnam faciebamus diuisionem integritatis, & Ecclesiarum Christi totaliter vnitatem dilacerabamus.

Quomodo, qui vnius pastoris sumus, non in vnum & inter vnum aggregamur ouile, nec vnum replemus mandatum Christi? sed ea quæ sunt discordiæ magis eligimus, & bono pacis amisso, inuenire nõ quærimus illud, quod ex bono zelo nobis declarabatur? Nullus autem erat qui coniungeret omnes in vnum, & sufflaret quasi ad vnum flamen singulorum concordiam: quam autem secundum Christi desiderium à Deo coronandus sanctus noster Imperator totus ad seipsum, intellectum attendens (vt oportebat) nunc in hac parte Dei gratia præhonorabilibus aliquibus deputauit. Prius ipse in seipso laborabat, quo vtique modo non declinaret nec ad remissionem, donec scissuram Ecclesiæ ad vnam interim compaginaret vnitatem: deinde non deficiebat communicando nobis, (quod in vo-

in voluntate habebat ſemper)& oſtendendo qualiter habet ſuum propoſitum animæ. Vt autem ad ipſum venerabiles nuncii veſtræ ſanctitatis apoſtolicas literas & porrexerũt & præſentauerunt, quam veſtra beatitudo deſiderantium accelerat cõiunctionẽ, totus exurgit promptius,& prætermittit quod alienum eſſet,& quaſi in ſecunda cõſideratione omnis negotia ſua reputat,proponens ea quæ mandatorũ veſtrorũ ſunt,& ſuarum ſolicitudinum & diſpoſitionum. Conuocat igitur ad ſeipſum noſtrum vniuerſum pontificale collegium,& poſtmodũ alios,quotquot maxime ſpiritualitati adhærent,& circa ſtudium eccleſiaſticum exercitium habent vnum, & quantus eorum quidem nocturnus & diuturnus eius labor in medio eſt. Qui inſtar, quaſi totaliter peruigil, qui etiam & ſtudioſe exercuit,& quaſi ſemper in ſuſcepto opere fuit,donec ad vnam & eandem multorum attraheret ſententiam,longiore quidem & indigno ſermone agitatam, ſi totum proceſſum veſtræ magnitudini præſentaremus. Quidam tamen noſtrum ſtatim conuenerunt, & quæ pacis fuerant, amplexati ſunt: quidam vero magis obſtinatiores apparuerunt, temporis antiquitatem reuolentes in mentem, & opponentes alii quaſi de neceſſitate hoc imponeretur eis. Sed à deo coronati Imperatoris diligentia vicit in finem, & habet omnes iam concordes ad vnicam hanc vnionem,per quam apoſtolicæ ſedi antiquæ, Romæ (ab antiquiſſimis attributos) Primatus attribuere aſſentimus. Hoc ſcilicet Dei gratia cooperata eſt, vt habeat ex nobis apoſtolica magnitudo noſtræ ſanctitatis ſententiam agnoſcere, qualiterque magnifico Imperatori noſtro ſimul communicauerimus in ſententia: & quæ quidem attenderit & vult libenter, & nos acceptamus: breuiter præſentem epiſtolam annotamus, & ad conſpicuam excellentiam veſtræ magnitudinis tranſmittimus.Scitote quid nos volumus,quod pontificalis ſedis tota plenitudo, cum toto venerabili clero, & omnibus officiariis, ſacerdotibus, diaconis, & lectoribus, ſanctiſſimæ eccleſiæ Dei conuenit in vnum,vt attribuat prompte veſtræ ſanctitati & apoſtolicæ ſedi, quod ad honorem pertinet, nec alium primum & ſummum pontificem eccleſiarum omnium,nominaturi. Sed antiquam internuntiorum confectionem agnouimus, quam & patres noſtri ſemper attenderũt toto præterito tempore vſque ad tempus hoc. Vnde noſtrum Patriarcham & ſubſequenter omnes alios (quotquot conuenerunt, vt in vnum hæreant, & ſedis ponerent concordiam) obſecrauimus. Ipſe vero cum magna inſtantia tenet quod agnoſci debet primus,& poſtea (vt indicat) non decidet ab iſta voluntate,nec adhuc à prima ſententia,quam tenet,cum aliqua intentione mutatus eſt. Vnde & pluries nos prælati correximus ipſum,ipſe nequicquam ad præſens acquieuit. Nos autem & nobiſcum potentiſſimus Imperator iniunximus illi à Patriali ſede recedenti, omnia in vna forma ſolicitudinis manere,quæ ſunt Conſtantinopoli monaſteriorum,donec nuncii ad veſtram ſanctitatem accedant, & audiant ſermonem veſtrum, & ſi magnitudo veſtra ita recipiat,delegat certos delegatos cum noſtris reuerſis legatis.Et nos hunc finem obtinentes,communiter & interim conuenientes,attrahemus Patriarchiam noſtrum, vt ſi recedere ipſum ab intentione cõtingat,nobiſq; inclinauerit,& nos reddet beneuolos eſſe, quod præteritis temporibus throno apoſtolicæ ſedis inſuper excellens honor attributus eſt: ſic habebimus ipſum pontificem etiam ſpiritualiter,ſicut prius præſidentem.Si vero immutabiliter ſe habeat in ſententia,tunc dependebit omnis neceſſitas & ipſum deiicere,& Patriarchali principatu priuare.Nos autem conſtituemus & promouebimus alium,qui vtique conſentiat nobiſcumque eiuſdem voluntatis eſſe, & reddere conuenientem Primatum ſummitati ſanctitatis veſtræ. Hoc igitur proponimus (à Deo honorate domine) nos, quos Patriarchalis Conſtantinopolitanæ ſedis ſublimes pontifices cum omnibus (qui circa nos)venerabilibus clericis per hoc ſcriptum noſtrũ vobis coniungi habes,qualiter ſi ſolum veſtra magnitudo,ea quæ legationis ſunt admittat,non eſt quod tẽpus teratur,& nos inclinamus prompte,& magnę veſtræ altitudini ſubmittimus,& valde gratanter ea quę ſunt ſpiritualis ſubiectionis totius aſſerimus,& nihil eorũ denegamus quæ ante ſchiſma præſtabãt patres noſtri his, qui apoſtolicã regebant ſedẽ, ſed ſtatim & nos attribuim⁹. Alia quidẽ ſignabunt nuncii,& glorioſæ veſtræ ſanctitati notificabũt. Finaliter ſicut in ſpiritualib⁹ potentiſſim⁹ noſter Imperator,& nos pontificũ collegiũ epiſcopis cõmiſim⁹: ſicut cæteri ſpiritualiter ab Imperiali magnificẽtia mandatũ acceperũt, de quib⁹ quicũq; ad ſecularis principat⁹ pertinẽt gubernationẽ, veſtræ ſanctitati referabunt à Deo coronato noſtro Imperatore. Confidim⁹ autem q; pacis auctor Deus vniuerſitatẽ paterna victus clemẽtia adaperiet,noſq; & magiſtratus gratanter ſuſcipiat inclinatos: & veſtrã familiaritatẽ inuocantes & paternitatẽ. Sacramentũ Græcorum ego nuntius habens ab eiſdem ſufficientẽ (ad infra ſcripta mandata)ſubſcriptã fidei veritatẽ,prout plene lecta eſt & fideliter

fideliter expoſita à me, Dei & domini noſtri nomine veram ſanctam catholicam fidem eſſe cognoſco, eam accepto, & corde & ore confiteor, ipſamq; prout tenet fideliter, docet, & prædicat ſancta Eccleſia Romana, inuiolabiliter ſeruaturũ, & in ea omni tempore perſeueraturum, nec ab ea vllo vnquam tempore receſſurum, vel quoquo modo deuiaturũ, nec diſcrepaturum promitto. Primatũ quoq; ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur (ad ipſius Eccleſiæ obedientiã ſpontaneus veniens) fateor, recognoſco, accepto, & ſponte ſuſcipio. Et ipſe omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa eiuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, & Epiſcoporum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſeruantiam, ac perſeuerantiã in ſeruaturum (præſtito corporaliter iuramento) promitto & confirmo: ſic Deus ipſum adiuuet, & hæc ſancta Euangelia. Scriuarius, Sacriſta, Carthaphilax, & magnus Skenephilax ſanctiſſimæ eius, qui in Conſtantinopoli eſt patriarchatus, Iohannes Lector. Græci etiã alias literas, quas propter earum prolixitatem huic operi non inſeruimus, ad conſilium detulerunt. Venerunt etiam poſt Græcos 16. Tartari (qui Moalli) cũ literis regis ſui, in Cõcilio publicantes verbis pompoſitis potentiam Moallorum. Hi non pro fide, ſed vt confœderationem haberent cum Chriſtianis venerunt. Hos Papa benigne ſuſcipiens, donis & honorib. ampliauit, & ad petitionem ipſorum, non baptizatos fecit honorifice baptizari. In itinere verſus Cõcilium Lugdunenſe, venerabilis frater Thomas de Aquino, ordinis Prædicatorũ, in quadam abbatia monachorum Ciſtertienſium, quæ Foſſa Noua dicitur, diem clauſit extremũ. Hic natione Campanus, filius Comitis de Aquino, inuitis parentibus (qui eum monachatum ſuſcipere volebant) Prædicatorum ordinem eſt ingreſſus. Eadwardus igitur, pacificatis quodammodo in Vaſconia reſiſtentibus inimicis, poſt Concilium conſummatum ad Angliam properauit. Expectabat enim regni ſui prælatos, qui in Concilio fuerant, quia in ipſorum abſentia, non poterat coronari. Veniens ergo in partibus Bononiæ ſuper mare, pepigit cum Comitiſſa Flandriæ, quæ Anglis fecerat multa mala propter pecuniam, quam ſibi regina Angliæ debuerat, mater ſua. Sic rite cunctis peractis in partibus tranſmarinis, mare tranſiens 8. videl. kal. Auguſti, anno domini ſupradicto, Angliam eſt ingreſſus. Quem Gilbertus & Iohannes, Comites Glouer. & War. præ cæteris nobilibus terræ ſuæ, honorificentius ſuſceperunt, ſibi per dies multos in Caſtris ſuis, de Tonebrege & Reigate, cum non modico apparatu, conuiuium & maximum gaudium facientes.

Coronatio regis Eadvvardi filii Henrici Tertii.

ANNO igitur ſupradicto, in Eccleſia Weſtmonaſt. Eadwardus in regem & Æleonora, ſoror regis Hiſpaniæ, in reginam, à Roberto Archiepiſcopo Cantuar. 14. kal. Septemb. pariter coronantur. Huic coronationi intererant Alex. rex Scotiæ, & I. Comes Britanniæ, cum ſuis vxoribus, ſororib. quidem regis Eadwardi, quæ p breue ſpatium temporis poſtmodum obierunt, ſicq; poſt magnum gaudium coronationis, magnam triſtitiam nobilib. reliquerunt. Erant enim dominæ multum famoſæ & pulcherrimæ iuuentutis. In vigilia S. Nicolai, terræmotus, fulgura, tonitrua, draco igneus & cometa, Anglos terruerunt. Iuſticiarii itinerantes ad Crucem lapideam Weſtmonaſt. conſederunt. Iohannes de Chiſhule, diaconus S. Pauli, conſecratus in Epiſcopum Londinenſem 3. Kal. Maii, ſtatim poſtea vocatus fuit ad Concilium prædictum.

De mirabili terræmotu.

ANNO gratiæ. 1275. rex ad Parleamentum Weſtmon. omnes nobiles regni ſui iuſſerat congregari. In quo ſtatuta multa ad vtilitatem regni fuerunt publicata, inter quæ Iudæis fuit interdicta effrænata licentia vſurandi. Et, vt poſſent à Chriſtianis diſcerni præcepit rex, quod ad inſtar tabularum, ad vnius palmæ longitudinem, ſigna ferrent in exterioribus indumentis. Gaſto de Bierna, vir potens & nobilis de Vaſconia, regis Angliæ conſanguineus, ſed eius aduerſarius capitalis, per regem Francię ad regem Angliæ mittebatur. Qui in carcere diutius tenebatur, remiſſus ad propria poſt præſtitam cautionem. Circa natiuitatem beatæ Mariæ, rex Eadwardus in partibus Ceſtriæ moram traxit, qui Leolinum, principem Walliæ, perſonaliter ad ſe nolentem accedere, citari iuſſit ad Parleamentum ſuum Weſtmonaſterii, ad quod accedere recuſauit, dicens ſe ad memoriam reuocaſſe mortem patris ſui Griffini, qui de Turri Londinenſi cecidit, & fractis ceruicibus expirauit. Obiit hoc anno Iohannes Bretoun, Epiſcopus Herefordenſis, qui admodum peritus in iuribus Anglicanis, librum de eis conſcripſit, qui vocatur le Bretoun. Cui ſucceſſit Thomas de Cantalupo. Tertio Idus Septembris, factus eſt generalis terræmotus inter horam diei primam & tertiam, cuius impetu, Eccleſia ſancti Michaelis, quæ dicitur de Monte extra Glaſton. ſolo cecidit complanata. De famoſis etiam Eccleſiis, per Angliam conſtitutis,

tutis, per violentiam terræmotus, multa fragmina ceciderunt. Vndecimo Kal. Ianuarii, obiit Gregorius decimus, Papa, apud Aretium, Tuscię ciuitatem. Post cuius transitum, Petrus de Tarentesia, de ordine fratrum Prædicatorum, Lugdunē. electus Cardinalis, postea Ostiensis, in summum pontificem est electus, & appellatus est Innocentius quintus. Almericus filius Simonis de Monte Forti, quondam Comitis Leicest. & soror sua Ælionora, iuuencula elegantissima, quæ Leolino principi Walliæ matrimonialiter debuerat copulari, iuxta Bristolliam in mari sunt capti, & ad regem perducti, dicentem, hoc ex Dei prouidentia accidisse, qui noluit consanguineam suam suo aduersario maritari. Eodem anno, Christiani à Saracenis multa damna in Hispania pertulerunt, & multos de Christianorum numero occiderunt. Inter hos Santius archiepiscopus Toleranus, filius regis Aragoniæ, membratim fuit à perfidis Saracenis discerptus.

Translatio beati Richardi, Episcopi Cicestrensis.

Anno gratiæ 1276. post Pascha ad Parleamentum Westmonast. multis nobilibus congregatis, pacem suam quondam pacis perturbatoribus rex concessit. Quintam decimam omnium bonorum temporalium, tam clericorum quam laicorum, inaudito more ad vnguem taxatam, rex iusserat confiscari. In hoc Parleamento, sicut & in aliis, Leolinus princeps Walliæ vocatus, personaliter noluit comparere. Misit tamen nuntios pro pace habenda, & pro filia Comitis Leicestriæ, quam ducere voluit in vxorem, non modicam offerens pecuniæ quantitatem. Rex vero matrimonio noluit consentire, sed nec pecuniam oblatam recipere, nisi terras, quas inuaserat Leolinus, singulas singulis iustis dominis restitueret, & quod Castra Angliæ, quæ destruxerat, repararet.

Gloriosus confessor Christi, sanctus Richardus, quondam Episcopus Cicestrensis, post multa miraculorum insignia, in vigilia sancti Botulphi abbatis, in Ecclesia sua cathedrali Cicestriæ est translatus, præsentibus rege Eadwardo, & totius Angliæ maiorib. natu, cum multitudine prælatorum. Die sancti Albani, in vrbe apud Lateranum obiit Innocentius quintus Papa, cui successit in crastino trāslationis sancti Benedicti, Adrianus quintus, qui quondam in Anglia legationis officio fungebatur, vocatusq; fuerat Othobonus, sancti Adriani diaconus Cardinalis. Iste, 18. Kalendas Augusti, diem clausit extremum, cui successit Iohānes 21. qui prius vocatus fuerat Petrus de Hispania, qui similiter obiit in hoc anno. Cui successit Nicolaus tertius 6. kal. Decemb. Tempore igitur supradicto, mortuo Henrico rege Nauarriæ, pro dominio regni eiusdem inter regem Franciæ & regem Hispaniæ, dissensio fuit orta. Pro rege ergo Angliæ solennes nuntios rex Franciæ destinauit, mandans quod personaliter cum seruitio debito properaret, contra regem Hispaniæ dimicaturus. Qui nimium mirabiliter turbatur, eo quod à rege Hispaniæ fuerat cinctus baltheo militari, & sororem ipsius Ælionoram duxerat in vxorem, & quia regem Franciæ consanguineum suum, & dominum offendere non audebat, se orationibus Ecclesię commendauit, & finaliter regi Franciæ respondebat, se nolle seruitium debitum denegare. Sed ad sedandam discordiam inter ipsum & regem Hispaniæ iam inceptam, se velle omnem diligentiam adhibere. Rex igitur Franciæ cum innumerabili exercitu versus partes Hispaniæ est profectus, à quibus cito rediit omni victoria destitutus. His temporibus ad refrenandum irruptiones Wallensium, in partibus Bristoliæ, Montis Gomerici, & Cestr. misit rex 300. equites loricatos.

De adquisitione VVallię.

Anno gratiæ. 1277. in quindena Paschæ, rex recedens à Westmonast. versus Walliam properauit cum omni militari seruitio terræ suæ Angliæ, Barones de Scaccario, & iusticiarios de Banco, vsq; Salopiam secum ducens, qui placita secundum consuetudines Angliæ audientes, ibidem pro tempore aliquo morabantur. Wallenses igitur regis aduentum & sui exercitus metuentes, ad solita diuerticula Snoudunæ confugerunt, quorum terras rex, fretus auxilio quinque portuum, vsq; Montem Snoudanum, vndique occupauit. Princeps igitur Walliæ, Leolinus, intelligens sua maneria & castella combusta, pariter & destructa, assumptis potentioribus terræ suæ, circa Natale domini anno prædicto accessit ad regem, misericordiam, non iudicium, petiturus. Accepit ergo homagium & fidelitatem de potentioribus Wallensium rex Eadvvardus, eorum principem Leolinum vsque Westmonasterium secum ducens, à quo quinquaginta millia marcarum recepit præ manibus, & pacto firmato de mille marcis singulis annis ad Scaccarium Westmonasterii persoluendis pro insula de Angleseie & pro parte Snoudunæ, vocalem principem, diligenter instructum, ad partes eadem redire permisit: successores suos, principatus nomine, sententialiter semper priuans, alias terras Walliæ, quas nuper adquisierat,

sierat,sibi & successoribus suis Anglorum regibus reseruans. Tartari Moalli Terram sanctam adquisierunt, Soldano Babyloniæ cum multis Saracenorum millibus interfecto.

Rex quadam monasteria libertatibus suis priuauit.

ANNO gratiæ 1278.rex Eadwardus regiam dignitatem cupiens ampliare,multa famosa monasteria,per Angliam constituta,iudicialiter libertatibus visitatis & antiquis priuauit.Abbas igitur,& conuentus Westmonaster.in quo idem rex sacramenta Baptismatis,confirmationis,& coronationis susceperat,in quo etiam patris sui,bonæ memoriæ regis Henrici, liberorumque eorum corpora sunt sepulta,libertatem de retorno breuium, quam specialiter per chartas dicti patris sui Henrici obtinuerant multis tēporibus retroactis,post defensiones legitimas,insistentibus ciuibus Londin.ordinationi regiæ submiserunt,quā tempore subsequenti ecclesiæ supradictæ de speciali gratia rex concessit.Rogerius Norwic.& Walterus de Marton.Roffensis,Episcopi,ex hoc seculo transierunt, quibus,in ecclesia Norwic.magister Gulihelmus de Middelton.archidiaconus Cantuar. & in Ecclesia Roffensi,quidam monachus eiusdem Ecclesiæ successerunt. Archiepiscopus Cantuar.Robertus,per Nicolaum tertium,papam,ab archiepiscopatus onere absolutus,vocabatur ad Cardinalatus honorem. Post cuius vocationem, monachi Cantuar. dominum Robertum Burnel,Bathon. & Wallensem Episcopum, regis Cancellarium, postularunt,cuius postulatio per summum pontificem quassabatur,& frater Iohannes de Pecham,ordinis fratrum Minorum,vir perfectissimus in doctrina, per Romanam curiā præficiebatur Ecclesiæ Christi Cantuar.in pastorem. Mense Augusto, rex Alemanniæ Rodulphus,in bello campestri,regem Boemiæ,suum aduersarium capitalem, cum multis millibus hominum interfecit,regnum prædictū suæ subiiciens ditioni.Princeps Walliæ Leolinus,duxit in vxorem, Alienoram filiam Simonis de Monte Forti,quondam Comitis Leicestriæ,& sororis bonæ memoriæ regis Henrici Tertii.Mense Nouembri capti sunt omnes Iudæi per Angliam vno die,& Londini incarcerati,pro rasura regiæ monetę & accusati sunt per Iudæos plurimi Christiani,eorum nequitiis consentientes, & præcipue nobiliores Londinensium. De Iudæis vtriusque sexus, occasione prædicta, Londini sunt suspensi ducenti octoginta:in aliis ciuitatibus Angliæ maxima multitudo. Pro redemptione Christianorum habuit rex summam pecuniæ infinitam. Aliqui tamen ex Christianis suspendio tradebantur.

De Comitatu Pontini, regi Angliæ reddito.Et de mutatione moneta.

ANNO gratiæ.1279. qui est annus regni regis Eadwardi septimus, circa Ascensionem domini mare transiit rex Eadwardus,vna cum regina. Cuius mater,Comitissa Pontini,quondam regina Hispaniæ,transierat ex hoc mundo.Igitur rex Angliæ, veniēs Ambianum,à Philippo rege Franciæ,cognato suo , qui eum ibidem expectauerat cum potentioribus regni sui,honorifice est susceptus.Qui regi Angliæ,Agennam, Lemouicum, Petragoricum, Santonas,Comitatumque Pontini, qui reginæ Angliæ iure hæreditario cōpetebat,aliasque terras, receptis homagiis à dictis rege Angliæ & regina, tradidit perpetuo possidendas.Sicque inter reges Franciæ & Angliæ, fuit omnis controuersia ex insperato sopita.Nota quod pro istis terris supradictis,rex Angliæ,quiete clamauit Normāniam regi Franciæ imperpetuum,recepturus tamen annuatim de Scaccario Rothomagi in sempiternum, 30.li.Parisien. Eodem anno, mota fuit discordia inter archiepiscopos Cantuar.& Eborac.eo quod archiepiscopus Ebor.fecit deferri crucē ante se in prouincia Cantuar. & inhibitum fuit per archiepiscopum Cantuar. ne quis venderet victualia archiepiscopo Eborac.vel contraheret.Circa festum beati Petri ad Vincula, moneta in melius mutabatur. Nam quia denarius findi in duas partes pro obolis, & in quatuor partes pro quadrantibus consueuit:ordinatum fuit ad tollendam occasionem defalcationis monetæ,quod rotundi essent denarii,oboli,&quadrantes. Ad rotundam tabulam Warewici,multi nobiles & potentes, de partibus transmarinis , & indigenæ conuenerunt. Cuius capitaneus erat dominus Rogerius de Mortuo mari.

Contra religiosos.

ANNO gratiæ.1280.rex,pontifices,& principes Anglicani conuenerunt in vnum statuētes, quod religiosæ personæ in ampliationibus terrarū non crescerēt,dicētes, quod ad detrimentum regni,& obsequii militaris,feoda militaria, & aliæ possessiones ad religiosorum manum mortuam deuenerunt,intelligere forte nolentes, quod potius orationibus Moysis,quam pugna filiorum Israel, Amalechitarum exercitus vincebatur.Mense Februarii apparuerunt octo semicirculi circa solem,dorsatim coniuncti.Vndecimo Ka-

lendas Septembris,obiit papa Nicolaus tertius. Cui succeſſit Martinus quartus,8. Kalendas Martii,Simon antea dictus.

Concilium celebratum apud Lambethe.

ANNO gratiæ 1281.poſt feſtum ſancti Michaelis,frater Iohannes de Pecham, archiepiſcopus Cantuar.apud Lambethe prouinciale Concilium celebrauit, qui contra exemptos,ibidem venire nolentes,libellum famoſum edidit ſub hac forma. Frater Iohannes permiſſione diuina Cantuar.archiepiſcopus, totius Angliæ primas, venerabili fratri,domino Richardo de Graueſend,Londinienſi Epiſcopo, ſalutem,& ſinceram in domino charitatem.Celebraturi nuper,vt ſcitis,apud Lambethe prouinciale Concilium, cum coepiſcoporum noſtrorũ venerando collegio,vniuerſos noſtræ prouinciæ prælatos inferiores,quos Conciliorum tractatibus intereſſe iubent ſancti canones,vocandos decreuimus,ac inter cæteros,religioſæ ſanctimoniæ perſonas præcipuas,abbates ſcilicet, & priores,non ſolum Epiſcopali gradui ſubiectos, iuxta ordinem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ,verum etiam alios,ab epiſcopali obedientia exẽptos,ratione ſaltem eccleſiarum nõ exemptarum,quas in proprios vſus,permittente domino,detinent occupatas,ſperantes nos ſolius Dei honori,ac communi eccleſiæ Anglicanæ commodis ſeruientes,eorũ iuuandos potentia,dirigendos conſiliis,& ſanctitatis ſuæ meritis promouendos.Exempti vero,tanquam pullos onagri, liberos ſeputantes,minime vel modice condolentes ſuæ ſanctæ matris anguſtiis,cuius viſcera multi ex eis plus onerant quã honorant,quaſi per effectum,vel defectum verius,de ſe dictum illud Iohannis propheticũ,in Apocalypſi allegarent: Atrium,quod extra Templum eſt,eiice foras:& ne metiaris illud, nec patiaris parturientium ceruarum audire rugitus, nec ad ipſum Concilium in anxietate, matris conſiliũ & ſolacium,venire dignati ſunt, vtpote filii alieni à ſemitis claudicantes, quin potius,ne in aliquo detumeſceret eorũ nimia elatio, nec procuratores ad ſuæ excuſationem abſentiæ mittere curauerunt,tam reuerendũ collegiũ contemnentes,Agar ex parte ſimiles,quæ illuſtrem deſpexit dominã,videns ſe diuiſionis filium concepiſſe,ſic agonizante olim Dei militia,& ſe laudabiliter periculis exponente,diuiſi à prælantibus Rubenitæ,intra terminos ꝓprios quieuerunt,gregum ſibilis delectati. Nos autẽ,tam ingratæ præſumptionis audaciam,ſecundum iuris regulas corrigere cupientes, ſcientes, iuxta ſaluatoris ſententiam,contra nos eſſe,qui nobiſcum eſſe deſpiciunt, ſeueritati tamẽ plurimũ detrahentes,quã poſſemus in contem ptores huiuſmodi,ſi vellemus, canonice exercere,in virtute obedientiæ,qua ſedi Cantuar. tenemini firmiter iniungendo mandamus,quatenus omnes Eccleſias non exemptas in diœceſi, exẽptis monaſteriis appropriatas, quorũ nomina ſub ſigillo noſtro præſentibus ſunt appenſa, cuiuſcunq; ordinis exiſtant,authoritate noſtra ſine moræ diſpendio ſequeſtrantes, eas faciatis ſub arcto ſequeſtro nihilominus cuſtodiri,donec ſuper hoc aliud receperitis in mandatis. Non exemptos quidẽ,quorum nomina in ſchedula,annexa preſentibus,continentur, quos nos ꝓpter eorũ contumaciam ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendimus,iuſticia exigẽte, ſic ſuſpenſos faciatis publice denũciari.Ab hac ſentẽtia per dominos abbates de Weſtmonaſter. de ſancto Eadmundo,de ſancto Albano,& de Waltham,fuerat principaliter appellatũ. Alii etiam appellauerunt exẽpti,ſuam appellationem tepide ꝓſequẽtes, pro eo quod archiepiſcopus diſſimulauit, quoad quoſdam, executioni ſuam ſententiam demandare. A feſto natiuitatis domini,fere vſq; ad Purificationem,gelu,frigoris, atq; niuis, tanta abundantia fuit,quantam ſenes & decrepiti illius temporis antea in Anglia non ſenſerũt. Quinque namq; arcus pontis Londinenſis & multi pontes alii corruerunt per violentiã glaciei,quæ in tantum ſpiſſabatur,quod à Lambethe,vſque ad palacium regium Weſtmonaſter.quidam vltra Thameſim ſiccis veſtigiis tranſierũt, piſces in ſtagnis moriebãtur,aues in ſyluis & campis,præ fame nimia defecerunt.

De guerra VValliæ,& amputatione capitis Leolini principis,& de aduentu Baſcientium in Angliam.

ANNO gratiæ 1282.qui eſt annus regni Eadwardi decimus,intempeſta noctis hora Dominicæ in Ramis palmarum,princeps Walliæ,Leolinus,& Dauid frater eius,cum magno exercitu Caſtra de Rotheland,& de Flynt, circumdederunt,aliaque Caſtra regis,ad quæ ingreſſum habere poterant,deſtruentes,nobilemque illum militem & famoſum,dominum Rogerium de Clifford,captum, vulneratum,& vinctum, prius ipſius familiaribus interfectis,ad Montem Snaudunæ tranſmiſerunt ſubito & ex inſperato,iuuenes & ſenes,mulieres & paruulos in lectulis occidentes,poſtmodũ cædibus & incendiis magnam partem Marchiæ deuaſtantes. Rex hæc audiens, ſed vix credens, Barones de Scaccario

Scaccario, & Iusticiarios de Banco, misit Salopiam pro regni sui Iuribus obseruandis, & exercitu congregato, Walliam contra montes Snaudunæ, suæ subdidit ditioni, Comitibus & Baronibus suis, necnon & aliis sibi fideliter adhærentibus, terrarum adquisitarum multas tribuit portiones, eis & eorum hæredibus perpetuo possidendas. Ad regis igitur auxilium de Vasconẽsibus, atque Basclis multa de partibus transmarinis millia sunt transmissa. Rex igitur vlterius volens procedere, nauibus sustentantibus, fecit erigi pontem magnum in aquis de Conwey. quæ fluunt, & refluunt iuxta montes Snoudunæ, quem quidam nobiles de regis exercitu transeuntes, gratia spatiandi, à multitudine & clamore Wallensium superuenientium territi, volentes, sed non valentes, ad insulã de Angleseie, de qua venerant, repedare, in aquis miserabiliter sunt submersi. Hoc igitur Wallenses, non infortunio, sed miraculo ascribentes, suo principi suggesserunt, quod viriliter ageret, nec timeret, eo quod in breui secundum prophetiam Merlini, diademate Bruti debuit coronari. Princeps igitur Walliæ Leolinus, assumpto exercitu copioso, ad campestria descendebat, fratri suo Dauidi montana relinquens. Eadmundus hæres famosi militis, iam defuncti, Rogerii de Mortuo mari, cum quibusdam Marchionibus irruit in exercitum Leolini, & sine detrimento suorum, magna multitudo Wallensium est perempta, in quo conflictu caput principis fuerat amputatum, & ad ciuitatem Londinensem deportatum, paloq; superpositum, & hedera coronatum per multa tempora super Turrim Londin. fuit erectum, de qua prius pater suus Griffinus cedidit, & fractis ceruicibus expirauit. Wallenses pro morte sui principis territi, & turbati, regi Angliæ omnia castra Snoudunæ reddiderunt. His diebus clerus & populus, primo quintamdecimam, & postmodum triceſimam bonorum suorum regi suo in subsidium concesserunt. Rex Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, Carolus, die Ascensionis domini, regnum Siciliæ pro maiori parte amisit, de suis ex insperato multis millibus interfectis. Rex Aragonum prædicta regna pro suis hæredibus iure hæreditario vendicauit, eo quod filiam Memfredi, de prædictis regnis per Romanam ecclesiam spoliati, duxerat in vxorem. Non obstantibus igitur inhibitionibus apostolicis, condixerunt præfati reges, quod pro iure vtrorumque ducenti milites dimicarent in planitie iuxta Burdegalim, diem partibus assignantes. Quo die adueniente, euanuit condictum principum prædictorum, quia rex Carolus cum centum millibus occurrit regi Aragonum, cum centum tantum militibus venienti.

De constructione Castri de Aberconwey, & morte miserabili Dauidis, fratris Leolini.

Anno gratiæ 1283. rex Eadwardus apud Aberconwey, ad pedes montis Snoudunæ fecit erigi Castrum forte. Dauid frater principis Leolini, vt supradicitur decollati, malorum inuentor, Angliæ sæuissimus persecutor, propriæ nationis impostor, ingratissimus proditor, belli author, cum vxore, duobus filiis, vna cum septem filiabus, à regis fidelibus est captus, postmodum per potentiores Angliæ iudicatus. O mors misera proditoris, ad caudas equorum per municipium Salopiæ fuit tractus, dein suspensus, postea decollatus, postmodum truncus corporis in quatuor partes fuit diuisus, & finaliter cor eius cum intestinis fuit combustum, caput Londin. portabatur, quod super Turrim Londinensem erigebatur super palum, ê regione capitis fratris sui. Quatuor partes corporis ipsius acephali ad Bristoliam, Northampton. Ebor. Winton. mittebantur. Portio dominicæ Crucis magna, quæ lingua Wallensium dicebatur Croizneth, domino Eadwardo regi Angliæ, cum multis famosis reliquiis tradebatur. Apud Caerneruon prope Snoudunam, corpus maximi principis, patris Imperatoris nobilis Constantini, erat inuentum, & rege iubente in ecclesia honorifice collocatum. Corona quondam famosi regis Britonum Arthuri, regi Angliæ, cum aliis iocalibus reddebatur. Sic ad Anglos gloria Wallensium, inuitè Anglorum legibus subditorum, per Dei prouidentiam est translata. Circa festum sancti Andreæ apostoli, obiit Richardus Warren, abbas Westmonast. Thesaurarius domini regis: post cuius obitum in vigilia Circumcisionis per viam compromissi frater Gulihelmus de Wenlok, concorditer est electus.

De natiuitate Eadvvardi, filii regis, & de apparitione Frederici.

Anno gratiæ. 1284. die sancti Marci Euangelistæ, apud Caerneruon Snoudunæ, natus est regi filius, cui nomen Eadwardus, in cuius natiuitate multi, & maxime Londinenses, gaudebant. Circa idem tempus Alfonsus, regis primogenitus, veniens ad Westmonasterium, quandam aureolam, quæ fuerat quondam principis Walliæ Leolini, cum aliis iocalibus offerebat, quibus beati regis Eadwardi feretrum ornabatur. Iste Alfonsus, fere duodenus, obiit in hoc anno, scilicet. 14. Kalend. Septembris, die scilicet sancti Magni regis: cuius corpus in ecclesia Westmonast. iuxta feretrum sancti Eadwardi hono-

rifice collocatur, inter fratres & sorores suos, ibidem præsepultos. Eodem anno, in Alemãnia apparuit Fredericus, quondam Imperator Romanus, secundum opiniones diuersas sophisticus, siue vt alii sentiunt verus. Antea namque secundum quosdam per. 32. annos mortuus dicebatur. Secundum vero relationem ipsius, per tempus prædictum mundo incognitus latuit in habitu peregrino. Nunc se Imperatorẽ fuisse ostendit, argumento visibili, & indiciis manifestis, Imperialem vendicans dignitatẽ. Fredericus itaque, dum Imperio fungeretur, & Ecclesiæ aduersaretur Romanæ, per ipsam priuabatur Imperiali nomine & honore per vniuersalẽ Ecclesiam excomunicationis vinculo innodatus, per papã Innocentium quartum, in Concilio Lugdunensi. Post cuius deiectionem, in regno Alemanniæ, per electionem regnabant tres Comites successiue, scilicet Gulihelmus Holandiæ, Richardus Cornubiæ, & Rodulphus, qui in ista apparitione Frederici, possessioni regni Alemanniæ incumbebat, vocationem suam ad diadema Imperii expectando. Inopinatum illud phantasma apperiens in Alemannia, Fredericus, igne combustus, periit hoc anno. Petrus Aragonum, per Papã sententia maioris excommunicationis ligabatur, præcipiebaturque sub pœna prædicta, ne quis eum scienter, & prudenter, regem audeat nominare, pro eo q̃, inconsulta Romana ecclesia, regnũ inuasit Siciliæ. Militia Anglicana, & multi nobiles transmarini, circa festum beati Petri ad Vincula, apud Neuyn in Snauduna, in choreis & hastiludiis, Rotundam tabulam celebrarunt.

De obitu Martini quarti, & successione Honorii quarti, Papæ.

Anno gratiæ 1285. de terra Franciæ egrediens rex Philippus, cum innumerabili exercitu bellatorum, Arragoniam properauit, illã proponens suo Imperio subiugare. Ad quam veniens regionem, quædã castra & villas, fultus auxilio summi pontificis, obtinuit, qui contra Petrũ, quondam principẽ terræ illius, nomine regis priuatum, legatum transmisit ibidem. Hic dictus Petrus Tolet. occidi permisit tam ecclesiasticas quam seculares personas, quę sententiam ecclesiasticam excommunicationis, multoties repetitam, nullatenus formidabant. Captus fuit prius per Petrum, Arragonum, Carolus, princeps nobilis Salernitanus, cuius pater Carolus, magni nominis & honoris, obiit in hoc anno. Obiit etiã papa Martinus quartus, quarto Kalendas Aprilis cui post triduũ successit Honorius quartus, Cui pedum ac manuũ fere officium abstulerat aretia ægritudo, vnde sedendo in sella ad hoc artificiose facta missarum solennia celebrauit. Pridie Kalendas Maii, post Walliã subiugatam, ad Westmonasteriũ veniens rex Eadwardus, præcedentibus, archiepiscopo Cantuar. & suffraganeis suis Episcopis reuestitis, cũ turmis nobiliũ & religiosorũ & popularium comitiuis, portionem dominicæ crucis non modicam, ornatam auro & argento, & lapidibus pretiosis, quam de Wallia secum tulit, ad Westmonasterium, cũ solenni processione & concentu aduexit. His temporibus, conuocatis potentioribus terræ suæ apud Westmonasteriũ condidit rex statuta, quæ Westmonasterii secunda dicuntur, inter quæ iurisdictionem ecclesiasticorum iudicum defalcauit. Et quia antea statuerat, ne religiosæ personæ crescerent in possessione terrena: ne decresceret, nũc sibi placuit ordinare. Apud Wintoniam postmodum, circa festum Natiuitatis beatæ Mariæ, quædam statuta fecerat publicari, ad refrænandum prædonum & latronum rabiem truculentã. Rex Franciæ Philippus, in Arragonia lethaliter vulneratus, in illa obiit regione. Petrus etiam Arragoniæ, similiter vulneratus in bello, postea transiuit ex hoc mundo.

Transitus regis Eadwardi in Franciam, & velatio Ælionoræ, matris eius, in monialem.

Anno gratiæ 1286. qui est annus regni regis Eadwardi 13. Philippus, filius Philippi regis Franciæ, qui dudum in Arragonia diem clausit extremũ, in regem Franciæ coronatur. Iste Philippus post regem Angliæ solennes destinauit nuncios, maxime pro sedanda discordia, inita inter Francos, Arragones, & Hispanos, temporibus patris sui. Erat itaque hic Philippus, filius sororis Petri patris Alfonsi regis Arragonum tũc regnantis, qui Ælionoram primogenitam regis Angliæ, debuit ducere in vxorẽ. Pro huiusmodi, & aliis negotiis fœliciter consummandis, octauo Kalendas Iulii, mare transiit rex Eardwardus, cũ Episcoporum, Comitum, & Baronum, aliorumque nobilium multitudine copiosa. Qui à rege Franciæ, & aliis nobilibus honorifice est susceptus, & iuxta Parisios apud sanctũ Germanum deductus, vbi per tempus aliquod moram traxit, & terras quasdam, quas rex Iohannes, auus suus, perdiderat, petiit, & obtinuit à prædicto rege Francorum decem millia librarum Sterlingarum soluendarum annis singulis ad Turrim Londini, sumptibus regis Franciæ, vna cum quibusdam arreragiis obtinens pro Normannia, quæ sibi iure hæreditario

tario competebat. His diebus Ælionora, generosa virago, regina Anglię, mater regis, apud Ambresburiam, die videlicet Translationis sancti Thomæ Cantuarien. archiepiscopi, habitum religionis, diu desideratum suscepit, dote sua in regno Angliæ sibi perpetuo possidenda, per summum pontificem confirmata.

Rex crucesignatur, Vvallenses arma parant.

Anno gratiæ. 1287. Pridie Nonas Aprilis in vrbe Romana, obiit Honorius quartus, papa. Rex Angliæ Eadwardus, apud Blankeforth in Vasconia, iuxta Burdegalim, post conualescentiam de graui infirmitate, cruce signatur, cū multitudine hominum copiosa, & Christianorum exercitus capitaneus est effectus per legatum Romanæ curiæ, ad hoc missum. Wallenses, instigante quodam dicto Rheso filio Meredeth, rebellare cœperunt, stragesque magnas in populo Anglorum fecerunt. Eadmundus igitur, Comes Cornubiæ, custos Angliæ in regis absentia, versus Walliam cum magno exercitu properauit, volens, sed non valens ceruicositatem Wallensium reprimere per potentiā, quā habebat. Wallenses vero dolositate vulpina se in suis latibulis receperunt: fraudes & dolos, secundū illorū antiquā consuetudinē, machinantes. Angli igitur Castrum de Droslan viriliter obsederunt, vias subterraneas facientes. Sub muro tandē Castri illius, quidam nobiles gradiētes incaute, à muro miserabiliter sunt oppressi. Inter quos famosus miles dominus Gulielmus de Monte * Taniso oppressus succubuit. Thomas de Catilupo, quondam episcopus Herefordensis, qui pro causa ecclesiæ suæ, vt dicitur, quam contra fratrem Iohannem de Peccham, de ordine fratrum Minorum, archiepis. Cantuar. defendere proponebat, in partibus obiit transmarinis. Cuius ossa in ecclesia * supradicta fuerunt tradita sepulturæ, miraculis cœpit coruscare, ita quod infra breue temporis spatium, centum & sexaginta tria miracula pro illo fieri voluit Deus. In Bierna, ciuitate Oloraensi, reges Angliæ & Arragoniæ conuenerunt super liberatione Coroli, principis Salerniæ, cognati regis Angliæ, tractatum diligentem habentes, qui conditionaliter à carcere extitit liberatus. Iste Carolus, filius regis Caroli, contra Petrū Arragoniæ regem in Siciliā duxit exercitū valde magnum, qui tandē captus, in Arragonia carceri tradebatur. Pro cuius detentione, rex Arragoniæ vinculo ligabatur excommunicatiouis. Sed in hac conuocatione regum duorum, per legatum, ad hoc specialiter destinatum, absolutionis gratiam meruit obtinere. In vigilia sancti Iohannis Baptistæ, decem millia Francorum militum, aliorumque virorum fortium, quibus præerat Comes Atrabatensis, cum nauibus & galeis Siciliam ingredi nitebantur, sed dicti regis satellites in piratis pro magna parte dictam multitudinem submerserunt, quosdam vero viuos ceperunt, & eos in carceribus recluserunt. Rex Siciliæ supradictus, fuit filius, sed nothus, Petri, quondam regis Arragoniæ, frater Alphonsi in Arragonia tunc regnantis. Rex Hungariæ in tanta cordis cecidit cæcitate, vt fide Christianorum relicta, se ad errorem Saracenorū transferret, magis eligens Mahumeto seruire, quā Christo. Qui tanta calliditate est vsus, vt conuocatis fraudulenter, quasi ad Parleamētū, in quadam insula potentioribus terræ suæ, ipsisque ad mensam sedentibns, gratia comedēdi, Miramelinus Saracenorum potentissimus superuenit cum viginti millibus bellatorū, regem, vna cum omnibus Christianis congregatis ibidē, in vigilia sancti Iohannis Baptistæ, secum violenter abducens. Itinerantibus namque Christianis, tempus clarum in nubilum est conuersum, subitoque grandinosa tempestas multa millia incredulæ & perfidæ comitiuæ occidit, & Chtistiani ad propria sunt reuersi, cum Saracenis solo rege apostata * gradiente. Hungari igitur ipsius filium coronantes, in fide catholica permanserunt. Eodē anno facta est inundatio maris magna. in magna Gernemuta, & in villis adiacentibus, vt in villis de Martham, de Hikelinge, de Horsey & increuit flumen apud Gernemutā magnam, quod vltra magnum altare in ecclesia eiusdem villæ transcendebat.

† Caniso.

* sua.

* remanente.

Frater Hieronymus, Minor, est mundi modo primus.

Anno gratiæ. 1288. quintodecimo die mensis Febr. frater Hieronymus, de ordine fratrum Minorū, sed presbyter Cardinalis, in summū pontificem consecratur, & Nicholaus quartus vocatur. Hic peritus in Greca lingua pariter fuerat & Latina. In confinio Coloniæ Agrippinæ, Iohannes Dux Brabantiæ, cuius filius Iohānes, Dux futurus, Margaretam filiam regis Angliæ duxit postmodum in vxorem, de Comite Geldriæ, viro vtique nobili & potenti, & dicti Ducis aduersario capitali, fortiter triumphauit. In quo conflictu Archiepiscopus Coloniæ fuit captus, & armatus carcerali custodiæ mancipatus. Insuper multi famosi milites Teutonici perierunt cum gladiis & fustibus, artificialiter præacutis Eodem anno primo die mensis Septembris, obiit Gulihelmus de Midilton

Norwic.Episcopus, cui succeſſit Rodulphus de Walpole,archidiaconus Elienſis.Eodem anno obiit Gulihelmus Prior de Kirkby,cui ſucceſſit Henricus de Lakenham.

Rex redit,eſt læta gens Anglica laude repleta.

ANNO gratiæ 1289.Carolus princeps Salerniæ,per cognatum ſuum regem Angliæ, in Arragoniam venientem,datis obſidibus,liberabatur à cuſtodia carcerali. Tartari, qui & Moalli,poloniæ Ducatum ingreſſi,ab eo in captiuitatem abduxerunt pluſquã 60. millia perſonarum,paucis videlicet Chriſtianis,ſeptem vel octo admodum,interfectis, & vt fertur,Tartarorum conſideratio talis fuit, quod terras ſuas ſteriles redigerẽt in culturam Menſe Septemb.in Terra ſancta,mirabile & flebile infortunium cõtigit Chriſtianis. Soldanus namq; Babyloniæ,cum multitudine oneroſa,obſedit famoſam Tripolis ciuitatem quam proh dolor,cepit,& ſolo tenus finaliter complanauit,nõ ſine maxima effuſione ſanguinis Chriſtiani.In Vituperium inſuper & contemptum nominis Ieſu Chriſti,per ciuitatem deſtructam,ad caudas equorum,ſanctorum imagines iuſſit trahi. Pridie Nonas Auguſti,Eadwardus rex Angliæ de partibus rediit tranſmarinis,in quibus morã traxerat per annos tres,menſes duos,dies 15.Poſtea per Angliam tranſiẽs,ſuos iuſticiarios & miniſtros, qui in ſua abſentia muneribus excœcati, iudicia peruerterunt, & in aliis errauerunt, ſecundum quantitatem tranſgreſſionum puniuit.

Inclyta ſtirps regis,ſponſis datur ordine legis.

† *Vltimo Aprilis.*

ANNO gratiæ 1290. † menſe Maio,Comes Glouerniæ Gilbertus, Iohannam de Acon,& nono die Iulii Iohannes filius Ducis Brabantiæ,Margaretam,virgines illuſtres, filias regis Angliæ,Eadwardi illuſtris,in Conuentuali Eccleſia Weſtmonaſterii duxerunt ſolenniter in vxores.Circa hos dies ſcilicet 31. Auguſti,Iudæorum exaſperans multitudo, quæ per diuerſas vrbes & caſtra fortia habitabat per retroacta tempora confidenter,iuſſa eſt,cum vxoribus & paruulis ſuis,vna cum bonis ſuis mobilibus, ab Anglia cedere circa feſtum Omnium ſanctorum,quod eis pro termino ponebatur,quem ſub pœna ſuſpendii tranſgredi non eſt auſa,quorum numerus erat (vt credebatur)16511. Exierat antea tale edictum à laudabili rege Anglorum in partibus Aquitãniæ, à qua omnes Iudæi pariter exulabant.Quinto Kal:Decembris,obiit domina Ælionora,regina Angliæ,vxor regis Eadwardi,filia quondam potentiſſimi regis Hiſpaniæ Ferrandi,& Weſtmonaſterii, iuxta feretrum ſancti Eadwardi regis &confeſſoris,16.Kal.Ianuarii,tradebatur honorifice ſepulturæ 3.Kal.Decemb.eius anniuerſarium celebratur.Tempore quadrageſimali huius anni cum Alexander,rex Scotorum,vxorem ſuam,filiam Comitis Flandriæ, quam poſt Margaretam,filiam regis Angliæ duxerat in vxorem,nocte quadam per quam obſcura viſitare voluiſſet,ceſpitante equo lapſus,& colliſus grauiter, expirauit. Hic de vxore ſecunda nullam,de prima vero prolem geminam,filium ſcilicet Alexandrum & filiam genuit, nomine Margaretã.Alexander abſq; prole patrẽ immatura morte præuenit: filia vero Margareta,regi Norwegiæ deſponſata,filiã vnicam peperit,nomine Margaretam, quæ matri mortuæ paulo tẽporis ſpatio ſuperuixit.Hanc,conſulto regi Angliæ, magnates Scotiæ recognouerunt dominam & hæredem. Quæ accerſita per nuncios regis Angliæ, cum per nauigium tenderet in Scotiam,in mari infirmata,apud Orcadas inſulas eſt defuncta.

Subditus eſt Scotus,ſed ab Anglis corde remotus.

ANNO gratiæ 1291. magnificus rex Eadwardus,dominium regni Scotiæ eſt adeptus. Die natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ, domina Ælionora, generoſa & religioſa virgo,regina Angliæ,mater regis Eadwardi, quæ in habitu religionis per annos quatuor, menſes vndecim,& ſex dies, laudabilem vitam duxit apud Ambresberi, vbi extitit monialis, diem clauſit extremum, ibique cum honore debito corpus eius ſepelitur, cor tamen Londini apud fratres Minores cum ſolennitate maxima traditur ſepulturæ. Circa prædictum tempus amaritudo amariſſima omnes inebriauit & ſingulos, zelatores nominis Chriſtiani.Nam Milcadar Soldanus Babyloniæ, Saracenorum graui exercitu congregato, Acon ciuitatem munitiſſimã, quæ iuxta loca maritima ſita fuit in confinio Terræ ſanctæ,obſedit,obtinuit,& deſtruxit. O dolor, lamentabilior gemitu Hieremiæ prophetæ.Hic deſtructionem veteris Hieruſalem planxit in threnis, quæ refugium tantum erat proſelitis & Iudæis.Acon autem ſingulare præſidium fuit omnium nationum, orthodoxę fidei legibus ſubiectarum, venientium de longinquis ad vlciſcendam ſui creatoris iniuriam,qui terram promiſſionis ſuis filiis,ipſius nomine inſignitis, iure hæreditario debitam, pretio ſui ſanguinis irrorauit.

Ordinatio regni Scotiæ.

ANNO

ANNO eodem, die Martis proxima post festum Ascensionis domini, Florentius, Comes Hollandiæ, Robertus de Brus, Iohannes de Baiol, Iohannes de Hastinges, Iohannes Comin, Patritius de Dumbar, Ioannes de Vescy, Nicholaus de Seules, & Gulihelmus de Ros, singulariter ius hæreditarium omnes in regno Scotiæ petentes & clamantes, iurisdictioni, ordinationi, & sententiæ domini Eadwardi, illustris regis Angliæ, tanquam summi domini præfati regni Scotiæ, vnanimi consensu, voluntarie & concorditer, se miserunt, sub hac forma. Eadwardus Dei gratia rex Angliæ, & cæt. dilectis sibi in Christo * Priori & Conuentui de Merton, salutem. Mittimus vobis sub sigillo Scaccarii nostri, præsentibus appenso, transcripta, quarundam literarum, quæ in thesaurario nostro residen-
10 tenorem qui sequitur, continentia.

† *Abbati & Conuentui VVestmo.*

A tous iceulx, que ceste presente lettre verrunt ou orrunt, Florence Counte de Holland, Robert de Brus seigneur du Val Danaund, Ian Baiol seigneur de Galeweie, Ian de Hastinges seigneur de Abergeuenne, Ian Comyn seigneur de Badenaw, Patrique de Dumbar, Counte de la Marche, Ian de Vescy pur's en pere. Nichol de Seules, & Guilaume de Ros, saluz en deu. Com nous entendons d'auer droyt en reyaume d'Escoce, & celle droyt munstrer, chalanger, & auerer deuant celuy, que plus de poer, iurisdiction, & reeson, eust de trier nostre droyt, & le noble prince Sire Eadward, par la grace de Dieu, rey d'Angleterre, nous & enforme per bonos & sufisaunt reesons, que aly apent, & auer dict la souereine seignorie, du dict reyaume d'Escoce, & la conisance de oir, trier & terminer nostre droyt. Nous de nostre propre volunté, sans nulle manere de force ou destresse, volons,
20 *otrions, & grantons de receiuer droyt deuant luy, com souerein seigneur de la terre. Et volons ia lemeins, & promettons, que nous auerons, et endrons ferm, & estable son fait, & que celuy emportera le reyaume, a qui droyt le durra deuant luy. En testimoigne de ceste chose, nous auons mis nos seaules a cest escript. Fait & donné a Norham, le Mardi prochein apres la Ascension. L'an de grace MCC. nonante, premerein.*

Omnibus qui has literas visuri aut audituri sunt, Florentius Hollandiæ Comes Robertus Brutius, Vallis Anandiæ dominus, Iohannes Balliolus Gallouidiæ dominus Ioannes Hastingus Abergeuennæ dominus, Iohannes Cominus Badenaw dominus, Patricius Dumbarensis Marchiæ Comes, Iohannes Vescius, qui patris sui vice fungitur. Nicholaus Seulensis, & Gulihelmus Rossus. Salutem in domino. Cum in regnum Scotiæ
30 ius nobis esse intelligamus, idque ius noster apud eum qui potestatis, iurisdictionis, & legitimæ authoritatis plurimum ad causam nostram decidendam habet, demonstrare vendicare & probare in animo habeamus. Cumque nobis illustris princeps Eadwardus, Dei gratia Angliæ rex, bonis & iustis rationibus ostēderit summam in Scotiæ regnum authoritatem & de iure nostro cognoscendi & definienti potestatem ad se spectare. Nos nostra omnino voluntate nulla vi aut necessitate coacti, volumus, decernimus, atque assentimur vt ab eo, tanquam summa regni authoritate prædito, ius nobis dicatur. Volumus etiam & pollicemur, quod ab illo actum erit, ratum id nos atque inuiolatum obseruaturos. Eumque regni dominum & principem fore, ad quem ipso iudice, legitime deferetur. Ad
40 hanc rem contestandam annulis nostris præsentes literas obsignauimus. Datum Norhami, die Martis post Ascensionem proximo. Gratiæ vero anno millesimo, ducentesimo, nonagesimo, primo.

A tous iceulx, que ceste presente lettre verrunt ou orrunt. Florence, Counte de Holland, Robert de Brus, seigneur du Val Danaund, Ian Bailol seigneur de Galeweie, Ian de Hastinges seigneur de Abergeuenny, Ian Comyn, seigneur de Badenaw Patrique de Dunbar, Counte de la Marche, Ian de Vescy, pur's en pere. Nichol de Seules, & Guilaume de Ros, saluz en deu. Com nous emis otrie, & graunte, de nostre bone volunté, & com vne assent sans nulle destresse, a noble prince Sire Eadward, par la grace de dieu, rey d'Angleterre, qu'il come souerein seigneur de la terre d'Escoce pensoit, trier, & terminer nos chalenges, & nos demandes, que nos entendons munstrer, & a-
50 *uerrer pur nostre droyt en la reaume d'Escoce, & droyt receiuer deuant luy, come souereine seigneur de la terre, promettant tale mains que son fete aurun et tenarun ferme & estable, & qui yl emportera le reyaume, a qui droyt le durra deuant luy. Mes pur ceo, que l'auant dict rey d'Angleterre ne pust nule manere conisaunce faire, ne a cōplyer sauns iugemēt, ne iugemēt ne dict estre sans executiō, ne executiō ne peut il feire duement sans la possession & seysine de mesme la terre, & de chasteaus. Nous volons, otrions, grantons, que il come souereine seigneur, a par feire les choses auant dictes, & a la seysine de toute la terre, & des chasteaus a Escoce, tant que droyt soyt feit & perfourmy a demandans, en telle manere, que auant ceo qu'il, & la seysine auant dicte face bone seurte, & sufisaunce as demandans, & a gardeins, & a la commune du royaume d'Escoce, a feire la reuersion de mesme la royaume & ae chasteaus, ou toute la royauté, dignité, seignorie, franchises, constumes, dreitures, leys, vsages & posses-*

sions,& toute maneres de apurtenances en meſmes,le eſtat qu'il eſtoyent, quant la ſeyſine luy fuſt baillé & liuère, a celuy que le droyt emportera par iugement de la royaume, ſaue ou rey d'Angleterre le homage de celuy qui ſerra rey. Iſyut que la reuerſion ſoyt faite dedenz les deuz moys aprez, le iour, que le droyt ſera trié & aformé. Et que les iſſues de meſme la terre, en le ſontenus reſceus ſoyent ſauuement, mis en depos, & bien gardez, par le main le Chaumberleyn d'Eſcoce que ore eſt, & de celuy, qui ſerra aſſigne a luy, de par le rey d'Angleterre, & de ſouz lur ſeans ſauue reuable ſuſtenance de la terre, & des chaſteaus, & de miniſtres du reyaume. En teſtmoigne de ceſte choſes auant dicte, nous anons mis, nos ſeaules a ceſte eſcript. Fait & doné a Norham, le Mecredie prochein apres l'Aſcenſion. L'an de grace M CC nonante premerein.

Omnibus qui has literas viſuri aut audituri ſunt, Florentius Hollandiæ Comes, Robertus Brutius, Vallis Anandiæ dominus, Iohannes Balliolus Gallouidiæ dominus, Iohānes Haſtingus Apergeuennæ dominus, Iohannes Cominus Badenaw dominus, Patricius Dumparenſis Marchiæ Comes, Iohannes Veſcius, qui patris ſui vice fungitur. Nicholaus Seulēſis, & Gulihelmus Roſſus. Salutem in domino. Nos noſtra omnino volūtate & conſenſu cōmuni, nulla vi coacti, illuſtri principi Eadwardo, Dei gratia Anglię regi conceſſimus, vt is tanquam ſumma regni Scotiæ authoritate præditus, de noſtris poſtulationibus, quibus regnum Scotiæ nobis vendicamus, cognoſcat, definiat, & decidat, ab eo tanquam ſummo regni principe & domino iuris deciſionem ſuſcepturi. Polliciti etiā ſumus quod ab ipſo actum erit, id nos ratum & inuiolatum habituros, eumque regni principem ac dominum fore, ad quem ipſo iudice legitimi deferetur. Quoniam autem Angliæ rex, de quo diximus, huiuſmodi cauſæ cognitionem ſine legitimo iudicio habere nō poteſt, iudicium vero ſine ſeruitii executione eſſe non debet, & ſeruitiū, niſi in regni & locorum quæ munita ſunt poſſeſſionem mittatur, exequi non valet: volumus, concedimus, atque aſſentimur vt is tanquam ſumma authoritate præditus, quo res de quibus ante diximus efficiat, in poſſeſſionem totius regni & arcium Scoticarum, donec petitoribus ius dictum, & res ad exitum deducta erit mittatur. Ea lege vt antequam in poſſeſſionem mittatur, petitoribus, & Reipublicæ cuſtodibus, ipſæq; Reipublicæ Scotiæ iuſtam & ſatis amplam cautionē det, ſe regnum, arces, principatū omnem, dignitatem, dominium, libertates, conſuetudines, iura, leges, poſſeſſiones, reſque omnes ad ea ſpectantes, in eum ſtatum & conditionem reſtituturum, quo antequam poſſeſſio trādita eſſet, fuerunt. Eiq; in manus traditurum, cui regiæ dignitatis ius & prærogatiua eo iudicio decernetur. Seruetur regi Angliæ prærogatiua, vt qui rex creabitur, eum ſuperiorem & dominum agnoſcat. Atq; vt ante duos menſes expletos poſt eum diē, quo ius decernetur & conſtituetur reſtitutio fiat. Vt regni redditus qui in interregno percipientur, in tuto deponantur & conſeruentur per Scotiæ Camerarium, qui nunc eſt, eumq; qui per regem Angliæ illi adiungetur, ita tamen vt impenſæ ad regnum, arces, regniq; miniſtros ſuſtentandos, quas præbere æquum erit, deducātur. Ad has res quas ante diximus conteſtandas præſentes literas annulis noſtris obſignauimus. Datum Norhami die Mercurii, poſt Aſcenſionem proximo. Gratiæ vero anno 1291.

Sic mandatum fuit Eccleſie Roſſenſi. Et de hac materia fuſius tractat VValterus Gisburnenſis.

Iſtam regni Scotiæ ordinationem, in foro ſupradicto ordinatam, dominus rex Eadwardus pluribus domibus religioſis, & maxime viris religioſis, Priori & Conuentui de Merton. deſtinari præcepit, vt ad perpetuam rei geſtæ memoriam in Chronicis ſuis facerent annotari. Vnde vobis mandamus, quod eadem faciatis in chronicis veſtris ad perpetuam rei geſtæ memoriam annotari. Teſte magiſtro Gulihelmo de Marchio Thesaurario noſtro apud Weſtmonaſt. nono die Iulii, anno regni noſtri decimo nono. Per breue de priuato ſigillo.

De coronatione domini Iohannis de Bailol, regis Scotiæ.

Anno gratiæ 1292. tertio Nonas Aprilis, Romæ obiit Papa Nicolaus quartus, qui ſedit annis quatuor, mēſe vno, diebus 18. poſt cuius obitum quidam verſificator pro Epitaphio ſic dixit.

Gloria, laus, ſpeculum fratrum Nicholae Minorum,
Te viuente vigent, te moriente cadunt.

Cuius tempore fratres de ordine Minorum papam pro ſole habentes, lunam archiepiſcopum Cantuar. nominantes, cœperunt ſua cornua erigere in vniuerſum orbem, nulli parcentes ordini vel honori in prouincia Anglicana, nam monachos & profeſſores patris Benedicti Wigorniæ & Weſtmonaſter. opido immiſericorditer per potentiam & audaciam infeſtabant, vt adimpleretur prophetia ſanctæ virginis Hildegardis, quæ in tempore beati Bernardi floruit Spiritu ſancto plena, quo docente expoſuit & condidit multos libros

libros,ſcilicet librum Sciuias,librumque vitæ meritorum, ac librum diuinorum operum Homelias etiam ad ignotam linguam cum ſuis literis, cœleſtemq; harmoniam cum aliis ſcriptis,non paucis,atque librum ſimplicis medicinæ ſecundum creationem, octo libros continentem,librumq; compoſitæ medicinæ de ægritudinum cauſis, ſignis atque curis, qui omnes recepti ſunt,atque incanonizati à papa Eugenio,in Concilio Treuerenſi, præſentibus multis Epiſcopis,tam Frãcorum quam Teutonicorum,& ſancto Bernardo Clarauallenſi abbate. Hæc à tempore illo quo erat quinquennis ſpiritum habuit prophetiæ, & prophetare cœpit in tempore illo,quo erat 42.annorum,& 7.menſium. Vnde inter cętera prophetiæ ſuæ opera in libro ſecundo Speculi temporum futurorum, ſiue Penracronon virginis Hildegardis,ſub anno gratiæ 1142.in titulo de nouis religionibus,ſic dicebat ſecundo capitulo,quod ſic incipit. De imminente luce. Iterum audiui vocem dicentem, ô filia Syon,corona capitis filiorum tuorum inclinabitur, & pallium dilectionis diuitiarũ eorum minuetur,quia illud tempus non cognouerunt quod eis ad videndum & ſubditos ſuos ad docendum dedi. Nam & verba ad nutriendum paruulos meos eis data ſunt, quæ ipſis recto & congruenti tempore non præbent, & inde peregrini filii multi fame defecerunt,quoniam recta doctrina non reficiuntur. Vocem quoque habent & non clamant,opera in eis data ſunt,& non operantur,gloriam abſque merito habere volunt, & meritum abſq; opere. Qui gloriam cum Deo vult habere, proprietatem ſuam abcidat, & qui meritum apud Deum habere deſiderat,opus ad hoc exhibeat, ſed quia non facitis, ad ſeruos ſeruorum computamini,& ipſi iudices veſtri erunt, ac libertas veſtra à vobis declinabit. Sicut benedictio à Chanaan,iſta flagella percurrent. Alia autem, & poſtea alia peiora venient. Nam diabolus in ſemetipſo de vobis dicit,eſcas epulantium & conuiuia omnis voluntatis meæ inueniam. Sed & oculi,& aures,& venter, ac venæ meæ de ſpurciciis iſtorũ plena ſunt,& vbera mea plena ſunt de vitiis eorum. Nam ipſi laborare in Deo ſuo nolunt, ſed eum quaſi nihilum computant. Quapropter cum eis incipiam militare,& iucunde cũ eis ludere quoniam eos in agro domini ſui laborãtes non inuenio, quemadmodũ Deus eorum ipſos iubet. Sed ô vos diſcipuli & ſubditi mei, multo plus eis coram populo diſciplinati,& quia tunc eſtis,erigite vos ſuper eos,& omnes diuitias & omnem honorem abſtrahite ab eis, atque omnino ſpoliãtes ſuffocate eos. Hæc diabolus in ſemetipſo dicit,quæ etiam in multis iudicio Dei ita complebit. Sed ego qui ſum audientibus me dico. in tempore illo,cum illud fiet per quendam errantem populum peiorem & errante populo quæ nunc eſt,ſuper vos præuaricantes,præuaricatores ruina cadit,qui vbique vos perſequitur & qui opera veſtra non celabit,ſed qui ea denudabit,& qui de vobis dicet, iſti ſcorpiones in moribus & operibus ſerpentinis. Sed & quaſi in zelo domini de vobis imperabitur: iter impiorum peribit. Nam vias veſtras in iniquitate veſtra & intentionem deridebunt & ſubſannabunt, ſed populus iſte qui hæc faciet, à diabolo ſeductus & miſſus, pallida facie veniet,& velut in omni ſanctitate ſe componet, ac maioribus ſecularibus principibus ſe coniunget. Quibus & de vobis ſic dicit,quare hos vobiſcum habetis, quare eos eſſe patimini,qui toram terram in maculoſis iniquitatibus ſuis polluunt. Iſti ebrii & luxurioſi ſunt,& niſi eos à vobis eiiciatis tota Eccleſia deſtruetur. Populus qui hæc de vobis dicet vilibus capis,quæ alieni coloris ſunt,induitur & recto modo tonſus incedit,atq; omnibus ſuis placidum & quietum hominibus ſe oſtendit. Auaritiam quoq; non amat, pecuniam non habet,atq; in oculis ſuis tantam abſtinentiam imitatur, quod vix vllus ex eis poterit reprehendi. Diabolus autem cum hominibus iſtis eſt,latitare ſub fulgore eius ſe oſtendẽs velut in conſtitutione mundi ante ruinam fuit,& Prophetis aliquantulum ſe ſimilem fecit,& dicit populo: iucunda loquere ſcilicet quia rapida & immunda animalia, & velut me eis oſtendam,ſed nunquam in pennas ventorum fulgurante tonitruo volare volo, & omnibus modis infundere quæ omnem voluntatem meam perficerent,& ſic in hominibus iſtis ſigna mea omnipotenti Deo aſſimilabo. Nam diabolus per aerios ſpiritus hæc operatur,qui praua opera in ſufflatu venti& aeris,ita innumerabiles circa quoſdam diſcurrunt ſicut muſcæ & culices,quæ in ardore caloris homines præ multitudine ſua infeſtent. Ipſe.n.homines iſtos hoc modo infundit,quod caſtitatem eis non aufert, & quod eos caſtos permittit cum caſtitatem habere voluerunt,& iterum intra ſe dicit, caſtitatẽ & continentiã Deus diligit,quod ego in iſtis imitabor. Ac ſic idẽ antiquus hoſtis per aerios ſpiritus eos homines inflat ita quod ab inceſtis peccatis ſe abſtineant: vnde mulieres non amãt,ſed eos fugiunt,& ita quaſi in omni ſanctitate hominibus ſe oſtendent ac illudentib. verbis dicent. Cæteri homines qui ante nos fuerunt,& caſtitatẽ habere volebãt vt aſſum piſcẽ torrebãt. Nulla autẽ pollutio carnis& concupiſcentiæ nos tangere audet,quia ſanẽti

ſumus,

sumus,& spiritu sancto infundimur. Vah,errantes homines qui nunc sunt nesciunt quid faciunt. Sic nec illi qui in prioribus temporibus præcesserunt,nã alii homines qui eo tẽpore in fide catholica errant,istos homines timebunt, & seruili officio ministrabunt, & quantum poterunt eos imitabunturTunc de conuersione istorũ populus gaudebit,quia eis iusti videbuntur. Cũque isti cursus erroris videbunt hoc modo confirmauerunt,doctores & sapientes qui tunc in fide catholica persistunt vndique persequentes expellent. Sed tamen non omnes,quoniam aliqui istorum fortissimi milites in iusticia Dei sunt. Sed & quasdam congregationes sanctorum,quorum conuersatio sancta est, mouere non poterunt. Quapropter principibus & diuitibus consilium dant, vt eosdem Ecclesiarum magistros ac reliquos spirituales homines, scilicet subditos eorum fustibus & virgis coercerent,quatenus iusti fiant & in aliquibus hoc complebitur. Vnde alii veriti contramuscent secundum illud scilicet,quod Heli dictum est. Multi iustorum seruabunt,qui in erroribus istis non confundentur, vt fundamentis suis destruantur. Seductores autem isti in inceptione seductionis erroris sui mulieribus dicent. Non licet nobis vobiscum esse, sed cum rectos doctores non habetis,& quæcunque vobis dicimus & præcipimus,facite & saluæ eritis,& hoc modo fœminas sibi contrahunt & eas in errorem suum ducunt, vt & ipsi in superbia tumentis animi dicant,omnes superauimus. Qui tamen postea eisdem fœminis secreta fœminea cõmiscebuntur, & iniquitas & secta eorum denudabitur. Sed qui sunt dico,sic iniquitas iniquitatem purgabit,& super vos ducetur,sicut scriptum est. Posuit te-
† eius. nebras latibulum suum in circuitu tabernaculi † sui tanquam in nubibus aeris. Nam Deus opera vestra praua,quæ absque luce sunt, constituet ad vindictam, in qua se à vobis sine adiutorio absconder,quoniam æquitatem super nos clamauit, sed vos iniquos dicet. De cœlo enim lex & doctrina est,in quibus habitare debuistis,si ornamentum virtutũ & redolens hortus deliciarum essetis. Sed malum exemplum in mentibus hominum estis, cũ riuulus bonæ famæ de vobis non fluit,ita quod nec cibum ad vescendum, nec vestimentum ad cooperiendum in recta respectione animæ habetis,sed iniusta opera absque bono scientiæ,vnde honor vester peribit,& corona de capite vestro cadet. Sic iniusticia iusticiã prouocat & quærit,& perscrutatur omnia scandala, sicut scriptum est: vę homini illi per
*scandala. quẽ scandalũ venit. Nam oportet vt per * tribulationes & cõtritiones praua opera hominũ purgentur: sed tamen multæ ærumnæ & illis accumulantur,qui aliis impietate sua miserias inferunt. Infideles autem homines isti,& diabolo seducti, scopa vestra erunt ad castigandum vos,quia Deum pure non colitis,&tam diu vos cruciabuntur quousq; iniusticiæ & iniquitates purgentur. Isti autem deceptores non sunt qui ante nouissimum diem venturi sunt,& cum diabolus in altum volauerit,vt ipse initio contra Deum pugnare cœperit,sed præcurrens germen eorum sunt,sed tamẽ postquam ipsi in peruersitatibus Baal, & aliis prauis operibus sic inuenti fuerint,principes & alii maiores in eos irruent,& veluti
iusticia. rapidos lupos eos occident vbicunque eos inuenerint. Tunc aurora vestra iniusticiæ & nouissima vestra meliora prioribus erunt ac de præteritis omnibus timorati eritis,& quasi purissimum aurum fulgebitis,& sic per longa tempora permanebitis. Nam prima auro-
† speciali. ra iusticiæ in † spirituali populo,tũc surget vt primitus cum paruo numero incepit,nec ipsi multas facultates nec multas ciuitias habere volunt,quæ animas occidunt, sed dicent, vę nobis quia peccauimus. Ipsi namque de præterito timore,& de præterito dolore,ad iusticiam confortabuntur,quemadmodũ Angeli in casu diaboli& amore Dei confortati sunt, & sic postea in humiltate viuent, nec prauis operibus Deo rebellare cupient, sed à multis erroribus purgati deinceps infortissima vi rectitudinis persistent. Hic terminatur secundum capitulum secundi libri pentacronon, siue Speculi temporum futurorum beatæ virginis Hildegardis. Hanc epistolam inseruimus huic operi, quia multi non habent libri superius annotati copiã vel exemplar. Et vt intelligant hanc legentes,quod spiritus vbi vult spirat,& quæ ventura sunt annunciat per breue spatium temporis sequentis, sole fratrum Minorum obscurato,per mortem papæ,qui erat eiusdem ordinis, vt superius est expressũ Luna patiebatur eclipsim: Archiepscopus namque Cantuar. cuius sapientia ante obitum suum fuerat totaliter deuorata,qui in prosperitate sua multos abiecerat & contempsit, & maxime professores ordinis beatissimi Benedicti,sine planctu monachorum in hoc anno obiit. In hoc anno à clericis & laicis quintam decimam partem omnium bonorum suorũ, tam spiritualium quam temporalium domino regi in subsidium Terræ sanctæ rex taxauit, & concessa est & prætaxata ad vnguem. His temporibus est exacta decima, vna cum decima debonis clericorum ei assignata in Romana curia per sex annos. Rhesus filius Meredeth, Wallẽsiũ potẽtissimus, fidelissimus prius regi Anglorũ postea sequissimus persecutor, qui-

qui diu latuerat inter montes Walliæ & ſpeluncas, captus à regis fidelibus ad Beruicum in confinio Scotiæ eſt adductus, ibique ſecundum ſua demerita eſt punitus. Suſcepit nanque punitionem duplicem proditoris & latronis, quia tractus ad caudas equorum ſuſpendio periit. His diebus quidam nobilis nomine Iohannes Bailol, iura regni Scotiæ, cum corona annuente rege Angliæ per decretum cepit. Ita quod fidelitatem & ligeum homagium regibus Angliæ faceret & ſui facerent ſucceſſores. Obiit piæ memoriæ dominus R. Burnel, Barhon. & Wellen. Epiſcopus, & Angliæ Cancellarius. Cui ſucceſſit magiſter Gulihelmus de Marchia, Theſaurarius regis de Scaccario Weſtmonaſter. poſt obitum Iohannis de Kirkby, Epiſcopi Elienſis.

Bellum nauale, fit Normannis generale.

ANNO gratiæ. 1293. orta eſt diſcordia magna nimis inter Anglos & Normannos. Maritimi etenim Normannorum in impetu furoris ſui, ſiue erroris, quoſdam de Anglis diuerſis mortis generibus trucidarunt, aliis ſuper virgam mali nauis cum canibus ſuſpenderunt. Quod Barones Quinque portuum moleſte ferentes, parauerunt celeriter naues ſuas cum omnibus naualibus *ornamentis ad vlciſcendam iniuriã Anglicorum. Et tranſilientes turgida terga maris in multitudine copioſa, aduerſarios ſuos, ſibi obuiam venientes, gladiis peremerunt, & in mari, abſque delectu conditionis, eorum cadauera proiecerunt, nec vnum ſolum ſuperſtitem dimiſerunt, & eorum vaſa, vina & alia neceſſaria continentia, reduxerunt ad propria cum contentis, inter ſe naues & ſpolia diuidentes. De quibus rex Angliæ nihil recipere voluit, quaſi eorũ non conſentiens voluntati, pro eo quod abſque eius præcepto, talia perpetrarunt. Frãcigenæ igitur territi & turbati, adiuerunt dominum regem ſuum, auxilium poſtulantes. Mittuntur igitur nuncii inter reges pro pace firmanda. Sed nondum ſtatim finis potuit ſuſpicari, niſi quod regnum aduerſus regnum inſurgeret, inſtigante fratre regis Franciæ Carolo, viro vtique nobili & potenti. Veruntamen in mari manus præualuit Anglorum. Timentes interea pellibus Ciſtercienſes abbates, qui ſine diſcordia de termino in terminum, in Burgundia ſuum principale monaſterium viſitare ſolebant, de partibus Anglicanis venientes ad mare, auditis ſiniſtris rumoribus, ad propria ſunt reuerſi, à ſuis patribus licentia non obtenta, pro eo quod ab epiſcopo Londinenſi & aliis nunciis regis Angliæ, à rege Francorum reuertentibus, apud Doueriã rumores terribiles audierunt. Sed ſcholares, Pariſiis ſtudentes, cum aliis ſtudentibus Angliæ, ad natale ſolum ſimiliter ſunt reuerſi. Dum his igitur turbinibus regna Angliæ & Franciæ quaterentur, quidam nobilis Comes, videlicet Barrenſis, cuius poteſtas ex parte magna ab Imperio dependebat, pro domini regis Angliæ filia primogenita, nomine Ælionora, ſibi in matrimonio copulando, non ſine nobilium militum, & aliorum multitudine copioſa aduenit, quem rex honorifice ſuſcipiens, per dies aliquot ſecum circumduxit.

† armamentis.

Qualiter rex Angliæ citabatur per regem Francorum, Pariſiis.

EOdem anno, circa feſtum ſancti Andreæ apoſtoli, rex Francorum Philippus direxit regi Angliæ literas citatorias, vt perſonaliter Pariſiis ad parleamentum ſuum accederet, reſponſurus quæſtionibus ac legitimis cauſis, quas idem rex, & ſui Pares propoſiturí erant aduerſus eum, in hæc verba. Philippus Dei gratia Francorũ rex, Eadwardo eadem gratia regi Angliæ, conſanguineo ſuo, tenenti Ducatum Aquitaniæ, ſalutem. Cum notorium ſit & manifeſtum, per rei euidentiam, adeo quod nulla poteſt tergiuerſatione celari, quod homines de *Baiona, coadunatis ſibi quamplurimis aliis, qui de regno veſtro Angliæ aſſumptis nauibus & armis, ac hominibus armatis in magna multitudine, ibidem palam & publice collectis, vobis non inſciis, vel ſaltem probabiliter ignorare non valentibus, exierunt, animo nefando homines ac ſubditos noſtros de Normannia, & de quibuſdam aliis partibus regni noſtri, tam in terra quam in mari, in locis etiam noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, nequiter inuaſerunt, innumeros ex eis inhumaniter occidendo, ſtragẽque horribilem eis faciendo, multos ex eis capiendo, & adhuc captos detinendo, ac coſdando, confractis quampluribus ex dictis nauibus, & ſubmerſis, ſpretis & contemptis prohibitionibus, & mandatis noſtris, factis & propoſitis ſolenniter & publice, ac palam editis Burdigali & Baioniæ & in multis aliis locis, ne aliquis prædictis, vel aliis quibuſcunque ſpecialiter, per terram vel mare vehentibus merces ſuas, præſumeret foriſfacere, ſeu alias offendere quoquo modo. Naues etiam ſuperſtites, & omnes merces ad regnum veſtrum Angliæ tranſuehendo, quas in veſtra iuriſdictione receptaſtis, & adhuc receptas ſciẽter, & per nuncios noſtros ſuper eorundem exiſtitentiũ & apparentiũ reſtitutione requiſitis ſufficienter, reſtitutionẽ facere non curaſtis, ſed potius contempſiſtis, licet vobis ex parte

† Baroniã regni noſtri.

noſtra

noſtra fuerit oblatum,quod ſi qua exiſtentia,vel apparentia, per homines regni noſtri capta detinerentur,de bonis ſubiectorum veſtrorum,de his reſtitutionē vobis fieri faceremus.Cumque notorium ſit,& manifeſtum ſimiliter,qd' quam plures dictorū hominum de Baionia,adiunctis ſibi nonnullis malefactoribus aliis,villam noſtram de Rupella proditionaliter inuaſerunt,inſultus quamplures in eam faciētes & habitatores ipſius,quoſdā etiam occidentes ex eis,& alios multipliciter damnificantes: eoſdem nos, cum exceſſus & facinora prædicta non poſſumus conniuentibus oculis pertranſire,vobis vel locum veſtrum in Vaſconia, & Baionia tenentibus,quod certum numerum dictorum hominū de Baionia,per vos vel prędictos,locum veſtrum tenentes,in perſona noſtra Petragorum mitteretis infra terminum iam elapſum,pro faciendo quod ratio perſuaderet,& iuſtitia poſtularet, præcipimus.Alia quædā mandata ſuper prædictis,per patentes literas noſtras ſufficienter fecimus iniungi,quibus iniunctionibus & mandatis parere, contumaciter & contemptibiliter eſt neglectum. Cumque ex certis & legitimis cauſis ſeiſiri mandauerimus ciuitatem Burdegalim terram Agendici,& totam aliam terram,quam infra Seneſcalliæ noſtræ Petragori metas,in Petragorionio,Caturinio,Lemouico,gentes veſtræ nomine veſtro tenebant,& locum veſtrum tenentes in prædictis locis,gentibus noſtris dicti mandati noſtri ſine armis executioni demandantibus inobedientes fuerunt contumaciter, & rebelles,& adhuc in rebellione perſiſtūt, mādatis noſtris,& gentib.noſtris nō parētes.Sed quod grauius eſt ferendū,ciuitates,caſtra,villas,& loca dictæ terrę, cōtra nos munierūt,inforciāt,tota die volētes,quaſi modo hoſtili,iuſtificationi noſtrę feodi reſiſtere nec quędā caſtella,nec fortalicias,quæ ab eis ex certis & legitimis cauſis per gentes noſtras requiri fecimus,reddere voluerunt, ſiue ea reddere noluerunt, ſiue ea reddere contemptibiliter recuſarunt,& gentes terræ illius ad reſiſtendum nobis & noſtris,in viis & itineribus concitauerunt,concitāt & inuitant,contra nos gentes ipſas iuramentis propriis aſtringentes,& in aſſiſis literas ex parte veſtra propoſuerunt publice,& dixerunt,quod nobis nec gentibus noſtris in vllo pareatur. Imo ſi gentes noſtræ iuſtificando, ſicut ad nos pertinet,aliquid ſeiſiant,capiant,vel explectent,vel ſeiſire vellent, capere, vel explectare quod fierent,vel fiant gentibus noſtris violenter recuſſæ, quæ iam in multis locis intemporabiliter infligendo,gentes noſtras cum armis turpiter expellendo,verberando, & de terra illa violenter eiiciendo,& alios violenter pertractando,in prædictis & pluribus aliis ſeditionem publicam contra nos,& ius noſtrum regium facientes,in præiudicium ſuperioritatis noſtræ,& læſionē regiæ maieſtatis,quæ tam diu, & tam notorie perpetrata ſunt, & adhuc tota die perpetrantur, quod horum ignorantiam vos habere veriſimiliter non poteſtis.Cumque publica referente fama,ad nos peruenit,quod poſt appellationes multas,& à multis locum veſtrum tenētibus ad curiā noſtram, interpoſita occaſione appellationum in magnū & graue præiudicium ſuperioritatis,& iuriſdictionis noſtræ contēptū appellatos ipſos à iuriſdictione noſtra,propter eaſdē appellationes exēptos,irrationabiliter & crudeliter,nulla humanitate ſeruata,ſed ſpreta reuerentia nobis debita,tractauerūt capiendo,& diſtrictis carceribus mancipando,videlicet Grimbaldū de Tyſano,Bernardum de Raunhano,Andream de Bayſac, Bonafuſum de Coceti,dictū Ros,& quamplures alios bonis ſuis omnibus ſpoliando,& de ſuis domiciliis,locis & hæreditatibus expellendo,mutilando,dictum Garſiam&quamplures alios ſuſpendendo,Arnoldum de Bordis,Bernardum Pelliternum,& quendam vocatum Formage,& in gulis eorū furcas imponendo,& aperte poſt omnes chordis ligādo, ne loqui poſſent,ſeu appellare,aut appellationes ſuas renouare, inhibendo ſub pœna ſuſpendii quibuſdam notariis,requiſitis ab ipſis appellātibus vt ſupradictis appellationibus publica confecerunt inſtrumenta,ne huiuſmodi inſtrumenta facerent,videlicet magiſtro MartinoMercerio,& plurib.aliis,alioſque incarcerando,eos detinendo,pro eo quod dicebant, quod à Seneſcallo veſtro Vaſconiæ,& de tota terra Agen.ad nos licitum erat appellare,videlicet magiſtrum Reimūdum de Lacuſſano aduocatum de Agen.& quamplures alios diuerſorum tormentorum generibus cruciando.Hinc eſt,quod vobis præcipimus,& mandamus ſub pœnis quas potuiſtis incurrere,& poteſtis,quatenus viceſima die inſtantis Natalis domini,quam vobis peremptorie Pariſiis aſſignamus,compareatis coram nobis,ſicut debebitis,& deberis & ſicut tantorum facinorum & exceſſuum qualitas exigit,& requirit ſuper dictis omnibus, quorum cognitio ad nos pertinet & prædicta tangētibus,& quæ poſſunt ſequi ex eis, &omnibus aliis,quæ contra vos proponenda duxerimus,reſponſuri,iuri parituri,& quod iuſtum fuerit audituri,& etiam recepturi. Significantes vobis tenore præſentium,quod ſiue dictis,die & loco,compareatis,ſiue non, nos nihilominus procedemus,prout debemus

mus,vestra non obstante absentiã. Datur Parisiis,& cæt. Istud mandatum, quia rex Angliæ minime est prosecutus,mox vniuersali Parium arbitrio, ab omnibus terris in regno Francorum præhabitis, extorris abiudicatur & exhæredatur. Sed regis Anglorum fidissimus, ac intrepidus ille miles, videlicet Iohannes de sancto Iohanne, terras domini sui viriliter ab insultu,& ab irruptione Francorum ad tempus sæpissime defendebat. Volens igitur rex Angliæ dolores suos remediare,de quodam matrimonio contrahendo mẽtionem clam facit,gratis offerens partem Vasconiæ,& quædam nominata castella in manus regis Philippi, per spatium quadraginta dierum,si pactum consequeretur effectum. Missisque literis credentiæ,per magistrum Iohannem de Lacy, Iohanni de sancto Iohanne, volens,vel nolens,cedit antedictus Senescallus Vasconiæ,subintrat rex Franciæ præconcessa in præiudicium regii honoris præuaricans. Insuper apponens iniquitatem,super iniquitatem, Anglos à finibus Galliæ expellebat. Exulabant ergo dominus Eadmundus, frater regis Angliæ,qui mediator fuerat pacis reformandæ inter vtramque partem,& vxor eius,videlicet regina Nauarriæ,cum vniuersa familia Anglicana, dilectas mansiones relinquentes,vsque ad natale solum successerunt. Illo quoq; anno,Iusticiarii itinerantes, in die sanctæ Catharinæ apud Veterem crucem lapideam Westmonaster. confederũt. Hoc anno,obiit Iohannes de Pecham, archiepiscopus Cantuar. Cui succedit magister R. de Winchilseæ,archidiaconus Essexiæ.

Wallia calcatur, præsul nouus in cathedratur.

Anno gratiæ 1294. Eadwardus, rex Angliæ, tenuit Parliamentum suum apud Westmonaster. post festum Pentecostes. Cui interfuerunt Ioannes rex Scotiæ & omnes magnates Angliæ, vbi recitabantur,in auditu ibidem existentium,motiones & continuationes huius guerræ,insuper legationes,& sponsiones pacis Angliæ reformandæ. In quo etiam vnusquisque legatorum domini regis, pro posse suo,manum suam exposuit bona fide. Denique in hoc assentiunt omnes, recuperare Vasconiam vi & armis. Tunc rex Scotiæ concessit regi Angliæ,per triẽnium,omnes terras suas,quæ sibi iure hæreditario competebant in regno Angliæ,in subsidium Vasconiæ adipiscendæ, regno Scotiæ solummodo contentus. Cæterique Comites,& magnates de facultatibus suis auxilium pollicentur. Interdicitur igitur ilico meatus marinus,hinc mercatores magnum dispendium incurrerunt, tuiuc indies augebantur charistiæ annonæ in finibus Anglicanis. Animaduertens autem rex Angliæ potentiam regis Franciæ,nec non Francorum fraudem,malitiam solitam & antiquam,& cogitans apud se ea,quæ securitatis sibi sunt,vel esse poterint in futurũ mittit legationes ad cõprouinciales,& circũiacentes reges & principes,vt sibi in necessitatibus sui subueniãt,cum locum & tempus viderint opportunum. Interea mittit rex Arragonum, quatuor de optimatibus suis, viros vtique nobiles & præclaros, qui per mediam Galliam transeuntes,cum xeniis pretiosis, & si non publice, tamen caute, præcedentibus eos,aut sequentibus, nescio,quibusdam in forma pauperum,eorum literas baiulantibus, in Angliam applicuerunt sani & incolumes,domino sic fauente. Qui ante regem adducti,grauissime sunt admissi,& apertis thesauris suis obtulerunt ei munera pretiosa. Sed quod magis rex acceptabat, epistolas domini sui signatas annulo regio & sigillo. In quibus exaratum fuisse refertur, quod quocunque tempore moueret rex Angliæ exercitum suum contra regem Franciæ, rex Arragonum non immemor iniuriarum patri suo & regno eius illatarum,à genitore regis Galliæ,ad se vlciscendum cum manu forti militum armatorum,debellaturus Francorum acies,festinaret. Quibus auditis, gauisus est rex, introducensque eos in palatium suum, omnem humanitatem præcepit eis regaliter exhiberi. Cumque per dies aliquot morarentur,& ex gazophylacio regis affluenter remunerati fuissent,accepto responso à regalibus sedibus,per iter,quo venerant,ne redirent, per aliã viam in regionem Arragonum sunt reuersi. His ita transactis, Eadwardus rex Angliæ destinauit archiepiscopum Dublinensem,& Episcopum Dunelmensem, & quosdam valiores de regno suo, ad regem Alemanniæ, cum regiis donariis, & xeniis pretiosis, vt qui sibi prius affinitate non erat annexus, virtute tamen crucis numismatis indissolubili fœdere suis temporibus vniretur. Quibus illuc transuectis, & à rege honorifice susceptis, ancillante imo principante summa centum millia li. de Sterlingis, omni difficultatis obice profugato, prosperatum est opus in manibus eorum, pro quo venerant satis bene. Sicque factum est, vt pacto inito & firmato fierent amici,& correlatiue dilecti,rex Angliæ & rex Alemanniæ,qui prius incogniti fuerant & inuisi. Nuncii vero regis Angliæ regi Alemanniæ valefacto, in Angliã cum gaudio reuertẽtes, ea,quæ facta fuerant,domino regi Angliæ nunciarunt. Illo quoque tempore,videlicet Dominica secunda, mensis Iulii

factum est scrutinium execrabile,& sacrilegium horrendum in Ecclesia Dei,per vniuersum regnum Angliæ, quale non fuit, nec fuisse creditur multis temporibus retroactis. Quod quidem scrutinium, vt credimus, non emanauit à conscientia domini regis. Sed author potius huius facti, fuit magister Gulihelmus de Marchia, tunc temporis domini regis Thesaurarius, qui in hoc facto non Bathonienſis Episcopus dici debuit, sed tyrannus,non defendens Ecclesiam, sed offendens. Ille siquidem facit, cuius authoritate fit. Et quia sic templum domini violauit,caueat sibi ab anathemate sancti Pauli, dicentis. Si quis templum domini violauerit,disperdet illum Deus. Morabatur autem tunc temporis rex Angliæ apud Portesmuhe, à festo Natiuitatis sancti Iohannis Baptistæ, vsque ad Exaltationem sanctæ Crucis,opportunitatem vēti semper expectās. Erat enim per totum prædictum tempus sibi & populo contrarius. Ad augmentandum igitur rex exercitum suum,mandauit liberationem omnibus vinculatis, profligatisque pacem,& etiam profugis nunciare,si ipsi in prima transfretatione vellent cum regis fidelibus transfretare, qui etiam omnes gauisi vnanimiter spoponderunt. Confluebant quidem mox ad regem multa millia de talibus,& post pusillum murmurantes aduersum patremfamilias pro denariis diurnis,recalcitrando discesserunt à regiâ clientela. Tactus igitur rex dolore cordis intrinsecus, & præcauēs in futurum, iurauit ex eo tempore nunquam huiusmodi literas dimissorias talibus concedere sceleratis. Illo quoque tempore, dominus Iohannes de Samford, Archiepiscopus Dublinensis,graui ægritudine correptus,viam vniuersæ carnis est ingressus. Eodem quoque anno,monachus quidam,Petrus de Murone, ordinis sancti Benedicti, in solitudine heremi * multis temporibus educatus,in ciuitate Aquiliæ electus,& creatus est in summum pontificem,in die Decollationis sancti Iohannis Baptistæ, & papa Cœlestinus quintus nominatur. Hic vir simplex,rectus,& timens Deum, virtutibus coruscabat. Equum,vel mulum versus curiam ascēdere non prēsumpsit,sed asinum, de quo cum descendisset,& Ecclesiam ingressus esset,clamauit quidam contractus, vt ipsum desuper asinum,super quem papa sederat,imponerent intuitu charitatis. Et qui præsentes erant,increpabant eum, vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat,amore filii Dauid,qui super pullum asinæ Hierusalem valuas sanctificando intrauerat, quatenus ipsum supra dorsum asini leuarent. Res mira. Impositus contractus, ilico recepit sanitatem, & consolidatis basibus,& plantis,exiliuit,qui claudus fuerat,laudans Deum in serui sui meritis Cœlestini. A quo magister Robertus de Winchelse,Cantuariensis electus, cōfirmatus est, & in archiepiscopum consecratus. In vigilia sancti Matthæi apostoli coadunatis clero & populo apud Westmonast. postulat rex à tota ecclesia,per totum regnum Anglię locata,medietatem omnium bonorum,tam temporalium quam spiritualium. Quo audito,& à seculis inaudito,pontifices,& prælati conturbati sunt,& conterriti,& præ angustia spiritus gementes,regemque offendere,& ei contradicere non audentes, sed votis regiis annuentes,ei prædictam medietatem omnium bonorum suorum, vno anno prouenientium, concesserunt. Quam quidem medietatem,si prius prudētius & melius cogitassent, sede apostolica inconsulta,regi concedere non prēsumerent vllo modo. Indictis ergo huius solutionis certis terminis,& præfixis,ad propria sunt reuersi. Nec mora, soluta prima portione iuxta taxationem decimę prætaxatæ,prēcepit secularium militum bona taxari, & * sibi per Angliam decimari. Mercatoribus, & ciuibus commorantibus in ciuitatibus muratis,& villulis nundinariis,senarium denarium ex omnibus,quę possederant,eius necessitatibus indixit persoluendum. Dicitur etiam quod magister Gulihelmus de Monte forti, Decanus Ecclesiæ sancti Pauli, Londin. sanus & incolumis ad curiam veniens, vt regis animū mitigaret,aut saltem tale iugum importabile seruitutis,sicut bonus Ecclesiæ filius leuigaret,& approprians ante regem, vt sermonem conceptū,pro quo venerat exponeret,repente labiis obmutescens,viribus corporis destitutus, coram rege corruens, spiritum exhalauit. Hoc vero rege conniuentibus oculis prætereunte, & in petitione sua instantius perdurante,adhuc absconditū erat quantū persolueret quisquis regi. Hinc diuersis diuersa fabulantibus,ac in dies mutuo,sic vuam acerbam masticantibus, congregatis tandem in refectorio monachorum Westmonast. surgens vnus miles, Ioannes de Hauering dictus,in medio eorum,dicebat: viri venerabiles postulatio regis hæc est. s. Ecclesiasticorum vestrorū,puentuū medietas annualis. Cui,si cōtradixerit quis assurgat in medio cœtu, vt agnita persona eius ascribatur,tanquam regię pacis reus. Quibus auditis,conturbati singuli prælati cupitis protinus paruerunt. His ita gestis, vergente huius flebilis anni cursu ad occasum,Cœlestinus papa,contemplatiuæ vitę cum Maria optimā partē eligens cuius iam pastus dulcedine haud modice saginatus est,in medio fratrū se obiiciens, birerū & pal-

* longissimis

† fisco regio.

& pallium exuens, abrenunciando honori & oneri, fauori, & diſcrimini, propter mundanarum rerum curas, recuſabat diutius præſulatum regere Romanorum, aſſerens ſe ipſum minus idoneum in tanto opere proſequendo. Profecto filii huius ſeculi prudentiores, filiis lucis, in generatione ſua ſunt. Veruntamen adiurauit eos in nomine ſanctę ac inuiduæ Trinitatis, vt ſine omni diſſenſionis intercapedine eligerent virum induſtriũ, & vtilem, qui ad honorem Dei & propriam ſalutem, hoc onus ſuſciperet gubernandum. Requiſitusq; à fratribus de aſſenſu, & iudicio alicuius dignæ perſonæ, quoniam tanquam virum iuſtum & ſanctum ipſum habuerunt, nominauit quendam nomine Benedictum, virum ſolertiſſimum præ cæteris, in curia Romana ſæpius conuerſatum. Erat enim iſte Benedictus Gagitanus, primo procurator, deinde aduocatus, poſtea notarius, cõſequenter diaconus Cardinalis tituli ſancti Nicholai in carcere Tulliano. Tũc fratres, viſo quod recte iudicaſſet, exaltatum Benedictum, in feſto ſancti Hilarii, in ſeniorum cathedra locauerũt, nomine Benedicti de bono mutato in melius, Bonefacius eſt vocatus. Circa prędictum tempus, dum corda multorum quaterẽtur, intimatum eſt auribus regis, Wallenſes iterum malignari, qui toto malignitatis ſpiritu debacchantes, noua flagitia veteribus addiderunt, tum pro inſueto iugo eis impoſito & grauato, tum pro exhibitione ſumptuũ, eo quod minus ſufficiens videbatur in oculis quorundam, dum * referentur, ad bellum impetũ vnanimiter fecerunt in Centurionem ipſorum, quendam nomine Rogerium de Pyueleſdon, & quoſdam alios de noſtris ſuſpendentes, in regis opprobrium non modicũ & contemptum, alii villas, & oppida ſuburbana ignibus incendentes, alii rapinis & cædibus intendentes, plurima dãna noſtris Anglis intulerunt. Quemq; Rogerium, illuc ad exequendum mandatum regium deſtinatum, expoliauerunt, & eum diu ſuſpenſum poſtea decollauerunt. Quibus rex auditis, à Weſtmonaſt. diſcedens in craſtino ſancti Britii verſus Walliam properauit, congregans exercitum copioſum, vt gentem illam, tam ſacrilegam & prophanam, penitus ſubuerteret, & ſuo dominio * manciparet. Et arripiens iter, cum omni feſtinatione, fortitudine & militia bellicoſa, verſus Snaudunam mouit exercitum ſuum, & ordinauit in circuitu Walliæ ad inimicos ſuos viriliter expugnãdos. Ad cuius acceſſum fugientes, tanquam à cõſpectu colubri, abdita ſyluarum diuerticula queſierunt. De exercitu vero regis Angliæ, pro ſoli inæqualitate, aeriſque intemperie, nec non profundarum paludum vligine, lienteria laceſſitis, milleni homines deficientes ſpiritum exhalabant. Veruntamen ex ſatellitibus Wallenſium, extra nemorum dẽſitates repertis, per turmas ſuas, centenos & cẽtenos, multoq; plures, acies gladii deuorauit. Et paulo poſt captus eſt Conanus, incenſor malorum, & prædo nominatiſſimus inter Wallenſes, & ad Hereforden. ciuitatem tranſmiſſus, in die ſancti Matthiæ, caudis equorum tractus, cum duobus aliis, ſibi adhærentibus, ſuſpendio expirauit. Similiter & duo alii eius miniſtri iudicia acceperunt. Poſt hæc Morganus de tribu Wallenſium, qui contra Comitem Gloueriię calcaneum ſuum leuauit, & alter nomine Madocus, vocalis princeps eorum, compertoq; fortior eſſet dextra pars regis exercitus, & quod vires omnes, totumque pondus prælii in ipſos moliretur, amiſſo latenti effugio, terrore percuſſi, regem de pace cogitant conuenire. Et primo Morganus ditioni regis ac voluntati ſe ſubmittens, miſericordiã potius quam iudicium eſt adeptus. Quo viſo, pœnitentia ductus Madocus, clementiam regiam ſimiliter requirendo, pacem obtinuit, impunito ſaltẽ corpore cuſtodiæ Turris Londin. mancipato. Receſſit ergo rex à partibus illis, ſubiugatis rebellium collis, mulctatis etiam illis ſceleratiſſimis pœna coæquali, qua Rogerium de Pyueleſdune damnarãt, firmãs locum de Angleſeie nouis turribus. Et quieuit terra paucis diebus. Hæc dum complerentur, cohors procerum, ac robuſtorum militum de regno Angliæ verſus Vaſconiam vela dirigens, inſulam quandam, cui nomen * Oleron, cum magna difficultate nacta eſt. Exinde in Vaſconiam appulſa, fauentibus * oppidanis, qui adhuc proprio domino ſuo regi Angliæ, toto corde adhæſerunt, in munitas ciuitates, inuitis Francorum cuſtodibus, eſt admiſſa. Ex hoc autem ira excandeſcens Carolus, frater regis Franciæ, congregata infinita loricatorum manu, municipiũ de Ryons, in quo pars gentis Anglicanæ ſibi aſylum conſtruxerat, repente obſedit, ac obſeſſos non ſine ſuorum detrimento fortiter expugnauit, captis, proh pudor, militibus circiter 13. Anglicanis, & Pariſiis cuſtodiæ liberali mancipatis. Sed qui non patitur ſuos, ſupra id quod poſſunt anxiari, oſtendit Anglis vnde poterant conſolari. Iſtis nempe diebus, commilitones maritimi Angliæ, dum aduerſarios ſuos longius arcere ſatagerent, obuiarunt 26. Hiſpanorum nauibus, diuerſarum mercium opibus oneratis. Cum quibus cõmittentes prælium, biduo durans, ictus leriferos in alterutrum impreſſerunt, hinc quidam telis baliſtarum perforati corruunt, iſtic alii mole miſſilium

† reſenſerentur.

* ſubingaret.

† Cleroun.

† incolis.

traiecti succumbunt. Et quoniam periculosa est desperatio, & varius euentus belli, nunc hos nunc illos gladius perimebat. Tandem, fauente Marte, cæsis Hispanis, & quibusdam terga vertentibus, 15. rates eorum, cum contentis ad tutum portum Angliæ prouexerunt. Hoc etiam anno, lanæ à finibus Angliæ in Alemanniam sunt traducti. Cætera vero dispendia, quæ inexpugnabilis manus Gernemuthensis exercuit, Francigenis inferendo, quis enumerabit? Hi lustrantes confinia Normannorum, nulli parcentes conditioni, sexui, aut ætati, rogo patriam illuminantes, manus prædis & discrimini laxauerunt. In illo tempore non erat rex, neque lex nautis posita, sed quod quisque rapere, vel ferre valebat, hoc suum esse dicebat. Trāsiit autem ille annus satis frugifer & fructifer, pluuiosus tamen valde, per quod magna pars fructus terræ defuit putrefacta. Transcenderat autem gurges aquarum Thamesis consuetos limites, & planicies de Bermundesey, & procinctum de Tothille, superficialiter deebriauit. Similiter & casas negotiatorum in nundinis cœmeterii Westmonaster. attingendo, superius palos figere compellebat. Decursū nempe imbrium nimis prævalente, opertæ sunt conualles, pascuis adiacentes, in toto regno per dies non paucos. Eodem anno Dux Brabantiæ, vir magni nominis, fecit Rotundam tabulam in partibus suis, vbi interfuerunt ex Anglis, Francis, & aliis nationibus milites infiniti. Et ipse Dux in primo congressu à quodam milite Franciæ lancea percussus, obiit ipso die.

* *Bogo.* * Bonus de Clara, germanus Comitis Glouerniæ, multarum Rector Ecclesiarum, vel potius incubator, subita nece interemptus est, quia parum boni fecerat in aperto. Iohannes Dublin. archiepiscopus, qui regi in omnibus fauebat, obiit in redeundo à rege Arragonię cui pro negotiis regis Angliæ missus erat.

Rex prolongatur, plebi plebs insidiatur.

Anno gratiæ 1295. Robertus, Metropolitanus Cantuariensis iam de curia Romana regressus, in octauis apostolorum Petri & Pauli, conuocatis quibusdam suffraganeis suis in Ecclesia sancti Pauli Londin. super Ecclesiæ libertatibus, & consuetudinibus tractatum tenuit specialem, & tāquam verus opilio, repagula & mœnia circa parietinarum, seu macerarum ruinas, ædificare satagens constitutiones quasdam, à sanctis patribus approbatas, sed per mercenariorum incuriam à vi propria vacillantes, in medium legitime reuocauit. Necnon & alias ordinationes prioribus adnectēs, propter gregis tuitionem, decreuit inuiolabiliter obseruari. Biduo post festum apostolorum Petri & Pauli, missi sunt duo Cardinales à latere domini papæ, vt regna Franciæ & Angliæ inter se intestinis odiis adhuc tumescentia, pacificando sedarent. Quos in regno Angliæ applicatos excepit plebs debito cum honore, accita per regem apud Westmonaster. primatum & optimatū suorum caterua Nonis Augusti. Quibus congregatis, primo coram rege, consedentibus hinc inde Cardinalibus & Episcopis, dominus Eadmundus frater regis, & magister Iohannes de Lacy, motiuæ causæ exordium exitialis guerræ, & commotionem, in ciuilitatis contemptum, nautis Angliæ inconcussum viua voce promiserunt. Item qualiter rex Angliæ, de prædebito regi Francorum homagio exonerauit semetipsum. Super his autem petentibus Cardinalibus formam pacis, fuit responsum, hoc minime fieri posse, rege Teutonicorū beneplacito inconsulto. Rursum petierunt sperandę pacis treugas, nec eas obtinuerunt, Tertio, vt tempore medio, manus nautarum, pcelloſa fileret. Neq; super hoc effectū aliquod sunt consecuti. Quoniam ipsis pro pace laborantibus ecce intempestę noctis silentio, piratica gens Francorum Doueriæ dans assultum, quandam domum religiosorum

* *ignibus.* & quamplures domos, littori vicinas, * facibus, succēderunt. Inter alia flagitia quēdā monachum, nomine Thomā, peremerunt, innocentis ac puræ conuersationis ab infantia, p quo dominus miracula operatur. Mutata etiam substantia pro accedente, decapitatis his qui ascenderant, præ timore contrabellantis populi in hortis se absconderant & in antris, paucis è multis exceptis, suas naues clandestine ingressis. Qui terga versantes, in patria sua

† *infecto.* adeptos se fuisse claues castri Doueriæ falsiloqui ventilarūt. Proinde Cardinales * imperfecto negotio, pro quo venerant, ad Galliā remearunt, præexhausta pecunia multa nimis, & à viris religiosis duplam pecuniam extorserunt. His ergo diuulgatis in regione Francorum, mox indurati corde, quorum pedes proni fuerant ad effundendum sanguinē, plebē conuocant, classem parant, & vt regnum Angliæ acciperent, cōsiliati sunt. Sed opere sunt frustrati. Præmittētes etiam galeam electissimam 300. bellatoribus munitam, præstantioribus de regno Franciæ, vt infirmiora terræ, nescio, vel vt ad applicādum locum habilem explorarent. Et quærentes prelium, obstaculum repererunt. Appropinquantibus vero remere, prope occurrerunt maris vigiles, vallātes galeam apud Hethe minus caute in sabulo defixam, & homines repertòs velut oues in caulis iugulantes, acephalorum corpora madidis

madidis pelagi ſarcophagis proiecerunt. Ibi enim ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec reſiſtere potuerunt. Dominus Epiſcopus Bathon & Wellen. magiſter Gulihelmus de la Marche, villicus domini regis, videlicet Theſaurarius de Scaccario, diffamatus eſt apud patrem familias, non quaſi diſſipaſſet bona illius, ſed ſubortis variis querelis, amotus eſt à villicatione ſua, & alius clericus, domino regi familiariſſimus, Walterus de Langetona nomine, in eius officio ſubrogatur. Monachi alienigenæ à propriis excluduntur domiciliis, ſingulis per hebdomadam ad victum 18. denariis deputatis. Die ſancti Leodegarii, dominus archiepiſcopus Cantuarienſis, ibidem inthronizatus fuit, & magiſter Iohannes de Munemue ab eodem, die non altero, conſecratus eſt in Epiſcopum Landauenſem. His diebus Scoti rupto pacis vinculo, quod cum ligio domino ſuo rege Angliæ pepigerant, cum rege Franciæ fœdus aliud inierunt, quod quidem in autentico ſcripto vtriuſque partis, inde confecto, legentibus clarius eluceſcit, & conſpiratione facta, inſurrexerunt in regem eorum, ſpreta eius ſimplicitate, & ſuperioritate contempta. Circumducenteſque eum in interiora loca Scotiæ, illic eundem in quodam Caſtro abruptis circunſepto mõtibus incluſerunt, aſſignantes milites, qui regulum cuſtodirent. Poſt hæc elegerunt ſibi, more Francorum, pares 12. 4. Epiſcopos 4. Comites & 4. proceres, ad quorum ordinationem, cuncta regni negotia ſancirentur. Hoc autem totum factum eſt in ignominiam regis Angliæ, quia quodam modo reclamantibus Scotis, & nonnullis occulte murmurantibus, Iohannes de Bailol. per regem Angliæ, Scotorum rex fuerat ordinatus. Quidam miles in rebus bellicis exercitatus, dictus Thomas Turbeuile, vnus eorum qui in obſidione de Rion capti ducebantur, abiit, & locutus eſt ad primos & magiſtratus Francorum, quemadmodum illi regnum Angliæ proditionaliter poſſiderent, & gauiſi ſunt, & pacti ſunt terram & pecuniam illi dare non modicam. Et ſpopondit, relinquens ibi duos filios ſuos obſides, certitudinis argumentum. Sed quoniam timebant plebem Anglorum, quaſi peritum in arte pugnæ ab initio, cogitauerunt eos callide circumuenire. Igitur conduxerant quidam Francigenæ principem Walliæ denuo reuocare ad pugnam. Quibus cum rex Angliæ occurriſſet, Scoti & Galli hinc inde inſidioſe prorumperent, vt ſic ſaltem inſulam bellatoribus ſuis deſtitutam inuaderent. Nec mora ſeductor ille prænominatus, rediens de partibus tranſmarinis, regi Angliæ & maioribus terræ ſe iunxit, narrans omnibus quomodo caute euaſiſſet de carcere, & infirmiora Franciæ dicidiſſet. Et ſemper latuit anguis tortuoſus, portans in † caſſidili, toxicum mellitum, quo præſtigiarentur liniti. Quia cum de omni conſilio, & ordinatione regni certificaretur, omnia in ſcripto redigens, Prępoſito Pariſienſi direxit. Hoc facto commoto impiorum exterminatore, reperitur fraus eius, quę regi illico declaratur. Miſſis ergo apparitoribus, cõfeſtim captus, loris ſtrictus, ad Prætorium in vigilia ſancti Dionyſii ductus, accuſatuſq; nõ negauit facinus, quod patrarat. Tali ergo iudicio cõdemnatur. Primo pelle bouis ſtratus, aſcenſis ſex lictoribus equos, caudis ipſorum diſtractus per ciuitatem Londinenſem, vallatus quatuor tortoribus laruatis, & effigiatis in ſerabaris & pelliciis interdolatis, improperantibus ei conuitia exprobrantur. Bacillis eorum fuſcinuliſque illuſus, ſic patibulo eſt affixus, vt ſepulturam ſecundum Comitum iuſſa non reciperet corpus eius, ita, vt prætereuntes dicerent. Hiccine eſt Thomas Turbeuila? Cui quidam verſificator epitaphium ſcripſit, hoc modo.

† marthecio.

Turbat tranquilla clam, Thomas Turbida villa.
Qui quaſi ſcintilla fuit, accidit eſſe fauilla,
Cum ſathanæ turbis eſt vici ſcopa ſit vrbis,
Stratus pelle bouis, fruſtratur Gallica quo vis.
Terram turbauit Thomas, hæc hunc cruciauit.
Hinc cum ſe ſtrauit, quem bis, ter, equus lacerauit.
Achitophel perit aſpera Dauid modo querit,
Thomam pependit Anglus, dum munere vendit.

In vigilia ſancti Andreæ, accerſito clero, magnatibus, & populo apud Weſtmonaſt. de ſubſtantiis ſuis, ad tuitionem regni, petiit rex iterum ſibi ſubſidium exhiberi. Et conceſſa eſt ei vndecima pars, à quibus anno præterito decima ſoluebatur. De quibus autem ſexta, nunc vero ſeptima eſt collata. Porro archiepiſcopus Cantuar. indulta ſibi cõferendi cum ſuffraganeis ſuis ſuper hac re licentia, vnanimi aſſenſu offerebat regi decimam Eccleſiaſticorum bonorum. Qua etiã oblata, ſed minime admiſſa, redierunt iterum Epiſcopi, ſuper his tractaturi. Cernens igitur rex eorum conſtantiam, miſit ad eos quinquagenarium magnum, videlicet iuſticiarium de Banco, & eos qui ſub eo fuerant, qui dixerunt.

Episcopi hæc dicit rex, oblatum vestrum neque accepto, neque acceptabo, sed festinanter descendite, voluntatem eius supplendo, saltem quartam partem vel tertiam concedendo. Helias autem noster, archiepiscopus, cum clero de loco suo non descendit, nec recalcitrabant boues ad dexteram, vel ad sinistram, arcam fœderis sustentantes. Interim misit rex alium quinquagenarium Cancellarię suę, & eos qui sub ipso erant, petierunt & hi, quæ prædestinati poscebant. At in omnibus his non est clerus motus à proposito suo, sed quoniam præconcesserant decimam, iterum obtulerunt. Videns ergo rex suam petitionem vires cleri excedere, nolens eos contristare, in crastino Conceptionis beatæ Mariæ, eorum gratum acceptauit oblatum. Quod accipiens clerus pro omine, ad tabernacula sua secessit Israel. Rex Eadwardus tenuit Natale suum apud sanctum Albanum præordinatis apud Westmonasterium nuntiis solennibus in villam, quæ Cambray dicitur, destinandis, quæ sita est inter Marchiam Franciæ & Alemanniæ, pro pacis concordia reformanda. In crastino sancti Hilarii congregatis apud Plummuthe 352. nauibus cum suis appendicibus, domini Eadmundus frater regis, & Henricus de Lacy, Leicestriæ & Lincolniæ Comites, secundis velis per Armoricanum regnum versus Burdegalim remigarunt. Vt autem appropinquarunt littus villæ sancti Matthæi, gens villana, visa tanta multitudine, rapientes quæ sua fuerant, fugerunt. Missisque nunciis ad eos, vt se regi Angliæ submitterẽt, spatium consultandi simulate vsque ad horam diei sextam, petierunt. Quo obtento, interim relicta bonorum suorum portatilium secum penitus asportarunt. Quo viso gens Angliæ nacta terram, villam ingreditur, pauca bona quæ reperit asportando, vina confractis doliis effundens, galeam vnam permaximam concremauit. Post hæc abbatiam sancti Matthæi quamplures ingressi, Ecclesiastica vtensilia, cum capite eiusdem sancti ablato, ad dominum Eadmundum ducem exercitus contulerunt. Quæ omnia sequestrata, fecit dominus Eadmundus viris Ecclesiasticis restaurari. Wallenses vero fugientem populum persequentes, apprehensos aliquos occiderunt, domiciliaque multorũ facibus ardentes, de suis spoliis exultarunt, ex quo in portum, quem *le Brest* vocant, nauigarunt. Deinde ad sanctum Gillemisium de Boys transuecti, triginta de galeis, & aliis

† *nauibus.* † vasis aquaticis combusserunt, ibique diu morati sunt, vsquequo defecerat illis potus, nec exire poterant de portu, cõmutante Zephyro flatus suos. Et clamauerunt ad dominũ in tribulationibus suis, qui exaudiuit eos in misericordiis suis multis, aperiens corda ipsorũ quasi præcipiens, vt singuli in diuersis locis foderent post thesaurum. Et factũ est quasi miraculum in illa die, fossata terra quadam seminata & arata, quadam inculta & arenosa, frumenti copiam in cistis & in arcis absconditam repererunt. Pro quo Deo gratias referentes, destinatum nauibus intulerunt. Eodem instanti, prosperato ventorum flatu, ad villam de Blayes peruenerunt, vbi dominus Eadmundus terram cum suo exercitu ascendit. Deinde reuertentes vsq; ad villam de Castilion, equos suos de nauibus eduxerunt. Vlterius vero versus villam de Sparra adierunt, vbi oppidani obsessione diutina oppressi, Castrum Anglis reddiderunt. Interea nautica gens Angliæ, in vigilia Paschæ, ciuitati Burdegali dederunt assultum, & occiderunt die illa circiter 30. viros iaculis balistarum. Die Mercurii, in hebdomada Paschæ, Frãcigenæ ciuitatem Burdegalim simul clandestine egredientes contra vesperum, confractis treugis, quas mutuo dederant & acceperãt, Anglis in nemore ciuitati vicino commorantibus, nihil huiusmodi meditantibus, prælium intulerunt. Quo comperto per exploratores, confestim milites animosi, sumptis armis bellicis, illis obuiam processerunt. Ciues vero, audito tubarum strepitu, visis paucis illis occurrẽtibus, æstimantes totum exercitum iam paratum ad pugnam fuisse, ciuitatem cursu velocissimo sunt ingressi. Inter quos duobus militibus aduersarios persequentibus, ciuitatem ingressis

† *Maxima.* ianua cito fuit clausa. * Reliqua pars Francorum foris permanens, gladiis est peremptа. Duo vero milites supradicti, qui hostes persequendo ciuitatem fuerant ingressi, hostibus se reddere noluerunt, sed fortiter repugnantes, maluerunt mori viriliter, quam turpiter incarcerari. Igitur die Veneris illius hebdomadæ, inito consilio inter nauticam & militarem cohortem, iunctis viribus ciuitatem assilientes, fracto antemurali ciuitatis suburbiũ intrauerunt, stragem non modicam ingerendo. Quo viso, suburbani ædes suas proprias accẽdentes, intra muros ciuitatis fugerunt. Affuit inter cęteros tunc quidam filius Belial, turbans totum exercitum, asserens Comitem de Arthois affore apud Langum cum nongentis equitariis armatis. Qui relicta obsidione Burdegalensi, diuerterunt se illuc, & non inuento Comite, villulam explorauerunt. Quæ postea reddita fuit illis. Post quam, villam sancti Macharii sunt adepti, quam non diu post, per falsidicorum inanem superstitionem, nefarie perdiderunt. Mense Martii, primo die mensis, rex Eadwardus apud nouum castrũ

super

super Tinam, exercitum fortem adunauit, ad Scotorum iniuriam expugnandam, proponens eis tria: aut eius censuræ pati se vltro submittere, aut à terra sua exulare, aut ad campestre bellum se parare. Ipsi vero, præposito salubri consilio, prælium elegerunt. Die sancti Gregorii papæ, Cardinalis, Albanensis præsul, cum quibusdam nunciis de Cambray regressus, apud Doueriam ventorum pulsu celeriter est euectus. Die dominica in Ramis palmarum, Cardinali apud nouum Templum Londini hospitante, lite mota inter suos & Templariorum scurras, occisus est nepos Cardinalis, vltro se immiscens. Ipse vero ad tempus iram deferens, vsque Scotiam properauit, regi Angliæ Concilium de Cambray, quod vel quale fuerit, ostensurus. Obierunt hoc anno domini Iohannes Romanus Eboracensis archiepiscopus: Gilbertus de Clara, Comes Gloceſtriæ, post regem potentissimus regni in opere & sermone, immatura morte præreptus, iuxta patres suos meruit sepulturam. Et Rogerius Couētrensis & Lichefeldensis Episcopus, iam grandæuus satisfaciens naturæ, à mundi huius voragine est eductus. Cui succeſſit W. de Langtona, regis familiaris, in transmarinis partibus per regem Cardinali nuncius assignatus, a quo fuerat consecratus, priuilegiorum Cantuar. Ecclesiæ in omnibus statu suo saluo. Eodem anno albæ tunicæ ordinatæ sunt. Eodem anno Iohannes rex Scotiæ, homagii fidelitatis suæ immemor, destinatis ad regem Francorum nunciis Gulihelmo sancti Andreæ, & Gulihelmo Dunkelensi Episcopis. Iohanne de Sule, & Ingelramo de Vmfreuile militibus, rege Eadwardo tunc existente in Flandria, clam contra regem Angliæ fœdus iniit, petens in affirmationem negotii matrimonium contrahi inter filium suum Eadwardum, ac nobilem puellam Iohannam filiam Caroli germani regis Francorum, spondens se velle regem Angliæ totis viribus impugnare, & à guerra cum rege Franciæ impedire, sicut in scriptis inter vtrosque reges confectis plenius continetur. Per quos, vt in hanc consentirent proditionem, fuit inductus rex Angliæ à rege Scotorum, ignorans proditionem cum auxilium petisset pro guerra sua instanter, & sibi responderetur in dubium, suspectū habens negotium, rogauit vt ob securitatem vsque ad finem guerræ suæ castra tria, videlicet, Berwici, Edenburgiæ, Rokesburgiæ, traderentur, in manus suas, quæ post guerram suam restitueret, si eos sibi comperisset fideles. Quod cum Scoti facere renuissent, rex de proditione eorum certior, cum exercitu suo versus Scotiam progressus, disposuit eam vi subiicere, nisi ab iis quæ referebantur desisterent: & quæ iam in opere ostendebantur se possunt legitime excusare.

Bella parans Scotus, regno dolet esse remotus.

Anno gratiæ 1296. tertio Kalendas Aprilis, villa & castro de Berewico, per magnificum regem Angliæ Eadwardum captis, omnes ibidem inuentos Angli gladio occiderunt, paucis exceptis, qui ipsam villam postmodum abiurarunt. Hominum autem Scotorum promiscui sexus peremptorum, sexaginta millia referuntur. Octauo idus Aprilis, rex Scotorum Ioannes, pro se & Scotis omnibus, tenētibus terram in Anglia quamcunq; homagium debitum regi Angliæ reddidit per scripturam. Rege vero Anglorum apud Berwicum, pro fortificatione fossarum ac murorum villę eiusdem morante, Scoti, scilicet domini de Ros, de Meneteth, & de Asceles Comites, & dominus Richard. Syward, Gulihelmus de sancto Claro, Iohannes Comyn, filius Iohannes Comyn, Gulihelmus de Moneref, & Radulphus frater eius, Barones, & alii quamplures milites, Angliam ingressi, villas de Correbrigge & Hechlesham combusserunt, homines, mulieres & paruulos, sine delectu conditionis humanæ occidendo. Qui regressi in Scotiam vna cum domino Roberto de Ketingham, quem rex Franciæ illo anno cingulo cinxerat militari, Castrum Patricii, Comitis de Dumbar, regis Angliæ constantis amici, tunc temporis cum eodem existentis, acriter obsederunt. Ipsi autem in dicto castro custodes, simulate à rege Angliæ implorantes auxilium, interim dictum Castrum Scotis, in vigilia sancti Georgii reddiderunt. Quo comperto, rex Angliæ in crastino die duo millia coopertorum equorum, cum 40. vexillis, & multos pedites, ad prædictum castrum, pro oppressione huiusmodi remouenda, mandauit. Hoc viso, Scoti potentes, Comites & Barones remanserunt, cæteri ad quinque millia abierunt retrorsum. Quinto Kalend. Maii, rex Angliæ cum octingentis equis villam exiens supradictam, versus castrum de Dumbar festinauit. Quo eodē die mane obsesso, prędicti cogitantes perspicacius de sua liberatione, dominos Waren. & Warewick Comites, & Hugonem le Despenser, & alios de exercitu regis Angliæ maiores rogauerunt, vt dominum Robertum de Ketingham prædictum, ad regem Scotiæ pro ipsius cōsilio requirēdo possent licite demādare. Pro quo dominos Comitē de Meneteth,

& Iohannem Comyn,filium Iohannis Comyn,Comitem de Badenaw,ipsa petitione primitus obtenta,in nostratum manibus obsides tradiderunt. Qui dominus Robertus eodem die post prandium,cum equitaturis quingentis &quadraginta millibus peditum est regressus. De quibus dominus Robertus, & dominus Patritius de Graham, miles strenuus,& filius domini Gulihelmi de sancto Claro,qui vexillum domini regis Scotiæ deferebat,& alii ad minus decem millia ceciderunt in bello, equis viginti quater lucratis, cæteris in fugam ilico reuersis,excepto domino Iohanne de Sumeruilla, qui tunc temporis captus fuit.Die vero crastino,rege Angliæ villam de Dumbar appropinquante prędictam,dicti tres Comites,& 30.ad minus Scotorum milites, regi Angliæ, suæ regiæ voluntati,seque & castrum prædictum planctu lachrymabili reddiderunt.Post hæc insulam de Galeway subintrans,fugientibus seu fugatis qui atria custodirent,castra singula viriliter occupauit.Vlterius vero progrediens,ad Castrum Puellarum peruenit, in quo, velut inexpugnabili,ad tutelã generosæ mulieres regni Scotiæ traditæ referuntur. Huic vt appropinquauit rex,dispositt turmas suas ad obsidionem illius. Nolentibus vero custodib. illud reddere,adhibitæ sunt machinæ belli,emittentes lapides grandes,domos plures, & cacumina turriũ dissipantes.His exterriti custodes, Castrum cum contentis regi Angliæ, ptinus reddiderũt.Quo in loco,velut in thesaurario principali territorii, insignia regalia regni Scotiæ sunt reperta.Quæ apud Westmonast.in archariis regis sunt recognita & signata.Exinde mare Scoticum pertrãsiens,regem Scotiæ,nomine tantum, de cauernis educere anhelauit,villas sancti Andreę,& sancti Ioannis,cum vicinis Castellis ditioni propriæ adnectendo.Porro Iohannes rex Scotiæ,iam omni destitutus defensione militari,in crastino Translationis beati Thomæ martyris,carcerem ac vincula euasurus,regi Angliç se reddidit per scripturam,quã scripturam vide infra pene in fine libri. Et rex Angliæ Iohannem Bailol,qui fuit rex Scotiæ in Turri Londinensi,similiter omnes Comites & Barones Scotiæ,bellica vi subactos,in Castellis variis, carcerali custodiæ subiugauit. Igitur Eadwardus rex Angliæ,peragratis quibusque Scotiæ insulis,nactis villis & castellis, rebellibusque non apparentibus, apud sanctum Eadmundum primates ac magnates sui regni ad suum Parleamentum inuitauit in festo sancti Martini. A quibus nouum tallagium postulauit.Cui concessus est à ciuibus & Burgensibus, octonarius denarius, à cæteris duodenarius est extortus. Clerus quippe nihil tunc temporis illi obtulit vel concessit. Quo commotus rex,indixit eis tempus consultandi super meliori responso,suæ voluntati gratius acceptãdo.Interim fecit rex sigillari omnia Ecclesiasticorum ostia horreorum. Quæ dum fierent,mandauit archiepiscopus bullam apostolicam,inhibentem sub pœna excõmunicationis aliquam collectam ex Ecclesiasticis prouentibus regi vel cuiuis alii principi concedi,per cathedrales basilicas diuulgari.Idibus Iunii,dominus Gulihelmus de Valentia, Comes de Penbroke, quem Hugo le Brun, Comes de la Marche, ex coniuge sua Isabella,quondam regina Angliæ,relicta regis Iohannis, genuerat,obiit anno isto,& apud Westmonaster. est sepultus,Kalend. Iunii, dominus Beraldus Cardinalis de Scotia regressus,factis emendis apud Westmonaster.ad Scaccarium domini regis de Templariis super nepotis sui occasu,ad regem Franciæ vna cum Thesaurario domini regis Angliæ,iterum transfretauit.Hoc tempore, Comites Leicestriæ & Oxoniæ, dominus Eadmundus,frater regis Angliæ,in Vasconia,& Robertus de Veer in Anglia, soluentes generale naturæ debitum,ex præsenti seculo migrauerunt. Illo quoque anno, fugato Comite de Arthois ab obsidione Burgi super mare per Comitẽ Lincolnienſem,accessit alius Comes famosus de Ew,ad villam de Belegarde,cum Præposito de Tolouse, vt receptam ibidem gentem Anglicam expugnaret.Inclusi vero Angli cum villanis, simulata fuga, latentibus insidiis apertas villæ ianuas dimiserunt.Comes autem, vt vidit neminem resistentem, in audacia mentis suæ ingressus est ciuitatem cum paucis,foris residuo exercitu permanente.Et surgentibus Anglis de insidiis, occurrit protinus Comiti vnus , baiulans lanceam, perforans latus eius.Similiter,& qui cum eo ingressi fuerant,gladiis corruerunt. Insuper ciues suspenderant trabes,super quas crates & lapides grandes posuerãt,super propugnacula muri,ad illaqueationem Francorum.Præpositus vero de Tolouse in elationem cordis super dextrarium foueam pertransiens, cum gladio nexus trabium amputauit, & repente ruptis resticulis,allidente tota mole capiti suo,penitus est quassatus. Quo viso, cæteri fugam ilico subierunt. Consimiliter Comes Hollandiæ, soluto fidelitatis suæ freno, quo regi Angliæ præannexus fuerat,dum regis Francorum obtemperaret consiliis,à propriis domesticis est occisus. Cuius filius & hæres Iohannes,filiam regis Angliæ Elizabethã,sibi in matrimonio copulauit.Interea quædã nauis de regno Francię,sortita nomẽ regis

gis Philippi, inter coggones vtriusque terræ famosior atq; maior, casu sibi exobuiantibus nautis Anglicis, & conflictum alternatim dantibus, nacta fuit, & in Sandwico portu requieuit. Illo etiam tẽpore, Comes Flandrensis à prisona Francorum liber egrediens, ad proprium rediit Comitatum. Cuius arrestationis extitit ista causa. Ante initiũ huius guerræ pepigerant rex Anglorum & Comes prædictus, vt filius regis & filia Comitis, legitimo matrimonio vnirentur, idcirco præfatus Comes, ad Francorum curiam citabatur. Requisituſque super huiusce modi contractu, respondit rei gestę vinculum non posse dissolui. Timens autem rex Franciæ huiusmodi confœderationem sibi fore nociuam, cogitauit callide diuortium faciendum, præcipiens vt suis conspectibus & suæ tutelæ prædicta filia traderetur. Cui alter, abhorrens excommunicationis sententiam illatam in perturbatores matrimonii, respondit, postulata se minime complexurum. Imperatur ergo liberali custodiæ corpus eius. Aderant tunc statim, qui manucaperent virum senem. respuente autem rege Francorum omnem manucaptionem pro eo. Videns Comes, non aliter quam modo dicto euadere, prædictam filiam illis amaro animo commendauit, sicq; liber egredi est permissus. Qui reuersus in terram suam, vocatis commilitonibus suis iniuriam, quam pertulerat, patefecit. Cui respondit plebs eius, Domine, mercatores sumus, & sine aduentatione Anglorum in Flandriam, & sine transitu Flandrensium in Angliam, negotiari profectualiter non valemus. Fiat ergo pax inter gentem vestram & suam, cuius suffulti auxiliis, iniurias regis Franciæ illatas, & alias, si quas irrogauerit, aspernamur. His gestis per solennes nuncios regi Angliæ relatis, pollicitis securitatis vinculis, pax inter vtrũque populum per Angliam publice acclamatur. Associantur ergo nuncii regis videlicet Thesaurarius de Scaccario & alii quamplures nobiles, adducturi obsides huius rei, datis Comiti ad infortianda Castella sua 15. millibus † librarum argenti. Die sancti Hilarii, celebrauit archiepiscopus Concilium suum cum coepiscopis suis suffraganeis Londin. in Ecclesia sancti Pauli. Quibus tractantibus per dies octo super postulatione regia, non inuenerunt iter rectum, nec modum exclusiuæ sententiæ, si aliqui vel quæsito colore, vel aliquo titulo quippiam contulissent, etiam si plurimi clerici, aulici, curialesque accessissent qui postulatis consilium dederant & fauorem. Quæ omnia regi per Episcopos, aliosue nuncios, sunt relata. Qui statim mutatus in crudelem, peruersa regali ęqualitate, in tyrannidem, licentiatis suis famulis, obuiantium clericorum religiosorumque virorum, quasi modo hostili, equitaturas sibi arripere meliores, prohibitis insuper placitatoribus, in lege sua peritis, coram Baronibus de Scaccario, seu ante quemuis alium iusticiarium seculare, pro personis Ecclesiasticis allegare, Ecclesiasticos ministros censuit sua pace indignos. Mandauit etiam singulis ordinatis, sponte offerre sibi suorum prouentuum quintam partem, aut inuite cedere omnibus bonis suis. Huic mandato primitus obtemperauerũt quidam tonsorati, in curia regali prælati, in cura vero animarum Pilati manifesti, vt inducerent pari modo animos cæterorum. Quo facto, seisita sunt protinus per manus vicecomitum omnia bona clericorum mobilia & immobilia, super laicum feodum inuenta, atque fisco regio titulata, cum superabundanti molestia suis ablatis libertatibus, quas prædecessores reges, Christianitatis conseruatores, Ecclesiis contulerant, authores bonorum. Et quod nequius est ferendum, appretiabantur ipsorum facultates, emptoribus quãtocius exponendæ, nec securi audebant clerici equitare, nisi in maiori conuentu, ꝓpter militum in clericos violentiã, à rege licentia data. Sed & omnia bona archiepiscopi, mobilia & immobilia, capta sunt in manu regis. Ipse quidem sustinuit patienter. Igitur clero sicut supradictum est passo in corpore, passus est & rex in animo. Hinc dolor & metus omnium prælatorum. Hi nanq; in perplexitate maxima constituti sunt, vt si quicquam concederent, sententiam excõmunicationis incurrerent ipso facto, & si non darent, non effugerent immisericordes manus ipsorum prædonum. His madefacti aduersitatibus, pro se ipsis anxii, pro grege sibi commisso inconsolabiliter mœstificati, tanquam non habente alimoniam ingruente fame, necessario seculum repetere quæsierunt, ꝓtectionem regis facultatibus suis, raciocinio magno, redẽptis. Et statim post hæc redierunt quidam nuncii de Vasconia referentes, qualiter in quodam conflictu inter Anglos & Gallos, aduesperascente iam die conserto, dilabente turba Vasconensium, soli equites Anglici resistentes ab hostibus cingebantur. Inter quos primicerius exercitus, Ioannes de sancto Iohanne captus, cum aliis commilitonibus circiter duodecim, Parisiis est adductus, applaudentibus de ipso Francigenis, prout quondam Philistinę de Sampsone. In die sancti Matthię apostoli conuenientibus proceribus regni apud Saresburiensem ciuitatem, ꝓposuit rex quosdam de ipsis ad sucursum gentis suæ in Vasconiã destinare. Quod benigne annuerũt Barones, ita tamen,

† marcarum

ipso

ipso rege cum eisdem, vno & eodem tempore, in persona propria transfretante. Sed non fecit.

Rex petit alta freta, recipit quem Flandria lata.

ANNO gratiæ 1297. congregatis archipræsule Cantuar. & quibusdam aliis coepiscopis suffraganeis suis apud sanctum Paulum Lõdini 26. die Martii, iterum pro statu Ecclesiæ consulturis, insurgentes protinus duo causidici, & duo de ordine Prædicatorum fratres, regalem & temporalẽ fauorem aucupantes, conati sunt argumentis probare clerum ipsi regi, in tempore belli, non obstante prohibitione apostolica, de suis facultatibus posse licite subuenire. Insuper prohibito sub pœna incarcerationis, ne quis contra ipsum regem & eos, qui iam pridem suam protectionem quæsierant, excommunicationis sententiam promulgaret, prouocatione facta pro se ad Romanã curiam & pro ipsis. Recesserunt igitur omnes, oneratis suis conscientiis per archiepiscopum sic dicentem, saluet suam animã vnusquisq;. Illo tempore, voce præconaria, proclamatum fuit per Angliam, vt possessores lanarum exponerent ipsas venditioni infra mensem, in ciuitatibus assignatis, alioqui, tanquam forisfactura, cederent ipsi regi. Quæ quidem in die sancti Georgii, quasi modo prælocuto callide congregatæ, pro forisfactura regis in Flandriam sunt transuectæ. His & aliis extorsionibus turbati Comites & Barones Angliæ, Parleamentum suum per se in foresta de Wyre, quæ est in Marchia, statuerunt. In crastino sancti Botulphi, accedens rex ad Westmonaster. obtulit beato regi Eadwardo, cuius meritis adquisierat regalia regni Scotiæ, tribunal videlicet, sceptrumque aureum, cum corona. In crastino translationis beati Thomæ martyris, citatis Comitibus & Baronibus regni Londini, mandante rege suo Constabulario & suo Marescallo, Comitibus Northfolchiæ & Herefordiæ, adunati populi coram ipsis apud S. Paulum, adbreuiare quot equitaturas quisque posset inuenire ipsi regi processuro ad bellum. Responderunt supplicando, quatenus imperaret alicui alteri de domo sua illud officium, eo quod non citati, imo rogati diuerterant ad eundem. Et displicuit sermo iste in oculis regis, assignatis interim duobus aliis militib. in huiusmodi officio exequendo. Eodem tempore, admisso archiepiscopo Cantuariensi in gratiam regis, atque reddita sibi Baronia sua, pridie Idus Iulii, ante magnam aulam regiam Westmonaster. eleuatus rex super gradum ligneum cum filio suo & archiepiscopo, necnon Comite Warwic. coram eo astante populo, erumpentibus lachrymis veniam de commissis humilime postulauit, dicens se minus bene & tranquille, quam regem deceret, ipsos rexisse, portiunculas facultatum suarum, quas sibi dederant, seu quas ministri eius ipso inscio extorserant, ideo acceptasse, vt iniuriosos hostium conatus, sitientium sanguinem Anglicanum, sumpta reipublicæ particula, massa quietius possidenda, potentius expugnaret. Et addens, ecce expositurus meipsum discrimini propter vos, peto, si rediero, suscipiatis me velut in præsentia habetis, & ablata omnia reddam vobis. Quod si non rediero, in regem vestrum meum filium coronetis. Hæc autem, archipræsule resoluto in lachrymas, pollicente se fideliter obseruare, totus populus fidelitatem extensis manibus stipulantur. Absentantibus interea sponte præfatis Comitibus, vsque quo eorũ petitio pro alleuiatione patriæ audiretur. Dixerunt quidam, non fore proficuum regi in Flandriã transfretare, neq; ipsos sibi † illic seruitia, ab antecessoribus suis insueta, præbere, præsertim ipsis Scotis iamdudum more Wallensium, adhuc se præsente, recidiuatis ad pugnã. Postularunt etiam, allegata primitus cõmunitatis exinanitione, ne de cætero per Angliam tallagia vsurparet. Rursum, vt libertates contentæ in magna Charta, ac de foresta, in vsu ex tunc efficacius haberentur, & voluntarias super his inductas exactiones de cętero quasi in irritum reuocaret. Super quibus non protinus exauditi, cum indignatione recesserunt dicti Comites & Barones. Quo viso, rex instinctu vnitatis confouendæ, situsque victoriæ adquirendæ, articulos in prædictis Chartis cõtentos innouari, insuper & obseruari mandauit, exigendo pro hac cõcessione ab incolis octauum denariũ sibi dari. Qui mox concessus est ei a plebe, in sua tunc camera circũstante. Petiit etiam à clero subsidiũ, qui respondit, se velle summo pontifici literas supplicatorias dirigere pro cõferendi licentia obtinenda. Igitur datis induciis inter regem & Comites, vt vniformes fierent, peracto consultationis tempore, & non præsentantibus se præfatis Comitibus conspectui regio, cernens ipse mora sua amicis suis in transmarinis partibus, eius aduentum * expectantibus periculum imminere non modicum, in vigilia sancti Bartholomæi apostoli, paratis quingentis nauib', cum coessenti populo, equitibus scilicet mille, ac ferme octingentis, peditibus vero quasi inæstimabilibus, ingreditur secundis velis turgida terga maris. Quo etiam die, accedẽtes prędicti Comites & Barones, ad Scaccariũ domini regis apud Westmonast. prohi-

* illac.

* præstolantibus.

prohibuerunt Baronibus loci illius, ne leuare facerent per vicecomites octonarium denarium à populo Anglicano, dicentes de conscientia suorum non emanasse, sine quorum assensu tallagium non debet exigi, vel imponi. Comitibus itaque & Baronibus pariter † conglobatis, necnō maioritati populi eis inclinante, factus est timor super habitatores pattiæ, & imminente periculo, & fauore primatū & magnatum Angliæ, Eadwardus filius regis, locū eius tenēs, patre absente, magnas chartas de libertatibus & de foresta, ac quasdam alleuiationes de iugo patris sui Londini * renouauit, consilio senum vsus, easdem cōfirmante patre suo apud Gandauum 5. Idus Nouemb. Quo etiam tempore vastantibus Scotis finitima regni Angliæ, & maiorem partem Northumbriæ incendentibus, duce Gulihel. Walleys milite. Concessus est Comitibus nouenarius denarius à vulgo, à clero vero denus, ad prædictorum pertinaciam reprimendam.

* confederatis. † releuauit. renouauit.

Rex autem transito mari, applicuit apud le Escluse, venitque ad Bruges, ciuitatem famosam. Quo pernoctante, præmunitus de insidiis Francorum, in crastino caute exiuit villam prædictam, subintrando Gandauum. Medio quidem tempore, Wallenses comitantes regem Angliæ, coadunatis quibusdam prædonibus Anglicis, stragem ac prædam magnam, apud le Dam, Gandauum & alios locos regi Franciæ deditos, perpetrarunt. De quibus plures merito ibidem suspendio perierunt. Tandem acceptis iudiciis, & concessis inter reges vtriusque terræ, & sibi confœderatos ab Epiphania domini per biennium, rediens rex Angliæ de Flandria, * 12. Kalend. Aprilis, applicuit apud Sandwicum. Obiit dominus Nicholaus de Longespey, Episcopus Sarisburiensis. Cui successit magister Simon de Gandauo, editus Londini, vir in arte Theologiæ peritus.

† 11. Martii.

Pax noua formatur, hostis Scotus laniatur.

Anno gratię 1298. accedente rege Angliæ ad Westmonaster. 4. Kal. Aprilis, accensoque igne vehementi in minori aula Palatii, flamma tecturam domus attingens, ventoq; agitata, abbatiæ vicinæ ædificia cum Palatio regio deuorauit. Rex inde proficiscens, diuertit se ad Ebor. ducens secum Barones de Scaccario, & Iusticiarios de Banco, post festum S. Trinitatis, Parleamentum cum maioribus populi habiturus. Exinde se mouens, stipatus agmine Comitum, Baronum, & militum copioso, rebelles Scotos debellare curauit. Porro Scoti, tam tonsorati quam laici, in vnum cuneum adunati, amplius quam ducenta millia virorum, mori aut pugnare fortiter sunt inuenti. Et commissum est bellū terribile in die S. Mariæ Magdalenę, in campo, qui dicitur Faukirke. Et statim disgregati Scoti ceciderunt ex eis equites ducēti, pedites vero 40000. & amplius, cæteris vero protinus in fugam conuersis, pluribus se in flumen demergentibus. Ex Anglis quidem ceciderūt Brianus de Iay, magister Templariorum in Anglia: & quidē peditum ferme triginta. In vigilia quoq; apostolorum Petri & Pauli, Romæ pax, per dominū papam Bonifacium, inter regem Angliæ & Franciæ conformatur, quæ non fuerat totaliter solidata. Illo quoq; anno, per præfatum papam, ad instantiam regis Franciæ, sanctus Ludouicus, quondam Frāciæ rex, & tertius ante istum Lauus eius, claresc entibus miraculis, sanctorum catalogo est ascriptus, & pridie Kalend. Septembr. apud S. Dionysium festiuius est translatus. Eodem etiam anno, Adolphus rex Alemanniæ, vacuus amicus fiduciam in se habentibus, & præcipue, quod nequius est dicendum, regis Angliæ pactum præuaricans, orta dissensionis materia inter se & Albertum filium Rodolphi, Ducis Austriæ, belloque indicto iuxta Moguntiam, corruit sauciatus, & regnauit idem Albertus pro eo. In die sancti Andreæ apostoli, factus est terræmotus per triduum Romæ. Similiter in Anglia erat terræmotus, in vigilia Epiphaniç, in crepusculo diei illius. Cometa etiam apparuit in septentrione, emittens radios lateraliter versus Orientem velut igniuomos, per tres dies post solis recessum, quod cædis magnæ ibidem in proximo futuræ fuit prognosticon. Dominica secunda quadragesimę, citatis magnatibus regni apud Westmonast. fecit rex recitari formam pacis bullatam per papam Bonifacium, tanquām arbitrum inter regem Angliæ & Franciæ ordinatū, & alias bullas statū suum tangentes. Cui assensum prębuit plebs omnis, & clerus. Quo facto, petierunt Comites, Barones, & Prælati, vt magnā Chartā de libertatib. & illam de foresta, vna cum deforestatione iam facta, ratificaret, & pro rato & grato haberet. Qui confirmatis duabus primis prædictis Chartis, super deforestatione roborāda obturauit auditū, elongans se diluculo ab eis, tanquā se fingens longius ire. Ipsi aūt sese æstimantes, quasi derelictos contēptui, ad loca propria cum indignatione maxima redierunt. Obierunt viri magni consilii, dominus Hūfridus de Boun, Comes Estsexiæ & Herefordiæ, & Gulihel. de Bello campo, Comes Warwicensis, & magister Gulihel. de Luda,

Episco-

Episcopus Elien. Post quam à maiori parte capituli electus est Prior eiusdem loci: à residuis Iohannes de Langtona, Cancellarius domini regis. Diu vero agitata causa coram archiepiscopo Cantuar. & paulominus pro Priore terminata, appellauit Cancellarius ad apostolicam sedem, personam propriam itineri exponendo. Et prior licet multifarie impediretur à nonnullis, ipse iter est aggressus, causam Ecclesiæ defensurus. Quibus in præsentia summi pontificis vna cum procuratoribus illius collegii Elienſis constitutis, ac vtriusq; partis iure in manibus papæ resignato, ipse fauorabilis existẽs procuratoribus prædictis collegii, annuit eis gratiã eligendi vnũ de abbatib. exẽptis illius ordinis, nominais abbatibus de Westmon. de S. Eadmundo, de S. Augustino, & de S. Albano. Quibus abnegantibus tantum oblatum, motus papa de improbitate ipsorum, transtulit episcopum Norwic. in sedem Elien. & Priorẽ Elien. in sedem Norwic. Defunctoq; tunc tẽporis fratre Gulihelmo Ottonino, archiepiscopo Dublinensi, in reuertẽdo de curia Romana, dedit papa eundẽ archiepiscopatũ magistro Richardo de Feringes archidiacono Cantuar. & domino Iohanni de Langtona, Cancellario Anglię, dedit archidiaconatum prędictum.

Regi sponsa datur, quæ Margareta vocatur.

Anno gratiæ. 1299. Margareta soror Philippi, regis Frãcorum: applicuit apud Dueriam in festo Natiuitatis beatæ Mariæ, quam post biduũ rex Angliæ, authoritate summi pontificis, apud Cautuariam sibi matrimonialiter copulauit. Dominus Iohannes de Bailol, rex Scotorum, per regem Angliæ in custodia tentus, de custodia egredi permissus, adiuit regem Francorum. Quo viso, & ipse milites egregios de Anglia, Iohannem videlicet de sancto Iohanne, & cæteros in carcere suo diu detentos, sub conditione, quantocius liberauit. Hoc anno, corrupta insula Angliæ de falsa moneta, quæ dicitur Crokard & Pollard, in Natali sancti Stephani protomartyris findebatur, id est, pro obolo habebatur. Hinc quidam Lathomi filius, considerans opera patris sui, dum fabricaret Ecclesiam mettrice & eleganter dicebat.

Laude decoreris, nostris sterlinge gereris,
Crokar es, æsque peris. fugias as rite teneris.

Sub his quoq; diebus Scoti se iterum parauerunt ad pugnam. Contra quos missus erat dominus Ioannes de sancto Iohanne, forti stipatus agmine militari. Hoc etiam anno, Philippus rex Francorum in manu forti ingressus Flandriam, cœpit debellare Flandrenses, occupans villas & oppida eorũ, ipsum Comitem & eius filios acriter insequendo. Comes autẽ iam grandæuus & imbellis, suiq; filii, ad ciuitatem Gandauũ fugerunt, sperantes eam inexpugnabilẽ esse. Interim gens Pharisaica vere, quia in se diuisa, iuxta domini sententiam, desolatione digna, quippe quæ aliquando regi Angliæ se submittentes, aliquãdo naturali Comiti adhærentes, demũ spreto & relicto proprio domino, regi Francorũ, hosti in capite, se miserrime reddiderunt. Igitur ingruente terrore regis Frãcorum, in desperationẽ lapsi Comes & filii sui, Carolo regis Francorum germano sub iurisiurandi conditione ne incarcerarẽtur, nec exhæredarentur, inter angustias miserrime se dederũt. Cui pacto contradicens rex Franciæ ipsosq; carceri concito mancipatos, ac subuersis ciuitatũ ppugnaculis, quæ contra se nouerat rebellasse, sub nouis eos, vtpote proprius dominus, coegit legibus militare. Illis etiam diebus, dominus papa, fidei & orationũ quæ erant beati Petri oblitus, assumens quæ non erant eius, tam aurum videlicet à viduis & orphanis quã argentũ, non viduis & orphanis, sed militibus bellicosis illud erogare curauit, contra schema quorundam Cardinalium, eos deniq; degradando, & contra regem Siciliæ guerram mouendo. Sed dicti regis *exercitus, de galeatis turmis domini papę multa millia viriliter necauerunt. Sed eodẽ quoq; anno rex Tharsis, & rex Armeniæ, & rex Georgianorũ, congregato maximo exercitu, qui fuerũt decies centena millia: & quadraginta millia in equis inuocato contra Saracenos Christi adiutorio, dimicarunt. Et cæsa sunt ex Saracenis, inimicis Crucis Christi, apud Alapiam, Alachemala, Gazaram, & Damascum, plusquã ducenta & quadraginta millia virorum, in vltionem sanguinis Christianorum, effusi apud Acon & Tripolim, & cætera loca sancta. Horum autem Tartarorum, vt fertur, miraculosa conuersionis extitit causa. Regis Tartarorum, magni Cassani frater, Paganus, adamauit filiam regis Armeniæ Christianam. Quã à patre petiit in coniugem sibi dari. Rex autem Armeniæ nolùit adquiescere petenti, nisi gentilitatis deponeret errorem, & fieret Christianus. At ille prędualens viribus, diuitiis, & potentia, sibi intulit minas belli. Et alter, acceptо consilio, quod meliores sunt nuptiæ quã pugnæ, annuit postulatis, quærẽdo assensum puellæ. At illa parcere volens multitudini, & pro salute gentis suæ, velut Hester altera, se offerens

*satellitu.

offerens, confisaque in domino, vltro cessit. Deniq; susc itata inter eos prole masculini sexus, inuentus est hispidus & pilosus, velut vrsus. Quo patri oblato, dixit non esse suum, eumq; statim iussit igne cremari. Mater vero renitens & contra dicens, sibi petiit infantem dari. Quo accepto, multum gauisa, iussit ipsum baptizari, & statim post † trinam immersionem in sacro fonte, cecidit omnis villositas de infante, & apparuit lenis & pulcherrimus puerorum. Hoc viso credidit pater, & domus eius tota. Hoc itaq; anno Iohannes Comes Holandiæ, gener regis Angliæ, hausto veneno per suos familiares, pro nefas, & affines sibi dato, occubuit. Cuius relicta, negata sibi dote sua, ad thalamum remeauit paternum. Sub hoc etiam anno, fratres, qui dicuntur Minores, seu quod latius publicatur & nequius comprobatur, totius doctrinæ exploratores ad illicita legis suæ aspirantes, obtulerunt summo pontifici quadringenta millia de Florenis aureis, & pecuniam multam nimis, pro terris, prædiis, redditibusq; licite obtinendis. Quibus dominus papa. Vbi est (inquit) illa vestra pecunia? Et illi dixerunt. In manibus mercatorum. Et datis fratribus inducijs trium dierum responsionis habendæ, absolutis mercatoribus à depositi custodia, præcepit dominus papa sub interminatione anathematis pecuniam ipsam eius necessitatibus custodiri. Respondit q; fratribus, regulam sancti Francisci canonizatam, se nolle sensu aliquo violare, nec fratres ab ea aliquando declinare, sed secũdum eam dirigere semper debere. Sicq; factum est, quod iniustius adquisierunt, æquissime amiserũt. Hoc anno ventus vehemẽs & damnosus prostrauit arbores, ædificia, & campanaria multa in regno Angliæ per loca diuersa. Obiit dominus Henricus de Newerk, archiepiscopus Ebor. Et dominus Oliuerius, præsul Lincol. vir probatæ vitæ, die sancti Bricii, spiritum inter verba orationis efflauit. Eodem anno, in translatione sancti Thomæ martyris Cantuar. venerunt nuncii papæ, regem rogantes, vt Iohannem, quondam regem Scotiæ, suę liberaret custodiæ, spõdentes quod regem & regnum ab omni, quod per hanc liberationem posset contingere periculo præseruaret. Quorum petitioni rex condescendens, nunciis papę liberauit eum, quem translatum in terram Balioli, quem habuit in regno Franciæ, reliquerunt sub certorum custodia prælatorum.

† ternam.

Charta sigillatur, violans anathema probatur.

Anno gratiæ 1300. in vigilia Paschæ, quinto Idus Aprilis, moneta, quæ dicitur Pollard, & * Crokard, & aliæ falsæ monetæ per Angliam prohibentur. Kalendas Iunii regina Angliæ peperit filium suum primogenitũ apud Brotherestone, & Thomas dictus est. Rex duxit exercitum contra Scotos, & dum appropinquaret eis, dilapsi sunt ab eo, de quibus plures quam quadringenti homines sunt perẽpti. Eodem vero tempore accessit dominus archiepiscopus Cantuar. ad regem, deferens ei mãdatum apostolicum, ne Scotos, suæ ꝓtectioni submissos, vlterius præsumeret debellare. Quo audito, rex in Angliã est reuersus. In octauis sancti Hilarii, tenente rege Parleamentum suum Lincolniæ, conquesti sunt Comites, & Barones, de tortuosis & violentis deprædationibus, vndiq; per ministros & familiã regis factis. Rursum petierunt, vt libertates, in magna Charta contentæ, ex tunc in suo robore primitiuo in perpetuum perdurarent. Item postulauerunt, vt deaffore stationes, pro quibus angustiabantur omnes diuites plebis, à rege sæpius concessas, sed hactenus opere non cõpletas, remota vlteriori dilatione, fieri iuberet decretas. His & quibusdam aliis articulis instantissime a rege postulatis, ꝑ trastinatis quãpluribus diebus, demum videns rex q; non desisterent ab inceptis, nec adquiescerent sibi in necessitatib. suis respondit se esse paratũ concedere, & ratificare petita, & si qua alia quoquo tempore poscerent, & ducerent confirmanda. Renouatæ sunt igitur Chartæ de libertatibus, & de foresta, sigilloq; regio munitæ, in vnoquoq; Comitatu per Angliam deferũtur. Quibus coram populo diuulgatis, violatores earum maiori excommunicatione dominus archiepiscopus Cantuar. cum cæteris coepiscopis, innodauit. Porro pro hoc confirmationis effectu, concesserunt Comites & Barones regi quintamdecimã partem bonorum suorũ mobilium, in festo sancti Michaelis, proximo tũc futuro. Sed Robertus archiepiscopus Cantuar. pro clero nihil voluit concedere, neq; de temporalitate annexa Ecclesiæ sine licentia summi pontificis speciali. Rex dedit Eadwardo filio suo principatum Walliæ, quod Wallensibus multum placuit, eo quod & in Wallia natus esset, similiter & Comitatũ Cestriæ. Concordati itaq; rex & Barones, ordinauerunt domino papę elegantem epistolam, signatam centum sigillis, peritoriam, vt ius Anglorum in regno Scotiæ ab initio habitum, iuste ꝓtegeret, & falsis suggestionibus periuratorum Scotorum aurẽ minime inclinaret. Vt habetur in anno sequenti. Obiit dominus Eadmundus, Comes Cornubiæ sine liberis eodem anno, relinquens proximum hæredem regem Anglorum Eadwardum.

* Cokedon.

Nominat Eadmundum, natum regina secundum.

ANNO gratiæ 1301. quinto die Augusti, die sancti Oswaldi regis & martyris, regina Angliæ Margareta apud Wodstock filium edidit secundum, quem Eadmundum nominauit. Hoc anno dominus papa decimam omnium bonorum Ecclesiasticorum in regno Angliæ per triennium vsurpauit. Porro illis diebus sal terræ, & caput vulgi, in magnam hydropisim ceciderunt. Quanto enim plus pecuniam, humorem nequam, hauriebant, tanto amplius eam sitiebant. Et quod iste de temporalitate, non sponte sua imminutum, reliquerat, ille non coactus de spiritualitate contaminatum carpebat. Sedit ergo in tristitia fidelium Ecclesia, deducta per vocales tutores suos miserabiliter sub tributo. Sub eodem quoque tempore, ducente rege Angliæ exercitum contra gentem Scotorum, princeps Walliæ Eadwardus, regis filius, cum agmine suo bellicoso progreditur ante eum. Sed quia nihil magnificũ, vel laude dignum vix nemine Scotorum resistente, peregerant, noster calamus breuiter pertranseat. Hæc dum agerentur, misit rex Franciæ abbatem de Compine, & quosdam alios secum, postulans pacem Scotis, vocans eos amicos suos. Qui, non audito pro libitu responso, ad propria remearunt. Hoc anno, orta est dissensionis materia inter papam & regem Francię, vtroque confidente de sua potentia magna, ita vt dominus papa diceret nuncio regis Francorum, Petro de Flote, nos habemus vtramque potestatem. Et ille pro domino suo respondit. Vtiq; domine. Sed vestra est verbalis, nostra realis. Et in tantam excanduit ira domini papæ, vt diceret mouere se velle contra eum cœlum & terram. Dominus Walterus de Langtona, Episcopus Cestriæ, & Thesaurarius Angliæ, apud dominum papam super variis facinoribus, & facinorosis criminibus grauiter diffamatus, responsurus in propria persona super eisdem, coram summo pontifici citatur. Qui exhausta in curia non modica pecunia, quoniam nouerant ipsum præ multis bouem valde pinguem, tamen parum profecit. Remissus namque fuit ad archiepiscopum Cantuar. vt ipse in absentia sua, per certas personas purgationem sumeret accusati, & per eundem Walterum, negotii * inscium, rescriberet summo pontifici, quid gestum fuerit, quidue factum. Quid plura? Sumpta purgatione sua per archiepiscopum à laicis & ciuibus bonæ opinionis super aliquibus criminibus, & à viris religiosis magnæ famæ de reliquis, prout decuit hos & illos cognoscere, ad papam iterum est reuersus. Papa autem intelligens purgationem episcopi sagacem & ordinatam per Archipræsulem fibi missam, Episcopum Walterum famæ pristinæ restitutum cum vberiori gratia remisit ad propria. Porro miles qui eum accusauerat Iohannes, post non multum temporis, & ipse super homicidio & aliis facinoribus accusatur. Conscius vero sibi vendicat ius Ecclesiæ. Qui & si sit vxoratus, ait se diaconum fuisse priusquam eam duxisset. Tandem condemnatus, carceri Episcopali liberatur, in quo per dies quinq; nec amplius superuixit. Sumat sibi ex eo speculum malitia laicalis, viros Ecclesiasticos accusare. Obierunt hoc anno Elienſis & Wigornienſis Episcopi, & electi sunt duo monachi in loco ipsorum. Qui non inuenientes gratiam consecrationis ab archiepiscopo Cantuar. ad sedem apostolicam profecti sunt. Quo cum peruenissent discusso electionis vtriusque ordine coram papa, electio Prioris Elienſis est confirmata, Wigornienſis autem monachi penitus est quassata. Dedit ergo dominus papa Episcopatum illum cuidam de ordine fratrum Minorum. Eodem anno papa Bonifacius per Scotos informatus, regi Angliæ literas suas direxit, asserens regnũ Scotiæ ad ius Romanæ Ecclesiæ pertinere, regemque Angliæ subiectionem eius vendicare contra Deum & iusticiam, & in præiudicium sedis apostolicæ, rationes allegans subscriptas. Primo quia cum rex Henricus, pater istius, auxilium obtinuisset in bello suo contra Simonem de Monte forti à rege Scotorum Alexandro, ne hoc auxilium iure subiectionis cuiuslibet aut debite petitum aut præstitum putaretur, idem Henricus per literas suas patentes recognouit, non ex debito auxilium recepisse, sed ex gratia speciali. Idem ad coronationem huius regis vocatus per literas, vt ei præsentiam amicabilem in tantis solenniis tanquam amicus exhiberet, non venit ex debito, sed ex gratia speciali. Insuper pro terris de Tindale & Penreth, in regno Angliæ positis, cum rex Scotiæ ad præsentiam regis Angliæ se personaliter contulisset, eidem fidelitatem impensurus pro eisdem terris, tantum in Anglia sitis, non vt rex Scotiæ nec pro regno Scotiæ, fidelitatem eandem exhibuit, quia palam coram populo protestatum erat, quod pro regno Scotiæ fidelitatem aliquam regi Angliæ facere non debebat. Item quod prędictus Alexander rex reliquit puellam hæredem, nomine Margaretam, neptem regis Angliæ, tunc minoris ætatis, cuius custodia non ad regem Angliæ, velut ad dominum supremum peruenit, sed ad certos eiusdẽ regni Scotię proceres, ad hoc electos. Redarguebat etiam papa regẽ, eo quod post mortẽ dicti

* certitudinem.

dicti Alexandri regis, Scotos tanquam acephalos & ducis suffragium non habentes, ipsos per vim sibi subiugauit & metum, in præiudicium & grauamen non modicum Romanæ Ecclesiæ. Adiiciens quod cum dominus papa officium legationis alicui committit exequendum in regno Angliæ causa solutionis decimæ, vel etiam pro quauis alia causa rationabili, & huius legatio literis & priuilegio speciali apostolicæ sedis ad dictum regnum Scotiæ se non extendat, Resistendum est & obstandum huiusmodi legationi, prout tempore fœlicis recordationis Adriani contigit euidenter. Nam legatus ipse ad præfatum regnum Scotiæ aliquatenus admissus non extitit, donec per literas apostolicas speciales, sibi legationis officium fuit in eodem commissum. Item addidit quod idem regnum per beati Petri apostoli venerandas reliquias non sine superni dono muneris conuersum extitit ad fidei catholicæ vnitatem. Et qualiter in antiquis temporibus Eboracen. archiepiscopus, qui tunc erat, mota per eum supra iure Metropolitano, aduersus prælatos Scotiæ, quęstione, pro se nequiuit sententiam obtinere. His propositis mouit regem, dominus papa per literas suas, quod Episcopos abbates electos, & omnes alios regni Scotiæ quos detinebat captiuos in carcere libere abire permitteret, & quod officiales suos de regno Scotiæ memorato reuocaret, quos in præiudicium, iniuriam, & graue scandalum fidelium populorum, & oppressionem iustorum in dicto regno statuerat, & ordinauerat, ita quod acceptior & gratiosior fieret Deo, & fauorem apostolicæ sedis in hoc sibi adquireret plenius. Et si in eodem regno Scotiæ, vel aliqua eius parte, ius aliquod habere se asseret per procuratores & nuncios, ad hoc specialiter constitutos cum omnibus iuribus & munimentis, huiusmodi negotium tangentibus, ad sedem apostolicam destinaret, super præmissis plene complementum iusticiæ recepturus.

Papa mandat archiepiscopo Cantuar. quod præsentet Regi Anglia literas, quas sibi mittit pro Scotis.

BONIFACIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, vnerabili fratri archiepiscopo Cantuar. salutem, & apostolicam benedictionem, Frequens & inculcata fidedignorum assertio, ac famæ diuulgantis eloquium nostro patefecerint auditui, excessus, molestias, turbationem, damna, iniurias, & iacturas per charissimum in Christo filium nostrum Edwardum, regem Angliæ illustrem, & officiales, ac gentem ipsius, contra regnum Scotię ac prælatos, & clericos, & personas Ecclesiasticas, religiosas, & seculares, necnō Ecclesias, monasteria, & alia religiosa loca & habitatores & incolas dicti regni, & bona eorum etiā attemptata. Nosque nolentes, sicut nec debeamus, talia sub dissimulatione transire, regem ipsum per literas nostras, quas tibi mittimus, per te præsentandas eidem, seriosas, hortamur faciet, vt Episcopos clericos, & personas Ecclesiasticas dicti regni, quos adhuc tenere dicitur captiuatos, restitui faciet pristinę libertati, & officiales reuocet quos in eodem regno asseritur posuisse, atque ad præsentiam nostram suos mittat procuratores & nuncios, cum omnibus iuribus & munimentis suis, si crediderit in præfato regno, vel aliqua eius parte ius aliquod se habere. Nihilominus lites, quęstiones, & controuersias quaslibet, inter ipsum regem & prælibatum regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos, & personas seculares, eiusdem regni subortas, & quæ possunt in posterum ex quibuscunque causis præteritis exoriri, totumque negotium ad decisionem & determinationem sedis apostolicæ, per dictas nostras reducimus literas, & etiam reseruamus ac decernimns irritum & inane si secus scienter vel ignoranter à quoquam in hac parte contigerit attemptari. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium districte precipiendo mandamus, quatenus præfatas literas nostras eidem regi, sublato dilationis obstaculo, repræsentas, ac ipsum ad ea quæ sibi scribimus, vt in exhortationibus acquiescat efficaciter animes & inducas. Diem quoque quo sibi prædictas præsentaueris literas, & quicquid feceris, quidue ipse responderit & fecerit in hac parte nobis per tuas literas patentes, harum seriem continentes, fideliter & seriosius intimare procures. Datum Anagnini, 4. Kalend. Iulii, pontificatus nostri, anno quinto.

Litera missa regi Anglia Eadvvardo Primo, per Bonifacium papam, quod regnum Scotiæ pertinet ad Ecclesiam Romanam.

BONIFACIVS Episcopus, seruus seruuorum Dei, charissimo in Christo filio Eadwardo, regi Angliæ illustri, salutem, & apostolicam benedictionem. Scimus fili & longo iam temporis spatio, magistra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrē Ecclesiam, quæ te gerit in viscеribus charitatis regiæ deuotionis affectans exuberat reue-

rentiæ zelus viget, quodque promptus, & ſedis eius veris obtẽperas, beneplacitis acquieſcis. Quamobrem, firmam ſpem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis ſublimitas verba noſtra benigne recipiat, diligenter intelligat, efficaciter proſequatur. Sane ad celſitudinem regiam potuit peruenisſe, & in tuæ libro memoriæ nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus, regnum Scotiæ pleno iure pertinuit, & adhuc pertinere dinoſcitur ad Eccleſiam ſupradictam: quodque illud ſicut accepimus, progenitoribus tuis, regni Angliæ regibus, ſiue tibi feudale non extitit, nec exiſtit. Qualiter etiam claræ memoriæ Henricus rex Angliæ, pater tuus, tempore diſcordiæ ſiue belli inter ipſum & quendam Simonem de Monte forti, ſuoſque fautores & complices ſuſcitatæ, à recolendæ memoriæ Alexandro eiuſdem Scotiæ rege, ac ipſius Henrici genero auxilium ſibi petit exhiberi. Et ne huiuſmodi auxilium iure cuiuslibet ſubiectionis aut debiti petitum, ſeu præſtitum notaretur, præfatus Henricus eidem regi Scotiæ ſuas patentes duxit literas concedendas, per eas firmiter recognoſcens prædictum auxilium recepiſſe, vel ſe recepturum duntaxat de gratia ſpeciali. Præterea cum ſucceſſu temporis præfati regis Scotiæ, tui ſororii, tunc viuentis, in tuę coronationis ſolenniis habere præſentiam, affectares, ſibi per tuas patentes tenere literas curaſti, q; in ipſis ſolenniis eius habere præſentiam non ex debito, ſed tantum de gratia intendebas. Et cum etiam rex ipſe pro Tindaliæ ac de Poynerre terris, in regno Angliæ poſitis, ſe ad tuam præſentiam perſonaliter contuliſſet tibi fidelitatem ſolitam impenſurus, idem in præfatione fidelitatis huiuſmodi, multis tunc præſentibus, viuæ vocis oraculo, publice declarauit, quod pro terris eiſdem, ſitis tantum in Anglia, non vt rex Scotiæ, neque pro Scotię regno fidelitatem exhibeat eandem, quinimo palam extitit proteſtatus, quod pro regno ipſo tibi fidelitatẽ præſtare ſeu facere aliquatenus non debebat, vtpote tibi penitus non ſubiecto. Tuque ſic oblatam fidelitatem huiuſmodi admiſiſti. E tua quoq; non creditur excidiſſe memoria, qualiter eodem rege Scotię de medio quondã ſublato, Margareta puella, nepte tua, tunc minoris ætatis, hęrede ſibi relicta, non ad te velut ad dominum peruenit cuſtodia regni memorati, ſed certi eiuſdẽ regni proceres, ad eius cuſtodiam extiterunt electi, quodq; poſtmodũ diſpẽſatione ab apoſtolica ſede obtenta ſuper matrimonio contrahẽdo inter dilectũ filium nobilem virũ Eadwardum natũ tuum, & Margaretã prædictam dum viueret. Si ad id ꝓcerum dicti regni accederet vel haberetur aſſenſus, tu eiſdem ꝓceribus per tua ſcripta cauiſſe dinoſceris priuſquam vellent huiuſmodi matrimonio conſentire, q; regnum ipſum penitus liberũ, nulliq; ſubiectum, ſeu quouiſmodo ſubmiſſum in perpetuũ remaneret, quodq; in priſtinũ ſeu talem ipſius ſtatũ reſtitueretur omnino, ſi ex huiuſmodi matrimonio contrahendo liberos non extare cõtingeret, ac nomen & honorẽ vt prius pariter retineret, tam in ſuis ſibi ſeruandis legibus, & præficiendis officialibus dicti regni, quã Parliamentis tenẽdis tractandis cauſis in ipſo, & nullis eius incolis extra illud ad iudiciũ euocandis. Et q; in tuis patentibus literis inde confectis hæc plenius & ſeriouſius contineri noſcuntur. Præfata inſuper Margareta de præſenti luce ſubtracta, & tãdẽ ſuper ſucceſſione dicti regni Scotię ſuborta diſſenſionis materia inter partes ipſius regni ꝓceres, metuentes ſibi dictoque regno poſſe occaſione huiuſmodi præiudicium generari, non aliter ad tutam præſentiam extra ipſius accedere limites voluerunt, niſi per te patenti ſcripto caueretur eiſdem, q; id non fiebat ex debito, ſed ex gratia ſpeciali. Quodq; nullum exinde ipſius regni libertatibus poſſet diſpendiũ imminere. Et licet (vt dicitur) ſuper ſtatu eiuſdem regni Scotiæ ac eius prius habita libertate, regno ipſo tunc carẽte præſidio defenſoris, per ipſius regni ꝓceres, tunc velut acephalos, & duos vel aurigæ ſuffragium non habẽtes, ſiue per illum, cui præfati regni regimen licet indebite diceris commiſiſſe, cõtra morẽ ſolitum aliqua fuerint hactenus innouata, ea tamen vtpote per vim & metum, quę cadere poterant in cõſtantem elicita, nequaquã debent de iure ſubſiſtere, aut in eiuſdem regni præiudiciũ redundare. Cæterum nobis nullatenus venit in dubiũ, quin potius certi ſumus, quod cum apoſtolicæ ſedis præcellens authoritas per ſuas literas in Angliæ ac Scotię regnis ſimul alicui legationis cõmittit officium exequendum, vel pro quauis cauſa, quam rationabilem reputat, decimæ ſolutionem indicit, huiuſmodi apoſtolicæ literæ ad præfatum Scotię regnũ ſe aliquatenus nõ extendunt, ſpeciali prędictæ ſedis priuilegio Scotis indulto penitus obſiſtente, prout tempore fœlicis recordationis Adriani papæ prędeceſſoris noſtri, tũc S. Adriani diaconi Cardinalis, & per ipſius ſedis literas ſimul in regnis ipſis legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit euidenter. Nam legatus ipſe ad præfatũ regnum Scotiæ aliquatenus admiſſus non extitit, donec per literas ſpeciales apoſtolicas, ſibi legationis fuit commiſſum officium in eodem. Præterea noſcere poteſt regia celſitudo qualiter regnũ ipſum per beati

Andreæ

Andreæ apoſtoli venerandas reliquias,non ſine ſuperni numinis grādi dono acquiſitum, & conuerſum extitit ad fidei catholicæ vnitatē. Qualiter etiā antiquis temporibus Ebor. archiepiſcopus,qui tunc erat,mota per eum ſuper iure Metropolitico aduerſus prælatos Scotiæ quæſtione,in qua dictum antiquitus fuiſſe commemorat.Memento q; ſumus tui, vt cætera quæ inde ſequuntur ſilentio relinquamus,pro ſe ſententiam obtinere nequiuit, quāuis alia plura & varia,quę in hac parte rationabiliter ꝓponenda ſe offerunt,ex quibus ad hæc tibi ſcribenda mouemur,prætereat calamus,ne inde forſitan ſenſibus regiis tædiū generetur.Hæc profecto(fili chariſſime)infra clauſtra pectoris ſolicite cōſiderare te conuenit,& attendere diligenter,ex quibus nulli in dubium veniat,regnum Scotiæ prælibatum ad præfatā Romanā Eccleſiam pertinere,q; tibi nec licet nec licuit,in ipſius Eccleſiæ ac multorum præiudicium,per violentiam ſubiugare, tuæq; ſubiicere ditioni. Cum autē ſicut habet fidedigna, & noſtris iam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis affatibus diuulgatur,tu præmiſſa(vt debueras)non attendens,neq; debita conſideratione diſcutiens,& ad occupandum & ſubiugandum ditioni regiæ regnum ipſum,tunc regis auxilio deſtitutum, vehementer aſpirans, & tandem ad id exercens potentiæ tuæ vires,venerabilibus fratribus noſtris Roberto Glaſcuenſi,& Marco Sodorenſi Epiſcopis, & nonnullis clericis , & aliis perſonis Eccleſiaſticis dicti regni (vt dicitur) captis & carceralibus vinculis traditis:quorum aliquos (ſicut aſſeritur) ſqualor carceris violentus extinxit. Ac etiam occupatis caſtris, & (prout fertur) monaſteriis, aliiſque religioſis locis quamplurimis dirutis, ſeu deſtructis,ac damnis grauibus eiuſdem regni habitatoribus irrogatis,in eiuſdem regni partibus officiales regios poſuiſti, qui, prælatos, cæteros clericos,& Eccleſiaſticas ac etiam ſeculares dicti regni perſonas, multimodis perturbare moleſtiis & afflictionibus variis, & diuerſis impetere non verentur, in diuinæ maieſtatis offenſam,ſedis memoratæ contemptum, regiæ ſalutis & famæ diſpendium, iuris iniuriam & graue ſcandalum fidelium plurimorum. Regalem itaque magnificentiam rogamus & hortamur attente, ac obſecramus in eo, qui eſt omnium vera ſalus, quatenus ſolerter attendens, quod ex debito paſtoralis officii noſtris humeris incumbentis, ad conſeruanda & gubernanda ſolicite bona iuraque omnia Eccleſiæ ſupradictæ tenemur, quodque homini pluſquam Deo deferre non poſſumus, nec debemus, prædictos Epiſcopos,clericos,& perſonas Eccleſiaſticas,quos adhuc carcer regius tenet incluſos, pro diuinæ & apoſtolicæ ſedis,ac noſtra reuerentia(ſublato difficultatis & dilationis obiectu) benigne reſtitui facias priſtinæ libertati , dictoſque officiales de regno Scotiæ reuoces memorato. Sic te in his prout ſperamus & cupimus, promptis & efficacibus ſtudiis habiturum,vt apud cœleſtem regem pro minimis grandia rependētem,non immerito reddaris acceptior,gratior habearis,& præter laudis humanę præconium tibi proinde prouenturum,apoſtolicæ ſedis fauorem & gratiam poſſis vberius promereri. Si vero in eodem regno Scotiæ,vel aliqua eius parte ius aliquod habere te aſſeris , volumus quod tuos procuratores & nuncios ad hoc ſpecialiter conſtitutos cum omnibus iuribus & munimentis tuis,huiuſmodi negotium contingentibus,infra ſex menſes à receptione præſentium numerandos,ad noſtram præſentiam mittere non omittas , cum parati ſumus tibi tanquam dilecto filio plene ſuper præmiſſis exhibere iuſticiæ complementū , & iura (ſiqua habes) inuiolabiliter obſeruare.Nos enim nihilominus ex tunc lites, quæſtiones , & controuerſias quaslibet,inter te deniq; & regnum Scotiæ,ac prælatos,clericos,& perſonas ſeculares eiuſdem ſubortas,& quæ poſſunt in poſterū ex quibuſuis cauſis prædictis exoriri, totumque negotium prædicta contingens,aut aliquod eorundem,ad cognitionem & determinationem ſedis eiuſdem,præſentium tenore reducimus,& etiam reſeruamus, decernentes irritū & inane,ſi ſecus ſcienter vel ignoranter à quoquo in hac parte contigerit attemptari.Datum Anagniæ 5.Kalend.Iulii,Pontificatus noſtri Anno quinto.

Certificatio archiepiſcopi,domino papæ miſſa, ſuper negotia Scotiæ.

Sanctiſſimo in Chriſto patri, & domino ſuo reuerendo,ſi placet,domino Bonifacio diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo pontifici, ſuus filius deuotus Robertus,permiſſione diuina Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis,pedum oſcula beatorū,cum promptitudine iuxta poſſe parendi mandatis papalibus ac prę-ceptis.Mandatum ſanctæ & reuerēdæ paternitatis veſtræ ſub Bulla plumbea nuper recepi,tenorem continens infra ſcriptum.Bonifacius Epiſcopus,& cæt.Frequens & inculcata fide dignorum.&cæt.de verbo ad verbum recitādo totam Bullam proximo præcedentem.Cuius delator quaſdam alias literas apoſtolicas nobili principi domino Eadwardo, Dei gratia,regi Angliæ illuſtri directas,& per me ex iniuncto paternitatis veſtræ præſen-

tandas in continenti exhibuit,quasi sub eodem contextu.Quo quidem mandato vestro, vna cum literis suprascriptis reuerenter admisso,ac statim corã me recitato,præparaui sarciunculas,vecturas,& sumptus,ex tunc de die in diem,& familiam ordinaui ad veniendũ pro expositione & expeditione eorum,quæ mihi per vos mandabantur ad ipsum dominũ regem,qui tunc agebat in remotioribus partibus regni sui,versus Scotiam distantibus,à loco vbi mandatum vestrum receperam per viginti vel circiter moderatas dietas. Et antequam venirem continuatis dietis cum omni festinatione ad ciuitatẽ Carleolum,quę est in marchia Scotiæ,ingressus fuit idem rex cum exercitu suo partẽ regni Scotiæ,quę vocatur Galuedia.Cumq; diligenter explorãdo recepissem à viris fidedignis secularibus & religiosis,ipsius patriæ notitiam habentibus,quod ad regem vsque ad Kriandbright,in arctis- 10
simis locis Galuediæ progressum, mihi tutus non patebat accessus,tamen propter Scotos sine capitis regimine existentes,& alios latrunculos,prædas & sanguinem Anglorũ sitientes, qui cum duce exercitus eorundem occupauerant media loca inter Carleolum & ipsum dominum regem,distantẽ ab eadẽ ciuitate fere per quadraginta miliaria, cum propter victus & hospitii defectum,qui in itinere medio,vastata tota patria,reperire vel per eam asportari nequibant.Ego per obedientiæ necessitatem ex parte vna,& per tanta pericula in tam longinquis partibus de mea diœcesi & prouincia, quæ ex altera nimiũ non vrgebant arctatus,maxime non inuento inter seculares vel religiosos quoquam,qui aduentus mei causam ipsis Scotis verbotenus,vel per literas meas propter mortis periculum an- 20
deret deferre,& mihi securum conductum petere ab eisdem,aliud remedium prout potui exquirens,direxi duos de familiaribus meis ad Dominum regem prędictum,cum literis meis, nauigio per quosdam periculosos transitus maris, significans sibi per easdem aduentum meum & eius causam,& petens quod propter reuerentiam sedis Apostolicæ,cuius erã nuntius,sibi significaret,vbi,qualiter,& quando,ad eum tute accedere possem propter viarũ discrimina, quæ sibi per easdem meas literas nunciaui.Cuius responsio ab eisdẽ nunciis,non minima pericula in mari & itinere eundo & redeundo euasis,per literas regias mihi delato,quibus continebatur quod ipse dominus rex nihil securi pro me sciuit ad vitanda dicta pericula,quam quod cum domina regina vxore sua,pro qua miserat, venirẽ ad partes Gerewikes,ad locum vbi disposuit eidem dominæ obuiare, deficiente nauigio, quo vna cum equis & familiaribus meis necessariis vehi possẽ per mare,quod dum nuncii 30
mei transierunt tam periculose versus regem, ventis etiam quasi continue validis & contrariis existentibus morabar in confiniis Scotiæ,quęrendo de loco in locum victus sufficientiam potius quam abundãtiam,circa sex septimanas securioris progressus ad regem opportunitatem non tam dispendiose quam anxie expectando. Deniq; cum audirem diligentius explorando, quod idẽ dominus rex cum exercitu suo in redeundo versus castrũ de Caerlandrok, quod prius ceperat,in Scotia fixisset tentoria, iuxta nouam Abbatiam Duzquer in Galuedia,malens periculo me meos ac mea exponere, quam in tam longinquis partibus quodammodo vacuis,extra meam diœcesim & prouinciam diutius sic languere,latitans in quibusdam locis secretis iuxta mare,quod diuidit Angliam & Galuediã, captata tẽporis oportunitate, in refluxu maris ductus ab his,quos non oportebat viæ trãsitus ignorasse, transiui per quatuor meatus aquarũ maritimos cum equis & phaleris,nomine magis(ratione profunditatis aquarum)quam littoris & viuorum fabulorum introitu & exitu periculosos,& quasi inopinate veni die Veneris proximo post festũ sancti Bartholomei Apostoli,vltimo iam transacto, ad dictum dominum regem,in medio exercitu suo tunc in prandio existentem,& quia non potuit vt dicebat eo die vacare,mãdauit mihi illo die in sero per duos de maioribus Comitibus, qui tunc assistebant ei, quod in crastino, videlicet Sabbato sequente, audiret me benigne. Adueniente igitur ipso die Sabbati coram deuotissimo iuueni,domino Eadwardo filio dicti regis, Cõitibus, Baronibus,& aliis militibus sui exercitus,in magna multitudine confluentibus, ac dicto domino regi assistentibus,recitato mandato vestro prædicto, mihi transmisso, literas sanctæ paternitatis vestræ 50
præfato domino regi directas, authoritate eiusdem mandati præsentaui eidem, quas ipse dominus rex reuerenter recipiens,eas publice legi coram omnibus,& in Gallica lingua fecerat patenter exponi.Quibus auditis patienter à singulis,animaui ipsum & induxi modis quibus potui & sciui quod vestris exhortationibus, quo ad ea quæ in dictis literis exponebantur, pareret in omnibus reuerenter. Postmodum me secedente ab eo cum clericis meis ad mandatum suum, dum deliberaret super his cum dictis proceribus suis, ac demum reuocato respondit mihi coram eisdem per interpositam personam sub hac forma.

Respon-

Responsio archiepiscopo Cantuariensi ad literas apostolicas.

Domine archiepiscope, feciſtis ex parte ſuperioris & reuerendi patris, domini papæ, quandam monitionem, contingentem ſtatum & ius regni Scotiæ, verum quia conſuetudo eſt regni Angliæ, quod in negotiis contingentibus ſtatum eiuſdem regni, requiratur conſilium omnium quos res tangit, ac inſtans negotium regni Scotiæ tangit ſtatum & ius regni Angliæ, pluresque ſunt prælati, Comites, Barones, & alii regni Angliæ proceres abſentes, qui non ſunt nec fuerunt in iſto exercitu, quos dictum contingit negotium, quibus etiam inconſultis reſponderi non poterit dicto ſummo patri noſtro aut vobis finaliter. In hac parte intendit, dominus noſter rex ſuper contentis in literis dicti patris, quam citius poterit commode eoſdem abſentes & nunc præſentes, ſimul conſulere, & cum eiſdem deliberatius tractare, ac per nuncios proprios eidem ſummo pontifici ſuper his de communi eorum conſilio reſpondere. Quod quidem reſponſum, idem dominus rex ſic in ſua præſentia nomine ſuo factum ratificauit, ac etiam expreſſe approbauit. Dum igitur cum tali reſponſo coram tanta multitudine magnatum & aliorum fidedignorum mihi facto, licentiatus diuertiſſem ab eo, & verſus propria reuertiſſem, audiui quod idem dominus rex ſtatim infra quatriduum poſt receſſum meum, rediit cum exercitu ſuo ad partes Angliæ, & ſingulis quaſi de exercitu ſuo ad propria cum equis & armis remeantibus, idē dominus rex exercitu ſic diſperſo, paucis enim comitantibus & ſecum retentis, perendinare diſpoſuit, vt dicebatur communiter, apud quandam abbatiam, quæ vocatur Holmcoltran, in confiniis Scotiæ ſupra mare. Et ſic mandatum veſtrum cum omni qua potui diligentia ſum reuerenter in omnibus executus. Valeat ſemper & creſcat in domino ad ſuæ Eccleſiæ regimen apoſtolica celſitudo veſtra. Datum apud Otteford. 8. Idus Octobr. anno domini 1300.

Rex apoſtolicis literis, ex deliberato apud Lincolniam conuocato Concilio pro iure ſuo declarando, literas huius tenoris reſcripſit.

Responsio Eadwardi regis Angliæ propter negotia Scotiæ, domino papæ Bonifacio miſſa.

Sanctiſſimo in Chriſto, patri domino Bonifacio, diuina &c. cæt. Eadwardus. & cæt. infra ſcripta, non in forma nec in figura iudicii, ſed omnia extra iudicium pro ſeruanda ſanctæ paternitatis veſtræ conſtantia, vobis tranſmittimus exhibenda. Altiſſimus inſpector cordium veſtræ ſcrinio memoriæ indelebili ſtylo nouit inſcribi, quod anteceſſores & progenitores noſtri, reges Angliæ, iure ſuperioris & directi dominii ab antiquiſſimis retro temporibus regno Scotiæ, & omnibus ipſius regibus & temporibus annexis, præfuerunt, & ab eiſdem pro regno Scotiæ & eiuſdem proceribus, à quibus habere volebant, legalia homagia receperunt, & fidelitatis debita iuramenta receperunt. Nos iuris & dominii poſſeſſionem continuantes huiuſmodi pro tempore noſtro, eadem iuramenta recipimus tam à rege Scotiæ quam ipſius regni proceribus. Quinimo tanti iuris & dominii prærogatiua ſuper regnum Scotiæ & eiuſdem reges gaudebant, quod regnum ipſum fidelibus ſuis conferebant. Reges etiam ex iuſtis cauſis amouebant & conſtituerunt ſub ſe loco ipſorum alios regnaturos, quæ procul dubio ab antiquo notoria fuiſſe & eſſe creduntur apud omnes, licet aliud forſan paternis veſtris auribus per pacis æmulos, & rebellionis filios, falſa inſinuatione ſuggeſtum fuerit, à quorum machinoſis & imaginariis figmentis, vt veſtræ ſanctitatis oculus auertatur ſuppliciter quæſumus, & paternam clementiam & excellentiam deuotis affectibus exoramus, vt breuitatis cauſa geſtis antiquorum temporum ſaluis quiddam exempli cauſa tangamus. Sub temporibus itaque, Ely & Samuelis prophetarum, vir quidam ſtrenuus & inſignis, Brutus nomine de genere Troianorum, poſt excidium vrbis Troianæ cum multis nobilibus Troianorum applicuit in quandā Inſulam tunc Albion vocatam, à gigantibus inhabitatam, quibus ſua & ſuorum ſeductis potentia, & occiſis, eam nomine ſuo Britanniam ſocioſque ſuos Britannos appellauit, & ædificauit ciuitatem, quam Trinouantum nuncupauit, quę modo Londinum nuncupatur. Et poſtea regnum ſuum tribus filiis ſuis dimiſit, ſcilicet, Locrino primogenito illam Britanniæ partem, quæ nunc Anglia dicitur, & Albanacto filio ſecundo nato, illam partem quæ tunc Albanea à nomine Albanacti, nunc vero Scotia nuncupatur. Et Cambro filio iuniori partem illam nomine ſuo tunc Cambriam vocatam, quæ nūc Wallia vocitatur, reſeruata Locrino regia dignitate. Itaque biennio poſt mortem Bruti, applicuit in Albania quidam rex Hunorum, nomine Humber, & Albanactum fratrem Locrini occidit, quo audito Locricus rex Britonum perſecutus eſt eum, qui fugiens, ſubmerſus

mersus est in flumine, quod de nomine suo Humbrus vocatur, & sic Albania reuertitur ad illum Locrinum. Item Dunwallo rex Britonum, Scatarum regem Scotiæ sibi rebellem occidit,& terram eius in deditionem recepit. Item duo filii Dunwallionis, scilicet Belinus & Brennius,inter se regnum patris sui diuiserunt,ita quod Belinus senior,diadema insulæ cum Britannia Wallia & Cornubia possederit. Brennius vero sub eo regnaturus Scotiam acciperet,petebat enim Troiana consuetudo, quod dignitas hæreditatis primogenito perueniret. Item Arthurus rex Britonum famosissimus, Scotiam sibi rebellem subiecit,& pene totam gentem deleuit. Et postea quendam nomine Ancelmum regem Scotiæ præfecit. Et cum postea idem rex Arthurus apud ciuitatem Legionum, festũ faceret celeberrimum,interfuerũt ibi omnes reges sibi subiecti,inter quos Ancelmus rex Scotiæ,seruitium pro regno Scotię exhibens debitum,gladium regis Arthuri detulit ante ipsum, & successione omnes reges Scotiæ omnibus regibus Britonum fuerunt subiecti. Succedentibus autem regibus Angliæ in prædicta Insula,& ipsius monarchia & dominiũ obtinentibus subsequenter.

Anno gratiæ 907. Eadwardus Senior, Alfridi regis filius, dictus filius Chisodi regis Angliæ,Scotorum,Cumbrorum,& Stregewallorum reges, tanquam superiori domino,subiectos habuit & submissos. Anno gratiæ 933. Æthelstanus rex Angliæ, Constantinum regem Scotorum sub se regnaturum constituit,dicens,gloriosius esse regem facere, quam regem esse. Et est in memoria q̃ idem Æthelstanus, intercedente sancto Ioanne de Beuerlaco,quondam archiepiscopo Eboracensi,Scotos rebellantes ei deuicit,qui gratias Deo deuote agens,Deum exorauit,petens vt interueniente beato Iohanne, ei aliquod signum euidens ostenderetur,quo tam succidentes quam præcedẽtes cognoscere possent Scotos iure subiugari regno Anglorum, & videns quosdam scopulos iuxta quendam locum de Dumbar in Sbotia præeminere, extracto gladio de vagina percussit in silicem, qui lapis ad ictum gladii, Dei virtute agente,ita cauatur,vt mensura vlnæ posset longitudini coæquari. Et huius rei hactenus euidens signum apparet in Beuerlacensi Ecclesia in legenda beati Iohannis,quasi singulis hebdomadis per annum,ad laudem & honorem sancti Iohannis,pro miraculo recitatur. Et de hoc extat celebris memoria, tam in Anglia quam in Scotia,vsque in diem præsentem. Item Constantinus rex Scotorum, & Euganus rex Cumbrorum,ad prædictum regem Angliæ Æthelstanum,post aliquam dissensionem inter eos habitam,venientes,se cum regnis suis eidem Æthelstano dedidere, cuius facti gratia filium Constãtini,ipse Æthelstanus de sacro fonte suscepit. Anno gratiæ. 948. Eadredo regi Angliæ,Scoti sine bello se subdiderunt,& eidem regi Eadredo,tanquam domino fidelitatem iurauerunt. Item anno gratiæ 974. cum Eadgarus rex Angliæ regem Scotorum Kinadium,& Cumbrorum Malcolmum, regesq; plurimarum insularum, scilicet Maccum,aliosque quinque regulos subiugasset, videlicet Dunwal, Siferth, Huwal, Iacob,Inchel,& remigando per flumen Deuæ, in quadam naui prope proram sedisset,fertur ipsum dixisse, successores suos posse gloriari se reges Anglorum esse, cum tanta honoris prærogatiua fruerentur, quod subiectam haberent tot regum potentiam. Post dictum Eadgarum successiue regnauerunt reges Angliæ. Dominus Eadwardus martyr, Æthelredus frater eius. Eadmundus,dictus Ironsyde,filius Æthelredi, & Cnutus anno gratiæ,1017. qui eorum temporibus regnum Scotiæ in sua subiectione pacifice tenuerunt, hoc duntaxat excepto,quod 15. anno prædicti Cnuti,idem Cnutus Scotos rebellantes expeditione illuc ducta, & regem Scotiæ Malcolmum paruo subegit negotio, subditusque est eidem prædictus Malcolmus. Quibus Haraldus filius Cnuti & Hardecnutus frater eius, vnus post alium, reges Angliæ successerunt, qui sibi sic regnantibus subiectionem regni Scotiæ pacificam habuerunt. Anno gratiæ 1054. sanctus Eadwardus, rex Angliæ regnum Scotiæ Malcolmo, filio regis Cumbrobrum, de se dedit tenendum. Item anno gratiæ 1072. Gulihelmus Bastardus,rex Angliæ,cognatus dicti Eadwardi, à Malcolmo rege Scotiæ,tanquam a suo homine sibi subdito, recepit homagium. Anno gratiæ 1091. Gulihelmo Rufo regi Angliæ,prædictus Malcolmus rex Scotorum iuramento fidelitatis subiectus fuit. Anno gratiæ 1092. prædictus Gulihelmus, Duncualdum de regno Scotiæ, ex iustis causis, amouit, & Duncanum filium Malcolmi regno Scotiæ præfecit, & recepit ab eo fidelitatem & iuramentum,dictoque Duncano dolose perempto, dictus rex præfatum Duncualdum, qui iterum regnum Scotiæ inuaserat, amouit ab eodem, & Eadgarum filium Malcolmi regem Scotiæ constituit, & eidem regnum illud donauit. Cui successit Alexander frater Eadgari, consensu regis Angliæ Henrici Primi, fratris dicti regis Gulihelmi Rufi. Anno gratiæ 1126. Matildi Imperatrici, filiæ & hæredi

Henrici

Henrici regis prædicti, Dauid rex Scotiæ fecit homagium & fidelitatem. Item regi Angliæ Stephano Henricus, filius dicti regis Dauid, fecit homagium. Item Gulihelmus rex Scotiæ pro regno Scotiæ, & Dauid filius eius, Comites & Barones regni Scotiæ deuenerunt, homines Henrici, filii regis Henrici secundi, in crastino coronationis prædicti Henrici filii regis Henrici secundi, patre adhuc viuente, & fidelitatem ei iurauerunt contra omnes homines, salua fidelitate debita patri viuenti. Anno vero 20. regni regis Henrici secundi prædicti, dictus Gulihelmus rex Scotorum rebellare incipiens, venit in Northumbriam cum exercitu magno, & exercuit in populo stragem magnam, cui occurrentes milites Comitatus Eboracen. apud Alnewyke, ipsum ceperunt, & domino Henrico regi Angliæ reddiderunt. Anno (1175.) sequenti, quintodecimo Kalend. Martii, est idem rex Gulihelmus permissus libere abire. Postea vero apud Eboracum anno eodem, septimo Kalendas Septembris, idem Gulihelmus rex Scotorum, de cõsensu prælatorum, Comitum, & Baronum, procerum & aliorum magnatum regni Scotiæ domino suo regi Angliæ Henrico filio Matildis Imperatricis prædicto, suis literis patentibus cauisse noscitur, quod ipse & hæredes & successores sui reges Scotię, Episcopi, abbates, Comites & Barones, & alii homines regni Scotiæ, de quibus dominus Henricus habere voluerit, facient regibus Anglię homagium, fidelitatem, & ligeantiam, vt ligio domino contra omnem hominem, & in signum subiectionis huius, idem Gulihelmus rex Scotorum, capulum lanceam & cellam suam super altare beati Petri Eboraci obtulit, quæ in eadem Ecclesia vsque in hodiernum diem remanent & seruantur. Item Episcopi, Comites, & Barones dicti regni Scotiæ, conuentionauerunt vt verbis eiusdem couentionis vterentur domino regi Angliæ & Henrico filio suo prædictis. Quod si rex Scotiæ aliquo casu à fidelitate regis Angliæ, & conuentione prædicta recederet, ipsi cum domino rege Angliæ tenebunt, sicut cum ligeo domino suo contra regem Scotiæ, quousq; ad fidelitatem regis Angliæ redeat. Quam quidem compositionem fœlicis recordationis, Gregorius papa nonus, in diuersis scriptis, regibus Angliæ & Scotiæ directis, mandauit firmiter obseruari, continentibus etiam inter cætera, quod Gulihelmus & Alexander, reges Scotiæ, regibus Angliæ Iohanni & Henrico ligeum homagium & fidelitatem fecerunt: quæ tenentur successores eorum, Comites & Barones regni Scotiæ, ipsis & suis successoribus exhibere. Item quod idem rex Scotiæ homo ligius, sit ipsius Henrici, regis Angliæ, & eidem fidelitatis præstitit iuramentum, quo se principaliter astrinxit quod in ipsius regni & regis Anglię detrimentum nihil debeat penitus attẽptare. Et papa Clemens scribens regi Angliæ, pro Iohanne Episcopo sancti Andreæ, expulso ab Episcopatu suo per regem Scotiæ, inter cætera rogauit vt Gulihelmum regem Scotiæ moueret & induceret, & si necessariũ fuerit, districtione regali, qua ei pater præeminet, & concessa suæ regiæ celsitudini potestate compelleret, vt ipso Episcopo omnem rancorem animi remitteret. & Episcopatum suum eum habere in pace permitteret. Et post conuentionem prędictam in Ecclesia beati Petri Eboracę. coram prædictis regibus, Angliæ, & Scotiæ, & Dauide fratre suo, & vniuerso populo, Episcopi, Comites, & Barones, & milites terræ regni Scotiæ iurauerunt domino regi Angliæ, & Henrico filio suo, & hæredibus eorum, fidelitatem contra omnem hominem sicut legiis dominis suis. Anno (1194.) idem Gulihelmus rex Scotiæ ad mandatum Henrici regis prædicti, venit apud Northamptonam ad Parliamẽtum dominj sui, adducens secum omnes Episcopos, abbates, & priores, totius regni sui. Et venit etiam ad mandatum eiusdem regis in Normanniam. Et idem rex Scotorũ Gulihelmus post decessum regis Henrici, veniens Cantuariam, Richardo regi Angliæ, filio & hæredi dicti Henrici, fecit homagium. Quo Richardo viam vniuersæ carnis ingresso, præfatus Gulihelmus Iohanni regi Angliæ, fratri & hæredi prædicti Richardi extra ciuitatem Lincoln. in conspectu totius populi super quendam montẽ fecit homagium, & iurauit ei fidelitatẽ super crucem Huberti, tunc Cantuar. archiepiscopi, & eidem Ioanni domino suo cõcessit per Chartam suam, quod Alexandrũ filium tuum, sicut hominem ligium suum maritaret, promittendo firmiter in Charta eadem, quod idem Gulihelmus rex Scotiæ, & Alexand. filius suus, Henrico filio Iohannis regis Angliæ, tanquam ligio domino suo, contra omnes mortales fidem & fidelitatem tenerent. A quo quidem Gulihelmo rege Scotiæ, postmodum pro eo quod desponderat filiam suam Comiti Boloniæ præter regis Ioannis domini sui assensum, & pro transgressione & temeraria præsumptione huius debitam satisfactionem suscepit. Item Alexander rex Scotiæ, sororius noster, regi Angliæ Henrico, patri nostro, pro regno Scotiæ, & postea nobis fecit homagium. Vacante deinde regno Scotiæ per mortem Alexandri regis illius & subsequenter per mortem Margaretæ eiusdẽ Scotiæ

reginæ

reginæ & dominæ, proneptis noſtræ, Epiſcopi, abbates, priores, Comites & Barones, proceres, & cæteri nobiles, & communitates totius regni Scotiæ, ad nos tanquam ad ligeum defenſorem, ducem, aurigam, capitaneum & dominum capitalem eiuſdem regni Scotiæ, ſic vacantis, gratis & ſpontanea voluntate accedentes, prout tenebantur, de iure ius noſtrum progenitorum & anteceſſorum noſtrorum ac poſſeſſionē ſuperioris & directi dominii in regno eodem & ipſius regni ſubiectionem ex certa ſcientia pure, ſimpliciter, & abſolute recognouerunt, & præſtitis ab eis nobis, tanquam ſuperiori & directo domino Scotiæ, debitis & conſuetis fidelitatis iuramentis, ac ciuitatibus, burgis, villis, & cæteris munitionibus eiuſdem regni in manu noſtra traditis, ad cuſtodiam eiuſdem regni certos iure noſtro regio officiales & miniſtros deputauimus, quibus ipſi tempore vacationis huius concorditer fuerunt obedientes & intendentes regiis noſtris præceptis & mandatis. Anno (1291.) poſtmodum autem diuerſæ perſonæ ſuper ſucceſſione in dictum Scotiæ regimen iure hæreditario inter ſe contendentes, ad nos tanquam ad ſuperiorem dominum regni Scotiæ acceſſerunt, petentes ſuper ſucceſſione regni prædicti, ſibi per nos exhiberi in regnum prædictum iuſticiæ complementum, volentes & expreſſe conſentientes cora nobis, tanquam coram ſuperiori & directo domino regni Scotiæ, in omnibus ordinandis ſtare & obtemperare. Ac demum iudicialiter ꝓpoſitis, & ſufficienter auditis, rimatis, & examinatis, & diligenter intellectis partium iuribus, finaliter & in preſentia omnium prælatorū & nobilium, quaſi totius regni Scotiæ, & de voluntate & aſſenſu expreſſo eorundē ꝓcedentes, Ioannem de Balliolo debite præfecimus in regem Scotorum, quem tunc ſucceſſiue in eiuſdem regni hæredis iura inuenimus habere potiora. Qui quidē prælati, Comites, & Barones, communitates ac cæteri incolæ regni ipſius, ſententiam noſtram expreſſe audierunt, acceptauerunt, & approbauerunt, & ipſum Ioannem de mādato noſtro, virtute huius iudicii, in regem ſuum admiſerunt. Ac idem Iohannes, rex Scotiæ, pro regno ſuo prædicto, nobis homagium debitum & conſuetum fecit, & fidelitatis iuramentū præſtitit, & ex tunc tam in Parliamentis quam Conſiliis noſtris, de mandato noſtro veniens, tanquam ſubditus noſter, ſicut alii de regno noſtro, interfuit. Et noſtri, tanquam domini ſui ſuperioris, beneplacitis & mandatis in omnibus obediens & intendens extitit, quouſque idem Iohannes rex Scotiæ, & Prælati, Comites, & Barones, nobiles, communitates, ac cæteri incolæ maiores eiuſdem regni, ex præconcepta malitia, ac prolocuta, & præordinata proditionem, communicato conſilio tunc cum inimicis noſtris capitalibus notoriis amicitias copularūt, ac pactiones, conſpirationes, & coniurationes, in exhæredationem noſtram, & hæredum noſtrorum, ac regni noſtri contra debitum homagium, in crimen leſæ maieſtatis nequiter incidendo, fidelitatis iuramentum inierunt cum eiſdem. Verum cum præmiſſa, relatione & fama publica conſentiente, ad aures noſtras deueniſſent, volentes futuris periculis præcauere, quæ ex his & aliis poſſint nobis, regno noſtro, & regni noſtri incolis veriſimiliter peruenire, pro aſſecuratione regni noſtri acceſſimus ad confinium regni vtriuſque, pluries mandantes eidem Iohanni, tunc regi Scotiæ, vt ad certa loca in cōfinio prædicto ad nos accederet, ſuper præmiſſis & aliis, aſſecurationis ſtatum, tranquillitatem, & pacē regni vtriuſque contingentibus, tractaturus. Qui ſpretis mandatis noſtris, in ſua perſiſtens perfidia, ad bellicos apparatus cum Epiſcopis, Prælatis, Comitibus, & Baronibus regni Scotiæ, ac etiā aliis exteris conductitiis contra nos, regnū noſtrum & regni incolas, hoſtiliter ſe conuertens, accinxit, & ad hoſtiles aggreſſus & incurſus ꝓcedens, regnum noſtrum inuaſit, & quaſdam villas regni noſtri Angliæ, per ſe & ſuos deprędatus eſt, eas vaſtauit incendio, homines noſtros interfecit, & nonnullis nautis noſtris per eos peremptis, naues hominum noſtrorum regni Angliæ comburi fecit, & è veſtigio aggredi, denegatiſq; nobis homagio & fidelitate, tam pro ſe quā pro aliis quibuſcunq; regni ſui incolis per literas eiuſdem regis, verba offenſionum exprimentes, & inter alia, verba diffidationis continentes. Comitatus noſtros Northumbriæ, Cumbriæ, & Weſtmerlandiæ regni noſtri Angliæ, congregato exercitu ingenti hoſtiliter per ſe & ſuos inuaſit, ſtragem innumeram hominum noſtrorum, incendia monaſteriorum, Eccleſiarum, & villarum inhumane perpetrando, & patriam vndique depopulando, infantes in cunabulis, mulieres in puerperio decubantes gladio trucidarunt, & quod auditu horrendum eſt, à nonnullis mulieribus mammas atrociter abſciderunt, paruos clericulos primam' tonſuram habentes, & grammaticam addiſcentes, ad numerum circiter ducentorum, in ſcholis exiſtentes, obſtructis oſtiis ſcholarum, igne ſuppoſito cremauerunt. Nos quoque cernentes tot damna, opprobria, facinora, & iniurias in exhæredationem noſtram, & deſtructionem populi noſtri proditionaliter nolentes

lentes ratione iuramenti, quo ad conseruationem iurium coronæ regni nostri sumus astricti, præmissa facinora vlterius concelare, nec iura nostra relinquere indefensa. Cum per leges ipsum Iohannem, tunc regem Scotiæ, gentemque suam, nobis subditam, iustificare possemus, nec ipsum regnum Scotiæ, quod à longissimus temporibus sicut superius exprimitur, nobis & progenitoribus nostris feodale extitit, in causis præmissis contra dictum Iohannem gentemque Scotorum vires potentiæ nostræ extendimus, prout de iure nobis licuit, & processimus contra ipsos, tanquam hostes nostros & proditores. Subiecto itaque regno Scotiæ, & iure proprietatis ditioni nostræ subacto, præfatus Iohannes, quondam rex Scotiæ, ipsum regnum Scotiæ, quatenus de facto tenuit, sponte pure & absolute reddidit in manus nostras, proditiones & scelera memorata coram nobis & proceribus nostris publice recognoscens. Quo peracto, præfati Comites & Barones, nobiles & communitates regni Scotiæ, quos ad pacem nostram regiam susscepimus, subsequenter homagia & fidelitatem nobis, tanquam immediato domino & proprio eiusdem regni Scotiæ, fecerunt. Ac etiam redditis nobis eiusdem regni ciuitatibus, villis, Castris, munitionibus, ac cæteris locis omnibus ad dictum regnum spectantibus, officiales nostros & ministros ad regimen eiusdem regni Scotiæ præfecimus iure nostro. Et cũ iure pleni dominii in possessione eiusdem regni existere dinoscamur, non possumus nec debemus, quin insolentiam subditorum nostrorum rebellium, si quos inuenerimus, præeminentia regia prout expedire viderimus reprimamus. Quia vero ex præmissis & aliis constat euidenter, & notorium existit, prælibatum regnum Scotiæ, tam possessionis quã proprietatis, ad nos pertinere pleno iure necquicquam fecimus vel cauerimus, scripto vel facto, sicuti nec possem', per quæ iuri aut possessioni prędictis debeat aliqualiter derogari, sanctitati vestræ humiliter supplicamus, quatenus præmissa prouida prędmeditatione pensantes ex illius vestri animi motu dignemini informare, suggestionibus contrariis æmulorum in hac parte fidem nequaquam adhibendo, quinimo statum nostrum & iura nostra regia supradicta habere velitis, si placet paternis affectibus, commendata. Conseruetur paternitas vestra ad regimen Ecclesiæ suæ sanctæ, per tempora prospera & longœua. Datum apud Kynardesey, Idibus Maii, anno 1301. & regni nostri 29. Quantum vero ad hoc, quod petiuit papa, quod si rex Angliæ ius haberet in regno Scotiæ, vel in aliqua eius parte, procuratores & instructos mitteret, & fieret ei iusticiæ complementum. Rex per se noluit, sed hoc commisit Comitibus, & aliis terræ proceribus, qui super hæc domino papæ huius tenoris literas rescripserunt.

Literæ, quas Comites & Barones Angliæ miserunt domino papæ, super negotio Scotorum.

Sanctissimo in Christo patri, domino Bonifacio, diuina prouidentia sanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ summo pontifici, sui deuoti filii, Iohannes Comes Warrenn. Thomas Comes Lancastriæ, Radulphus de Monte Hermeti Comes Gloceſtriæ & Hertfordiæ, Humfridus de Bohun Comes Hereford. & Essex, & Constabularius Angliæ, Rogerius Bigot, Comes Norf. & Marescallus Angliæ, Guido comes Warwic. &c. deuota pedum oscula beatorum &c. Sancta Romana mater Ecclesia, per cuius ministerium fides catholica in suis actibus cum ea vt firmiter credimus & tenemus, maturitate procedit q, nulli præiudicare, sed singulorum iura conseruari velit illęsa. Sane conuocato nuper per serenissimum dominum nostrum Eadwardum, Dei gratia, regem Angliæ illustrem, Parliamento apud Lincolniam generali, idem dominus noster quasdam literas apostolicas, quas super certis negotiis conditionem & statum regni ex nostra parte receperat in medio exhiberi, ac serioſe nobis fecit exponi. Quibus auditis & diligentius intellectis tã sensibus nostris admiranda quã hactenus inaudita in eis audiuimus contineri. Scimus enim pater sanctissime, & est notoriũ in partibus nostris, ac nõnullis aliis non ignotum, quod à prima institutione regni Angliæ, reges eiusdẽ regni, tam temporibus Britonum quã Anglorum, superius & directum dominiũ regni Scotiæ habuerunt in possessione, vel capitanei superioritatis, & rectitudini ipsius Scotiæ succesſiuis temporibus extiterunt, nec vllis tẽporibus ipsum regnum in temporalibus pertinuit vel pertinet, quouis iure ad Ecclesiã vestram supradictam. Quinimo idem regnum Scotiæ progenitoribus dicti regis nostri, regibus Angliæ, atque sibi, feodale extitit ab antiquo, nec etiam reges Scotorum, & regnũ aliis, quam regibus Angliæ, subfuerunt vel subiici consueuerunt. Neque reges Angliæ super iuribus suis in regno prædicto, aut aliis suis temporalibus, coram aliquo iudice Ecclesiastico vel seculari, ex præeminentia status suæ regiæ dignitatis & cõsuetudinis, cunctis temporibus irrefragabiliter obseruatæ, respondere debebant. Vnde habito

habito tractatu & deliberatione diligenti super cõtentis in literis vestris memoratis, communis, concors, & vnanimis omnium nostrum & singulorum consensus fuit, est, & erit inconcusse, Deo propitio in futurum, quod præfatus dominus noster rex super iuribus regni Scotię aut aliis suis tẽporalibus nullatenus respondeat iudicialiter coram vobis, nec iudicium subeat quoquo modo, aut iura sua prædicta in dubium quęstionis deducãt, nec ad præsentiam vestram procuratores aut nuncios ad hoc mittat, præcipue cum præmissa cederent manifeste in exhęredationem iuris Coronæ regni Anglię & regiæ dignitatis, ac subuersionem status eiusdem regni notoriam, necnon in præiudicium libertatis, consuetudinum, & legum paternarum, ad quarum obseruationem & defensionem ex debito, præstiti iuramenti astringimur. Et quæ in manu tenebimus toto posse, totisque viribus cum Dei auxilio defendemus. Nec etiam permittimus, nec aliqualiter permittemus, sicut non possumus nec debemus, præmissa iam insolita indebita, præiudicialia, & alias inaudita prælibatum dominum nostrum regem, etiam si vellet facere, seu modo quolibet attemptare. Quocirca, sanctitati vestræ reuerenter & humiliter supplicamus, quatenus eundem dominum nostrum regem, qui inter alios principes orbis terræ, catholicum se exhibet, & Romanæ Ecclesiæ deuotum, iura sua & libertates, & consuetudines & leges prædictas, absque diminutione & inquietudine pacifice possidere ac illibata persistere benignius permittatis. In cuius rei testimonium sigilla nostra, tam pro nobis quam pro tota communitate prædicti regni Angliæ, præsentibus sunt appensa. Datis & actis Lincoliæ, anno domini 1301.

Pugnat Lanificus, Gallus ruit hinc inimicus.

Anno gratiæ 1302. alteri filii Israel, burgenses ciuitatis Brugensis in Flandria, vlterius sustinere non valentes, seu nolentes, punctos Scorpionum, exactiones vectigalium, imperia luti & lateris, quibus oppresserant eos ministri regis Francorum, noui Pharaonis, resumpto spiritu, consilioque præambulo, in oppressores suos vnanimiter insurrexerunt, omnes pariter occidendo. Hinc commotus rex Franciæ, vt olim rex Babyloniæ, vt ille solus Deus diceretur in terra, & iste solus rex in vniuersis gentibus dominaretur, misit Olofernem principem militiæ suæ, Comitem videlicet de Arthois, nominatissimum inter Christianos bellatorem, cum Ducibus, Comitibus, Baronibus, magistratibus, aliisq; potestatibus, cum infinita sequela belligeratorum, equestrium, loricatorum, instructorũ ad pugnam, florem militiæ Christianitatis, vt putabatur, ad Brugensis ciuitatis exterminium. Et quasi cooperientes superficiem terræ in equis & curribus, incusserunt timorem magnum, ad quas deuenerant ciuitates, resistere non audentes. Porro Brugenses, pro acephalis habiti, constituerunt sibi ducem & præceptorem, nomine Petrum le Coning, qui eos vice Moysi in certamine gubernaret. Egressi ita vrbem propriam, obuiam processerunt Francigenis. Visaque eorum multitudine indicibili, obstupuerũt, & animas suas Deo commendantes, dixerunt. Domine tuum est bellum, tuumque in pluribus vel in paucis saluare. Et eligentes pro patriis legibus seruandis libere magis mori, quam diutius turpiter & seruiliter nimis viuere, discrimini se dederunt. Commissum est igitur bellum, & ceciderunt de Francigenis, Comes de Arthois, Comes de Alba Marla, Comes de Ew, Comes de Drew, Comes Boloniæ, Comes de sancto Paulo, Radulphus de Neel, Constabularius Franciæ, Guydo de Neel, Marescallus Franciæ. Petrus de Flote, Consiliarius regis Franciæ, velut alius Achitophel, filius comitis Haimoniæ, ac quadraginta Baronetti, cum populo infinito. Miroq; modo, pedestribus equestres, domini subditis, lanarũ textoribus acies loricata, firmamentum formidini, regnũ municipio, nõ audebat nec valebat resistere. Acta sunt hæc 5. Idus Iulii, iuxta Curtray. Hac ergo audita victoria, compatriotæ sui eliminatis Francorum præceptoribus ab eorum ciuitatibus, naturalibus ciuibus adhæserunt. Proinde tyrannizans rex Franciæ, congregauit exercitũ multum nimis, velut arenã, quæ est in littore maris, à mari Græco vsq; ad Oceanum, ad debellandas virorũ Flandrẽsium potestates, in quibus affuit idem rex Francorum. Cæteri vero ad defendendum natale solum, non ad impugnandum alienum, apostolica benedictione admoniti, direxerũt aciem contra eos. Dispositoque bello, & parum distantibus ab inuicem, non ausus rex Franciæ in Flandriam descendere, Flandrensibus vero nolentibus egredi de patria sua, fatigatoque populo Francorum de itinere, ac fame nimia exinanito per longum tempus, necnon rege Francorum morante apud Atrabatensem * ciuitatem, abierunt furtiue retrorsum plusquam quinquaginta millia virorum mortis rei. Tandem & ipse rex Franciæ inglorius cum tota sequela sua, ineffabili ignominia, ad sua repedauit 9. die mensis Octob. Hæc non ad plenam gestorum historiam, sed ad memoriam perstrinximus futurorum, vt memi-

Baronetti.

* vrbem.

meminerint posteri quomodo conditorum gubernator potentes, de se nimium præsumentes, non desistit humiliare. Ad alia * regem Anglorum tangentia reuertamur. Rex itaq; Angliæ, gestiens pacem bonam fieri in diebus suis, misit nuncios preclaros circa Pascha ad regem Franciæ, vt quid de bello & de pace deliberasset, per eosdem renunciaret. Qui accepto responso, quod non possunt tam ardua tractari negotia, nisi duodecim Pares plenarie cõgregarentur, quodq; tunc nõ potuit fieri, ipsis procul propter inopinatas emersiones noui belli in locis variis occupatis, sed vt post dies quindecim ista fierent, expectarent. Quo transacto tempore, adunati maiores Franciæ, se nolle diffinire de prædictis, responderunt Anglis, nisi in præsentia Scotorum confœderatorum suorum. Hoc audito, ad Angliam redierunt. Super hoc tenuit rex Parliamentum suum apud Westmonasterium Kalendas Iulii. Et recitatis frustratoriis dilationibus & dilatoriis machinationibus, rursum illuc ipsos nuncios, diuulgata iam triumphali victoria per Flandrenses de Gallis, remittere curauerunt. quibus responsum fuit quod rex Angliæ aduenire in propria persona, & inter duos reges adeo bene conueniretur de pace, quo maiores & superiores regni vtriusq;, hoc sibi profuisse applauderent, & mediocres & infimi non dolerent. Igitur rex Angliæ tenuit Parliamentum suum apud Westmonasteriũ in festo translationis sancti Eadwardi regis, vbi ista recitata displicuerunt. Sed ex totius regni consilio definitum est, regem in regno proprio commanere, nec pro mandato vel suggestione regis Francorum ab Anglia egredi est permissus.

* Gentem.

Papa Bonifacius moritur, sequitur Benedictus.

Anno gratiæ 1303. qui est annus regni regis Eadwardi tricesimus primus. Eadwardus rex Angliæ, hostilium aggressionum magnificus triumphator, ad Scotorum insolentias reprimẽdas, fidelitatem suam atrociter præuaricantium, cum peremisset fideles suos, pro tuitione regiæ pacis ibidẽ transmissos, alios sauciasset, alios semiuiuos ratiocinio magno dimisisset: in vindictam male factorum, & succursum gentis suæ, expeditione militari, circa Pentecosten, Scotiam est ingressus. Post recessum quidem regis Angliæ à regno Scotiæ, & post plures cædes & incendia, ad vltimum Scoti obsederunt manu hostili castrum regis Angliæ, videlicet Striuelin. Ad quod per regem Angliæ defendendum * 60. viri sagittarii, duntaxat fuerant deputati, habentes victum parce satis semensem. Venerunt ergo magnates Scotorum, in multitudine graui, castrum illud fortiter obsidentes. Et contra, obsessi vitiliter illud defenderunt. Cumque obsidentes castrum præ soliditate & sublimitate eius, non possent arte, ingenio, tormento, vel quomodolibet deteriorare, statuunt obsessos, fame fatigatos & inedia, aliquando superare. Quod intelligentes obsessi, parcius stauro suo vsi sunt. Et tam diu obsessum est castrũ, donec cõsumptis cibariis, necessitate cogente, occisis equis & canibus, ederent carnes ipsorum cum sanguine. Et quod miserabilius est ad loquendum, coria ipsorum animalium pransi sunt. Quodque horribilius est ad audiendum, mures & muri'egos, quos decipulæ ceperant, manducarunt. Consumptis proinde omnibus, quæ mandi possunt, dixerunt inter se obsessi. Ecce inimici nostri satagunt nos fame deuincere, & relictum est nobis modicum frumenti, & duæ partes vnius bouis, Sane proiiciamus quartam partem stateris de frumento, & quartam partem bouis in hostium cuneos, reliquum eras & perendie comedamus & moriamur, si autument nos messe & carnibus abundare, forte ab obsidione recedent. O laudabilis industria, & si à Iosepho famosissimo quondam Iudęorum bellatore inuenta. Quod cum fecissent obsessi, ludificati dixerunt obsessores: retrocedamus, quia nihil proficimus. En quos sperabamus fame perisse, in eiectione stauri sui, contrarium experimur. Porro Scotis recedentibus, miserunt mox obsessi vnum ex suis ad regem Angliæ pro victualibus, & remedio citissime habendo, alioquin Castrum nullatenus, diutius posse defendere. Sed qui missus fuerat, currens spõte per deuiũ, & à tramite bonitatis exorbitans, venit ad exercitum Scotorũ, nuncians eis penuriã, quam passi sunt obsessi, & qualiter plures ex eis mortui sunt, & consilium dedit sui faciendi propositi. O proditor, fili Rechab, ignoras mercedẽ, quam tibi daturus est rex Dauid. Quis restitit ei, & pacẽ habuit. Quis eum fefellit, & * vicem nõ luxit. Redierunt igitur Scoti, & castrum iterũ obsederunt, & obsessi non habentes vnde viuerẽt, post triduũ castrum reddiderunt domino Ioanni de Soules, & saluos pacti sunt Scoti eos ad regem Anglorum abire. Deputatur proinde custodia illius Castri animoso militi, electo de millibus, Gulihelmo Olyfard, habenti subter se trecentos homines bellicosos, in locis variis constitutos. de quibus 120. ad defensionem castri illius secum retinuit. Pro his, & aliis multifariis iniuriis, ingressus rex Angliæ Scotiam, vt in chamo & fræno maxillas eorum comprimeret, qui non approximantes ad pacem suam, eam infre-

* 68.

2. Reg. c. 4.

* Lucem.

gerant,& dolos machinauerant tota die. Igitur in manu forti occupauit munitiones,& oppida eorum. Et cum appropinquaret caſtello de Brihin, quod contra eum erat,ordinauit obſidionem. Defenſor autem caſtri illius, miles audaciſſimus animo & corpore, nomine Thomas Maille, non veritus regales acies,confidens in fortitudine murorũ denſorum, nihil pendebat impugnationes validas machinarum. Quoniam, cum tormenta valida regis Angliæ iacerent lapides indeſinenter contra muros caſtelli, nec paries cederet,poſt redundationem lapidum,ſtetit ille miles Thomas cum manutergio,& extruſit læ-
* 20. ſuram de muro in ſubſannationem & deriſum totius exercitus Anglicani. Et cum per * 40. dies caſtellum ſtrenue defendiſſet,in vigilia ſancti Laurentii, ipſo ſtante iuxta propugnacula muri, directo tormento ad eundem Thomam, emiſſi lapidis ictus partem propugnaculi tetigit,& ex ſua vi, vltra torrens percuſſit aſtantem militem Thomam in pectore, qui quaſſatus penitus, cecidit mox ſupinus. Cumque adhuc palpitaret, accurrerunt ſerui
* *Maledicẽs.* eius quærendo,an adhuc Caſtellum reddere debuiſſent. Et * valedicens eis, in maledictionibus ſuis pro hoc propoſito, expirauit. Et ſtatim poſt,ipſo die,obſeſſi, omni deſtituti auxilio,Caſtellum regi Angliæ reddiderunt. Erant autem in Scotia duæ famoſiſſimæ abbatiæ,in facultatibus opulentiſſimæ,& in ædificiis munitiſſimæ, Aberbredok videl. & Dunfermelin. Porro Dunfermelin infra procinctum ſuum ampla erat nimis, continens tres carrucatas terræ, palatia quaſi regia continens in ſe multa,ita vt tres inclyti reges cum eorum ſequela, ſinguli ſine alterius improbitate, ſimul & ſemel hoſpitari poterant. Idcirco propter nimiam capacitatem loci, ſoliti fuerant maiores natu regni Scotiæ illuc conuenire & machinationes contra regẽ Anglorum conficere, & plerumq; in tempore belli, velut de latibulis prodeuntes, latrocinalem prædam & cædem, in populum Anglicum frequentabant. Cernens igitur exercitus regis templum domini,non eccleſiam,ſed ſpeluncã eſſe latronum,quaſi ſudem in oculo genti Anglorum,miſſo funiculo exarſionis,antra,muros,palatia omnia coæquans terræ,funditus diſſipauit,eccleſia duntaxat ab incẽdio reſeruata,& paucis domibus, monachis regulariter competentibus. Eodem quoq; anno in feſto ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis, pax diu deſiderata inter duo regna, primo in Francia, poſtea in Anglia publicatur. Sub quo tempore reſtituta eſt regi Angliæ Vaſconia cum omnibus iuribus ſuis & libertatibus, ſub forma qua prius ante initium belli huius eam tenuerat. Die ſancti Marci Euangeliſtę,Guydo,filius Comitis Flandriæ, cum mille viris ingreſſus Selandiam,non veritus multa millia hominum ſibi occurrentiũ, pedeſter viriliter dimicauit,hoſtibuſq; triumphatis,obtinuit Comitatum. Et quam ſæpe addidit furor regis Franciæ itaſci,& armatum militem contra Flandrenſes emittere, nõ eſt noſtrum hic illud inſerere. Sed quoties miſerit,conſtat quod toties perdiderit. Quia,aut in acie belli corruerunt,aut de acie ignominioſe & inglorii redierunt. Et in tantum inclinata eſt Francorum ſuperbia, vt pro magno haberetur, ſi cum Flandrenſibus vſq; ad certum tempus Francia pacificaretur. Adeo vt dicere poſſent Franci, fugiamus Flandrenſes: Dominus enim pugnat pro eis. Sub his quoque diebus, obiit magiſter Richardus de Graueſende, epiſcopus Londin. & ex vnanimi aſſenſu capituli Decanus illius eccleſiæ, magiſter Radulphus de Baldok, in epiſcopũ eſt electus. Porro electionem illam impedierunt tres canonici ipſius eccleſiæ,paulo ante, in viſitatione archiepiſcopi Cantuar. à præbendis ſuis priuati & ſuſpenſi,appellantes ad ſedem apoſtolicam contra electum, eo quod prohibebantur die electionis capitulum intrare. Hoc itaque anno, rex Eadwardus in Scotia hyemauit inter vrſos & tygres,ac cæteros ferarum ſaltus,dracones non veritus,tanquam leo,cunctas beſtias ſyluæ terrens, miroque modo veluti Dauid circumdatus à Ziphæis, non eſt læſus ab eis, neque traditus. In fine igitur huius anni, quia Eadwardus leo, rex beſtiarum, decreuerat non ſe illinc diſceſſurũ, niſi totaliter prius aut omnes deuinceret, aut omnino vinceretur, magnates regni Scotiæ, tam Comites quam Barones, ſuperato eorundem rebellionis errore, & ad nihilum minus modice vi redacto, aduertentes vndequaque graſſare facem, & non pacem, ſe & ſua voluntati regis Anglorum ſubmittebant. Qui autem admiſit eos ad gratiam ſuam, nunc hos, nunc illos in miſericordiis ſuis multis, quos conſtituens ſub tributo, pecuniaria pœna mulctauit, & ſecundum qualitatem & quantitatẽ cuiuſq; delicti dies & annos pro certis terminis ſolutionis inducias relaxauit. Sub his quoq; diebus,& hoc anno, quo iſta in Scotia, ea tempeſtate, in vigilia natiuitatis beatæ Mariæ, papa Bonefacius, procurante, vt creditur, rege Francorum Philippo, inter quos horrenda diſſenſionis per lõgum tempus extitit materia, à quibuſdam inimicis ſuis, & ſpecialiter à quodam nomine Sarra de Campania atrociſſime, irreuerenterq; deprædatus fuit in patrio ſuo, Anagniæ ciuitatis, ſpoliatus fuit bonis ſuis omnibus, & in carcere per triduum cuſto-

custoditus. Postea rediit Romam,& ibi tactus dolore cordis & angustia, infra breue temporis spatiũ vitam finiuit,& rex Anglię Eadwardus de Thesauro suo per vnicum latronem in Anglia, propter quod decem monachi Westmonasterienses fuerunt incarcerati cum iniuria. Verum quia à seculo non est auditum, postquã pax ecclesiæ per vniuersum mundum est reddita,tam arduum flagitium falsos Christianos,qui se dicũt Christianos & non sunt,in summum commisisse põtificem, ad notitiam futurorum, qui post multa tempora nasciturí sunt, non sufficit dixisse (papa Bonifacius spoliatus fuit omnibus bonis suis) & præsumptuosissimus latro per se Thesaurariam domini regis Angliæ *subintrauit nisi modus & forma vtriusque facinoris subnectatur. Rursumq; cogitatio hominis semper est ad malum quam ad bonũ propensior, cum auditur 10. monachorum incarceratio pro Thesauris regis Angliæ, subrepit statim iniqua suspicionis cogitatio. At cum non declaratur eorum innocentia, auditor congaudet contumeliis, nec opprobriis desinit insultare. Ad hoc, filii qui nascentur & exurgent,nisi super his fiat declaratio, ac aut desidiæ vel inertiæ illos,qui tunc erant,arguent,vel quod formidolosius est ad dicendum, in omittendo causam æstimabunt eos facti culpabiles extitisse. Ad hoc subest alia declarandæ incarcerationis necessaria ratio. Qui in rerum natura cum hæc fierent, nondum erant cum discipulis Iesu , quando tentabatur à diabolo, & post multas & varias tribulãtionum pressuras demum à domino visitatis. Post multas retro generationes nasciturus, forsitan est dicturus: in regis annalibus continetur. 10. monachos pro Thesauraria sua incarceratos fuisse. Hoc nomen horroris est, nomen suspicor statim malum. Cum enim incarceratur quispiam, hoc inde cõuitium,aut ergo inobediens iussis principum,aut transgressor regiæ pacis erat, hæc responsio. O didyme,super te conqueritur vox ecclesiæ. Infer digitum tuum huc, & cognosce loca clauorum, & noli esse incredulus, & maliloquus cum falsiloquis, sed fidelis. Ostendam tibi summatim, & aliis maliloquis superbiæ tuæ, ad præterita falcanda *improperia, modum & formã spoliationis domini papæ in vnica lectione. Necnon loca clauorum,& fossuram lateris muralis in Thesauraria regis Angliæ, atq; causam incarcerationis cum molestiis,quę exinde monachis illius loci per viros diabolicos peruenerũt, posteris manifestissime derelinquam. Quæ tamen hic omittuntur, quia in præsenti codice nimis prolixum esset inserere. Papa vero Bonifacio, dignitate papali non obstante, in præiudicium totius ecclesiæ immisericorditer omnibus bonis suis, vt præmissum est, depræ-dato, & in carcere per triduum custodito, præ irreuerentia ecclesiæ Romanæ, & sibi Dei vicario illata,tactus dolore cordis & angustia, infra breue temporis spacium vitam finiuit, videlicet. 12.die Octobris,Et sepultus fuit in crastino,in ecclesia beati Petri,in mirifico sepulchro,quod sibi præparauerat adhuc viuens. De quo quidam versificator sic scripsit.

Ingreditur vulpes,regnat leo,sed canis exit
Re tandem vera,si sic fuit ecce Chimera.

Alter vero sic,

Vulpes intrauit,tanquam leo pontificauit.
Exiit vt que canis,de diuite factus inanis.

Quo defuncto & sepulto,in crastino conuenientes in vnum Cardinales, elegerunt episcopum Ostiensem, de ordine Prædicatorum, & decimo die post creatus in summum pontificem,& Benedictus 11. est vocatus.

Anglia lata canis,gens Scotia pugnat inanis.

Anno gratiæ. 1304. qui est annus regni regis Eadwardi tricesimus secundus , papa Benedictus,dum apud Perusium verbum Dei populo prædicaret, inter cætera deplorauit abominabile exitium, in vicarium Iesu Christi & Petri commissum. Nec tamẽ casum personę defleuit,quinimo ipsum Christum à militibus Pilati iterum spoliari asserens, captum,damnandum,& tanquam remortuum,planxit in carcere, velut in sepulchro, triduo à militibus custoditum,non vt dicit apostolus,Christus resurgens ex mortuis , iam nõ moritur. &c. Verum est in carne iam glorificata, sed sicut dixit dominus Iesus Christus, Petro interroganti. Domine quo vadis? ait. Venio Romam,iterum crucifigi. intellexit hoc Petrus de sua dictum passione,quod in ea dominus esset passurus,qui patitur in sanctis misericordiæ pietate. Et sicut idem alio loco dicit. Quod vni ex minimis meis feciſtis, siue honoris siue dedecoris, hoc noueritis me passurum. Cumque hæc, & plura his similia de occasu papæ Bonifacii recitaret , spoliatores eius, vel omnes ipsis assentientes, vel qui huic consciì extitere, duplici contritione anathematis irretiuit. Insistens, & immoratus quamplurimum huic verbo. Si quidem in viridi ligno hæc fecerunt, in arido quid facturi sunt? Cumque fulgura & coruscationes diuinæ vltionis flagitiosos viros inopinate occu-

* Vsurpauit.

* Impropria.

pare assereret,& se ad hoc electum,& in cathedra seniorũ collocatum,vt annunciaret populo scelera eorum diceret vt resipiscerent, satisfaciẽdo de commissis cõmonuit,alioquin ad radicem maledictionis, & stirpis pestiferæ securim amputationis & euulsionis se posiTurum necessario & quam citius præconizat. Huiuscemodi igitur interminationibus exterriti viri venefici,cum alio Caipha captantes consilium expedire,quod vnus homo moreretur, quam tota gens,vel tribus Columnensium deleretur,corrupto per pecuniam pincerna domini papæ, impotionatus non post dies. 15. superuixit. Obiit ergo papa Benedictus in ciuitate Perusii septimo die mensis Iulii, cũ sedisset mensibus octo, diebus 15. Post cuius decessum, oritur inter Cardinales sæua dissensio, ita vt de eligendo pontifice per menses 9. de ipsis Cardinalibus,non poterant concordare. Sub eodem quoque tempore, quo reges solebant ad bella procedere, fortunatissimus rex Anglorum Eadwardus, peragratis quibusque Scotiæ partibus, calcatis victorioſe cornibus superborum, domitis rebellium fremitibus, deditis eius arbitrio cunctis nobilioribus regni Scotiæ, ac etiam debellatis, adhuc restabat vnum Castellum fortissimum expugnandum, videlicet Stirling. Ad quod cum peruenisset rex, statim obsidionem disposuit. Defensor autem Castri, miles satis magnanimus, dictus Gulihelmus Olyfard, cernens tam elegantem expeditionem, se & suos circundari, mittit legationem, petens à rege sibi licere magistro suo Iohanni de Soules, transmittere in Franciam, experiri certe an deberet sponte, & sine resistentia regi reddere Castellum, vel contra eum, quam diu poterat, illud defendere. Cui rex, nequaquam. Quinimo, si salubrius æstimauerit, Castrum defendere, quam illud nobis reddere,ipse viderit. Quo responso accepto,recordatus est Gulihelmus iuramenti, quod fecerat magistro suo, agenti tunc in Francia cum quibusdam Scotis, gratia defensionis habendæ. Sed quia non aderat auxiliator, neque qui ferret iuuamen, ad resistendum aciei regiæ se præparat, quantum potest. Æstimabat autem se non regi obnoxium esse, si Castellum defenderet contra eum, pro eo quod fidelitatem vel homagium nunquam corporaliter præstitisset. Sed quomodo vna cum magistro suo terram alterius, & Castrum regis fraudulenter inuaserat,non sane prospexit,aut noluit intelligere, vt bene ageret. Porro rex Angliæ, animauit populum suum ad bellum, replicans qualiter post obitum Alexandri, regis Scotiæ, Comites & Barones illum, in principalem dominum elegerunt, fidelitatem & homagium sibi dantes, corporali præstito sacramento pro se, & pro cunctis maioribus & minoribus regni, tam præsentibus quam futuris, vt discusso iure singulorum vendicantium coram eo,ille coronam susciperet,quem ipse iudicaverit amplius habere iuris ad regnum. Quique præcauentes sibi in futurum, vt rex Angliæ, non quasi vocalis eorum,& regni,& regis Franciæ dominus, quicquam constitueret, verum etiam ipsum tanquam aduocatum dominum, & realem possessorem, omnibus Castellis,ciuitatibus, burgis, Marescalliis,Senescalliis,ac cunctis aliis proprietatibus, quæ ad regnum pertinent,ipsum per dies.40. pacifice seisiarunt,ne in * vanum currerent,aut in irritum factum proprium reuocarent, prout in patenti eorundem instrumento, inde confecto,plenius continetur.

* Vacuum.

Postmodum electus eorum rex & coronatus,contra ligium dominum suum, regem Angliæ,mouens bellum deuincitur, & carceri mancipatur. Peremptisq; 100000. viris & amplius in bello, apud Beruicum & Dunbar,insuper captis Baronibus, Comitibus & militibus regni Scotiæ, & in Anglia incarceratis, ipse conquæstor & monarcha duorum regnorum efficitur lege belli. Denuo dimissis illis misericorditer repedare ad Natale solum, & iterum bellum suscitantibus occurrens rex cum armato milite, regnum Scotiæ, alias in ore gladii adquisiuit, occisis in bello iuxta Faukirke. 60000. viris de Scotis. Dixitque rex. Cum igitur iam tertio rebellionis filios elaua potentiæ nostræ bellicose domuerimus, & nõ sit qui resistat nobis,nisi alter Siba,filius Botrii,cõmilitiones optimi, seruate titulos laudis vestræ, vt expugnato nociuo vermiculo,honor vester propensius augeatur. Perorauerat ista rex,& legionis vel exercitus probatur assensio. Proinde tenduntur balistæ, erigunTur machinæ, fabricantur tormenta ad lapides iaciendos. Ex aduerso autem restabat Castrum firmissimum & altum, quia iuxta ripam maris super rupem solidissimam extitit fabricatum. Ad quod vnus introitus, cuius & exitus. Deintus vero viri egregii quos desperatio reddidit fortiores. Vtrobiq; pugnatur, subsannant hi in arce inferiorum ictus missilium,impugnationes machinarum retorquentes super Anglos ex alto, inuisa iacula balistarum,& lapides,quibus plurimos sauciarunt,& alios necauerunt. Et exeuntes aliquando de Castello, strages in exercitu faciebant. Porro motus super his rex, iubet vt erectis immensis tormentis,lapides torrentes ad murum, & vltra murum continue iaciantur. Sed qui

qui contra murum * impingebant, aliquando in vanum resiliunt. Qui vero vltra murum circumferebantur, ruentes in Castrum, multum eis nocebant. Nam adeo assidue faces & lapides intra Castrum tormentarunt, quousque aceruos messis eorum cremarent, cunctaque Castri ædificia funditus prosternerent sua mole. In omnibus autem his, non est auersus furor obsessorũ maledictus, quia pertinax, non secessit robur obsidentium Anglorum, quia efficax. Erant autem infra Castellum in rupe cauernæ & speluncæ concauę, vel cauatæ, & desuper murus fortissimus, & in muro areus & antra, in quibus reconderant victualia, quæ habebant, in speluncis ad ictum lapidis delitescentes. Cumque transissent nonaginta obsidionis dies, nec castellani se redderent, ait rex. Viuit dominus, non recedemus hinc, quousque debellauerimus eos, aut ipsi nos hinc fugauerint. Cui alius, confortans regem, ait. Domine mi, fac quæcunque sunt in corde tuo, quia Dominus est tecum. Et vere dominus erat secum, admirantissime coram omni populo seruans eum. Nam cum animaret exercitum suum ad prelium, illeq; semper primus, & sæpius, & propius iuxta Castelli murum accederet, & inermis super dextrarium equitaret, ecce angelus Sathanæ misit in cor hominis Scoti, vt mitteret manũ in Christũ domini, qui de turri regẽ aduertens, tensa balista, emissum spiculum direxit ad cor regis. Sed angelus domini ictum frustrat. Audi miraculum. Telum diaboli iacitur super Christum domini. Sed ô Sathan sagittasti regem, non mactasti regem. Robam regis perforasti, in nihilo carnem lædens. Sed neque iumentũ sessoris vales perimere, dum per medium lori auolas horribilibus sibilis. Sellam perforas, nec cutem depilas. Et frequenter in obsidionis continuatione, hi in arce ab alto ad regem inermem spicula crudelissimi tormenti, quod Anglicę dicitur Espringold, iaciũt perimendum. Sed Dei nutu, nec regem, nec sonipedẽ eius læserunt. De populo quidem plurimos necauerunt. Et cum dissuaderetur, ne amplius sic inermis procederet, propter auolantium quasi de tenebris spiculorum infortunium, à quibus velut à dæmonio meridiano metueret, respondit. Cadent à latere meo mille, & 10000, à dextris meis ad me autem nocendum nõ appropinquabunt. In nomine domini suscepimus bellum iustum, propterea non timebimus quid faciat nobis homo, quoniam à dextris nobis est, ideirco minime commouemur. Altera die, cũ rex equitaret inermis cominus iuxta murum, ex quo timuit omnis Anglorum exercitus, effrænati hostes lapidem miræ magnitudinis submittunt, vt regem opprimerent. Res stupenda nimis, ex turbine molæ violentissimo, quasi ad ictũ tonitrui, dextrarius regis resupinatis pedib. corruit, quasi asina Balaam, dans locum exterminatori. Et accurentes commilitones, traxerunt regem per decliuũ montis, increpantesq; dixerunt. Domine quare propius cæteris inermis ad murum acceditis, vt præliamini? An ignoras quod multa desuper ex muro tela mitantur? Quis percussit Abimelech filium Ierobaal? Nonne mulier misit super eum fragmentum molæ de muro, & interfecit eum in Thabes? Manere amodo in papilionibus. Siue enim fugerimus, non magnopere de nobis ad eos pertinebit, siue media pars de nobis ceciderit, non satis curabunt, quia sola persona vestra pro decem millibus computatur. Melius est igitur vt sitis nobis aliorsum in presidio. Quibus rex. Viuit dominus, non dimittam vos, siue in vitam siue in mortem abieritis. Proinde iussit rex Arietem fabricari, quem * Græci Nicontam vocant, quasi vincẽtem omnia, & Lupum belli. Verum Aries indecens & incompositus, parum aut nihil profuit. Lupus autem belli, minus sumptuosus, * incluſus plus nocuit. Audi inaudita, immensa quidem tormenta ictu vnius lapidis, duos antiparietes de arce, in vertice rupis fundatos, quasi sagitta per filum aduolans, perforarunt. Plures autem lapides minorum machinarum densiores muros impingentes, * frustratis obuiis lapidibus in muro, locum commorabilem quasi victorii vendicabant, in signum perpetuæ victoriæ, & magni triumphi magnifici regis indelenda vestigia relinquentes. Et de regis sapientia, non est obmutescendum. Cum igitur quam plura iacula ipsum à dextris & à sinistris ex obsessis circundarent, & in cassum deciderent, volentes Anglos tela colligere, prohibuit rex, ita fatus. Paruipendite & transite. In non colligendo spicula æstimabunt, ea vsq; nos minime peruenisse. Si vero ipsa colligeritis, animaduertent illa propius accidisse, & animosius erga nos tela sua dirigent. Proinde obsessi videntes alia machinamenta, leuata superius quam Castri murale, ex tunc præ timore inuisibilium missilium sub diuo progredi non audentes, scientesque quoniam consummata sunt omnia quæ infra Castellum illud erant ad sustentationem, & Castelli & sui infra triduum captionem, maiores exercitus regii alloquuntur, pollicentes se Castellum reddere, ita quod pœnam proditorem & homicidarum non luerent. Spondent reliqui quantũ in eis foret. Exeuntes igitur de Castello singuli, rei mortis, die sanctæ Margaretę virginis, venerunt ad regem more furum discincti, discalceati, aspersi cinere capita,

* *Expugnabant.*

* *Hebrai.*

* *Obsessis.*

* *Frustratis.*

funiculos in manibus & in collis perfide portantes, huiuſcemodi ſe bene meritos oſtendentes, gratiam regis petentes. Quibus rex. Nequaquam ad meam gratiam, quia indigne vos recipiam, ſed ad meam voluntatem. Cui rex. Domine, ad veſtram voluntatem noſipſos ſubmittimus. Quibus rex. Equidem meæ voluntatis eſt, vos membratim diſtrahi & ſuſpendi, ſi quo minus, permittam vos ſaluos in caſtellum redire. Cui Gulihelmus Olyfard, *humi proſtratus, cum ſingultibus, ait. O domine rex, ſcimus quia maior eſt noſtra iniquitas, quam vt veniam mereamur. Neq; enim fuit familia mea iſta, niſi obnoxia domino noſtro regi. Veruntamen, rex pietatis, deprecamur ineffabilem clementiam veſtram, quam ſiue conſequimur indigni, ſiue non, habetote nos omnes tanquam mortuos ſuper terram. Cumque eiulatu magno fleret, rex aliis parricidis dicebat. Quid petitis & vos? Et illi gemebundi clamauerunt. Rei ſumus mortis. Ad veſtram voluntatem ſuſcipiatis nos domine. Motus ergo rex ſuper tantis clamore & fletib. auertit ſe parumper, ſed etiam totus populus circumſtans ad lachrymas compunctus eſt. Proinde iuſſit rex eos ſuſcipi, & diuerſis Caſtellis Angliæ ſingulatim incarcerari, nullum ex eis perimens, nullum damnans. Proditor autem ille prophanus, cuius fraude Scoti illud Caſtrum adquiſierant, capitur, caudis equorum trahitur, demum laqueo eſt ſuſpenſus. Et ſic ceſſauit quaſſatio tanti belli, porro rex adhuc poſt redditionem Caſtelli, fecit meliorare Arietem. Cui alii dixerunt, Domine, vt quid perditio hęc? Iam Caſtellum redditũ eſt nobis. Reſpondit rex. Quod facio nunc, non eſt deſtructio, ſed poſt me bellantium aut regnantium hoſtiliũ Caſtrorum doctrinalis quaſſatio. Proinde victorioſiſſimus rex Angliæ Eadwardus, deputatis in Caſtello illo, & in cæteris locis Scotiæ, viris nobilibus, qui triumphalem pacem ſuam cunctis indigenis ſeruarent, comitantibus eum Comitibus & baronibus Scotię, in ſignum deditionis & rebellionis debellatæ, ad Angliam lora direxit. Tenuit igitur rex Natale ſuũ apud Lincolniam & præcepit procuratoribus domus ſuæ, ita ſplendide & permagnifice adminiſtrare, quæ neceſſaria erant, pro tanti iocunditate feſti, ſibi & comitiuæ ſuæ, tanquã monarchæ, regi, & domino duorum regnorum. Ibiq; refocillans ſuos Comites & proceres in multis delitiis per dies multos, virtutes bellatorum laudum præconiis attollebat. Quos condignis muneribus gratificatos, & pro laboribus commendatos, lætos dimiſit ad propria & iocundos.

*Solo.

Papa prius moritur, hic Clemens papa creatur.

Anno gratiæ. 1305. ad Annunciationẽ dominicam, aderat rex Eadwardus cum magnatibus populi ſui apud Weſtmon. acturus Deo gratias, & beato Eadwardo, pro triumpho de Scotis potito. Compaſſuſque ſuper iniuſta incarceratione monachorum Weſtmonaſt. iuſſit mox fieri liberationem eorum. Sed ſuperabundante peruerſorum iudicum malitia, prolongantium iniquitatem ſuam, vltra præceptum regis tenuerunt per octo dies monachos in carcere. Quo audito, præcepit rex iuſticiariis ſuis, vt omiſſis cæteris curis, incarcerati monachi eorum abbati continuo redderentur. Sub illo quoque tempore, Nicolaus de Segraue, miles, vnus de præſtantioribus de regno, pro tali cauſa arreſtatus fuerat coram rege. Alius quidam miles, Iohannes de Crombewelle, ipſum de proditione arguerat. Ille autem in defenſionem, obtulit ſe duello. Rex propter bella ſua noluit iſti pati. Ille vero non licentiatus, & contra prohibitionem regis, mare tranſiuit, perſequens accuſatorem, ipſo rege adhuc inter hoſtiles acies conſtituto. Idcirco reputat eum rex in iudicio vitæ ſuæ contemptorem, nec per ipſum ſtare, quin rex ab hoſtibus interiret. Et ille in regis gratiam ſe ſubmiſit. Cui rex. Iuſticiam fieri volo in iudicio. Proinde iuſticiarii, triduo ſuper hoc conſultantes, reſponderunt regi, huiuſmodi hominem reum eſſe mortis, & omnia bona ſua mobilia & immobilia regii iuris eſſe. Veruntamen propter generoſitatem ſanguinis addiderunt, non hunc in regis contemptum ab Anglia egreſſum fuiſſe, ſed propter iram ſe de ſuo criminatore vindicandi. Regis autem eſſe, poſſe facere miſericordiam cum eodem. Quibus rex. O diu conſultati ſed inconſulti. Equidem meum eſt poſſe, & velle conferre gratiam, & cui voluero, miſerebor. Nec propter vos amplius, quam pro cane. Quis in gratiam meam ſe ſubmiſit, & repulſam paſſus eſt? Veruntamen veſtrum iudicium in ſcripturam redigatur, & pro lege amodo teneatur. Proinde dictus miles ad carcerem ducebatur, ne impunitus armaret audaciam, & rigor cæteris timorem incuteret contemnendi. Et poſt paucos dies, elaborantibus multis nobilioribus regni, & * oſtendentibus ſe 30. ſuis paribus, cinctis gladiis, corpus pro corpore, & bona pro bonis, vna in ſolidum, quoquo die rex eum vocauerit, nec adeſſet, liberatus eſt, & per regem cunctis facultatibus ſuis reſtitutus. Circa eadem vero tempora proceſſit in publicum, nouum inquiſitionis Breue, quod Anglice dicitur Trayſtebaſton / contra intruſores alienarum terrarum,

* *Offerentibus.*

terrarum, qui proter timorem conquerentium, ipſas terras, vel prædia, in manus potentium alienarant. Et contra conductitios hominum vapulatores, qui ab vno viro conducti, volebant, propter vnam ſummã pecuniæ, alium vapulare, & iterum à vapulato propter duplum cenſum, vel amplius, reuapulare nequius conductorem. Et contra conductitios, promptos ad capiendas ſeiſinas, contra iuſticiam, vi & armis, in eccleſiis, terris & aliis tenementis. Contra huiſcemodi pacis infractores, raptores, incendiarios, murdratores, pugnatores, & fulſos aſſiſatores, deputantur per Angliam diuerſi iuſticiarii per hoc Breue, ad faciendum vindictam in nationibus inopibus, increpationes in populis locupletatis. Per hoc quidem Breue, multi perempti, multi noxii, pauci innoxii ſunt inuenti. Adeo quidem rigide proceſſit huius coercionis iuſticia, quod pater proprio filio non parceret, ſed increpans caſtigaret. Præ timore autem multi exterriti, ſpontanee exulabant, & per fugam & redemtionem pecuniæ creuit fiſcus. Illis autem diebus Cardinales Romani, dum ad inuicem diſſentirent ſuper electione apoſtolica, tandem aſpicientes à longe, iniecerunt mentis aciem vtlra Alpes ad archiepiſcopum Burdegalenſem, Bertramum de Angeous, ipſum in ſummum pontificem die Pentecoſtes vnanimiter elegerunt, & Clemens quintus vocatur. Circa feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ, quidam Scotus, dictus Gulihelmus Waleis, refuga pietatis, prædo, ſacrilegus, incendiarius, & homicida, Herode crudelitate immitior, Nerone veſania debacchantior, qui pudenda hominis, quæ Deus celari voluit, faciens eis perizomata, cum Cham maledicto diſcooperuit, cogens quam plures viros ac mulieres Anglicos, mixtim charolare nudos & pſallere ante ſe, conſtitutis à tergo tortoribus cum ſcorpionibus & aculeis, flagellantibus incuruantes, & pungentibus vti cederent in directum. Qui infantes in cunis vagientes, & quoſdam pendentes ad vbera euiſcerauit. Qui pueros in ſcholis & in eccleſiis ad magnum numerum incendio conflagrauit. Qui dum collegiſſet exercitum Scotorum in bello de Foukirk, contra regem Anglorum, & vidiſſet quod nequiret reſiſtere tam forti exercitui, ait Scotis. Ecce adduxi vos ad annulum, charolate, vel tripudiate vos ſicut melius ſcitis. Et aufugit ê prælio, populum ſuum in occiſione gladii derelinquens. Hic vir Belial, poſt innumera flagitia, tandem per miniſtros regis capitur, & Londinum volente rege de ipſo fieri iudicium, adducitur, ac per nobiliores regni Anglię, in vigilia ſancti Bartholomæi, morte crudeliſſima, ſed digniſſima condemnatur. Primo per plateas Londini ad caudas equinas tractus vſque ad patibulum altiſſimum, ſibi fabricatum, quo laqueo ſuſpenſus, poſtea ſemiuiuus dimiſſus, deinde abſciſſis genitalibus, & euiſceratis int eſtinis, ac in igne crematis, demum abſciſſo capite, ac trunco in quatuor partes ſecto, caput palo ſuper pontem Londinenſem affigitur. Quadrifida vero membra, ad quatuor partes Scotiæ ſunt tranſmiſſa. Ecce finis immiſericordis hominis, quem immiſericordia ſic finiuit. In octauis Natiuitatis beatæ Mariæ, adunatum eſt Conſilium regis Eadwardi ad Nouum Templum Londini, cui interfuerunt epiſcopi Ceſtrenſis & Wigornienſis de Anglia, & epiſcopi ſancti Andreæ & Glaſconenſis, de Scotia, & abbates Weſtmonaſter. & Wauerleie, & duo de Scotia, & duo Comites de Anglia & duo de Scotia, & alii Barones, tam Scoti quam Angli. Vbi per. 20. dies conſiliati ſunt ſuper firmanda pace regia in Scotia, qualiter melius, firmius, & quietius, tam pro Scotis quam pro Anglis, pax ſumma & tranquillitas optima perpetuis ſtabiliretur temporibus. Iſti Scoti, per aſſenſum totius regni Scotiæ, & quorum ordinationi ſtare ſpopondit reliqua * pars tota, ad Angliam ſunt tranſmiſſi. Et per aſſenſum & ordinationem vtriuſque partis, conſtituti ſunt iuſticiarii & clerici vltra & citra mare Scoticum, bini & bini, qui ſuis in locis pacem patriæ * confouerent, lites deciderent, & pugnas ſedarent. Hoc diſpoſito, venerunt ad regem prænominati viri, & recitata ordinatione eorum in audientia, placuit regi in omnibus, vnico duntaxat articulo, de quodam iudicio Scotico, penitus annullato. Tunc iurauerunt epiſcopi, abbates, Comites, & Barones Scotiæ pro ſe, & hæredibus ſuis, & reliqua gente ſuperſtite & futura in Scotia, ſtare ordinationi prædictæ, & ſecundum modum & formam diſpoſitionis huiuſcemodi, tam potentes quam ignobiles, præſentes & futuros, velle ſemper degere, & debere. Hoc autem apud manerium de Schene ſuper Thameſim, Scoti prædicti tactis ſacroſanctis Chriſti corpore, & euangeliis, & aliis reliquis, ſponderunt. Gauiſus igitur rex ob ſpem firmæ futuræ pacis in Scotia, fecit miſericordiam cum eiſdem, vt qui pro peccatis ſuis redemptionem fecerant, videlicet qui valorem terrarum ſuarum ad certos annos, per duos, tres vel quatuor, regi debuiſſent ſoluiſſe, duos in quatuor, tres in ſex, & quatuor in octo annos, penſatis cuiuſq; conditione & ſtatu, vt haberent vnde honeſte viuerent, voluit hoc raciocinium prolongari. Poſt hæc licentiati Scoti, cum honore in regionem ſuã alacriter ſunt reuerſi. Igitur dum rex ſperaret

* *Plebs.*

* *Conſtituerent.*

omnia sui regiminis negotia in pace moderari optata, quia tempus tacendi prætetiit, in quo siluit, tacuit & patiens fuit, & aderat tempus loquendi, conuenit caute Comitem, Mareſcallum ſuper quodam dedecore, & conſpiratione, quam archiepiſcopus Cantuarienſis, & plures Comites & Barones, contra eum machinauerant, ipſo tunc agente in Flandria. Qui nequaquam valens iſta contradicere, gratiam regis petit. Pro qua obtinenda, conſtituit regem hæredem ſuum vniuerſorum, quæ habuit, & ſic mortem perdidit, & vitam inuenit. Et rex remunerans eum, vitæ Comitis mille libratas terræ adaugendo conceſſit. Et ſic facti ſunt amici rex & Comes. Similiter rex ſigulatim ſingulos conueniens, qui huic facto conſenſerant, pecuniaria pœna mulctauit. Ac ſi diceret. Nolo mortem proditorum meorum, ſed conuertantur, & redimantur per bona ſua temporalia, ſicque viuant. Ad vltimum archiepiſcopus conuenitur, & arguit eum rex de peccato conſimili. Suffuſus rubore archiepiſcopus, pallium regi tendit, in miſericordia eius ſe & bona ſua ſubmittendo. Cui rex. Non per me, ſed per Pares tuos coepiſcopos de facto tuo æquitas decernatur & iudicium. Et addidit. Quoties ſcripſi tibi in viſitatione tua, clericos meos angarianti, mecum coeſſentes, vt non procederes contra eos noſtri reuerentia, vſquequo belli fremitus finiretur, nec exaudiſti me. Verum non obſtante illorum appellatione, ipſos in eorum abſentia de eccleſiis ſuis priuaſti. Noui quidem ſuperbiam cordis tui, rebellionem, & *aſtutiam. Semper enim contentioſe contra me egiſti, & commotionem commouiſti. Hæc & multa alia conuitia dixit illi. Porro archiepiſcopus adeo erat confuſus, vt peteret benedictionem à rege. Cui rex. Non ſic decet pater, ſed ego à te debeo benedici. Et benedixit eum in eodem loco. Interea conſtituit papa diem coronationis & ſolennitatis ſuæ Lugduni, in craſtino ſancti Bricii. Quo venerant ſinguli Cardinales præter duos, qui non venerant præ nimia ſenectute, & duo alii itinerando mortui ſunt. Mox ipſo die dominico, creauit alios Cardinales, ſex de Vaſconia, duos de Francia, Vnum de Anglia, ſcilicet Thomã, fratrem ordinis Prædicatorum, & Petrum abbatem ſanctæ Crucis iuxta Burdegalim, ordinis ſancti Benedicti, creatum ſimiliter Cardinalem, Vicecancellarium ſuum conſtituit. Petrum & Iacobum de Columna, depoſitos & prędamnatos per papam Bonifacium octauum, de nouo Cardinales creauit. Hinc aliqui ê fratribus murmurarunt. Cumque poſt miſſarum ſolennia equitaret de eccleſia ad palatium, quidam murus lapideus & luteus, vetus & ſemirutus, cui incumbebat populus multus, vt papam videret, repente corruit ſuper turbam, & duos Comites, qui mulam papę per frænum ducebant, vnum oppreſſit, videlicet Andegauenſem, alterum Britanniæ interemit, & bis binos viros inclytos, multis aliis fauciatis. Sed papa mirabiliter ſaluatus eſt. Quod infortunium, alicuius futuri mali prognoſticum, plurima gens notauit. Die ſancti Clementis, Cum papa primo miſſarum ſolennia celebraſſet, poſt prandium orta lite & mota pugna inter clientes papę & Cardinalium, vnus de fratribus ſummi pontificis occiſus eſt. Alterum fratrem ſuum cinxit rex Franciæ baltheo militari, & multam aliam munificentiam in ciuitatibus, & Caſtellis ſuis contulit papę rex Francorum, per quod in omnibus negotiis ſuis expediẽdis gratiam multam promeruit & fauorem. Rex autem Anglorum miſit domino papę ſingula vtenſilia, quibus miniſtraretur ei in camera & in menſa, omnia auro puriſſimo, per epiſcopos regni ſui, videlicet Lichfeldenſem & Wigornienſem, & Comitem Lincolniæ. Ad eandem vero ſolennitatem de Anglia plures viri egregii abierunt. Porro epiſcopum Dunelmenſem, dominum Antonium de Bek, propter dapſilitatem & magnificentiam cordis, quam in eo inuenit, Patriarcham Hieroſolymitanum creauit, & electos Eboracenſem, & Londinenſem dimiſit ad propria confirmatos. Papa quidem conſtituit celebrari curiam ſuam apud Burdegalim. Erat autem in principali porta ciuitatis prophetia hæc ſcripta, in duobus verſibus aureis literis & latinis, ſed per puluerem incedentium fuerant obfuſcati, ita vt non apparerent niſi hæ duæ dictiones, Altera Roma. Verum conſtituta ibi curia, viri ciuitatis, diducto puluere inuenerunt ſic ſcriptum.

Dic tu qui tranſis, & porta limina tangis,
Altera Roma vale, nomen geris imperiale.

Scribebantur autem ibi hi verſus ante mille annos. Porro Senatores Romani miſerunt ad Papam, vt veniret Romam, & ſtatueret curiam ſuam ibi, ſicut prędeceſſores ſui, ſummi pontifices, conſueuerant. Noluit papa adquieſcere poſtulatis, ſed dixit ſe miſſurum illuc quempiam, qui eis ſatisfaceret vice ſua. Hoc inſuper anno, fuit tanta vredo, pariter & aurugo, & ſiccitas in æſtate, quod in maxima parte deficeret fœnum terræ, & beſtiæ agri præ inopia morerentur, ac duplus feruor, ſole exiſtente, tam in Libra quã in Leone, homines perurgebat. Hinc adoleſcentium, iuuenum, diuitum, & pauperum corpora variola & mor-

*Immiſericordiam.

& morbillus proſtrauit, & lentiginoſa ſcabies maculauit. Sed & plurimi iuuenes & virgines mortui ſunt hoc morbo. Et ſubito ſubſecuta eſt hyems frigidiſſima, mortales præmens, & durante gelu, & niue glaciali, à 18. Kalend. Ianuarii, vſque ad 8. Kalend. Februar. piſces in ſtagnis, aues in ſyluis, & pecora in campis mortua ſunt. Adeo exinaniti fuerunt plures volucres cœli, quod ſine reti, vel laqueo, manu hominis, vt domeſticæ, caperentur. Hoc ſtridens gelu exufflauit pluuialiter triduani Auſtri flatus. Et cum putarent homines hyemem euaſiſſe, iterum aer cogebatur in nubes & flante Euro aſſidue, rediit gelu, & durauit ab Idibus Februarii vſque ad Idus Aprilis. Circa feſtum Purificationis beatæ Mariæ, latrones quidam, explorato theſauro cuiuſdam militis, in eccleſia fratrum de Carmelo Londini condito, aſſentiente eis quodam Iuda de fratribus, venerunt, & rapuerunt quadringentas libras argenti. Et ligatis atrociſſime manibus Prioris & ſingulorum fratrum, ac vno peremptо, ilico diſceſſerunt. Cum quibus abiit ille Iudas, cito poſt laqueo ſuſpendendus. Et poſtquam hæc omnia ita conſummarentur, oritur denuo in Scotia noui belli turbatio. Comes enim de Carrik, Robertus de Brus, conuenit primo clam, poſtea palam aliquos de nobilioribus Scotiæ, dicens eis. Vos noſtis qualiter iure proximitatis hæreditariæ ad me pertinet regnum iſtum, & qualiter gens iſta patrem meum in regem propoſuerat coronaſſe, ſed aſtutia regis Angliæ à deſiderio ſuo fuerat fraudata. Si ergo coronaueritis me in regem, bella veſtra præliabor, & regnum iſtud cum populo à ſeruitute Angligæna liberabo. Hæc dixerat, & multorum periuratorum aderat mox conſenſus. Et cum ſciſcitaretur à Iohanne Comym, nobili milite vtique & potenti, an aſſentiret & ille, reſpõdit conſtanter quod non, & ait. Norunt ſiquidem nationes vniuerſæ, regem Anglorum, gentem & terram noſtram quatuor vicibus ſubiugaſſe, & nos omnes, militia cum clero, fidelitatem & homagium, pro præſentibus & futuris, ſibi iuraſſe. Abſit hoc à me. Profecto nunquam aſſentiam huic rei, ne periurus efficiar. Suadet ille, diſſuadet iſte. Minatur ille, ſtupet iſte. Et ille extracto gladio, inermem militem percuſſit in capite. Quumque volentem tollere gladiũ de manibus percuſſoris, eum ſubtus ſe proſtraſſet (erat enim fortis valde) accurrentes famuli proditoris, confoderunt eum cum gladiis, ſuum dominum liberantes. At dominus Iohannes, prout potuit, euaſit ad altare. Quem Robertus inſequens, nec aſſentire volentem, immolauit ibi hoſtiam piam vir impius & crudelis. Acta ſunt hæc in eccleſia fratrum Minorum apud Dunfreis quarto Kalendas Februarii, anno proximo ſequenti. Ecce principium homicidæ, aſpirantis ad regnum per effuſionem ſanguinis Abel iuſti. Poſt hæc fecit ſibi currus & equites, qui præcederẽt ſe, & inſtaurauit Caſtra multa, coegitq; multos diffidere regem Anglorum, nolenteſq; quos potuit, trucidauit. Angli vero cuſtodes regiæ pacis, præ timore exterriti, fugerunt ad municipium Beruici, regi ſuo ſuper his omnibus plenarie nunciantes. Obierunt hoc anno, magiſter Iohannes de Pountoyſe, epiſcopus Winton. & Magiſter Gilbertus de ſancto Leopardo, epiſcopus Ciceſtren. pater orphanorum, conſolator mœrentium viduarum, in grabatis & in tuguriis decubantium pius & humilis viſitator, inopum pluſquam diuitum affluens recreator. Cuius vitæ ſanctimoniam, ſubſecuta mox crebra miracula proteſtantur. Obiit etiam magiſter Thomas de Corebrigge, archiepiſcopus Ebor. Succeſſit Wintõ. Henricus, Prior eiuſdem loci, Ciceſtrenſi Iohannes de Langtona, archidiaconus Cantuarienſis & Eborac. magiſter Gulihelmus de Grenefeld, Cancellarius regis Anglorum.

Eccleſiæ nauis, titubat regni quia clauis.
Errat: rex papa facti ſunt vnica capa.
Hoc faciunt do des, Pilatus hic alter Herodes.

De coronatione pſeudoregis Roberti de Brut.

Anno gratiæ. 1306. Clemens papa Burdegali exiſtente, epiſcopum Pictauienſem, qui ſibi dum archiepiſcopus fuerat aduerſabatur, à pontificali depoſuit dignitate. Primatum etiam Aquitaniæ de Biturienſi ad Burdegalenſem eccleſiam tranſtulit. Die Annuntiationis beatę virginis, feria ſexta, parricida Robertus de Brus, inuaſor alterius regni, in abbatia Canonicorum regularium apud villam de Schone, præſentibus aliquibus Comitibus, Iohanne de Aſcella, & de Menethet, & duobus epiſcopis, de ſancto Andrea & Glaſconenſi, & abbate de Schone, & multis militibus, iuxta morem patriæ fecit ſe, velut Adonias, à conſpiratoribus coronari diademate. Abſentantibus ſe ſponte à coniuratoribus, de Bowhan & de Ros Comitibus, Alexandro Comyn, & Iohanne de Moubray, militibus, & nonnullis aliis, qui iuramentum regi Angliæ factum irrefrenabiliter conſeruarunt. Dominica vero ſequente, quæ erat in Ramis palmarum, fecit ſe denuo coronari à

quadam

quadam adultera, desponsata Comiti de Bowhan. Quæ transgresso maritali thoro, exarserat in speciem & concupiscentiam fatui coronati. Et mutauit nomen eius impositum in baptismate, nominans illum Dauid. Cumque domum rediisset, fertur vxori suæ dixisse. Heri vocabamur ego Comes, & tu Comitissa, hodie vero ego rex & tu regina vocamur. Cui illa. Æstimo quod rex æstiualis sis, forsitan hyemalis non eris. Timeo autem ne tanquam flos agri, qui hodie est, & cras in clibanum mittitur, sic efflloreas, ac ne pro periurio fidei, per vocabulum regium, Comitatum simul perdas & regnum. Qui se irrisum à muliere existimans, voluit eam gladio peremisse, sed ab astantibus detentus est. Nihilominus illam exilio relegans, in Hyberniam transmisit ad patrem suum Comitem Vltoniæ. A quo ad regem Angliæ destinata, in honore est habita. Eodem quasi sub tempore, rex Angliæ Robertum Cantuar. archiepiscopum apud dominum papam accusauit super eo, quod pacem regni sui perturbauit, sibiq; rebellantes defendit & fouit. Propter quæ citatus à summo pontifice, licentiatusq; à rege quasi valedicens illi, versus Burdegalim transfretauit. Vbi ab executione officii sui suspensus fuit, quousq; de sibi impositis legitime se purgarent. In hebdomade Paschæ, fecit rex publicari Bullam apostolicam super absolutione iuramẽti præstiti super deafforestatione, iampridem facta & seruanda, excommunicando iusiurandum illud obseruare volẽtes, dirumpẽtes vero illud approbat, & absoluit. Eodem anno 6. die Maii, domina Margareta regina Angliæ, apud Wintoniam peperit filiam, nomine Ælionoram. Illo quoq; tempore, papa Clemens concessit regi Angliæ per biennium decimas ecclesiasticorum prouentuum pro negotiis Terræ sanctæ, sed in vsus alios expendebantur. Ipse vero papa videns insatiabilem quorundam episcoporum Angliæ auaritiam, importune postulantium primas vacantes ecclesias per annum in suis diœcesibus sibi cõcedi, aduertensq; quia quod postulat inferior, potest & superior, appropriauit sibipsi per biennium omnes prouentus de primo vacantibus ecclesiis in Anglia, videlicet de primo anno, primos fructus, tam de episcopatibus, abbatiis, prioratibus, præbendis, rectoriis, & vicariis, quam de cæteris minutis beneficiis. Sub eodem quoque tempore, rex Eadwardus, vergens iam in senium, conquerentibus ad eum quibusdam famulis domus suæ, nõdum promotis ad libitum, facta inquisitione, quę cœnobia monastica, seu canonica, per progenitores suos fuerant fundata, in ipsis singulis, non simpla corredia monasterialia, sed sicut in regia equitabant, cum vno equo, vel bino, ita & illis, dum viuerent, ab illo die erogauit. Sed voluit corredia cum necessariis erogari. Illis siquidem diebus misit rex Angliæ Æmericum de Valentia, Comitem Penbrochiæ, Robertum Clifford, & Henricum Percy, in Scotiam, cum manu valida & armata, vt nouis motibus resisterent, & nequiter coronatum cum perfidis expugnarent, ac gentem fidam protegerent. Ad augmentandum igitur profectionem suam in Scotiam, fecit rex per Angliam publice proclamari, vt quotquot tenerentur fieri milites successione paterna, & qui haberent vnde militarent, adessent apud Westmonast. in festo Pentecostes, admissuri singuli omnem ornatum militarem, præter equiturã, de regia Garderoba. Confluentibus itaq; trecentis iuuenib. filiis Comitum, Baronum & militũ, distribuebãtur purpura, byssus, syndones, cyclades auro textæ, effluentissime, prout cuiq; competebat. Et quia Palatium regale, etsi amplum, ramen ad tot occurrentium turbam angustum fuit, apud Nouum Templũ Londin. succisis lignis pomiferis, prostratis muris, erexerunt papiliones & tentoria, quo tyrones deauratis vestibus se singuli decorarent. Ipsa quoq; nocte in templo prædicti tyrones, quotquot poterat capere locus ille, suas vigilias faciebãt. Sed princeps Walliæ, præcepto regis patris sui, cum præcelsis tyronibus fecit vigilias suas in ecclesia Westmon. Ibi autem tantus clangor tubarũ & tibicinum, & exaltatio vocũ prę gaudio extiterat clamantiũ, quod conuentus de choro ad chorũ, non audiretur iubilatio. Die autẽ crastina cinxit rex filium suum baltheo militari in palatio suo, & dedit ei Ducatũ Aquitaniæ. Princeps ergo factus miles perrexit in ecclesiam Westmonast. vt consocios suos militari gloria pariter venustaret. Porro tanta erat ibi pressura gentiũ ante magnũ altare, quod duo milites morerẽtur, quã plures syncopizarent, etiã cum quilibet ad minus tres milites ad se ducendũ & tuendũ haberet. Princeps autẽ propter turbã comprimentẽ, non secus, sed super magnũ altare diuisa turba, per dextrarios bellicosos, socios suos cinxit. Tunc allati sunt in pompatica gloria duo cygni, vel olores, ante regẽ phalerati retibus aureis, vel fistulis deauratis, desiderabile spectaculũ intuentibus. Quibus visis, rex votũ vouit Deo cœli & cygnis, se proficisci in Scotiam, mortem Iohannis Comyn, & fidem læsam Scotorum, viuus siue mortuus vindicaturus. Adiurans principem, & cæteros præcelsos viros terræ, fide sibi debita, si ipse prius in fata decederet, corpus suum secum in Scotiam in bello deferrent, nec sepelirẽt illud quousq; dominus de

nus de perfido coronato, & gente periura dediſſet victoriã & triumphũ. Spopõderunt igitur cuncti fide bona, ſe paratos ſecum in vitam regis, & in mortem cum principe in Scotiã proficiſci, votum regium expleturos. Exinde omnes animæquiores effecti, ſalutato rege, in craſtino ſanctæ Trinitatis de Weſtmonaſterio receſſerunt, ad regem in quindena ſancti Iohannis Baptiſtæ in Scotiam affuturi. Pro hac autem militia filii regis, conceſſus eſt regi trigeſimus denarius à populo & à clero. Mercatores vero viceſimum conceſſerunt. Interea quidẽ facta eſt multa concertatio inter populũ Scotorum & Anglorũ, quis eorum in certamine videretur eſſe maior. Interim Robertus de Brus circuiens terram, & homagia multorum recipiens, coadunato exercitu copioſo, in craſtino ſancti Iohannis Baptiſtę appropinquauit ad villam Sancti Iohannis, in cuius præſidium nuper aduenerat Æmaricus de Valentia. Equites autem Scotorum omnes lineis camiſiis ſuper armaturã ſuam, ne diſcernerẽtur, induti erant ex iuſſu noui principis ſui. Inuitatus ab eo Æmericus ad cõgreſſum, reſpondit quod cum eo non die illo ſed in craſtino dimicaret. Subtrahente vero ſe Roberto cum ſuis ad ſpatium vnius milliaris, & ſe reficere volente, hora appropinquante veſpertina, Æmericus cum ſuis egreditur armatis, & ſubito iuxta Methfen Scotis ſuperueniens, prælium aggreſſus eſt. Et ceciderunt in die illo, in ore gladii, plures de Scotis, qui pſeudoregi adhęſerunt. Quinimo ipſe idem ter à dextrariis proſtratus eſt, & per Simonem de Freyſel, bellatorem egregium, ter leuatus, tandem per fallaciam candidæ camiſiæ euaſit de prælio. Nam cum aliquandiu Robertus cæterique qui ſe cum celeritate armauerant, reſiſterent, tandem præualentibus Anglis fugere ſunt coacti. Quos inſecutus Aemericus cum ſuis vſque in inſulam de Keyntyr, Caſtrum illius loci, putans Robertum ſe recepiſſe in eo, obſedit. Expugnato tamen Caſtro eum non inuenit, quia ad extremas regionis inſulas fugerat, ſed fratrem ſuum Nigellum de Brus, cum aliis quibuſdam ibidem cepit, quos omnes vſq; Beruicum fecit adduci. In prælio autẽ ſupradicto capti ſunt hi viri, Thomas filius Ranulphi, Dauid Inkemartyn, Iohannes de Sumeruile, milites Hutting Mareſcallus, & vexillifer pſeudoregis, & Hugo capellanus. Qui nihilominus, cum prædictis, & cum multis aliis, quorum nomina hic non recitantur ne pagina his vileſcat, patibulo ante cæteros primitus eſt affixus, quaſi diceret. Ego presbyter tale vobis præbeo iter. Poſt hæc autem adueniente rege Angliæ in Scotiam, cum principe Walliæ, & magnatibus populi ſui, quidam Scoti eum honorifice admiſerunt, quidam abierunt retrorſum, nonnulli abdita ſyluarum diuerticula petierunt. Exercitus tamen regius diſcurrens per totum regnum Scotorum, cœpit perſequi fugitiuos, & plures peremerunt, & aliquos viuos comprehenderunt, vtpote epiſcopos & abbatem, prædictos, loricatos & armatos ſubtus exterius tegumentum. Duorum igitur epiſcoporum culpa magna, ſed epiſcopi Sancti Andreæ maior. Nam die congreſſionis inter Anglos & Scotos apud Methfen, iuxta ſanctum Iohannem, miſit armatam clientelam ſuam in ſuccurſum Scotorum. Ipſe vero callide ſe reddidit interim Anglis, vt ſi Scoti de Anglis triumpharent, ipſum de illorũ poteſtate eruerent, tanquam vi captum, pro defectu tutelæ. Si autem Anglitriumpharent, ſibi parcerent, eo quod derelictus à familia ſua fuit, quaſi non conſentiens factis illorum. Iſti ergo periurati prælati in arctiſſimis carceribus, forma & habitu, quibus fugiendo capti fuerant, retruduntur, quouſque per apoſtolicam ſedem diſpoſitum ſit, quid de his fuerit faciendum. Capitur etiam & illa impiiſſima coniuratrix de Bowhan, de qua coſultus rex, ait. Quia gladio non percuſſit, gladio non peribit. Verum propter illicitam coronationem quam fecit, in domicilio lapideo & ferreo, in modum coronæ fabricato, firmiſſime obſtruatur, & apud Beruicum ſub dio forinſecus ſuſpendatur, vt ſit data, in vita & poſt mortem, ſpeculum viatoribus, & opprobrium ſempiternum. Illo quoque tempore, captus eſt Symon Freyſel in quo pendebat Scotorum tota fiducia, in tantum quod incarcerati nobiles Scoti, inuincibilem incomprehenſibilemque illum aſſerebant, nec illo viuente Scotos poſſe deuinci putarent. De cuius magnanimitate præſumens quidam Scoticus miles, in Turri Londinenſi vinculatus, in elogium Anglorũ, ſed proprium diſpendium, caput proprium regi dedit, quocunque die captus fuerit, amputandum. Nomen autem huius Herebertus de Norham, vir cunctis Scotis formoſior, & ſtatura eminentior, tamen propter trinam proditionem, quam regi Angliæ fecerat, & ſecundam dimiſſionem, tertio captus, vna cum patre & armigero, in Turri Londinenſi ferreis compedibus nexi erant. Poſthæc Symon Freyſel ad Turrim Londinenſem mittebatur, vt illo viſo, voti prędicti Scotus alius recordaretur. In craſtino igitur, id eſt, in vigilia Natiuitatis beatæ Mariæ, educti de Turri Londinenſi, Herebertus & Thomas de Boys, armiger eius, capitibus ſunt truncati. Symon autem Freyſel, propter pluralitatem

prodi-

proditionum, quas fecerat, sic damnatur. A Turri Londinensi per viculos & plateas distractus vt proditor, suspensus eminus quia latro, truncatus capite vt homicida, refixus equuleo per dies 20. igne quoq; finaliter est combustus. Huius autē caput super pontē Londinensem iuxta caput Gulihelmi Waleis, super lanceam cunctis nationibus perhorrendū spectaculum, est affixum. Circa festū S. Michaelis reuersus est Robertus de Brus ad Keyntyr, & Henrico de Percy in propinquo existenti superueniens, quosdam de familia eius occidit, equosq; dextrarios & alia spolia multa cepit: ipsumque Henricum in Castro eiusdem loci obsedit, quousq; robore exercitus misso à rege, obsidionem dimittere cogeretur. In diebus illis, fecit rex Angliæ inquirere per totam Scotiam, per fidedignos homines, quot & quanti intererant interfectioni Iohannis Comyn, & coronationi Roberti de Brus. Et ferme omnes cepit, & morti tradidit, aut vltro se reddentes regiæ voluntati, diris carceribus mancipauit. Post hæc captum est Castrum de Lochder, in quo inuentus est Christoferus Setonus, sororius Roberti de Brus, quem, cum non Scotus sed Anglus esset, iussit rex deduci vsq; Dunfreis, vbi quendam militem de parte regis prius occiderat, ibique iudicium subire coactus, tractus suspensusque est, ac vltimo decollatus. Iohannes vero Setonus Christoferi germanus, apud Nouum Castrum super Tinam tractus, suspensus, atque decollatus, horribiliter vitam terminauit. Erant enim ambo armigeri pseudoregis, amboque consenserant neci Iohannis Comyn. Vxorem vero Christoferi, & filiam Roberti de Brus, in diuersis monialium monasteriis collocauit. Et dum exerceretur indies in populo scelerato talis vindicta, fugit ad montana pestifer coronatus. Proinde timens sibi Iohannes, Comes de Asceila, fugam quærit, sed Dei prouidentia timor quem timebat, euenit ei. Nam, cum in mari nauigando fugeret, subito orto vento contrario, ad terram repulsus, ab aduersarius captus erat. Quo audito rex Angliæ, etli grauissimo morbo tunc langueret, leuius tamen tulit dolorem. Comes autem iste, de stirpe regali sibi originem vendicauit. Idcirco quidam Palatini, ipsum cum iniquis iudicandum, indecens indecorumque censebant. Quibus rex, non sanguinis lineam, sed iustitiæ iudicium attendens, dicebat. Quanto gradus altior, tanto lapsus grauior esse constat. Sed cæteris parricidis generosior in sanguine, altius cæteris suspendatur pro scelere. Nec vos latet quoties voluit prodidisse nos in Anglia, in Scotia, & in Flandria. Habete illum vos, & Londini iustissime iudicetur. Quo cum peruenisset. 7. die Nouembris, apud Westmonasterium in aula regis, vtique condemnatur. Verum quia de regali sanguine fuerat oriundus, non est tractus, sed ascenso equo, in equuleo quinquaginta pedum suspensus est. Postea semiuiuus demissus, vt maiores cruciatus * sentiret, crudelissime decollatur. Truncus vero illius, præaccenso in conspectu eius vehementi igne, vna cum carne & ossibus, in fauillas & cineres funditus conflagrantur. Caput autem istius, inter alia proditorum capita, super pontem Londin. in superlatiuo gradu, quia de regali stemmate, est affixū. Rex apud Lauercost iuxta Caerleolum commorans, misit Beruicum Iusticiarios, quorum iudicio Nigellus de Brus, miles pulcherrimæ iuuentutis, pro eo quod consenserat factionib. fatris sui, & cæteri qui cum eo capti fuerant, tracti sunt atque suspensi, & vltimo decollati. Et cum strages huiuscemodi grassaretur in Scotia, eodem quasi sub tempore inter regem Francorum & Parisienses ciues, seuerior orta est dissensio, hac de causa. Erat autem in ciuitate prædicta, vir illustris prosapia, præ cunctis conciuibus permaxime locupletatus, nomine Stephanus Barbet. Hic accedens ad regem Franciæ, sic fatus est. Domine, numisma census vestri minoratur in duplo, quam valet. Hinc mercatores lucrum deportant, & vos detrimentum patimini. Iubeto ergo in moneta suum triplum valorem amodo supercrescat. Et velut dolosus & cupidus, ilico assensserunt in vnum. Nec diu latuit ciues reliquos dolus iste. Qui dixerunt Stephano. Tu inclytus in ciuitate, tu locupletior cunctis burgensibus es effectus. Ecce rex noster iniurioſe super nos aggrauat iugum suū imponendo regno tributum, cunctis retro regibus Franciæ insuetū. En quamplura ædificia construximus, quę, si triplicatur census, inconductibilia in solitudinem redigentur, & passeres solitarii in tectis pro hominibus habitabunt. Ah Deus, priusquam hæc fiant, relictis omnibus quæremus dominum meliorem. Tu ergo, cum sis vnus ex nobis, assentire nobis. Alioquin incendemus te & domum tuam. Quia dictum est, quod suggestione tuæ versutiæ factū est hoc. Qui respondit eis. Iuxta condictum faciam, quod populus hic hortatur. Discedens vero ab eis, soluit clam regi Franciæ censum, quem policitus erat ei, Coniuratione itaque facta, conciues insurrexerunt in Stephanum, demolientes & solo tenus complanantes vniuersa ædificia, quę in ciuitate & prope ciuitatem habuerat, pretiosamq; eius supellectilē concremantes, pueros cum pecudibus gladiis occiderunt. Ipso quoq; die bigas regis, in qui-

* *Sustineret.*

in quibus victualia, quæ pro mensa eius empta, & locata fuerant, distrahentes, in fori medio sparserunt, pedibus omnia despicabiliter conculcando. Nec sic quieuit tam sæua rabies, sed furibundi venerunt ad templum, quo rex tum temporibus morabatur. Et clamabant. Trade nobis Stephanum, alioquin incendemus te & templum. Quibus rex caute respõdit. Ecce repentine irruistis super me. Reuertimini in ciuitatem, dieque sexto redite ad me. Supplebo enim tunc, quod petitis, & querelas vestras, pollicens emendas, exaudiam: Illis autem repedantibus, rex succesſit in alium locum procul ab vrbe. Et sic fruſtratorię dilationis interpositione delusa est conquerentium solicitudo burgensium. Post hęc autem Carolus, germanus regis, accersitis ad se duodecim de præstantioribus ciuibus, vt pacifice loqueretur eis, sub dolo torquebat eos diuersis pœnis, vsque quo præuaricatores prodidissent. De quibus certificatus rex, leuatis patibulis ante portas ciuitatis, nunc denos, nunc vicenos sublimius fecit suspendi. Porro Flandrẽsibus edixit, vt tributum, quod illi debebant, soluerent adauctum tripliciter. Qui responderunt. Non amplius cõferemus. Quod quicquam contulimus, hinc dolemus. Restituat nobis rex collata, aut vi conquiremus extorta. Illo quoque anno, quidam hæreticus, apostata & pseudopropheta surrexit in Venetia, nomine * Dunsinus, prædicans plurima contra fidem, vtpote de imperio susci- * Dolcinus.
piendo, de omnium morte Cardinalium, & papæ Clementis, infra hunc annum, & finem mundi infra triennium nunc instare, fallaciter, vt veraciter, prædicauit, coadunans sectæ suæ vniuscuiusque ordinis gentes apostatrices, asserens inter cætera suæ prædicationis nefanda, hominem quemuis cum muliere quauis commiscere, non esse peccatum & mulierem renuentem cuiusuis hominis amplexum, dignam ignibus concremari. Plura enormia euomendo asseruit, quæ quoniam à fide discrepant orthodoxa, scribere perhorresco. Qui non diu post, die scilicet Cœnæ domini captus à Christo fidelibus, igne combustus est. Rex Francorum à domino papa ossa Bonefacii prædecessoris sui petiit ad comburenda, tanquam hæretici, instãtia opportuna. Petiit etiam sanctorum catalogo ascribi fratrem Petrum de Murone, qui quondam fuerat papa, dictus Cælestinus quintus. Rex Angliæ Petrum de Gauerstone, apud se de diuersis accusatum, regnum Angliæ abiurare coegit.

Parliamentum sit Caerleoli. Comes Glouernia obsidetur à Scotis. Rex Eadvvardus Primus moritur.

Anno gratiæ 1307. in octauis sancti Hilarii, rex Parliamentum tenuit Caerleoli, in quo per maiores graues depositę sunt querimonię de oppressionibus Ecclesiarum & monasteriorum, multiplicibus extorsionibus pecuniarum, per clericum domini papæ, magistrum Gulihelmum Testa nouiter in regnum inductis, præceptumque est eidem clerico de assensu Comitum & Baronum, ne de cætero talia exequatur. Ordinatum etiam erat quòd prò remedio super his obtinendo, ad dominũ papam assignari mitterẽtur nuncii. In eodem Parliamento edita sunt statuta quædam tangentia religiosos, qui domos suas principales in alio regno habebant. Venitque ad illud Parliamentum, circa festum Cathedræ sancti Petri, quidam Cardinalis Sabinensis, magister Petrus Hispanus, missus à latere papæ in Angliam ad perficiendum ordinatum matrimonium inter primogenitum regis Angliæ Eadwardum, & filiam regis Francorum Isabellam, secundum quod à papa Bonefacio, tanquam pacis mediatore, prius ordinatum fuerat. Cui per regem responsum est, paratum se implere quæ ordinata sunt, dummodo rex Francorum velit ex parte sua, quæ ad ipsum pertinent, adimplere. Dederat enim rex Francorum, dum Vasconiam tenuerat, Castrum quod Mali leonis dicitur, cuidam militi, qui illud adhuc detinebat, nec ad mandatum regis Francorum illud curabat restituere. Ob quam causam fertur illud matrimonium hactenus fuisse dilatum. Rediit itaque Cardinalis Londinum, vt super his certitudinem expectaret, & Ecclesias Anglicanas depilaret. Nam per bullam habere voluit à cunctis Cathedralibus, Conuentualibus, Regularibus & irregularibus Ecclesiis & Prioratibus, duodecim marcas Sterlingorũ. De Rectoriis vero * octo denarios de qua- * quatuor.
libet marca. Contra hanc autem exactionem appellatum est à clero Angliæ. Et ordinatum est per Consilium regis, istum Cardinalem non plus debere habere, quam acceperat olim Ottobonus Cardinalis, & legatus in Angliam, scilicet dimidium postulati. Hoc itaq; anno, nono die Februarii, quidam Scotus de Galuedia, Duncanus Magdoil nomine, occurrit nauigio magno, repleto septingentis bellatoribus, applicantibus super terram suam, cum trecentis, non multis eo amplius viris, & peremit fere omnem exercitum, hos in acie hos in saltu, hos in portu, hos in fuga: & plures submersi sunt in * mari. Sed hos præcipuos * ponto.
de interfectis in prælio obtulit domino regi, videlicet Malcolmi Makail, domini de Kentir ca-

tir caput, & duorum regulorum Hybernienſium capita, Reginaldum de Craunford, &
* Germanos. Thomam de Brus, milites, & Alexandrum de Brus,* Germanum pſeudo regis, ſauciatos,
& ſemineces præſentauit. De quibus Thomas tractus, ſuſpenſus, & decolatus eſt, cæteri
ſimpliciter ſuſpenſi & truncati apud Caerleolum referuntur. Teſtimonium huic perhi-
bent eorum capita ſuper Caſtellum, & ſuper portas vrbis confixa. Poſt Paſcha, Robertus
de Brus, auctoritate ſuo exercitu, congreſſus cum Æmerico de Valentiis, ipſum compulit
in fugam, paucis de his qui erant cum eo peremptis. Infra triduum etiam ſequens, fuga-
uit Comitem Glouerniæ, multisq; hinc inde occiſis, ipſum obſedit in Caſtro de Are, quo-
uſq; per exercitum à rege miſſum, fuit obſidio diſſoluta. Ex tunc autem inſequentibus eũ
Anglis, fugit ad loca paluſtria & nemoroſa, in quibus latibula quæritantẽ comprehen-
dere minime potuerunt. Rex miſſis in Angliã nuntiis, præcepit ſub graui pœna, vt omnes
qui ei ſeruitium debebant, parati eſſent apud Caerleolum in tres ſeptimanas poſt feſtum
ſancti Iohannis Baptiſtæ: filium vero ſuum remiſit in Angliam, vt ſecundum ea, quæ de
rege Franciæ audiret, proficiſceretur ad connubium cum filia eiuſdem contrahendum.
Poſt cuius diſceſſum cœpit rex vexari diſſenteria. Mouit tamen nihilominus de Caerleo-
lo, quinto nonas Iulii, paruis dietis verſus Scotiam proficiſcens. Pridie vero Nonas Iulii,
venit vſq; Burgũ ſuper Sabulo, vbi inualeſcẽte infirmitate, die craſtina, ſcilicet ſexta feria,
præſenti vitæ valefaciens, dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria cõſummauit. Regnauit
autem annis triginta quatuor, menſibus ſeptem, diebus viginti vno, compleuitq; ætatis ſuę
annos ſexaginta octo, & dies viginti. Hic Eadwardus fuit ſtrenuus in armis per totam vi-
tam ſuam in omni ſtatu, adeo quod totam Angliã de manu Simonis de Monte Forti, Co-
mitum & Baronum eidem Simoni adhærentium, qui etiam regem Henricum patrem
ſuum, & ſeipſum tenuit in carcere, adquiſiuit, ſicut ſuperius in Chronicis cõtinetur. To-
tam etiam Walliam de manibus Leolini principis & Dauidis fratris eius, Aquitaniam de
manu regis Franciæ extorſit. Scotiam ſibi ſæpius ſubiugauit, ſicut ſuperiora geſta teſtan-
tur. Sed capta Scotia proditioſe per Robertum Bruſium, vt ſupra proximo capitulo con-
tinetur, ipſe idem inter exercitum in lecto mortis iacens, ex magnanimitate cordis man-
dauit & iuſſit corpus ſuum ibi remanere non ſepultum, ſed deferri in exercitu, quouſque
tota Scotia eſſet finaliter acquiſita. Sed hoc mandatum non potuit effectui demandari.
Fuit corpus itaque delatum in Angliam, & ſepultum Weſtmonaſterii, anno proximo ſe-
† 17. quenti, † 18. die Octob. iuxta ſanctum Eadwardũ, ad caput patris ſui, per manus venerabi-
lium patrum, domini Anthonii Patriarchæ Hieroſolymitani & Dunelmenſis Epiſcopi, &
& Gulihelmi Archiepiſcopi Eboracenſis, cum cæteris Epiſcopis, abbatibus, & prælatis,
totius regni. De quo ſcripſit quidam verſificator ſic.

Dum viguit, rex, & valuit tua magna poteſtas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnauit honeſtas,
Scotos Eadwardus, dum vixit ſuppeditauit,
Tenuit, afflixit, depreſſit, dilaniauit.

Ed. 1. mortuus fuit 7. Iulij. an. D. 1307.

FINIS.

Continuationem huius hiſtoriæ ab anno 1307. ad annum 1377. vide in fine
hiſtoriæ Ranulphi, Monachi Ceſtrenſis.

CHRO-

CHRONICON

EX CHRONICIS, AB INITIO MVNDI VSQVE AD ANNUM Domini 1118. deductum, Auctore Florentio Wigornienſi Monacho.

ACCESSIT ETIAM CONTINVATIO vſque ad annum Chriſti 1141. per quendam eiuſdem cœnobii eruditum.

NVNQVAM ANTEHAC IN LVCEM EDITVM.

ANNO

M. DCI.

ILLVSTRISSIMO VIRO D. GVLIELMO CECILIO, BARONI DE BVRGLEGH,

summo Angliæ Thesaurario: prænobilis Ordinis Garterii Equiti aurato: Regiæ Maiestati à secretioribus consiliis, ac Cantabrigiensis Academiæ Cancellario dignissimo, Domino suo honoratissimo.

CVM nuper (vir honoratissime) nonnulli venerandæ antiquitatis admiratores, mihi cupidius instarent, vt hunc libellum apud me latentem, non tam quidem stylo tersum, ac oratione politum, quam inuentu rarum & lectu iucundum diuulgari paterer, nimis inhumanum videbatur tam æquum flagitantibus nõ annuere, præsertim cum publica multorum vtilitas, priuatæ meæ solius voluptati merito sit præferenda. Horum precibus, quas pro postulati æquitate repudiare non debui, & pro necessitudinis vinculo diutius sustinere non potui, iam tandem victus concessi. Iamq; operi è tenebris in lucem prodituro patronus defuit. Vnus occurrebas eo nomine inprimis dignus. Hoc igitur qualitercunq; elaboratum, vmbra tuæ amplitudinis, tanquam præcipui literarum Mecænatis tegere ausus sum, tum ob solidissimũ tuum in iisdem iudiciũ, tum propter eximium amorem, quo id genus studii fautores prosequi semper dignatus es. Nec dubito quin pro tua solita & singulari bonitate (quæ mihi nunquam defuit) conatus hosce meos in alienis vigiliis edendis, quum nihil dignum oculis, dignum auribus tuis meo Marte proferre valeo, tanquam grati animi, & summorum tuorum erga me beneficiorum non obliti pignus sis accepturus: Pro quibus (quod solum possum) semper & vbiq; me tui obseruantissimum fore, & polliceor, & præstabo.

Amplitudinis tuæ
deditissimus.

GVLIELMVS HOWARDVS.

CANDIDO LECTORI.

ECce (benigne lector) tot euolutis seculis prodit in lucem, & censuræ tuæ se subiicit opusculum: si auctorem quæris, Florentii eruditi Wigorniæ Monachi: si originem, ab ipsis mundi incunabulis ad Henrici primi, regis Angliæ, tempora deductum: si materiam, tam extra quam domestica gesta continens: & nisi multorum (quod vix fieri posse arbitror) erret iudicium, quod prælo mandetur inprimis dignum. Hoc cum iam diu intra priuatos parietes concluſum latuisset, quorundam hortatu animum induxi meum, sumptus aliquos & operam meam in eodem diuulgando impendere: maxime in eorum gratiam, qui se totos huic nunquam satis laudato studio deuouerunt. Vt autem ad huius operis pleniorem cognitionem (tanquam Theseo filo) ducaris, liceat mihi bona tua cum veniate præmonere, Auctorem in sua annorum computatione duas obseruare series, vnum secundum Dionysium, cui in vertice paginæ hæc nota S.D. præfigitur: alteram secundam Euangelium, cui ex aduerso S.E. indicis loco præponuntur. Quas quidem series 22. annis inter se discrepare inuenies. Quod attinet ad Genealogias in opere, cui titulus est Regalis prosapia Anglorum: quoniam ab Adam vsq; ad Wodenum apte inter se cohæret. Visum est te (Amice Lector) ad paginam 294. in historia præcedenti remittere. Sed cum à Wodeno ad heptarchiam descendendo illas multis in locis, tam quoad nomina quam quoad personas, non adeo quidem concinne inter se quadrare perspicerem, operæ pretium duxi, easdem iuxta propositum

tum exemplar, fusius & vberius describere, hac interposita lege, & conditione, vt cuiq; per me liberum sit ea de re sentire quid velit. Quantum ad historiam spectat, ab antiquo exemplari ne latum quidem vnguem discessi, quo factum est vt nonnunquam coactus fuerim aliqua manca & mutilata relinquere, cum nullum aliud adesset exemplar quod istius lacunas supplere posset. Huius operis (vt ante dixi) auctor fuit Florentius Ecclesiæ cathedralis Wigorniæ monachus, qui historiam suam ab initio mundi ad annum à partu virginis 1118. deduxit, in quo vitam vna cum opere finiuit, quod inde postea ab alio eiusdem cœnobii viro, Anonymo, vsque ad annum 1141. fuit continuatum: quanto vero vlterius ac nostro seculo vicinius illa se extẽdat historia incertus sum, propterea quod libellus vnde continuationis illius pars desumitur, aliud est eiusdem auctoris opus, sed imperfectum in fine: quem libellum mihi vtendum tradidit dominus Gulielmus Lambardus, cuius multiplicis, & non vulgaris eruditionis passim extant pulcherrima testimonia. Quod solum restat, hortarer te (Amice lector) nisi eo te duceret naturæ tuæ candor, vt errata, quæ inter excudendum irrepserunt, studio & ardore meo placendi tibi condones. Quod si feceris, sumptui ac operæ meæ, si quæ fuit, abunde satisfacies: & alios pariter incitabis, vt maiorum nostrorum lucubrationes, tenebris obductis (quarum quamplures adhuc extant) ad publicam potius vtilitatem diuulgent, quam ad suam voluptatem sibi detineant. Vale. Calend. Aug. 1592.

RANVLPHI HIGDENI DE FLORENTIO Wigornensi testimonium.

Ranulphus Higdenus, Monachus Castrensis, in suo Polichronico, lib. 7. sic habet. Anno domini 1118. obiit dominus Florentius Wigorniæ Monachus, cuius literato labore plurimum adaucta est ista historia.

IOH. BALEI DE EODEM Testimonium.

Florentius Rauonius, Wigornienſis Monachus, homo vtraq; diſciplina, humana & diuina, opipare præditus, maximum ſibi ex editis opuſculis doctrinæ comparabat nomen. Ingenium plane habuit, ad quodcunq; volebat, apertum & conſpicuum, memoriam ſplendidam ac fœlicem. Tam ingenue à teneris annis inſtitutus fuit, & ita ad bene merendum propenſus, vt nullam ſineret præterire diem, quin aliquam duceret lineam ad patriæ ſuæ ſplendorem. Ex frequenti & crebra chronicorum lectione, Chronographus euaſit ætate ſua magnus: Gildam, Bedam, Adonem, Marianum, Sigebertum, & ſimiles religioſe ſequutus. Illuſtrium virorum facta, ſeruato temporum ordine, ac debito locorum iconiſmo, vt pellucida quadam pictura, oculos poſuit. Vnde poſteris demum reliquit, ad celebrem Anglicæ antiquitatis memoriam, eximia ingenii ſui monumenta & dona, Latino ſermone conſcripta. Obiit tandem, non ſine ſuorum luctu, anno nati Seruatoris 1119. ſub Henrico primo, Anglorum rege. Hunc ſequuntur ac laudant Gualterus Conentrienſis, Ranulphus Higdenus, & Iohannes Roſſus. Libro de ſcrip. Ang. Cen. 2. cap. 66.

CHRONICON FLORENTII WIGORNIENSIS MONACHI.

INCIPIT LIBER PRIMVS
Ab Adam vsque ad Christum.

ADAM centum triginta annorum genuit *Seth*, & postea vixit octingentis annis, sed septuaginta interpretes ante natum *Seth* dixerunt annos ducentos triginta, & postea annos septingentos. *Seth* interpretatur resurrectio, id est, seminis iusti, eo quod stirps filiorum Dei est, & in ipso resuscitatum est semen iustum post mortem *Abelis*, siue significans, id est, Christi resurrectionem à mortuis, cuius mortem illatam à Iudæis significat *Abel*, qui dicitur luctus, à fratre *Cain* occisus. *Adam* Hebraice, ἄνθρωπος Græce, Latine homo terrenus, humus terrigena, terra rubra, sanguineus, & genitor. Iste interpretationes in humo & in sanguine, & in terra, & in creatione retinent dignitatem. *Cain* Hebraice Latine possessio vel acquisitio, quia dixit *Eua*, acquisiui vel possedi hominem per Deum. 130.

Septima ætas seculi quæ per Sabbatum significatur, incepit cum primi martyris *Abel* à *Cain* fratre occisi anima in requiem est translata, quam etiam ætatem omnes animæ sanctæ à corporibus solutæ percipiunt: & perficientur, quando in resurrectione corpora sua incorrupta recipiunt, & deinde in octaua vita perpetuæ quietis cum Christo sine fine permanebunt.

Septem peccata Cain.

Primum, quod male diuisit, vt, non respexit Deus ad munera *Cain*. Secundum, Inuidia:: vt, iratus est *Cain*. Tertium, Tristitia, vt, concidit vultus eius. Quartum, homicidium. Quintum mendacium; vt, nescio, nunquid custos fratris mei sum ego? Sextum, Impœnitentia, vt, quid fecisti. Ecce vox sanguinis, &c.

Septimum, desperatio, vt maior est iniquitas mea quam vt veniam merear. In *Cain* signum Dei est dicit, nequaquam ita fiet vt æstimas, non omnis sed vnus occidet te, & nō sicut vis pro remedio morte finies cruciatum tuum, sed vsque in septimam generationem conscientiæ igne torqueberis, vel qui tunc te occiderit, magno cruciatu te liberabit, id est, septē cruciatibus absoluet, vel in septima generatione occideris, nam occisor tuus septem vltionibus punietur.

Seth centum quinque annorum genuit *Enos*, & postea vixit 807. annis. Septuaginta
235. interpretes ante *Enos* 205. & postea 707. dixerunt, *Enos* interpretatur homo, de quo bene dicitur, *Enos* primus cœpit inuocare nomen Domini, quod hominis proprium est, vt fuæ fragilitatis memor inuocet conditoris auxilium, eius videlicet qui fide Christi viuens filius resurrectionis esse lætatur. 105.

Enos 90. annorum genuit *Cainan*, & postea vixit annis 815. sed septuaginta ante 190. annis & postea vixit 715. dixerunt. *Cainan* interpretatur natura Dei. Hunc *Enoch* nonnulla scripsisse diuina *Iuda* Apostolo attestante comperimus. Sed vt Beatus *Augustinus* dicit, non frustra insunt in eo canone scripturarum, qui scribitur in templo Hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt, nec vtrum hæc essent quæ ille scripsisset poterat inueniri. Vnde illa quæ *Eusebii* nomine proferuntur, & continēt illas de gigantibus fabulas quod non haberent homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda.

Cainan annorum 70. genuit *Malaleel* & postea vixit annis 840. sed septuaginta inter-
395. pretes ante 170. annos, & postea 740. dixere. *Malaleel* interpretatur plantatio domini.

Malaleel annorum 65. genuit *Iareth* & postea vixit 830. sed septuaginta ante 165. &
460. postea 730. *Iareth* interpretatur descendens siue portans. 65. *Iared* annorum 162. genuit *Enoch*, & postea vixit 800. annis sic & 70. 62.

Enoch annorum 65. genuit *Matusalem*, & postea vixit 300. annis, ambulauitque cum
687. Deo: sed septuaginta ante 165. & postea 200. Et bene in 7. generatione *Enoch*, qui interpretatur dedicatio tulit à mortalibus Deus, quia ciuitas electorum in sex huius seculi laborans pro Deo ætatibus, in septima sabbati futuri gloriam dedicationis expectat, ad quid reprobi sola præsenti sunt fœlicitate contenti? *Cain* autem ciuitatem quam statuit non in septima generatione, sed in primogenito *Enoch* consecrauit. 65.

874. *Matusalem*, annorum 187. genuit *Lamech*, & postea vixit 782. annis, id est vsq; ad diluuium.

luuium. Septuaginta autem ante *Lamech* 167. & postea 802. annos id est, 12. annos post diluuium, quem nonnulli cum patre suo *Enoch* qui translatus est, aliquantulum fuisse donec diluuium præteriret, falsa opinione existimant. Quam famosissimam quæstionem sanctus *Augustinus* in libro 15. de ciuitate Dei, plenissime disputat. *Hieronymus* autem in libro Hebraicarum quæstionum sic. Tunc secundum septuaginta, 14. annis post diluuiũ vixit *Matusalem*, & non octo tantum animæ factæ sunt in arca iuxta diuinam scripturam. Sed quia hic error est, anno 969. vitæ eius, quo cœpit diluuium obiit *Matusalem*. Hæc *Hieronymus*. 187.

Lamech annorum 182. genuit *Noe*, & postea vixit annis 595. Septuaginta ante 188. & postea 565. Tempore *Lamech Iubal* ex genere *Cain* artem musicam atque citharam reperit. Cuius etiã frater *Tubalcain*, æris ferriq; faber & inuentor fuit. Ipso etiam tempore cõcupiere filii Dei filias hominum, & gigantes nati sunt. Filiæ hominũ, id est, generis *Cain* dolcuerunt filios Dei, id est filios *Seth* viros suos, res profanas & noxias, & maleficiorũ artes, & præstigias, magicasq;, & elementa, vt ignem vel æreos Deos colere primũ instinctu dæmonum sicut gens *Cain* consuerit, quod malum posteros maculauit. *Cham* vero filius *Noe* qui superstitionibus ipsis erat imbutus, ne diluuio delerentur, scripsit ea in laminis, & in durissimis sculpsit lapidibus, & inueniens ea post diluuium perdidit docendo posteros. Maiorum nostrorum ista sententia est, quod putent in septima generatione à *Lamech* interfectũ *Cain*. *Adã* q̃ppe genuit *Cain*. *Cain* genuit *Enoch*. *Enoch* genuit *Cainan*. *Cainan* genuit *Malaleel*. *Malaleel* genuit *Matusalem*. *Matusalem* genuit *Lamech*, qui septimus ab *Adam* nõ sponte, sicut in quodam Hebræo volumine scribitur, interfecit *Cain*, vt ipse postea confitetur, quia virum occidi in vulnere meo, & iuuenem in liuore meo, septies vindicabitur de *Cain*, de *Lamech* vero septuagies septies.

Et quidem de *Cain* qui septima generatione interfectus est, sicut illud quod non interrogaueras, dum aliud agimus irrepsit. *Hieronymus* ad *Damasum* Papam, sic. Quæ sunt 77. vindictæ quæ pro occisione *Cain* in *Lamech* soluendæ sunt? Aiunt ab *Adam* vsque ad Christum generationes 77. Relege *Lucam* Euangelistam, & inuenies ita esse vt dicimus. Iesus vt putabatur filius *Ioseph*, qui fuit *Heli*, qui fuit *Matthat*, qui fuit *Leui*, qui fuit *Melchi*, qui fuit *Iamnæ*, q.f. *Ioseph*, q.f. *Matthathiæ*, q.f. *Amos*, q.f. *Naum*, q.f. *Hesti*, q.f. *Naggæ*, q.f. *Maath*, q.f. *Matthathiæ*, q.f. *Semei*, q.f. *Ioseph*, q.f. *Iuda*, q.f. *Iohannæ*, q.f. *Resa*, q.f. *Zorabel*, q.f. *Sallathiel*, q.f. *Neri*, q.f. *Melchi*, q.f. *Addi*, q.f. *Cosam*, q.f. *Helmadan*, q.f. *Her*, q.f. *Iesu*, q.f. *Eleezer*, q.f. *Iorim*, q.f. *Matthat*, qui fuit *Leui*, q.f. *Simeon*, q.f. *Iuda*, q.f. *Ioseph*, q.f. *Iona*, q.f. *Eliachim*, q.f. *Mela*, q.f. *Mennan*, q.f. *Matthatham*, q.f. *Nathan*, q.f. *David*, q.f. *Iesse*, q.f. *Obed*, q.f. *Boos*, q.f. *Salmon*, q.f. *Naason*, q.f. *Aminadab*, q.f. *Aram*, q.f. *Esrom*, q.f. *Phares*, q.f. *Iudæ*, q.f. *Iacob*, q.f. *Isaac*, q.f. *Abrahæ*, q.f. *Tharæ*, q.f. *Nachor*, q.f. *Seruch*, qui fuit, *Ragan*, q.f. *Phalech*, q.f. *Heber*, q.f. *Salem*, qui fuit *Cainan*, qui fuit *Arphaxat*, q.f. *Sem*, qui fuit *Noe*, q.f. *Lamech*, q.f. *Matusalem*, q.f. *Enoch*, qui fuit *Iared*, q.f. *Malaleel*, q.f. *Cainan*, q.f. *Enos*, q.f. *Seth*, qui fuit *Adam*, qui fuit *Dei*. Sicuti ergo generatione septima *Cain* peccatum est dissolutum, non vindicabit quippe Dominus bis in idipsum, & qui semel recipit mala sua in vita sua, non eosdem cruciatus patietur in morte, quos passus est in vita, ita & *Lamech* peccatũ, id est totius mundi atq; sanguinis qui effusus est, Christi soluitur aduentu, qui tollit peccata mundi, qui lauit amictum suum in sanguine vuæ, & torcular calcauit solus, qui eodem rubicundus ascendens ad cœlũ clamantibus Angelis miraculum præbuit, Eleuate portas principes vestras &c. Hæc ita confirmat *Hieronymus*. *Beda* quæ super genesim sic. *De Lamech* vero septuagies septies secundum historiam dictum est, quod ab *Adam* vsq; ad Christum 77. generationes sunt, quibus peccatum *Lamech*, id est totius mundi, sanguinis Christi effusione solutum est. 82.

Adam pater generis humani, Dei manibus creatus ex terra, vixit annis 920. & obiit, sepultusque est in Cariatharbe, quæ distat à Hierusalem 32. milliaribus ad australem plagam.

Enoch septimus ab *Adam*, annorum 365. reductus est viuus in Paradisum, id est 113. anno in fine seculi, mortem sub antichristo cum *Helia* passurus. *Seth* filius *Adæ* annorum 912. obiit.

Noe annorum 600. vsque ad diluuium, annorum autem 500. genuit *Sem*, & postea vixit 450. annis.

Noe interpretatur consolatio, vel consolator, quia homines in diebus *Noe* consolati sunt, dum à peccato extincti sunt in diluuio, vel requies interpretatur *Noe*, quia omnibus animantibus præstitit requiem, vel requiens interpretatur *Noe*, quia omnia elementa per diluuium in illis diebus requieuerunt.

Enos annorum nongentorum quinq; obiit.

Cainan annorum nongentorum decem obiit.

Malaleel annorum 895. obiit.

Iared annorum 962. obiit.

Noe ætatis suæ anno quingentesimo, diuino oraculo arcam fabricare præcipitur. *Sem* filius *Noe* nascitur. In his temporibus, vt refert *Iosephus*, scientes illi homines quod aut igne aut aquis perire deberent, in duabus columnis, ex lapide & lætere factis, studia sua scripserunt, ne delerentur memoria quæ sapienter inuenerunt, quarum columnam lapideam fertur diluuium euasisse, & hactenus in Syria permanere.

Lamech annorum 777. obiit.

Metusalem annorum 969. obiit. Diluuium venit anno ætatis *Noe* 600. die 17. mensis secundi. Arca quatuor angulis ex imo consurgens, eisdem paulatim ad summum in angustum attractis, in vnum cubitum fuit collecta, 80. in altitudine, in cacumine latitudinis & longitudinis vnus cubitus, mansiones autem in ea ab hoc fecit, vt diuersa animalia facilius secerni possent. Tradunt Hebræi quod *Moyses* qui vt de eo scriptura dicit, omni sapientia Ægyptiorum eruditus fuit, secundum artem Geometricam quam præcipue Ægyptii colunt, cubitos hic constituit, apud quos secundum illam rationem quam virtutem vocant, ex solido & quadrato, vel in sex cubitos vnus deputatur, cubitus autem dicitur sex palmi, à pollice vsq; in extremum digitum.

Prima mundi ætas ab *Adam* vsque in egressum *Noe* ex arca continet annos iuxta Hebraicam veritatem, 1656. secundum autem 70. interpretes 2242. generationes iuxta vtramq; editionem numero decē. Quæ vniuersalis generatio deleta est diluuio, nisi tantum octo animæ saluę factę sunt per arcam, sicut primam cuiusq; hominis obliuio demergere consueuit ætatem. Quis est qui suam recordetur infantiam? Arcam *Noe* sedisse super montem Armeniæ qui vocatur Ararat, *Iosephus* narrat. 12. Secunda seculi ætate prima eius die quæ est 27. mensis secūdi, id est, Idus Maii egressus est *Noe* de Arca. 13. *Sem* filius *Noe* cum centum annorum in diluuio esset, biennio post diluuium genuit *Arphaxat*, & postea vixit quingentis annis. Quod vero Hebraicæ veritatis potius authoritati quam 70. interpretum credamus, cum originem distantiæ ipsarum sanctus *August.* solertissime quæsisset, in libro de ciuitate Dei 15. capitulo 13. ita dicit. Credibilius ergo quis dixerit cum primum de Bibliotheca *Ptholomei* describi ista cœperunt, tunc aliquid tale erroris fieri potuisse in codice vno, sed primitus inde descripto, vnde iam latius emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam scriptoris error, sed & hoc in illa quæstione de vita *Matusalem* non absurdum est suspicari, & post aliquantulū, recte fieri, inquit, nullo modo dubitaui, vt diuersum aliquid in diuersis codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumq; esse non potest, verum ei linguæ potius credatur vnde in aliam per interpretes facta est translatio. Hæc *Augustinus*. *Beda* autem sic. Translatio autem 70. interpretum, vel minus solicite primo edita est vt multi astruunt, vel postea à gentilibus corrupta vt beato *Augustino* videtur, seu certe ex vtriusque commixto opere codicibus, vt sibi visum fuerit, cursum temporum notauerit. De corruptione autem ætatis secundæ secundum Hebræos tota eiusdem serie recensita, beatus *Augustinus* in libro de ciuitate Dei 16. cap. 10. sic concluſit. Fiunt itaque anni à diluuio vsque ad *Abraham* 1072. secundum vulgarem editionem, hoc est, interpretum 70. In Hebræis autem codicibus longe pauciores annos perhibent inueniri, de quibus rationem aut nullam aut difficillimam reddunt, hæc *Beda*. Ablatis igitur annis 292. secundæ ætatis iuxta Hebræos, & subductis annis 1072. secundæ ætatis, secundum 70. interpretes, in loco eorum fiunt vulgariter hac emendatione sancti *Augustini* anni 4732. ab *Adam* vsque in annum quintum ante in carnationem iuxta *Dionysium*, hoc est, vsq; ad incarnationem secundum Chronicam *Eusebii*, vel *Bedæ*: qui sunt octo cicli magni, atque insuper 476. anni. Quę emendatio omnino stare non potest, quia nec caput mundi iuxta vllam authoritatem, neque etiam dominica passio vel resurrectio iuxta Euangelium vnquam ita habebitur, de quo etiam sancto Euangelio idem ipse sanctus *Aug.* in concordia 4. Euangelistarum capitulo 12. ita dicit. Cum enim fas non est Euangelistarum aliquem mentitum fuisse vel etiam existimare vel dicere, si alius eorum dicit quod alius prætermittit, vel varie vel aliter dixit quā alius expressit, nullus eorū mendacium dixit. Hęc *Augustinus*. *Lucas* Euangelista sic, qui fuit *Salem*, qui fuit *Cainan*, qui fuit *Arphaxat*, Sanctus *Beda* sic. Hic *Lucas* dicit secundum 70. interpretes, qui hic vnā generationem plusquā Hebraica veritas posuerit, quod *Arphaxat* cum esset annorum 135. genuit *Cainan*, & *Cainan* cum 130. fuerat annorum, genuit *Salem*. Hæc *Beda*. 14. Hic igitur iuxta consecratā sancti Euangelii historiam, *Luca* teste, 230. anni qui desunt inter dominicam natiuitatem secundum Hebræos in anno 253. ante incar-

incarnationem iuxta *Dionysium*, & dominicam Natiuitatem iuxta Euangelicam historiam eandem, in anno 42. *Octauiani Cæsaris*, in anno 22. ante incarnationem iuxta *Dionysium* habentur, & sic secundum eiusdem Euangelii veritatem, in quo nihil falsitatis testificatur, nec existimatur, nec creditur, resurrectio Christi secundum Hebraicam & Euangelicam veritatem sexto Calendarum Aprilium inuenitur. Subtracta itaq; generatione *Arphaxat* secundum Hebræos, id est annis 35. de ætate secunda etiam secundum Hebræos, & postea introducta generatione eiusdem *Arphaxat* secundum 70. interpretes, id est 135. nec non etiam generatione *Cainan* secundum 70. Interpretes, id est 130. & sic secunda ætas annis 522. assumuntur 265. anni pro annis 35. Quia ergo antea 3952. anni, id est, septem magni cicli & 228. anni ab *Adam* vsque ad Natiuitatem Domini secundum Hebræos, teste *Beda*, fuerant, fiunt 4182. anni, qui sunt septem magni cicli, insuper 458. anni vsque 15. Calendarum Aprilium, quod est caput mundi, in anno in quo natus est Dominus, ipsis adde annos 230. supradictos, secundum *Lucam*. *Eusebius* sic. Annus 50. *Abrahæ* principium est 41. Iubilæi secundum Hebræos. *Iobel* autem apud eos quinquagenarius annus vocatur. Itaq; iuxta supputationem eorum ab *Adam* vsque ad annum 50. *Abrahæ* sunt 2000. Hæc *Eusebius* dicit. *Iepta* in libro Iudicum inter *Moysen* & semetipsum ait supputari annos 300. hoc est 30. annis plusquam supputat Hebraica veritas tantundem tempus. Anno 4. *Gedeonis Tyrus* condita est ante templum *Salamonis* annis 240. vt scribit *Iosephus*, hoc est annis decem plusquam Hebraica veritas. Scripsit etiam *Iosephus* centum annos ab euersa Hierusalem vsque euersionem regni Chaldæorum, id est, vsq; ad Cyrum qui destruxit illud. Scripsit enim post *Nabuchodonosor*, qui teste scriptura sacra 25. post euersionem Hierusalem vixit annos, *Euilmerodach* filiũ eius regnasse annis 18. 43. Post *Egesar* filius eius annis 40. 83. Cui successit filius eius *Labosordachus*, & regnauit mensibus 9. 84. Hoc defuncto, ad *Balthasar*, qui & *Naban*, transiuit imperium, 102. Qui cum 18. annis regnaret, capta à Cyro Persarum, & à Dario Medorum rege Babylonia destruxerant regnum Chaldæorum. Hæc *Iosephus*. Affricanus quoque annos 70. captiuitatis Iudæorum vsque ad Cyrum computat. Et aliter. Cum septem anni inter *Diocletianum* atque *Martianum* per octo circulos decennouenales, id est, per 152. annos, quorum gesta & indictiones ac ciclos decennouenales conscripserunt sancti Episcopi & Apostolici Papæ, sicut ibi probabitur. Quid mirum est si ab *Adam* vsque ad Christum per 4182. annos, qui minus quam debuerant numerati sunt, defecerunt in chronicis 230. anni? Aliter enim numerantur anni iuxta cursum Solis & Lunæ, sine vllius puncti detrimento, atque aliter vulgariter & corrupte, secundum chronicas atque reges. *Arphaxat* igitur, secundum Euangelistam *Lucam*, annorum 135. genuit *Cainan*, & post natum *Cainan* vixit annos 330. secundum septuaginta: quorum translationem sanctus *Lucas*, spiritu Sancto inspiratus, in hoc loco sequutus est. Secundum Hebræos autem *Arphaxat* annorum 35. genuit Salem, & postea vixit annis 303. *Arphaxat* genuit Chaldæos teste sancto *Hieronymo*. 257.

Cainan (*Luca* teste) annorum 130. genuit Salem, à quo antiqui Samaritæ vel Indi sunt geniti: & post Salem natum, secundum 70. vixit annis 438. 297. Sale iuxta Hebraicam veritatem, annorum 30. genuit *Heber*, & postea vixit annis quadringentis tribus, sed 70. antea 130. & postea 330. 331.

Heber, à quo Hebræi geniti & nominati sunt, 34. annorum genuit *Phalech*, & postea vixit annis 430. Sed 70. ante 134. & postea 270. *Phalech* interpretatur diuisio: qui tali nomine à parentibus appellatus est, quia in tempore natiuitatis ipsius, terra per confusionẽ linguarum est diuisa. Cuius diuisionis *Arnobius Rhetor*, in expositione Psalmi centesimi quarti, meminit, ita dicens. *Sem* primogenito *Noe* pars facta est à Persida & Bactrix vsque in Indiam longe, & vsque Rinocoruras, quæ spacia terrarum habent linguas barbarico sermone 27. & gentes patriarum quadringentas sex, & flumen Euphraten. Nam diuersarum linguarum sicut & diuersarum patriarum erat: verbi gratia, cum vna lingua Latina sit, sub ipsa sunt diuersæ patriæ, Brutorum, Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum, Tuscorum, & similium. *Cham* vero secundus filius *Noe*, à Rinocoruris vsque Gadiram habens linguas sermone Punico, à parte Garamantum: Latino, à parte boreali: Barbarico, à parte meridiana, Æthiopum & Ægyptiorum, ac barbaris interioribus vario sermone 22. linguis, & patriis 394. & flumine Gion, qui & Nilus vocatur. *Iaphet* autem tertius, à Media vsque ad Gabdira ad boream. Habet autem Mediam & Babyloniam in patriis 200. sermone vario, in linguis 23. Fiunt ergo omnes simul linguæ 72. patriæ autem generationum mille, quæ in tripartito seculo hoc ordine sitæ sunt. Turris autem altitudo, cuius causa diuisæ sunt linguę, 2174.

tenere

tenere dicitur passuũ, paulatim altius angustior coarctata erat, vt pondus imminens facilius sustentaret. Describunt ibi templa marmorea lapidibus preciosis auroq; distincta, & multa alia, quæ videntur incredibilia. Hanc turrim *Nemroth* gigas construxit, qui post confusionem linguarum migrauit inde ad Persas, eosq; ignem colere docuit. His temporibus templa primum constructa, & quidam principes gentium tanquam dii adora-
361. ti sunt. *Falech* annorum 30. genuit *Reu*, & postea vixit annis 209. Septuaginta autem ante 130. & postea 208. *Reu* annorum 32. genuit *Seruch*, & postea vixit annis 207. Septua-
393. ginta ante 132. & postea 207. His temporibus principes gentium tanquam dii adorantur. *Seruch* annorũ 30. genuit *Nachor*, & postea vixit annis 200. Septuaginta ante 130. & post-
323. ea ducentos. *Scitharum* regnum exoritur, quibus primus imperauit Tanaus. *Nachor* annorum 29. genuit Thare, & postea vixit annis 109. Septuaginta ante 79. & postea 29. Regnum Ægyptiorum exortum est, quibus primus imperauit Zoues. Assiriorum & Siciniorum regnum exortum est, quibus præfuit Belus, quem quidam Saturnum existimant. Primus Siciniis imperauit Agealeus annis 52. à quo Agealia dicta est, quæ nunc Peloponensis nominatur. *Ninius* filius *Beli*, primus in omni Asia (exceptis Indis) regnauit annis 52. *Thare* annorum 70. genuit *Abraham*, & postea vixit 135. annis, sic & 70. interpretes. In Græcia Siciniis secundus imperabat Europs annis 45. Secunda seculi ætas à diluuio vsque ad natiuitatem *Abrahæ* protenditur, generationes decem complectens, & annos 292. iuxta Hebræos. Duarum autem simul ætatum ab *Adam* ad *Abraham* 1948. Secundum autem 70. interpretes, à diluuio ad *Abraham* 1072. & generationes 11. Duarum autem simul ætatum 3314. Secundum autem *Lucæ* Euangelistæ adiectionem anni sunt ætatis secundæ 522. & generationes 11. & ita ab *Adam* ad *Abraham* 2178. *Eusebius* sic. Manifestum est *Abraham* Nini ætate generatum, iuxta eum tamen numerum quem contractiorem editione vulgata sermo præbet Hebræus. Verum in curiositate necesse est, & cum diuinam scripturam diligenter euolueris, à natiuitate *Abrahæ* vsq; ad totius orbis diluuium inuenies retrorsum annos nongentos quadraginta duos, itemque à diluuio vsque ad *Adam* annos 2212. in quibus nulla penitus nec Græca, nec Barbara, vel (vt loquar in commune) gentilis inuenitur historia. Hæc *Eusebius*. Secunda seculi ætas quasi pueritia fuit gentis populi Dei, & ideo lingua inuenta est, id est Hebræa. A pueritia enim incipit homo nosse loqui post infantiam, quæ hinc appellata est, quod fari non potest.

CAP. XVII.

Abraham centum annorum genuit *Isaac*, & postea vixit 75. annis. Primo apud Ægyptios 16. potestas erat, quam vocant dinastian, quo tempore *Thebei* regnauerunt annis 190. Ninus apud Assyrios condidit ciuitatem Ninium in regione Assyriorum quam Hebræi vocant Niniuen, *Thoroastes Magus*, rex Bactrianorum, clarus habetur: aduersus quem Ninus dimicauit. *Abraham* natione Caldæus primam ætatem apud Caldęos egit: à quibus, vt *Iosephus* dicit, edoctus, Deum cœli, siderum conuersione cognouit, ipsamque mox disciplinam veracius intellectam, Ægyptiorum eum apud eos exularet genti aduexit.
11. Assyriis tertius *Semiramis* vxor Nini regnat annis 42. de qua innumerabilia narrãtur, quæ & Asiam tenuit, & propter inundationem aggeres construxit, plurima Babylonię vrbis instaurans. *Sara* nascitur. 12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.

Siciniis imperat secundus *Thelcin* annis 20. 26.27.28.29.30.31.32.33.34.35.36.37.38.39.40.41.42.43.44.

Siciniis tertius imperat *Apis* annis 15. 45.46.47.48.49.

Eusebius sic dicit. Principium 41. Iubilęi secundum Hebræos. Iubel autem apud eos quinquegenarius annus vocatur. Itaq; iuxta supputationem eorũ ab *Adam* vsq; ad annum præsentem fiunt anni 2000. 50.51.52.53.

Assyriorum quartus rex *Zaineus*, qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis, regnauit annis 38. 54.

Apud Cretam regnauit primus *Cres* indigena. 55.56.57. Creta dicta est à Crete indigena, quem q; aiunt vnum Curetarum fuisse: à quibus Iupiter absconditus est, & nutritus. Hic Noson ciuitatẽ in Creta condidit & Cibillæ matris templum. 58.59.60. Siciniorum quartus *Curuaxin* annis decem. 61.62.63.64.65.66.67.68.69.70.

Siciniorum quintus *Thelexion* annis 52. 71.72.73.74.75.

Abraham anno 75. ætatis suæ, 145. *Thare* patris sui, vt testatur *Augustinus*, iussu Dei exiuit de Carran, & venit in terram Canaan accipiens promissionem, se fore in gentem magnam, & nascituri Christi de semine suo, in quo benedicerentur omnes generationes. Sed anni patris fuerunt secundum scripturam, sic dicentem. Fuerunt anni vitæ *Tharæ* 205. in Car-

in carran, quia ibi finiuit vitam suam, & 70. annorum genuit *Abraham*. Hinc vsq; ad exitum Israel de Ægypto 430. anni, *Paulo* teste. 67.

Primus annus repromissionis Dei ad *Abraham*, qui est 76. ætatis eiusdem *Abrahæ*. 77.78.79.80.81.82.83.84.85.

Annus decimus repromissionis 86. *Abraham* ex Ancilla *Agar* genuit *Ismael*, à quo *Ismaelitæ*, qui postea Agareni, & ad postremum Saraceni dicti sunt quasi à *Sara* geniti, *Ismael* autem genuit 12. Duces, & vixit annis 137. 87.88.89.90.91.

Assyriorum 5. *Arralius* regnauit annis 30. 92.93.94.95.

Annus 20. repromissionis. 96.97.98.99.100.

Primo omnium prophetarum *Abraham* verbum Dei, cum in figura apparuisset humana, & vocationem gentium polliceretur, audiuit: quam in nostro tempore sermo Christi deduxit ad finem per Euangelicam in omnes gentes prædicationem. *Isaac* annorum 160. 60. genuit *Iacob*, & postea vixit annis 120. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.

Centum viginti annorum *Abraham*. 21.

Assyriorum sextus *Arius* annis 40. 22.

Siciniorum sextus *Aegidrus* annis 34. 23.24.25.

Isaac immolatur 26.27.28.29.30.

Centesimus 30. annus *Abrahæ*. In Creta regnauit primus Cres indigena vt quidam volunt: alia vero supra scriptum tempus indicant. 31.32.33.34.35.36.37.38.39.

Sara obiit. *Isaac Rebeccam* conduxit. 40.41.42.43.44.45.46.47.48.49.50.

Centum quinquaginta annorum *Abraham*. 51.52.53.54.

Apud lacum Tritonidem Minerua in specie virginali apparuisse dicitur 55.56.

Siciniorum 7. *Iburimachus* annis 45. 57.58.59.60.

Centesimus 60. annus *Abrahæ*. Sexagenario *Isaac* nascuntur filii gemini. Primus *Esau*, qui & *Edom*, à quo gens Idumæorum. Secundus *Iacob*, qui postea Israel, à quo Israelitæ, qui nunc Iudæi.

Iacob annorum 121. erat vsq; ad ducatum filii sui *Ioseph*. 1.

Assyriorum 7. *Xerxes* qui & *Ebalacus* annis 30. Primus Argiuorum *Inachus* regnauit annis 50. *Inachi* filia 10. quam Ægyptii mutato nomine Isidem colunt. *Inachus* fluuius apud Argos à filia Ione Bosforus nuncupatur. 2.3.4.5.6.

Serapis filius *Iouis*, Ægyptiorum rex obiit, & in Deos transfertur 7.8.9.10.

160. annus *Abrahæ*, *Isaac* vero 70. 11.12.13.

Castor chronographus de Argiuorum regno ita loquitur, cõsequenter persequens reges Argi ab *Inacho* vsq; in Thenelantum filium *Crotophi*. Quorum inuenitur omne tempus, anni 384. 14.15. Annus 100. repromissionis. In quo *Abraham*, pater multarum gentium, natione Chaldæus obiit, anno 175. vitæ suæ & sepultus est in Ebron, quæ quondam Cariatharbe, id est, ciuitas quatuor appellabatur, eo quod ibidẽ tres patriarchæ & *Adam* protoplastus sepultus est. 16.17.18.19.

Apis in Ægypto primum Deus putatur, quem quidam Serapem nominant. 20.

Octoginta anni *Isaac*. 21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31. Nonagesimus annus *Isaac*.

Assyriorum 8. *Armamitres* annis 38. 32.33.34.35.

Ægyptiorum reges pastores *Conicuni* nuncupati propter *Ioseph* & fratres eius, qui in principio pastores descendisse in Ægyptum comprobantur. Ægypti 16. potestas dinastia: quo tempore regnabant pastores annis 103. 36.37.38.39.40.

Centesimus annus *Isaac*. 41. Siciniorum octauus *Leucippus* annis 53. 42.43.44.45.46.47.48.49.50.51.

Argiuorum 2. Foroneus annis 60. Foroneus *Inachi* filius & *Niobæ*, primus leges iudiciaque constituit. Quidam huius filiam *Nioben* arbitrantur. Horum temporum, quasi valde antiquorum, *Plato* in Thimæo meminit, dicens. Et aliquando volens eos prouocare in sermones, de temporib. antiquis, quæ cuiq; ciuitati apud veteres accidissent, de Foroneo qui primus hoc nomine appellatus est, & *Niobe*, & his qui post diluuium fuerunt. 52.53.54.55.56.57.58.59.60.

Centum viginti annorum *Isaac*. 61.62.63.

Thessalaus Græci filius regnauit in Thessalia. 64.65.66.

Niobe primo omnium mulierum mixtus est Iupiter, vt Græci perhibent: de qua nascitur *Apis*, quem Serapem cognominant. 67.68.69.

Assy-

Assyriorum 9. *Belochus* annis 35. 70.

Centum 30 annorum *Isaac*. 71.72.

Theleisus & *Caratus* aduersus Foroneum instituunt bellum, 73.74.75.

Centesimus 60.annus repromissionis. 76.77.

Iacob descendit in Mesopotamiam & seruiuit apud *Laban* annis 7. 78.79.

Argiuorum Ogius, in *Attica Eleusinam* condidit, quæ antiquitus vocabatur *Acte*, & alias plurimas ciuitates, cuius temporib. apud Lacum Tridoniden virgo apparuit, quam gentiles *Minervam* nuncupant. 80.

Centesimus 40.annus *Isaac*. 81.82.83.84.85.

Iacob genuit *Ruben*. 86.

Iacob genuit *Simeon*. 87.88. *Iacob* genuit *Leui*, 89.

Iacob genuit *Iudam*. à quo Iudæi appellati sunt. 90.

Centum 50.annorum *Isaac*. 91.92.

Iacob genuit *Ioseph* 92. suæ ætatis anno. 93.94.

Siciniorum 9. *Messapus* annis 47. 95.96.97.

Iacob post 20. annos, à *Laban* reuertitur in terram Chanaan, *Hieronymo* teste in suis Epistolis. 98.

Argiuorum Messena, quæ & *Memertina*, conditur. 99.

Centesimus 60.annus *Isaac*, Iacob vero centesimus. 100. Diluuium, quod factum est sub *Ogge*. 101.102.103.104.

Assyriorum 10. *Balachus* annis 52. 105.106.107.108.109.

Ioseph (vt *Augustinus* dicit) ante annos 12. mortis *Isaac* 108. anno vitæ *Iacob* 17. annorum, venditus est à fratribus, & post annum venditionis 13. annos agebat in Ægypto, ignotus *Pharaoni*. Putifar ad quem venditus fuit *Ioseph*, *Eunuchus Pharaonis* & princeps exercitus eius, Ægyptius fuit. 116. 170.annus *Isaac*, *Iacob* vero 110. 111.

Argiuorum tertius *Apis* annis 35. Aiunt hunc *Apem* esse *Serapem*. Siquidem cum fratrem *Egialeum*, regem præfecisset Achaiæ, ipse cum populo ad Ægyptum nauigauit. 112.

Thelcines Victorodom condiderunt, quæ prius Ofiursa vocabatur. 113.114.115. 116.117.118.119.

Memphis in Ægypto ab *Ape* conditur. 120.

Isaac filius *Abrahæ*, in *Geraris* natus, obiit 110. annorum, & sepultus est iuxta *Abraham*, relinquens filium *Iacob* habentem annos 120. 121.

361. *Ioseph* Dux Ægypti per annos 80. Vxor *Ioseph* nomine Aseneth filia Putifares sacerdotis *Eliopoleos* ciuitatis fuit. 1.2.3.4.5.6.7.8.

Fames ingens exoritur. 9. *Iacob* secundo anno famis ingressus est Ægyptum cum filiis suis. Qui cum à *Pharaone* interrogaretur quotum annum ageret, respondit, annorum se esse 130. 10.11.12.13.

Ægyptiorum 18.dinastia Diapolitanorum, quorum primus Amosis annis 25. 14. 15.16.17.18.19.

Sparta condita est à Sparto filio Corothosi. 20.

Siciniorum decimus *Cratus* annis 46. 21.22.23.24.25.

Argiuorum quartus *Argus*, annis 70. 26. *Iacob* filius *Isaac*, natus in terra *Canaan*, prophetans de Christo & vocatione gentium, obiit, in Ægypto, annorum 147. & sepultus est in Cariatharbe, in spelunca duplici. 27. Græcia, Argo regnante, delatis aliunde seminibus, habere segetes cœpit. 28.29.30.

Sexaginta annorum *Ioseph*. 31.32.33.34.35.

Assyriorum 11. *Altadas* annis 32. 36.37.38.

Ægyptiorum 11. *Chebron* annis 13. 39.40.

Septuagesimus annus *Ioseph*. 41.42.43.44. 250.annus repromissionis. 45. 46.47.48.49.50.

Octogesimus annus *Ioseph*. 51. Ægyptiorum 3. *Menophis* annis 21. Secundum quorundam opinionem his temporibus fuit *Prometheus*, à quo homines factos esse commemorant, & re vera. Cum enim sapiens esset, à feritate eorum & nimia imperitia, ad humanitatem & scientiam eos figurabat. 55.56.57.58.59.60.

Nonaginta anni *Ioseph*. 61.62.63.64.65.66.

Siciniorum 11. *Plemneus* annis 49. 67.

Assyriorum 12. *Mamitas* annis 30. 68.69.70.71.72.

Ægyptiorum 4. *Mephres* annis 12. 73.74.75.76.77.78.79.80.

Ioseph

Ioseph, filius *Iacob*, obiit in Ægypto, annorum centum & decem. Cuius ossa transtulerũt filii Israel in *Sichem*, ciuitatem patris sui, quæ est Neapolis vrbs Samaritanorum. Post cuius interitum Hebræi Ægyptiis seruierunt annis 144. Fiunt autem omnes anni, quibus Hebræi in Ægypto fuerunt 215. qui ab eo computantur tempore, quo *Iacob* cum filiis suis descendit in Ægyptum.

Hebræorum seruitus in Ægypto, annis 144. 1.2.3.4. 505.

Ægyptiorum quintus, Mispar Muthosis, annis 27. 5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.

Argiuorum quintus, *Crassus*, annis 54. In *Argis*, primus sacerdotio functus est *Calithia*, Spirantis filius. 16.17.

Assyriorum 13. *Mechaldeus*, annis 30. 18.19.

Athlas frater *Promethei*, præcipuus Astrologus fuit, qui ob eruditionem disciplinæ, etiam cœlum sustinere dictus est. *Euripedes* autem montem esse altissimum affirmat, qui *Atlas* vocatur. 20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.

Ægyptiorum 6. *Thomosis* vel *Thumosis* annis 9. 32.33.34.

Siciniorum 12. *Orthopolis* annis 63. 35.36.37.38.

His regnantibus Siros fuisse perhibetur indigena, ex cuius vocabulo Siria nomen accepit. 39.

Ægyptiorum 7. *Amenophis* annis 32. Hic est *Amenophis*, quem quidam Memnonem putant lapidem loquentem. 40.41.42.43.44.

Æthiopes ab Indo flumine consurgentes, iuxta Aegyptum consederunt. 45.46.47.

Assyriorum 14. Saphrus, vel Phaereus, annis, 21. 48.49.50.51.52.53.54.

Trecentesimus 40. annus repromissionis. 55.56.57.58.59.60.61.62.63.

Amram genuit *Moisen* cum esset annorũ 40. ex matre Iochuel. 64.65.66.77. Assyriorum 15. Mamilus annis 30. Epidaurus ciuitas condita est. 68.69.

Argiuorum sextus, *Phorbas* annis 35. 70.

Ægyptiorum octauus, *Orus* 38. annis. 71.72.

Quidam scribunt Prometheum & Athlantem fratrem eius, & Argum cuncta cernentem, & Io filiam Promethei, his temporibus fuisse. Alii vero ætate Cecropis, nonnulli ante Cecropen annis 40. siue nonaginta. 73.74.75.76.

Primus regnauit in Thessalia Aemon. 77.78.

Phorbas Rhodum obtinuit 79. *Moises* adolescens omnem Ægyptiorum philosophiam didicit. 80.81.82.

Hercules primum fertur Antheum luctu vicisse certamine. Annus 20. *Moises*. 83.84.85.86.87. Argiuorum primus quadrigam iunxisse fertur *Troilus*. 88.89.90.

Siciniorum, *Zanthus* Triapalespum condidit. 91.92.

Argiuorum, in Creta regnauit Cidon. Tricesimus annus *Moisis*. 93.94.95.96.97. Assyriorum 16. Sparethus annis 40. Siciniorum 13. Marachius 30. annis. 98.99.100.

Athenienſium regni principium. His temporibus in Achaia quæ nunc Attica nominatur, primus regnauit Cecrops, qui & Diphes, annis 50. Cecrops regnabat in Attica: à quo vsq; ad Troiæ captionem fiunt anni 375. A Cecrope vsque ad primam Olimpiadem numerantur reges 17. Principes veros quos mors tantum finiebat 41. Sub quibus apud Græcos multa miranda narrantur. 101.102.

Quadragesimus annus *Moisis*. 103.104.

Argiuorum 7. Triopas annis 42. 105. *Moises* Ægyptum derelinquens in heremo philosophatur. 106.

Athenienſium, Cecrope regnante primum in arce Oliua orta est, & Minerua nomine, quæ Græce Athenæ nuncupata. Dicebatur autem Cecrops Diphes, siue ob longitudinem corporis, siue idcirco ϕ cum esset Ægyptus vtramque linguam sciebat. 107.108.

Ægyptiorum 9. Acheucres 12. annis. 109.110.111.112.

Quinquagesimus annus *Moisis*. 113.114.115.116.

Siciniorum, Curetes & Coribantes Cnoson condiderunt, quiq; modulatam, & inter se concinentem in armis saltationem repererunt. 117.118.

Athenienſium, Cecrops primus omnium bouem immolans Iouem appellauit, simulac reperit, aram statuit, victimas immolat, & Cecropia regio ab eo nuncupata. Iouis vero & suæ coniugis Latonæ erat Apollo filius. 119.120.

Ægyptiorum 10. Achoris annis 9. 121.122.

Ægyptiorum, Deucalion apud eos regnare orsus est, qui circa Parnasum morabantur. 60. annus *Moisis*. 123.

Athenienſium. Muſicus Cirthei & Nimphæ filius agnoſcitur. Iudicium Neptuni & Mineruæ de contentione regionis apud Cecropem actum fuiſſe confingitur. 124.

Chaldæi contra Phœnices dimicant. 125.126.127.

Siciniorum 14. Maratheus annis 20. 128.129.

Ægyptiorum 11. Chenſes annis 16. Siciniorum, Io Aſiæ filiæ mixtus eſt Iupiter, quæ in bouem (vt dicitur) conuerſa, Boſphorus nominatur. 130.131.

Ægyptiorũ, in Æthiopia multæ peſtilentiæ locales, vt *Plato* memorat, fuerunt. 132. Athenienſium, Cecrops in Cuboca Athenas (quas & Diadas) condidit, quam vrbem Cuboci Orchomenon appellauerunt. 133.134.

Siciniorum, Diluuium factum eſt ſub Deucalione in Theſſalia, & incendium ſub Phaetonte. 135.136.137.

Aſſyriorum 17. Aſcatades annis 40. Athenienſium à Deucalione Hellenæ & Pirrha. Hi qui prius Græci, Helles nuncupati ſunt, & Actæ ſub eo Attica vocata. 138.

Siciniorum, Corinthus condita eſt, quæ prius Ephira vocabatur. 139.140.141. 142. *Moiſes* in Sina monte diuino fruitur aſpectu. 143.144.

Habitatio filiorum Iſrael in Ægypto fuit 430. annorum. Quibus impletis, eadem die egreſſi ſunt de terra Ægypti, vt in Exodo legitur. Quos tamen annos Chronographi ab annis 75. natiuitatis *Abrahæ*, quando terram repromiſſionis intrauit, computant: ſequentes editionem 70. interpretum, quæ dicit: Habitatio autẽ filiorum Iſrael, qua habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaan, ipſi & patres eorum, anni 430. Quam neceſſario ſequendam & ipſa Hebraica veritas oſtendit, quæ narrat *Caath* filium *Leui*, quem natum eſſe cõſtat in terra Chanaan, vixiſſe. 133. annos, & filium eius *Amram* patrem *Moiſis* 137. annorũ, & ipſum *Moiſen* 80. annorum fuiſſe in egreſſione ex Ægypto. Quam nimirum horũ ſummam annorum, conſtat quadringentos & triginta implere non poſſe. Quorum translationem etiam ſanctus *Paulus* ſic confirmat: *Abrahæ* dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius, non dicit, in ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum à Deo, quo poſt 430. annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandas promiſſiones patrum. Hæc *Beda*. Sicut igitur translationem 70. interpretum, propter damnum annorum, quo carere non poſſumus, in hoc loco conſequimur, ſic: *Arphaxat* 135. annorum genuiſſe *Cainan*, atq; *Cainan* 130. genuiſſe *Sale*, *Luca* etiam teſte dicimus. Quibus annis omnino carere non poſſumus, ſi Euangelicam veritatem veram eſſe credimus, & ſeculi caput in 15. Calendarum Aprilium fuiſſe ſicut in ſcriptura legimus.

545. *Moiſes* autem *Amram* filius & *Iochuel*. 80. annorum eodem die quo Ægyptum ingreſſus eſt populus, eduxit eum ex Ægypto, luna 15. poſt annos 430. egreſſionis *Abraham* de Carran in terram Canaan, poſt aduentum *Iacob* in Ægyptum 215. transactis annis. Poſtquam autem 30. dierum annona azymorum panum farinæ fermentatæ defecit, quam ex Ægypto ſecum portauerunt, coturnices. Manna, & aquam de Petra murmuranti populo tradidit dominus: *Beda*. Ecce ego pluam panẽ de cœlo &c. Per hoc quod dicitur, in ſexta die colligant duplum, oſtenditur quod in dominico primum Manna datum eſt de cœlo. A dominico enim die paraſceuæ Sabbati ſextus dies eſt, & ob hoc intelligant Iudæi iam tunc prælatum eſſe Dominicum noſtrum Iudaico Sabbato, quia nulla gratia in eo ad eos deſcendit. In præſenti igitur tẽpore, quod ſex dieb. completur, vel in quibus Deus fecit ſeculum, id eſt, mundum, vel in ſexta ætate colligamus bonum opus, id eſt, cibos futuri diei. Quicquid autem ſeruatur in Sabbato, à vermibus immortalibus (quos parturit auaritia) corrumpitur. Manna eſt Chriſtus vel verbum eius, vnde vermes fiunt in nobis, vt dicit: ſi non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Hæc *Beda*. *Moiſes* autem poſt tres menſes egreſſionis venit ad montem Sina, & poſtquam ieiunando 40. diebus & 40. noctibus accepit legem, conſtruxit tabernaculum. Menſibus ſeptem, antequam autẽ ſacra conſecrarentur, aſtitit dominus *Moiſi*, præcipiens *Aaron* in pontificem conſecrari, qui nati tribus annis maior quã *Moiſes* erat. Quo perfecto, cæterisq; rite conſecratis, atque ordinatis, menſe primo Niſan, id eſt, Aprili, anni ſecundi prima die menſis, erexit tabernaculũ. Patriarchæ autẽ 12. nati in Meſopotamia, conditi ſunt in Ægypto, & egredientes filii Iſrael ex Ægypto, portauerunt oſſa eorum ſecum, & poſuerunt ea in Sichem, vt *Hieronymus* refert. Argiuorum (ſecundum nonnullos) Io in Ægyptum profecta eſt, & ibi Iſis nuncupata, quæ nupta poſtea Theolegoni, Epaphum genuit. Ægyptiorum 12. Acherres annis 8. Ab hoc loco vſque ad *Salomonem* & ædificationem templi numerantur anni 480. 1.2.3.

Siciniorum 15. Chorax annis 55. Ægyptiorum, in Ægypto regnauit Helleconus. 4.5. Pri-

Primus apud Hebræos pontifex constitutus est *Aaron* frater *Moisis*. Siciniorum, Apollinis Delphici templum ab Herisicrone fabricatur. 6. Argiuorum octauus, Chrotophus annis 21. Athenienſium ſecundus Cranaus annis 9. 7.

Siciniorum, *Hercules* (cognomento Deſanans) in Phænice clarus habetur, vnde ad noſtram vſq; memoriam à Cappadocibus, & Helienſibus Deſanus adhuc dicitur. 8.

Argiuorum, vitis inuenta à *Dionyſio*, ſed non Similæ filio. 9

Ægyptiorum 13. Cherres annis 15. Argiuorũ, *Orus*, paſtoris filius ſeptimus ab Inacho, inuentus eſt. Hebræorum, Ariopagos nomen iudicii conſtructum eſt. 10.11.

Argiuorũ, Cranaus indigena, ex cuius filia, Athide nomine, Attica vocata eſt. 12.13.

Siciniorum, in Creta regnauit Aptreas, qui & vrbem condidit. 14.

Argiuorum, Deucalidonis filius *Dionyſius*, verum non ille Similei filius, cum in Atticam peruenisſet, hoſpitio receptus à Semacho, filiæ eius caprę pellẽ largitus eſt. Epaphus, filius Ionis, & Iouis, templum condidit eum in Ægypto regnaret.

15. Athenienſium tertius, Amphiction annis 10. Argiuorum, Thenelus paſtor, de Argiuorum principibus, cum Steneleum Danais expuliſſet, Argos tenuit, minoresq; eius perſeuerauerunt vſq; ad Ariſteum filium Steneli, nepotem Perſei. Poſt quem Pilopidæ imperium ſuſceperunt, primo regnante Atrio. Ægyptiorum, templũ Delii conſtructum ab Eriſictone filio Cicropis. 16.17.

Tempore Ducatus *Moiſis* Hebræi literas habere cœperunt, & Græcía vitem. 18. 19.20.21.22.23.

Lacedæmon condita à Lacedæmone Semelei filio. 24.

Ægyptiorum 14. Armais, qui & Danaus, annis 5. 25.

Athenienſium 4. Ericthonius 50. annis 26.27.

Argiuorum nonus, Stenelus, annis 11. Siciniorum, Ericthonius, Vulcani & Mineruę filius, qui ab *Homero* Ericteus vocatur, his regnantibus fuit. 28.

Argiuorum, Arcas, filius Iouis & Caliſto, Pelagios in deditionem eorum Archadiam nuncupauit. 29.

Ægyptiorum 15. Remeſes, qui & Ægyptus, annis 68. 30.31.32. Ægyptus, quę prius Eria dicebatur, ab Ægypto, tunc ibi regnante, nomen accepit. 33.

Aſſyriorum 17. Amintes annis 45. Athenienſium, Dardanus condidit Dardaniam. 34.35.36.

Athenienſium, poſt Stenaelum Argis regnabat Gelanor, quem cum Argi de imperio pepuliſſent, regnum Dardano tradiderunt. 37.38.

Argiuorum 10. Danaus annis 50. Ægyptiorum, Argos ſibi Danaus vindicauit, expulſus ab Ægypto, & eandem aquis inundari fecit. 39.40. *Aaron*, ſacerdos in lege primus, anno 40. egreſſionis ex Ægypto, ætatis, 123. in Calend. *Aug.* vt *Ioſephus* perhibet, in Arabia, in monte Aſim, qui nunc *Petra* dicitur *Oreb*, obiit: *Eleazaro* filio in locum eius ſubrogato.

Moiſes cum 40. annorum in Ægypto, 40. in Madian, 40. minus triginta diebus, in eremo præeſſet populo, 120. ætatis anno, in monte Abarim contra Ioricho ad Iardanum, vbi nunc eſt ciuitas *Abilal*, obiit, ſepultusque eſt à domino, in valle *Moab*, quæ eſt in Arabia, Vſque in mortem *Moiſis*, vt *Euſebius* dicit, quinq; libri *Moiſis* continent geſta annorum 3730. Secundum 70. ſeniorum interpretationem. Quot vero annos huius temporis Hebraica veritas contineat, *Ioſephus*, in primo contra Appionem Grammaticum libro, ita dicit: Neq; igitur innumera apud nos habentur volumina, inter ſe inuicem diſcordantia, ſed duo tantum & viginti ſunt libri, qui omnium temporum ſeriem continent, qui iuſte creduntur diuinitus inſpirati: ex quibus 5. ſunt libri *Moiſis*, qui continent leges vitæ, & ſucceſſionis humanæ proſapiam, vſq; ad ipſius *Moiſis* terminum pertendentes. Qui paulominus ad tria millia annorum continentiam gerunt. Inde à morte *Moiſis* vſq; ad *Artaxerxen*, regem Perſarum, qui præfuit poſt *Xerxen*, Prophetæ in 16. libris, quæ ſecundum eos geſta ſunt, conſcripſerunt.

Ioſua per annos 26. regit populum, *Ioſepho* teſte: nam de annis Ducatus ipſius, ſancta ſcriptura tacet. Primus annus *Ioſuæ*, vt *Euſebius* perhibet in ſuis chronicis, principium erat quinquageſimi primi Iubilæi, ſecundum Hebræos: id eſt, anni duo millia quingenti erãt ab initio mundi completi, ſingulis Iubilæorum ordinibus per quinquagenos annos ſupputatis, id eſt, id quinquageſimum annum *Abrahæ* duo millia, & inde ad *Ioſuam* quingenti. Cũ autem cõputantur 1656. ab *Adam* ad diluuium, & à diluuio ad *Abraham* 292. anni, qui 95. erat annorum, quando promiſſionem Dei accepit. Promiſſionis anni 430. Ducatus *Moiſis* anni 40. qui ſunt 2493. deſunt 7. anni de 2500. annis, id eſt, tres anni ab *Adam* ad 571.

annum quinquagesimum *Abrahæ*,& 4.inde vsque ad *Iosue*. Anno primo sui Ducatus, *Iosue* decimo die primi mensis,patefacto Iordani alueo,& retrorsum conuerso, populum à singulis ducibus de profundo Iordani adductos,pascha immolauerunt. Tunc manna,cibus videlicet 40. annorum,defecit,& *Eleasar* post *Aaron* pontifex factus est. 1.

Athenienſium,Ericthonius rex, primus in Græcia quadrigam iunxit, erat quippe apud alias nationes. 2.3.

Ægyptiorum,Danaus per 50.filias,50.filios,Ægypti fratris interfecit, euadente solo Lincæo,qui post eum regnauit. Neque vero multitudo filiorum incredibilis videri debet in Barbaris,cũ iam innumerabiles habent concubinas. 4.5.6.7.8.9.10. *Iosuæ* successor *Moisis* terram Palæstinorum Iudææ genti sorte distribuit. Athenienſium, in Creta regnauit Lapis Busyris Neptunus,& Libia Epæ filiæ filius, apud vicinalia tyrannidem exercuit,transeuntes hospites crudeli interfecit scelere. 11.12.13.14.15.16.17.18.

Siciniorum 16.Echireus,annis 30.Ægyptiorum Phœnix & Cadmus,de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti,apud Tyrum & Sidoniam regnauerunt. 19.20.21.22.

Athenienſium , templum de Lapis Phlegio incensum Ægyptiorum , Europæ filiæ Phœnicis mixtus est Iupiter,quam postea Astrius,Cretensium rex vxorem accipiens,Minoem ex ea, & Radamanthum,& Sarpedonem procreauit. 23.24.25.26. Athenienſium,in Creta regnauit Asterius.Post mortem *Iosue* seruierunt filii Israel Regi Mesopotamiæ Chusan Rasathiam annis octo,qui iunguntur temporibus Othoniel secundum traditiones Iudæorum.

611. Othoniel, de tribu Iuda, primus Israel Iudex(domino iubente)constituitur per annos 40. 1.

Apud Hebræos pontificatũ susceptit Phinees filius *Eleazari*. 2.3.4.5.6.7.8.9. Athenienſium quintus, Pandion,annis 40. Pandion filius Erictonii, cuius filiæ Progna & Philomela erant. 10.11.

Assyriorum 19. Belocus annis 25.Argiuorum, apud Argos sacerdotio functa est Hipiermes,Dardani filia. Radamanthus & Sarpedon reges Liciorum. 12.13.

Ægyptiorum,rex Cadmus regnauit Thebis,ex cuius filia, Simela,natus est *Dionysius*,id est,Liber pater: sub quo & Linus Thebeus,Musicus fuit. 14.15.16.17.18.19.

Athenienſiũ,Melus & Paphus,& Thasus,& Thalista vrbes conditæ. 20.21. Siciniorum 17. Epopeus,annis 35.Argiuorum 11.Linceus annis 41. Ægyptiorum, Bithinia condita à Phœnice,quæ primum Mariandina vocabatur. 22.23. Athenienſium,Linus Thebeus,& Zephius,& Amphion,in Musica arte clarauerunt. 24.25.

Ægyptiorum,Ida & Dactilus his temporibus erant, qui ferrum reperierunt. 26. 27.28. Athenienſium,Amphion & Zephius Thebis regnabant. 29.30.

Ægyptiorum, 16.Menophis annis 40.Atheniẽsium,in Dardania regnabat Ericthonius filius Dardani. 31.32.

Agyptiorum,ea quæ de Demetra, quam aiunt esse Isidem,& Danæ,ex qua Perseus nascitur,dicuntur,his sunt gesta temporibus. 33.34.35.36. Assyriorum 20.Bellepares, annis 30. Athenienſiũ Ephunura,quæ nunc Corinthus vocatur,à Sisipho conditur,Cadmia condita,& Sidæ in Sicilia.

Mortuo autem Othoniel , seruiuit Israel Egloni regi *Moab* annis 18. qui deputatur *Aoth*,traditiones Iudæorum.

691. *Aoth* filius *Gera*, de tribu Beniamin, annis 80.qui vtraq; manu vtebatur pro dextera. 1.2. Aegyptiorum,Eleus Maeceleus regnauit,coæuus Triptolemi, quem Philochorus ait, longa naui ad vrbem accedentem distribuisse frumenta, & ob id dedisse suspicioni quod nauis eius serpens pennatus fuit,id est figura,quæ possit recipi. Fabula Proserpinæ, quam rapuit Aidoneus, id est Orcus rex Molossorum:cuius canis,ingentis magnitudinis, Cerberus nomine , Pirithoum deuorauit, qui ad raptum vxoris cum Theseo venerat, quem, & ipsum iam in mortis periculo constitutum,adueniens *Hercules* liberauit,& ob id quoque ab inferis receptus dicitur. Scribit Philochorus in Antihidis libro secundo. 3. 4.5.6.7.8. Athenienſium 6. Erecteus annis 50. 9.10.

Achaia ab Acheo conditur. 11.12. Athenienſium, *Dionysius*(qui Latine Liber pater dicitur)nascitur ex Simela. Erecthei filiã Morithriam Boreas Austraelis filius, Trax, rapuit, quem fabula ventum fuisse confingit. Sub hoc & mysteria cœperunt ea,quæ de Perseo dicuntur,secundum quorundam opinionem,hac ætate. Phrixus cum Helle sorore sua,fugiens insidias nouercales,visus est per aerem vehi ab ariete velleris aurei. Fuit autem nauis ei parata fugienti,cuius insigne Aries erat. Porro Palephatus Arietem affirmat vocatum nutritorem,per quem liberatus sit. 13.14.15.16.

Sici-

Siciniorum 18. Laomedon annis 50. 17.18.19.20.21.22.

Argiuorum 12. Abbas 23. annis. 23.24.

Thebis, expulso Cadmo, Amphion & Zephus regnauerunt. 25.26. Assyriorum 21. Lamprides annis 32. 27.28.29.

Ægyptiorum 19. Dinastia, quorum primus Zetheus annis 55. 30.31.23.33. Atheniensium, ea quæ de Progne & Philomela dicuntur. 34.35.

Ægyptiorum, bellum quod sub Emolpho fuit. 36.37.

Athenienſium, Melamphus diuinus agnoscitur. 38.39.

In Dardania regnauit Tros, à quo Troiani nuncupati sunt. 40.41.

Ægyptiorũ, apud Bithium vates prima Phemonoe, hexametris versibus, futura ceciniſſe narratur. 42.43.44.45.

Argiuorum 13. Proetus annis 17. Athenienſium, Phrigas texit Tantalus: qui prius Macedones vocabantur. 46.47.

Ægyptiorum, ob raptum Ganimedis, Troi patris Ganimedis & Tantalo bellum exortum est, vt scribit Phanocles poeta. Frustra igitur Iouis fabula, & raptrix Aquila confingitur. 48.49.50.51.

Athenienſium, Titios conuixit Tantalo, & Titioni matri Apollinis, qui cum *Hercule* seruiuit Admeto. 52.53.

Ægyptiorum, ea quæ de Phrixo & Melicerte dicuntur: sub quo celebrati sunt. 54.

Erecthei frater, Perseus, aduersus Persas dimicauit, Gorgonis meretricis capite desecto, quæ propter eximiam pulchritudinem ita spectatores, suæ mentis impotentes reddebat, vt vertere eos putaretur in lapides, *Dedimius* scribit in Perigurna historia, & prębet scriptorem eius. 55.56.

Siciniorum 19. Sicion, annis 45. 57.

Athenienſium, Pelops Pedamiam duxit vxorem. 58.

Assyriorum 22. Bossares, 20. annis. 59.

Athenienſium 7. Cicrops secundus annis 40. 60.61.62.

Argiuorum 14. Acrisius, annis 31. Pegasus, equus velocissimus cuiusdam mulieris, siue, (vt Palephatus affirmat) Bellerophontis nauis fuit. 63.64.65.66.67.68.

Athenienſium, Cirenea ciuitas condita est in Libia 69.70.71. Athenienſium, Ion vir fortis, ex suo vocabulo Athenienses Iones vocauit. 72.

Ægyptiorum, *Dionysius*, qui & Liber pater, aduersus Indos dimicans, Nisam vrbem (iuxta Indum flumen) condidit. 73.74.75. Gesta Persei. 76.77.78.

Assyriorum 23. Lampares, annis 30. 79.

Secundum quosdam regnauit Thebis Cadmus. 80.

Athenienſium, Pelops, Peloponensibus regnãs primus, Olimpiis quoq; præfuit, qui postea aduersus Ilium arma ferens, superatur à Dardano.

Post mortem *Aoth* oppressit filios Israel *Iabin*, rex Chanaan, 20. annis, qui deputantur *Deboræ* & *Barach*.

Debora prophetissa de tribu Ephraim, cum *Barach* de tribu Neptalim, annis 40. 1.2. 720. 3.4.5.

Ægyptiorum, 20. Raises 66. annis. 6.

Athenienſium, Europa à Cretensibus rapta est, cuius nauis insigne fuit Taurus. 7.

Ægyptiorum, ea quæ de Spartis memorantur, quos Palephocus scribit, cum proximarum essent regionum, aduersus Cadmum constitisse, & propter repentinos quasi de terra contractus & ex omni parte conflictus Spartos vocatos. 8.

Saturnus filius Iani regnat in Italia. 9.10.11.12.13.

Argiuorum reges defecerunt, qui imperauerunt annis 544. vsque ad Pelopen, qui regnauit annis 59. & in Micænas imperio translato, post Acrisium regnauit Euristæus filius Steneli annis 45. 14.15. Athenienſium Nida regnauit in Phrigia. Ilium ab Ilo conditur. 16.17.

Athenienſium 8. Pandion annis 25. Ægyptiorum, Perseus Acrisio non sponte interfecto, migrauit Argis, atq; ibi regnauit. 18.19.

Athenienſium, post Acrisium in Micænas Argiuorum impio translato, hi reges fuerunt. *Perseus, Stenelus, Euristeus, Atreus, Thiestes, Agamemnon, Egistus, Orestes, Tisamenus, Pentilus, & Comerus*, ad Heraclidarum descensum. Ægyptiorum, quidam his temporibus vendicant gesta Liberi patris, & ea quæ Indis Ligurgo, ac Theone, & Pentheo memorantur, quomodo aduersus Perseum consistens occiditur in prælio, ait Dinarcus poeta, non Rhetor. Qui autem voluerit, potest inspicere ipsius Liberi patris, apud Delphos, sepulchrũ,

iuxta Apollinem aureum. Pingitur autem Liber pater muliebri & delicato corpore, propter mulieres in suo exercitu militantes. Nam pariter ad arma viris fœminas sociabat, vt Philochorus ait. 20.21. Siciniorum 20. Polibus annis 40. Laius Erisippum tenuit. 22.23.24. Templum Meleusina ædificatur. 25. Apollo cytharam condidit artemq; medicinam inuenit. 26.27.28.

Assyriorum 24. Pannius annis 45. 29.30.31.32.33.34.

Ægyptiorum, Europa Agenoris filia (vt in quibusdã legitur) rapitur, hisq; congruunt, quæ de Minoe dicuntur 35.36.

Picus filius Saturni regit Italiam. 37.38.

Miletus conditur. 39.

Ægyptiorum, Philemon, Delphius, nobilis habetur, qui primus apud Bithium, chorum constituit. Pandion fuit à Metionidibus passus in Chadias. 40.

Post *Deboram* seruiuit Israel Madianitis & Amalachitis, annis octo: qui Gedeoni deputantur.

771. Gedeon, de tribu Manasse, annis 40. 1. Athenienſium, de Cadmo & spartis. 2. 3. Athenienſium 10. Egeus filius Pandionis, annis 48. 4.

Tyrus condita ante templum *Salomonis* annis 240. vt scribit *Iosephus* in libro tertio antiquitatum. Ægyptiorum, eę quæ de Dędalo fabulæ feruntur, qui visus est simulachra fecisse mouentia. Primus enim omnium, pedes statuarum à se inuicem separauit, alis eas coniunctas fabricans, Palephaco memorante, nec non quomodo cũ filio Icaro Minoen naui fugerit, & propter inuestigabilem fugam auolasse pennis æstimatus sit. 5.6. Zizius conditur. 7.8. Argonautarũ historia, 9.10. Athenienſiũ, Atreus, & Thiestes, post Pelopen, Peloponense imperium diuiserunt. 11.12.13.14. Athenienſium, Argonautarum nauigatio. 15.16. Athenienſium, Orpheus Thrax clarus habetur, cuius discipulus fuit Musæus filius Eumolpi. 17.18.

Ægyptiorum, Linus, magister *Herculis*, omnibus notus efficitur. 19.20.21.

Siciniorum 21. Inachus, annis 42. Athenienſium, Micenis regnauit Euristeus, annis 43. Faunus, filius Pici, regit Italiam. 22. Ægyptiorum, ea quæ fingunt de Oedipode, & Argonautis dicuntur: in quibus fuerunt *Hercules*, *Asclepius*, *Castor*, & *Pollux*. Quomodo poterat soror eorum *Helena* credi, quæ post multos annos virgo rapitur à Theseo? Si fingã vero scripsit Palephacus, vxorem Cadmi, propter Zelum Armonicæ à viro recedentem, contra Cadmum iniisse certamen. 23.24. Micænantium, Atreus & Thiestes annis 65. 25. Hac ætate Mercurius lyram reperit, & Orpheo tradidit. 26.27.28.29. 30.31.

Ægyptiorum 21. Amenophis, annis 40. 32.33.

Assyriorum 25. Sosarmus annis 19. Minos mare obtinuit, & Cretensibus leges dedit, vt Paradius memorat: quod tamen *Plato* falsum esse affirmat, Ægyptiorum, *Hercules* Ilium vastat, & Antheum palæstricæ artis inuentorem, summo certamine victum interimit. Dicitur autem Antheus Terræ filius, qui solorum palæstricæ artis certaminum, quæ in terra exercentur scientissimus erat: & ob id videbatur à terra matre adiuuari. Attridam autem callidissimam fuisse sophistam *Plato* asserit. 34.35.36.37. Athenienſium, Tancris Ammonis, filius, insignis habetur. 38.39.40.

Gedeon, filius *Ioas* obiit senex, & sepultus est in sepulchro patris sui, in Ephrata.

774. *Abimelech*, annis tribus, filius *Gedeonis*, qui regnabat in Sichem, & occidit 70. fratres suos, excepto vno, id est Ioathan. 1.2. Athenienſium, bellum Lapitharum & Centaurorum, quos scribit Palephatus, libro de incredibilib. primo, nobiles fuisset equites Thessalorum septem, qui aduersus Thebeos pugnauerunt.

797. *Thola*, annis 23. filius *Pao*, patrui *Abimelech*, vir de *Isachar*, qui habitabat in Sanir, monte Ephraim: 1.

Priamus post Laomedontem regnauit in Troia. 2.3.4.

Medea Cholchensis ab Ægeo discedit. 5.6.7.

Androgeus Athenis dolo interficitur. 8.

Athenienſiũ 10. Theseus, annis 30. Ea quæ de Minotauro dicuntur, quẽ Philochorus, in secundo Atidis libro scribit, magistrum Minos, fuisse inhumanum atq; crudelẽ: & quia Minos super morte *Androgei* agonem statuerat, præmii nomine pueros largiens *Atticos*, & ille fortissimus vniuersos in contentione superasset, tandem factũ est, vt à Theseo in palæstra vinceretur, & Athenienses pueri à tributaria pœna liberati sunt, sicut ipsos quoq; Gnosios referre testatur. Assyriorũ 26. Mitracus annis 27. Theseus Helenam rapuit, quam rur-

rursus fratres receperunt, capta matre Theseo peregre profecto. 9.10.11.12.13.14.

Athenienſium, Theſeus, cum Athenienſes, prius per regionem diſperſos, in vnã ciuitatem congregaret, eiectus ignominioſe eſt per ſigna teſtarum, eandem legem primus ipſe conſtituens. 15.16.17.18.19.20.

Siciniorum 22. *AEſtius* annis octo. 21.22.23.

Iair ex tribu Manaſſe annis 22. 1.2.3. Athenienſium, Philiſtus ſcripſit, hoc tem- 819.
pore Carthaginem conditam. 4.5.6.

Siciniorum 23. *Adraſtus* annis 4. Ægyptiorum 22. *Ammenemes* 26. annis. 7.8. Athenienſium, *Hercules* agonem Olimpiacum conſtituit, à quo vſq; ad primam Olimpiadẽ ſupputantur anni 430. 9.10.

Siciniorum 24. Polipedes, annis 41. Athenienſium, Theſeus Athenas profugus dereliquit. 11.

Amazones arma ſumpſerunt. 12.13.

Athenienſium, bellum *Amazonum* contra Thebeos. 14.

Aſſyriorũ 27. Tautanes annis 35. Latinus, Fami filius, regit Italiam annis 32. à quo Latini appellati ſunt, Cuius 25. anno capta eſt Troia. 15.16. Athenienſium. 11. Mineſteus annis 23. Ægyptiorum, Minos in Sicilia aduerſus Dædalum arma corripiens, à filiab. Cocali occiditur. 17.18.

Athenienſium, *Atreus*, *Argis* regnauit. 19.20.

Carmentis Nympha Latina literas reperit. 21.22.

Poſt *Iair* Philiſtii & Amonitæ deprimunt Iſrael, per annos 18. qui cum temporibus poſteriorum copulantur, ſecundum traditiones Iudæorum.

Iepte Galaadites, ex tribu Gad, annis ſex, iudicat populum. Requieſcit in ciuitate ſua 825.
Galaad, quæ eſt in dimidia tribu Manaſſe. 1. *Menelaus* regnauit in Lacedæmonia, Micenarum, 1. *Agamemnon* annis 25. 2.3.

Ægyptiorũ *Hercules* in morbum incidens peſtilentũ, ob remediũ dolorum iecit ſe in flãmas, & ſic morte finitur anno ætatis 52. Quidam autẽ ante 30. an. eũ piiſſe ſcribũt. 4.5.

Athenienſium interfectorum poſteri, qui vocantur Epigoni, aduerſus Thebeos bellum mouent. 6.

Abeſſan de Bethleem, tribus Iudæ, iudicauit populum annis 7. 1.2. *Alexander*, 832.
filius Priami, Helenam rapuit, & Troianum decennale bellum ſurrexit. 3.4.

Ægyptiorum Thuoris annis 7. 5.6.7. Ægyptiorum, Memnon & *Amazones Priamo* fuere auxilio.

Achialon Zabulonites, annis 10. quem 70. non numerant, & ideo *Euſebius*, *Ioſuæ Samu-* 842.
eli, & *Sauli*, quorum annos ſcriptura tacet, pluſquam in *Ioſepho* legitur, dat: vt ab egreſſu Iſraelitarum, de Ægypto, vſq; ad templum *Salomonis*, ſecundum ſcripturas, annos 480. haberet. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.

Labdon, de Tribu Ephraim, annis octo. 1. Ægyptiorum, Mopſus regnauit in Si- 850.
cilia, à quo Mopſicrenæ & Mopſiſtiæ. 2.3. Troia capitur, à cuius captione vſq; ad primã Olimpiadem fiunt anni 400. A. 35. anno ætatis *Moiſis*, ſecundũ Hebræos, vſq; in tertiũ annum Labdonis (in quo capta eſt Troia) ſunt anni 385. Ab egreſſu Iſrael ex Ægypto, eodem anno annumerato, 340. Mineſteus moritur in Melo, regrediens à Troia. Poſt quem, Athenis regnauit Demophoon. Athenienſium, Thouris rex Ægypti ab *Homero* vocatur Polibus, maritus *Alcandræ*. Cuius meminit in odiſia, dicens poſt Troiæ captionem, Menelaum & *Helenam* ad eũ diuertiſſe. Latinorum rex primus poſt tertiũ annum captionis Troiæ, ſiue vt quidam volunt, poſt annos 8. regnauit *AEneas*, annis tribus. Ante *AEneam Ianus*, *Saturnus*, *Picus*, *Faunus*, Latinus in Italia regnauerũt, annis circiter, 150. qui tunc Latini poſtea Romani nominati ſunt. Aegyptiorum, de tertio Tomomanetho Aegypti 20. dinaſtia. Diapolitanorum, annorum 178. 4.5.6.

Siciniorũ 25. Pelaſchus annis 20. Hic *AEneas* rexit in Italia annis tribus. 7.8. Mortuo *Labdon* ſeruiuit Iſrael Philiſtim annis 44. *Ioſephus* hiſtoriographus Iudæorum ſic *Ioſua* 110. anno ætatis, id eſt, cum *Moiſe* 40. & poſt eum 70. ſenex obiit. Poſt *Ioſuam* populus Iudæorum, per annos 18. ſine principe fuit. Poſt hos propter epulas & libidinem ita eis iratus eſt Deus, vt inuicem tribus Beniamin, præter 600. viros ab Iſraelitis, reliquis ſit deleta: & Cuſan Raſathaim regi Aſſyriorum, per annos octo ſeruirent. Poſt quos ita liberati ſunt. Cenez, de tribu Iuda, fortis & prudens, reſponſo ei à Deo dato, ne deſpiceret Hebræos in tali miſeria. Prius Cuſan Raſathaim caſtra diripuit. Poſtquam bene proceſſi initium, Hebræi congreſſi ſunt cum Aſſyriis, & trans Ephratem coegerunt eos. Cenez igitur cum hoc feciſſet, principatus honorem accepit per 40. annos. Quo mortuo,

seruierunt filii Israel in omnibus malis Egloni, regi Moabitarum, ponenti regnum suum in Iericho per annos 18. Et ita liberati sunt. *Aoth* filius Gera, de tribu Beniamin, habitãs in Iericho, & amicus Egloni regi factus, placans eum muneribus, vt inter charos circa regem esset aliquando cum duobus famulis ferens regi dona, gladio in dextro femore ligato, cum post prandium æstate regis custodes dormiebant, famulis vero solis præsentibus, sed tunc quasi à secreto iussu regis abeuntibus, *Aoth* exiuit ad regem & gladiũ in cor eius fixit, relinquensq; gladium & ianuã clausam, exiit, & latẽter in Iericho Hebræis indicauit. Hebræis vero se sociantib. & tubis canentibus, decem millia hostium occiderunt. *Aoth* ergo ob hanc causam principatus honore functus est annis 80. Post hunc Saingar, filius *Anad*, electus ad principatum, primo anno obiit. Postea propter iram Dei, & transgressionem legis seruierunt Iabin, regi Chananæorum, habenti armatorum trecenta millia, equitum decem millia, curruum tria millia, & Sisaræ principi militiæ eius 20. annis. De cætero filii Israel temperantes à malis, rogauerunt Deboram prophetissam vt Deum rogaret pro eis. Deus vero per eam elegit Barach de tribu Nepthalim, qui noluit inire bellum sine Debora, ea decem millia ad bellum eligente. Tunc illa dixit ei: tu concedis mulieri, quod Deus tibi dedit, sed & ego non recuso. Tunc cum victoria belli, Sisara occisus est, alioque bello rex Iabin. Qui duo (scilicet Debora, & Barach,) principatũ per annos 40. tenuerunt. Quibus eodem tempore obeuntibus, seruierunt Israelitæ Madianitis annis septem. Sed & tunc conuersi à malis orabant Deum, vt eos liberaret. Tunc Gedeoni filio Ioas, paucos manipulos, non in area propter hostes, sed in torcular terenti apparuit Deus in forma iuuenculi, præcipiens ei vt liberaret Israel. Quo recusante, propter paucitatem tribus suæ, suamque pueritiam, dominus quod deerat impleturum se dicebat, & victoriam per eum daturum Israelitis. Israel autem audiens visitationem Dei, cito ad certamen aptauit decem millia virorum, & duos Reges Oreb & Zeb cum decem & octo millibus occiderunt. Gedeon vero principatum nolens, coactus tenuit per 40. annos. *Abimelech* iudicauit populum trib. annis. Thola 23. annis, Iair annis 22. Post Iair filii Israel prouocauerunt iram Dei, transgredientes Legem. Conclusit autem illos dominus in manibus inimicorum suorum, & seruierunt *Amalechitis* & *Palæstinis*, per annos 18. Sed & tunc conuertentes se, & sacrificia celebrantes, Ammonitisque castrametantibus super eos, & non habentes ducem, rogauerunt Iepten, qui fuit potens, ad exercitum dispensandum, promittentes ei Ducatum. Tunc Iepte per legatos causam itineris regis Ammonitarum accusante, rex egressum Israel ex Ægypto ad possidendam hæreditatem Amorreorum, patrum suorum, accusabat. Iepte autem de terra sibi concessa per iussionem *Moysis*, etsi possibile erat eam tollere, iniuste se eos culpare dicebat. Quia terram, inquit, quam post annos 300. Dei auxilio reparauerant Israelitæ, exigitis, ideo me pugnaturum contra vos sciatis. Qui cum vouisset, vt quicquid obuiaret sibi post victoriam belli, immolaret Deo: filiam suam (cum gaudio sibi occurrentem) immolauit. Iepte annis 6. Abessan 7. Achialon 10. Labdon annis 8. Quo mortuo seruiuit Israel Palæstinis, per 40. annos. A qua seruitute sic liberantur. Angelus domini, similis iuueni, apparuit Manuæ, de tribu Dan, promittens ei optimum fortemque filium, & Palæstinos prementem, præcipiensque ne coma eius abscinderetur, & non nisi aquam biberet. Qui natus *Samson*, id est robustus nominatur. *Samson* igitur 20. annis iudicauit populum. Hæc *Iosephus*. Si ergo per interualla regni, inter Iudices, filii Israel alienigenis seruierunt, sicut *Iosephus* testatur, damnum annorum 167. inter *Moysen* & *Samson* habetur. Causa exempli. Si post Iair oppressi sunt Israelitæ, per annos 18. sicut legitur, quamuis in fine vitæ suæ, Iepte Israelitas liberauit, cum ipse non nisi 6. annis regnauit, tamen 12. annorum damnum inter mortem Iair & mortem Iepte poterit inueniri, damnum autem annorum 18. post mortem Iair vsque ad Iepte pronunciatur.

870 *Samson*, de tribu Dan, annis 20. iudicauit populum. 1.

Samson fortissimus omnium fuit, ita vt à quibusdam facta eius, gestis *Herculis* comparentur. Latinorum secundus, post *Æneam Ascanius* annis 37. Micenis regnauit Egisius.

2. Liddi mare obtinuerunt. 3. Micenis, post necem Egisii, regnauit Cretes annis 15. Assiriorum 28. Teuteus annis 40. Ea quæ de *Vlysse* fabulæ ferunt, quomodo de triere Thirrenorum Scillam fugerit, quam mulierem spoliare hospites solitam esse scribit Palephatus, incredibilium libro primo, Syrenes quoque fuisse meretrices, quæ deciperent nauigantes. 4,5,6,7,8.

Latinorum, *Ascanius* A *Eneæ* filius, derelicto nouercæ suæ Lauiniæ regno, Albam longam condidit, & Siluium Posthumum, fratrem suum, *Æneæ* ex Lauinia filium, summa pietate educauit. 9,10,11,12,13,14,15,16,17,18.

Sicinio-

Siciniorum, Zeusippus, annis 31. 19. Aegyptiorum, Pyrrhus in templo Delphici Apollinis ab Oreste occiditur, proditione Sacerdotis Macheri. Quo tempore quidam *Homerum* fuisse dicunt. 20. *Samson* filius Manuæ obiit, & requiescit in sepulchro patris sui in Escahol. Huc vsq; liber Iudicum annos 299. numerat, Iudices 12. Othoniel primo apud Hebræos. Post *Samson* præfuit Israel Emegar. *Heli* sacerdos secundum Hebræos 40. annis, secundum autem 70. annis viginti.

Latinorum, Micenis regnauit Tysamenus filius Orestis. 1.2.3.4.5. *Hectoris* filii Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, *Heleno* sibi auxilium ferente. 6.7.

Secundum quosdam Heraclidarum descensus. 8.9.

Athenienſium 13. Oxintes annis 12. Amazones templum Ephesi ineeundunt 10. 11.12.

Latinorum, Ascanius filium Iulum procreauit, à quo familia Iuliorum orta est: & propter ætatem paruuli, quia necdum regendis ciuibus idoneus erat, Siluium posthumũ, fratrem suum, regni reliquit hæredem. 13.

Castoris sententia de regno Athenienſium. A Cecrope vsque ad Thimoetem regnauerunt reges, quorum per omne tempus inueniuntur anni 424. Post quos suscipitur in regnum Menelanthus Pilienſis Andropompi filius, & huius filius Codrus, qui imperauerunt simul annis 59. 14.

Latinorum, Agon Liciorum primus actus. 15.

Castoris chronographi de Siciniorum regno exponemus, & Siciniorũ reges ab Agialeo vsq; ad Zeusippum, qui omnes regnauerunt annis 962. & sacerdotes, qui præfuerunt annis 33. Post quos sacerdos est constitutus Charidemius, qui Persas non sustinens, fugit. 16.17.18.

Latinorum 3. Siluius Æneæ filius, annis 29. 19,10,21.

Athenenſium 14. Timoethes anno vno. 22.

Athenenſium 15. Apidas annis octo. Latinorum, Siluius Posthumus, qui post mortem patris editus, ruri fuerat educatus, & Siluii, & Posthumi, nomen accepit: à quo omnes Albanorum reges Siluii vocati sunt. 23.

Assiriorum 29. Oneus annis 37. 24,25,26,27,28.

Siciniorũ reges defecerunt, qui regnauerunt annis 962. Post quos sacerdotes constituti sunt. 29,30.

Athenienſium 16. Melanthus annis 37. 31.

Ægyptiorum, Erihtidarum imperio destructo, Atticorum principum regnum ad aliud genus translatum est, cũ Thimoetem prouocaret Xanthus Boetius, & Thimoetes reges Melanthi Pelienſis Andropompi filius, suscepisset singulare certamen, ac deinde regnaret. Hinc & Parturion, id est, Fallaciarum solennitas celebratur, quia victoria fraude processit. 32,33,34,35,36,37,38,39,40.

Mortuo Heli sacerdote, arca testamenti ab alienigenis possidetur, & opprobrium sempiternum dedit eis, ac deinde in domo Aminadab fuit annos viginti.

Samuel rexit annis 12. *Iosepho* teste, nam de annis eius scriptura sancta tacet. A quo 922. prophetarum tempora incipiunt. 1,2,3.

Danid filius Iesse nascitur. 4,5,6. Latinorum: in alia historia repetimus, quarto Latinum Siluium regnasse, Lauiniæ & Melampodis filium, vterinum fratrem Posthumi: & quinto Æneam Siluium, Posthumi filium, qui nunc quartus hic ponitur. 7. Latinorum 4. Æneas Siluius, annis 31. 8,9,10,11,12. Assiriorum 30. Derculius, annis 40.

Saul, de tribu Beniamin, primus Hebræorum rex, regnauit annis. 20. secundum *Iosephum*: anni enim ipsius in scriptura diuina non habentur. *Homerus* (secundum quorundam opinionem) his temporibus fuisse iudicatur. Quanta autem dissonantia apud veteres de eo fuerit, manifestabitur ex sequentibus. Quidam enim cum ante descensum Heraclidarum ponũt. Eratostenes post centesimum annum Troianæ captionis, Aristarchus in Ionica migratione, siue post annos centum: Philochorus è migrationis Ionicæ tempore, sub Arcippo Athenienſium magistratu, post captam Troiam anno 180. Apollodorus Athenienſis 240. anno euersionis illius. Hæc illi, qui post euersionem Troiæ fuere. Alii vero, qui modicum antequam Olimpiades inciperentur, fuerant, 400. retro annis Troianæ captiuitatis eum fuisse putant, licet Archilochus 23. Olimpiadem, & quingẽtesimum Troianæ euersionis annum supputat. 1,2,3. Lacedæmoniorum regni principium, & Corinthiorum regni initium. In Lacedæmonia regnauit primus Euristheus annis 42. Corinthiorum rex primus Alethes annis 35. 4,5,6,7,8. 942.

Lace-

Lacedæmoniorum, Heraclidarum descensus in Peloponnesum. 9. Lacedæmoniorum, Euristheus, & Procles, Spartam obtinuerunt. 10.11.12.

Athenienſium 17. Codrus, Melanthi filius, annis 21. 13.

Lacedæmoniorũ, Iones profugi, Athenas ſe contulerunt. 14.15.16.17.18. Lacedæmoniorum, Peloponnenſes contra Athenas dimicant. 19.

Incurſus in Aſiam Amazonum, & Cimmeriorum. 19.

Saul cum filiis ſuis bello occiſus eſt à Philiſtinis in monte Gelboe. Ab *Abraham* vſq; ad *Dauidem* tertia ætas ſeculi ſecundum vtramq; editionem habet annos 942. Hæc ætas velut quædam adoleſcentia populi fuit, quia ætate ea incipit homo poſſe generare. Proptereaque & *Matthæus* Euangeliſta generationum ex *Abraham* ſumpſit exordium, qui etiã pater gentium conſtitutus eſt, quando mutatum nomen accepit. Ab *Adam* vſque ad *Dauid*, ſecundum Hebræos anni ſunt 2890. cum adiectione vero Euangelica *Lucæ* Euangeliſtæ ſunt anni 3120.

17. *Dauid* rex Hebræorum ſecundus, de tribu vero Iudæ primus, annis 40. regnauit. 1.

Latinorum quintus, Siluius annis 50. 2.3.4.5.

Hebræorum, *Abiathar* pontifex, clarus habetur. 6.7.

Dauid hucuſq; regnauit ſuper tribum Iuda tantum 7. annis. Hinc autem 33. annis regnauit ſuper 12. tribus Iſrael. 8.9.

Prophetabant *Gad*, *Nathan*, & *Aſaph*. 10.11.

Corinthiorum 2. Ixion annis 37. 12.

Lacedæmoniorum, Codrus (iuxta reſponſum) ſeipſum morti tradens, interimitur bello Peloponneſiaco. In quo Erithidarum regnum deſtructum eſt, quod 487. annis perſeuerabat. Poſt Codrũ regnauerunt principes, quos mors finiebat: quorum primus Medon, Codri filius, annis 20. 13.

Aſſyriorum 31. Eupales annis 38. 14.15.16.17.18.

Lacedęmoniorum 2. Egis anno vno. Poſt quem tertius Egeſtratus annis 35. 19. 20.21.

Lacedæmoniorum, Pelaſgi mare obtinuerunt. 22.23.24.

Lacedæmoniorum, Magneſia in Aſia condita eſt. 25.26.27.

Lacedæmoniorum, Micena in Italia condita eſt. 28.

Athienſium 2. Acaſtus, annis 36. 29. Lacedæmoniorum Mitrhena condita. *Epheſus* condita ab Andronico 30.31. *Salomon* filius *Dauid* ex *Bethſabe*, quæ fuit *Vriæ*, naſcitur. 32.33.

Lacedæmoniorum, Carthago, condita eſt, vt quidam volunt à Charcedone Tyrio, vt vero alii à Didone filia Ægæi anno 143. poſt Troiæ excidium. 34.35.36.37.38.39.40.

Dauid filius Ieſſe, obiit 4. die Calendarum Ianuarii, & in arce Hieruſalem, quæ dicta eſt ciuitas *Dauid*, ſepultus eſt, cum multis diuitiis. Poſt tempus autem annorum 828. *Hercanus* pontifex, qui & *Iohannes*, in ſecundo anno ſui pontificatus, Antiocho pio, filio Demetrii, vt ab obſidione Hieruſalem abiret, de ſepulchro *Dauid*, tria millia talentorum obtulit. Et iterum Herodes rex multam pecuniam inde tulit.

Salomon 12. ætatis ſuæ anno, ſuper Iſrael cœpit regnare in ſolio patris, & poſtea, quod ſcriptura tacet, vixit *Dauid* regnante iam filio, aliquot annis: qui ſibi & non *Salomoni* imputantur. Mortuo autem patre, poſt, filius regnauit annis 40. quibus ſine parente regnauit, & ſic initium regni *Salomonis*, & tempus quo ſolus regnauit hiſtoria non oſtendit, ſed tamen omnes annos vitæ illius 52. tantum contineri. Quod regnum non filiis ſed patribus, quamdiu ſimul vixerunt imputari, confirmat liber Regum, dicens: quod Ozias poſtquã lepra percuſſus eſt, habitauit in domo ſeparata, & filius eius *Ioathan* imperauit pro eo vſq; ad mortem patris eius, & tamen poſtea, cum eſſet 25. annorum 16. annis regnauit ſolus. Quod igitur de *Salomone* intelleximus, & de *Achaz* ſimiliter intelligendum eſt. Qui *Ioathæ* filius *Ezechiæ* pater fuit. Hæc dicit *Hieronymus* ad Vitalem presbyterum de *Salomone* & *Achaz*, qui decem annorum dicuntur filios genuiſſe.

Salomon filius *Dauid*, annis 40. 1. Lacedæmoniorum, Ionica emigratio, in qua quidam *Homerum* fuiſſe ſcribunt. 2.3.4. *Salomon* quarto regni ſui anno, menſe ſecundo, templum domino ædificare cœpit in Hieruſalem, poſt exitum Iſrael de Ægypto 480. anno, vt Regum liber tertius teſtatur. Quod in figuram temporis totius, quo in hoc ſeculo Chriſti ædificatur Eccleſia, quæ in futuro perficietur, ſeptimo anno perfecit, & ſeptimo octaui anni menſe dedicauit. 5.6.7.8.9. Corinthiorum, Agelaus annis 37. 10.

Latinorum 6. Alba Siluius, annis 39. 11.

Aſſi-

Assyriorum 32. Laostenes, annis 45. 12.13.14 Sadoch sacerdos, octauus ab *Aaron*, clarus habetur. 15.16.17.18.19.

Lacedæmoniorum, quidã *Homerum*, & *Hesiodum* his temporib. aiunt fuisse. 20.21.22.

Regina Saba venit audire sapientiam *Salomonis*. 23.

Athenienſium tertius, Arcippus annis 19. Carthago condita est hic, secundum quosdam. Alii autem sicut supra scriptum est. 24.25.26.27.28.29.30.

Lacedæmoniorum, tertio mare obtinuerunt Thraces annis 19. 32. In Ægypto 22. Dinastia regnauit Sinendis annis. 26. 33.34.35.36.37.38.39.40.

Salomon, filius *Dauid*, natus in Bethleem: anno 40. regni sui, 50. autem ætatis obiens, sepultus est in Hierusalem. Post mortem vero *Salomonis*, *Hieroboam* de tribu Ephraim, separauit decem tribus à domo *Dauid*, & à domino: in figuram hæreticorum, qui suos sequaces à Christo & Ecclesia segregant.

Hebræorum Iuda, *Roboam* filius *Salomonis*, regnauit annis 17. duasque tribus sibi habuit subiectas, id est Iudæ & Beniamin, ob reges Iudæorum, qui ex stirpe Iudæ descenderunt, vnde & vniuersa gens nomen Iudææ sortita est. 1. 97.

Apud Hebræos, qui in Samaria erant, & vocabantur Israelitæ, primus rexit Hieroboam annis 22. in Samaria. 2.3.

Athenienſium quartus, Therſippus annis 42. 4.

Sesach rex Ægypti, contra Iudæos dimicans, templum spoliat. 5. Corinthiorum 4. Primnus annis 35. 6.7.8.9.

Latinorum 7. Ægyptus Siluius annis 24. Siluius Atiſſius Ægyptus, Albæ superioris regis filius fuit. 10.11.

Lacedæmoniorum Doristus annis 29. 12.13.

Samos condita est, & Smirna in vrbis modum ampliata. 14.15.16. Assyriorum 33. Piritiades annis 30.

Hebræorum Iuda quartus, Abia filius Roboam, annis tribus. Abia quia sperauit in domino, Hieroboam contra se pugnantem superauit, occisis de exercitu eius quinquaginta millibus. 1.2. 100.

Ægyptiorum, Pseusennes annis 41. 3. Hebræorum pontifex Abimelech clarus habetur.

Hebræorum Iuda, Asa iustus, filius Abiæ, annis 41. qui idola destruxit, templũ mundauit, egredientem contra se Zaram Æthiopem, cum suo exercitu interemit. 1.2.3. 112.

Hebræorum Israel, Nadab annis duobus. 4.5.

Hebræorum Israel, Baasa annis 24. Lacedæmoniorum, Thraces Ebriciam, quę nunc Bithinia vocatur, transeuntes, Astrimonem occupauerunt. 6.

Prophetabant in Iudæa Achias, Semeias, & qui erant apud altare in Samaria, Iehu, Ioed, Azarias, Anani. 7.

Ab Asa conductus Benedab, rex Siriæ Damasci, contra Israel profectus, percussit omnem terram Neptalim. 8.9.

Hieu prophetes ab Asa rege Israel occiditur. 10.11.

Thraces mare obtinuerunt. 12.13.

Latinorum octauus, Capis Siluius annis, 28. qui fuit filius superioris regis Aegypti Siluii. 14.15.16.17.18.19.20.

Lacedæmoniorum sextus, Agesilaus, annis 44. 21.22.23.

Corinthiorum quintus, Bacis, annis 34. 24.

Athenienſium quintus, Phorbas, annis 31. 25.26.

Assyriorum 34. Ophratheus, annis 20. 27.28.29.

Hebræorum Israel, Ela, annis duobus. 30.31.

Hebræorum Israel, Amri, annis 12. qui emit montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificauit eum. Aihell de Bethel instaurat Iericho. 32.33.34.35.36.37.38.39.40.

Aegyptiorum, Nephercheres, annis 4. 41.

Latinorum nonus, Carpenthus Siluius, annis 13.

Hebræorum Iuda 6. Iosaphat iustus, filius Asa, annis 25. 1.2. 166.

Hebræorũ Israel sextus, Achab filius Amri, annis 22. cuius vxor erat Iezabel idolatra, filia Ionabel, regis Tyri & Sidonis. Helias Thesbites per tres & semis annos, à mense Hiberberitheon, id est, Octobri, vsque in alium annum mensis, Hiberuerithei, pluuiã propter peccata populi & *Achab*, continuit. Prophetabant *Helias*, *Abdias*, *Azarias*, *Micheas*. 3.

Aegyptiorum, Amenostis, annis octo. 4.5.

Assyriorum 35. Ophrathanes annis 50. 6.7.8.9.10.11.12.

Aegyptiorum quintus, Osochor, annis sex. 13.

Lati-

Latinorum 10. Tiberius Siluius, annis 8. qui erat Carpenthi filius. A quo & fluuius Tiberis nomẽ accepit, q̃ antea Albula dicebatur. Corinthiorũ sextus, Agelas, annis 31. 14.

Athenienſium ſextus, Mexacles, annis 30, 15.16.17.18.

Ægyptiorum, Spinaces, annis 9. 19.20. Hebræorum Iſrael 7. Ochozias, filius *Achab*, annis duobus. 21.

Latinorum 11. Agrippa Siluius, filius Tiberini, annis 42. 22. 23. Lacedæmoniorum 7. Archelaus, annis 60. 24.25.

In Latina hiſtoria hæc ad verbum ſcripta reperimus: Agrippa apud Latinos regnante, *Homerus* poeta in Græcia claruit, vt teſtantur Apollodorus grammaticus, & Euphorbius Hiſtoricus, ante vrbem Romam conditam annis 124. & vt ait *Cornelius*, ante Olimpiadem primam annis 100. Hebræorum, Iſrael octauus. Ioram frater Ochoziæ annis 12.

174. Hebræorum Iuda ſeptimus, Ioram filius Ioſaphat, annis octo, nominatus nomine filii *Achab*, fratris matris ſuæ *Athaliæ*, & ambulauit in viis ſacrilegis domus *Achab* Prophetabant *Helias* & *Heliſeus*. 1.2.

Ægyptiorum, Pſeuſennes annis 35. 3.4.5.6.7.8.

Helias Thesbites, ſacerdos magnus & propheta, 40. dierum exercitatur ieiunio, curru rapitur, quaſi vſq; in cœlum, mortem in fine mundi ab Antichriſto paſſurus & *Heliſeum* filium *Ioſaphat*, qui erat de *Abel*, in aula pro ſe vnxit prophetam. *Heliſeus* vero primo miraculo aquas Iericho ſanat. *Micha* de tribu Ephraim in Moraſthi ortus, ſub *Ioram* filio *Achab* præcipitatus obiit, ſepultusq; in terra ſua iuxta Poliandrum, hoc eſt iuxta Nauum. In diebus Ioram receſſit Edom, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituit ſibi regem. Hebræorum Iuda, *Azarias*, qui & *Zacharias*, vel *Ochozias*, filius *Ioram*, anno vno. 1. *Azariam* autem cum filio ſuo *Ioas*, & nepote Amaſia, propter ſcelera ſua, *Matthæus* Euangeliſta à Saluatoris genealogia ſecludit. Hebræorum Iſrael, Hieu, annis 28.

171. Hebræorum Iuda, *Athalia*, filia *Achab*, mater *Azariæ* annis ſex: ſecundum autem 70. Interpretes annis ſeptem. Quæ videns interfectum ab Hieu, rege Iſrael, filium ſuum *Azariam*, occidit omnem ſtirpem regiam domus *Ioram*, niſi ſolum *Ioas* filium *Azariæ*, quem *Ioſabeth* ſoror *Azariæ*, vxor *Ioadæ* pontificis, furata eſt de medio filiorum regis, cum interficerentur. *Ioadas* pontifex inſigniſſimus, qui ſolus poſt *Moiſen* vixit annis 130. & propheta *Zacharias*, filius eius, clari habentur.

121. Hebræorum Iuda, *Ioas* filius *Azariæ*, annis 40. qui in principio regni ſui templum innouauit. 1.23.

Athenienſium ſeptimus, Diognetus, annis 28. 4.5.

Corinthiorum ſeptimus, Eudemus, annis 25. Lacedæmoniorum, quinto mare obtinuerunt Phriges, annis 25. 6.

Azarias propheta apud Hebræos claruit, qui ortus eſt in terra ſublata, & ſepultus eſt, nono huius Ioas anno occiſus. 7.8.9.10. Zacharias propheta clarus habetur. 11.12.

Lacedæmoniorum, Bigurgus clarus habetur. 13.14.

Aſſyriorum 36. Aſcrazapes, annis 42. 15.16.17.18.19.20.

Latinorum 12. Aremulus Siluius, annis 19. Siluius iſte Aremulus ſiue Remus, Agrippæ ſuperioris regis filius, præſidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma eſt poſita, conſtituit, qui ob impietatem fulmine interiit. Huius filius fuit Iulius, proauus Iulii Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans, fundauit Iuliam gentem. Ægyptiorum 22. Dinaſtia, Senchoris, annis 21. 21.22. Hebræorum Iſrael 10. *Ioachab* filius Hieu, in anno 22. regni *Ioas* incipiens, regnauit annis 16. teſte *Ioſepho*. 23.24.25.26.27.28.

Corinthiorum 8. Ariſtomenedes annis 35. 29.30.31.

Heliſeus propheta, *Heliæ* diſcipulus, ex tribu Ruben obiit, & requieſcit in Sebaſti ciuitate, quæ quondam Samaria dicebatur. Athenienſium 8. Phereclus annis 19. 32.

Lacedæmoniorũ, ſexto mare obtinuerunt Cipri, annis 23. 33. 34.35. Apud Hebræos *Zacharias* propheta, filius *Ioadæ*, tutoris quondã ac regni viuificatoris, inter templum & altare, à rege Ioas lapidatus eſt, quem ob merita ſua dominus in Euangelio filium Barachiæ, id eſt, benedicti domini cognominat. 36.37.38.39.

Latinorum 13. Auẽtinus Siluius, annis 37. Auentinus Aremuli ſuperioris filius regis, in eo monte, q̃ nunc pars vrbis eſt, mortuus ac ſepultus, æternũ loco vocabulũ dedit. 40.

Hebræorum Iſrael 11. *Ioas*, qui & *Amazias*, filius *Ioachab*, annis 17. In cuius anno ſecundo, *Amazias* ſuper tribum Iuda cœpit regnare, teſte *Ioſepho*.

250. Hebræorum Iuda 11. *Amaſias* annis 29. 1.2.

Lacedæmoniorum, Telechius, annis 40. 3.

Ægyptiorum 23. Ororthon annis 15. 4.

Car-

Carthaginem hac ætate conditam quidam putant: alii vero, vt ſupra memorauimus. 5.6.7.

Azael rex Siriæ, afflixit Iſrael. 8.9.10.

Athenienſium nonus, Ariphrox annis 20. Sub quo, & ſub Sardanapalo, Aſſyriorum rege, idem regnum Aſſyriorum deſtructum eſt. 11.12.13.14.15.16.

Aſſyriorum 37. Thonos Concoleros, qui vocatur Græce Sardanapalus, annis 20. qui Tharſum, atq; Anchialem condidit, & in prælio victus à Barbaco Medo, ſemet incendio concremauit. Vſq; ad id tempus fuere reges Aſſyriorum, vt hiſtoria refert, per annos 1197. Omnes autem anni regni Aſſyriorum, à primo anno Nini, numerantur 1240. 17.

Ægyptiorum 24. Celothis annis 13. 18.19.

Hebræorum Iſrael 12. Hieroboam, filius Ioas, annis 46. In cuius anno vndecimo Oſias, filius Amaſiæ, cœpit regnare ſuper tribum Iudæ, teſte *Ioſepho*. 20. Lacedæmoniorum, ſeptimo loco Phœnices mare obtinuerunt. 21.22.23.

Corinthiorum 9. Agenon annis 16. 24.25.26.27.28.29.

Laced. Theſpico, Ariphronis filio, Athenis regnante, Aſſyriorũ imperium deletũ eſt. 302.

Hebræorum Iuda 11. Azarias, qui & Ozias, Amaſiæ filius, annis 52. 1. Athenienſium 10. Theſpicus annis 27. 2.3.

Ægyptiorum 23. Dinaſtia, Petupaſtis, annis 25. 4.5.6.7.

Medorum primus, Abarces, annis 29. 8.9.

Latinorum 14. Procas Siluius, Auentini ſuperioris regis filius, annis 22. Medorum, Abarces Medus, Aſſyriorũ imperio deſtructo, regnum in Medos tranſtulit, & interim ſine principibus res agebantur vſque ad Eiocum regem Iudæorum. In medio autem tempore Chaldæi proprie prævalebant, quorum ſeparatæ quædam regum ſucceſſiones feruntur: Reliquæ vero gentes propriis regibus vtebantur. 10.

Corinthiorum, Alexander annis 25. 11.12. Lacedæmoniorum, Licurgus Lacedæmoniis iura compoſuit. 13.

Macedonum primus, Cranus annis 28. 14.15.

Lacedęmoniorum, Thalcamenes annis 37. 16.

Lacedæmoniorum, templum Iunonis incenſum. 17.

Heſiodus inſignis habetur, vt vult Porphyrius. 18.19.20.21.22. Ægyptii ſuum regem, Oſorthon, Herculem cognominauerunt. 23.24. Prophetabant apud Hebręos, *Oſee, Amos, Iſaias, Ionas*, 25.26. Ægyptiorum, Oſorthon, annis 20. 27. Lacedæmoniorum. Phidon Argiuus menſuras & pondera primus inuenit. 28.

Athenienſium 11. Agamneſter annis 20. 29.

Lacedæmoniorum, Licurgi leges in Lacedæmonia, iuxta ſententiam Apollodori, hac ætate ſuſceptæ. 30.

Latinorum 15. Amulius Siluius. 31.

Numitor, Procę ſuperioris regis maior filius, à fratre Amulio regno pulſus, in agro ſuo vixit, filia autem eius Rhea, vel Etilia, adimendi partus gratia, virgo veſtalis electa eſt. Quę cum ſeptimo partui anno, geminos edidiſſet infantes, & ſcelus ſuum niteretur excuſare, à Marte ſe comprehenſam mentita, iuxta legem, in terra viua defoſſa eſt. Verum paruulos iuxta ripam Tiberis expoſitos, Fauſtus vel Fauſtulus, regis paſtor, ad Acciam Laurentiã, vxorem ſuam, detulit, quæ propter rapacitatem, & pulchritudinem corporis quæſtuoſi, Lupa appellabatur. Vnde ad memoriam vſq; noſtram cellulæ meretricum Lupanaria dicuntur. 32.33.34.35.

Medorum 2. Soſarmus annis 30. 36. Corinthiorum, Theleſtus annis 12. Ægyptiorum, Pſamus annis 10. 37.

Trieris prima magna nauigauit in Corinthum. 38.

Emuleus Corinthius, verſificator, agnoſcitur, & Sibylla Erythrea. 39.40.

Ægyptii poſt Phœnices mare obtinuerunt. 41.

Macedonum ſecundus, Coenus annis 12. 42.43.44.

Bochorus Ægyptiis tradidit iura: ſub quo agnus loquutus eſt. 45. Lacedæmones contra Meſſenios vicennale bellum habebant. 46. Ægyptiorum, dinaſtia 24. Bochorus annis 46. 47. Corinthiorum Automenes anno vno. Poſt hos in Corintho conſtituti ſunt iudices 48. Athenienſium 12. Æſchilus, Agemeſtoris filius, annis 23. Liddorum primus rex Ardiſus, filius Aliatis, 36. annis. 49.50. Olimpias prima ſecundum *Euſebium*. 51.52. Anno 52. Azariæ, cœpit ſuper Iſrael regnare Phaceas filius Manaen, annis 10. vt legitur in libro Regum.

Hebræorum Iuda 12. Ioathan filius Azariæ, annis 16. 1.

Olimpias prima ab Ilienſibus conſtituitur, poſt annos 305. Troiànæ captiuitatis, anno primo *Ioathan*, ſecundum Hebræos. Anno ſexto Æſchili, Athenienſium iudicis, prima Olimpias facta eſt: in qua Chorebus Ilienſis victor extitit. Olimpus autem eſt nomen campi in Græcia apud Arcteum littus: qui propter amœnitatem planiciei ſuæ ſic dicitur, quaſi amœnæ Olimpi, id eſt, Dei. Ilienſes agunt quinquennale certamen, aut agonem 4. annis in medio expletis, in quibus principes conſtituuntur anni quatuor. Qui quatuor anni Olimpiæ nominantur, cuius Olimpiadis, primo vel ſecundo, ſiue tertio, aut quarto anno aliquid geſtum eſſe narratur. Quam Olimpiadem Iphethus filius Praxonidis ſiue Ammonidis primus conſtituit. Aphricanus ſic: Adhuc modicum Aeſchilus, Agemeſtoris filius, apud Athenienſes obtinuit principatum annis 23. qua ætate *Ioathan* regnabat in Hieruſalem. Porro & nos in prima Olimpiade *Ionathan* poſuimus. Annus igitur primus *Ionathan*, ſecundum Troſtam, Aphricanum, *Bedam*, atq; *Ioſephum*, Olimpiadis primæ primus erat annus Macedonum, Artunus Mileſius verſificator florentiſſimus habetur. Macedonum tertius, Tiramas annis 38. 2.3.4.

Remus & Romulus naſcuntur. 5.

Olimpias ſecunda, Athenis primum Trieres nauigauerunt Aminadeo curſum dirigente. 6.7.8.9.

Olimpias tertia. Prophetabant *Oſee, Iohel, Iſaias, Oded.* 10. Hebræorum Iſrael 17. Phacea filius Romeliæ annis 20. Sub quo Teglat Phalaſſar, rex Aſſyriorum, magnam partem populi Iudæorum in Aſſyrios tranſtulit. Macedonum, Heſiodus ſecundum quoſdam clarus habetur. Mare obtinuerunt Mileſii annis 18. Thirei Cyrenen condiderunt, oraculo ſic iubente. Conditor vrbis nomine Beatus, ſed proprium eius nomen *Ariſtoteles.* 11.12. Thales Mileſius, phyſicus, philoſophus, agnoſcitur. 13. Olimpias 4. Medorum tertius, Anedidis annis 40. Eumulus poeta, qui Pagoniam & Europam, & Aretinus, qui Æthiopiam compoſuit, & Iliacam Perſis agnoſcuntur. 14. Aradus inſula condita. 15.16.

In Lacedæmonia primus Eporos, qui magiſtratus nomen eſt, conſtituitur. Fuit autem ſub regibus Lacedæmonia annis 350.

334. Hebræorum Iuda 13. Achaz filius Ioathæ, annis 19. Anno autem octauo Phaceæ filii Romeliæ regis Iſrael, regnauit Achaz, teſte *Hieronymo.* 1. Olimpias quinta. 2.3.4.

Nonnulli autem Romanorum ſcriptores Romam conditam ferunt. 5. Olimp. ſexta, Roma condita eſt in monte Palatino à geminis, 11. Calend. Maii. Romulus & Remus, collecta multitudine paſtorum, Romanæ vrbis ædificium inchoant, ſuoq; de nomine iunior, qui germanum peremerat, vrbem præcepit vocari Romam. Athenienſium. 14. Charops annis 10. Athenis principes, qui vſque ad mortem Reipublicæ præerant, deſierunt, & in decem annos magiſtratuum conſuetudo verſa eſt, regnauitq; primus Charops annis decem, filius Aeſchili. 6.

Romanorum primus, Romulus, à quo Romani ex Latinis dicti, anno ſecundo ab vrbe condita, regnauit annis 38. 7.

Anno ab vrbe condita tertio Remus raſtro paſtorali à Fabio, Romuli duce, occiſus eſt. Eodemque anno Conſulibus ludis Sabinæ raptæ ſunt, & vna virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Thalaſſo duci Romuli decernitur. Vnde in nuptiarum ſolennitatibus Thalaſſo vulgo clamitant: quod ſcilicet talis nupta ſit, quæ habere mereatur Thalaſſum. 8. Ob aſyli impunitatem magna Romulo coniungitur multitudo. 9. Olimp. 7. 10.11.12.13. Olimp. 8. 14. Oſee filius Ele annis regnauit nouem. In cuius anno quarto *Ezechias* cœpit regnare ſuper tribum Iuda teſte *Ioſepho.* 15. Athenienſium 15. Æſimides annis decem Cetinenſes, Autemnates, Cruſtumeni Fidenates, qui propter Sabinarum raptum bellum mouerant, vincuntur à Romulo, & Tarperachus rex Sabinorum obrutus in monte, qui ex eo Tarpeius dictus eſt, in quo nunc eſt capitolium. 16. Liddorum ſecundus, Aliattes annis 14. Naxus condita in Sicilia. Midas regnauit in Phrigia.

363. Hebræorum Iuda 14. *Ezechias* annis 29. 1. Olimp. 9. 2. Siracuſa in Sicilia condita. 3. Cathina in Sicilia condita. 4. Apud Hebræos prophetabant *Oſee* & *Iſaias.* 5. Olimp. 10. 6.

CAP. XVIII.

PRima captiuitas Iſrael, quæ à rege *Sennacherib* facta eſt, decem tribus gentis Iudææ, quæ vocabatur Iſrael, erant in parte Samariæ, victæ à *Sennacherib* rege Chaldæorum translatæ ſunt in montes Medorũ, à primo *Hieroboam* anno ducenteſimo ſexageſimo. *Sennacherib* rex Chaldeorum ad cuſtodiendam regionem Iudæorum accolas miſit Aſſyrios, qui

qui æmulatores Iudææ legis facti, Samaritæ nuncupati sunt, quod interpretatur latine Custodes. *Ezechiel* propheta sic. Et tu dormies super latus tuum sinistrum,& pones iniquitates Israel super eo numero dierum, quibus dormies super illud. Et assumes iniquitates eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum 390. dies,& portabis iniquitatem domus Israel. Et cum compleueris hæc,dormies super latus tuum dextrum secundo,& assumes iniquitatem domus Iuda 40. diebus: diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi. Sanctus *Hieronymus* super *Ezechiel*. Quærimus annos 390. cum pro diebus totidem sinistro latere dormit propheta *Ezechiel*, vinctus & constrictus, ita vt latus aliud se non verteret, decem tribuum Israel captiuitatem ostendens, & quærimus, qui sunt anni 40. tribus Iudæ in dextro latere. Hoc igitur dicendum est, quod sub Phacea rege, filio Romeliæ, qui vndeuigesimus regnauit in Israel, anno 20. venit Teglat Phalassar, rex Assur, & cepit Aion & Abel domum Maacha & Ioanoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & vniuersam terram Nepthalim, & transtulit eos in Assyrios. Post quem regnauit in Israel Osee, filius Elæ annis 9. captusque est cum omni Samaria à Salmanasar rege Assyriorum, & transtulit eos in Ela & Babor fluuios Gozam in ciuitatibus Medorum. Anno autem sexto Ezechiæ regis Iudæ (vt regum narrat historia) captus est Osee, à quo & cum quos scilicet Ezechiæ, eodem annumerato, vsque in annum 29. regni sui sunt anni 24. Tot enim annis Ezechias post captiuitatem Osee regnauit. 79. Post quem Manasses regnauit annis 55. 81. Post quem Amon annis duobus. 112. Post quem *Iosias* annis 31. Post quem regnauit *Ioachas*, filius *Iosiæ*, mensibus tribus: quem *Nechao* vinctum ducens in Ægyptum, seniorem eius fratrem *Ioachim* qui & *Eliachim*, constituit regem. 123.

Ioachim, qui & *Eliachim*, regnauit annis 11. Post quem regnauit *Ioachim*, qui & *Iechonias*, mensibus tribus, diebus decem, qui statim ductus est in captiuitatem, regnauitq; pro eo *Sedechias* annis 11. sub quo capta est Hierusalem, & Templum destructum. 134. Itaque à primo anno captiuitatis Israel sub Phacea, vsque in annum 11. *Sedechiæ*, anni sunt 163. menses sex. A secunda captiuitate sub Osee 134. menses sex. Adde anos 70. desolationis Templi primæ captiuitatis, fiunt 204. In secundo autem anno Darii, regis Persarum, Templum constructum est à *Zorobabel* filio *Salathiel*, & Iesu filio *Iosedech*, prophetantibus *Aggeo* & *Zacharia*. 35. Darius regnauit annis 36. quorum primo sublato, in quo completus est annus 70. desolationis Templi, fiunt 35. 55. Cui successit filius suus *Xerxes* annis 20. Artabanus mensibus septem. 95. menses 7. *Artaxerxes* annis 40 *Xerxes* mensibus duobus. 96. menses 4. *Sogdianus* mensibus 7. Adde Artabani menses 7. mensibus duobus *Xerxis*, fit annus, & supra menses 4. 115. menses 4. Artaxerxes annis 40. qui innemorandarii & Parsatidis filius, qui ab Hebræis *Assuerus* dicitur. Sub quo *Hester* historia conscribitur, & populus pristinam libertatem periculo mortis liberatus accepit. Fiunt ergo à secundo anno Darii vsque ad extremum annum *Assueri*. 155. anni, & menses 4. qui additi prioribus 235. annis, & mensibus sex, fiunt anni 389. & menses decem. Dextri vero lateris dormitio, id est, annorum 40. facile computatur. Post *Eliachim* enim, qui & *Ioachim*, regnauit filius eius *Ioachim* qui & *Iechonias*, mensibus tribus, qui cum matre & eunuchis, & seruis & principibus suis exiit ad *Nabuchodonosor*, & suscepit eos *Nabuchodonosor* rex Babylonis anno 8. regni sui, cum omni thesauro Templi domini, & domus regiæ, & omni populo (decem millibus relictis tantum pauperibus) transtulit eos in Babyloniam. Post quem regnauit *Sedechias* annis 11. sub quo Templum destructum est: cuius solitudo, vsque ad secundum annum Darii, permansit annis 70. Anno vero 30. desolationis Templi Cyrus, secundum prophetiam *Isaiæ*, regnauit in Persis, subuerso rege Medorũ Astiage. Qui quinquaginta millia hominum de tribu Iudæ, & vasa templi aurea & argentea quinque millia quadringenta, quæ *Nabuchodonosor* asportauit, remisit in Hierusalem. Sicuti ergo à Phacea rege Israel, sub quo *Salmanasar* multa populi millia vastauit, vsque in annum 40. *Assueri*, supputamus annos 390. quando vniuersi populi Iudaici persecutio mitigata est: sic à primo anno *Iechoniæ*, (quando magna pars Hierusalem translata est in Babylonem) vsque in primum annum Cyri regis Persarum, qui desolationis templi erat annus 30. computantur anni 40. sub quo Iudæorum laxata est captiuitas, & populo reddita libertas. Qui autem voluerit computare à prima captiuitate, quæ facta est sub Manue, filio Gaddi, rege Israel, qui in Samaria regnauit annis decem, quando venit Phul rex Assyriorum in terra Israel, & accepit mille talenta argenti, & post eum annos duos alios Phaceæ, quibus regnauit in Israel, inueniet anno 28.

Assueri compleri annos 390. quando *Hester* ferunt conscriptam historiam, quod & credibilius est. Neque enim finito imperio *Assueri*, sed adhuc eo regnante, Israel iugum seruitutis abiecit. Hæc *Hieronymus*. 7.

Romani Tatio Sabinorum rege regnante cum Romulo, à Quiritibus. Quirites appellati sunt. Macedonum quartus, Perdicas annis 51. Ægyptiorum 25. Dinastia, Sabachon Æthiops, annis 12. 8. Romulus primus milites sumpsit ex populo, & nobilissimos centum elegit, quos ob ætatem Senatores appellauit, & ob curam patres vocauit, templa & muros Romæ construxit. 9. Olimp. 11. Athenienſ. 16. Elidicus annis decem. 10. 11. Sabachon Bochorum regem captum viuum exussit. 12. 13. Olimp. 12. 14. Liddorum tertius, Meles, annis 12. 15. 16. Bellum quod in Tirea inter Lacedæmones & Argiuos gestum est. 17.

Olimp. 13. 18. 19. Athenienſ. 17. Hippomenes annis decem. Ægyptiorum, Sephicus annis 12. 20. 21. Olimp. 14. Medorum quartus, Cardiceas, annis 13. 22. 23. 24. 25.

Olimpias 15. 26. Romulus, cum concionem haberet ante vrbem, apud Capreæ paludes, è conspectu ablatus est. Discerptum aliqui à Senatu putant, ob asperius ingenium: sed oborta tempestas, Solisque consecrationis speciem præbuere. Cui mox Iulius Proclus fidem fecit, visum à se Romulum affirmans augustiori forma quam fuisset, mandare præterea vt se pro numine acciperent, Quirinum in cœlo vocari, placitum diis, vt Roma gentium potiretur. Ipse vero Romulus reuera interfectus est anima in inferno, corpus in palude sepultum est. Quo mortuo, per quinos dies Remp. rexerunt Senatores, atque ita vnus annus expletus est. Quod tempus ad regnum reputatur. Romanorum 2. Numa Pompilius annis 41. qui nullum cum finitimis bellum gessit, quique duos menses addidit in anno Ianuarium & Februarium, cum antea decem tantum menses apud Romanos fuissent. Capitolium quoque à fundamentis ædificauit, & ad congiarium dedit asseos ligneos & corticeos. Liddorum quartus, Candaules annis 17. 27. Sibylla, quæ & Herophila, in Samo insignis habetur. 28. 29. Olimp. 16.

Hebræorum Iuda 15. *Manasses*, filius *Ezechiæ*, annis 55. 1. Athenienſium 18. Leo-
418. crates annis decem. 2. Ægyptiorum, Tarachus Æthiops, annis 20. 3. 4. Olimp. 17. Nicomedia condita est, quæ prius Artachus vocabatur. Croton, & Parion, & Sibaris, conditæ. 5.

Medorum quintus, Deioces annis 54. Hii qui Partheni vocabantur, Tarentum condiderunt, & Corinthi Conthiram. 6. 7. 8. Olimp. 18. 9. 10. 11. Athenienſium 19. Absander annis decem. 12. Olimp. 19. 13. 14. 15. Liddorum quintus, Giges annis 35. 16. Olimp. 20. 17.

Mydas cum apud Phriges regnaret, sanguine potato tauri extinctus est. 18. 19. 20. Olimp. 21. Athenienſium 20. Erixias annis decem. 21. Claticus Chinus, primus ferri inter se glutinum excogitauit. 22. Ægyptiorum Dinastia, Merres Æthiops, annis 12. 23. In Sicilia Gela, in Pamphilia Phaselis condita. 24. Olimp. 22. 25.

Chalcedon condita. 26. Manasses ob scelera sua, catenatus & compeditus, in Babyloniam ducitur, sed ob pœnitentiam & preces restituitur in regnum. 27. 28. Olimp. 23. Hipponax notissimus redditur. 29. Macedonum quintus, Argeus, annis 38. 30. Athenis annui principes constituti sunt. Cessantibus regib. nouem principes ex nobilibus vrbis electi Athenienſibus præficiuntur. 31. 32.

Olimp. 24. 33. 34. Cristitus condita est, & Locris in Italia. 35. Ægyptiorum, Stephinatis annis 7. 36.

Olimp. 25. 37. 38. Romanorum, Tullus Hostilius annis 32. qui primus in regno Romanorum, purpura & fascibus vsus est, ac deinceps cum domo sua fulmine conflagrauit. 39. 40. Olimp. 26. 41. 42.

Ægyptiorum, Nechepsos, annis 5. Nudipedalia primum acta sunt in Lacedæmonia. 43. 44. Olimp. 27. 45. 46.

Tullus Hostilius, post longam pacem, bella reparauit, Albanos & gentes Fidenates vicit. Archilochus, & Simonides, & Aristoxenus, Musici illustres habentur. 47. 48. Olimp. 28.

Ægyptiorum, Nechao annis octo. 49. Sibylla, quæ & Orophilla vel Samia, in Samo nobilis habetur. Tullius Hostilius (adiecto monte Cæleo) Romam ampliauit. Zaleucus, legum lator apud Locros, crebro sermone celebratur. 50. Liddorum sextus, Ardis annis 28. 51. 52. Olimp. 29. 53. 54. Bisantium condita. Alcmeon clarus habe-

habetur,& Leſches Lesbius,qui paruam fecit Iliadem. Cipſelus in Corintho tyrannidem exercuit annis 29. 55. Ægyptiorum,Pſammeticus annis 44.

Hebræorum Iuda 16. Amon, annis duobus ſecundum Hebræos, ſecundum autem 70.interpretes,annis 12. 1. Olimp.30.Acanthus condita eſt. Hiſtrus ciuitas in Ponto condita eſt. Medorum ſextus,Phraortes annis 24. Lampſacus condita eſt.Phalaris apud Agrigentinos tyrannidem exercet. 2. In Sicilia Silenis eſt condita.In Ponto Boroſthius conditur.Macedonum ſextus,Philippus annis 38. Amon à ſuis ſeruis occiditur. 420.

Hebræorum Iuda 17.Ioſias Iuſtus, filius Amon, annis 31. ſecundum Hebræos,ſecundum 70. interpretes 32. 1.2.3. Olimp.31.Hebræorum maximus pontifex Helcias clarus. 4,5. Terpander,muſicus,inſignis habetur. 6. 451.

Tales Mileſius, Examii filius,primus phyſicus philoſophus agnoſcitur:quem vixiſſe aiunt vſq; ad quinquageſimam octauam Olimpiadem. 7. Olimp.32. 8. Meſſena à Lacedæmoniorum ſocietate diſcedit. 9.10. Oraculo Dodonæo primum Græcia vſa eſt. Scythæ vſq; ad Palæſtinam penetrauerunt. 11. Olimp. 33. Romanorum. 4. Ancus Martius,nepos Numæ à filia,annis 23. 12.13. *Hieremias* propheta ſe ab anno 13. Ioſiæ vſq; in annum quartum *Ioachim*,23.annis prophetaſſe perhibet:& *Nabuchodonoſor* quarto anno *Ioachim* regnare cœpiſſe; decimo nono eius anno Hieruſalem fuiſſe deſtructam 14. Mirtæus Athenienſis poeta agnoſcitur. 15. Olimp.34.Batius condidit Syrenen. 16. Medorum 7.Ciaxares annis 30. Apud Corinthios tyrannidem exercuit Periander. Sinope condita. Lipara condita. Peruſias condita. Epidamus condita,quæ poſtea Dirachium eſt vocata. Phalaridis tyrannis deſtructa. 17. Holda mulier & Sophonias,& *Ieremias* prophetabant. 18.

Ioſias,mundata Iudæa & Hieruſalem,templo etiam innouato,poſt abiectas Idolatriæ ſordes,Paſcha domino celeberrimum fecit 18.anno regni ſui. 19. Olimp.35. Draco, legum lator,vt quibuſdam videtur,agnoſcitur. 20.

Ancus Martius,Numæ ex filia nepos,Auentinum montem,& Ianiculum vrbi addidit,& ſupra mare 16.ab vrbe miliario Hoſtiũ condidit,ad extremum morbo periit. 21.

Liddorum 7.Sadiatas annis 15. 22.23. Olimp.36. 24.25.26.27. Olimp.37. 28. Arion Methimnæus clarus habetur,qui à Delphino in Tenarum dicitur tranſportatus. 29.30.31. Olimp.38. *Ioſias* cum Nechao rege Ægypti, qui & Pharao, congreſſus occiditur Mageddo,quæ nunc Maximionopolis dicitur. Ægyptiorum, Nechao 2. qui & Nechepſo,annis ſex. Hebræorum Iuda 18.Ioachaz,filius *Ioſiæ*, regnauit menſibus tribus,quaſi vſque Calendas Aprilis. Cum enim à capite mundi,id eſt, 15. Calend.Aprilis annos numerauimus ab *Adam* vſque in mortem *Dauid* 4.Calendarum Ianuarii, annos integros inuenimus. Ioachaz itaq; à Calendis Ianuarii incipiens, regnauit tribus menſibus vſq; Calendas Aprilis.Quem Nechao vinctum ducens in Ægyptum,ſeniorem fratrem eius Eliachim pro eo conſtituit regem.Romanorum quintus, Tarquinius Priſcus annis 37. qui Circũ Romæ ædificauit,numerum Senatorum auxit,Romanis ludos inſtituit,muros & cloacas ædificauit,Capitolium extruxit. Panætius primus in Sicilia arripuit tyrannidẽ.

Hebræorum Iuda 19.*Eliachim*,qui & *Ioachim*,filius *Ioſiæ*,regnauit annis 11. 1. Steſichorus poeta clarus habetur. 2. Liddorum octauus, Actes annis 49. 3. Anno tertio *Ioachim Nabuchodonoſor* rex Babyloniæ Iudæam capit, & in ditionem ſuam redigit plurimos captiuos, in quibus erant,*Daniel*, *Ananias*, *Azarias*, *Miſahel*, *Ezechiel* quoq; partemq; vaſorum templi tranſtulit in Babyloniam. 4. Olimp.39. A quarto anno *Ioachim* ſancta ſcriptura regnum *Nabuchodonoſor* computat,quia ex eo non ſolum Chaldæis, & Iudæis,ſed & Aſſyriis Ægyptiis,Moabitis,aliisq; innumeris gentib. cœpit imperare. Atẽnan, vt quibuſdam videtur agnoſcitur. 5. Macedonum ſeptimus,Æropus annis 26. Ægyptiorum, Sameticus annis 12. 6. Pitacus Mitileneus, qui de 7. Sapientibus fuit,cum Phrione Athenienſi Olimpionice congreſſus,interficit eum. 7. Craxares Medus,cõtra Aſſyrios dimicans,Ninum ſubuertit. 8. Olimp.40. 9.10.11. 462.

Hebræorum Iuda,*Ioachim*, qui & *Iechonias*,filius *Ioachim*,menſibus tribus,hoc eſt,vſque ad menſem Iulium : qui circundata, à Caldæis ciuitate, exiit ad regem Babylonis cũ matre,& ductus eſt cum populo in Babyloniam anno ſeptimo regni *Nabuchodonoſor*. Timuit enim *Nabuchodonoſor* ne non obediret ei,quia occidit patrem eius *Ioachim*,& conſtituit pro eo patruum ſuum *Zedechiam*,qui annis 8.obediuit : deinde ad Ægyptum ſe vertit.

Hebræorum Iuda,Sedechias,qui & Mathanias, filius Ioſiæ, annis 11.Prophetabant *Hieremias* & *Baruch*. 1. Olimp. 41. 2. Camerina vrbs condita. Perinthus condita 3. Meſſalia condita,Sapho & Alcæus poetæ clari. 4. Medorum octauus, Aſtiages annis 38. Histemporibus, certantibus in agone tragos, id eſt, hircus in præ- 473.

mio dabatur, vnde aiunt tragœdos nuncupatos. 5. Olimp. 42. Epimenides Athenas emundari docuit. 6.

Ægyptiorum, Vaphres annis 30. 7. Solon Draconis legibus antiquis extraneatis, quæ ad sanguinem pertinebant, sua iura constituit. 8. *Daniel* propheta soluit visionem *Nabuchodonosor* regi, anno 16. regni sui, teste *Iosepho*. 9. Olimp. 43. 10. 11.

CAP. XIX.

TEmplum incensum est, ex quo ædificari cœpit 430. anno. Qui autem reliqui fuerunt Iudæi, transfugerunt in Ægyptum: qua post annos 5. à Chaldæis percussa, in Babyloniam & ipsi transmigrarunt. Anno 11. *Sedechiæ. Nabuchodonosor*, rex Chaldæorum, anno 19. regni sui, capta Hierosolyma nono die mensis 4. id est. Iulii, obsidensque ciuitatem mensibus 8. Templum mense quinto, id est, Augusto incendit, sicut Iosephus perhibet. Isidorus autem Episcopus sic. Festi autem dies in veteri lege isti sunt. Dies azymorũ Paschę 14. die mensis primi est, quando luna pleniſſima, abiecto fermento, agnus immolatur. Dies Pentecostes, in quo, in vertice montis Sina, lex data est *Moysi*, in quo de frugibus primum panes offerebantur propositionis. Dies Sabbatorum, in quo otia celebrantur in lege, & Manna non licebat colligere. Dies Neomeniarum, celebratio nouæ lunæ. Super hoc Iudæi in mensium principio, hoc est, prima luna, diem festum agebant, idcirco quia deficiente luna tempus finitur, & nascente incipitur. Dies autem tubarum septimi mensis principium est, quando Iudæi solennitatem agentes, amplius tuba canebant, & pluriora offerebant sacrificia, quam per singulos menses. Dies Scenopegiorũ decimus dies mensis septimi, in quo tabernaculorum solennitas apud veteres celebrabatur. Scenopegia enim tabernacula interpretantur. Dies ieiunii quarti, est 17. dies mensis Iulii, quando descendens *Moises* de monte, tabulas legis confregit. In eo etiam die *Nabuchodonosor* vrbis Hierusalem primo muros destruxit. Dies ieiunii quinti, est in mense Augusto, quando prospeculatoribus ad terram missis, seditio in castris exorta est: & factum est, vt per desertum 40. annis decurrerent laboriose, & in annis 40. in eremo omnes perirent. Siquidem in eodem mense à *Nabuchodonosor*, & multo post tempore à *Cæsare Tito*, templum euersum est, atq; succensum, & in opprobrium Iudæorum exaratum. Dies ieiuniis septimi in mense 7. est, id est, in Octobri, in quo occisus est *Golias*, & reliqui qui erant in Hierusalem interfecti sunt, sicut dicit *Hieremias*. Dies ieiunii decimi, est mense decimo, qui apud nos Ianuarius vocatur, quando agnouerunt cuncti in Babylone captiui, quinto mense templum fuisse destructum, & fecerunt planctum & ieiunium. Hæc Beatus *Hieronymus* in commentariis *Zachariæ* scripsit. A *Dauid* vsq; ad captiuitatem quartæ ætatis, anni numerantur 473. menses 6. dies 10. Secundum autem 70. interpretes 12. amplius. Ab *Adam* vsque ad captiuitatem 4. ætatum simul sunt 3363. anni, menses 6. dies 10. cum adiectione autem *Lucæ* Euangelistæ sunt anni 3593. menses sex, dies 10. Generationes autem ætatis huius, iuxta vtrosq; codices sunt 17. quas tamen *Matthæus* Euangel. certi mysterii gratia 14. componit. Hac ætate, velut iuuenili ætate in populo Dei, regum tempora cœperunt. Hæc autem in hominibus ætas, apta gubernando solet existere regno.

CAP. XX.

QVinta mundi ætas à captiuitate cœpit populi Israel: quæ secundũ *Hieremiam* 70. annis permansit, dicentem. Cum cœperint impleri in Babylone 70. anni, reducã vos ad locum istum ait dominus. 1. Primus annus captiuitatis, in quo templum domini *Nabuchodonosor* mense Augusto incendit. 2. Olimp. 44. 3. Corinthiorum monarchia destructa est. 4. In Babylonia prophetabant *Daniel* & *Ezechiel*. 5. Solis facta defectio, cum futuram eam Thales ante dixisset. 6. Olimp. 45. Aliates & Astiages dimicauerũt. 7. Sapientes. 7. appellati. 8. 9. Macedoniorum, Algetas annis 29. 10. Olimp. 46. Iustinia post Melicertem, & Pithia primum acta. 11. 12. Astiages cõtra Liddos pugnauit. 13. Tarquinius occisus est à filiis Anci. Cui successit in regnum Seruius Tullus. Anaximander Milesius, physicus, agnoscitur. 14. Olimp. 47. Romanorũ sextus, Seruius Tullus annis 34. Seruius ancillæ (sed nobilis captiuæ) filius, tres montes vrbi addidit, Quirinalem, Esquilinum, Viminalem. Fossas circa muros duxit. Censum Romanorum ciuiũ primus instituit. Et ad extremum, Tarquinii Superbi, generis sui, superioris regis filii, scelere occisus est. Anno 14. post quam percussa est ciuitas 25. transmigrationis regis *Ioachim*, & *Ezechielis*, ipse *Ezechiel* vidit in visionibus renouationem ciuitatis & templi, ac ceremoniarum eius. 15. 16. 17. 18.

Olimp. 48. Agon Emeachus primum ab Argiuis actus, post eum qui ab Archemoro fuit. 19. 20. Phalaris tyrannidem exercuit annis 15. 21. 22. Olimp. 49. 23. Ed-

Eugamon Cireneus, qui Thelegoniam fecit, agnoscitur. 24.

Agon Gimnicus, quem Paratheon vocant, actus est. 25.

Mortuo *Nabuchodonosor* Babyloniorum rege, susceptit imperium Euilmerodach: cui frater eius Balthasar successit. Ægyptiorũ, Amasis annis 42. 26. Olimp. 50. Anno 26. Post euersionem Hierusalem, qui est 37. annus transmigrationis regis *Ioachim*, subleuauit *Euilmerodach*, filius *Nabuchodonosor*, rex Babylonis, anno quo regnare cœpit, caput *Ioachim* regis Iuda, de carcere, & posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. 27. 28.

Pisistratus, Athenien sis tyrannus, in Italiã transgreditur. Esophus interimitur à Delphis. 29. Liddorũ Crœsus annis 15. Anaximenes physicus clarus. Olimp. 51. 30. *Balthasar* occisus est. Sub quo *Daniel* eandem scripturã, quæ in pariete apparuerat, interpretatus est: significantem imperiũ Chaldæorum in Medos & Persas transferendum. Hæc est interpretatio. Mane, id est, numerus, Thechel pondus. phares fragmentum vel diuisio.

Cyrus, Persarum primus, subuerso rege Astiage, regnum Medorum regit annis 30. Cyrus, vt impleretur verbum domini ex ore *Hieremiæ* primo anno regni sui laxata Hebræorum captiuitate, 50. ferme millia hominum regredi fecit in Iudæam, restituens eis vasa templi domini aurea & argentea 5300. Qui congregati in Hierusalem mense septimo, ædificauerunt altare: & à primo die eiusdem mensis cœperunt offerre holocaustum domino. Anno autem secundo aduentus sui, mense secundo, templi fundamenta iecerunt anno incensionis eius 72. iuxta Aphricanum & *Iosephum*. Sed impedientibus Samaritis intermissum est opus vsque ad secundum annum Darii. Qui etiam in regno suo, *Assuero* (qui & *Artaxerxes*) scripserunt accusationem contra Iudæos, & rescripsit *Artaxerxes*, ne ædificaretur Hierusalem. 31. 32. Medorum, Stesichorus moritur. 33. Simonides clarus habetur. 34. Olimp. 52. Prophetabant *Aggeus* & *Zacharias*. 35. Chilo claruit, qui de 7. Sapientibus fuit. Eporos in Lacedæmonia constituitur. 36. Quo tempore Iesus filius *Iosedech*, & *Zorobabel* regi generis filius *Salathiel*, clari habebantur: qui & principes fuerunt eorum, qui regressi sunt in Iudæam. 37. Ænophones Colophonius clarus habetur. 38. Olimp. 53. Macedonum 9. Amintas annis 50. 39. Templũ Delphici Apollinis secunda vice incensum est. 40. 41. 42. Olimp. 54. Ea quæ de Crœso memorantur, quomodo tentarit oraculum. Traies moritur. Crœsus aduersus Cimbros bellum iniit. 43. 44. Romanorum 7. Tarquinius annis 35. Crœsus à Cyro captus est, & Liddorum regnum destructum, quod stetit annis 231. Tarquinius Superbus Socerũ Seruio occiso, arripuit imperium. Velsos, Gabios, ciuitatem & Sessam Pometiam subegit, & cum oppugnaret Ardeam causa Tarquinii iunioris, filii sui, qui Lucretiam corruperat, regno expulsus est. *Pisistratus* secunda vice Athenis regnat. Pheretides historicus clarus habetur. 45.

Hippicus carminum scriptor agnoscitur. 46. Olimp. 55. Cyrus Sardos capit. 47. Harpagus, qui apud Cyrum primo loco habebatur, aduersus Ioniam dimicat. 48. Simonides Lyricus, & Pholycides clari habentur. 49. 50. Olimp. 56. Colligitur omne tempus captiuitatis Iudæorum annis 70. qui secundum quosdam, à tertio anno *Ioachim* vsque ad 20. annum Cyri regis Persarum computantur. Porro secundum alios à *Iosia* Iudæorũ regis anno 15. sub quo *Hieremias* prophetare cœpit, vsq; ad primum annum supradicti Cyri regis, desolationis vero templi sub Dario rege complentur anni 70. 51. 52. Zenophanes physicus scriptor tragœdiarum. 53. Theognis poeta clarus habetur. 54. Olymp. 57. 55. Anacreon Lyricus poeta agnoscitur. 56. Apud Samum tyrannidem exercent tres fratres, Polycrates, Silus, & Pantagnosus. 57. 58. Olimp. 58. 59. 60.

Tomyris, regina Massagetarum, Cyrum interfecit. 61. Cambyses, Cyri filius, annis octo regnauit. Hic deuicta Ægypto, cunctam eius religionẽ abominatus, ceremonias, eius & templa deposuit, Babylonem in Ægypto ædificauit. Hunc aiunt (ab Hebræis) secundum *Nabuchodonosor* vocari, sub quo *Iudith* historia conscribitur. 62. Olimp. 59. Apud Hebræos Pontifex maximus Iesus, filius *Iosedech*, & princeps gẽtis *Zorobabel* clari habentur. 63. Pythagoras, physicus & philosophus, clarus habetur. 64. Hipparchus & Hippias Athenis tyrannidem exercent. 65. Sandicæ Archiam condiderunt, quam nunc Puteolos vocant. Ægyptiorum 26. Dinastia Persarum: obtinuit quippe Aegyptũ Cambyses in anno quinto regni sui. 66. Olimp. 60. 67. 68. 69. Persarum tertio loco fratres Magi, mensibus 7. hoc est vsq; Calendas Aprilis: mensibus autem tribus *Ioachaz*, & mensibus tribus *Ioachim*, cum diebus decem, & cum mense Augusto, in quo combustũ est templum: iunctis simul cum mensibus 7. Magorum, fiunt menses 14. à quarto Calendarum Ianuarii, quo *Dauid* obiit, vsque Calendas Aprilis ante Darium. A *Dauid* igitur

vsq; in captiuitatem sunt 473.anni,& menses 7. A captiuitate & combustione templi vsq; ad Darium 69.anni,& menses 7. A Dario vsq; Calendas Aprilis in anno 42. Octauiani Augusti, in cuius fine natus est dominus (teste Euangelio) sunt 519. anni, hoc est à *Dauid* ad captiuitatem 473.anni,& à captiuitate ad Christum 589.anni. A *Dauid* etiam vsq; Manufortem *Dauid*. 1062. anni,iuxta Hebraicam veritatem. *Aggeus*, *Zacharias*,& *Malachias* prophetæ clari. 70. Olimp.61.

CAP. XXXV.

DArius, filius *Hidaspidis*,annis 36. 1. Primo anno captiuitatis ignis ab altari sublatus & absconditus in puteo:post 70. reuersionis annum assumitur, inuentus viuus. 2. Secundo anno Darii, 70. annus captiuitatis Hierusalem impletur, *Zacharia* propheta teste. Apud quem secundo anno Darii Angelus sic loquitur: Domine exercituum, vsque quo tu nõ misereberis Hierusalem, & vrbium Iudæ, quibus iratus es? Iste 70.annus est,&c. Secundo anno Darii Templũ *Hierosolymis* extruitur à *Zorobabel*,consummaturq; opus annis 4. Remissio quidem captiuitatis Iudæorum,& venia Templi ædificandi,sub Cyro exordium habuit,consummatur vero Templum sub Dario:quia vicinæ gentes assiduis incursionibus ædificationem impedierunt. 3. Armodius & Aristogiton Hippascum tyrannum interfecerunt,& Lena meretrix,eorum amica,cum tormentis cogeretur,vt socios proderet, linguam suam morsu amputauit. 4. Olimp.62. 5,6. Sexto Darii anno, Templi ædificatio completur die tertio mensis Adar, qui est 46. annus, ex quo eius sub Cyro fundamenta iacta sunt. Vnde in Euangelio dixerunt Iudæi 46.annis ædificatum est Templum hoc. Cœperunt autem ædificare anno secundo Darii, mense sexto.die 19. & anno sexto(vt dictum est)mense 2.die tertio compleuerunt. 7,8. Olimp.63. 9.

Cassiodorus sic. Reges Latini. Latinus rex annis 32.à quo Latini sunt appellati. Huius imperii anno 25. Troia capta est,ad quem *AEneas* profugus venit factusque est gener eius, cui etiam successit in regnum. 3. *AEneas*, post octo annos Troiæ captæ, regnauit in Italia annis tribus. 31. Ascanius,filius eius, regnauit annis 38. 70. Siluius Æneæ filius ex Lauinia,regnauit annis 29. *Homerus* poeta tunc temporis fuit. 101. *AEneas Siluius* regnauit annis 31. 151. Latinus Siluius regnauit annis 50.Huius temporib⁹ Amazones Asiam vastauerũt,& Carthago cõdita est,à Carcedone Tyrio. *Salamon* quoq; *Dauid* filius regnans Hierosolymis Templũ famosissimum cõdidit. 290. Alba Siluius regnauit annis 39. 214. Ægyptus Siluius regnauit annis 24. 242. Capis Siluius regnauit annis 28. 252. Carpentus Siluius regnauit annis 13. 263. Tiberius Siluius annis 8. 303. Agrippa Siluius regnauit annis 40. 322, Aremulus Siluius regnauit 19. 359. Auentinus Siluius annis 37. 380. Procas Siluius annis 23. 425. Amulius Siluius annis 43.qui fratrem suum Numitorẽ regno expulit,cuius tẽpora isti applicata sunt.463. Reges Romani.Romulus regnauit annis 38.à quo Roma condita,& ex Latinis Romani dicti.Hic primum 100.constituit Senatores.Huius temporibus Siracula & Catina in Sicilia conditæ sunt. 504. Numa Pompilius regnauit 41. qui duos menses addidit anno Ianuarium & Februarium,cum antea decem tantum menses apud Romanos fuissent.Capitolium quoq; à fundamentis cõstruxit. Cuius etiam temporibus Sibylla in Samo insignis habetur. 536. Tullus Hostilius regnauit annis 32.qui primus apud Romanos purpura vsus est. Cuius temporibus Chalcedon conditur,& Bizantium, quod nunc Cõstantinopolis appellatur.559. Ancus Martius annis 23. qui 16. miliario ab vrbe Roma Ostream condidit. 596. Tarquinius Priscus annis 37. Huius tẽporibus Massilia in Galliis condita est. 630. Seruius Tullus annis 34. qui primus censum instituit ciuiũ Romanorum.His temporibus apud Persas Cyrus primum regnare cœpit. 665. Tarquinius Superbus annis 35.His temporibus Pythagoras Samius,physicus philosophus,claruit.Expulso autẽ vrbe Tarquinio, bini Consules cœperunt pro vno rege annis singulis administrare Rempub.Hæc dixit Cassiodorus. Ab anno quoq; tertio *Samsonis*,qui est octauus annus post captam Troiam, vsq; in annum nonum Darii regis Persarum,hoc est vsq; in annum 78.quintę ætatis,sunt.666.anni,iuxta Cassiodorum. Secundũ autem Hebræos.640. anni. Desunt igitur(teste Cassiodoro)26.anni in tanto spatio, secundum computationem Hebræorum. Initium Consulum Romanorum. Pulsis ab vrbe regibus, vix vsq; ad 15.lapidem Roma tenebat imperium. Mare obtinuerunt Aginetæ annis 20.vsque ad transitum Xerxis. *Eusebius* sic Romanorum reges 7. à Romulo vsq; ad Tarquinium Superbũ, imperauerunt annis 240.siue(vt quibusdã placet)243. 11. Romæ post actos reges primum Consules à Bruto esse cœperunt. Deinde Tribuni plebis,ac Dictatores,& rursum Cõsules Rempublicã obtinuerunt per annos ferme 464.vsq; ad Iuliũ Cęsarẽ qui primus singulare arripuit

arripuit imperium. Olimpiade 183. 12. Olimp.64. 13.14. Valerius, Bruti collega, obiit adeo pauper, vt collatis à populo nummis sumptum habuerit sepulturæ. 15.16. Olimp.65. Censu Romæ agitato, inuenta sunt hominum 120. millia. 17. Nono anno post reges exactos, noua dignitas Romæ est creata, quæ Dictatura appellatur, maior quam Consulatus. Eodem etiam anno Magister Equitum factus est, qui dictatori obsequeretur. 18.19. Macedonum Alexander annis 43. 20. Olimp.66. Dictator primus Romæ fuit Largius, & Magister Equitum primus Spurius Cassius. 21. Hellanicus Historiographus, & Democritus physicus claruerunt. 22. Heraclitus cognomento Tenebrosus, & Anaxagoras, physici, clari habentur. 23.24. Olimp.67. Pythagoras philosophus moritur. 25. Volsci Coriolos ciuitatem, quam habebant optimam, perdiderunt, à Romanis sublatam, ipsis quoque victis quia rebellauerunt. 26.

Æschilus, Tragœdiarum scriptor, agnoscitur. 27.28.

Olimp.68. Romæ populus à patribus facta seditione discedit. 29. Quintus Martius, Dux Romanus, qui Coriolanos ceperat, à Roma expulsus, ad ipsos Volscos iratus contendit, auxilia accepit, Romanos sæpe vicit, pacem oblatam repudiauit, ad quintum milliarium patriam oppugnaturus accessit, sed tandem interuentu matris suæ Veturiæ & vxoris Volumniæ ab vrbe remouit exercitum. 30. Bellum quod in Marthone gestum, est, & ea quæ Demilii ascribuntur. 31.32. Olimp.69. Pinnassis poeta habetur illustris. Trecenti viri nobiles, qui ex Fabia familia erant, soli contra Veientes bellum susceperunt, & omnes in ea pugna occisi sunt. 33. Cum in Algido monte Romani milites obsiderentur, à Dictatore Lucio Quintio Cincinnato liberati sunt. 34. Ægyptus recessit à Dario. Gelo obtinuit Siracusas. 35. Pindarus & Simonides Lyrici poetæ insignes habentur. 36. Olimp.70. Romæ virgo Pompilla deprehensa in stupro, lviua defossa est.

Persarum quintus, Xerxes filius Darii annis 20. 1.2. Xerxes Ægyptum capit. 55.
Aristides cum ignominia eiicitur. 3.

Choerilus, & Eriniſſemus illustres habentur. 4. Olimp.71. Diagoras agnoscitur, & sectatores eius physici philosophi. 5. Xerxes, cum Athenis venisset, incendit vrbem sub principe Gellio. 6. Bellum quod in Thermopoli gestum est, & apud Saliminam nauale certamen. 7. Athenienses Pireum muro vallant. 8. Olimp.72. 9.10.11. Hieron post Gelonem Siracusis tyrannidem exercet. 12. Olimp.73. 13.14. Themistocles in Persas fugit. 15. Sophocles tragœdiarum scriptor, primum ingenii sui opera publicauit. 16. Olimp.74. Romæ virgo Suma deprehensa in stupro, viua defossa est. 17. Sophocles & Euripedes clari habentur. Herodotus historiarum scriptor agnoscitur. Basilides & Diagoras Athenis plurimo sermone celebrantur.

Olimp.75. Xeuxis pictor agnoscitur, ex cuius imaginibus, quas plurimas inuitatus fecerat, alii Lauacrum Bizantiorum appellatum arbitrantur. Themistocles hausto tauri sanguine obiit. *Socrates* nascitur. Lapis in Egis flumen Trachiæ parte, Olimpiadis 75. anno secundo cadit, è solis magnitudine calore adusto, qui lapis etiam nunc ostenditur. Persarum sextus, Artabanus mensibus 7. vsque ad mensem Nouembris.

Persarum 7. Artaxerxes, qui Longimanus appellabatur, annis 40. 1. Ea quæ de 95.
Hester & *Mardocheo* scripta sunt, quidam affirmant sub hoc rege gesta: quod ego non puto. Nunquam enim *Hesdras* de *Hester* siluisset, qui scripsit hoc tempore *Hesdram* & *Nehemiam* reuersos ex Babylone, & ea deinceps consecuta, quæ ab iis gesta sunt. 2. Sicilia à populo regebatur. 3. Cymon iuxta Eurimedontem Persas nauali pedestrique certamine superat, & Medicum bellum conquiescit. Solis facta est defectio. 4. Olimp.76. Anaxagoras moritur. Heraclitus clarus habetur. Macedonum Perdicas annis 28. 5.6. *Esdras* sacerdos apud Hebræos insignis agnoscitur, cuius ætate pontifex maximus habitus est *Eliasib* filius *Ioachim*, filii *Iesu*, filii *Iosedech*. 7. Anno 7. Artaxerxis, prima die mensis primi, *Esdras* sacerdos, & scriba legis Domini, descendit de Babylone cum Epistolis regis, & in prima die mensis quinti venit in Hierusalem cum viris mille septingentis. Qui inter alia strenue gesta, castigauit filios transmigrationis ab vxoribus alienigenis. Fuit autem eruditissimus legis diuinæ, & clarus omnium Iudæorum magister, qui de captiuitate regressi fuerant in Iudæam. 8.

Olimp.77. Empodecles, & Parmenides, physici philosophi, notissimi habentur. 9. Zeno & Heraclitus Tenebrosus, agnoscuntur. 10. Pheretides secundus, historiarum scriptor, agnoscitur. 11. Cratinus & Plato comœdiarum scriptores, clari. Romæ Agon centenarius primum actus. Aristarchus tragœdiographus agnoscitur. 12. Olimp.78. Trecentesimo secundo anno ab vrbe condita, decemuiri Consules creati, post annũ eiecti sunt, propter Appiũ Claudium, qui Virginii cuiusdã filiã voluit cotũpere. 13.

Ro-

Romani per legatos ab Athenienſibus iura petierunt, ex quibus 12. tabulæ circumſcriptæ venerunt. 14. Cretes comicus,& Theleſſilla,ac Baſilides,lyrici, clari habentur.Praxilla quoque,& Cleobulina ſunt celebres. 15. Templum Iunonis, quod in Argis fuerat,incenſum eſt.Habaris Hiperboranus Ariolus agnoſcitur. 16. Olimp.79.Tribuni plebis Ædiles Romæ facti ſunt, Conſulibus eiectis. 17.18.19.20. Olimp.80.

CAP. XXXI.

NEhemias Hebræus,miniſter vinarius regis Artaxerxis, concedente ſibi domino ſuo, 20.anno,de Babylone venit in Iudęam,& 32.muros vrbemq; reſtituit. Scribit *Eſdras*, ſub pontifice Iudææ *Eliaſib* (cui ſucceſſit *Iohannes* filius ſuus qui temporibus Alexandri Macedonis fuit)opus fuiſſe completum. *Beda* ſic. *Nehemias*, pincerna regis Artaxerxis,de Suſis caſtro de Babylone veniens Hieruſalem, muros ciuitatis 52. diebus reſtituit, & Ducatum genti annis 12.præbuit. Huc vſq; Hebræorum diuina ſcriptura temporum ſeriem continet. Quæ vero poſt hæc apud Iudæos ſunt geſta, de libro Macabæorum,& *Ioſephi*, & Aphricani ſcriptis exhibentur, qui deinceps vniuerſam hiſtoriam vſq; ad Romana proſecuti ſunt tempora. Aphricanus quidem, in libro quinto temporum, ita dicit:manſit itaq; imperfectum opus vſq; ad *Nehemiam* & 20.annum regis Artaxerxis. Quo tempore regni Perſarum 115.anni euoluti ſunt: Captiuitatis autem Hieruſalem 185. annus erat,& tunc primum Artaxerxes iuſſit muros exſtrui Hieruſalem. Cui operi præfuit *Nehemias*, & ædificata eſt platea, & muri circundati. Et ex illo tempore ſi velis numerare 70.annorum Hebdomadas, vſq; ad Chriſtum poteris venire. *Beda*. Septima ſpecies hebdomadis eſt,qua propheta *Daniel* vtitur,more quidem legis 7.annis ſingulas computans hebdomadas,ſed ſolito more breuius,id eſt,ſolaribus annis.Duodenis enim menſibus Lunæ annos ſingulos determinans: emboliſmos autē menſes,qui de annis 11. epactarum crescunt,nō lege ſolita,tertio vel altero anno adiiciens. Sed vbi menſes 12. emboliſmorū impleti fuerint,ibi eos pro anno integro interſerit. Et ita angelus ad eū dicens 70.(inqt) hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum,& ſuper vrbem ſanctam tuā, vt conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, deleaturque iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna,& impleatur viſio,& prophetia,& vngatur Sanctus Sanctorum. *Beda*. Nulli dubium eſt, quin hæc verba, Chriſti nuncient incarnationem,qui tulit peccata mundi,legē & prophetiam impleuit,vnctuſq; eſt oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Et nulli dubiū, quod hebdomades 70.annorum lunarium, menſiumque 12. in vnoquoque anno per ſeptenos annos diſtinctæ, 490. annos lunares abſque emboliſmis menſibus inſinuent. Sed notandum eſt, quod non ſimpliciter ſed breuiter, eas dixit computatas,id eſt,breuiores ſolitis annis. Scito ergo (inquit)& animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem, vſque ad Chriſtum Ducem hebdomades 7. & hebdomadas 62. erunt. Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporis. *Beda*. *Eſdra* narrante didicimus quod *Nehemias*, cum eſſet pincerna regis Artaxerxis,anno 20.regni eius,menſe Niſan, id eſt Aprili, impetrauit ab eo reſtaurari muros Hieruſalem: ipſumque opus (vt dictum eſt) tanta temporis anguſtia eſt actum,vt ſtructores ſinguli armis induti, vna manu pugnaſſe, altera murum reparaſſe narrantur. Ab hoc igitur tempore,id eſt,ab anno 20. Artaxerxis, vſque ad Chriſtum hebdomadas 70.computa, id eſt, annos duodenorum menſium lunarium 490. qui fiunt ſolares anni 475. Siquidem Perſæ à præfato anno 20. Artaxerxis, vſque ad mortem Darii, Arſami filii,regnauerunt annis 116. Ex hinc Macedones, vſque ad mortem Cleopatræ,annis 300. Inde Romani vſque ad 17.annum Tiberii ſummam rerum poteſtatem,quam Græci Monarchiam vocant,tenuerunt annis 59.qui ſimul ſunt 475.& continentur ciclis decemnouenalibus 25.Decies nouies enim viceni &quini fiunt 475. anni. Et quia ſingulis circulis emboliſmi ſeptem accreſcunt, multiplica 25.per 7. fiunt 175. menſes lunares, qui ſunt emboliſmi menſes annorum 475. Si autem vis ſcire quot annos lunares faciunt, partire 175. menſes per 12. duodeni menſes decies,& duodeni quater,id eſt, 168.menſes, anni ſunt 14. & remanent menſes 7. His adde annos 475. fiunt 489. Adde menſes 7.ſupra, partemque anni 18. Tiberii, quo paſſus eſt Dominus: fiuntque ab anno 20. Artaxerxis vſque in paſſionem Domini hebdomades 70.abbreuiatæ, id eſt, anni lunares 490. Ad eius vero baptiſma, quando vnctus eſt Sanctus Sanctorum à Spiritu Sancto,in columbæ ſpecie,non ſolum hebdomades 7.& 62.completæ ſunt, ſed & pars 70. hebdomadis iam inchoatæ præterit. Et poſt hebdomadas (inquit) ſeptem, & ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Non ſtatim poſt 7.& 62 ſed in fine 70. hebdomadis eſt occiſus.Quam hebdomadā ideo ſeparauit à cæteris, quia de ea pluta relaturus erat. Nam in ea Chriſtus crucifixus erat, & ne-

& negatus à Iudæis, non solum in tempore passionis, sed etiam à prædicatione *Iohannis*. Quod autem sequitur, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo & finis, & vastitas, & post finem belli, statuta desolatio. Hoc non ad 70. hebdomadas pertinet. Prædictum est enim quod hebdomades 70. ad Christi vsque Ducatum pertingerent. Sed scriptura prædicto aduentu & passione Christi qui etiam posthæc populo neganti eueniret ostendit. Ducem enim venturum dicit Titum, qui anno 42. passionis cum populo Romano ciuitatem & sanctuarium dissipauit, vt lapis super lapidem non remaneret: deinde ad exponendam hebdomadam, quam omiserat redit. Confirmabit autem pactū multis hebdomada vna, id est, ipsa nouissima, in qua vel *Iohannes* baptizans, vel dominus & Apostoli prædicando multos ad fidem conuerterunt, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Dimidium hebdomadis huius annus, 15. Tiberii erat: quando inchoato Christi baptismate, hostiarum purificatio fidelibus paulatim cœpit vilescere. Item quod sequitur, & in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad finem & consummationem perseuerabit. Desolatio, ad sequentia tempora respicit. Cuius prophetiæ veritatem, & historia veterum & nostrorum, hodieque temporum testatur euentus. Sciendum est autem quod Aphricanus cursum hebdomadum, quem nos in annum 17. vel 18. Tiberii Cæsaris, quo dominum passum credimus, iuxta chronicam *Eusebii*, perduximus, ab eodem 20. anno Artaxerxis, quo & nos incipiens, anno 15. Tiberii, quo eum passum credit, putat esse completum, ponens annos regni Persarum 115. Macedonum 300. Romanorum 60. Hæc *Beda*. De hac erga summa ab anno 20. Artaxerxis vsque in passionem domini, deme annos 80. quos à præfato anno vsque Assuerum Hieronymus numerauit, & tunc 395. iunge annis 397. à prima Olimpiade vsque in postremū Assueri (vt Hieronymus tractat) fiunt anni 792. vsque in passionem, id est, Olimpiades 198. Demptis item 33. annis de hac summa fiunt vsque ad natiuitatem Domini ab Olimpiade prima anni 760. id est, Olimpiades 190. A *Dauid* autem vsque Olimpiadem primam anni sunt 302. Ab Olimpiade prima vsque ad captiuitatem & combustionem Templi, anni sunt 171. & 6. menses. Hoc modo. Ioatham annis 16. Achaz, 17. 61. Ezechias 29. 116. Manasses 55. 55. Amon. 2. 149. Iosias 31. Ioachaz, à 4. Calendarum Ianuarii, quo *Dauid* obiit, regnauit mensib. tribus, vsque ad Calendas Aprilis. 160. Eliachim 11. Iechonias menses tres, & dies 10. vsque in mensem Iulii. Sedechias annis 11. In anno igitur primo Cyri, annus 30. desolationis Templi impletus est, & in medio octaui anni Cambisis, completus est annus 67. Adde menses 7. supra, ad dimidium annum Cambisis, fit annus 68. vsque ad Calendas Augusti. Fratres Magi menses 7. vsque ad Cal. Aprilis, hoc est vsque ad annum primum Darii. In anno igitur secundo Darii (sicut dixit Hieronymus) annus 70. captiuitatis completus est. 35. Darius 36. 55. Xerxes annis 20. Artabanus menses 7. vsque ad Calend. Nouembris. 95. Artaxerxes filius Largi, annis 40. Xerxes menses 2. vsque ad Cal. Ianuarii. 96. Post quem Sogdianus menses 7. vsq; ad Cal. Aug. Adde menses 7. Artabani, & mēses duos Xerxis, fit annus & 4. mēses. 95. Darius Nothus 19. 155. Assuerus 40. 181. Ochus 26. 185. Xerxes 4. 191. Darius annis sex. 197. Alexander annis 6. 237. Ptolemæus filius Largi annis 40. 275. Ptolemæus Philadelphus annis 38. 301. Ptolemæus Euergetes annis 26. 318. Ptolemæus Philopater annis 17. 341. Ptolemæus Epiphanes annis 24. 377. Ptolemæus Philomater annis 35. 406. Ptolemæus Euergetes annis 29. 424. Ptolemæus Sother annis 17. 433. Ptolemæus Alexander annis 10. 441. Ptolemæus Phiscon annis 8. 471. Ptolemæus Dionysius annis 30. 473. Cleopatra annis 2. 478. Caius Iulius annis 4. mensibus 6. vsque ad Cal. Martii. Adde menses 5. ante, fiunt menses 10. 529. Octauianus Augustus 41. annis, vsq; in annum, quo natus est Dominus, & mense Martio incipit annus 42. His annis 519. adde annos 70. captiuitatis, fiunt anni 589. vsque ad annum Natiuitatis. Ii sunt anni quintæ ætatis, id est, Olimpiades 147. atque vnus dies. Adde etiam his annos 171. à prima Olimpiade vsque ad captiuitatem, qui sunt Olimpiades 43. minus mensib. 7. fiunt anni 760. id est Olimpiades 190. vsque ad solstitium brumale in parte duodecima Capricorni: in qua Græci incipiunt annum etiam cum Olimpiade, vt putatur. Et Dominus natus est in fine anni 42. Octauiani Cæsaris, in principio Olimpiadis 191. iuxta veritatem Hebraicam. De eadem ipsa summa à prima Olimpiade deme. 20. annos id est, 16. Ioathan & 4. Achaz, id est Olimpiades 5. fiunt à conditione vrbis vsq; ad annum natiuitatis domini anni 740. Vsq; in passionis vero annum ab Olimpiade prima anni sunt 794. id est Olimpiades 198. & anni duo. 21. Athenienses & Lacedæmones fœdus 30. annorum ineunt. 22. Herodotus, cum Athenis libros suos in Concilio legisset, honoratus est. 23. Melissus physicus clarus. 24. Olimp. 81. Euripedes tragœdiarum scriptor cla-

clarus. 25. Prothagoras sophista clarus habetur. Cuius libros decreto publico Athenienses combusserunt. 26. Romæ rursum Consules creati. 27. Phicides eburneam Mineruam fecit. Et Fidenates contra Romanos rebellant. Theetetus Mathematicus agnoscitur. 28. Olimp. 82. Aristophanes clarus habetur, & Sophocles poeta tragœdus. 29. Gens Campanorum in Italia constituta. 30. Democritus Abderites Empedocles, & Hippocrates medici. 31. Gorgoas, Hispias, Prodicus, Zeno, Parmenides, philosophi, insignes habentur. 32. Olimp. 83. Socrates plurimo sermone celebratur. *Nehemiam*, qui cõstruxit muros Hierusalem, consummasse opus 32. anno Artaxerxis, regis Persarum commemorat Esdras. 33. Initium belli Peloponesiaci. Macedonum 11. Archelaus annis 24. 34. Basilides, carminum scriptor, agnoscitur. 35. Athenienses pestilentia laborant. 36. Olimp. 84. Thicitides agnoscitur. Pericles moritur. 37. Eupoles & Aristophanes, scriptores comœdiarum clari. 38. Ætna mons ignem emisit. 39. Terræ motu apud Locrenses scisso Atlante monte, facta est Insula. 40. Plato nascitur.

96 Persarum octauus, Xerxes mensibus duobus, vsque ad Cal. Ianuarii.

115 Persarum nonus. Sogdianus mensibus 7. vsque ad Cal. Aug. His adde menses 7. Artabani, fit annus, & menses 4. Darius Nothus, annis 19. 1. Lacedæmones & Athenienses fœdus percutiunt. 2. Eudoxus Gnidius clarus habetur. 3. Olimp. 86. Lacedæmones Heracleam vrbem condunt. 4. Clades quæ Athenienſib⁹ accidit sexto in Sicilia. 5,6,7. Olimp. 87. 8. Ægyptus à Persis recessit, & regnauit Amaxicus annis sex. 9,10,11. Olimp. 88. Alcibiades profugus abiit ad Tisaphernem. 12. Euboea ab Athenienſium societate discessit. 13. Macedonum. 12. Cresies annis 7. 14. Olimp. 89. 15. Dinastia 28. Ægypti. 16. Euripides apud Archelaum. & Sophocles Athenis moritur. Dionysius in Sicilia tyrannidem exercet. 17,18. Ægyptiorum 29. Dinastia, Nepherites annis 6. 19. Olimp. 90.

155 Persarum, Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darii & Paristidis filius, annis 40. Sub hoc rege, mihi videtur historia, quæ in libro *Hester* continetur, expleta. Ipse est quippe qui ab Hebræis Assuerus, & à 70. Interpretibus Artaxerxes vocatur. 1. Macedonum 13. Archelaus annis 4. 2. Dionysius Siracusis tyrannidem exercet. 3. Athenienses sustinent tyrannidem. 4. Olimp. 91. Socrates rhetor agnoscitur. 5. Macedonum 14. Amyntas anno vno. Ægyptiorum, Achoris annis 12. 6. Democritus moritur. Macedonũ, Pausanias anno vno. Tyrannus Athenis oppressus. Socrates venenũ bibit. Alcibiadem Tisaphernes interficit. Cyri regis ascensus, de quo scribit Zenophon. 7. Athenienses 24, literis vti cœperunt. cũ antea 16. tantũ literas haberent. Macedonũ Amyntas annis 7. 8. Olimp. 92. Zenophõ, filius Griliri, & Etesias clari habentur. 9. Templum Ephesi rursum incenditur. Socratici clari habentur. 10. Diogenes Cynicus clarus. Speusippus insignis. 11,12. Olimp. 93. Dionysius in tyrãnide perseuerat. 13. Carthaginensium bellũ famosum. Macedonũ, Atheus annis duobus. 14. Eudoxus astrologus agnoscitur. 15. Macedonum, Amyntas annis 18. 16. Olimp. 94. Galli Senones Romam inuaserunt excepro Capitolio. 17. Ægyptiorum, Psamutes anno vno. Plato philosophus agnoscitur. 18. Tribuni militares pro Consulibus esse cœperunt. Ægyptiorum. Nepherites menses 4. Ægyptiorum, Nectanabus annis 14. 19. Euagoras in furorem versus est, cum regnaret Cypri. 20. Olimp. 95. 21, 22, 23, 24. Olimp. 96. 25. Magno terræ motu facto Helica & Bura Peloponnesi vrbes absorptæ sunt. 26,27. Prænestini à Romanis victi, apud flumen Hallam, per Titum Quintium Cincinnatum. 28. Olimp. 97. *Hester* historia scribitur *Hieronymo* teste. 29. Athenienses principes Græciæ facti. 30. Socrates rhetor agnoscitur. 31. Plato, & Zenophon, necnon & alii Socratici clari habentur. 32. Olimp. 98. 33. Macedonum, Alexander anno vno. 34. Macedonũ, Ptolemæus Salorites annis 4. 35, 36. Olimp. 99. 37. Ægyptiorum, Theo annis duobus. 38. Dionysius rex Siciliæ anno 18. moritur. Theo rex Ægypti fugit in Arabiã. Macedonũ, Perdicas, annis 6. Post Dionysium, regẽ Siciliæ, iunior Dionysius regnũ inuadit 39. Aristoteles 18. ætatis annum agens, adiutor fit Platonis. Ægyptiorum, Nectanabus annis 19. 40. Olimp. 100. Huc vsq; à Phacea rege Israel, sub quo Salmanasser multa millia populi vastauit, tractat *Hieronymus* captiuitatem decẽ tribuum Israel annos 390. super prophetam *Ezechielem*.

181 Persarum, Artaxerxes, qui & Ochus, annis 25. 1. Temporibus Ochi immensa per continuum biennium Romanos pestis afflixit, sequentiq; anno sequutũ est satis triste prodigium, Siquidẽ in medio vrbis Romæ terra dissiliit, vastoq; prærupto hiantia subito patuerunt inferna. Quod cum diutius ita maneret, terroremque cunctis inferret, tandẽ interpre-

terpretantibus aruſpicibus quod viui hominis ſepulturam expectaret, Marcus Curtius, eques Romanus, ſeſe in id barathrum armatus proiecit, ſicque concluſum eſt. 2. Alexander Pheræus agnoſcitur. 3. Camillus Gallos, qui bellum Romanis intulerant, ſuperatiſq; Romanis, etiam Capitolium qui obſidebant grauiſſime, vicit. 4. Olimp. 101. Macedonum, Philippus annis 26. 5. Demoſthenes orator agnoſcitur. 6. Ochus Aradaſmo Iudæorum capta, in Hircaniam accolas translatos iuxta mare Caſpium collocauit. 7,8. Olimp. 102. 9. Dionyſius è Sicilia pellitur. 10,11. Alexander Magnus, Philippi & Olimpiadis filius, naſcitur. 12. Olimp. 103. Dionyſius Siracuſis interficitur. 13. Poſt quem Hipparinus, filius eius, Siracuſis tyrannidem exercet. 14. Hetrinna pœtria agnoſcitur. Ochus Ægyptũ obtinuit, Nectanabo in Æthiopiam pulſo, in quo Ægyptiorũ regnum deſtructum eſt. Sidoniam ſubuertit. 15,16. Olimp. 104. 17,18. Demoſthenes orator omnium rumore celebratur. 19. Romani Gallos ſuperant. Dionyſius Corinthum ſub fœdere nauigauit. 20. Olimp. 105. Plato moritur. Poſt quem Academiam Speuſippus tenuit. 21. Romani cum Samnites duobus præliis ſuperaſſent, vniuerſos confines ſuos, qui à ſua ſocietate diſceſſerant, in ditionem propriam redegerunt. 22,23,24. Olimp. 106. Dionyſius Corintho expulſus. 25. Deſcriptione Romæ facta, inuenta ſunt centum ſexaginta millia.

Perſarum 13. Xerxes, Ochi filius, annis 4. 1. Iudæorum pontifex maximus Iaddus clarus. 185. 2. Speuſippus moritur, cui ſucceſſit Xenocrates. 3. Olimp. 107. 4. Macedonum, Alexander Magnus, Philippi filius, annis 12. menſibus 6.

Perſarum 14. Darius, Xerxis filius, annis 6. 1. Manaſſes, frater Iaddi, pontificis Iudæorum, templum in monte Garizi conſtituit. 191 2. Alexander aduerſum Illiricos & Thraces fœliciter dimicans, ſubuerſis Thebis in Perſas arma corripuit, & apud Granicũ flumen regis Darii ducibus oppreſſis, vrbem Sardis capit. 3. Olimp. 108. Romanorũ Conſul Manlius Torquatus, filium ſuum, quod contra imperium in hoſtem pugnatum iret, virgis cæſum ſecuri percuſſit. 4. Alexander, capta Tyro, Iudæam inuadit à qua amice exceptus, victimas immolat Deo, & pontificem templi honoribus plurimis proſequitur, Andromacho locorum cuſtode dimiſſo, quem poſtea Samaritani interficiũt. Ob quã cauſam, ab Ægypto reuerſus Alexander, magnis eos ſuppliciis affecit, vrbemq; eorum captam Macedonibus ad inhabitandum tradidit. 5. Alexandria in Ægypto condita ſexto anno regni Alexandri. Quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti ſunt. Alexander obtinuit Babylonem interfecto Dario, in quo regnum Perſarum deſtructum eſt, quod ſteterat annis 231. A 20. anno Artaxerxis, Perſæ regnauerunt vſque huc, annis 116. 1. Olimp. 109.

Cap. CXCVII.

Perſarum 15. Alexander in anno 7. regni ſui, ſuper Aſiã regnauit annis ſex poſt mortem Darii. Alexander Macedo annis quinq;. Huius quinq; anni poſtremi in ordine temporum numerantur, quibus monarchiam obtinuit, nam 7. priores in Perſarum regibus ſupputantur. Anaximenes & Epicurus clari habentur. 2. Alexander Hircanos & Parthos capit: Ornim quoque Petram & Indicum tranſgreditur amnem. 3,4. Bellum Alexandri in India aduerſus Porum & Taxilem. Arpallus fugit in Aſiam. 5. Olimp. 110. Romani Samnites ſubigunt, & colonias deducunt. Alexandri tempore luna defecit in Arabia hora noctis ſecunda, eademq; in Sicilia exoriens. 6. Alexander Indicum vſque Oceanum victoriis potius quam bellis peruenit, ac Babylonem reuerſus 32. vitę, regni autem 12. anno, veneni hauſtu obiit. Poſt quem translato in multos imperio, Ægyptum Ptolomæus Lagi filius tenuit. Macedones Philippus, qui & Aridęus, frater Alexandri, Syriam & Babylonem omniaque regna Oriętis Seleucus Nicanor, Aſiæ regnum Antigonus. Qui apud *Danielem* per 4. hirci cornua, qui arietem contriuit, deſignantur.

Ægyptiorum primus, regnauit Ptolomæus, filius Lagi, annis 40. 1. Appius Clau- 237 dius, Conſul Romanus, Romæ clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam ſtrauit. Macedonibus imperauit Philippus, qui & Aridæus, frater Alexandri, annis 7. 2. Lidiam & Thraciam & Helleſpontum Lyſimachus tenuit. Macedonum duces in ſeditionem verſi. Agatocles Syracuſis tyrannidem exercet. Lamiacum bellum motum. Perdicas contra Ægyptios dimicat. 3. Olimp. 111. Ptolomæus, Lagi filius, Hieroſolymis & Iudæa in ditionem ſuam dolo redactis, plurimos captiuorum tranſtulit in Ægyptum. 4. Iudæorum pontifex maximus Onias, filius Iaddi, clarus habetur. Theophraſtus Philoſophus agnoſcitur, qui ob diuinitatem loquendi, vt ait *Cicero*, nomen accepit. Menander claruit. 5. Demetrius Phalereus habetur illuſtris. 6. Romani Samnites,

contra se diutissime præliantes, ad extremam seruitutem redigunt. 7. Olimp.112. 8. Menedæmus & Speusippus philosophi insignes. Macedonum, Cassander annis 19. 9. Romani Marsos & Cimbros & Pelignos superant. 10,11. Olimp.113. Cyprum Ptolemæus inuasit. Theodorus Athenus agnoscitur. 12. Demetrius Phalereus ad Ptolemæum veniens impetrauit vt Athenienſibus demum Græcia redderetur. 13. Syriæ & Babyloni, & superioribus locis imperauit Seleucus Nicanor annis 32. 14,15. Olimp.114. 16,17. Macabæorum Hebræa historia, hinc Græcorum supputat regnum: verum hi libri inter diuinas scripturas non recipiuntur. 18,19. Olimp. 115. 20,21. Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Seleuciã, Apamiam, Ediſſam, Beroeam, & Pellam vrbes condidit. 22,23. Olimp.116. 24. Quarum Antiochiam 12. regni sui anno exstruxit, Seleucus Babylonem obtinuit. Iudæorum pontifex maximus Simon, Oniæ filius, clarus habetur: cui cognomentum Iustus fuit, propter solicitam in Deum religionem, & in ciues suos pronam clementiam. 25. Asiæ, Demetrius, qui & Polyarches, annis 16. 26,27. Olimp.117. Macedonum, filius Cassandri annis 4. 28. Demetrius rex Asiæ, cognomento Polyarches, Samaritarum vrbem vastat, quam Perdicas ante construxerat. 29,30. Censu Romæ agitato inuenta sunt ciuium Romanorum 260. millia. 31. Olimp.118. Legati Alexandrini à Ptolemæo primum Romam missi, amicitias impetrauerunt. Macedonum, Demetrius annis 6. 32. Menander comicus moritur. 33. Romani Gallos Tyrrenosque superant, & Sabinorum terra diuiditur. 34. Seleucus in eas vrbes, quas exstruxerat, Iudæos transfert, ius eis ciuium, & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. 35. Olimp.119. 36,37. Iudæorum pontifex Eleazarus, frater Simonis, suscepit templi ministerium, filio Simonis Onia paruo admodum relicto. Macedonum, Pirrhus menses 6. Seleucus, capto in Cilicia Demetrio, Syriæ & Asiæ pariter imperauit. 38. Macedonum, Lisimachus annis 5. 39. Olimp.120. Serapis ingressus est Alexandriam. 40. A Romanis conditæ sunt vrbes, Ariminus, & Beneuentum.

275 Ægyptiorum Ptolemæus Philadelphus annis 38. 1. Sostratus Guidius Faram in Alexandria construxit. Antigonus Lacedæmoniam obtinuit. Demetrius semetipsum Seleuco tradidit. 2. Ptolemæus Philadelphus Iudæos, qui in Ægypto erant liberos esse permisit, vasaque Eleazaro pontifici Hierosolymorum votiua transmittens, diuinas scripturas in Græcam vocem ex Hebræa lingua, per 70. interpretes, transferri curauit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit: quam sibi ex omni genere literaturæ comparauerat. 3. Olimp.121. Macedonum, Ptolemæus cognomento Ceraunus, anno vno, Meleagrus mensibus duobus. Antipater dies 45. 4. Post quem Sosthenes annis duobus. Tantæ autem potentiæ fuisse narratur Ptolemæus Philadelphus, vt Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ eum habuisse peditum 200. millia, equitum 20. millia, curruum 2. millia: elephantes, quos primus adduxit ex Æthiopia, 400. & his similia. Syriæ & Asiæ, post Seleucum regnauit Antiochus Sother annis 19. 5. Antigonus regit Macedones annis 36. 6,7. Olimp.122. 8. Vna virginum Romanorum in corruptione deprehensa, percutitur. 9,10. Milo Romanis Tarentum tradidit. 11. Olimp.123. 12. Romani Calabriam Messanamque tenuerunt. 13. Aratus agnoscitur. 14. Argenteus nummus primum in vrbe figuratur. 15. Olimp.124. Polemo philosophus obiit. 16. Post quem Archesilaus, & Crates clari habentur. 17. Romani colonias deduxerunt, multæque vrbes in Sicilia eis iunctæ. 18,19. Olimp.125. Romæ virgo vestalis in stupro detecta, laqueo vitam finiuit. 20,21. Zeno, Stoicus, moritur. Post quẽ succedit Cleanthes. 22. Romani Siracusas capiunt. 23. Olimp.126. Nicomedes, rex Bithiniæ, Astacum vrbem amplians, Nicomediam vocat. 24. Syriæ, Antiochus, qui vocabatur Theos, annis 15. 25. Romani Carthaginenses nauali certamine superant, & centum Libiæ vrbes capiunt. 26,27. Olimp.127. 28. Erasistratus medicus clarus. 29. Antigonus Athenienſibus reddidit libertatem. 30. Iudæorum pontificatũ, post Eleasarum, auunculus eius Manasses accepit. 31. Olimp.128. 32. Carthaginenses 90. Romanorum naues in Sicilia capiunt, Metello Consule in fugam verso. 33,34,35. Olimp.129. Parthis à Macedonum imperio recedentibus, primus regnauit Arsaces, vnde 301
Arsacidæ dicti sunt. 36,37,38. Ægyptiorum 3. Ptolomæus Euergetes annis 29. 1. Olimp.130. Iudæorum pontifex Onias, Simonis Iusti filius, clarus habetur, qui consueta Ptolemæo regi tributa non reddens, iram eius impulit. Verum *Ioſephus* (vir inter suos nobilis) legatus à Iudæis ad Ptolemæum missus, cum familiaritatem regis ob plurima in eum meruisset obsequia, Dux Iudææ & finitimarum regionum constituitur. 2. Syriæ, Seleucus Gallinicus, annis 20. 2,3. Romæ templum Vestæ incensum. 4,5. Olimp.131.

Mace-

Macedonum, Demetrius annis decem. 6. Quintus Ennius poeta Tarenti nascitur. 7,8. Qui à Catone Quæstore Romæ translatus habitauit in monte Auentino, paruo admodum sumptu contentus, & vnius ancillæ ministerio. 9. Olimp. 132. 10,11.12. Virgo vestalis Romæ à seruo corrupta, propria se manu interimit. 13. Olimp. 133. 14. Iudæorum pontifex Simon, Oniæ filius, clarus habetur. Sub quo Iesus, filius Sirach, Sapientiæ librum componens, quem vocant Panarethon, etiam Simonis in eo mentionem facit. 15. Macedonum, Antigonus annis 15. 16. In anno 15. Ptolemæi Euergetis dominica natiuitas secundum Hebræos proueniet, si anni 3952. à capite mundi, hoc est, à 15. Calendarum Aprilis, vsq; ad natiuitatem Domini, iuxta Hebræos computantur, Sancto etiam Beda tractante. 17. Olimp. 134. 18,19,20. Quadraginta ferme millia Gallorum à Romanis cæsa sunt. 21. Olimp. 135. 22. Syriæ, Seleucus Ceraunus, annis tribus. 23,24. Syrię,
318 Antiochus Magnus, annis 36. 25. Olimp. 136. 26.

Ægyptiorum, Ptolemæus Philopator, annis 17. 1,2. Ea quæ in tertio Macabæorum libro scripta sunt, sub hoc principe gesta referuntur. 3. Olimp. 137. Macedonum, Philippus, annis 42. 4,5. Victi Iudæi & 40. millia armatorum ex numero eorum cæsa. 6. Romæ virgines vestæ (ob stuprum) terra obrutæ sunt. 7. Olimp. 138. Herastones agnoscitur. 8. Romani Marcello consule Syracusas capiunt. 9. Romani subigunt Campaniam & Siciliam. 10. Antiochus rex Syriæ, victo Philopatore Ptolemæo, Iudæam sibi sociat. 11. Olimp. 139. 12. Leuinus Consul Romanus cum rege Asiæ Attalo amicitiam facit. 13. Iudæorum pontifex maximus Onias, Simonis filius, insignis habetur, ad quem Lacedæmoniorum rex Arios legatos mittit. 14,15. Olimp.
342 140. 16,17. Scipio vrbes Hiberiæ recipit.

Ægyptiorum, Ptolemæus Epiphanes annis 24. 1. Ptolemæus Epiphanes Scopam principem militiæ mittens, Iudæam capit, & plurimas Syriæ ciuitates. 2. Olimp. 141. Neuius comicus Vticæ moritur, pulsus Roma factione nobilium præcipue Metelli. 3,4. Plautus ex Arsina vmbriæ, Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistori se locauerat. Ibi quoties ab opere vacaret, scribere fabulas, ac vendere solitus est. 5. Iuxta Theram apparuit Insula, dicta Hiera. 6. Olimp. 142. Antiochus, Scopa superato, Syriæ vrbes recipit, & Iudæã. 7,8. Romani Græcos liberos esse iusserunt. 9. Antiochus, Iudæorum erga se cognita voluntate, magnis eos muneribus donat, & per epistolas crebris laudibus prosequitur. 10. Olimp. 143. 11. Post prælium, quo in Thermopolis victus est Antiochus, hoc inter Romanos & eum conuenit, vt mille talenta per annos singulos eis vectigalis nomine solueret. 12,13. Romani multas colonias deduxerunt. 14. Olimp. 144. Antiochus, in amicitiã Ptolemæi regressus, pacem cum eo facit, & Cleopatram filiam eius ducens in vxorem, dotis nomine Syriam, Phœnicem, Samariam, Iudæamq; concedit. 15. Eumenes, frater regis Attali, qui Eumeniam in Phrigia condidit, clarus habetur. 16. Secundus liber Macabæorum apud Iudæos huius temporis gesta continet. 17. Titus Liuius, tragœdiarum scriptor, clarus habetur: qui ob ingenii meritum à Liuio Salinatore (cuius liberos erudiebat) libertate donatus est. Syriæ & Asiæ, Seleucus, qui & Philopator annis 12. 18. Olimp. 145. Cum ab Antiocho per legatos Hannibal reposceretur, cui (à Scipione victus) se sociauerat, ad Prusiam regem Bithiniæ transfugit. 19. Quem cum rursum per Titum Quintum Flaminium Senatus repeteret, cum iam Romanis tradendus esset, venenum bibit, & apud Libissam in finibus Nicomedienſium sepultus est. 20. Simon præpositus templi Hierosolymorum, ad Apollonium Ducem Phœnicis confugiens, multis ei muneribus repromissis, sacerdotium sibi vendicare cœpit. Quo audito Seleucus Heliodorum mittit ad negotium prouidendũ, qui cum in Iudæam peruenisset, inique iudicans, & multa perperam gerẽs, diuinis aduersum se ignis territus, redit ad Seleucum. 21,22. Olimp. 146. 23. Onias sacerdos curauerat vt Simon profugus fieret. 24. Hircanus, *Iosephi* Ducis Iudææ filius, cum ad Ptolomęum perrexisset, honorifice ab eo susceptus est. Verum fratres eius, seditione con-
177 tra eum mota, magnarum calamitatum Iudææ genti causæ extiterunt.

Ægyptiorum, Ptolemæus Philometor, annis 35. 1. Statius Cecilius, comœdiarum scriptor, clarus habetur. 2. Olimp. 147. 3. Aristobulus, natione Iudæus, Peripateticus philosophus, agnoscitur, qui ad Ptolemæum Philometorem explanationum in *Moysen* commentarios scripsit. 4,5. Syriæ & Asiæ, Antiochus Epiphanes, annis 11. Antiochus Epiphanes cum de regione Ptolemæi, quam subito inuaserat, Senatus præcepto recessisset, in Iudæam venit, ibique Iesu, qui & *Iason*, fratri *Oniæ*, pontificatum tradidit, quo deinde expulso, *Onian* cognomento Menelaum successorem ei dedit. 6. Olimp. 148. 7,8,9,10. Olimp. 149. Ob sacerdotii dignitatem orta seditione inter principes, ingentiũ

miseriarum semina pullularunt. 11. Antiochus Epiphanes, anno 145. post regnum Seleuci, id est regni Græcorum, vt *Iosephus* perhibet, die 25. mensis Casleu, id est Decembris, secundum Macedones Apelen, cœpit Hierusalem, tulit decem millia captiuorũ, destruxit muros, ac primum quidem omnem eorum prouinciã ad idololatriam compellens, qui parere noluerunt, enecat: porcos in Sacrario, præcipit immolare, præputium dimittere. Postea vero Hierosolymam ascendit, templum vastat, vasa quæ in ministerio fuerant consecrata, auferens, in templo simulacrum Iouis Olimpi posuit, in Samaria super verticẽ montis Garizin Iouis Peregrini delubrũ ædificauit, ipsis Samaritanis vt id faceret precantibus. Septem fratres passi sub Antiocho tunc. Verum hoc in tempore *Mathathias* quidã ex sacerdotibus, filius Ioarim, de vico Modin, aduersus Antiochi duces arma corripiens, fultus etiam auxilio filiorum, leges patrias vindicauit, 12,13. Ennius docta, septuagenario maior, articulari morbo periit, sepultusque est in Scipionis monumento, via Appia, intra primum ab vrbe milliarium. 14. Olimp. 150. 15,16. Romani, victo Perseo rege Macedonum, Illiricos, Macedones, & Galathas liberos esse iusserunt. Syriæ, & Asiæ, Antiochus Eupator, annis duobus. 17. Iudæorum Dux Iudas, qui & Machabæus, filius Mathathiæ, Antiochi duces de Iudæa expellens, templumque ab idolorum imaginibus emundans, patrias leges per triennium suis ciuibus reddidit. 18. Olimp. 151. 19. Syriæ & Asiæ, Demetrius Soter, annis 12. 20. Iudæorum Dux Iudas, annis tribus. Menelao pontifice Iudæorum, à iuniori Antiocho occiso, qui prius Iudæam Antiocho Epiphani prodiderat, Alchimus alienus à genere sacerdotali, ambitione pontificatum inuadit. 21. Ob quod *Onias*, filius pontificis *Onię*, Ægyptum transmigrans, in Heliopolitano pago ciuitatem nominis sui condidit, templo ad similitudinem templi patrii constructo. Alchimus vero aduersus Iudam Machabæum inimicitias gerens post non multum temporis Dei ira percussus interiit, ac sic cum omnium Iudæorum fauore Iudæ Machabæo sacerdotium decernitur. Qui dignitate suscepta, Romam legatos dirigit, decreuitq; Senatus Iudæos amicos & auxiliatores Romanorum habendos. 22. Olimp. 152. Iudas aduersus Demetrii duces inito bello occiditur, tribus annis gesto pontificatu. 23. Publius Terentius Carthaginiensis, comœdiarum scriptor, ob ingenium & formam libertati donatus, in Archia moritur, qui primum *Andriam*, antequam ædilibus venderet, Cælio multum se miranti legit. Iudæorum Dux Ionathas annis 19. 24. Aristarchus grammaticus agnoscitur. 25. Dux Iudæorum Ionathas, frater Iudæ, Bachide duce Demetrii Iudæa expulso, pontificatum suscepit. 26. Olimp. 153. Pacuuius Brunduſinus, tragœdiarũ scriptor, floruit, Ennii poetæ ex filia nepos, vixitq; Romæ quoad picturam exercuit, ac fabulas venditauit, deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius, diem obiit. 27,28. Pseudophilippus in Macedonia regnauit. 29,30. Olimp. 154. Syriæ & Asiæ, Alexander annis 9. mensibus 6. Alexander, Antiochi (qui Epiphanes cognominatus est) filius, Syriæ & Asiæ imperans, Ionathan corona & multis insignib. donis prosequitur. Romani interfecto Pseudophilippo, Macedones tributarios faciunt. 31. Samaritani & Iudæi Alexandriæ, Ptolemæo iudicante, contendunt de honoribus ex vtraq; parte sui templi differentes, & superant Iudæi. 32. Lucius poeta nascitur. 33. Appius Gallos capit. 34. Olimp. 155. Carthago destructa per Scipionem est, habens à conditione sui annos 668. vt vero alii affirmant 768.

406 Ægyptiorum, Ptolemæus Euergetes, annis 29. 1. Ionathas Dux Iudæorum pariter & pontifex, cum Romanis & Spartiatis amicitias facit. 2. Alexandro Philobalo regi Syrie, Ptolemæus filiam suam Cleopatram tradidit vxorem. 3. Olimp. 156. Scipio Numantinos subuertit. Brutus Hiberiam vsq; ad Oceanum subegit. 4. Triphon Antiochum, filium Alexandri, occidit. 5. Ptolemæus Demetrio filiam suam Cleopatram tradidit vxorem cum regno, quod abstulit Alexandro. 6. Triphõ Ionathan pontificem Iudæorum interfecit, & in sacerdotium fratris Ionathæ Simon assumitur. 7. Olimp. 157. Lucius Accius, tragœdiarum scriptor, clarus habetur, natus Maurino & Serrano Cõsulibus, parentibus libertinis, & seni iam Pacuuio Tarenti sua scripta recitauit, à quo & fundus Accianus iuxta Pisaurum dicitur, quia illuc inter colonos fuerat ex vrbe deductus. Iudæorum Dux Simon annis octo. 8. Triphon Syriæ regnum conatus inuadere, Antiocho filio Alexandri interfecto, ad extremum ipse moritur. Syriæ, Antiochus annis 9. 9. Post Demetrium imperauit vniuersæ Syriæ frater eius Antiochus, qui cognominatus est Soter 10. Simoni Iudæorum pontifici, pariter & principi, Romani & Spartiatæ, legatione eius libenter excepta, amicabilia scripta miserunt. 11. Olimp. 158. Bellum seruile ortum in Sicilia. 12. Antiochus rex Syriæ, aduersus Iudæam arma corripiens, & Hierosolymam vallo circundans, cum ad conditiones pontificem Simonem

monem compulisset, receſſit. 13,14. Attalus rex moriens, regni ſui populum Romanum reliquit hæredem. Simon Iudæorum pontifex interficitur, cui ſuccedit filius ſuus Iohannes. 15. Olimp. 159. 16. Ptolemæus expulſus Ægypto. Arſaces Parthus occidit Antiochum. Iudæorum rex Hircanus, qui & Ioannes, annis 26. 17. Syriæ & Aſiæ, Demetrius iterũ annnis 4. Serui qui in Sicilia rebellabãt, obſidionis neceſſitate compulſi, ad ſua inuicem cadauera deuoranda conuerſi ſunt. 18. Aruertius nobiliſſima vrbs Galliarum capta eſt, & rex Gallorum Bituitus. Iohannes Dux Iudæorum & pontifex, aduerſus Hircanos bellum gerens, Hircani nomẽ accepit, & à Romanis ius amicitiæ poſtulans, decreto Senatus inter amicos relatus eſt. 19. Olimp. 160. 20,21. Syriæ & Aſiæ, Antiochus Gryphus, annis 12. 22.23. Olimp. 161. Narbona coloniæ deductæ. Hircanus pontifex Iudæorum Samariam, quæ nunc Sebaſte vocatur, obſidione captã, ſolo coæquauit. 24,25, 26,27. Olimp. 162. 28. Quam poſtea Herodes reſtaurans, Sebaſten, in honorem Auguſti, appellari voluit. 29. Marcus Terentius Varro, philoſophus & poeta, naſcitur.

1 Ægyptiorum, Ptolemæus Soter, Cleopatræ filius, regnauit annis 17. 2. Olimp. 163. 3,4. Syriæ & Aſiæ, Antiochus Sizicænus, annis 19. 5. Antiochus Sizicænus eiecto Grypho, Syriam obtinuit, ac rurſus Gryphus ſuperato Sizicæno tandem recipitur: ita ex ſucceſſione regnabant, aduerſus ſe inuicem dimicantes. 6. Olimp. 164. Iugurtha, contra Romanos dimicans, capitur. 7,8. Ionathas glorioſe apud Iudæos principatum gerit. 9. Cicero naſcitur Arpini, matre Helbia, patre equeſtris ordinis, ex regno Volſcorum genere. 10. Olimp. 164. 11. Cneus Pompeius Magnus oritur. 12. Iudæorum primus rex Ariſtobulus, filius Ionathæ, regnauit anno vno, qui rex, pariter & põtifex, primus apud Iudæos Diadematis ſumpſit inſigne, poſt 484. annos Babylonicę captiuitatis. 13. Poſt quem regnauit filius eius Ænneus, cognomento Alexander, qui pontificatum quoque adminiſtrans, crudeliſſime ciuibus præfuit. Caius Lucilius, Satyrarum ſcriptor, Neapoli moritur, ac publico funere effertur, anno ætatis. 46. 14. Olimp. 166. Marcus Purius, poeta, cognomento Bibaculus, Cremone naſcitur. Ducenta millia Cimbrorum à Romanis cæſa 80. millia capta cum duce eorum Theothodo, à Conſule Romano Mario, qui Iugurtham vicerat, & habuit collegã in hoc Cimbrico bello Quintũ Luctatium Catulum. 15. Iterum Cimbri & Teutoni, quorum erant adhuc infinitæ copiæ, in Italiam adeunt, & à Martio Catuloq; ſuperãtur, cæſis 140. millibus, 60. millibus captis. 16. Thraces à Romanis victi. 17. Rurſum in Sicilia bellum ſeruile oritur.

Ægyptiorum, Ptolemæus, qui & Alexander, annis 10. expulſo de regno Ptolemæo, qui cognominabatur Soter, per matrem Cleopatram, & in Cyprũ recedẽte. 1. Olimp. 167. 2,3. Aquilius in Sicilia bellum ſeruile compeſcuit. 4. Ptolemæus rex, Cirenæ moriens, Romanos teſtamento reliquit Hæredes. Seleucus ab Antiocho, Sizicęni filio, vitus exuritur. 5. Olimp. 168. Titus Lucretius poeta naſcitur, qui poſtea amatorio poculo in furorem verſus, cum aliquot libros per interualla inſaniæ ſcripſiſſet, quos poſtea Cicero emendauit, propria ſe manu occidit, anno ætatis 44. Syriæ, Philippus annis duobus. 6. Antiochus in Parthos fugiens, Pompeio ſe deinceps tradidit. Poſt quem Philippus captus eſt à Gabinio. Syriæ & Aſiæ regnum defecit. Huc vſque Syria poſſeſſa eſt per reges, poſtea in Romanam ditionem ceſſit. 7,8. Bellum aduerſus Romanos Picentes, Marſi Pelignique mouerunt. 9. Olimp. 169. 10. Pomponius Bononiæ ſatyrarum ſcriptor illuſtris.

Ægyptiorum, Ptolemæus Soter, qui à matre fuit eiectus, annis 8. 1. Ptolemæus regreſſus de fuga regnum obtinuit, quia Alexandrum (qui ante eum fuerat) ob interfectionem, matris ciues pepulerant. Plautius Gallus primus Romæ latinam rhetoricam docuit, de quo Cicero ſic refert. Memoria teneo, pueros nos primum latine docere, nos cæpiſſe Plãtium Gallum quendam. 2. Caius Valerius Catullus, ſcriptor lyricus, Veronæ naſcitur. 3. Olimp. 170. Saluſtius Criſpus, ſcriptor hiſtoricus, in Sabinis Amiturni naſcitur. Silla Athenienſes vaſtat. 4. Deſcriptione Romæ facta, inuenta ſunt 464. millia hominum. 5. Templum apud Delphos tertio incenſum à Thracibus, & Romæ Capitoliũ. 6. Lucius Ennius plurimas ciuitates capit. *Cicero* 26. anno ætatis defendit Quintium. 7. Olimp. 171. Publius Terentius Varro in vico Atacæ in prouincia Narbonenſi naſcitur, qui poſtea 35. annorum cum ſummo ſtudio Græcas literas didicit. Vultacilius Plautus, Latinus rhetor, Cnei Pompei libertus & doctor, Romæ ſcholam aperuit.

Ægyptiorum, Ptolemæus Dionyſius, annis 30. 1. Silla Romam obtinuit, & poſt biennium moritur. 2. Cicero Athenas recedit, & inde poſt triennium Romam regreditur. 3. Olimp. 172. Pompeius glorioſiſſime de Hiſpanis triumphauit, & Lepidus publicus hoſtis eſt iudicatus. 4. Titus Quintus Acca, ſcriptor Togatarum, Romæ moritur

ritur, ſepultuſque eſt via Prænestina ad miliarium ſecundum. 5. Alexandra, quæ & Salina, vxor Alexandri, Hieroſolymis regnauit, ex cuius ætate Iudæos rurſum confuſio & variæ clades oppreſſerunt: regnauit autem annis nouem. 6. Bellum gladiatorum in Italia ortũ. 7. Olimp. 173. Lucius Lucillus, primus Imperator appellatus. 8. Victa Armenia Meſopotamia per Lucillum. 9. Pompeius Tigranem, Armeniæ regem ſuperauit & cæpit, impoſitoq; tributo ſex millium talentorum argenti, quia ſponte bellum intulit Romanis, dimiſit: moxq; Albanos aggreſſus cum rege eorum vicit, Hiberiam quoq; cum rege ipſius Romanis ſubiugauit. 10. Marcus Lucillus de Beſſis triumphauit. 11. Olimp. 174. Virgilius Maro in pago, qui Audes dicitur, non longe à Mantua naſcitur, Pompeio & Craſſo Conſulibus. 12. Marcus Portius Cato, Stoicus philoſophus, agnoſcitur. 13. Antiochia Syriæ capta à Romanis. Creticum bellum motum eſt, vnde dictus eſt Metellus Creticus, quia huic bello finem dedit. 14. Ariſtobulus, & Hircanus, filii Alexandri, inter ſe ob imperium dimicantes, occaſionem præbuere Romanis vt Iudæam inuaderent. Itaque Pompeius Hieroſolymam veniens, capta vrbe, & templo reſerato, vſque ad Sancta Sanctorum accedit, Ariſtobulum vinctum ſecum adducẽs, pontificatum confirmat Hircano. Deinde Antipatrum, Herodis Aſcalonitæ filium, procutatorem Paleſtinæ facit. Igitur Iudæi Romanorum vectigales facti, & pontificatum apud eos ſuſcepit Hircanus annis 23. 15. Olimp. 175. 16. Lybia, per teſtamentum Appionis regis, Romanis relicta eſt. Horatius Flaccus, ſatyricus & lyricus poeta, Libertino patre, Venuſiæ naſcitur. 17. Apollodorus Pergamenus, Græcus orator, præceptor Callidii & Auguſti, clarus habetur. 18. Ea, quæ de Catilina Saluſtius narrat, hoc tempore geſta ſunt. 19. Olimp. 176. 20. Cicero in exilio annum agit, honorifice ſuſceptus à Plautio. 21. Pompeius Imperator appellatur, & Iulius Cæſar Luſitaniam & Inſulas quaſdam in Oceano capit. 22. Meſſala Coruinus, orator, naſcitur, & Titus Liuius Patauinus, ſcriptor hiſtoricus. Virgilius Cremonæ ſtudioſe eruditur. Marcus Callidius, orator, clarus habetur, qui bello poſtea ciuili Cæſarianas partes ſequutus, cum totam Galliam regeret, Placentiæ obiit. 23. Olimp. 177. 24, 25. Iulius Cæſar, Rhenum tranſiens, Germanos vaſtat. Craſſus à Parthis cum filio ſuo occiditur. 26. Ventidius primus Romanorum Parthos ſuperat. 27. Olimp. 178. Curio, promptus & popularis orator Romæ, inſignis habetur. 28. Virgilius ſumpta toga Mediolanum tranſgreditur, & poſt breue tempus Romam pergit. 29. Simulacrum Olimpiaci Iouis tactum fulmine. 33. Cæſar Germanos & Gallos capit.

473 Ægyptiorum, Cleopatra ſoror Ptolemæi, annis 22. ex quibus duo tãtum numerantur. Hinc igitur Cleopatræ anni 22. numerãtur vſq; in annũ 15. Octauiani Cæſaris, in quo obiit. Olimp. 179. 1. Principium belli ciuilis Cæſaris & Pompei. Orto enim primo bello ciuili inter Cæſarem & Pompeium, victus Pompeius Alexandriam petiit, ibique ab ipſo, à quo ſperabat auxilium, Ptolemæo occiditur. Mox Cæſar Alexandriam venit, ipſi quoque Ptolemæus parare voluit inſidias. Vnde bello ei illato, victus in Nilo interiit. Cæſar vero Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dat ob ſtupri gratiam. Cuius regni anno tertio ipſe Cæſar (primus Romanorum) ſingulare orbis obtinuit Imperium à quo principes Romanorum, Cæſares appellati ſunt. 3. Diodorus Siculus, Græcæ ſcriptor hiſtoriæ clarus habetur.

CAP. XXII.

478 ROMANORVM primus Imperator, Caius Iulius Cæſar, regnauit annis 4. menſibus 6. vſque ad Calendas Martii. Adde menſes 5. ſupra, fit annus. Sub quo hi conſules fuerunt, teſte Caſſiodoro. 1. Caius Iulius 2. Seruilius. 2. Fabius, Vaticanus. Ptolemæi cadauer cum aurea lorica in Nilo reperitur. Iulius Cæſar. Lepidus 3. Olimp. 180. Romæ baſilica Iulia dedicata. 3. Decretum Senatus & Athenienſium ad Iudæos mittitur, qui per legatos amicitiam poſtulabant. Cleopatra regio comitatu, vrbem eſt ingreſſa, prohibitæque ſunt lectiticis margaritiſq; vti mulieres, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores eſſent annis 45. 4. Iulius Cæſar quarto. Maximus. Antonius decernit Quintilem menſem, Iulium debere dici, quia in eo natus eſt Iulius Cæſar. 5. Iulius Cæſar 5. Antonius. Caſſius Iudæa capta templum ſpoliat. Idibus Martiis Caius Iulius Cæſar, ciuilibus bellis toto orbe compoſitis, cum Romam veniſſet, inſolentius agens multaque tyrannica perpetrans, coniurantibus in eum 70. vel amplius Senatoribus, equitibus Romanis, cum in Senatum die inter cęteros veniſſet ad Curiam 23. vulneribus confoſſus, interiit, & faſces quidem ſtatim ſuſcepit Dolobella: Cæſaris vero corpus in roſtris eſt concrematum. Romæ tres ſimul exorti ſoles, paulatim in eundem orbem coierunt. Inter cætera portenta, quæ toto orbe facta ſunt, bos in ſuburbano Romæ ad arantem loquutus eſt,

fruſtra

frustra se vrgeri, non enim frumenta, sed homines breui defuturos. Cassiodorus sic. Iulius Cæsar quinto Consulatu & Marcus Antonius. Hic Consul Marcus Antonius, in Lupercalibus sella aurea sedenti, Cæsari diadema renuenti imposuit, atq; idibus Martii Cæsar in Pompeiana Curia occisus est. Cui successit Octauianus Cęsar. Hæc Cassiodorus. Hinc ob facilitatem computandi à Calend. Ianuarii, more Romano, numeramus annos.

Romanorum 2. Octauianus Cæsar Augustus regnauit annis 56. mensibus 6. aliquantisque diebus. Iosepho teste, hoc est, vsque Calendas Octobris in anno 17. incarnationis secundum rationem supputationis, quorum 15. viuente Cleopatra, 41. mensesq; 6. postea vixit. 1. A quo reges Romanorum Augusti appellati sunt. Antonius aduersus Cæsarem Augustum bellum mouet. Cicero in Firmiano suo ab Erennio & Popilio occiditur, 67. ætatis suæ anno. 2. Olimp. 181. Pansa Hirtius. Cic. caput, cum manu dextra pro rostris positum, iuxtaq; nouies coronata imago Popilii militis, qui eum occiderat. Ouidius Naso nascitur in Pelignis. Crassus Falcidius, Tribunus plebis, legem tulit ne quis testamento legaret plus, quam vt quarta pars hæredibus superesset. Curtius Salustius in insula Arado, cum 4. cohortibus, viuus combustus est, quod tributa grauius exigeret. 3. Lepidus, Plancus. Taberna mediatoria trans Tiberum, terra oleum erupit, fluxitque tota die sine intermissione, significans gratiam Christi ex gẽtibus. Antonium superat Augustus, pacemq; cum eo facit, Lepido operam dante. Templa Rhodiorum depopulatus est Cassius. Secunda recessio Augusti & Antonii. 4. Seruilius secundo. Antonius. 5. Domitius Asinius. 6. Censorinus. Caluisius. Olimp. 182. Forni duo, pater & filius, clari habentur oratores, quorum filius Consularis ante patrem moritur. 7. Claudius. Norbanus. 8. Agrippa. Camnius. Salustius diem obiit, quadriennio ante Actiaticum bellum. 9. Gellius, Cocceius, Bauius poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, in Cappadocia moritur. 10. Pompeius. Cornificius. 11. Olimp. 183. Scribonius, Atratinus. Anno 11. Augusti, deficiente Iudæorum principatu, Herodes nihil ad se pertinentem, vtpote Antipatris Ascalonitæ matrisque Cipridis Arabicę filius. à Romanis Iudæorum susceptit principatum per annos 36. Qui ne ignibili forte & Iudæorum semine argueretur extraneus, combussit omnes libros, quibus nobilitas Iudæorum in templo seruabatur ascripta, vt deficientibus probamentis, & ipse ad hanc pertinere putaretur. Insuper etiã vt suam sobolem regio illorum generi cõmisceret, proiecta Dosida fœmina Hierosolymitana, priore vxore, & nato ex ea filio Antipatro, sociat sibi Mariannem, filiam Alexandri, neptem Aristobuli fratris Hircani, qui ante eum rex erat Hierosolymis. Hæc quinq; ei filios genuit, quorum duos Alexandrum & Aristobulum ipse necauit in Samaria. Huius Aristobuli ex Beronica filia Saloniæ, sororis Magni Herodis, sunt filii, Agrippa Maior, & Aristobulus, atq; Herodes: qui in actibus Apostolorum ab angelo percussus legitur, duasq; filias Mariamnem, & Herodiadẽ, quæ Herodias (sicut *Iosephus* perhibet) Herodi, filio Magni Herodis, & Mariamnæ filiæ Alexandri pontificis, viro suo viuente, (forte ipse est Philippus) nupsit Herodi filio Cleopatræ Hierosolymitanæ & Herodis Magni. 12. Cæsar. Volcatius. Lunæ cursus secundum Romanos inuentus. Antonii & Augusti fœdus. Colonias Romani deduxere. Augustus triumphauit pedestris certaminis triumpho, Antonius Cleopatræ Arabiã tradidit. 13. Domitius, Sosius, Actoricus medicus clarus. 14. Olimp. 184. Cæsar. Messala. His cõsulibus apud Actiacum littus Antonius à Cæsare bello superatur. 15. Cæsar Crassus. His consulibus (Cassiodoro teste) Nicapolis iuxta Atticum littus à Cæsare est condita. Et agon Actiacus constitutus. Tertio inter Augustum & Antonium ortum est bellum, eo quod Antonius, qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Augusti, Cleopatram Reginam Ægypti duxisset vxorem, quæ ei etiam persuasit vt Cæsari bellum inferret. Antonius vero prælio peremptus à Cæsare, Alexandriæ in Mausoleo reconditur. Antonio autem occiso, regina Cleopatra ad pedes Augusti prouoluta, tentauit in se inclinare oculos eius, frustra quidem. Nam pulchritudine eius recusata, Augustus præcipit eam custodiri. Illa autem nõ tam pro vita, quam pro regni parte laborabat, quod vbi desperauit à principe obtinere, & seruari se triumpho cognouit, incautiorẽ nacta custodem fugit, in Mausoleum se regium recepit, ibiq; maximo vt solebat cultu, irreferto odoribus solio, iuxta suum se collocauit Antoniũ, admotisq; ad venas serpentibus, sic morte quasi somno resoluta est. Ægyptus deinde fit Romana prouincia, quam primus tenuit Cornelius Gallus, de quo Virgilius loquitur in Bucolicis. Vsque ad Cleopatram regnauerunt in Ægypto, qui vocabantur Largitæ, annis 295. Artoricus medicus Augusti post Actiacã victoriam naufragio periit. Quidam ab hoc loco primũ annum Augusti monarchiæ supputant, q. *Beda* confirmat, dicẽs super *Danielem*, Romanos hinc annos 59. cum anno 17. Tiberii, regnasse. Omnes historici, & *Beda* etiam dicit, Cleopatrã regnasse 22. annis

hoc est, annis 2. ante Iulium Cæsarem & 5. Iulii Cæsaris, & 15. Octauiani Augusti, in quo sese interfecit. Augustus Romanis plurimas leges constituit, á quo etiam Senatusconsulto mensis, qui prius Sextilis vocabatur, dictus est, in memoriam scilicet Augusti Cæsaris, quia in eo Antonium superauit, & Cleopatram, imperiumque Romani populi firmauit. 16. Cæsar quarto Apuleius. Censu Romæ agitato, inuenta sunt ciuium Romanorum 292. millia, 334. Alexandrinorum regnum defecit in Cleopatra. 17. Cæsar 5. Agrippa 2. Marcus Terentius Varro, philosophus, prope nonagenarius, moritur, Thebæ. Ægyptusque ad solum erutę Cornelius Gallus, quem supra diximus Ægypto præfuisse poeta, 43. anno ætatis suæ, in Foro Iulii, propria manu se occidit. 18. Cæsar 6. Agrippa 3. Olimp. 185. Indi ab Augusto per legatos amicitiam postularunt. Messala Coruinus primus præfectus vrbis factus, sexto die magistratu se abdicauit, inciuilem potestatem esse contestans. 19. Cæsar septimo, Statilius Augustus Calabriam, Gallosq; vectigales facit. Minutius Plancus Ciceronis discipulus orator insignis habetur, qui cum Galliam regeret Lugdunum condidit. 20. Cæsar octauo, Sillanus. Cæsar Galatiam Romanam prouinciam facit. 21. Cæsar 9. Norbanus 2. Quintilius Cremonensis, Virgilii & Horatii familiaris, moritur. 22. Cæsar 10. Piso. Olimp. 186. Augustus Cizicænos libertate priuauit. Pilades Cilex, Pantomimus, cum priores ipsius canerent & saltarent, primus Romæ Chorum & fistulam sibi præcinere fecit. 23. Marcellus. Aruntius. Tiberius ab Augusto missus occupauit Armeniam. 24. Lollius, Lepidus. Cantabri res nouas molientes opprimuntur. 25. Apuleius. Sillius. Herodes apud Hierosolymã multas magnasq; ædes construxit. 26. Sentius. Lucretius. Olimp. 187. Virgilius Brundusii moritur, cuius ossa Neapolim translata, in secundo ab vrbe milliario sepeliuntur, titulo istiusmodi suprascripto, quem moriens ipse dictauerat.

Mantua me genuit. Calabri rapuere tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Herodes Samariam, iam olim in cineribus sedentem à fundamentis suscitans ædificauit, eamq; in honorem Augusti, Augustam, id est, Sebasten appellauit, & in Paneade id quod Pamona vocatur, exstruxit. 27. Lentulus Lentulus. In Cypro plurimæ ciuitatum partes terræ motu conciderunt. Germanos in arma versos Lelius superat. Varrus & Tucca, Virgilii & Horatii contubernales poetæ, habentur illustres, qui Æneidos postea Virgilii libros emendarunt sub hac lege, vt nil adderent. 28. Furnius. Sillanus. Augustus Caium Agrippam adoptauit in filium. 29. Domitius. Scipio Æmilius Macer, Veronensis poæta, in Asia moritur. Tiberius Vindelicos, & eos qui in Thraciarum finibus, & confines erãt. Romanas, puincias facit. 30. Drusus. Piso secũdò Anno primo 188. Olimp. Sancta Maria nascitur ex patre *Ioachim* de tribu Iuda, & ex matre Anna filia *Isachar* de genere *Dauid*. Bosphorum Agrippa capit. 31. Lentulus. Crassus. Augustus á Senatu pontifex maximus appellatur. 32. Nero, Quintilius. Herodes Cæsaream, in nomine Cæsaris, condidit, quæ prius Stratonis Turris vocabatur. 33. Messala, Sulpitius. Herodes Antidonam condidit, & Antipatridam, atq; Herodionem, in honorem patris sui Antipatris & suum, exstruxit: Innumerabilia quoq; opera in singulis Syrię vrbibus, quas regebat, solertissime ædificauit. 34. Paulus Fabius. Ælius. Olimp. 189. 35. Iulius Antonius, Fabius Africanus, Tiberius de captiuis Pannonibus triumphauit. Horatius 57. ætatis suæ anno, Romæ moritur. Passienus, declamator insignis, diem obiit. Ca. Iulius Hircinus, cognomento Polyhistor, grammaticus, habetur illustris. Tiberius vastata Germania Imperator appellatur. 36. Drusus Nero, Quintius Crispinus. Herodes Hircanum, qui olim rex & Sacerdos Iudæorum erat, de captiuitate Parthica regressum, filiumq; eius, qui in sacerdotio patri successerat, interfecit. Herodes enim Ananelum quendam de Babylone accitum, Iudæorum pontificem constituit, & post exiguum temporis Aristobulũ fratrem vxoris suæ, nepotem Hircani, successorem ei dedit, quem post annum interficiens, rursum Ananelo reddidit sacerdotium. 37. Asinius. Martius. Herodes quoq; sororem Aristobuli, vxorem suam, crudelissime necauit. Tunc ergo Christi natiuitate vicina, principatus & sacerdotium Iudæorum de stirpe Iuda defecit, transiens ad Herodem extranei generis, & completa est prophetia dicens: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Hircanum enim in Babylonia à vinculis solutum (vt *Iosephus* perhibet) tanquam principem sacerdotum regemq; Iudæorum, multitudo Iudæorum, & omnes vsque ad Euphratem Iudæi habitantes, honorabant, ipsumq; rogabant vt apud eos permaneret, dicentes q, officiorum aliquid simul & honoris in sacerdotali vel principali dignati nil minus haberet apud eos, quam in Hierusalem. Postquam autem multo Herodis rogatu de Babylonia in Hierusalem

rusalem venit, cum omni honore eum Herodes susceptit, cumque vocaret ipsum patrem suum, primum ei locum cõcedebat, disponebat cum eo vtilitates cæteras sui principatus. Amicissimus enim Herodi antea erat, atque de periculo mortis eum liberauit. Quamdiu vixit Hircanus, quamuis principatus primatum non habuit, tamen princeps fuit. 38. Nero. Piso. Olimp. 190. Tiberius de Vindelicis, Armeniis, & Pannoniis triumphauit. Albutius Fileno Valiensis, clarus rhetor agnoscitur. 39. Lælius. Antistius. Augustus filiam suam, deprehensam in adulterio, exilio damnat. Marcus Tullius Tyro, Ciceronis libertus, qui primus notarius commendatus est, in Puteolano prædio vsque ad centesimum annum consenescit. 40. Augustus Cæsar 11. Silla. Augustus gladiatorium ludum, & nauale certamen exhibuit. Milesius Polentinus Grammaticus agnoscitur. Marcus Portius Latro, Latinus declamator, tædio duplicis quartanæ seipsum interfecit. 41. Caluisius. Passianus. Herodes super ea quæ fecerat crudeliter, etiam hoc addidit: virum sororis suæ Salomæ interfecit, & cum alii eam tradidisset vxorem, etiam hunc necauit, scribas quoque & interpretes diuinæ legis simili scelere occidit. *Iohannes* Baptista concipitur feria quinta, luna 11. mensis septimi, id est, Octobris.

FLORENTII WIGORNIENSIS MONACHI CHRONICORVM.

Liber II.

Anno Christi Secundum Euangelium.

42 Lentulus. Messala. Præses Syriæ Quirinus ex consilio Senatus Iudæam missus. Census hominum possessionumque describitur.

1 DOMINVS noster Iesus Christus, filius Dei, conceptus 8. Cal. Aprilis. feria 6. Indict. 12. anno ætatis S. Mariæ. 12. *Iohanne* Baptista 8. Calendas Iulii, in præsentia eiusdem virginis nato. His consulibus, Cassiodoro teste, in Bethlehem Iudæ. 8. Calend. Ianuarii, Indict. 13. Dominica nocte nascitur, octaua, etiam Dominica, circumciditur 13. die (stella duce) adoratur à Magis 40. die, feria quinta, 4. Non. Februarii à S. Simeone, & Anna vidua, agnoscitur. Deinde præcepto do-
2 minico in Ægyptum, propter metum Herodis, indict. 13. transfertur.

43 Augustus. Paulus. Cæsar amicitiam cum Parthis facit. Sextus Pythagoricus philosophus claruit.

3 44 Cossus Lentulus. Piso. Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptauit. Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur.

4 45 Cæsar. Paulus. Herodes cum Christum natum Magorum indicio cognouisset, omnes pueros in Bethlem iussit interfici.

5 46 Vinitius. Alferus. *Iohannes* Apostolus domini nascitur.

6 47 Seruilius. Lamia. Herodes morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter & digne obiit.

7 48 Elius. Sentius. Christus reducitur ab Ægypto 3. Idus Ianuarii. In Herodis locum Archilaus, filius eius, ab Augusto constituitur per annos 7. Tetrarchæ fiunt fratres eius, Herodes, Antipater. Licias. Philippus.

8 49 Cinna. Valerius. Fames Romæ ingens, ita vt 5. modii venderentur denariis 27. semis.

9 50 Lepidus. Aruntius. Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque in Romanam redigit
10 potestatem.

11 51 Cęcilius. Licinius. Anthemodorus Tharsen. Stoicus philosoph⁹ habetur insignis.

12 52 Furius. Nonnius. Marcus Varrus Flaccus, Grammaticus, clarus.

53 Sulpitius. Pompeius. Athenienses, res nouas contra Romanos molientes, oppri-
13 muntur, autoribus seditionis occisis.

54 Dolobella. Sillanus. Cum esset Iesus annorum 12. inuentus est in templo, sedens
14 inter doctores legis, interrogans & audiens illos.

55 Lepidus. Statilius. Augustus cum Tiberio filio suo cẽsum Romæ agitans, inuenit
15 hominum nongenta & septuaginta millia.

56 Cæsar 10. Fonteius. Socio, philosophus Alexandrinus, præceptor Senecæ, clarus habetur.

57 Plan-

57 Plancus. Silius. Archelaus non ferentibus Iudæis, sed accusantibus apud Augustũ 16
ferocitatem illius, in Viennam vrbem Galliæ relegatur, & ad minuendam Iudaici regni
potentiam, insolentiamq; domandam, quatuor fratres eius pro eo sunt Tetrarchæ creati.
Herodes. Antipater. Licias. Philippus.

Pompeius. Apuleius. His consulibus teste Cassiodoro, Octauianus Augustus obiit,
in Campania, anno ætatis suæ 76. Imperii autem 56. semis, mense quasi Septembri, sepeli-
turq; in campo Martio, cui successit Tiberius.

1 Romanorum 3. regnauit Tiberius, priuignus Augusti, hoc est, Liuiæ vxoris eius fi- 17
lius, ex superiore genitus coniugio, annis 23. & aliquibus diebus, teste *Iosepho*, hoc est,
vsque Calendas Octobris in anno quinto post passionem Domini. Sub quo hi consules
fuerunt. 18

2 Drusus Norbanus.

3 Sisenna Statilius. Scribonius. Incarnatio incipit iuxta Chronicam *Eusebii* vel *Bedæ*. 19
Dinumerantur anni à nobis versus supra vsq; ad annum 42. Octauiani Cæsaris. 20

4 Pomponius. Celius. Ouidius poeta in exilio obiit.

5 Cæsar 15. Germanicus Cæsar. Germanicus Cæsar de Parthis triumphauit. Duode- 21
cim vrbes terræ motu corruerũt, id est Ephesus, Magnesia. Sardis. Mosthene. Age. Hiero.
Cæsarea. Philadelphia. Tmolus. Temis. Cimerina. Apollonia. Hircana.

6 Sillanus. Norbanus. Ciclus magnus paschalis hic incipit, indict. 3. in cuius secundo 22
anno, secundum Dionysium, natus est Dominus.

Anno Christi secundũ Dionysium. 7 Valerius. Aurelius. Tiberius multos reges ad se per blanditias euocatos, nunquam 23
remisit, inter quos & Archelaum Cappadocem occidens, & regno eius in prouinciam
verso, Mazacham nobilissimam ciuitatem Cæsaream appellari præcepit.

1 INcarnatio secundum Dionysium incipit, conscripta per ordinem, contraria incarna- 24
tioni iuxta Euangelium.

2 8 Cæsar. Drusus Cæsar. Pompei Theatrum incensum. 25

3 9 Harterius. Sulpitius. Tiberius Drusum consortem regni facit. 26

4 10 Asinius. Antistius. Drusus veneno obiit. Quintus Atherius, promptus & popularis
orator, prope vsq; ad 90. annum in honore consenescit.

5 11 Cornelius. Visellius. Seruius Plautus, corruptæ filiæ reus, semet in iudicio in- 27
terimit.

6 12 Asinius Cossus. Cornelius. Philippus Tetrarcha Paneadẽ, in qua multas ædes con- 28
struxerat, Cæsaream Philippi vocauit, & Iuliadem aliam ciuitatem. 29

7 13 Caluisius. Getulicus. Pilatus procurator Iudææ à Tiberio mittitur.

8 14 Piso. Crassus. Votienus Montanus Narbonensis, orator, in Balearibus insulis obiit, 30
illuc à Tiberio 15. anno relegatus. Herodes tetrarcha, princeps Iudæorum, regnans annis
24. in honorem Tiberii & matris eius Libiæ, Tibiriadem condidit, & Libiadem.

9 15 Sillanus. Silius. Ab Adam vsque ad annum 15. Tiberii, secundum Hebræos, sicut 31
Eusebius in chronica sua signat, tria millia annorũ, annotando quod 16. anno Tiberii prin-
cipium fuit 71. Iubilei secundum Hebræos. Tria enim millia 60. Iubilei sunt.

CAP. III.

ANNO 15. Imperii Tiberii Cæsaris, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha,
factum est verbum Domini super Iohannem, Zachariæ filium, in deserto, & venit
in omnem regionem Iordanis. Matthæus sic. Tunc venit Iesus vt baptizaretur ab eo in
Iordane &cæt. Augustinus sic: quod autem Matthæus ait: tunc venit Iesus à Galilæa
vt baptizaretur à Iohanne, hoc est secundum Iohannem Euangelistam. Altera autem
die &cæt. Marcus sic. Et Baptizatus est à Iohanne, Lucas sic. Et ipse Iesus incipiens erat
quasi 30. annorum, hoc est, non plenus. 30. annorum, mensium 12. sed secundum Hie-
ronymum & Lucam incipiebat 30. quando baptizatus est in die, 13. incipientis anni
sui 30. die Domina Epiphaniæ. Secundum solares autem annos, tunc incipiebat
annum 31. Annus enim solaris, in cuius fine natus est, natiuitatis eius annus est: annus
autem ætatis suæ 12. mensium, sicut in fine anni primi natiuitatis incepit, ita in fine an-
ni secundi natiuitatis suæ solaris compleuit. Marcus. Et statim post baptismum spiritus
impulit eum in desertum. Hoc est secundum Matthæum, Iesus plenus spiritu sancto re-
gressus à Iordane, agebatur à spiritu in deserto diebus 40. &cæt. Dominus ergo fe-
ria secunda incepit ieiunium, & 40. die, feria sexta, 15. Cal. Martii, in gula ac vana glo-
ria, atque auaritia diabolum superauit, in quibus diabolus primum Adam decepit.
Ipse Dominus Iesus Christus hinc populis prædicauit salutarem viam, teste Sancto
Petro sic, in electione S. Matthæi. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati,
in omni

in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus &c. signis & virtutibus vera esse comprobat ea, quæ dicit: ex quibus pauca in Euangeliis leguntur. Apostolos vocat, & ad prædicandum mittit.

10 16. Rubellius Fusius. Eusebius sic. Principium 81. Iubilæi secundum Hebræos, hoc est, ab Adam vsq; in præsentem annum 4000. annorum. Iobel autem apud Hebræos quinquagenarius vocatur. 32

11 17. Vinitius. Cassius. Iohannes Bapt. decollatur.

12 18. Tiberius Cæsar. 5. consul. Lazarus resuscitatur à mortuis, Episcopus Cypri futurus, & 24. annis victurus, Cassiodorus sic. His Consulibus dominus noster Iesus Christus passus est 8. die Calend. Aprilis, & defectio solis facta est, qualis antea vel postea nunquam fuit. Iesus Christus filius Dei, iuxta prophetias (quæ de eo fuerant prælocutę) passus est, 8. die Calend. Aprilis luna 15. iuxta 4. Euangelia, in anno 18. Tiberii Cæsaris, secundum Euang. sancti Iohannis, atque die tertio, id est, 6. die Calendarum Aprilis, luna 17. secundum historiam sancti Euang. à mortuis resurrexit. Flegon historicus sic. Quarto anno 202. Olimpiadis, magna & excellens inter omnia, quę ante eam acciderant, solis defectio facta est, hora diei sexta, adeo tenebrosa, vt stellæ in cœlo visæ sint: terræque motus in Bithinia Nicenæ vrbis multas ædes subuertit: Hoc Flegon. Iosephus etiam vernaculus Iudæorum scriptor historicus, adhæc commemorat, die Pentecostes sacerdotes primum commotionem locorum & quosdam sonitus sensisse, deinde ex abdito templi repentinam subito erupisse, vocem dicentium: Transmigremus ex his sedibus. Sanctus Stephanus passus est Saulo hortante & præsente: quod vero ipse Paulus in hoc anno conuersus sit, ita ad Galathas confirmat. Cum vocauit me Dominus per gratiam suam vt reuelaret filium suum per me, vt Euangelizarem illum in gentibus continuo non acquieui carni & sanguini, id est, sine mora post reuelationem Christi non exiuit ad Apostolos, vt reuelationem Domini conferret cum hominibus, sed abiit in Arabiam, & rursum de Arabia reuersus Damascū. post 3. annos Euangelium prædicauit, & tunc demum Hierosolymam venit, ipso ita teste: neque enim veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum. Quæ vt vera credantur ab absentibus, sub testatione Domini confirmat, dicens: Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Isti sunt 3. anni, quos Lucas dies multos dicit in actibus Apostolorum, quibus Paulus in Damasco Euangelium audacter loquebatur. Certum est enim quod statim vt baptizatus sit, & accepto cibo confortatus, eum cum discipulis, qui erant Damasci, esse per dies aliquot, & stupentibus cunctis, in synagogis Iudæorum prædicasse, quod Iesus esset filius Dei, & recessisse in Arabiam, & de Arabia in Damascum reuertisse, & ibi fecit triennium, quos dies multos dicit scriptura sic: Et cum implerentur dies multi, voluerunt Iudæi occidere eum &c. Accipientes ergo discipuli eius, nocte per murum dimiserunt eum, summittentes in sporta, ipso ita testante. Deinde post annos 3. hoc est conuersionis, veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus 15. alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Anno igitur 38. incarnationis, hospitatus est Paulus apud Petrum in Hierusalem. Deinde, id est, post prædictos annos, & gesta dicit sic: Veni in partes Syriæ & Ciliciæ: eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudęæ, quæ erant in Christo: tantum auditum habebant q; qui persequebatur eos aliquando, nunc euangelizaret fidem, quam aliquando oppugnabat, & in me clarificabant Deum. Deinde post annos 14. rursum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto etiam Tito &c. In principio suæ conuersionis & fidei, in transitu Apostolos vidit in Hierusalem, hoc est, post tres annos postquam conuersus est. Deinde post annos vt ipse perhibet 14. supra prædictos 3. annos, hoc est, post 17. annos suæ conuersionis plene cum Apostolis loquitur in Hierusalem, & se humiliat. Deinde Petrus venit Romam, vbi prædicans Euangelium, 25. annis, mensibus 5. diebus 13. eiusdem ciuitatis fuit Episcopus, hoc est vsque in vltimum annum Neronis, in quo cum Sancto Paulo passus est. Sub Consulibus Siluano & Othone, teste Cassiodoro Senatore. Cassiodorus sic dixit. Siluanus & Otho viri clari Consules, quibus Consulibus Petrus & Paulus passi sunt sub Nerone, qui turpiter viuens, cum à Senatu quæreretur ad pœnam, de palatio fugiens, ad 4. vrbis milliarium, in suburbano via Numantana sese interfecit, anno ætatis 32. Cui successit Galba, qui regnauit mens. 7.

1 2 65 13 3 66 14 4 67 15 5 68 16 6 69 17 7 70 18 8 71 19 9 72 20 10 73 21 11 74 22 12 75 23 76 24 77 25 78 26 79 27

Post

Post hunc regnauit Otho mensi. 3. Post quem Vitellius regnauit mensibus 8. Qui infra omnes præscriptos duos Consules regnauerunt. Hæc Cassiodorus. Vitellius vero occisus est 3. die mensis Octobris, Iosepho teste historico, qui tunc interfuit. Cassiodorus sic perhibet.

80. Vespasianus, & Titus.

81. Vespasianus & Titus 2. His Cõsulibus Vespasianus suscepit imperium, annis 9. mensibus 11. diebus 22.

82. Vespasianus, annis 10.
92. Titus annis duobus.
94. Domitianus, annis 15. mens. 5.
110. Nerua anno 1. mens. 5.
111. Traianus, annis 19. mens. 8.
130. Adrianus 31. mens. 11.
152. Pius annis 23.
175. Marcus 19. mens. 1.
195. Commodus annis 13.
208. Helius, mens. 5.
209. Iulianus mens. 7.
227. Seuerus annis 18.
234. Caracalla annis 7.
235. Macrinus anno vno.
239. Aurelius annis 4.
Alexander annis 13.
252. Maximinus annis 3.
255. Gordianus annis 6.
261. Philippus annis 7.
268. Decius anno 1. mens. 3.
269. Gallus & Volusianus, annis 2. mens. 4
271. Galienus annis 15.
286. Claudius anno vno.
287. Quintilus frater Claudii mense vno.
290. Aurelianus anno vno, mens. 6.
291. Tacitus mens. 6.
292. Probus anno vno, mens. 4.
293. Florianus mens. 3.
295. Carus annis 2.
315. Diocletianus annis 20.
340. Constantinus Magnus annis 20. mens. 10.

Chronicæ vero perhibent Tiberium 23. annis, hoc est 5. annis post passionem. Caium 4. annis. Claudium 14. annis imperasse, præmittentes superos menses, quibus super annos regnaueruut, & interualla temporum inter reges & fines annorum, in quibus reges sæpe moriebantur, vel regno defecerunt. Iuxta ergo chronicas, inter passionis annũ & Vespasiani annum sunt anni 37. 47. vero iuxta Sanctum Paulum, teste S. Hieronymo super eum ad Paulum, & Eustachium. Decem itaque anni desunt in chronicis in tanto spatio: sed tamen alio vestigio sequamur chronicas, hoc modo.

35 19. Vicinitius. Longinus. Sancta Maria annorum 47. moritur, feria tertia. Sanctus Stephanus passus est, & S. *Paulus* conuersus. Pilatus Thesaurum sacrum, qui & Corbona vocatur, in aquæ ductum Hierosolymorum expendens, secundæ seditionis præbuit semina. 13

36 20 Sulpitius. Sylla. Seranus præfectus Tiberii, qui apud eum plurimum poterat, instantissime cohortatur vt gentem Iudæorum deleat, scribit Philo in libro legationis secundo. 14

37 21 Priscus. Vitellius. Paulus sic ad Galatas: cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum super me, vt Euangelizarem illum in gentibus. Continuo non acquieui carni & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reuersus sum in Damascum. Deinde post annos 3. veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus 15. alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Domino non mentior, *Beda* sic. Constat ergo *Paulum* post annos 3. conuersionis suæ venisse Hierosolymam, & Apostolorum numero sociatum: hoc est, quando *Lucas*, sicut dicit in actibus Apostolorum *Barnabam* apprehensum illum duxisse ad Apostolos. Hæc *Beda*. 15

38 22 Gallus. Nonianus. S. *Petrus* cathedram Antiochenæ Ecclesiæ tenet annis 7. Agrippa, qui & Herodes filius Aristobuli, filii Herodis Magni, accusator Herodis Tetrarchæ, Romam profectus, à Tiberio in vincula coniicitur, vbi plurimos sibi asciuit in amicitiam, & maxime Germanici filium Caium. Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, vt inter cætera sacra reciperentur. Verum cum ex consilio Senatus, Christianos ex vrbe eliminari placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum minatus est mortem. 16

39 23 Gallienus. Plautianus. Scribit Tertullianus multi Senatorum & equitum Romanorum interfecti. His consulibus (teste Cassiodoro) anno 23. Imperii, ætatis 78. Tiberius veneno obiit in Campania, quasi mense Septembri. Cui successit Caius. Romanorum quartus Caius, qui & Caligula, in eodem anno, quo obiit Tiberius, incipiens, regnauit annis 4. mensibus 10. diebus 8. teste *Eusebio* & *Beda*. Hoc est, vsque Calendas Augusti 17

gusti in anno 10. post passionem Domini. Sub quo hi consules fuerunt: teste Cassiodoro.

40 1 Proculus. Nigrinus. Sanctus *Petrus* in anno 6. post passionem, primo anno Caii, cathedram Antiochiæ Ecclesiæ 8. Cal. Martii tenet per annos 7. cum *Petrus* venisset Antiochiam, affirmante *Paulo*, tunc credendum in facie illi *Paulum* restitisse. Caius Herodem Agrippam, amicum suum, vinculis liberatum, regem Iudææ facit per annos 7. 18

41 2 Iulianus. Asprenas. Ciclus decen 2. incipit, Indict. 7. Flaccus Auilius, præfectus Ægypti, multos Iudæos calamitatibus premit, consentiente Alexandriæ populo, & crebris aduersus eos clamoribus personante: synagogas quoque eorum imaginibus, statuis, aris, & victimis polluit. Philo scribit in libro, qui & Flaccus, hæc omnia se præsente gesta obque legationem ad gaudium ipse susceperit. Herodes tetrarcha & ipse amicitiam Caii petẽs agende Herodiade vxore sua, Romam venit. Sed accusatus ab Agrippa tetrarchiam perdidit, fugiensque in Hispaniam cum Herodiade, mœrore periit, pro lætitia decollationis S. *Iohannis*. 19

42 3 Publicola. Nerua. Caius Memnii reguli vxorem duxit, impellẽs eum vt vxoris suæ se parentem scriberet. Pilatus in multas incidens calamitates, & irrogante Caio, eo actus est, vt sua manu, qua Christum crudelissime flagellauit, ipsa semet perimeret. Caius Petronio præfecto præcepit, vt Hierosolymis statuam suam, sub nomine Iouis Opt. Max. poneret toto orbe Romano. Sicut Philo scribit & *Iosephus*, in synagogis Iudæorum, statuę imagines & aræ Caii Cæsaris consecratæ sunt. 20

43 4 Caius Cæsar 2. Claudius. Plurimi nobilium à Caio sunt interfecti, sororesque suas, quibus ipse stuprũ intulerat, insularum exilio condemnat, iussitq; omnes exules interfici. 21

44 5 Cæsar 3. Iulianus S. *Matthæus* in Iudæa prædicans, Euangeliũ scripsit. His consulibus, Cassiodoro teste. Caius á protectoribus suis occiditur in palatio, anno ætatis suæ 24. mense quasi Iulio. Cui successit Claudius. Romanorum 5. Claudius regnauit annis 14. mensibus 7. diebus 38. Hoc est vsq; Calen. Aprilis, in anno 25. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt. 22

45 1 Claudius Cæsar 4. Saturninus. Hic est Claudius patruus Drusi qui apud Mogũtiacum monumentum habet. 23

46 2 Saturninus. Venustus. *Eusebius* sic. *Petrus* Apostolus, cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, vbi Euangelium prędicans 25. annis, mensibus 5. diebus 13. Episcopus eiusdem vrbis perseuerat. 24

47 3 Tiberius. Gallus. *Marcus* Euangelista, interpres *Petri*, in Ægypto & Alexandria Christum prædicat. Primus Antiochiæ Episcopus ordinatur Euodius. 25

48 4 Crispinus. Taurus anno 15. Tiberii, secundum Chronicam *Eusebii*, & *Bedæ* presbyteri, Agrippa rex Iudæorum annis 7. imperans obiit, post quem filius suus Agrippa à Claudio in regnum constituitur. Prophetia Agabi, quæ in actibus Apostolorum famem in toto orbe dixerat futuram, sub Claudio expletur. Hæc *Eusebius*. *Beda* vero sic. Quarto anno Claudii fames grauissima, cuius *Lucas* meminit, facta est. Hæc *Beda*. *Lucas* vero in actibus Apostolorum sic. In diebus illis superuenerunt, ab Hierosolymis prophetæ Antiochiam, & surgens vnus ex eis, nomine Agabus significauit per Spiritum sanctum, famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem (prout quisque habuerat) proposuerunt ministerium mittere in Iudæam fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Apostolorum *Barnabæ* & *Pauli*. Eodem autem tempore, misit Herodes rex Magnus, vt afflige ret quosdam, de Ecclesia &cæt. Sequitur *Lucas*. Segregate mihi *Barnabam* & *Paulum*, in opus, ad quod assumpsi eos. *Bedæ* sic. *Paulus* iuxta ordinem historiæ 13. anno post passionem Domini Apostolatum cum *Barnaba*, Paulique accepit vocabulum. 14. autem anno post passionem iuxta condictum *Iacobi*, *Cephæ*, & *Iohannis*, ad gentium magisterium est profectus. Hæc *Beda*. De hac ergo ascensione sua in Hierusalem, post quam dixit (vt supra diximus) post 3. annos conuersionis suæ, in Hierusalem vidisse *Petrum*, subiunxit, deinde post annos 14. ascendi Hierosolymam cum *Barnaba*, assumpto & Tito, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gẽtibus &c. Et hoc est secundum *Lucam*, statuerunt *Paulus* & *Barnabas* vt ascenderent, & quidam alii ex illis ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem &cæt. Sequitur igitur vt B. *Petrum* non ante eundem 14. annum post passionem Domini, quo cum Hierosolymis alloquitur *Paulus*, hoc est, quarto Claudii Cæsaris anno Romam venisse credamus. Vbi numerus ipse, quem posuit *S. Paulus*, recensendus est annorum. Scimus enim *Petrum* & *Paulum* Apostolos anno 39. post annum passionis, id est vltimo anno Neronis, passos fuisse, & B. *Petrum* Romæ 25. annis mens. 5. diebus 3. à 15. Calend. Februarii, quo cathedram tenuit, vsq; 3. Calend. Iulii quo

passus est prædicasse. Viginti quinque anni *Petri*, & 14. S. *Pauli* cum anno passionis domini, fiunt 39. anni. Incarnationis ergo 45. Claudii vero primo anno. *Iacobus*, frater *Iohannis*, gladio occiditur ab Herode 8. Cal. Aug. *Petrus* autem anno secundo Claudii, in diebus Azymorum, in carcerem mittitur, idemque Herodes qui & Agrippa ab angelo percutitur S. vero *Petrus* anno 14. passionis, hoc est quarto Claudii, iuxta chronicas, 15. Calend. Febr. Romæ cathedram tenuit. Claudius de Britannis triumphauit, & Orcades insulas Romano adiecit imperio.

27 5 Vicinius. Cornelius. Domitius orator clarus, qui sub Nerone abundantia cibi in cœna obiit, Inter Theras & Therasiam exorta est insula habens stadia 30. 49

28 6 Asiaticus. Cornelius. Descriptione Romæ facta, inuenta sunt ciuium Romanorũ 215. millia. Thracia in prouinciam redigitur. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bissextilibus. 50

29 7 Tiberius. Vitellius. Sub procuratore Iudææ Cumano in diebus Azymorum, tanta est Hierosolymis orta seditio, vt in exitu portarum populo corruente, 30000 Iudæorum corruerunt. Annus passionis Domini, secundum chronicam *Eusebii* & *Bedæ*. 51

30 8 Vitellius. Publicola. Palemon Vicetinus grammaticus Romæ clarus habetur: qui quondam interrogatus, quid inter stillam & guttam interesset, gutta, inquit, stat, stilla cadit. Annus 15. Tiberii iuxta *Dionysium*. 52

31 9 Veranus. Gallus. Claudius omnes Iudæos à Roma discedere præcepit. 53

32 10 Vetus. Seruilianus. Fame facta in Græcia, modius 6. drachmis venundatus est. 54

33 11 Claudius. Orfetus Magna fames Romæ. *Marcus* Euangelium, quod Romæ scripsit, *Petro* mittente, in Ægypto prædicat. 55

34 12 Siluanus. Siluius. Passio & resurrectio Christi secundum *Dionysium*. In anno passionis secundum *Dionysium* Cœna dominica, dominico die, 12. Calend. Aprilis, & resurrectio Christi 5. Calend. Aprilis, luna 21. contra 4. Euangelia. Claudius Fœlicem procuratorem Iudæam mittit, apud quem *Paulus* Apostolus accusatus, in defensionem sui perorat. 56

35 13 Tiberius 3. Caius regnauit annis 4. mensibus 10. Lazarus primus Episcopus Cypri obiit secunda morte, dum 24. annis inter 2. vixit mortes, Amalario teste. Sub Fœlice procuratore in Iudæa extiterunt multi, qui populum suis persuasionibus deciperent iniquis, & Ægyptius quidam pseudopropheta fuit, qui plurimos sibi associans, in ipso rerum magnarum conatu, per exercitum Fœlicis opprimitur. Scribit *Iosephus* consentaneus Apostolorum actibus, in quibus *Paulo* dicitur à Tribuno, nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies populum concitasti, & eduxisti in desertum. 4000. virorum sicariorum? 57

36 14 Sillanus. Otho. Agrippa vxor Claudii, postquam eum veneno occidit, vt filium suum Neronem regem faceret, misit repente Birrum principem militiæ, cum Tribunis potentibus ad castra, & ductus adoratus est more principis. His Consulibus, teste Cassiodoro, Claudius in Palatio obiit, 64. ætatis anno, mense quasi Martio, & Nero suscepit imperium. Romanorum 6. Nero regnauit annis 13. mensibus 7. diebus 28. hoc est, vsq; pridie Calend. Decembr. in anno 29. post passionem domini. Huius auunculus fuit Caius Caligula. Sub quo hi Consules fuerunt. 58

37 1 Sillanus 2. Antonius 2. Fœlice regnante in Iudæa, seditio orta est in Cæsarea Palæstinæ, & magnam Iudæorum multitudinem perdidit. 59

38 2 Marcellinus. Auiola. Ciclus decennouenalis tertius, incipit, indictione vndecima. Festus succesſit Fœlici, apud quem, præsente Agrippa rege, *Paulus* Apostolus religionis suæ rationem exponens, vinctus Romam mittitur. His Consulibus, Cassiodoro teste, anno 2. Neronis, id est, 26. post passionem, & post biennium liberæ suæ custodiæ, ad prædicandum liber dimittitur, anno quarto Neronis. Romani autem dicunt *Petrum* annis 15. in Roma fuisse antequam *Paulus* ad Romam venit. B. *Petrus* secundum gesta pontificum ordinauit duos Episcopos, Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in vrbe Roma populo super venientium exhiberent *Petrus* vero orationi & prædicationi, populum erudiens, vacabat. Linus corepiscopus sub *Petro* Apostolo, exteriora curauit per annos 11. mensesq; 3. 60

39 3 Nero. Vetus. Claudius regnauit annis 14. mẽsibus 7. diebus 28. adde menses 10, Caii fit annus, & menses 5. dies 36. 61 62

40 4 Nero 2. Piso. Probus Romæ eruditissimus grammaticus habetur. 63

41 5 Nero 3. Messala. Nero matrem suam Agrippinam, & sororem patris interfecit. Terræ motus Romæ, & defectio solis.

6 Nero

64 6 Nero 4. Cornelius. Nero tantæ luxuriæ fuit, vt frigidis & calidis lauaretur vnguentis. Feſto procuratori Iudeæ ſucceſſit Albinus. *Iacobus* filius Alphei, frater domini, cum 30. annis poſt paſſionem domini Hieroſolymorum rexiſſet Eccleſiam, 8. Calend. Aprilis, ſancto die Paſchæ à Iudæis lapidatur, vindicantibus in eo, quod *Paulum* occidere nequiuerunt. Quoniam itaque 8. Calendarum Aprilis in Paſcha paſſus eſt *Iacobus*, & hoc in anno 30. poſt paſſionem, factum eſt iuxta totam Eccleſiam, & omnes hiſtoricos ſatis apparet, quod 6. Calendarum Aprilis reſurrexit Dominus. Hic itaque eſt annus ſextus Neronis ratione temporis, ſecundum vero falſam ſupputationem Olimpiadarum eius eſt 7. in quo antea iuxta *Bedam* & Theophilum, in 8. Calend. Aprilis Dominum reſurrexiſſe narrauimus. Reſurrectionem enim Chriſti in hoc anno 8. Calendarum Aprilis S. Beda putat propter ſupputationem iniquæ chronicæ *Euſebii*, & poſtea ſuam chronicam compoſuit ab incarnatione Domini, ſicut ipſe dicit. *Iacobo* vero paſſo, in thronum eius frater, eius *Simeon* qui & *Simon*, aſſumitur. Hi fratres Domini dicuntur, quia mater eorum Maria, vxor Alphei, ſoror erat Mariæ matris glorioſæ Domini quod Mariæ Cleophæ dicit *Iohannes*, vel quia Alpheus Cleophas, vel poſt natum *Iacobum*, defuncto Alpheo Maria nupſit Cleophæ, cui *Simonem* filium genuit, qui Cleophas fuit frater *Ioſeph*: Ipſa etiam Maria eſt, quæ *Iacobi* minoris ſcribitur mater, fuitque vxor Alphei, & ſoror matris Domini, quam Mariam Cleophæ *Iohannes* dicit, à patre, vel à gentilitate familiæ, vel alia cauſa, vel binomia fuit. Fratres Domini appellantur filii materteræ eius Mariæ, qui ante non credentes, poſtea crediderunt. Tres enim ſorores fuerunt: Maria mater Domini, & mater *Iacobi*, & *Ioſephi*, & mater filiorum Zebedei. *Iacobus* Alphei, id eſt filius Alphei, ad diſtinctionem ſuperioris *Iacobi*, quædam Mariæ Cleophæ quæ matris Domini ſoror erat, ex patre Alpheo nata. Hic Cleophas, & pater huius Mariæ fuit, & frater *Ioſeph*. *Ioachim* habuit vxorem nomine Annam, ex qua nata eſt virgo Maria. Defuncto *Ioachim*, accepit eam Cleophas vxorem, ex qua genuit filiam, quam vocauit Mariam, quæ eſt ſoror matris domini. Dedit autem Cleophas filiam ſuam Alpheo in vxorem, ex qua natus eſt *Iacobus*, frater Domini dictus. Deſponſauit etiam *Ioſeph* fratri ſuo virginem Mariam, de qua natus eſt Ieſus. Maria vero Salome (teſte Heimone) vel à vico, vel à viro dicta eſt. Tradunt enim eam habuiſſe duos viros Cleo- 42
65 pham, & Salomem. Ipſam volunt eſſe, quæ alibi Maria Cleophæ appellatur.

66 7 Pius. Turpilianus. Nero Romæ cythara contendens ſuperat. 43

8 Macrinus. Gallus. Nero retibus aureis piſcabatur, quæ funibus purpureis extrahe- 44
67 bantur, ante cuius menſam fulmen cecidit.

9 Craſſus. Baſſus. Marcus Euangeliſta carne exuitur ſancto die Paſchæ, 7. Ca- 45
lendarum Maii, vt legitur in martyrologia. Marci Euangeliſtæ natiuitas 7. Calendarum Maii. Hic diſcipulus, & interpres S. Petri, rogatus Romæ à fratribus, ſcripſit Euangelium, quod quando cæteris tardius inchoauit, tanto in longiora ſcribendo tempora porrexit. Ab initio enim Euangelicæ prædicationis, quod per Iohannem factum eſt, cœpit: & vſque ad tempus, quo Apoſtoli prædicauere, peruenit. Quod cum Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiis legendum ſua authoritate firmauit. Quo Euangelio aſſumpto, idem Marcus, mittente Petro, perrexit in Ægyptum, primumque Alexandriæ Chriſtum prædicans, conſtituit Eccleſiam. Erat autem tanta doctrina, vitæque continentia, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſuum cogeret. Cuius Petrus in epiſtola ſua ſic meminit, nomine Babylonis, nominans Romam, ſalutat vos Eccleſia, quæ in Babylonia eſt collecta, & Marcus filius meus. Quique conſtitutis & confirmatis Eccleſiis per Lybiam, Marmaricam, Hammonicam, Pentapolim, Alexandriam & Ægyptum vniuerſam, ad vltimum tentus eſt à Paganis, qui remanſerunt in Alexandria, qui videntes eum miſſas facientem die ſancto Paſchæ 7. Calendarum Maii, miſerunt funem in collum eius, & trahebant eum ad loca Bubali, quæ erant iuxta mare ſub rupibus, vbi erat conſtructa Eccleſia, defluebantque carnes eius in terram, ac ſaxa inficiebantur ſanguine. Veſpere autem facto, miſerunt eum in carcerem, vbi circa mediam noctem primo angelica viſitatione confortatus eſt. At mane cum traheretur ad loca Bubali, gratias agens ac dicens, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, obiit, & ſepultus eſt in loco lapidis exciſi cum gloria, à viris ſanctis, 9. anno Neronis. Hoc in martyrologio. Quod autem noſtrum non Hebræorum Paſcha celebraret, S. Marcus teſtis eſt. Etiam *Beda* ſuper actus Apoſt. ita. Conſtat iam Apoſtolum Petrum Romæ die dominico reſurrectionis Domini *N. I. C.* Paſcha celebraſſe. Conſtat etiam hoc: Euang. Marcum ab eo miſſum docuiſſe in Ægypto. Hæc *Beda*. Quum igitur Indict. 10. incœpit primus annus Neronis, in 25. anno poſt paſſionem Domini, & Indictione 3. octauus eiuſdem

annus finitur. In anno 33. post passionem, in quo 7. Calendarum Maii die dominico passus est S. Marcus, & pagani carnem eius in terram trahebant, tamen adhuc spiritum retinens, vixit vsq; mane, nonne emicat quod Christus 7. Cal. Aprilis resurrexit à mortuis? Pascha enim, 7. Cal. Maii, non ante vel post prædictum annum quam 95. annis habetur. Post Marcum Euangelistam primus Alexandriæ ecclesiæ ordinatur episcopus Anianus, qui præfuit annis 22.

46 10. Sillanus. Paulinus. Perseus obiit anno ætatis 29. Thermæ à Nerone ædificantur 68
quas Neronianas vocabat. M Anneus Lucanus, Cordubensis, Poeta, in Pisoniana cõiuratione deprehensus, brachium ad secandas venas præbuit medico. Nero vt similitudinem Troiæ ardentis inspiceret „plurimam partem Romanæ vrbis incendit. In Asia tres vrbes terræmotu conciderunt, Laodicia Hieropolis, Colossæ, Albino succedit Florus, sub quo Iudæi contra Romanos rebellauerunt. Iunius Gallio, frater Senecæ, egregius declamator propria se manu interfecit.

47 11 Censinus. Apuleius. Duæ tantum sub Nerone prouinciæ factæ Pontus Ptole- 69
miacus, & Alpes Cottiæ Cottio rege defuncto. Multi nobilium Romæ à Nerone interfecti sunt. Nero in Olimpiade coronatur, cericas, citharistas, tragœdos, aurigas vario certamine superans.

48 12 Capito. Rufus. Linus Corepiscopus, secundum gesta pontificum, his Consu- 70
libus (teste Cassiodoro) passus est 9. Calendarum Octobris, & sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano. Cletus Corepiscopus, succedit, annis 12. L. Anneus Seneca, Cordubensis, præceptor Neronis, & patruus Lucani poetæ incisione venarum & veneni haustu obiit.

49 13 Italicus. Turpilianus. Nero in expensas centies centena millia decreto Senatus an- 71
nua sumministrat. Nero cum cæteris viris insignibus, & Octauiani vxorem interfecit, Cornutumq; philosophum, præceptorem Persei, in exilium fugat.

50 14 Siluanus. Otho. His Consulibus (teste Cassiodoro) Nero Petrum & Paulum & se 72
interfecit. L. Anneus Melas, frater Senecæ, Cordubensis, & Gallionis bona Lucani poetæ filii à Nerone promeretur. Primus Nero super omnia scelera sua, etiam primam persecutionem in Christianos facit, in qua vna die B. Petrus crucifigitur, & Paulus gladio cæditur, anno 38. post passionem. Contra Iudæos qui, Flori auaritiam non ferentes, rebellabant, Vespasianus magister militiæ à Nerone transmittitur, qui in Iudæa multas vrbes cepit. Flauuius Iosephus, scriptor historicus, dux belli Iudæorum, cum à Romanis interficiendus esset, Vespasiano prædixit de morte Neronis, & eius imperio, Leo 2. successor Agathonis Papæ, in sua decretali epistola sic. Si autem Petrus, Apostolorum princeps, adiutores sibi acciuit Linum & Cletum, non tamen pontificii potestatem, aut soluendi vel ligandi normam eis tradidit, sed Clementi successori suo, qui sedem Apostolicam post eum, & pontificalem, tradente sibi B. Petro Apostolo, tenere promeruit. Linus vero & Cletus ministrabant exteriora: princeps autem Apostolorum Petrus verbo & orationi insistebat. Linum enim & Cletum nihil vnquam legibus suis ex pontificali ministerio potestateue egisse, sed quantum eis à B. Petro præcipiebatur, tantum solummodo agebant. Hæc Leo Papa. Clemens ergo Papa, primus post Petrum, Romanam Ecclesiam tenuit, vel cum Lino & Cleto, sicut cum Petro fuit. Post Petrum, imo etiam cum Petro primus Papa S. Clemens Romanam rexit Eccles. ipso ita teste: Clemẽs Rom. Ecclesiæ præsul Iacobo Hierosolymorum Episcopo, Quoniam sicut à Beato Petro Apostolo accepimus, omnium Apostolorum principe & patre, qui claues regni cœlestis accepit, æqualiter tenere debemus de Sacramentis, quæ geruntur in sanctis, ex ordine nos decet instituere &cæt. Clemens vrbis Rom. Episcopus: &cæt. Et infra sic. De quibus. B. Petrus instructor & ordinator noster. Et paulo post. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus vobisque hæc omnia absque reprehensione tenere & docere, quibus agendum est, mandamus. Et post. Dominus noster Iesvs Christvs mittens discipulos suos, præcepit nobis, in quamcunque ciuitatem intraueritis, dicite: Pax huic domui & cæt. Clemens Rom. vrbis Episcopus, charissimis fratribus Iulio & Iuliano &cæt. Dilectissimis fratribus & condiscipulis Hierosolymis, cum charissimo fratre nostro Iacobo Episcopo habitantibus. Clemens Episcopus &c. Hæc ipse Clemens. Sanctus ergo Clemens, non tantum successor B. Petri fuit, sed etiam viuẽte Iacobo, nouem annis ante passionem Petri Rom. cathedram tenuit iuxta scripturam, & deinde post Petrum 21. id est, 12. cum Cleto, vel cum Lino & Cleto, & 9. annis post eos, vsque dum in exilium missus est. Si S. Clemens Papa tunc fuit, quando decretalem istam Epistolam S. Iacobo conscripsit. Nullius autem legitur decretalis epistola

ſtola niſi papæ, qui annum nonum ei imputant, quaſi poſt Cletum, tanquam ipſi ſoli cathedram tenerent, & præmittitur Anacletus Papa 2. poſt Petrum 10. annis ſedens, quia non poſſunt ſub regibus ſupputari vſque Traianum Imperatorem, Papæ 4. Iacobus enim in anno 30. poſt paſſionem Domini paſſus eſt, & Petrus 39. Traianus etiam in anno 70. poſt paſſionem regnare cœpit, ſub quo paſſus eſt S. Clemens. Nullum autem graui Anathematis ſententia percuſſiſſet S. Clemens, niſi Epiſcopali poteſtate ſedis apoſtolicæ, dicendo, ſit anathema. Linus ex præcepto B. Petri præcepit, ne mulier non velato capite Eccleſiam intraret. Cuius Paulus in Epiſtola ad Timotheum meminit, qui etiam martyrio 6. Calendarum Decembris coronatur. Romæ paſſi ſunt Proceſſus & Martinianus, & 47. qui baptizati ſunt à Petro, & in cuſtodia Mamertini retruſi, Torpes. Marcellus, & Apuleius. In Alexandria Marcus Euang. 8. anno Neronis, Mediolano Nazarius & Celſus. Apud Aquileiam Hermagoras Epiſcopus, Fortunatus diaconus, Fœlix cum Conſtantia. Oroſius presbyter ſic: At vero Nero poſtquam Galbam in Hiſpania Imperatorem creatum ab exercitu cognouit, totus animo ac ſpe concidit. Siquidem Petro in vrbe Romana interfecto, & Chriſtianis pœnarum diuerſitate laniatis, de Hiſpania illico Galba ſurrexit. Cumque Nero perturbandæ, imo ignominioſiſſime ſubruendæ Reip. mala moliretur, hoſtis à Senatu pronunciatus, & ignominioſe fugiens ad quartum ab vrbe lapidem, id eſt, ad quartum vrbis miliarium, in ſuburbano libertini ſui, inter Salariam & Numantanam viam ſeipſum occidit, ætatis 32. anno. In quo omnis familia Auguſti conſumpta eſt.

Oroſius lib. 7. c. 7.

Oroſius. lib. 7. c. 7.

ROMANORVM 7. Galba Seruius, mox vt mortem Neronis comperit, Romam venit. Qui cum antiquiſſimæ nobilitatis Senator anno 73. ætatis eſſet ab Hiſpanis & Gallis electus, mox ab vniuerſo exercitu libenter acceptus eſt. Nam priuata eius vita inſignis erat militibus, & militaribus ac ciuilibus rebus. Sæpe Conſul, ſæpe Proconſul, frequenter dux grauiſſimus belli. Huius breue imperium bono cœpit exordio, niſi quod propenſior erat ad ſeueritatem. Oroſius ſic: Cumque omni auaritia, ſæuitia, ſegnitiaque offenderet, ſibi Piſonem nobilem iuduſtriumque adoleſcentem in filium atque in regnum adoptauit. Cum quo inſidiis Othonis in medio vrbis Romæ foro capite truncatus eſt menſe 7. ſeptemque diebus ſui Imperii, & ſepultus eſt in ſuis hortis, qui ſunt via Aurelia, non longe à Roma. Hic igitur regnauit vſque in finem Iulii in anno 32. poſt paſſionem, iuxta temporis rationem.

73 1 Veſpaſianus. Titus. Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur.

ROMANORVM 8. Lucius, qui & Otho, Galba & Piſone Romæ interfectis inter tumultus cædeſque intrauit imperium. Hic matre erat nobilior quam patre, neutro tamen obſcurus: in priuata vita mollis, & Neronis familiaris, in imperio documentum ſui non potuit oſtendere. Nam cum Otho Galbam occidit à Germanis Vitellius factus eſt imperator. Otho igitur cum mox creatum imperatorem in Gallia per Germanicas legiones Vitellium comperiſſet, bellum ciuile molitus eſt. Cum autem primum tribus leuibus prœliis, hoc eſt, vno Apud Alpes, alio Apud Placentiam, tertio circa locum, quem Caſtoris vocant, contra Valentem & Cinnam Vitelliani duces congreſſus, victor extitiſſet, quarto cum apud Petriacum prælio aduertiſſet ſuos vinci, cum ingentes tamen copias haberet, & petentibus militibus, ne tam cito de euentu belli deſperaret, dixit ſe tanti non eſſe, vt propter eum bellum ciuile oriretur, ſicque anno 38. ætatis, imperii autem die 90. poſtquam imperare cœpit, ſeſe interfecit, hoc eſt, vſque in menſem Octobrem, in eodem anno quo Galba occiſus eſt. Cui ſucceſſit Vitellius vſque Octobr. menſem, in anno 40. poſt paſſionem.

1 ROMANORVM 9. rex Vitellius regnauit menſ. 8. & 8. diebus, vſq; menſem Octobr. in anno 40. poſt paſſionem.

74 1 Veſpaſianus 2. Titus 2. His Conſulibus, teſte Caſſiodoro, Veſpaſianus apud Iudæam ab exercitu imperator appellatus eſt. Vitellius occiſo Othone potitus imperio, cum ſuis Othoniſque militibus ingenti gloria victor Romam venit. Hic familia erat ortus honorata, magis quã nobili. Nam pater eius nõ admodũ clare natus, tres tamen ordinarios geſſit Conſulatus. Hic cum multo dedecore imperauit, & graui ſæuitia notabilis præcipue ingluuia, & voracitate vitam humanam propriis malis aggrauauit, quippe vno die ſæpe quater, vel quinquies fertur epulatus. Notiſſima certe cœna memoriæ mandata eſt, quam ei frater Vitellius exhibuit, in qua (ſupra cæteros ſumptus) duo millia piſcium & 7. millia auium appoſita traduntur. Hic cum Neroni ſimilis eſſe vellet, & adeo ſe ob id proferret, vt etiam exequias Neronis, quæ humiliter ſepultæ erant, honoraret. Qui cum de Veſpaſiano comperit, primum molitus eſt deponere imperium, ſed poſtea à quibuſdam

busdam animatus, Sabinum Vespasiani fratrem, nihil tum mali suspicantem, cum cæteris Flauianis in Capitolium compulit. Succenso itaque templo & mixta simul flamma ruinaque, omnes in vnum pariter interitum atque tumulum dedit. Post deficiente eo, in Vespasiani nomine, & ab exercitu suo destitutus, appropinquantibusque iam hostibus, trepidus cum se in quandam proximam palatio cellam contrusisset, turpissime inde protractus est, & per vrbem publice nudus, erecto capite, & subiecto ad mentum gladio, stercore in vultu & pectore ab omnibus obuiis appetitus, postremo apud Gemonias scalas graduum minutissimorum ictuum crebrisque compunctionibus gladio stercore involuto excarnificatus est, & inde vnco tractus, in Tyberim proiectus, communi sepultura caruit. Occisus est autem 3. die mensis Octobris anno ætatis 57. *Iosepho* Iudæorum historico teste, & tunc viuente. *Eusebius* sic. Galba 7. mense imperii sui in medio Romanæ vrbis foro capite truncatus est. Otho 3. regni sui mense apud Petriacum propria manu occubuit. Vitellius 8. mense sui imperii à Vespasiani ducibus occisus, in Tyberim proiicitur. Hæc *Eusebius*. Hoc autem tempus inter Neronem & Vespasianum, nec *Eusebius*, nec etiam *Beda* supputat. Multis autem & nefariis modis per complures dies à Vespasiani militibus, id est, ab Antonio primo & Martiano (qui Vitellium occiderunt) ducibus Vespasiani, aduersus Senatum, Populumque Rom: indiscreta cæde sæuitum est. Vespasianus cum Iudæos in vrbe Hierosolymorum, præcipue ob diem festum Paschæ, congregatos obsidione clausisset, cognita morte Neronis, hortatu plurimorum regum & ducum, maxime *Iosephi* Iudæorum ducis sententia, qui captus cum in vincula coniiceretur, constantissime dixit continuo se ab eodem Vespasiano sicut imperatore soluendum imperio adepto. Bellum itaque Tito filio committens, Romam per Alexandriam proficiscitur, sed cognita morte Vitellii, paulisper Alexandriæ subsistit. Titus vero ab exercitu pronunciatus est imperator, captaque vrbe, muros vniuersos solo adæquauit, 600. millia Iudæorum interfecta eo bello, Cornelius & Suetonius referunt. *Iosephus* vero Iudæus, qui ipsi præfuit bello, & apud Vespasianum, post prædictum imperium, veniam gratiamq; meruit, scribit vndecies centena millia gladio & fame periisse, reliquos autem toto orbe dispersos 900. millia narrat. Vespasian. & Titus imperatores appellantur.

ROMANORVM 10. Vespasianus secundum omnes regnauit annis 9. mensibus 11. diebus 22. hoc est, vsq; Cal. Octobr. in anno 50. post passionem. Hic imperante Claudio ab eodem in Britanniam missus, etiam Vectam insulam, Britanniæ proximam à meridie, Romanorum ditioni subegit. Linus Episcopus annis 11. 75

53 1 Vespasianus 3. Nerua. Capitolium Romæ incensum. 76

54 2 Vespasianus 4. Titus. 3. His Consulibus, à Tito filio Vespasiani Iudæa capta, vt *Iosephus* dicit, vndecies centena millia fame & gladio perierunt, & 100. millia captiuorum venditi. *Mattheus*: Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Iuxta historiam manifestus est sensus, quia 42. anno post passionem Domini, sub Vespasiano & Tito, ipsa ciuitas cum templo magnificentissimo funditus est euersa, ita vt solo coæquaretur. Hæc *Hieronymus*. In anno igitur 42. post passionem, hoc est, cum anno passionis, in quo incœpit Vespasianus annum secundum, capta est Hierosolyma in diebus Paschæ, *Iosepho* teste & ibi præsente. Cum enim noluerunt verti ad pœnitentiam, domino eos expectante per annos 40. dignum erat vt in tempore, quo occiderunt dominum, etiam ipsi occiderentur. Pascha enim Hebræorum (anno prædicto) contigit quarta feria, in qua congregati sunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & concilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent & occiderent. Nostrum autem Pascha 8. Calend. Aprilis, in quo crucifixerunt dominum, in quibus diebus Titus capit ciuitatem, deinde templum succendit, muros vrbis vniuersos solo coæquauit, & vndecies centena millia gladio & fame perire scribit *Iosephus* Iudæorum historicus tunc præsens, & centum millia captiuorum vendita, & 900. millia dispersa. Ideo autem tanta multitudo Hierosolymis erat tunc, quia ex omni Iudæa ad templum in diebus azymorum confluebant. 77

55 3 Vespas. 5. Titus 4. 78

56 4 Vespas. 6. Titus 5. Ciclus incipit 4. concurrentibus bissextilibus. 79

57 5 Vespas. 7. Titus 6. Ciclus decennouenalis 4. incipit indictione 15. Vespasianus Capitolium ædificare orsus est: & Achaiam, Liciam, Rhodum, Bizantium, Samum, quæ liberæ ante suum tempus fuerunt: item Thraciam. Ciliciam. Comagennem, quæ sub regibus amicis egerant, in prouincias redegit. 80

58 6 Commodus Rufus. Colossus erectus est, altitudinis habens pedes 107.

81 7 Vesp.8.Titus 7.Asconius Pedianus,scriptor historicus,clarus habetur,qui 73.ætatis anno captus luminibus 12. postea in summo omnium honore consenescit. Gabinius rhetor in Gallia docet. 59

82 8 Vespas.9.Titus 8.

83 9 Siluanus.Verus.Tres ciuitates Cypri terræmotu corruerunt, Lues ingens Romæ facta,ita vt post non multos dies in Ephemeridem decem ferme millia hominum mortuorum efferrentur. 60 61

84 10 Domitianus.Messalinus.Vespasianus colonias deduxit. Apollinaris Episcopus ad Rauennam missus,& passus est.Vespasianus profluuio ventris, in villa propria, circa Sabinos obiit, 69.ætatis anno, mense quasi Septembri. Cui successit Titus his Consulibus teste Cassiodoro. 62

ROMANORVM 11. Titus,filius Vespasiani, iuxta historiam Romanam, regnauit annis 2.mens.8.diebus 20.hoc est vsq; Cal.Iunii,in anno 53.post passionem domini.

85 1 Domitianus.Rufus.Titus filius Vespas.in Græca & Latina lingua disertissimus fuit, & tantæ bonitatis, vt cum quadam die recordatus fuisset in cœna, nihil se illo die cuiquã præstitisse,dixerit,amice hodie diem perdidi.Mons Vesuius ruptus in vertice, tantum ex se iecit incendium,vt regiones vicinas & vrbes cum hominibus exureret. 63

86 2 Domitianus. Sabinus. Titus Musonium Rufum, philosophum, de exilio reuocat, & theatrum Romæ ædificans, in dedicatione eius, 5. millia ferarum occidit. Romæ plurimæ ædes incendio concremantur. Vitus vir fuit omnium virtutum genere admirabilis, adeo vt amor & deliciæ humani generis diceretur, facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Causas latine egit, poemata & tragœdias græce composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans. 12. contra se pugnantes, 12.sagittarum confixit ictibus.Tandem obiit in villa qua etiam pater, anno ætatis 42. imperii autem anno 2.mense 8.die 20.secundum Romanam historiam. Cui successit frater suus iunior Domitianus. 64

ROMANORVM 12.Domitianus regnauit annis 15.mens 5.secundum omnes,hoc est vsq; Calend.Nouembr.in anno 68.post passionem.Sub quo hi Consules fuerunt teste Cassiodoro.

87 1 Domitianus 4.Rufus 3.Domitiani vxor Augusta appellatur.Cletus his Consulibus
88 passus est 6.Calen.Maii,secundum gesta pontificum. 65

89 2 Domitianus 5.Dolobella.Decreto Senatus Titus inter Deos refertur. 66

3 Domitianus 6.Rufus 4.Domitianus eunuchos fieri prohibet.Tres virgines Vestæ
90 ob stuprum damnantur. 67

4 Flauius.Traianus.Plurimos Senatorum Domitianus in exilium mittit. Linus Epi-
91 scopus annis 11. 68

5 Domitianus 7.Nerua.Secundus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus constitutus est
92 Abalus,qui præfuit annis 13. 69

6 Traianus 2. Glabrio. Domitianus templum sine lignorum admixtione con-
93 struxit.Primus Domitianus dominum & Deum appellari se iussit.Cuius anno 6 Clemens papa in exilium missus est vt videtur,cum annis 9.post Cletum cathedram teneret. 70

7 Domitianus. Saturninus Duo menses aliter appellati, September Germanicus October Domitianus, Anacletus papa post *Petrum* 2. Clementi successit annis 10. ipso ita teste. Anacletus seruus IESV CHRISTI, in sede Apostolica &cæt. & infra. Nam vt ait B. Clemens antecessor noster &cæt. Anacletus Episcopus vniuersis Episcopis in Italia constitutis. Quantam Apostolicæ sedis debitam reuerentiam erga me charitasvestra distribuit &cæt. Et postea: Et vt à B. *Petro* principe sumus instructi, à quo & presbyter sum ordinatus, &cæt. Prouinciæ autem multæ ante aduentum Christi diuisæ erant maxima ex parte,& postea ab Apostolis & B. Clemente, præcessore nostro, ipsa diuisio est renouata &cæt. Anacletus seruus IESV CHRISTI, in Apostolica sede à domino constitutus,& à S. *Petro* Apostolorum principe presbyter ordinatus. Quoniam hactenus de his à B. *Petro* Apostolo & reliquis Apostolis,& B. Clemente præcessore nostro & martyre nouimus statutum, denegare vobis minime possumus. Illi autem qui in metropoli à B. *Petro*, ordinante domino & præcessore nostro prædicto S. Clemente, siue à nobis constituti sunt, non omnes primates esse possunt &cæt. & postea B. *Petrus* Apostol. princeps de S. præcessore nostro Clemente plebibus prædicando docens eos qualiter & obedire deberent, eumque obseruare &cæt. Hæc Anacletus papa ait. Anacletum vero omnino *Eusebius* prætermisit, quoniam Linus & Cletus, qui non fuerunt papæ,& Clemens & Anacletus à passione *Petri* in vltimo anno Neronis, 71

vsque ad Traianum nō possint simul cum regibus stare. In loco enim annorum Clementis, quibus post *Petrum* cum Lino & Cleto, si simul post *Petrum* viui fuerunt, vel cum Cleto tantum Clemens cathedram tenuit, Linus & Cletus sunt positi, & in loco Anacleti papæ, qui post Clementem 10. annis successit, Clemens positus est. 94

72 8 Siluanus. Priscus.

73 9 Asprenas. Clemens. 1. Domitianus plurimos nobilium in exilium mittit, atq; occidit: & mathematicos, & philosophos Roma expulit. 95

74 10 Domitianus 9. Clemens 2. Multa opera Romæ facta, in quibus Capitoliū, & Forū transitorium, Diuorum porticus, Nisium, ac sæpium stadium. His Consulibus (teste Cassiodoro) Anacletus papa obiit, secundum gesta pontificum. 96

75 11 Nerua. Rufus. Domitianus de Dacis & Germanis triumphauit, quiq; tantæ superbiæ fuit vt nullam sibi statuam nisi auream pateretur poni. 97

76 12 Flauius. Vetus. Maxima virginum Vestalium Cornelia, cōuicta stupri, iuxta legem viua defossa est. Domitianus prohibuit vites in vrbibus seri. 98

77 13 Sabinus. Antonius. Flauius Iosephus historiographus, 20. libros antiquitatum his temporibus scribit. Ciclus decennonenalis incipit, indictione 3. 99

78 14 Nerua 3. Traianus 3. Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur, sub eo Apostolus *Iohannes* in feruentis olei dolium ante Portam Latinam Romæ missus, sed nihil læsus, sicut à corruptione carnis fuit immunis. Deinde in Pathmos insulā relegatus Apocalypsim vidit, quam *Irenæus* interpretatur. His Consulibus papa Clemens passus est secundum gesta pontificum. 100

79 15 Senecio. Palma. Domitianus rursum philosophos & mathematicos Roma per edictum extrudit. Romæ 6. Calendarum Maii natalis Anacleti papæ & martyris, sub Domitiano passi, qui memoriam B. *Petri* construxit & composuit, vbi Episcopi reconderentur. Euaristus papa 3. annis 10. mens. 2. Apollonius Tianius, & Euphrates philosophi clari habentur. 101

80 16 Traianus. Fronto. Domitianus eos qui de genere Dauid erant interfici iussit, vt nullus Iudæorum regni reliquus foret. Scribit Brutus plurimos Christianorū sub Domitiano martyres factos, inter quos & Flauiam domicillam, Flauii Clementis Consulis ex sorore neptem, in insulam Pontianam relegatam, quia se Christianam testata est. Multa signa atque portenta Romæ & toto orbe facta. Domitianus suorum coniuratione occisus est in palatio, anno ætatis 35. & per vespillones ignobiliter portatur. Cui successit Nerua his Consulibus. 102

ROMANORVM 13. Nerua, *Iosepho* & *Beda* teste, regnauit anno vno mens. 4. diebus 8. hoc est, vsq; Cal. Martii in anno 70. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt. 103

81 1 Traianus. Orfitus. Alexandriæ tertius Episcopus Cerdo annis 11. Senatus decreuit vt omnia, quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur. Itaq; multi quos iniuste eiecerat, de exilio reuersi sunt, nōnulli propria bona receperunt. Aiunt etiam Apostolum *Iohannem* inter reuersos de exilio solutum, Ephesum reuersum fuisse, vbi & hospitiolum, & amicos amantissimos sui habebat. Euangelium quoque contra hæreticos scripsit. Iustus à Tiberiade Iudæorum scriptor agnoscitur. 104

82 2 Senicio. Sura. Romæ passi sunt Eutiches, Victorinus, & Marcus, Apud Aminterninam vrbem Victorinus Episcopus, frater Seuerini. Nerua his Consulibus (teste Cassiodoro) obiit in hortis Saluſtianis, anno ætatis 72. cum iam Traianum adoptasset in filium.

ROMANORVM 14. Vlpius Crinitus Traianus, natus Italice in Hispania, regnauit annis. 19. mens. 6. diebus 15. teste omni historico. Hoc est vsq; Calend. Septembris in anno 89. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt. 105 106

83 1 Traianus 6. Maximus. Decreto Senatus Nerua inter Deos refertur.

84 2 Senicio 3. Sura 2. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. Hoc anno, id est, 84. incarnationis secundum Dionysium, in fine dominici diei subsequente 6. Cal. Ianuarii potuit *Iohannes* dormire. 107

85 3 Vrbanus. Marcellus. Irenæus Episcopus scripsit eum vsque ad Traiani tempora permansisse. Post quem discipuli eius insignes fuerunt, Papias Hierosolymitanus Episcopus, & Policarpus. 108

86 4 Candidus. Quadratus. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit. 109

87 5 Commodus. Cerealis. Traianus victo rege Decibalo, Daciam facit prouinciam. 110

88 6 Senecio. Sura. Traianus Hiberiam, Sarmatas Osoroenos, Arabas, Bosphorianos, Colchos

Colchos, in deditionem accepit, Seleusiam & Ctesephontem, Babylonemque occupauit & tenuit. In mari rubro classem instituit, vt per eam Indiæ fines vastaret.

111 7 Gallus. Bradua. Romæ domus aurea incenditur. Hoc anno dominicus dies 6. Cal. Ianuarii contigit, quo forte S. *Ioannes* obiit. Decretalis epistola Euaristi Papæ data est Gallo & Bradua Consulib. sub quibus passus est secundum gesta pontificum. 89

112 8 Africanus. Crispinus. Terræmotu 4. vrbes Asiæ subuersæ sunt, & Græciæ duo. 90

113 9 Crispinus. Solenus. Alexãdrinæ Ecclesiæ quartus Episcopus Primus annis 12. Euaristus Papa obiit 10. Cal. Ianuarii Alexander Papa 4. post *Petrum* annis 10. mens. 5. 91

114 10 Piso Rusticus. Traiano Christianos persequẽte, Simon, qui & Simeon, filius Cleophæ, qui post *Iacobum* Hierosolymis tenebat Episcopatum, crucifigitur, omnibus mirantibus, & ipso iudice, vt centum viginti annorum senex crucis supplicium pertulisset. Cui successit Iustus. 92

115 11 Traianus 7. Africanus 2. Antiochiæ quoque Episcopus Ignatius Romam perductus, bestiis traditur: post quem tertius constituitur Episcopus nomine Oron. Præfectus Traiani cum in quadam prouincia Christianorum multos occideret, omnesq; alacres ad martyrium properare aduerteret, multitudine perterritus, misit ad Traianum, interrogans quid facto opus esset, nuntians ei quod præter obstinationem non sacrificandi, & antelucanum congregari ad canẽdum cuidam Christo nihil apud eos mali reperiri. Præterea ad conferendam disciplinam, vetari apud eos homicidia, furta, adulteria, latrocinia & his similia. Ad quem commotus Traianus, rescripsit: hoc genus quidem inquirendum non esse, oblatos vero puniendos. 93

116 12 Celsus. Crispinus. Plinius II. Nouocomensis, orator & historicus, insignis habetur. 94

117 13 Hasta. Piso. Ciclus 6. decenn. Indict. 8. Tres vrbes Galatię terræmotu erutæ, & Pantheon Romæ fulmine concrematur. 95

118 14 Messala. Pædio. Post Iustum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episc. 4. suscepit Zachæus. 96

119 15 Æmilius. Vetus. Post Zachæum 5. Tobias. Cui successit 6. *Beniamin*, ac deinde 7. *Iohannes* 8. *Mathathias* 9. *Philippus*. 97

120 16 Niger. Apronianus. Traianus Armeniam, Syriam, Mesopotamiã fecit prouincias. 98

121 17 Clarus. Alexander. Iudæi, qui Libiæ erant, aduersum cohabitatores alienigenas dimicant. Similiter in Ægypto & Alexandria, apud Cyrenem quoque & Thebaidam magna seditione contendunt, sed gentilium pars superat in Alexandria. 99

122 18 Alexander. Salinator. Iudæis Mesopotamiæ rebellãtibus præcepit imperator Traianus Lisiæ Quieto vt prouinciam exterminaret. Aduersus quos Quietus aciem instruens infinita millia eorum interfecit. Ob hoc Iudææ procurator ab imperatore decernitur. Salaminam vrbem Cypri interfectis in ea gentibus, subuertere Iudæi. 100

123 19 Adrianus. Rusticus. Alexandri Papæ passio 5. Nonas Maii Romæ, via Numantana, ab vrbe miliario 7. cum Euentio & Theodolo præsbyteris, sub Traiano imperatore, iudice autem Aureliano decollatus. Siquidem Adrianus non adhuc imperabat, sed in martyrologio legitur. Alexander papa constituit aquam sparsionis cum sale benedicto in habitaculis hominum spargi. Sixtus Papa 5. annis 10. mensibus 11. Qui constituit in decretalibus suis, vt sacra mysteria non tractarentur, nisi à sacris ministris. Et vt intra actionem missarum Sanctus, Sanctus, Sanctus cantaretur. Romæ passi sunt Clemens & Alexander Papæ, Quirinus cum filia Balbina, Sulpitius, Seruilianus, Domicilla, Serapia virgines, Nereus, Achilleus, Ignatius. 101

124 20 Seruilius. Fuluius. His Consulibus (teste Cassiodoro) Traianus apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris obiit, anno ætatis 63. mense nono, die 4. Mensis autem nouus anni est secundum Latinos September. Solus inter omnes Traianus intra vrbem sepultus est. Ossa eius collata in vrnam auream, foro quod ædificauit sub columna posita sunt, cuius altitudo 144. pedes habet. Huius tantum memoriæ delatum est, vt vsque ad nostram ætatem non aliter in Senatu acclametur principibus, nisi, fœliciot Augusto, melior Traiano. 102

ROMANORVM 15. Adrianis secundum historiam Romanam regnauit annis 21. in anno centesimo vndecimo post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt, teste Cassiodoro, Antiochiæ constituitur 4. Episcopus Cornelius Nicapolis & Cæsarea terræmotu conciderunt.

125 1 Verus. Augurinus. 103

126 2 Auiola. Pansa. 104

127 3 Paternus. Torquatus. 105

128 4 Glabrio. Apronianus. 106

5 Asiati-

107 5 Asiaticus. Quintus. 129
108 6 Verus. Ambiguus. 130
109 7 Gallicanus. Titianus. 131
110 8 Torquatus. Libo. 132
111 9 Celsus. Marcellinus. 133
112 10 Pontianus. Rufinus. 134
113 11 Augurinus. Sergianus. 135
114 12 Tiberius. Silanus. 136
115 13 Sergius. Verus. 137

Ciclus solaris incipit 4. Ciclus decennouenalis septimus, Indictione 12. Antinous puer regius, eximiæ pulchritudinis, in Ægypto moritur. Quem Adrianus valde plorans (nam eum pro deliciis habuerat) inter Deos refert. Ex cuius nomine etiam vrbs appellata est. Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus sextus fuit Eumenes annis 13. 138

116 14 Pompeianus. Atilianus. Templum Romæ Veneri sub Adriano in vrbe factum est. Saluius Iulianus perpetuum composuit edictum. 139

117 15 Pompeianus. Commodus. Adrianus Athenis hyemem exigens, Eleusinam inuasit: quique cum insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque construxit. Ab Adriani temporibus vsque ad imperium Constantini per annos circiter 180. in loco resurrectionis simulacrum Iouis in crucis rupe, statua ex more Veneris à gentilibus posita colebatur: æstimantibus persecutionis autoribus, quod tollerent fidem nobis resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. 140

118 16 Lelius. Albinus. Iudæi ad arma versi, Palęstinam depopulati sunt, tenente prouinciam Tinio Rufo. Cui ad opprimendos rebelles Adrianus misit exercitum. Fauorinus & Polemo rhetores, insignes habentur. 141

119 17 Camerinus. Niger. Basilides hæresiarcha in Alexãdria commorantur, à quo Gnostici. Chochabas dux Iudaicæ factionis, nolentes sibi Christianos aduersum militem Romanum ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat. 142

120 18 Antoninus 2. Præsens 2. Bellum Iudaicum, quod in Palęstina gerebatur finem accepit, rebus Iudæorum penitus oppressis: ex quo tempore etiam introeundi Hierusalem eis licentia ablata est, primum Dei nutu sicut prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus. 143

121 19 Antoninus 3. Præsens 3. Hierosolymæ primus ex gentibus constituitur Marcus, cessantibus Episcopis his, qui fuerunt ex Iudęis, numero 15. à passione Domini per annos 107. sicut *Eusebius & Beda* perhibent. Da igitur annos 34. vsque in passionem, & 107. fiunt 141. anni, vsque ad annum quo omnes Iudæi de Hierusalem sunt proiecti. 144

122 20 Seuerus. Siluanus. Ælia ab Ælio Adriano cõdita est. In fronte eius portæ qua Bethlem egredimur, subsculptus in marmore porcus, significans Romanæ potestati subiacere Iudæos. Nonnulli vero à Tito Æliano, Vespasiani filio, constructam arbitrantur. 145

123 21 Rufinus. Torquatus. Hoc tempore fuit Aquila Ponticus 2. interpres post 70. interpretes, qui scripturam de Hebræo transtulit. Thelesphorus Papa passus No. Ianuarii. Hic decreuit vt per 7. hebdomadas plenas ante Pascha, celebrent ieiunium, & omnes clerici à carne abstineant, & in nocte Natalis Domini missæ celebrarentur, ad missam *Gloria in excelsis* cantaretur. Higinus Papa 7. post *Petrum* annis 4. Hic constituit clerum, & distribuit Ecclesiasticos gradus. Romæ passi sunt Sixtus & Thelesphorus Papæ, & Getulius Sabina & Serapia virgines. Apud Mæssanam ciuitatem Apuliæ Eleutherius Episcopus cum Anthia matre, Dionysius Episcopus Areopagita, Apud Tiburtinam vrbem Italiæ, Simphorosa cum 7. filiis suis. Apud Athenas Quadratus & Aristides claruerunt. His Consulibus Adrianus intercutis aquæ morbo apud Baias in Campania obiit, maior sexagenario, imperii autem anno 21. mense. 10. die 20. sicut habetur in historia Romana. Cui succedit Antoninus Pius.

ROMANORVM 16. Antoninus cognomẽto Pius. 13. Imperator à Iulio Cæsare, segregatis á numero principum Galba, Othone, & Vitellio, regnauit cum liberis suis Aurelio & Lucio 20. & non plenis tribus annis, hæc Orosius. Mensibus item tribus, secundum *Eusebium & Bedam*, hoc est, vsque Calendas Nouembris in anno 134. post passionem. Quia autem mos erat historicorum, vt imperatori deputarent annum, in quo moreretur vel regno defecisset, ideo potest dici quod non plenis 23. annis Antoninus Pius regnauerit, cum non vsque in finem anni vixit. 146

124 1 Torquatus. Herodes. Iste Antoninus ideo Pius dictus est, quia in omni Rom. regno hominibus debita relaxauit.

147 2 Auiola. Maximus. Antoninus pater patriæ appellatur. 125

148 3 Antoninus. Aurelius. Sub Higino, Rom: vrbis Episcopo, Valentinus Hæresiarcha, & Cerdo magister Martionis Romam venerunt. 126

149 4 Gratus. Seleucus. Iustinus philosophus librum pro nostra religione conscriptum Antonino tradidit. Higinus Papa obiit 4. Idus Ianuarii. 127

150 5 Antonius, Aurelius. Sub Pio Papa 8. Hermes scribit librum, qui dicitur Pastor, vt Pascha die dominico celebretur. 128

151 6 Largus. Messalinus. Antiochiæ 5. Episcopus constituitur Heros. 129

152 7 Torquatus. Iulianus. Alexandriæ. 7. Episcopus Marcus annis decem. 130

153 8 Orfitus. Priscus. Valentinus hæreticus agnoscitur, & permanet vsque ad Nicetum Papam. 131

154 9 Glabrio Verus. Mesomedes Cretensis, cytharicorum carminum musicus poeta agnoscitur. 132

155 10 Gordianus. Maximus. Marcion hæresiarcha agnoscitur. Ciclus decennouenalis 8. Indict. prima. 133

156 11 Glabrio. Romulus. Taurus hæreticus, Platonicæ sectæ philosophus, clarus. 134

157 12 Præsens. Rufus. Arrianus, philosophus, Nicomediensis, agnoscitur. 135

158 13 Commodus. Lateranus, Maximus Tyrius Apollonius, Stoicus, natione Chalcidicus clarus. 136

159 14 Verus. Sabinus. Basilides Scythapolitanus philosophus claruit. 137

160 15 Siluanus. Augurinus. Qui omnes prædicti philosophi verissimi quoq; Cæsaris præceptores fuerunt. 138

161 16 Barbarus. Regulus Alexandriæ 8. Episcopus Celadion annis 14. 139

162 17 Tertullus. Sacerdos. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bissextilibus. Crescēs Cynicus agnoscitur, qui Iustinum nostri dogmatis philosophum Asegnilosum & præuaricatorem philosophiæ coarguens, persecutionem suscitauit, in qua ille glorioſe pro Christo sanguinem fudit. 140

163 18 Quintilius. Priscus. Galenus medicus, Pergamo genitus, Romæ clarus habetur. 141

164 19 Verus. Bradua. Pius Papa obiit 5. Idus Iulii. Anicetus Papa 9. post *Petrum* annis 11. mensibus 4. Hic constituit ne clerici comam nutriant, iuxta præceptum Apostoli. 142

165 20 Antoninus 5. Aurelius 3. Sub Aniceto Papa Policarpus Romam veniens, multos ab hæretica labe castigauit, qui Valentini, & Cerdonis fuerant nuper doctrina corrupti. Hierosolymorum Episcopus post Marcum 17. Publius. 143

166 21 Antoninus. Aurelius. Succedit Publio 19. Maximus 20. Iulianus. 21. Caianus. 22. Simmachus 23. Caius 24. Iulianus 25. Capito. 144

167 22 Antoninus. Aurelius. 145

168 23 Antonius 8. Aurelius 6. Antoninus Pius apud Lorium villam suam, 12. ab vrbe milliario moritur, his Consulibus, teste Cassiodoro. Cui successerunt filii sui, id est, Marcus Antoninus Verus, & Lucius Annius, & Antoninus Seuerus. Sub quibus hi Consules fuerunt. 146

ROMANORVM 17. Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Commodo, post patrem regnauit annis 19. mense vno: hoc est, vsq; Calendas Decembris, in anno 159. post passionem 153.

169 1 Duo Augusti Consules. Hi primi æquo iure imperium administrauerunt, quum vsq; ad hoc tempus singuli Augusti fuerunt. 147

170 2 Rusticus. Aquilinus. Lucio Cæsari, Athenis sacrificanti, ignis in cœlo ab Occidente in Orientem ferri visus est. 148

171 3 Lelianus. Pastor. Vologressus rex Parthorum, vicinas sibi Romanas prouincias depopulatus est. 149

172 4 Macrinus. Celsus. Fronto orator insignis habetur, qui Antoninum Verum latinas literas docuit. Seleucia, Assiriæ vrbs, cum 300. millibus hominum à Romanis capta est. 150

173 5 Orphitus. Prudens. Apud Pysas Peregrinus philosophus, rogo ex lignis facto, semet combussit. Lucius Cæsar cum fratre de Parthis triumphauit. Ciclus 9. incipit. 151

174 6 Prudens. Pollio. Alexandriæ 9. Episcopus præfuit Agrippinus annis 12. Persecutione orta in Asia, Policarpus & Pionius passi sunt, quorum quoque passiones scriptæ feruntur. Plurimi in Gallia glorioſe ob nomen Christi interfecti sunt, quorum vsque in præsentem diem, condita libris certamina perseuerant. 152

7. Verus

153 7 Verus. Quadratus. Lues multas prouincias occupauit Roma ex parte occupata. Romani contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas, & Dacos dimicant. 175

154 8 Apronianus. Paulus. Anicetus Papa passus 16. Cal. Maii. Soter Papa. 10. post *Petrum* annis. 9. qui constituit, vt nulla monacha pallam sacratam in Ecclesia contingat, neq; incensum ponat. Antiochiæ. 7. Episcopus ordinatur Theophilus, cuius plurima ingenii opera extant. Lucius imperator anno regni sui. 9. siue vt quidam putant, 11. inter Cõcordiam & Altimum apoplexia extinguitur, sedens cum fratre in vehiculo. Apollinaris Asianus, Hierapolitanus Episcopus, insignis habetur. 176

155 9 Priscus. Apollinaris. Antonino imperatori Mellito Asianus Sardiensis, apologeticum pro Christianis tradidit. 177

156 10 Cethegus. Clarus. Decretalis epistola Soteri Papæ data est Cethego & Claro, viris clarissimis, Consulibus. Dionysius Episcopus Corinthiorum clarus habetur, & Pynitus Cretesius vir eloquentissimus. 178

157 11 Seuerus. Herennianus. Pseudoprophetia, quæ Cataphrigas vocatur, accepit exordium, autore Montano, & Priscilla, Maximillaque insanis vatibus. Tatianus hæreticus agnoscitur, à quo Tatiani. 179

158 12 Orphitus. Pluton. Tanta per totum orbem pestilentia fuit, vt pene vsq; ad internecionem Romanus exercitus deletus sit. 180

159 13 Seuerus. Pompeianus. Imperator, multis aduersum se nascentibus bellis, ipse sæpe intererat, sæpe duces nobilissimos destinabat, in quibus sæpe Pertinaci, & exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppressis, pluuia diuinitus missa est, cum è contrario Germanos, & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorũ interficerẽt. 181

160 14 Gallus. Flacus. 182

161 15 Piso. Iulianus. Extãt literæ Marci Aurelii grauissimi imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precibus impetrato imbre, discussam contestatur. 183

162 16 Pollio. Aper. Soter Papa obiit, 11. Calend. Maii. Eleutherius Papa. 11. post *Petrum* annis 15. mense vno. Lucius Britanorum rex, ab Eleutherio Papa per epistolam Christianum se fieri impetrat, & mox effectum piæ petitionis consequutus est, susceptamq; fidem Britanni vsq; in tempora Diocletiani principis, inuiolatam integramq; quieta pace seruabant. Antiochiæ. 7. Episcopus constituitur Maximus. 184

163 17 Commodus. Quintil. Antonin. Commod. filium suum consortẽ regni facit, cum quo de hostibus triumphauit, quorũ per trienniũ apud Carnotũ statiua castra vastauerat. 185

164 18 Orphitus. Rufus. Imperatores multis multa largiti sunt, & pecuniam, quæ fisco debebatur, prouinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Rom. vrbis foro incẽdi præceperunt, ac ne quid bonitati deesset, seueriores quasque leges nouis constitutionibus temperauerunt. Romæ passi sunt Anicetus Papa, Simmeritus presbyter. Fœlicitas cum 7. filiis, Iulius, Eusebius, Potentianus, Peregrinus. Vincẽtius. Apud Sebasten Armeniæ minoris multi martyres sub iudice Agricola. Apud Spoletum Concordius. Apud Smirnam Policarpus Episcopus discipulus *Iohannis*, item Germanicus & Pionius. Apud Apamiam Alexãder, Caius. Apud Cretã vrbe Coritina Philippus Episcopus. Apud Pergamum vrbem Asiæ, Carpus Episcopus, Papirius diaconus, Iustinus philosophus. Apud Lugdunum vrbem Galliæ Irenæus Episcopus cum multis, Fotinus Episcopus eiusdem vrbis, & Blandina cum aliis 48. Epipodius, Alexander. In Syria, Corona & victor, Mediolani Faustus. Cabilonæ Marcellus. Item in territorio Cabilonensi castro Trenortio, Valerianus. In Alexandria Ptolemæus & Lucius. 186

165 19 Commodus. Verus. Antoninus post victoriam adeo in editione munerum magnificus fuit, vt centum simul leones exhibuerit. Commodus à senatu Augustus appellatur. Smirna vrbs Asiæ terræmotu ruit, ad cuius instaurationem decennalis tributorum immunitas data est. Alexandrinæ Ecclesiæ 10. Episcopatum sortitur Iulianus annis 10. His Consulibus teste Cassiodoro Antoninus in Pannonia morbo periit, anno ætatis 61. Cui successit Commodus filius suus. 187

ROMANORVM 18. Commodus, secundum omnes, regnauit annis 13. mensibus 7. iuxta historiam Romanam, hoc est, vsq; Cal. Augusti in anno 167. post passionem. Sub quo sequentes Consules fuerunt. 188

166 1 Præsens. Gordianus. Commodus de Germanis triumphauit. 189

167 2 Commodus. 3. Rufus. Templum Serapis Alexandriæ incensum. 190

168 3 Mamertinus. Rufus. Ciclus solaris incipit. 4. concurrentibus bissextilibus. *Irenæus* Episcopus Lugdunensis insignis habetur.

4. Com-

191 4 Commodus. Victorinus. Thermæ Commodianæ Romæ factæ.
192 5 Marullus. Helianus. Commodus Septembrem mensem suo appellauit nomine. 169
193 6 Maternus. Bradua. Ciclus decenn. 10. incipit Indict. 9. Hierosolymis 26. ordinatur Episcopus Maximus, post quem 27. Antoninus. 28. Valens. 29. Dulcianus. 30. Narcissus. 31. Dius. 32. Germanio. 33. Gordius. 34. iterum Narcissus. Tot Episcopis apud Hierosolymam constitutis, non potuimus discernere tempora singulorum, eo quod vsque in præsentem diem Episcopatus eorum anni minime seruarentur. In capitolium fulmen ruit, & magna inflammatione facta, bibliotheca & vicinæ quæque ædes concremantur. Decretalis epistola Eleutherii Papæ data est Materno & Bradua Consulibus. 170 171
194 7 Commodus. Glabrio. Commodus multos nobilium interfecit.
195 8 Crispinus. Helianus. Commodus spectacula Romano populo exhibet insignia. 172
196 9 Fuscianus. Silanus. Theodosion Ephesius 3. interpres habetur. 173
197 10 Duo. Silani. Alexandriæ 11. constituitur Episcopus Demetrius annis 43. Commodus imperator, Colossi capite sublato suæ imaginis caput iussit imponi. 174 175
198 11 Commodus 6. Septimianus. Seraphion nonus Antiochiæ Episcopus ordinatur.
199 12 Apronianus. Bradua. Incendio Romæ facto, palatium & ædes Vestæ plurimaque vrbis pars solo adæquatur. Eleutherius Papa obiit 8. Cal, Iunii. Victor Papa 12. annis decem, mensibus 13. 176 177
200 13 Commodus. Grauius. Victor Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ archiepiscopus Theophilo Episcopo, & fratribus Alexandriæ, Christo famulantibus, salutem in domino &c. Hæc Epistola data est, 13. Cal. Augusti, Commodo & Grauio Consulibus. Multi in tempore huius passi sunt ex his quos supra diximus, sed propter similitudinem nominum imperatorum minime discernitur. Dicunt enim quod Irenæus Lugdunensis Episcopus sit passus sub isto. 178
201 14 Commodus. Pertinax. His Consulibus, teste Cassiodoro, Commodus strangulatur in domo Vestiliani. Cui successit Pertinax. Sub quo sequentes Consules fuerunt. 179

ROMANVS 19. Ælius Pertinax, secundum omnes regnauit mensibus 6. hoc est, vsque Cal. Februarii in anno 168. post passionem.

202 1 Flaccus. Clarus. Pertinax sexagenario maior, cum Præfecturam vrbis ageret, ex Senatusconsulto imperare iussus est: Qui (obsecrante Senatu) vt vxorem Augustam, & filium Cæsarem appellaret, contradixit, sufficere sibi testatus, quod ipse regnaret inuitus. Victor Papa, datis late libellis, constituit vt Pascha die dominico (sicut & præcessor eius Eleutherius) à 14. luna primi mensis vsque in 21. celebraretur. Cuius decreta Theophilus Cæsariæ Palestinæ Episcopus adiuuit. His Consulibus, teste Cassiodoro, Pertinax occiditur in palatio, scelere Iuliani iurisperiti. 180

ROMANORVM 20. Saluius Iulianus (secundum historiam Romanam) post Pertinacem inuasit Remp. vir nobilis & iuris peritissimus, nepos Saluii Iuliani, qui sub diuo Adriano perpetuum composuit edictum. Iulianus (interfecto Pertinace) inuasit imperium, sed mox à Seuero apud Montem Miluium, bello ciuili victus, interfectus est mense 7. postquam imperare cœperat. Et ita in Pertinacem & Iulianũ vnus annus assumptus est. Hæc Orosius. Et hoc est, vsq; Cal. Septembris in eodem anno 168. post passionem.

ROMANORVM 21. Seuerus prouincia Tripolitana natus, oppido Lepti, regnauit annis 18. teste Cassiodoro, mensibus etiam 3. secundum historiam Romanam, hoc est, vsque Cal. Decembr. in anno 165. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

203 1 Seuerinus. Albinus. Seuerus prouincia Tripolitana, oppido Lepti, solus ex Africa vsque in præsentem diem Romanus imperator fuit, & in honorem Pertinacis, quem Iulianus occiderat, Pertinacem se cognominari iussit. Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, & Panthenus philosophus, Stoicus, in disputatione nostri dogmatis disertissimi habentur. 181

204 2 Tertullus. Clemens. Simmachus interpres 4. habetur. Hic Samarites Iudæorum factus proselitus diuinas scripturas ex Hebræo sermone in Græcam linguam transfudit. Condit æditionem. 182

205 3 Dexter. Priscus. Narcissus Hierosolymorum Episcopus, & Theophilus Cæsariensis, Policarpus quoq; & Bachilis, Asianæ prouinciæ Episcopi, insignes habentur. 183

206 4 Lateranus. Rufinus. Quæstione orta in Asia inter Episcopos, an secundum legem Moysis 14. mensis Pascha obseruandum esset. Victor Romanę vrbis Episcopus, & Narcissus Hierosolymorum, Policrates quoque & Irenæus, & Bachilis, plurimiq; Ecclesiarum pastores, quod probabile visum fuerat, literis ediderunt, quarum memoria ad nos vsque perdurat. Decretalis epistola Papæ Victoris data Laterano & Rufino Consulibus. 184

185 5 Saturninus. Gallus. Iudaicum & Samariticum bellum motum. 207

186 6 Amulinus. Fronto. Seuerus Parthos, & Adiabenos superauit, Arabesq; interiores ita cecidit, vt regionem eorum prouinciam faceret. 208

187 7 Seuerus. Victorinus. Ob q. Parthicus, & Adiabenicus cognominatus est Seuerus. 209

188 8 Fabianus. Mutianus. Seuero imperante Thermæ seu Erianæ Antiochiæ & Romæ exstructæ, & Septizonium. Victor Papa obiit Cal. Augusti Zepherinus Papa 13. post Petrum, annis 9. qui constituit vt præsentibus omnibus fidelibus clericis & laicis, siue diaconus seu sacerdos ordinetur, & vt astantibus sacerdotibus missæ celebrentur. 210

189 9 Seuerus 3. Antoninus. Quinta persecutione Seuerus persequitur Christianos. 211

190 10 Geta. Plautianus. Ciclus decenn. 11. incipit indict. 13. Leonides Origenis pater glorioſa morte martyrii transfertur. 212

191 11 Chilo. Libo. Alexander ob confessionem dominici nominis clarus habetur. 213

192 12 Antoninus. Geta. Clemens multa & varia scribit. 214

193 13 Ælianus. Albinus. Musinus nostræ philosophiæ scriptor agnoscitur. 215

194 14 Aper. Maximus. Clodium Albinum, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, apud Lugdunum Seuerus interfecit. 216

195 15 Geta. Seuerus. In Britannos bellum transiecit, vbi, vt receptas prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per 132. passuum millia, à mari ad mare deduxit. 217

196 16 Pompeianus. Auitus. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. Tertullianus Afer, Centurionis Proconsularis filius, omnium ecclesiarum sermone celebratur. 218

197 17. Faustinus. Rufus. Origenes Alexandriæ studiis vacauit. 219

198 18 Gentianus. Bassus. Seuerus obiit Eboraci in Britannia. Cui successit filius suus Caracalla. 220

ROMANORVM 22. Bassianus Antoninus, qui & Caracalla, regnauit annis 7. mens. 8. iuxta historiam Romanam, hoc est, vsq; Cal. Decembris in anno 199. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt. 221

199 1 Duo. Aspri. Antiochiæ 9. Episcopus constituitur Asclepiades. 222

200 2 Antoninus. Balbinus. Alexãder 35. Hierosolymorum Episcopus ordinatur, adhuc viuente Narcisso, & cum eo pariter Ecclesiam rexit. 223

201 3 Messala. Sabinus. Antoninus Caracalla cognominatur propter genus vestis, quod Romæ erogauerat, & è contrario Caracallanæ thermæ Antoninæ ex eius nomine dictæ. 224

202 4 Lætus. Cærealis. In Iericho quinta æditio diuinarum scripturarum inuenta est in dolio, cuius author non apparet. 225

203 5 Sabinus. Venustus. Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificauit. Perpetua & Fœlicitas apud Carthaginem Aphricæ, in castris bestiis deputatæ sunt pro Christo Nonas Martii. 226

204 6 Præsens. Extricatus. Antoninus tantę libidinis fuit, vt nouercam suam, Iuliani vxorem duxerit. Qui aduersus Parthos post, expeditionem moliens interficitur in Osdroena inter Ediſſam & Caraſſam, anno ætatis 43. 227

205 7 Antoninus. 228

206 8 Aduentus.

ROMANORVM 23. Ophilus Macrinus, qui Prętectus Prætorii erat, cum filio Diadumeno imperator factus est, sed nihil memorabile temporis breuitate egit. Nam imperium vnius anni & 2. mensium habuit, teste historia Romana, hoc est, vsq; Cal. Aprilis in anno 195. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt, teste Cassiodoro. 229

207 1 Antoninus. Sacerdos. Romæ Amphitheatrum incensum. Antiochiæ 10. Episcopus constituitur Philetus. Abagarus vir sanctus regnauit Ediſſæ, vt vult Aphricanus. Zepherinus Papa obiit. Calixtus papa 14. post *Petrum*. Hic constituit ieiunium 4. temporum in anno fieri, propter abundantiam fructuum terræ, iuxta prophetiam. His Consulibus Macrinus cum filio apud Archilaidem militari tumultu occiditur, quasi mense Februario. Cui Marcus succeſſit.

ROMANORVM 24. Marcus Aurelius Antoninus, Caracallæ filius, regnauit annis 4. mens. 8. iuxta historiam Romanam, hoc est, vsq; Cal. Decembr. in anno 199. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt. 230

208 1 Antoninus. Comazon. Marcus Aurelius Antoninus Caracallæ, vt putabatur filius, & sacerdos Heliogabali templi, adeo impudice in imperio suo vixit, vt nullum genus obscœnitatis omiserit.

2 Gratus

231 2 Gratus. Seleucus. Ciclus decen. 12. incipit, indict. 2. Sexta æditio inuenta est Nicapoli. 209

232 3 Alexander. Antoninus. Epistola Calixti papæ data Alexandro & Antonino vrbis Consulibus 11. Cal. Decemb. In qua prædictum constituit ieiunium Heliogabali templũ Romæ ædificatum. In Palęstina Nicapolis, quæ prius Emaus vocabatur, vrbs condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Iulio Aphricano, scriptore temporum. 210

233 4 Maximus. Ælianus. His Consulibus (teste Cassiodoro) Antoninus Romæ occiditur tumultu militari, cum matre Simiasera. 211

ROMANORVM 25. Alexander Mameæ filius, secundum omnes regnauit annis 13. & aliquibus diebus, hoc est, vsque Calend. Ianuarii, in anno 212. post passi. Sub quo hi Consules fuerunt.

234 1 Iulianus. Crispinus. Alexandro imperatore, Vrbanus 15. Papa Post *Petrum*. 212

235 2 Fuscus. Dexter. Alexander disciplinę militaris adeo seuerus corrector fuit, vt quasdam tumultuantes legiones integras exauctorauerat. 213

236 3 Alexander. Marcellus. Epistola Vrbani Papæ data Non. Septembr. Alexandro & Marcello vrbis Consulibus. 214

237 4 Anianus. Maximus. Vlpianus iuris Consultor, assessor Alexandri insignissimus habetur. 215

238 5 Albinus. Maximus. Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificantur. 216

239 6 Modestus. Probus. Geminus presbyter Antiochenus, & Hippolitus, & Berillus Episcopus Arabiæ postremus, clari scriptores habentur. 217

240 7 Alexander. Dion. Antiochiæ 11. Episcopus Zebennus. 218

241 8 Gratus. Seleucus. Alexandriæ. 12. Episcopus Heraclas annis 16. 219

242 9 Pompeianus. Fœlicianus. Alexander in matrem Mammeam vnice pius fuit, & ob id omnibus amabilis. Vrbanus Papa postquam multos nobilium ad fidem Christi perduxit, passus est sub Alexandro 8. Cal. Iunii, & sepultus in cœmeterio Prætextati Pontianus papa 16. post *Petrum* annis 5. 220

243 10 Lupus. Maximus. Origenes de Alexandria ad Cæsaream Palęstinæ transiit. 221

244 11 Maximus. Paternus. Origenes toto orbe clarus. 222

245 12 Maximus. Vrbanus. Mammea mater Alexandri, cum Origenem vellet audire, Antiochiam accitum, summo honore habuit. Romæ passi sunt Calixtus, Vrbanus papæ. Cecilia virgo, Tiburtius, & Valerianus & Maximus, Calipodius presbyter, Austerius presbyter. Palmatius Consul cum vxore & filiis Simplicius Senator. 223

246 13 Seuerus. Quintianus. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. Epistola papæ Pontiani data 10. Cal. Februarii Seuero & Quintiano vrbis Consulibus. His Consulibus in Gallia apud Moguntiacum Alexander tumultu militari interficitur. 224

ROMANORVM 26. Maximinus regnauit annis 3. mẽse vno, & paucis diebus, hoc est, vsq; Cal. Februarii in anno 216. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

247 1 Maximinus. Africanus. Maximinus primus ex corpore militari, sine authoritate Senatus, ab exercitu imperator electus est. Pontianus papa cum Hippolito presbytero in Sardiniam insulam à Maximino deportatus est, ibique fustibus 12. Calendarum Decembris mactatus: Cuius corpus B. Fabianus papa reduxit, & in cœmeterio Calixti sepeliuit. Antheros papa 17. mense vno. Decretalis eius epistola data est Calend. Iulii sub prædictis Conf. qui passus est in Non. Ianuarii, & in cœmeterio Calixti via Appia sepultus. Fabianus papa 18. post *Petrum* annis 16. Dilectissimis vbique catholicæ Ecclesiæ comministris Fabianus papa salutem in domino &cæt. & post: Denique 7. similiter diaconos ordinauimus qui 7. imminerent notariis & gesta martyrum veraciter de integro colligerent nobisque rimanda manifestarent, quod etiam omnes vos agere monemus, ne in posterum aliqua ex his dubitatio fiat, quæstioq; oriatur &c. data Cal. Iulii Maximino & Aphricano Consulibus. 225

248 2 Perpetuus. Cornelius. Maximinus sextam persecutionem facit aduersus sacerdotes Ecclesiarum. 226

249 3 Pius vrbis Consul. Maximinus persequitur Ecclesiam propter fidem Christianam, vel propter familiam Alexandri, cui successit, & Mammeæ matris eius, vel præcipue propter Originem presbyterum. 227

250 4 Proculus vrbis Consul. Ciclus decenn 13. incipit, Indict. 5. Hoc Consule Cassiodoro teste, Maximinus Aquileiæ à Pupieno occiditur. 228

ROMANORVM 27. Gordianus regnauit annis 10. hoc est, vsque Cal. Febrtuarii in anno 222. post passi. Sub quo hi Consules fuerunt.

229 1 Gordianus. Auiola. Gordiano Romam ingresso Pupienus & Albinus, qui imperiũ arripuerant, in palatio occisi sunt. 251

230 2 Sabinus. Venustus. Origenes contra quendam Celsum Epicurum philosophum, qui contra nos librum conscripserat 8. voluminibus respondit. 252

231 3 Gordianus. Pompeianus. Flauianus testimonio Spiritus Sancti, in specie columbæ super caput eius descendentis, Romam veniens, ordinatur Episcopus licet quidam hoc verius de Seuerino affirment. 253

232 4 Atticus. Prætextatus. Origenes adeo sedulus in scribendo fuit, vt Hieronymus dicit 6000. librorum eius se legisse. 254

233 5 Arrianus. Pappus. Gordianus admodum adolescens Parthorum natione superata cunt victor reuerteretur ad patriam, fraude Philippi Præfecti Prætorii, haud longe à Romano solo occisus est. 255

234 6 Peregrinus. Æmilianus. His Consulibus (teste Cassiodoro) milites Gordiano tumulum ædificant, qui Euphrati imminet, ossibus eius Romam reuectis. 256

ROMANORVM 28. Philippus cum Philippo filio suo, secundum omnes, regnauit annis 7. vsq; Cal. Februarii, in anno 230. post pass. Sub quo hi Consules fuerunt. 257

235 1 Philippus. Titianus. Philippus Philippum filium suum consortem regni facit, primusq; omnium ex Romanis imperatoribus Christianus fuit. 258

236 2 Præsens. Albinus. Regnantibus Philippis 1000. annus Romanæ vrbis expletur. 259

237 3 Duo Philippi, & pater & filius. Athalamos Natali Romanæ vrbis cucurrit, eiusque agon mille annorum actus est. 260

238 4 Philippus & filius eius. Philippus vrbem cognominis sui in Thracia constituxit. 261

239 5 Æmilianus. Aquilinus. His Consulibus, teste Cassiodoro, millesimus vrbis Romæ à conditione eius annus expletur. Ob quam solennitatem innumerabiles bestias Philippus in Circo magno occidit, ludosque in campo Martio theatrales tribus diebus noctibusque populo peruigili celebrauit. Quadraginta etiam Misses natali Romanæ vrbis cucurrerunt, & Agon mille annorum actus est. Hæc Cassiodorus. Cum autem secundum Hebræos Olimpias prima posita est in anno primo Ioathan, & in anno primo Olimpiadis sextæ, condita est vrbs Roma, atque sicut *Hieronymus* & *Beda* tractant, à prima Olimpiade vsque in passionem Domini sunt anni 794. sublatis 20. annis, id est, annis 16. Ioathan, atque 4. Achaz, qui sunt 5. Olimpiades, fiunt à conditione vrbis vsque in passionem Domini anni 774. à passione Domini vsque in annum postremum Philippi anni 229. fiuntque simul à conditione vrbis ad obitum Philippi 1003. anni. 262

240 6 Decius. 1. Gratus. His Consulibus Fabianus papa passus est, 14. Cal. Febr. secundũ gesta pontificum, Alexandriæ 13. Episcopus Dionysius annis 17. Cornelius papa 19. 263

241 7 Decius 2. Rusticus. His Consulibus Philippus senior Veronæ, & iunior Romæ occiduntur. Decius regnauit annis 8. Decretalis epistola Fabiani papæ. Dilectissimo fratri Hilario Episcopo, Fabianus salutem & reliqua data 17. Calend. Nouembr. Aphricano & Decio vrbis Consulibus. In martyrologio sic. Romæ natalis Fabiani papæ 14. Cal. Febr. qui cum. 14. annis mensibus 11. diebus 12. Ecclesiæ præesset, passus est sub Decio in principio sui imperii, & in cœmeterio Calixti sepultus. *Beda* sic. Decius cum Philippos patrem & filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persecutionem mouit, in qua Fabianus in vrbe Roma martyrio coronatus, sedem sui Episcopatus Cornelio reliquit. Qui & ipse passus est, & sedit in Episcopatu annis 2. mensibus 8. minus quinque diebus. Decretalis epistola Cornelii papæ data 7. Iduum Septembris, Decio & Maximo vrbis Consulibus. In martyrologio sic. Romæ via Appia in cœmeterio Calixti 8. Calendarum Octobris natalis S. Cornelii papæ sub persecutione Decii, cum presbyteris & diaconibus centum ex illis exilio deputati, ad quem confortandum multi Christianorum veniebant. Quo tempore B. Ciprianus scripsit ei de Celerino lectore &c. quæ in passione ipsius habentur. Decretalis epistola eius. Charissimis atque dilectissimis fratribus S. Ecclesiæ filiis Cornelius Episcopus: Decreui vobis scribere, quæ nunc temporis necessaria sunt sciri &c. Et postea: Quapropter vos rogo nobis congratulari, quia rogatu cuiusdam deuotæ fœminæ ac nobilissimæ matronæ Lucinæ, leuata sunt corpora Apostolorum *Petri* & *Pauli* de Catatumbis, & inde primum B. *Pauli* corpus leuatum silenter, ac positum est in prædio prædictæ matronæ, via Ostiensi, ad latus vbi decollatus est: postea vero B. Apostolorum principis *Petri* accepimus corpus, & decenter posuimus illud iuxta locum vbi crucifixus est, inter corpora S. Episcoporum in templo Apollinis in Monte aureo in Vaticano palatii Neroniani 3. die Calend. Iulii. Hæc Epistola data est Decio & Maximo viris claris Consulibus. Postquam vero passus est Cornelius, Lucius papa in 3. anno Decii incipiens,

sedit

sedit mensibus 5. vsque 4. Non. Martii, in initio 4. anni Decii sub Valeriano Præfecto. Inde Stephanus papa sedit annis 3. mensib. 5. vsq; 4. Non. Aug. quo passus est sub Valeriano Præfecto in anno 6. Decii. Decretales eius epistolæ datæ Valeriano & Galieno vrbis Consulibus. In martyrologio ita. Romæ in cœmeterio Calixti natalis Stephani papæ & martyris, sub Valeriano & Galieno imperatoribus. Qui cum persecutio sæua grassaretur, congregato vniuerso clero suo hortabatur eos, vt pro Christo coronam martyrii alacriter susciperent. Ordinauerat tres presbyteros 7. diaconos, 10. clericos, cum quibus de regno Dei assidue docebat &c. passionis eius vsque in finem. Hic constituit, vt sacerdotes & leuitæ vestes sacras in vsu quotidiano non haberent, nisi tantum in Ecclesia. Post Stephanum Sixtus papa successit, annis 2. Decretalis epistola Sixti papæ data Calendarum Septembris Valeriano & Decio vrbis Consulibus. Alia, Calendas Augusti iisdem Consulibus. In martyrologio sic. Decius imperator & Valerianus Præfectus tenuerunt beatissimum senem Sixtum &c. in passione eius vsq; sanctum Sixtum, Fœlicissimum & Agapitum duxerunt in cliuum Martis ante templum, & ibi decollati sunt 8. Idus August. & cum eis alii 4. vt in gestis pontificum legitur. Ianuarius, Magnus, Vincentius, Stephanus subdiaconi. Passus est cum eis etiam B. Quartus, vt scribit B. Cyprianus, B. Sixtus papa apud Athenas natus, & doctus, prius philosophus, deinde Christi discipulus, sedit in Episcopatu annum vnum, menses 10. dies 23. Si ergo S. Cyprianus, qui tunc præsens erat, hæc scripsit, quis hoc negat? Tentus itaque B. Laurentius est à militibus & traditus Parthenio Tribuno &c. vsque in passionem eiusdem B. Laurentii, Hippolyti, & cæterorum A Decio imperatore huc vsque papæ per annos 8. cathedram tenuerunt, iuxta chronicam *Eusebij*, quamdiu vero secundum martyrologium sederint dicendum est. Decius regnauit annis 16. Fabianus papa passus 14. Calendarum Februarii in anno primo Decii. Inde Cornelius papa annis 2. mensibus 8. passus 18. Calendarum Octobris in anno 3. Decii. Inde Lucius papa annis 3. mensibus 5. passus sub Valeriano Præfecto, in anno 7. Decii. 4. Nonas Martii. Stephanus papa annis 7. mẽsibus 5. passus sub Valeriano Præfecto 4. No. Augusti, anno 13. Decii Sixtus papa annis 2. passus 8. Idus Augusti in anno 16. Decii. Laurentius quoque & Agapites, Fœlicissimus & Hippolytus passi sunt sub Decio, si Ecclesia non fallitur. Damnum igitur annorum 18. in chronicis *Eusebij* & *Bedæ* ab anno 15. Tyberii in anno decimo magni Cicli iuxta historiam sacri Euangelii ad Cielum Dionysii. Implent isti anni 16. Decii & 2. anni Galerii, teste Isidoro Episcopo qui 2. annis regnauit. Quod si aliquid his rationibus obsistit, ecce aliter resurrectionem Domini iuxta historiã inquirimus.

ROMANORVM 29. Decius secundum Orosium regnauit annis 3. mensibus 3. iuxta *Eusebium* & *Bedam*, atq; Cassiodorum, anno ab vrbe condita 1004. incipiens, & hoc est
264 vsq; Cal. Maii, in anno 232. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

1 Gallus. Volusianus. Decius Pannonia inferiore Budeliæ natus fuit, qui ob odium 242
Philipporum quos occidit, persecutionem in Christianos mouit, in qua Fabianus papa
265 passus est. 14. Cal. Febr. Cornelius papa 19. annis tribus, mensibus 5.

2 Africanus. Decius. Antoninus in Ægypto nascitur. His Consulibus Decius Laua- 243
266 cra publica ædificauit, quæ suo nomine appellari iussit.

3 Maximus. Decius. Romæ Amphitheatrum incensum est. Alexandro Hiero- 244
solymorum Episcopo apud Cæsaream Palæstinæ ob martyrium interfecto, & Antiochiæ Babylla. Mazabanus & Fabius Episcopi constituuntur. Cornelius papa passus 8. Calendarum Octobris. Romæ passi Fabianus & Cornelius papæ. Victoria virgo Miniates. Antiochiæ Babillas Episcopus. Apollonia ciuitate Leucius, Tyrsus, Galenicus, Hierosolymæ Episcopus Alexander, Nazanzo, Tripho. In Ægypti ciuitate quæ dicitur Tynnis Phileas Episcopus, Philoronus Tribunus, cum multis. In Cicilia ciuitate Catinensium Agathes virgo. In Persida in Babylone Polichronius Ctesiphontis Episcopus. Pergen Pamphiliæ Nestor Episcopus. In Cordula ciuitate Parmenis presbyter cum sociis. Apud Circensem Coloniam Marianus, Iacobus. In Tyro, Anatalia & Audax. Apud Aphricam Nemesianus & Fœlix, Rogatianus presbyter, & Fœlicissimus, & Diosorus cum sociis. Decius occiditur cum filio in abrupto Thraciæ loco à Gothis in bello.

ROMANORVM 30. Gallus cum filio Volusiano regnauit annis 2. mens. 4. hoc est,
267 vsq; Cal. Septemb. in anno 234. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

1 Volusianus. Maximus. Pestilens morbus multas totius orbis prouincias occupa- 245
uit, maximeque Alexandriam & Ægyptum, vt scribit Dionysius & Cyprianus. Nonutus presbyter Cypriani Romam veniens. Nouatianum & cæteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitentes apostatas recepisset. Antiochiæ 14. constituitur Episcopus

Demetrius. Lucius, 20. papa mensibus 8. Dilectissimis omnibus fratribus Lucius Episcopus salutem in domino &c. Et postea: In hac sancta sede Apostolica constituimus, vt 2. presbyteri, & 3. Diaconi in omni loco Episcopum non deserant propter testimonium Ecclesiasticum, &c. data Cal. Aprilis Gallo & Volusiano vrbis Consulibus. Lucius papa passus 8. Cal. Septembris, secundum gesta pontificum. Stephanus successit illi, secundum gesta pontificum, his Consulibus.

246 2 Valerianus. Galienus. His quoque Consulibus, teste Cassiodoro, Gallus & Volusianus cum aduersus Æmilianum, qui in Mesia res nouas moliebatur, ex vrbe profecti essent in Foro Flaminii, siue, vt alii putant, in certamine occisi sunt. Æmilianus tertio mense inuasæ tyrannidis extinctus est. 268

ROMANORVM 31. Æmilianus, cum Gallum & Volusianum occidisset, imperauit mensibus 3. qui obscurissime natus, obscurus imperauit. Siquidem Maurus erat, atque 3. mense, extinctus est, sc. Nouemb, in eodem anno, quo occidit Gallum & Volusianum. Origenes anno, 70. ætatis suæ obiit, & in vrbe Tyri sepultus est.

ROMANORVM 32. Valerianus cum filio Galieno regnauit annis 15. hoc est, vsque Cal. Decemb. in anno 249. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

247 1 Valerianus. Galienus. Cyclus decen. 14. incipit Indict. 10. His Consulibus Stephanus papa passus est. 4. Non. Augusti. secundum gesta pontificum. Valerianus in Græcia Augustus, Galienus Romæ à Senatu Cæsar appellatur. 269

248 2 Maximus. Glabrio. In martyrologio sic 4. Non. Martii natalis S. Lucii papę, qui persecutione Valeriani & Galieni, ob fidem Christi exilio relegatus, postmodum diuino nutu ad Ecclesiam suam redire permissus, martyrium capitis obtruncatione compleuit, positus in via Appia ad S. Sixtum. Sedit in Episcopatu annis 3. mensibus 5. Stephanus papa 21. post *Petrum*, annis 3. mensibus 5. His Consulibus Sixtus papa successit, secundum gesta pontificum. 270

249 3 Valerianus. Galienus. Ciprianus primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis Episcopus, martyrio coronatur. 271

250 4 Thuscus. Bassus. Valerianus persecutionem in Christianos mouens, à Sapore rege Persarum capitur, & cæcatur, ibiq; seruitute miserabili consenescit. His Cõsulibus Sixtus papa passus est, secundum gesta pontificum. 272

251 5 Æmilianus. Bassus. His Consulib. Dionysius papa successit, secundum gesta pontificum. Sapor rex Persarum, Siriam Ciliciam, & Cappadociam depopulatur. Stephanus papa passus est 4. Non. Augusti. Sixtus papa 22. annis 2. 273

252 6 Secularis. Donatus. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. Valeriano in Persas ducto, Galienus nostris pacem reddidit. Theodorus, qui & Gregorius Nazianzenus, Ponti Episcopus, inter cætera virtutum insignia, vt Ecclesiæ faciendæ locus sufficeret, precibus montem mouit. 274

253 7 Galienus. Gentianus. Antiochiæ 15. constituitur Episcopus Paulus Samosatenus. Dionysius 23. papa annis 6. mensibus 5. Hic Ecclesias presbyteris, parochias & diœceses dedit atq; constituit. 275

254 8 Galienus. Victorinus. Galieno in omnem lasciuiam resoluto, Germani Rauennam vsq; venerunt Marcomanni, vastatis Galliis, in Italiam transierunt. 276

255 9 Albinus. Maximus. Græciam, Macedoniam, Pontum, Asiam, depopulati sunt Gothi. Quadri & Sarmatæ Pannonias occupauerunt. 277

256 10 Galienus. Saturninus. Germanis Hispaniam obtinentibus terra expugnata. Parthi Mesopotamiam tenentes, Syriam incursauerunt. 278

257 11 Valerius. Lucillus. Alexandriæ 14. Episcopus Maximus annis 9. 279

258 12 Galienus. Sabinillus Ordinatus decurio Palmirenus, collecta agrestium manu, ita Persas cecidit, vt ad Ctesi fontem castra poneret. 280

259 13 Paternus. Archesilaus. Hierosolymorum Episcopatum tenet Himenæus. Dionysius papa obiit, 6. Calendarum Ianuarii. Fœlix papa 24. annis 4. Romæ passi sunt Stephanus & Sixtus papæ, Fœliciissimus Agapitus, & B. Laurentius diaconi. Hippolitus, Iouinus, Basilius, Eugenia virgo, Basilla, Rufina, Secunda, Tertullianus, Prothus, Iacinctus, Valerianus, Nemesius, Simphronius, Olimpius. Veronæ Zenon Episcopus & confessor, Fructuosus Episcopus, Augurius, & Eulogius diaconus. In Cæsarea Palæstinæ Marinus. In Aphrica, Maxima, Donatilla, & Secunda virgines. In territorio Cabalitano, vico Mitanensi Priuatus Episcopus. 281

260 14 Paternus. Marinus. Post posthumum Victorinum, & Tetricum Galliæ ciuitates receptæ sunt. 282

15 Clau-

283 15 Claudius. Paternus. His Consulibus, teste Cassiodoro, Galienus post 15. annos sui imperii, Remp. deserens, & libidinibus seruiens, Mediolani occiditur. 261

ROMANORVM 33. Claudius regnauit anno vno, mensibus 9. Hoc est, vsque Cal. Septembris in anno 251. post passionem.

284 1 Antiochenus. Orphitus Claudius Gothos Illyricum & Macedoniam vastantes superat, ob quod in Curia ei clipeus aureus, & in Capitolio statua aurea collocata est. 262

285 2 Valerianus. Bassus. Fœlix papa passus est 3. Cal. Ian. teste *Beda*. Iste decreuit missas celebrari super memorias martyrum. Romæ passi, Fœlix papa, Marius cum Martha coniuge sua, & filiis, Cirilla virgo filia Decii, & 46. milites, baptizati à papa Dionysio. In Terracina ciuitate Campaniæ Fœlix presbyter & *Eusebius*. His Consulibus Claudius Sermii obiit, teste Cassiodoro. 263

ROMANORVM 34. Quintilius, frater Claudii, ex consensu militum imperator factus est, qui consensu Senatus appellatus est Augustus. Hic vir erat vnicæ moderationis & ciuilitatis, æquandus vel præferendus fratri. Eutychianus papa 25. annis 6. Hic constituit, vt fruges super altare fauæ tantum & vuæ benedicerentur, & vt nullus martyrem sine Dalmatica aut colobio purpurato vlla ratione sepeliret. Quintilius 17. die imperii sui (teste Cassiodoro) Aquileiæ occiditur, hoc est, Cal. Octobris, eodem anno quo Claudius obiit.

ROMANORVM 35. Aurelianus regnauit annis 5. mensib. 6. hoc est, vsq; Cal. Aprilis, in anno 256. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

286 1 Quietus. Voldumianus. Antiochiæ Ecclesiæ 17. Episcopus Timæus. Aurelianus, Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum, Gallias recepit. 264

287 2 Tacitus. Placidianus. Zenobia apud Humas haud longe ab Antiochia vincitur, quæ occiso Odenato marito, Orientis tenebat imperium. In qua pugna strenuissime aduersus eam dimicauit Pompeianus dux, cognomento Francus. Cuius familia hodie apud Antiochiam perseuerat. Ex cuius stirpe Euagrius presbyter charissimus nobis descendit. 265

288 3 Aurelianus. Capitolinus. Cyclus decenn. 15. incipit, Indict. 14. *Eusebius* Laodicenus Episcopus insignis habetur. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia præcesserunt equitibus. Tetricus & corrector postea Lucaniæ fuit, & Zenobia in vrbe summo honore consenuit, à qua hodie Romæ, Zenobiæ familia nũcupatur. His Consulibus Fœlix papa passus est secundum gesta pontificum 4. Cal. Ianuar. 266

289 4 Aurelianus. Marcellus. His Consulibus successit Eutichianus papa secundum gesta potificum. Aurelianus templum Soli ædificat, & Romam firmioribus muris vallat. 267

290 5 Probus. Paulinus. Aurelianus cum aduersum nos persecutionem mouisset, fulmẽ iuxta eum comitesque ruit. Eutychianus papa passus est 6. Idus Decembris, & sepultus in cœmeterio Calixti. Romæ passi sunt Eutychianus papa, Theodora, Basilides, Tripodus, Mandalus, Lingonis, Sancti Gemini. Cæsarea Cappadociæ Mames. Apud Prænestinam vrbem Agapitus. In ciuitate Salona Anastasius. Apud Augustodunum Simphorianus. In territorio Viuariensi Andeolus subdiaconus, Andochius presbyter, Thirsus diaconus, & Fœlix. In Crastroduno Benignus presbyter. 268

291 6 Probus. Paternus. His Consulibus, teste Cassiodoro, Aurelianus inter Constantinopolim & Heracliam occiditur. 269

ROMANORVM 36. Tacitus post Aurelianum adeptus est imperium, mensibus 6. Sub quo hi Consules fuerunt.

1 Probus. Paternus. Anatholius natione Alexandrinus Laodiciæ Syriæ Episcopus, philosophorũ disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur. Cuius ingenii magnitudo de libro, quem super Pascha composuit, & de decem libris arithmeticæ institutionis apertissime potest agnosci. Insana Manichæorum hæresis exoritur. Caius 26. papa post *Petrum*. Tacitus mense 6. sui imperii apud Pontum occisus est, hoc est mense Septembri.

ROMANORVM 37. Florianus, omni teste historico, post Tacitum obtinuit imperium, qui tertio demum mense sui imperii apud Tharsum interfectus est, hoc est, vsq; Cal. Ianuarii, in eodem anno quo Aurelianus occisus est. Hic nec quicquam memorabile egit tanta temporis breuitate sui imperii.

ROMANORVM 38. Probus regnauit annis 6. mensibus 4. hoc est, vsque Cal. Maii in anno 264. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

Messala. Grauus. Probus Gallias à Barbaris occupatas ingenti virtute restituit. 270

Probus. Tiberianus. Initium 86. Iubilæi secundum Hebræos. Iobel autem a- 271
Hebræos quinquagenarius annus vocatur. Itaque secundum supputationem He-

bræorum (ſicut dicit *Euſebius* in chronicis ſuis) ab *Adam* vſque in præſentem diem, id eſt, ſecundum annum Probi, fiunt anni 4200. in quibus ſunt 4. Iubilæi, & 50. anni id eſt vnus Iubileus 40. Iubilei ab *Adam* ad annum 50. *Abrahæ*, & ab *Adam* ad annum 16. Tyberii 80. Iubilei. *Euſebius* ſic. Secundo anno probi iuxta Antiochenos 325. annus fuit, iuxta Tyrios 402. iuxta Laodicenos 324. iuxta Ediſſenos 588. iuxta Aſcalonitas 380.

272 3 Probus. Victorinus. Probus Gallos & Pānonios vineas habere permiſit, Almamq; & Aureum montem militari manu conſitos prouincialibus colendos dedit. 294 295

273 4 Carus. Carinus. His Conſulibus Entichianus paſſus eſt ſecundum geſta pontificum. 8. Calend. Auguſti. Cui ſucceſſit Caius papa 16. Calend. Ianuarii. Antiochiæ 18. Epiſcopus Quirillus, Saturninus Magiſter exercitus nouam ciuitatem Antiochiæ orſus eſt condere, qui poſtea molitus imperium inuadere Apamię, occiditur. Decretalis epiſtola Entichiani papæ data 13. Cal. Octob. Caro & Carino Conſulibus. 296

274 5 Carus. Numerianus. Archilaus Meſopotamiæ Epiſcopus librum diſputationis ſuæ quam habuit contra Manichæum exeuntem de Perſide, Syro ſermone compoſuit, qui translatus à Græcis habetur multis. 297

275 6 Diocletianus. Ariſtobulus. Alexandriæ Epiſcopus 15. Theonas annis 19. 298

276 7 Iiſdem Conſulibus, Probus tumultu militari apud Sirmium, in turri quæ vocatur Ferrata occiditur.

ROMANORVM 39. Carus, cum filiis ſuis Garino & Numeriano, regnauit annis 2. menſibus item 2. iuxta hiſtoriam Romanam, hoc eſt, vſq; Calend. Iulii in anno 266. poſt paſſionem. Sub quo hi Conſules fuerunt, teſte Caſſiodoro.

277 1 Maximus. Aquilinus. Carus Narbonenſis cum omni Parthorum regione vaſtata, Cochem & Cteſiphontem nobiliſſimas hoſtium vrbes cepiſſet, ſuper Tygrim caſtra ponens fulminis ictu interiit. 299

278 2 Diocletianus. Maximianus. Numerianus cum ob oculorum dolorem lectica veheretur, inſidiis Apri, ſoceri ſui, occiſus eſt, vix fœtore cadaueris (poſt aliquot dies) ſcelere comperto. Romæ paſſi ſunt Criſanthus & Daria, Claudius cum vxore Hilaria, & filiis Iaſone & Mauro, & 70. militibus. His Conſulibus Carinus prælio victus, apud Margum occiditur. 300

ROMANORVM 40. Diocletianus regnauit annis 20. hoc eſt, vſq; Cal. Iulii, in anno 287. poſt paſſionem. Sub quo hi Conſules fuerunt, teſte Caſſiodoro.

279 1 Maximianus. Ianuarius. Diocletianus Dalmatæ ſcribæ filius, imperator electus, ſtatim Aprum in militum concione percuſſit, iurans ſine ſuo ſcelere Numerianum interfectum eſſe. 301

280 2 Baſſus. Quintianus. Ciclus ſolaris incipit 4. concurrentibus biſextilibus. Diocletianus in conſortium regni Herculeum Maximianum aſſumpſit, qui multitudine ruſticorū oppreſſa, quæ factioni ſuæ Bacandarum nomen indiderat, pacem Gallis reddidit. 302 303

281 3 Diocletianus. Maximianus. Carus ſumpta purpura Britannias occupauit. 304

282 4 Tyberianus. Dion. Narſeus Orienti bellum intulit. Quinque Gentiani Aphricam infeſtauerunt. 305

283 5 Anniballianus. Aſclepiodorus. Ægyptum Achilleus obtinuit, ob quod Conſtātius, & Galerius Maximianus Cæſares in regnum aſſumuntur. Quorum conſtantius Claudii ex filia nepos traditur, Maximianus vero Galerius in Dacia haud longe à Serdice natus eſt.

284 6 Diocletianus quoq; vt etiam affinitate eos coniungeret, Conſtantius priuignam Herculei Theodoram accepit, ex qua poſtea 6. liberos Conſtantii fratres habuit, Galerius filiam Diocletiani Valeriam, atque ambo vxores, quas habuerant, repudiare compulſi ſunt. 306

285 7 Conſtantinus. Maximus. 307

286 8 Tuſcus. Anulinus. Buſtris, & Coptus contra Romanos rebellantes ad ſolum vſq; ſubuerſæ ſunt. 308

287 9 Diocletianus. Conſtantius. Carporum & Abſternorum gentes in Romanum ſolum translatæ ſunt. Decretalis epiſtola Caii papæ. Dilectiſſimo fratri Fœlici Epiſcopo Caius ſalutem, &c. data Cal. Martii, Diocletiano & Conſtantio vrbis Conſulibus. In hac epiſtola conſtituit, vt per omnes gradus Eccleſiaſticos, Accolytus, Oſtiarius, lector, exorciſta, ſubdiaconus, diaconus, presbyter, primum aſcenderat, ſi quis Epiſcopus fieri debet. Caius paſſus eſt, 10. Cal. Maii, & ſepultus eſt in cœmeterio Calixti. Marcellinus 27. papa annis 8. 309

288 10 Fauſtus. Gallus. Primo Diocletianus adorari ſe vt Deum iuſſit, & gemmas veſtib. calcia- 310

calciamentisq; inseri, cum omnes ante eum imperatores in modum Iudicum salutarentur, & chlamydem tantum purpuream à priuata habitu plus haberent.

311 11 Diocletianus. Maximinus. 289

312 12 Constantius. Maximus. His persecutoribus intra 30. dies 700. passi sunt. 290

313 13 Titianus. Nepotianus. Alexãdria cum omni Ægypto per Achilleum ducem à Romana potestate desciscens, octauo obsidionis mense capta est à Diocletiano. 291

314 14 Constantius. Maximus. Itaq; plurimi per totam Ægyptum grauibus proscriptionibus exiliisque vexati sunt, interfectis his qui authores perduellionis extiterant. 292

315 15 Diocletianus. Maximianus. Ecclesiæ Hierosolymorum 37. ordinatur Episcopus Zabdas. Post 10. annos per Asclepiodotum, Præfectum Prætorii, Britanniæ receptæ. Iuxta Lingones à Constantio Cæsare 60. millia Alamannorum cæsa sunt. 293

316 16 Diocl. Maximianus. Galerius Maximianus victus à Narseo, & ad Diocletianum profectus, cum in itinere ei occurrisset, tanta insolentia a Diocletiano fertur exceptus, vt per aliquot passuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurrisse. Veturius Magister militiæ Christianos milites persequitur, paulatim ex illo iam tempore persecutione aduersum nos incipiente. His consulibus Marcellinus papa ad sacrificandum ductus sacrificauit, sed postea pœnitentia ductus capite truncatus est, 6. Cal. Maii, cum Claudio & Quirino atque Antonino, & sepultus est post dies 35. in quodam cubiculo. Marcellus papa 28. post *Petrum* annis 5. 294

317 17 Constantius. Maximus. Galerius Maximianus, superato Narseo, & vxore ac liberis sororibusq; eius captis, à Diocletiano ingenti honore suscipitur. Romæ thermæ Diocletianæ factæ sunt, & Maximianæ Carthagini. 295

318 18 Constantius. Maximus. Ecclesiæ Hierosolymorũ 38. constituitur Episcopus Thermon. Antiochiæ 19. Episcopus Tyrannus. Alexandrinæ Ecclesiæ 16. post Theonam, Episcopus ordinatur *Petrus*, qui postea nono persecutionis anno glorioſe martyrizatus est. 296

319 19 Diocletianus. Constantius. Primus annus persecutionis Diocletiani tyranni. Diocletianus & Maximianus Augusti insigni pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, liberis & sororibus, omnique præda, qua Parthos spoliauerant. Terræmotu horribili apud Tyrum & Sydonem multa opera corruerunt, & populus innumerabilis est oppressus. Decimo nono anno Diocletiani mense Martio in diebus Paschæ Ecclesiæ subuersæ sunt. Quarta autem persecutionis anno, Constantinus regnare orsus est. 297

320 20 Diocletianus, Maxim. His Consulibus teste Cassiodoro, secũdo persecutionis anno Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt. 298

ROMANORVM 41. Galerius Maximinus regnauit anno vno, hoc est, vsque Calend. Iulii, in anno 288. post passionem. Epistolæ Decretales Marcelli Papæ, vna data Calend. Aprilis, Maxentio, & Maximiniano vrbis consulibus: alia data 16. Calendarum Februarii iisdem Consulibus. Marcellus papa iubente Maximiano imperatore primo fustibus cæsus, à facie eius expulsus est, deinde audiens quod domum Sanctæ Lucinæ, quam ipse proscriptione damnauerat, eo quod de facultatibus suis Christianis dederat Ecclesiam faceret, & in ea missas celebraret, in media ciuitate iussit in eadem Ecclesia plancas sterni ad animalium stabulum, & in eodem stabulo Episcopum ad seruitium animalium deputari cum custodia publica: vbi post multos dies seruiendo, indutus silicio obiit. 17. Calendarum Februarii & conditus aromatibus à *Iohanne* presbytero, & B. Lucina sepultus est via Salaria, in cœmeterio Priscillæ. *Eusebius* Papa 29. post *Petrum* ordinatur, qui sedit mensibus 8. & obiit 6. Non. Octobr. Sub huius tempore inuenta est crux domini sub Constantio patre Constantini Magni, vt in gestis Rom. pontificum habetur, ita. Sub huius temporibus inuenta est crux domini 5. No. Maii, & baptizatus est Iudas, qui & Cyriacus. Melciades papa 30. post passionem ordinatur, qui sedit annis 4. Iste decreuit, vt die dominico vel feria, 5. nullus ieiunet fidelis: quoniam hos dies Pagani quasi ieiunio sacro celebrant.

321 1 Maximinus. Seuerus. Tertio persecutionis anno, quo Constantius Eboraci obiit, Maximinus & Seuerus à Galerio Maximiano imperatore Cæsares facti sunt, ex quibus Maximinus maleficia & stupra sua Christianorum persecutionibus accumulat. Passus est in ea tempestate *Petrus* Alexandriæ Episcopus, cum pluribus Ægypti Episcopis. Lucianus quoque vir nobilis, & continentia & eruditione, moribus præcipuus Antiochenus presbyter, & Timotheus Romæ 10. Calẽdarum Iulii. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculeus in Occidente, vastare Ecclesias, affligi interficique Christianos, decimo post Neronem loco præceperunt. Quæ persecutio omnibus fere 299

diu-

diuturnior fuit & immanior. Nam per decem annos incendiis Ecclesiarum proscriptionibus innocentium, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Denique etiam Britanniam tam plurima confessionis Domino deuote gloria sublimauit. Siquidem in ea tempestate passus est S. Albanus, Aaron, & Iulius Legionum vrbis ciues, aliisque vtriusque sexus diuersis in locis quamplures, qui diuersis cruciatibus torti, & inaudita membrorum discerptione lacerati, animas ad supernæ ciuitatis gaudia perfecto agone miserunt. Secundo persecutionis anno Diocletianus ab inuito exegit Maximiano vt simul purpuram imperiumque deponerent, ac iunioribus in Rempublicam substitutis, ipsi in priuato otio consenescerent. Itaque sub vno die Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani potestatem imperii, simulque cultum deposuerut. *Beda.* Attamen cœpta semel persecutio vsque ad Septimum Constantini annum feruere non cessat. Orosius. Galerius & Constantius Augusti primum Romanum imperium inter se diuiserunt. Galerius Maximianus Illyricum, Asiam & Orientem; Constantius Italiam & Aphricam, Galliasque obtinuit. Sed Constantius vir tranquillissimus Gallia tantum Hispaniaque contentus, Galerio cæteras partes concessit. Galerius duos Cæsares elegit, Maximum quem in Oriente constituit, & Seuerum cui permisit Italiam, ipse in Illyrico constitutus. *Beda.* Tertio anno persecutionis, quo & Constantius 16. imperii sui anno Eboraci in Britannia obiit, Maximinus & Seuerus à Galerio Maximiano Cæsares facti sunt. Orosius. Constantius in Britannia obiit, & Constantinum filium ex concubina Helena creatum, imperatorem Galliarum reliquit. Constantino vero in Galliis strenuissime Rempublicam procurante, Prætoriani milites Romæ Maxentium filium Maximiani Herculei, qui priuatus in Lucania morabatur, Augustum nominant. Galerius Augustus Seuerum Cæsarem aduersus Maxentium Romam cum exercitu misit. Seuerus cum vrbem obsideret, militum suorum scelere desertus & proditus, & ex eo fugiens Rauennæ occisus est. Herculeus Maximianus persecutor ex Augusto tyrannus, confirmatum iam in regno filium, veste ac potestate regia spoliare conatus, conuitiis autem ac tumultibus militum palam contritus, in Galliam profectus est, vt Constantino generi suo æque dolis iunctis auferret imperium, sed per Faustam filiam detectus & proditus, quod dolum Constantino viro suo pararet, Massiliam fugiens occiditur. Porro Galerius occiso Seuero, Licinium imperatorem creauit. Cumque persecutionem à Diocletiano & Maximiano immissam ipse atrocibus edictis accumulasset, ac postquam per annos decem omni genere hominum exhausit prouincias, putrefacto introrsus pectore & vitalibus dissolutis, cum vltra horrorem humanæ miseriæ etiam vermes eructaret, & medici vlterius fœtorem eius non ferentes, crebro iussu eius occiderentur, & à quodam medico ei diceretur, iram Dei esse pœnam eius, & ideo incurabilem esse, edictis latissimis Christianos de exilio reuocauit, ipse vero obiit. Constantinus pacem Ecclesiis post decem annos quod à persecutoribus vexabantur, indulsit. Deinde orto bello ciuili inter Constantinum & Maxentium, apud Pontem Miluium victus Maxentius occiditur. Hæc Orosius. Anni autem persecutionis sunt secundum chronicam *Eusebii & Bedæ*, vsque ad annum septimum Constantini, hoc est, annus 19. & 20. Diocletiani, vnus Galerii, & 6. Constantini. Tertium enim annum persecutionis, quo & Constantius (pater Constantini) Eboraci obiit *Bedæ* computat inter Diocletianum & Constantinum. Quartum vero annum persecutionis sub Galerio & Seuero, & Maxentio in Roma, & constantino interim in Gallia imperante, cum præcedente tertio anno persecutionis, Isidorus Episcopus Galerio computauit. Romæ passi sunt Caius & Marcellus Papæ, Ciriacus diaconus, Largus, Smaragdus, Apronianus, Papias, Maurus, Claudius, Prepedigna cum filiis, Gabinius presbyter, Castulus, Pancratius, Artemius cum vxore & filia, Sebastianus, Marcus, Marcellianus. Marcellinus presbyter, *Petrus* exorcista, Tranquillinus. Nicostratus cum vxore Zoa, Primus & Fœlicianus, Claudius, Castorius, Victorinus, Simphorianus, Basiliscus, Faustinus, Beatrix, Tiburtius filius Cromacii, Simplicius, Susanna virgo, Iohannes, Crispus, Genesius, Fœlix, Adauctus, Lucia, Geminianus, Sergius, Bacchus, Crisogonus, Saturninus, Sisinnius, Quatuor coronati, Theodorus, Pontianus, Prætextatus, & Tharso. Apud Spoletum Gregorius presbyter, Sabinus Episcopus, Exuperantius & Marcellus diaconi. Apud insulas Parmarias Anastasia, Pamphilus presbyter, *Eusebii* Cæsariensis Episcopi contubernalis, cuius vitam ipse tribus libris comprehendit. Antiochiæ Iulianus, & Basilissa. In Hispaniis ciuitatibus Cæsaraugustana, Vincentius diaconus. In Barcillona Eulalia virgo, Cucuphas. Apud Gerundam Fœlix. In cumis Iuliana virgo. Apud Tyrum Tyrannio, Siluanus atque Linus Episcopi, cum innumera multitudine. Apud Sirmium, Serenus. in Nicomedia *Petrus* & Lucianus

nus presbyter Antiochenus. Antimus Episcopus, Hermolaus presbyter, cum aliis, Pantaleon, Iohannes, Adrianus, Dorotheus, Gorgonius, Eleutherius. In Smirna. Hirenæus Episcopus. In Palęstina ciuitate Gaza Siluanus. Mediolani Victor. Apud Illyricum ciuitate Siscia Quirinus Episcopus. Apud Tharsum Bonifacius. Apud Aquileiam Fœlix. Fortunatus. Apud Siciliam Vitus, Modestus, Crescentia, Lucia virgo. In Britannia Albanus. Apud Massiliam Victor. In Retia apud Augustam Affra cum sociis suis. In Nicæa Bithiniæ Theodota cum filiis suis. In Hispaniis ciuitate Compluto Iustinus & Pastor fratres. In Cicilia ciuitate Catinensium Euplus diaconus. Apud vrbem Italiæ Pergamum Alexander. In Calcedonia Eufemia cum aliis. In Campania Ianuarius Beneuentanæ ciuitatis Episcopus, Sosius diaconus. Mecenatæ ciuitatis Festus & Desiderius. In Palęstina Peleus & Nilus Episcopi. In Cizico Fausta, & Euilasius. In Agauno Mauricius cum sociis suis. Antiochiæ Ciprianus Episcopus, cum Iustina virgine. Apud Ægæam ciuitatem Cosmas & Damianus. In Galliis Castro Solidoro (quod est super Arolam fluuium) Victor & Vrsus. Apud Agrippinā Gereon cum sociis suis. Apud Tharsum Toracus, Probus, Andronicus. In Venusia ciuitate Apuliæ Fœlix Episcopus, Audax, Ianuarius presbyter. Suessionis Crispinus & Crispinianus. Apud Sydonē Zenobius presbyter. In territorio Agenensi Tiberius, Modestus, Florentia. Antiochiæ Romanus. Alexandriæ Petrus Episcopus. In Aphrica ciuitate Colonia Crispina virgo. In Thuscia Barbara virgo. In Hispaniis Leocadia, Emerita, Eulalia, Iulia. Tunc intra vnum mensem 17. millia martyrum pro Christo passi sunt.

ROMANORVM 42. Constantinus Magnus, Constantii filius ex concubina Helena, ab anno 4. persecutionis incipiens, Indict. 2. regnauit annis 30. mens. 10. hoc est, in anno 314. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt teste Cassiodoro.

322 1 Diocletianus. 11. Maximianus 9. His Cōsulibus Meltiades papa successit No. Iulii: Maxentius, Herculei Maximiniani filius, à Prætorianis militibus Romæ Augustus appellatur. Seuerus Cęsar à Galerio Maximiano contra Maxentium missus, Rauennæ interficitur. 300

323 2 Diocletianus. Maximianus. Licinius à Galerio Carnuti imperator factus est Herculeus Maximianus à filia Fausta detectus, quod dolum viro suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur. Quirinus Episcopus Siscianus glorioſe pro Christo interficitur. Nam manuali mola ad collum eius ligata de ponte præcipitatus in fluuium, diutissime supernatauit, & inspectantibus loquutus, ne sui exemplo terrerētur, vix orans (vt mergeretur) obtinuit. 301

324 3 Maximinus 8. Licinius. Galerius Maximianus persecutor Ecclesiæ, vermibus consumptus, moritur. 302

325 4 Constantinus 2. Licinius 2. Maximianus persecutione in Christianos facta, cum iam à Licinio puniendus esset, apud Tharsum moritur. Meltiades papa obiit. 4. Idus Ian. Syluester 31. papa successit Cal. Feb. seditq; annis 24. 303

326 5 Constantius. Licinius. Ciclus 17. decenn. incipit, Indict. 7. *Petrus* Alexandriæ Episcopus passus est. Post hunc 17. ordinatur Episcopus Achilles. 304

327 6 Volusianus. Anianus. Maxentius apud Pontem Miluium à Constantino superatus occiditur. 305

328 7 Constantius. Licinius. Bellum ciuile aduersus Licinium. Pax nostra à Constantino reddita est post annos 10. persecutionis. Constantino à papa Siluestro baptizato, scripsit ei sua mater Helena de Britannia, vt negantes Christū Iudæos persequeretur. Tunc Constantino 4. & Licinio 4. Consulibus, die Idus Augusti, congregati sunt cum Helena 120. sapientiores Iudæorum, cum Constantino autem & Siluestro papa 24. Episcopi, & superati sunt Iudæi omni scriptura diuina. 306

329 8 Sabinus. Rufinus. Hierosolymorum 39. constituitur Episcopus Macharius. 307

330 9 Gallicanus. Bassus. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. Diocletianus haud longe à Solonis in villa sua moritur, & solus omniū priuatus inter Deos refertur. 308

331 10 Licinius. Crispus. Crispus & Constātius filii Constantini, & Cilicinius adolescens Licinii Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Cæsares appellantur. Quorum Crispum Lactantius latinis literis erudiuit, vir omnium sui temporis eloquentissimus, sed adeo in hac vita pauper, vt plerunq; etiam necessariis indiguerit. 309

332 11 Constantius. Licinius.

333 12 Constantinus. Constantius. 310

334 13 Crispus. Constantius. 311

335 14 Probinus. Iulianus. Licinius de palatio suo Christianos pellit. Basilius Amasiæ Ponti Episcopus sub Licinio martyrio coronatur. 312 313

15 Seue-

314 15 Seuerus. Rufinus. Alexandrinæ Eccleſiç. 18. ordinatur Epiſcopus Alexander, à quo 336
Arrius presbyter de Eccleſia eiectus, multos ſuæ impietati ſociat. Ad quorum perfidiam
coarguendam, Synodus, 318. epiſcoporum in Nicæa vrbe Bithiniæ eſt collecta, omnesq;
hæreticorum machinas homouſii oppoſitione deleuit.

315 16 Criſpus. Conſtantius. Conſtantinus prohibuit Chriſtianos occidi, paganorumq; 337
templa iuſſit claudi.

316 17 Paulinus. Iulianus. Fides catholica tractatur in ſynodo 318. Epiſcoporum, in 338
Nicæa vrbe Bithiniæ congregata contra Arrianos die menſis ſecundum Græcos Deſii.
19. hoc eſt. 17. Calendarum Iulii, Conſulatu Paulini, & Iuliani, teſte *Beda*. Tempori-
bus Sylueſtri papæ, & Conſtantini piiſſimi Auguſti factum eſt magnum Concilium in
Nicæa Bithiniæ, & congregati ſunt regali & eiuſdem Sylueſtri Papæ vocatione in id
ipſum 318. Epiſcopi catholici, qui expoſuerunt integram fidem, catholicam, immacu-
latam, & damnarunt Arrium & Photinum, Sabelliumque, & ſequaces eorum. Inter quos
Epiſcopos erant Victor & Vincentius presbyteri, eiuſdem S. Silueſtri Romani pontificis
Legati. S. Martinus naſcitur. Eodem quoque tempore 13. Calend. Iulii die, quando me-
moratum magnum Concilium in Nicæa congregatum eſt, canonica iam vocatione in
vrbe Roma congregauit & ipſe Sylueſter cum conſilio Conſtantini, 277. Epiſcopos, &
damnauit prædictos hæreticos, & conſtituit, vt Arrianus presbyter reſipiſcens, non ſuſci-
peretur, niſi Epiſcopus eiuſdem loci eum reconciliaret, & ſacroſancto chriſmate per E-
piſcopalis manus impoſitionem S. Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non poteſt, con-
firmaretur: In qua etiam conſenſu & ſubſcriptione omnium conſtitutum eſt, vt nullus
laicus crimen clerico, nec clericus inferioris gradus, ſuperiori, id eſt, Epiſcopo vel pres-
bytero inferret, & in puro lino corpus Chriſti offeratur, & chriſma ab Epiſcopo confi-
ciatur, & vt baptizatum liniat presbyter, & dalmaticis in Eccleſiis vti, & vt pallio linoſtu-
mo leua ſubdiaconorum tergeretur, & reliqua multa.

317 18 Conſtantinus. Conſtantius. Conſtantius filius Conſtantini, Cæſar eſt factus. Lici- 339
nius Theſſalonicæ contra ius ſacramenti, priuatus occiditur. 340

318 19 Conſtantius. Maximus. Nazarius rhetor inſignis habetur, Criſpus filius Conſtanti-
ni, Licinius iunior, Conſtantiæ Conſtantini ſororis & Licinii filius, crudeliſſime interfi-
ciuntur. 341

319 20 Ianuarius. Iuſtus. Vicennalia Conſtantini Nicomediæ acta, & ſequenti anno Ro-
mæ edita. Hucuſque hiſtoriam ſcribit *Euſebius*, Pamphili martyris contubernalis. Cui
nos ita ſubiecimus. Hoc eſt, *Hieronymus*. In qua hiſtoria, quæ Tripartita dicitur, ita ha-
betur. Helena crucem inuenit, duaſque eius partes filio miſit. Quarum vnam in ſta-
tuam in foro Conſtantini ſuper columnam porphireticam poſuit Conſtantinus, alteram
vero argentea theca clauſam in ciuitate cuſtodiuit. Arrius vero fictam fidem ſcribens, de
exilio reuocatus eſt à Conſtantino, qui reuerſus ſic Conſtantino iurauit. Si non credi-
mus in patrem & filium, & Spiritum ſanctum, ſicut Eccleſia catholica credit, iudex no-
ſter ſit Deus, hic & in futuro. Conſtantinus autem, etſi inde gauiſus eſt, tamen eum a-
lioſque hæreticos communicare in Eccleſia non permiſit, donec Epiſcoporum de ipſis
iudicium fieret. Conſtantinus autem iterum volens Arrium probare, duxit eum ad pa-
latium, iureiurando interrogans de Concilii Nicæni decretis. At ipſe ficte ſuam ſectam
ſub ala habens, ſic iurauit eſſe. Quoniam vero ipſa dies ſabbati erat, præcepit Conſtan-
tinus craſtino die Dominico Arrium ad communionem accedere. Tunc in aula etiam
à militibus *Euſebii* Epiſcopi Arrius honoratus, & per mediam ciuitatem honorabiliter &
perſpicue ductus: Cum veniſſet ad forum Conſtantini, vbi pars illa crucis erat, treme-
factus & confuſus eſt Arrius. Et cum neceſſarium queſiſſet meatum, cum ſtercoribus
viſcera coeffundens, obiit. 342

320 21 Conſtantinus. Conſtantius. Arbonius rhetor in Aphrica clarus habetur. Qui dum
ficce ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc ethnicus ad crudelitatẽ ſomniis com-
pelleretur, neque ab Epiſcopo impetraret fidem, quam ſemper oppugnaret, elucubra-
uit aduerſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros, & tandem veluti quibuſdam
obſidibus pietatis datis, quod petebat, obtinuit, Drepanam ciuitatem Bithiniæ in hono-
rem martyris Luciani vbi condidit Conſtantinus inſtauranſque, ex vocabulo matris ſuæ
Helenopolin nuncupauit. In Antiochia Dominicum, quod vocatur Aureum, ædificare
cœptum. 343

321 22 Conſtantius. Simmachus. Conſtantinus vxorem ſuam Pauſiam interfecit. Dona-
tus agnoſcitur, à quo per Aphricam Donatiani. Antiochiæ poſt Tyrannum 20. ordina-
tur Epiſcopus Vitalis. Poſt quem 21. Philogonius. Cui ſucceſſit 22. Paulinus. Poſt quem
23. Euſta-

23.Eustachius.Quo in exilium ob fidem truso, vsque in præsentem diem Arriani Ecclesiam obtinuerũt,id est.Eusebius.Eufronius Placillus,Stephanus,Lentius,Eudoxias, Mellitus,Euzotus, Dorotheus, rursum Mellitus. Quorum idcirco tempora non digessimus, quod eos hostes potius Christi, quam episcopos iudicem.

344 23 Bassus.Ablauius.

345 24 Pacatianus.Hilarianus.Ciclus 18.decenn. incipit, indict. 11.Iuuencus presbyter, natione Hispanus, Euangelia heroicis versibus explicat.Porphyrius misso ad Constantinum insigni volumine,de exilio liberatur. 322 323

346 25 Dalmaticus. Zenophilus.Alexandriæ 19. episcopus ordinatur Athanasius. Dedicatur Constantinopolis omnium pene vrbium nuditate. Metrorus philosophus agnoscitur. 324

347 26 Optatus. Palinus. Edicto Constantini Gentilium templa subuersa sunt. Romani Gothos in Sarmatorum regione vicerunt.S. Martinus cum esset annorum 10. inuitis parentibus, (vtpote Gentilibus) ad Ecclesiam confugit, seque Catechumenum fieri postulauit. 325

348 27 Constantius.Albinus.Constantius filius Constantini,prouehitur ad regnum. Pestilentia & fame innumerabilis multitudo in Siria,Siliciaq; periit. 326

349 28 Nepotianus. Fecundus.In martyrologio sic:Secundo Calendarum Ianuarii natalis Sancti Siluestri papæ:qui sedit annis.24.mensibus.10.diebus. 11.Sedit autem ex die Calendas.Februarii.vsque 2.Calendarum Ianuarii,& sepultus est in cœmeterio Priscillæ,via Salaria, miliario ab vrbe Roma tertio.2.Calendarum Ianuarii, Constantino & Volusiano Consulibus, & cessauit Episcopatus diebus 15. Nota duos menses vacationis Episcopatus à 4. Idus Decembris, quo Melchiades papa obiit, vsque Calend. Februarii, quo Siluester sedit,& 15,dies postea. Quod tempus pontificibus non imputatur. Si igitur ita tempus pontificum deficit, quorum natalicia annuatim celebrantur, nonne multo magis tempus imperatorum ? Marcus papa 22. post *Petrum*, sedit mensibus 8. Domino sancto & Apostolici culminis dignitate venerando,Marco, sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius & vniuersi Episcopi Ægypti. Ad vos peruenisse non dubitamus quanta & qualia ab hæreticis, & maxime ab Arrianis quotidie patimur, vt etiam viuere iam nos tædeat. In tantum etenim nostra vastarunt, vt nulla nobis vtensilia dimiserint, libros nostros vsque ad minimum incenderunt. Quapropter precamur pater beatissime, quia non dubitamus apud vos plenaria esse Nicæni Concilii exemplaria, vt illa nobis, quæ sanctæ recordationis prædecessoris vestri Siluestri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando prædictæ Synodo cum beatæ memoriæ Alexandro digno Deo pontifice nostro, id est, Alexandrinæ ciuitatis Episcopo, in diaconatus interfuimus officio, sub nostræ præsentiæ testimonio per beatos viros Victorem & Vincentium presbyteros, apostolicæ sedis Apocrisiarios, missa sunt prædicto papæ Siluestro, cum astipulatione subnixa 70. capitula. Sane præsentibus nobis 80. capitula in memorata tractata sunt Synodo, scilicet 40. à Græcis Græca lingua edita, & 40. à Latinis edita Latine. Sed visum est 318. patribus, repletis Spiritu sancto, in prædicto congregatis Concilio, & maxime iam dicto Alexandro, & Apostolicæ sedis Apocrisiariis, vt decem capitula adunarentur aliis, atque congruis in locis insererentur, & ad formam septuaginta discipulorum vel septuaginta linguarum, tanti & tam excellentis Concilii fierent capitula, quæ omnem Christianum informarent orbem, & omnes sub sacerdotali & Christiano nomine degentes, vna fides, & vna sacerdotalis, atque clericalis regeret norma, nec quicquam à suo discordaret capite.Nunc igitur quod,vt prædictum est, inimici sanctæ Dei Ecclesiæ, maxime Arriani, á quibus quotidie terremur & impugnamur & opprimimur, præfata septuaginta Nicæni Concilii capitula, quæ de præfata synodo iubente præfato domino meo Alexandro, decreta omnium Episcoporum attuli, quæ etiam coram omnibus recitaui atque conscripsi, sunt igne combusta: optamus, vt à vestræ sanctæ sedis Ecclesiæ authoritate percipere per præsentes legatos mereamur, & reliqua. Omnibus venerabilibus fratribus Athanasio,& vniuersis Ægyptiorum Episcopis, Marcus sanctæ Romanæ apostolicæ sedis & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus salutem. Doleo fratres, & nimium contristor, super afflictione vestra: & reliqua. De capitulis vero Nicæni Concilii, quibus vos interfuisse literis vestræ fraternitatis significastis: à nostris, qui vna vobiscum interfuerunt, diligentioribus requisiuimus collocutionibus, qui ita,vt vestræ testatæ sunt literæ, omnem nobis ordinem exposuerunt,vestramque epistolam per omnia veram esse testati sunt. Non vt nos aliquid siniſtrũ vestra ex parte arbitramur, sed nos & vos, illosque absque vlla in posterum titubatione

vnum sentire optaremus,& sancta Romana Ecclesia (quæ semper immaculata mansit) & domino iuuante,& B. *Petro* Apostolo opem ferente,in futuro manebit,sine vlla hæreticorum insultatione firma & immobilis, omni tempore persistet. His ita peractis, diligenter requirentes in sancto nostræ & Apostolicæ sedis scrinio, eadem, quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Syluestro sunt directa 70. sicut significastis, capitula illæsa inuenimus. Ipsa enim vobis propter authoritatem, & scriptionem tantorum patrum & eius magni Concilii minime misimus, sed pro eisdem coram apocrisiariis vestris alia similia eundem numerum, eandemque ipsam subscriptionem continentia vobis scribere, & sub certa stipulatione mittere curauimus, & reliqua. Data est, 9. Calendarum Nouembris Nepotiano & Fecundo vrbis Consulibus. Marcus papa obiit Nonis Octobris, & sepultus in cœmeterio Balbinæ via Ardiatina, quam ipse insistens fecit. Iulius papa 33. post *Petrum* annis 16. mensibus 9.

328 29 Fœlicianus. Titianus. Calocerus in Cypro res nouas moliens opprimitur. Cõstantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium literas mittit. 350

329 30 Vrsus. Polemius. Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur. Nazarius pater rhetor Romæ gloriosissime docet. Nazarii rhetoris filia in eloquentia patri coæquatur. Tiberianus vir disertus, Præfectus Prætorii, Gallias regit. Eustachius Constantinopolitanus agnoscitur, cuius industria Hierosolymis Martyrium constructum est. 351

330 31 Constantius. Constans. Sanctus *Hieronymus* nascitur. Sanctus *Martinus*, cum esset annorum 15. raptus & catenatus sacramentis militaribus implicitus est, & reliqua: quæ in vita eius plenius habentur. Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab *Eusebio* Nicomediensi Episcopo rebaptizatus, in Arrianum dogma declinat. à quo vsque in præsens tempus rapinę Ecclesiarum, & totius orbis secuta est discordia. His Consulibus Constantinus, cum bellum pararet in Persas, in Achirone villa publica iuxta Nicomediam moritur. Theodorus Episc. in tripartita historia sic. Constantinus in Nicomedia in Achirone villa postquã baptizatus est ab *Eusebio* Nicomediensi episcopo Arriano, obiit. Obiit autem anno 66. ætatis, imperii autem 31. die 25. mensis Maii. 352

ROMANORVM 43. Constantius imperator anno ab vrbe condita 1091. cum Constantino & Constante fratribus suis adeptus est imperium, quod 27. annis tenuit, hoc est, vsque in mensem Nouembr. in anno 345. post passionem.. Sub quo hi Consules fuerunt, teste Cassiodoro.

331 1 Acindinus. Proculus. Ablauius Præfectus Prætorii, & multi nobiles occisi sunt. Sapor rex Persarum, Mesopotamia vastata, duobus fere mensibus Nisibin obsedit, Dalmatius Cæsar, quem patruus Constantinus consortem regni fidelem dereliquerat, factione Constantii patruelis, & tumultu militari interimitur. *Iacobus* Nisibiensis Episcopus agnoscitur. Ad cuius preces sæpe vrbs liberata est. 353

332 2 Marcellinus. Probinus. Ex hoc loco impietas Arrii, Constantii regis fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis, Episcopos est persecuta. Iuliusque papa fuit in exilio mensibus 3. sed post mortem Constantini ad sedem cum gloria reuertitur. 354

333 3 Constantinus. Constans. Constantinus bellum fratri inferens iuxta Aquileiam à se occiditur vario euentu aduersus Francos pugnatur. Multæ Orientis vrbes terræmotu horribili conciderunt. Beatus Iulius papa in regione (quæ Cersona dicitur) vbi S. Clemens iacebat, ad destruendam hæresim quæ illis in partibus pullulauerat, perrexit. Cumque peracto negotio idem papa ab illis partibus regredi inciperet, apparuit ei angelus domini dicens Noli recedere, a domino enim tibi præcipitur vt reuertaris & transferas corpus S. Clementis, quod hactenus in mari iacuit: Cui Iulius. Quomodo (inquit poterit hoc fieri, cum mare non partiatur, nisi die natalis eius? Cui angelus ait. Hoc erit tibi signum, q. dominus tibi præcipiat reuerti, quia mare in occursum tuum partietur. Perrexit autem illo, & transtulit corpus S. Clementis, & posuit illud super ripam, & ædificauit ibi Ecclesiam, & assumens de corpore eius reliquias, Romam secum detulit. Contigit autem vt eodem die, quo illum deferentem reliquias eiusdem martyris, cum summa honorificentia populus recepisset Romanus, sepulchrum quod in mari relictum erat, cum solo se super mare erigeret, & insula fieret. Vbi regionis illius homines basilicam construxerunt & congregationem. Ex tunc ad illam Ecclesiam nauigio itur. S. *Martinus* cum esset annorum 18. baptizatus est, & rel. In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, imperantibusque Constantino & Constante Augustis, anno. 4. sub die. 8. Calendarum Octobris, Indict. 6. præsidente sancto & Beatissimo Iulio papa sedis 355

papa sedis Apostolicæ vrbis Romæ, præpositis sacrosanctis ac venerabilibus Euangeliis in Ecclesia domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterq; cum eo audientibus, Benedicto Aquilensi Episcopo, Luciano Maurianensi Episcopo, & reliquis cum eis 117. Episcopis, Iulius prædictus sanctissimus vrbis Romæ episcopus dixit, & reliqua. Annus itaq; quartus Constantii imperatoris 6. erat Indictione, qui est annus 28. Magni Constantini iuxta chronicam *Eusebii* & *Bedæ*: incarnationis autem secundum *Dionysium* 333.

356 4 Placidus. Romulus. Audeus in Cœlosyria clarus habetur. A quo hæresis Audiena. 334

357 5 Leontius. Salustius. Franci à Constante perdomiti sunt, & pax cum eis facta. Hermogenes Magister militiæ Constantinopolim tractus à populo ob Episcopum *Paulum*, quem regis imperio & Arrianorum factione pellebat. Antiochiæ Dominicum aureum dedicatur. 335

358 6 Constantius. Constans. Cyclus solaris incipit 4. cõcurrentibus bisextilibus. Macedonius, artis plurimæ, in locum *Pauli* ab Arrianis episcopis subrogatur, à quo hæresis Macedoniana. *Paulus* crudelitate præfecti *Philippi*, (nam fautor Macedonii partiũ erat) & Arrianorum insidiis strangulatur. 336

359 7 Amantius. Albinus Maximinus episcopus Treuerorũ clarus habetur, à quo Athanasius Alexandriæ Episcopus, cum à Constantino quæreretur ad pœnam, honorifice susceptus est. Sapor Persarum rex Christianos persequitur. Neocæsaria in Ponto subuersa est, excepta Ecclesia & Episcopo, cæteriq; qui ibidem reperti sunt. 337

360 8 Amantius. Albinus. Titianus vir eloquens Præfecturam Prætorii apud Gallias administrat. Athanasius ad Constantis literas Alexandriam rediit. 338

361 9 Rufinus. Eusebius. Dirrachium terræmotu concidit, & 3. diebus ac noctibus Roma nutauit, plurimæq; vrbes Campaniæ vexatæ. 339

362 10 Philippus. Sallia. Magnis Reip. expensis in Seleucia Syriæ portus efficitur. Rursum Sapor 3. mensibus obsidet Nisibin. Eusebius Emissenus, Arrianæ signifer factionis, multa conscribit. 340

363 11 Limenius. Catulinus. Solis facta est defectio. Bellum Persicum nocturnum apud Singaram, in qua, haud dubiam victoriam militum stoliditate perdidimus. Neque vero vllum Constantio ex nouem grauibus prælijs prosperum contra Persas fuit. Nam vt alia omittam, Nisibis obsessa, Bizabda & Amida captæ sunt. Maximinus 40. post Macharium Hierosolymorum Episcopus moritur: post quem Ecclesiam Arriani inuadunt 1. Cyrillus Eutichus, rursum Cyrillus, Hirenæus. tertio Cyrillus, Hilarius, quarto Cyrillus. Qui cum à Maximo fuisset presbyter ordinatus, & post mortem eius, ab Acatio Episcopo Cæsariensi & cæteris Arrianis, Episcopatus ei promitteretur, si ordinationem Maximi repudiasset, diaconus in Ecclesia ministrauit. Ob quam impietatem sacerdotii mercede priuatus, Heraclium (quem Maximus moriens in suum locum substituerat) varia fraude sollicitans, de Episcopatu in presbyterium regradauit. Cyclus decennouenalis 19. incipit, Indict. 15. 341

364 12 Sergius. Nigridianus. Magnentio apud Augustodunum arripiẽte imperium, Constans haud longe ab Hispania in Castro, cui nomen Helena est, interficitur, anno ætatis suæ 30. quam ob rem turbata Rep. Vetranio Mursæ, Nepotianus Romæ imperatores fiunt. Romæ populus aduersus Magnentianos rebellans ab Heraclide Senatore proditur. Nepotiani caput filo per vrbem circumlatum, multæq; proscriptiones nobilium, & cędes factæ sunt. 342

365 13 Proconsulatus. Sergii & Nigridiani. Vetranioni à Constantio regium est insigne sublatum. Magnentius Mursæ vincitur, vbi Romanæ vires conciderunt. Gallus Constantii patruelis, Cæsar est factus. 343

366 14 Constantius. Constans. Iulius papa obiit 2. Idus Aprilis, & sepultus est via Aurelia miliario 3. in cœmeterio Calepodii, qui sub Constantio Constantini Arriani filio, mensibus 10. proiectus est, sed post eius mortem ad suam sedem reuersus. Liberius 34. papa post *Petrum*, sedit annis 19. 344

367 15 Constantius. Constans. Gallus Iudæos qui interfectis per noctem militibus arma ad rebellandum inuaserant, oppressit: cæsis multis hominum millibus vsq; ad innoxiam ætatem, & ciuitates eorum Cæsaream, Tiberiadem, & Diospolim, plurimaq; oppida igni tradidit & nonnulli nobilium Antiochiæ à Gallo sunt interfecti. 345

368 16 Constantius. Constans. Magnentius Lugduni in palatio, propria se manu occidit: & Decentius frater eius, quem ad tutãdas Gallias Cæsarem miserat, apud Senonas laqueo vitam explet. Gennadius, forensis orator, insignis habetur. 346

347 17 Arbitrio. Lollianus, Gallus Cæsar sollicitatus à Constantio patrueli suo, cui in suspitionem ob egregiam indolem venerat Histriæ occiditur. Siluanus in Gallia res nouas moliens. 28. die extinctus est. Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus Remæ insignes habentur. Paulinus, & Rhodanius, Galliarum episcopi, in exilium ob fidem traduntur. 369

348 18 Constantius. Iulianus. Alcimius, & Delfidius rhetores in Aquitania florentissime docent. Donatus à quo supra Donatianos in Aphrica dici memorauimus, Carthagine pellitur. Quidam sectatores eius Montenses vocantur, eo quod ecclesiam Romæ primum in monte habere cœperint. *Eusebius* Vercellensis episcopus, & Lucifer Caralitanæ ac *Dionysius* Mediolanensis ecclesiæ episcopi Pancratius quoque Romanus presbyter Hilarius diaconus ab Arriano & Constantio damnantur exilio. Iulianus frater Galli Mediolani Cæsar appellatur. 370

349 19 Constantius. Iulianus. Antonius monachus. 105. ætatis anno in eremo moritur: solitus multa ad eum venientibus de *Paulo* quodam Thebeo miræ beatitudinis viro referre. Cuius nos exitum breui libello explicuimus, Hilarius episcopus Pictauensis factione Saturnini Arelatensis episcopi, reliquorumque qui cum eo erant Arrianorum ante triennium in Phrygiam pulsus, libros de nostra religione componit. Reliquiæ Timothei apostoli Constantinopolim inuehuntur. Liberius papa Romanæ Ecclesiæ in exilium mittitur, quo in exilium ob fidem truso, omnes clerici iurauerunt, vt nullum alium susciperent. Verum cum Fœlix ab Arrianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi perierunt, & post annum cum Fœlice electi sunt. Tandem Liberius tædio victus exilii, in hæretica prauitate subscribens, Romam quasi victor intrauit. Fœlix autem depositus de episcopatu suo, habitauit in prædiolo suo via Portuensi. Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentoriacum oppidum Galliæ à Cæsare Iuliano oppressæ sunt. 371

350 20 Titianus. Cerealis. Saraceni in monasterium B. *Antonii* irruentes, discipulos eius interimunt. Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ apostoli & *Lucæ* Euangelistæ à Constantinopolitanis miro fauore suscipiuntur. Fœlix papa 35. post *Petrum* sedit anno vno. 372

351 21 Eusebius. Hipatius Nicomedia terræmotu funditus euersa est, vicinis vrbibus ex parte vexatis. Paulinus Treuerorum Episcopus in Phrygia exulans moritur. Euanthius eruditissimus grammaticorum Constantinopoli obiit, in cuius locum ex Aphrica Chrestus adducitur. Liberius papa de exilio reuertitur. 373

352 22 Constantius vrbis Consul. Synodus apud Ariminum, & Seleuciam Isauriæ facta, in qua antiqua patrum fides, Christi primum legatorum, dehinc omnium proditione damnata est. Honoratus ex Præfecto Prætorii Galliarum, primus Cõstantinopoli Præfectus vrbis effectus. Gratianus imperator nascitur. Hilarius Pictauiensis Episcopus, cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redit. Macedonius Constantinopoli pellitur, & omnes pene toto orbe Ecclesiæ sub nomine pacis & religionis, Arrianorum hæresi compelluuntur. 374

353 23 Iulianus vrbis Consul. Constantinopoli Ecclesiarum maxima dedicatur. Miletus Sebastiæ Armeniorum Episcopus ab Acatio & Georgio Episcopis Arrianis Antiochiam transfertur, & post non grande temporis interuallum, cum presbyteros qui ab Eudoxio antecessore suo depositi fuerant suscepisset, exilii iustissimam causam subita fidei mutatione delusit. 375

354 24 Taurus vrbis Consul. S. *Augustinus* nascitur. Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ damnat autores. 376

355 25 Florentius vrbis Consul. Hæresis Anthropomorphitarum in Syria, Macedonia, & Constantinopoli oritur. 377

356 26 Mamertinus vrbis Consul. Theodorus Episcopus in tripartita historia sic. Constantinus Mosoporenis inter Ciciliam, & Cappadociam, anno ætatis 45. Constantinopolim veniens, tertio die mensis Nouembris obiit. 378

357 27 Neuita vrbis Consul. 379

ROMANORVM 44. Iulianus secundum omnes regnauit annis 2. mensibus 8. hoc est, vsq; Cal. Iulii in anno. 348. post passionem.

358 1 Iulianus vrbis Consul. Iuliano ad idolorum cultum conuerso, blanda persecutio fuit, illiciens magis quam impellens ad sacrificandum, in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt. Georgio per seditionem populi incenso, qui in locum Athanasii ab Arrianis fuerat ordinatus, Athanasius Alexandriam reuertitur. *Eusebius* & Lucifer de exilio regrediuntur. E quibus Lucifer accitis duobus aliis confessoribus, Paulinum Eu- 380

stachii

ſtachii epiſcopi presbyterum, qui ſe nunquam hæreticorum communione polluerat, in parte catholica Antiochiæ epiſcopum fecit.

381 2 Saluſtius vrbis Conſul. Phereſius ſophiſta Athenienſis, lege data ne Chriſtiani liberalium artium doctores eſſent, (cum ſibi ſpecialiter concederet Iulianus vt Chriſtianos doceret) ſcholam ſponte deſeruit. Eccleſiæ Antiochiæ clauſæ, & grauiſſima imminentis perſecutionis procella Dei voluntate ſopita eſt. Sanctus Eliphius, poſtquam præſente Iuliano decollatus eſt, quia idola adorare noluit, ſurrexit & ambabus manibus per vnum miliarium portauit caput ſuum in montem excelſum, eique rupis alba gremium ſuum aperiens, concauum aptumque locum dedit ſuper ſe ſedenti. Mons autem dicitur mons Sāĉti Eliphii, in quo iuxta prædictum lapidem ſuper ſepulchrum ei oratorium conſtructum eſt inter Frumentoſam & Grandim, media ab vtraque miliariis ſenis, ab Aquilone Tullenſem vrbem habens, ab Auſtro vero Grandim tenens. Paſſus eſt autem in prato amœno in ripa fluminis nomine Veri, 17. Cal. Nouembris. 359

382 3 Iulianus vrbis Conſul. Iulianus ob odium Chriſti, templum Hieroſolymis Iudæos reparare permiſit, atque ex omnibus prouinciis Iudæi collecti, noui templi fundamenta iecerunt, ſed ſubito nocte, oborto terræmotu ſaxa ab imo fundamentorum exciſa longe lateque ſparſa ſunt, igneuſque globus ab interiori æde templi plurimos eorum ſuo proſtrauit incendio. Quo terrore reliqui pauefacti, Chriſtum fatebantur inuiti. Et ne hoc caſu factum crederent, ſequenti nocte in veſtimentis cunctorum apparuit crucis ſignum. Romæ paſſi ſunt Priſcus presbyter, Priſcillianus, Benedicta fœmina, Pigmenius presbyter, Gordianus, Demetria virgo, *Iohannes* presbyter, *Iohannes & Paulus*, Fauſtus, & Dafraxus. In Hoſtea Hilarinus, Quiriacus (qui & *Iudas*) Hieroſolymorum Epiſcopus, cum matre ſua Anna. Alexandriæ Gallicanus. Vercellis, *Euſebius* Epiſcopus. In Aritio ciuitate Donatus Epiſcopus. Antiochiæ Theodoricus presbyter. Iulianus in Perſas profectus, noſtrum poſt victoriam diis ſanguinem vouerat: vbi à quodam ſimulato profuga ad deſerta perductus, cam fame & ſiti Apoſtata perdidiſſet exercitum, & inconſultus à ſuorum erraret agminibus, ab obuio forte hoſtium equite conto ilia perfoſſus, interiit anno ætatis 32. Et cum miſiſſet manum ſuam in vulnus, & ſanguinem ſparſiſſet in aerem, dixit: Viciſti Galilæe, id eſt, Chriſte. Hic enim etiam Chriſtianos ſemper appellabat Galileos. Obiit autem die ſexto Calendarum Iulii. Et ſequenti die Iouinianus ex primicerio domeſticorum imperator factus eſt, teſte Theodoro Epiſcopo, & Eutropio hiſtorico tunc viuente. 360

ROMANORVM 45. Iouinianus (ſecundum omnes) regnauit menſibus 8. hoc eſt, vſq; Cal. Martii in anno 349. poſt paſſionem. Sub quo hi Conſules fuerunt.

383 1 Iouinianus. Varronianus. Cyclus decennouenalis incipit Indict. quarta. Iouinianus rerum neceſſitate compulſus Niſibin & magnam Meſopotamiæ partem Sapori regi Perſarum tradidit. Quique poſtea ſiue odore cubiculi, quod ex recēti tectorio calcis grauerat, obiit, ætatis anno 34. 13. Cal. Maii. Poſt quem cum exercitus veniſſet in Nicæam Bithiniæ 25. die menſis Feb. Valentinianum Tribunum ſcutariorum è Pannonia Cibalinſi appellauit Auguſtum, qui fratrem Valentem Conſtantinopolim ſecum regere fecit. 361

ROMANORVM 46. Valentinianus cum Valente fratre, regnauit annis 11. menſibus 5. hoc eſt, vſque Calend. Octobris, in anno 360. poſt paſſionem. Sub quo hi Conſules fuerunt.

384 1 Valentinianus. Valens. Valentinianus egregius alias imperator, & Aureliano erat moribus ſimilis, niſi quod ſeueritatem eius nimiam interpretantur. Apollinaris Laodicenus Epiſcopus multimoda noſtræ religionis ſcripta componit. S. Nicolaus Mirreorum Epiſcopus migrauit ad dominum. 362

385 2 Gratianus. Gadalaiſus. Terræmotu per totum orbem facto mare littus egreditur, & Siciliæ multarumque inſularum vrbes, innumerabileſque populos oppreſſit. Procopius, qui apud Conſtantinopolim tyrannidem exercuerat, apud Phrigiam Salutarem extinguitur, & plurimi Procopianæ partis cæſi, atque proſcripti ſunt. Liberius papa obiit. Cal. Maii. Damaſus 36. papa poſt *Petrum*, annis 19. qui conſtituit vt in die nocteque cantarētur Pſalmi per omnes Eccleſias. Poſt vero non multum tempus Vrſinus à quibuſdam Epiſcopus conſtitutus Sicinnium cum ſuis inuadit: quo Damaſianæ partis confluente populo, crudeliſſimæ interfectiones diuerſi ſexus ſunt perpetratæ. Valens ab Eudoxio Arrianorū 363

386 epiſcopo baptizatus, noſtros perſequitur.

3 Lubicinius. Iouinus. Cyclus ſolaris incipit 4. concurrentibus biſextilibus. Gratianus Valentiniani filius, Ambianis imperator factus eſt, teſte Caſſiodoro. Tanta Conſtan- 364

tinopoli orta est tempestas, vt miræ magnitudinis decidens grando nonnullos homines interficeret. Apud Atrabatas lana de cœlo pluuiæ mixta descendit.

365 4 Valentinianus. Valens. Hilarius Episcopus Pictauiensis moritur. Nicæa quæ sæpe antea corruerat, terræmotu funditus euertitur. Libanius Antiochenus, rhetor insignis habetur. 387

366 5 Valentinianus. Victor. Athanaricus rex Gothorum, in Christianos persecutione commota, plurimos interfecit, & de propriis sedibus in Romanum expulit solum. *Eusebius* Vercellensis Episcopus obiit. Magnus etiam Basilius, cuius condiscipuli extiterunt Gregorius Nazianzenus, Apostata Iulianus, Sophista Libanius, tẽporibus imperatorum Constantii, Iuliani, Iouiniani claruit, & quinto anno imperii Valentis obiit. 388

367 6 Valentinianus. Valens. Constantinopoli apostolorum Martyrium dedicatur. Magna fames in Phrigia, Lucifer Caralitanus Episcopus moritur: qui cum Gregorio Hispaniarum Episcopo, & Philone Libiæ nunquam Arrianæ se miscuit prauitati. 389

368 7 Gratianus. Probus. Maximinus Præfectus annonæ maleficos ab imperatore iussus inuestigare, plurimos Romæ nobilium occidit. Valentinianus in Britannia antequam tyrannidem inuaderet oppressus. Presbyter Syrmii iniquissime decollatur, quod Octauianum ex proconsule apud se latitantem prodere noluisset. 390

369 8 Modestus. Arintheus. Didymus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur, qui post quintum natiuitatis suæ annum luminibus orbatur, elementorum quoq; ignatus fuit. Illirici Equitius iniquissimus Comes tributorum exactionibus, prouincias quas regebat, antequam à Barbaris vastarentur, erasit. 391

370 9 Valentinianus. Valens. Eunomius, discipulus Acatii Constantinopoli agnoscitur, à quo hæresis Eunomiana. Saxones cæsi de Asia in regionem Francorum Burgundionum 80. ferme millia, quod nunquam antea, ad Rhenum descenderunt. Elearchus Præfectus vrbis Constantinopolis agnoscitur, à quo necessaria & diu expectata votis, aqua ciuitati inducitur. Alexandriæ 20. ordinatur Episcopus *Petrus*, qui post Valentis interitum tam facilis in recipiendis hæreticis fuit, vt nonnullis suspicionem acceptæ pecuniæ intulerit. S. *Martinus* anno 56. ætatis suæ dominico die 4. Non. Iulii in Archiepiscopatum Turonicæ ciuitatis Galliæ consecratur, in quo 26. annis sanctissime vixit. Tempore autem quo primum Episcopus datus est, Valentinianus tum maior rerum potiebatur, qui noluit assurgere sancto viro, donec sellam regiam ignis absumpsit, & sic superbus rex solio suo excutitur, & inuitus Martino assurgit. 392

371 10 Gratianus 3. Equitius. Melanthia nobilissima mulierum Romanarum, & Marcellini quõdam Consulis filia, vnico tunc Prætore Vrbano filio derelicto, Hierosolymam nauigauit, vbi tanto virtutum præcipueque humilitatis miraculo fulsit, vt Tedæ nomen acciperet. 393

372 11 Proconsulatus Gratiani, Equitii. Post Auxentii seram mortẽ, Mediolani Ambrosio episcopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia conuertitur. Aquileienses clerici quasi chorus beatorum habentur. Quia superiori anno Sarmatæ Pannonias vastauerant, iidem Consules permansere. Sanctus Patricius nascitur in Britannia ex patre Calphurmo nomine, qui presbyter fuit, filius diaconi nomine Fodit. Mater autem erat Patricii Conches, soror S. *Martini* de Gallia. Patricius in baptismo dictus est Sucat, à S. Germano Magonius, à Cœlestino papa Patricius, id est pater ciuium. Theodorus sic. Peor monachus ambulabat edens, ne suæ carni placeret, panibus, noluit plus vno versu, id est, Dixi custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea, discere, dum ipsum compleret. Qui interroganti se de eodem versu, respondit. Vix 49. annis ipsum implere potui. Qui (rogante episcopo Athanasio, vt ab eremo secum veniret ad Alexandriam) fleuit de ornatu mulieris. Macharius Ægyptius, Machariusq; Alexãdrinus. Ammonius dum cum Athanasio venisset Romam, nullum ibi vidit, nisi basilicam Apostolorum *Petri & Pauli*: qui ad episcopatum tractus, ne episcopus esset, suam abscidit aurem *Iohannes* pater 3000. monachorum. Seraphion pater 10. millium monachorum. Dioscorus presbyter 100. monachorum, qui ante communionem conscientias singulorum fratrum pandebat. Theonas 30. annis tacuit. Helenus ignem in sinu portabat. *Helias*, centum & decem monachorum pater, in eremo solus annis 70. Apelles faber ferrum ex fornace crudum trahens manu, nocte faciẽ dæmonis fingentis se in forma mulieris pulchræ percussit. Isidorus suum clausit monasterium, intus habens necessaria. Apollo annis 40. in solitudine exteriore. Dorotheus, cuius cibus erat panis 6. vnciarum, & vnus fasciculus oleris & aquæ. Piamon presbyter cui aliquando offerenti corpus sacrum Christi, Angelus circa altare apparuit, nomina absentiũ delens, fratrumq; præsentium scribens. Marcus, cui hora communionis Angelus corpus Christi

Christi præbuit. *Moyses* vasa fratrum nocte aqua implebat, per decem stadia vel 20. vel 30. eam afferens, qui 4. latrones suum hospitium infestãtes ligauit: crastino dorso in cõmune fratrum eos portaturus. *Paulus* pater 50. monachorum. *Stephanus* per annos 48. probatus, & magno Antonio notissimus: deinde ita tribulatus, vt membra eius abscinderentur. Iulianus Accepsemas per 70. annos in cella reclusus, nec visus nec locutus tam diu.

395 12 Valens. Valentinianus. His Consulibus Valentinianus contra legatos Sarmatorum vehementi commotus furore, eruptione venarum, quod græce Apoplexis vocatur, fluxu sanguinis 17. die mensis Septembris, ætatis anno 54. imperii autem 11. mense 5. Brigitione obiit. 373

ROMANORVM 47. Valens cum Gratiano & Valentiniano filiis fratris sui (secundũ omnes) regnauit annis 4. hoc est vsq; Cal. Octob. in anno 364. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

396 1 Gratianus. Merobaudes. Valens lege data vt monachi militarent, nolentes iussit fustibus interfici. Theodosius, Theodosii postea imperatoris pater, & plurimi nobilium occisi sunt. Photinus in Galatia moritur, à quo Fotinianorum dogma Iudaicum, Basilius Cæsariensis episcopus Cappadociæ clarus habetur, qui multa continentiæ & ingenii bona vno superbiæ malo perdidit. 374

397 2 Valens vrbis Consul. Alemannorum 30. circiter millia apud Argentoriacum vrbẽ Galliarum, ab exercitu Gratiani strata sunt. Florẽtinus, Bonosus, & Rufinus insignes monachi habentur. E quibus Florentinus tam misericors fuit in egentes, vt vulgo pater pauperum nominaretur. Gens Hunnorum Gothos vastat, qui à Romanis sine armorum depositione susceptis, per auaritiam Maximi ducis ad rebellandum coacti, superatis in congressione Romanis in Thracia diffunduntur. 375

398 3 Valentinianus vrbis Consul. Valens de Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia nostros de exilio reuocat. Lachrymabile bellum in Thracia, in quo deserente equitum præsidio, Romanæ legiones à Gothis cinctæ, vsque ad internecionem cæsæ sunt. Ipse imperator Valens cum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem sæpe laberetur, ad cuiusdam villulæ casam deportatus est, quo persequentibus Barbaris, & incensa domo, sepultura quoque caruit. Huc vsque Hieronymus. Cassiodorus sic. Cui successit in Oriente Theodosius Theodosii filius, quem sibi in consortium regni Gratianus asciuit. Gratianus itaq; cum 14. regnasset annis, cum Theodosio regnat annis 6. Anni igitur 14. sunt (teste Cassiodoro) ab anno tertio Valentiniani, in quo Gratianus imperator factus est, Lubicino & Iouino Consulibus vsque in mortem Valentis, & vsque in imperium secundum Gratiani. 376

ROMANORVM 48. Gratianus cum fratre Valentiniano (secũdum omnes) regnauit annis 6. hoc est vsque Calend. Octobr. in anno 380. post passionem. Sub quo hi Consules fuerunt.

399 1 Ausonius. Olibrius. Gratianus post mortem patrui, Theodosium Theodosii filium in consortium assumpsit imperii, eique regnum tradidit Orientis. Ea tempestate Priscillianus episcopus de Galliis, ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresim sui nominis condidit. 377

400 2 Gratianus. Theodosius. Ambrosius episcopus pro catholica fide multa sublimiter scripsit. 378

401 3 Sigarius. Eucherius. His Consulibus, teste Cassiodoro. S. *Martinus* Turonicæ ciuitatis episcopus in Gallia clarus habetur. 379

402 4 Antonius. Siagrius. Cyclus 21. decennouenalis incipit, Indict. 8. S. Theophilus Alexandriæ episcopus, computum centum annorum cursus Theodosio filio Gratiani dedicauit Consulatu Antonii & Siagrii incipiens. Synodus 150. patrum in Augusta vrbe contra Macedonium, sub Damaso & Gratiano. 380

403 5 Merobaudes. Saturninus. Archadius (Theodosii imperatoris filius) appellatur Augustus. Tertio Idus Decemb. natalis S. Damasi papæ via Ardiatina in Basilica, qui sedit annis 19. Vrsinus qui & Siricius 37. papa annis 15. 381

404 6 Ricimer. Clearchus. Honorius filius Theodosii nascitur. His Cõsulibus in Britannia seditione militum Maximus imperator est factus, quo mox ad Gallias transfretante, Gratianus Parisiis Merobaude Magistro militum prodente superatus fugiens, Lugduni captus & occisus est, Maximus Victorem filium suum, consortem regni facit. 382

ROMANORVM 49. Theodosius filius Gratiani, cum Valentiniano patruo suo, regnauit annis 11. mensibus 4. hoc est, vsq; Cal. Februarii, in anno 382. post passionem.

405 1 Archadius. Banco vrbis Consules. Hieronymus presbyter hoc tempore in Bethlẽ toto iam mundo clarus habetur, egregio ingenio, & studio vniuersæ ecclesiæ seruiens. 383

384 Honorius. Euodius. Priſcillianus in Synodo Burdegalenſi damnandum ſe intelligens, ad imperatorem Maximũ peruolauit, auditusq; Treueris ab Euodio Prætorii gladio addictus eſt, cum Etrocia Delphidi rectoris coniuge, & Latrentano, aliiſque erroris conſortibus. 406

385 3 Valentinianus. Eutropius. Burdegali quædam Priſcilliani diſcipula nomine Vrbita, ob impietatis pertinaciam per ſeditionem vulgi lapidibus extincta eſt. 407

386 4 Theodoſius. Cinegius. Maximus tyrannus à Valentiniano & Theodoſio imperatoribus in 3. ab Aquileia lapide, ſpoliatus indumentis regiis, ſiſtitur, & capite damnatur. Cuius filius Victor eodem anno ab Arbogaſte interfectus eſt in Gallia. 408

387 5 Timaſius Promotus. Itachius & Vrſacius epiſcopi ob necem Priſcillĩani, cuius accuſatores fuerant, Eccleſiæ communione priuantur. 409

588 6 Valentinianus. Neoterius. Hieronymus librum de viris illuſtribus Eccleſiæ, ad annum octauum Theodoſii conſcripſit S. Patricius cum duabus ſororibus ſuis, id eſt, Lupuit & Tigris venditur in Hiberniam, & ipſe quidem S. Patricius venditur ad regem nomine Miluc, filium nepotis Buani in Aquilone Hiberniæ, cuius porcorum paſtor erat Patricius, & Victor Angelus ſæpe loquebatur cum eo. Duæ vero ſorores eius venditæ ſunt in Canaellæ Muirtemnæ. 410

389 7 Titianus. Simmachus. *Iohannes* monachus anachorita clarus. 411

390 8 Archadius. Rufus. Valentinianus ad vitæ faſtidium nimia Arbogaſtis Magiſtri militum auſteritate perductus, laqueo apud Viennam periit. Arbogaſtis magiſter exercitus, mortuo Valentiniano, cuius exitu grauabatur, Eugenium in Gallia facit imperatorem. 412

391 9 Theodoſius. Abundantius. Scoti à Circio & Picti ab Aquilone vaſtant inſulam Britanniam. 413

392 10 Archadius. Honorius. Cyclus ſolaris incipit, quatuor concurrentibus biſextilibus. *Iohannes* monachus ornatus prophetiæ gratia, Theodoſio conſulenti de euentu belli quod aduerſus Eugenium mouebat, victorem futurum eſſe prædixit. 414

393 11 Olibrius vrbis Conſul. Theodoſius Eugenium tyrannum vincit & perimit. *Auguſtinus* à B. *Ambroſio* baptizatus, multa facundia, doctrinaq; excellens, Hipponæ regionis Aphricæ ordinatur Epiſcopus. Claudianus poeta inſignis habetur. 415

394 12 Probinus vrbis Conſul. Theodoſius imperator die 17. menſis Ianuarii anno ætatis 60. Mediolani obiit, ſicut in Tripartita hiſtoria legitur. 416

ROMANORVM 50. Archadius, filius Theodoſii, cum fratre Honorio (ſecundum omnes) regnauit annis 14. menſ. 3. hoc eſt, vſq; Cal. Maii, in anno 396. poſt paſſionem.

395 1 Archadius. Honorius. Donatus Epiri Epiſcopus, Draconem ingentem necauit expuens in os eius, quem octo iuga boum ad locum incendii vix trahere potuerunt: ideo incenſus ne putredo eius aerem corrumperet. 417

396 2 Cæſareus. Atticus. S. *Martinus* Turonorum epiſcopus 81. anno ætatis ſuæ, epiſcopatus vero 26. obiit media nocte Dominica, Cæſareo Atticoq; conuentu. Concilium Carthaginis, vbi Hipponenſis Concilii ſtatuta firmantur, & inſeruntur. 418

397 3 Honorius. Eutychianus. Siricius papa obiit 9. Cal. Martii Anaſtaſius papa 38. ſedit annis 5. hic conſtituit, vt quotieſcunq; Euangelia ſacra recitantur, ſacerdotes non ſedeãt, ſed curui ſtent. 419

398 4 Manlius. Theodorus. Cum hoc Cõſulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox & honore & vita deiectus eſt. 420

399 5 Stilico. Aurelianus. Ciclus. 22. decennouenalis incipit, Indict. 13. Gothi Italiam Alarico & Radagaiſo ducibus ſunt ingreſſi. 421

400 6 Vincentius. Frauitus. *Iohannes* Conſtantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus Epiſcopi illuſtres habentur, & vtrumque obſcurauit diſcordia Quæ eo vſque proceſſit, vt *Iohannes* à Theophilo oppreſſus, Pontum in exilium perurgeretur: cum tamen cõmunionem eius maxima pars Epiſcoporum, Rom. Põtificis exemplũ ſecuta, ſeruauerit. 422

401 7 Archadius. Honorius. Pollentiæ aduerſum Gothos vehementer vtriuſque partis clade pugnatum eſt. 423

402 8 Theodoſius. Rumoridus. Anaſtaſius papa obiit 5. Cal. Maii. Innocentius papa 39. annis 13. 424

403 9 Honorius. Ariſtenus. Carthaginenſe Concilium de Donatiſtis. 425

404 10 Stilico. Anthemius. Radagaiſus in Thuſcia multis Gothorum militibus cæſis, ducente exercitum Stilicone ſuperatus & victus eſt. 426

405 11 Archadius. Probus. Vandali, Sueui, & Alani, Gallias traiecto Rheno quarto Cal. Ianuarii ingrediuntur. 427

12. Hono-

428 12 Honorius. Theodosius. Constantinus in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias transit. 406

429 13 Bassus vrbis Consul. Corpora sanctorum prophetarum Abachuc & Micheæ reuelat Deus. 407

430 14 Philippus vrbis Consul. Archadius imperator Constantinopoli obiit Cal. Maii, sicut in prædicta historia Ecclesiastica legitur. 408

ROMANORVM 51. Honorius cum Theodosio fratris sui filio (secundum omnes) regnauit annis 15. hoc est, vsq; Cal. Maii, in anno 411. post passionem.

431 1 Theodosius Honorius. Vandali Hispanias occupauerunt. Attalus Romæ imperator factus, qui mox priuatus regno, Gothis cessit. 409

432 2 Varro. Tertullus. Roma à Gothis Alarico duce capta, & ob hoc solus fuit Orientalium partium Consulatus, quod sequenti est anno obseruatum. 410

433 3 Theodosius. Constantinus apud Arelatense oppidum victus est & captus. Cuius filium Constantem in Hispaniis regnare orsum, Gerontius Comes in maximum quendam tyrannum transferens, interimit. 411

434 4 Honorius. Theodosius. Maximo in Hispania (regno ablato) vita concessa est: eo quod modestia humilitasq; hominis affectum parit, inuidiam non merebatur. Gothi cum rege Thaulfo Gallias ingressi sunt. Eodem tempore vir sanctus Heros, beati Martini discipulus, cum Arelatensi oppido Episcopus præsideret, à populo eiusdem ciuitatis insons & nulli insimulationi obnoxius, pulsus est. In cuius locum Patroclus ordinatus est, amicus & familiaris Constantii Magistri militum, cuius per ipsum gratia quęrebatur, quæ inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum materia fuit. Innocentius papa constituit Sabbato ieiuniũ celebrari, quia in eo sepulchro iacuit domin⁹, & discipuli ieiunauerunt. 412

435 5 Lucius vrbis Consul. Huius Lucii collega in Consulatu Heraclianus fuit, qui nouarum in Aphrica rerum reus, & honorem & vitam amisit. Burgundiones partem Gallię propinquam Rheno obtinuerunt. Iobinus, & Sebastianus fratres in Gallia (regno abrepto) perempti sunt. Hac tempestate Pelagius Britto, dogma nominis sui contra gloriam Christi, Cœlestino & Iuliano adiutoribus exerit, multosque in suum errorem trahit: prædicans vnumquemq; ad iustitiam voluntate propria regi, tantumq; accipere gratię, quantum meruerit, quia peccatum ad se ipsum solum læserit: vnde & volentibus possibile sit, vt non etiam posteros eius perstrinxerit, omni carere peccato, omnesque paruulos tam insontes nasci, quam primus homo ante præuaricationem fuit: nec ideo baptizandos vt à peccato soluantur, sed vt sacramento adoptionis honorentur. 413

436 6 Constantius. Constans. Attalus Gothorum consilio & præsidio tyrannidem assumit in Gallia. 414

437 7 Honorius. Theodosius. Anno septimo imperii imperatoris Honorii, Consulatu iam Honorii decies & Theodosii sexies, incarnationis autem iuxta Dionysium 415. anno, Indict. 13. Lucianus presbyter in epistola sua, quam scripsit de inuentione corporis beatissimi Stephani protomartyris, sanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abidon, sicut sibi reuelatum est à domino, inter cætera etiam de seipso eodem anno manifeste demonstrat ita die parasceuæ, hoc est feria sexta, quæ est tertio Nonas Decembris, Consulatu Honorii decies, & Theodosii sexies, Augustorum, &c. Regularibus ergo 7. mensis Decembris proiectis, remanent concurrentes 4. anni prædicti, hoc est Calend. Decembris feria quarta, quarto Nonas, feria 5. tertio Nonas, feria sexta anno septimo Honorii, Consulatu prædicto, quorum corpora sacra à domino sunt reuelata. Scripsit ipsam reuelationem Græco sermone ad omnem Ecclesiarum personam, quam Auitus presbyter, Hispanus genere, in Latinum vertit eloquium, & adiecta epistola sua per Orosium Orientalibus dedit: qui Orosius ad loca sancta Hierusalem perueniens, quo eum *Augustinus* ad *Hieronymum* pro discenda animæ ratione miserat, reliquias S. Stephani accepit, & in patriam reuersus, primus intulit Occidenti. Attalus à Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus, & præsidio carens, capitur. Athaulphus à quodam sacro vulneratus obiit, regnumque eius Vanlia (peremptis his qui idem cupere intelligebantur) inuasit. Pelagianis à papa Innocentio prædemnatis, Aphrorum vigore, & maxime Augustini Episcopi industria resistebatur. 415

438 8 Theodosius. Palladius. Placidiam Theodosii imperatoris filiam, quam Gothi Romæ ceperant, quamq; Athaulphus coniugem habuerat, Vanlia pacem & honorem expetens reddit, eiusque nuptias Constantius promeretur. Innocentius papa obiit quarto Cal. Augusti. Zosimus papa 40. annis 4. Hic fecit benedictionem Cereri. 416

439 9 Honorius. Constantius. Honorius cum triũpho Romã ingreditur, pręcunte currũ 417

eius

eius Attalo, quem libere viuere iussit exulem. Dimidia posteriorum pars Ecclesiæ Paschasini Episcopi ad papam Leonem. Non ergo nos dies vna longius posita terreat, ne cum hoc vitamus, incurramus errorem, sicut tempore beatæ recordationis domini mei prædecessoris nostri Zosimi, anno Consulatus Honorii Augusti vndecies, & Constantii secundo. Tunc enim cum declinaretur, ne decimo Calendarum Maii die Pascha teneretur, celebratum octauo die Calendarum Aprilis, id est, pro embolismo communis est annus tentus, & error grauissimus est ortus, in tantum mysterio certo quod dono sancti Spiritus ministratur hæc veritas probaretur. Quod propterea credidit exponendum, quia locus ipse etiam sancto atque à me venerando fratri meo Libanio diacono notissimus est: cuius mysterii miraculum tale est. Quædam vilissima possessio quæ Meltinas appellatur, in montibus arduis ac syluis densissimis constituta, illicque perparua atque vili opere constructa est Ecclesia. In cuius baptisterio nocte sacrosancta Paschali, baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, pauciſque qui fuerint consecratis, cum deductorium nullum habeat, vt aqua venerat, ex sese descendit. Tunc igitur (sicut supra diximus) cum sanctæ memoriæ domino quondam meo ac beatissimo papa Zosimo cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sancta discussis, presbyter secundum morem baptizandi horam requireret vsque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Vt ergo breuiter narrem, illa nocte quæ lucescebat in diem dominicam 10. die Cal. Maii, fons sacer hora competenti repletus est. Euidenti ergo miraculo claruit Occidentalium partium fuisse errorem. Hoc prout potui, vel epistolaris breuitas passa est, iubente Apostolatu vestro rescripsi.

418 10 Honorius. Theodosius. Cyclus decennouenalis incipit, Indict. prima. Hoc tempore Constantius seruus Christi, ex vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei deuotissime Pelagianis resistens, factione eorundem multa pertulit, quæ illum sanctis confessoribus sociauerunt. Concilio apud Carthaginem habito. 214. vel amplius Episcoporum, ad papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt: quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. Valentinianus Constantii & Placidię filius, nascitur quinto Nonas Iulii. Zosimus papa obiit 7. Cal. Ianuarii.

419 11 Monaxius. Plinta. Constantius pacem firmat cum Vanlia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania, & quibusdam ciuitatibus confinium prouinciarum, Bonifacius papa 41. sedit annis 4.

420 12 Theodosius. Constantius. Cyclus solaris incipit, quatuor concurrentibus bisextilibus. Constantius ab Honorio in consortium regni assumitur. *Hieronymus* presbyter moritur, anno ætatis suæ 91. secundo Cal. Octobris.

421 13 Agricola. Eustachius. Constantius imperator obiit. Bonifacius papa decreuit seruũ clericum non fieri, nec obnoxium curiæ vel cuiuslibet rei.

422 14 Honorius. Theodosius. Hoc tempore exercitus ad Hispanias cõtra Vandalos missus est, cuius Castinus dux fuit: qui Bonifacium virum bellicis actibus præclarum, inepto & iniurioso imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Nam ille periculosum sibi atq; indignum ratus eum sequi, quem discordem superbientemq; expertus esset, celeriter se ad portum vrbis, atque inde ad Aphricam proripuit, idq; Reip. multorum laborum initiũ fuit. Bonifacius papa obiit octauo Cal. Nouembris.

423 15 Marinianus. Asclepiodotus. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honorio & Valentiniano proficiscitur. Cœlestinus papa 42. annis 9. Honorius Romæ obiit, & regnum eius *Iohannes* occupat.

ROMANORVM 52. Theodosius iunior, Archadii filius, regnauit annis 27. hoc est, vsque Cal. Maii in anno 438. post passionem.

424 1 Castinus. Victor, Theodosius Valentinianum, amitæ suæ filium, Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum Occidentale mittit imperium. Quo tempore *Iohannes*, dum Aphricam (quam Bonifacius obtinebat) bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

425 2 Theodosius. Valentinianus. Placidia Augusta & Valentinianus Cæsar mira fœlicitate *Iohannem* tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt, data venia Æthio eo quod Hunni quos per ipsum *Iohannes* acceperat, eiusdem studio ad propria reuersi sint. Castinus autem in exilium actus est, quia videbatur *Iohannem* sine inhibentia ipsius regnum non potuisse præsumere. Valentinianus decreto Theodosii Augustus appellatur. Archilar nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatur, donec imminente Æthio non impuniti abscederent.

3. Theo-

448 3 Theodosius Valentinianus. Huius temporis ætate extitit exordium regum Francorum. Primus Pharamundus. Patroclus Arelatensis episcopus, à Tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus, occiditur. Quod facinus ad occultã iussionem Fœlicis Magistri militum referebatur. Cuius impulsu creditur etiam Titus diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus distribuens, interemptus esse. 426

449 4 Hierius. Ardabures. Bonifacius cuius potentia gloriaq; augebatur Aphrica. bellum ad arbitrium Fœlicis, qui ad Italiam venire annuebat, publico nomine intulit ducibus Marbono, & Caluioni, & Senecæ, cuius proditione Marbonus & Caluio, dum Bonifaciũ obsident interempti sunt, moxq; ipse à Bonifacio dolo detẽtus est & occisus: belliq; contra Bonifacium cœpti in Sigisuulti curam translata est. Gens Vandalorum ab Hispania ad Aphricam transit. 427

450 5 Fœlix. Taurus. Nestorius Constantinopolitanus Episcopus nouum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans Christum ex Maria hominem tantum, non etiam Deum natum, eique diuinitatem collatam esse pro merito. Cui impietati præcipua Cyrilli Episcopi Alexandrini industria, & Cœlestini papæ repugnauit authoritas. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupauerant, ab Æthio Comite recepta est. 428

451 6 Florẽtius. Dionysius. Fœlice ad Patriciam dignitatem prouecto, Æthius Magister militum factus est. Agricola Pelagianus, Seueriani Episcopi Pelagiani filius Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit, sed ad actionem Palladii diaconi papa Cœlestinus Germanum Autisiodorensem Episcopum cum sancto Lupo Tricassinæ vrbis antistite vice sua mittit, & disturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem redegit. Cœlestinus papa constituit vt psalmi Dauid. 150. ante sacrificium antiphonatim decantarentur, nam antea epistola & sanctum Euangelium recitabantur. 429

452 7 Theodosius. Valentinianus. Sanctus pater *Augustinus* per omnia excellentissimus, cum in clericatu vel Episcopatu annos 40. complesset, anno ætatis 76. ii׀׀oris Iuliani, inter impetus obsidentium Vandalorum, in ipso dierum suorum fine respondens, & in defensione Christianæ gratiæ perseuerans, gloriose obiit 5. Cal. Septembris. 430

453 8 Bassus. Antiochus. Secundus rex Francorum Clodio extitit. Congregata apud Ephesum Synodo 200. Sacerdotũ, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis damnatur. Ad Scotos in Christum credentes, ordinatus à papa Cœlestino Palladius, primus Episcopus missus est. Post ipsum S. Patricius. 431

454 9 Æthius. Valerius. Patricius sanctus, genere Brittus, à sancto Cœlestino papa consecratur, & ad Archiepiscopatum Hiberniæ missus, ibi per annos 60. signis atq; mirabilibus prædicans, totam insulam Hiberniæ conuertit ad fidem. Bonifacius ab Aphrica ad Italiam, & ad vrbem veniens, accepit Magistri militum dignitatem. Qui cum resistentem sibi Æthium in prælio superasset, paucos post dies morbo extinctus est. Æthius vero cum deposita potestate in agro suo degeret, ibique cum quidam inimicus repentino incursu eum opprimere tentasset, profugus ad vrbem venit, atque illuc ad Dalmatias, deinde per Pannonias ad Hunnos peruenit, quorum amicitia auxilioque vsus, pacem principatum interpolatæ potestatis obtinuit. Cœlestinus papa obiit 7. Idus Aprilis. Sixtus 43. Papa annis 8. Maximus Taurinensis Episcopus in sermonibus componendis facundus claruit. 432 S. Patricius

455 10 Theodosius. Maximus. Eudoxia vxor Theodosii imperatoris ab Hierosolymis remeans, beatissimi Stephani protomartyris reliquias, quæ in Basilica S. Laurentii positæ venerantur, secum detulit. 433

456 11 Asper. Ariobindus. Sixtus papa fecit Basilicam S. Mariæ matris Domini, quę ab antiquis Liberis dicebatur. 434

457 12 Theodosius. Valentinianus. Pax facta est cum Vandalis, data eis ad inhabitandum Aphricæ portione. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem inter Gallias habitantem Æthius bello obtinuit, pacemq; ei supplicanti dedit, qua non diu potitus est. Siquidem illum Hunni cum populo suo radicitus deleuerunt. 435

458 13 Isidorus. Senator. Gothi pacis placitum perturbant, & plura municipia vicina sedibus suis occupant, Narbonensi oppido maxime infesti, quod cum diu obsidione & fame laboraret, per Latorium Comitem ab vtroq; periculo liberatum est. Siquidem per singulos equites binis tritici modiis aduectis, strenuissime hostes in fugam vertit, & ciuitatem annona adiuuit. 436

459 14 Æthius. Sigiswldus. Ciclus decenn. 24. incipit, Indict. 5. Bellum aduersus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. Valentinianus Augustus ad Theodosium principem Constanti- 437

stantinopolim proficiscitur, filiamq; eius in matrimonium accipit. Eodem anno piratica Barbari exercuerunt. In Aphrica Gisericus rex Vandalorum, inter habitationis suę limites volens Catholicam fidem Arriana impietate subuertere, quosdam nostrorum episcopos eo tenus persecutus est, vt eos priuatos iure basilicarum suarum etiam è ciuitatibus pelleret: cum ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet. Per idem tempus 4. Hispani viri, Archadius, Probus, Paschasius, Eutichius, dum apud Gisericum merito sapientiæ & fidelis obsequii clari habebantur, quos rex vt copulatiores sibi faceret, in Arrianam sectam transire præcepit. At illi hoc facinus constantissime respuentes, excitato in rabidissimam iram Barbaro, primum proscripti, deinde in exilium acti, ac postremum diuersis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Paschasii & Eutichii, pro elegantia formæ atque ingenii admodum regi acceptus, cum à professione atque amore catholicæ fidei nullis minis perturbari possit, diu fustibus cæsus, & ad infimam seruitutem damnatus est, ideo (vt apparet) non interfectus, ne desperata peritia imperii, etiam illa ætas gloriaretur. Sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus ciclum 95. annorum componit, incipiens ab anno 153. Diocletiani.

438 15 Theodosius. Faustus. Tertius rex Francorum Meroueus. Diabolus in specie *Moisis* Iudæis in Creta apparens, per mare pede sicco ad terram repromissionis eos perducere se promittit: sed plurimis mersis ac necatis, reliqui salui facti, ad gratiam Christi conuertuntur. 460

439 16 Teodosius. Festus. Hac tempestate Iulianus Athenensis, iactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. His insidiis Sixtus papa diaconi sui Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit, & ita omnes catholici de detectione fallacis bestiæ gaudebant, quasi tunc primum superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncasset. Pax cum Gothis est facta, cum eam post ancipitis pugnæ lachrymabile experimentum humilius quam vnquam antea poposcissent, Æthio rebus quæ in Gallia componebantur intento, Gisericus de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo inuadit, omnesque opes eius, excruciatis diuerso tormentorum genere ciuibus, in ius suum vertit, nec ab Ecclesiarum spoliatione abstinens, quas & sacris vasis exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loca, sed suorum iussit esse habitacula, in vniuersum captiui populi ordinem sæuiens, sed præcipue nobilitati & regioni infensus, vt nō discerneretur hominibus magis quam Deo bellum intulisse. 461

440 17 Valentinianus. Anatolius. Defuncto Sixto Episcopo 40. amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia præsentiam diaconi Leonis expectans, qui tum inter Æthium & Albinum amicitias integrandi gratia Galliæ detinebatur. Leo igitur legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præsentatus 44. papa Romanæ Ecclesiæ consecratur, sedens per annos 21. Gisericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio Sebastiani ab Hispania ad Aphricam transitus, celeriter Carthaginem rediit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus, recipiendæ Carthagini incubuisset. 462

441 18 Cyrus vrbis Consul, Theodosius bellum cōtra Vandalos mouit, Ariobinda, & Ansila, atq; Germano ducibus cum magna classe directis, qui longis cunctationibus negotiū differentes, Siciliæ magis oneri quam Aphricæ præsidio fuere. 463

442 19 Dioscorus. Eudoxius. Hunnis Tracias & Illiricum sæua depopulatione vastantibus exercitus, qui in Sicilia morabatur, ad defensionem Orientalium prouinciarum reuertitur. Cum Gisérico autem & Valentiniano Augusto pax confirmata, & certis spatiis Aphrica inter vtrumq; diuisa est. 464

443 20 Maximus. Paternus. Hoc tempote plurimos Manichæos intra vrbem latere, diligentia papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudinis & damnare fecit & prodere, incensis eorum codicibus. 465

444 21 Theodorus. Albinus. Hoc anno Pascha dominicum celebratum est nono Calen. Maii, nec erratum erat, quia in die 11. Calendarum earundem dies passionis fuit: ob cuius reuerentiam natalis vrbis Romæ sine Circensibus transit. Incipit epistola Paschasini Episcopi ad papam Leonem, iubentem sibi rescribi quæstione orta de eodem anno. Domino viro sancto beatissimo ac Apostolico, mihique post Deum plurimum colendo pā- 466

pæ Leo-

Leoni, Paschasinus episcopus. Apostolatus vestri scripta diacono Panormitanæ ecclesiæ Silano deferente percepi: quæ nuditati meæ atque ærumnis, quas amarissima captiuitate faciente incurri, solatium in omnibus atq; remedium attulerunt cœlesti rore animum recreantes, atque omne quod triste fuerat, abstergentes. Domine venerabilis papa, iubere dignata est corona vestra, vt quid Paschalis supputationis veritas anni post hunc futuri haberet, sacrosanctis auribus vestris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto inobediens existere non potui, nec omnino debui. Diutino itaque tractatu vel ratiocinatione id verum inuenimus, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ antistite beatitudini vestræ rescriptum est. Nam cum Romana supputatio, quæ Cyclo concluditur, cuius ipse de quo agitur erit annus 64. qui Cyclus cœpit à Consulatu Antonii & Siagrii, nobis dubietatem afferret, eo quod septimo Calendarum Aprilium die dies dominica & Luna 21. incurreret, & iterum nono Calendarum Maiarum die, vt rei veritas habet, dominica dies Paschalis, & Luna 19. obueniret, in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum (hoc est) legalem supputationem conuertimus, quæ cum à Romanis ignoratur, facile errorem incurrit. Cœpit ergo Ogdoas à Consulatu virorum clarissimorum Æthii iterum & Sigiswldi, qui clauditur anno de quo quæstio videtur exorta. Talis ratio hæc est. Priores duo anni communes, tertius emboliſmaris, quartus & quintus communes, sextus emboliſmaris, septimus communis, octauus emboliſmaris. Peruidet ergo Apostolatus vestri prudentia, Octauum annum Ogdoadis fieri, aliter non posse nisi emboliſmum teneamus. Quod si voluerimus illud quod superius diximus, idem quod primum incurrit Pascha septimo Calendarum Aprilium die celebrare, communem annum faciemus, & incipiet omnis deinceps subsequentium annorum supputatio vacillare. Et ne hoc, quod exposui, beatitudini vestræ obscuritatem aliquam afferat, suggessimus cõmunes annos apud Hebræos 12. tantum menses, hoc est, dies 354. habere. Necessitate ergo emboliſmi cogimur id tenere quod longius est, ne à vero deuiare videamur. Neque nobis aut nouum aut erraticum videatur, cum dies passionis 11. Calendarum Maii occurrat: à quo sicut videtur, Pascha nomen accepit, licet Hebræorum linguæ interpretes credant Pascha Transitum dici, quod tamen idem & *Iohannis* Euangelistæ dicto firmatur, quo ait cum de passione loqueretur. Cum venisset hora, vt transiret Iesus de mundo ad patrem. Non ergo nos dies vna lõgius posita terreat, &c. quæ in anno 11. Honorii de hac epistola prædiximus. Annus igitur 417. Incarnationis (secundum *Dionysium*) est nonus annus Honorii, & annus 444. Incarnationis (secundum *Dionysium*) est annus 21. Theodosii.

467 22 Valentinianus. Nonius. Leo constituit in missa dicere Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam: & monacham non accipere velamen capitis benedictum ab Episcopo, nisi prius fuerat virginitas illius probata. 445

468 23 Æthius. Simmachus. Britones Scotorum Pictorum infestationem non ferentes, Romam mittunt, & sui subiectione promissa, contra hostes auxilium flagitant. Quibus statim missa legio magnam inimicorum multitudinem sternit, cæterosque à Britanniæ finibus pellit, ac domum reuersura, præcipitur Britonibus murum contra hostes trans insulam inter duo maria statuere. Qui absque artifice magistro, magis cespite quam lapide factus, nihil operantibus profuit. Nam mox vt discessere Romani, aduectis nauibus hostis, quasi maturam segetem, obuia quæque sibi cædit, calcat, deuorat. Iterum petenti auxilia Romani aduolant, & cæsum hostem trans maria fugant, coniunctisque sibi Britannis murum, non vt ante puluereum, sed saxo solidum inter ciuitates (quæ ibidem ob metum hostium fuerant factæ) à mari vsque ad mare collocant, sed & in littore meridiano maris, quia & inde hostis timebatur, turres per interualla ad prospectum maris statuunt, sicque valedixerunt Britannis Romani, tanquam vltra non reuersuri. Recedente autem Romano exercitu, redeunt Scoti & Picti, & totam ab Aquilone insulam pro indigenis muro tenus capessunt: nec mora, cæsis, captis, fugatisque custodibus muri & ipso interrupto, etiam intra illum crudelis prædo grassatur. Mittitur epistola lachrymis & ærumnis referta, ad Romanæ potestatis virum Ætium ter Consulem 23. Theodosii imperatoris anno, petens auxilium, nec impetrat. Interea fames dira ac famosissima profugos infestat, qua coacti quidam hostibus dedere manus, alii de montibus, speluncis, ac saltibus strenue repugnabant. Reuertuntur Scoti domum, post non multum tempus reuersuri. Picti extremam insulæ partem tum primum & deinceps inhabituri detinent. Famem præfatam magna frugum opulentia, opulentiam luxuria & negligentia negligentiam, lues acerrima, & acrior mox hostium nouorum, id est, Anglorum est sequuta: quos Britanni vnanimi consilio cum rege suo Vortigerio, quasi defensores patriæ, ad se inuitandos elegerunt, sed statim impugnatores atque expugnatores senserunt. 446

Deinde tempore Martiani imperatoris gens Saxonum vel Anglorum in Britanniam tribus longis nauibus aduehitur, quibus cum iter prosperum fama domi referret, mittitur fortior exercitus. Qui iunctus prioribus primum hostes (quos petebat) abegit, deinde socios arma vertens, totam prope insulam ab Orientali eius plaga vsque ad Occidentem, id est, medium insulæ igne vel ense subegit conficta occasione quod pro se militantibus Britones minus sufficienter stipendia perhiberent.

447 24 Alipius. Ardabures. Eutiches hæresiarcha Cõstantinopoli presbyter, fretus Theodosii Augusti amicitiis, conatus est non perfectum hominem in Christo asserere. Contra quem Flauianus (eiusdem vrbis episcopus) cõflictum susciens, cum sacerdotibus suis damnatus est, autore Dioscoro Alexandrinæ vrbis episcopo, Contra quem papa Leo misit episcopum, presbyterum, & diaconum, qui iniuriam passi, Flauianum nunciant in defensione catholica per iniurias grauissimas defecisse. 469

448 25 Posthumianus. Zeno. Theodosius imperator pro defensione Eutichetis Leonem papam ad se vocat, qui dum ire vellet, á populo prohibitus, presbyteros & diaconos direxit. 470

449 26 Asturius. Progenies. Iterum vocantur catholici audiendi. 471

450 27 Valentinianus. Auienus. Angli Saxones Martiani principis tempore, *Beda teste*, Britanniam tribus longis nauibus aduecti sunt, qui de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis, & Iutis aduenerant. De Iutarum origine sunt Cantuarii, & Vectuarii: de Saxonibus Orientales Saxones, meridiani Saxones, Occidui Saxones: de Anglis vero, hoc est, de illa patria, quæ Angulus dicitur, Orientales Angli, Mediterranei Angli, Merci, tota Northimbrorum progenies, cæteriq; Anglorum populi sunt exorti. Quorum primi duces fuisse perhibentur duo fratres, Hengistus & Horsus. Erant autem isti filii Withgisili, cuius pater Witta, cuius pater Vecta, cuius pater Woden: de cuius stirpe, multarum prouinciarum regium genus originem duxit. Concilium Chalcedonæ in Epheso contra Eutichem presbyterum, qui Constantinopoli monasterio celeberrimo præsidebat, dicens: Deum tantum esse Christum non hominem. In quo Hilarius diaconus cum Iulio episcopo Puteolano, vice papæ Leonis missi fuerunt. Qui diaconus quia pro violata fide illic clamauit, pro anima sua latenter fugit ad Romam. Theodosius imperator obiit, & cum magna pompa à Placidia & Leone, & omni Senatu deductus est, & in Mausoleo ad Apostolum *Petrum* depositus. Huius Theodosii tempore Concilio apud Carthaginem ab impiissimo Hunerico Vandalorum rege habito, beatus Theonestus, cum alii sedibus quoque suis Episcopi pellerentur, à Philippis sedis suæ vrbe depulsus, cum 4. discipulis suis peregrinationis causa, seu consolationis percipiendæ gratia Romam sub tempore Leonis papæ venit. A quo fauorabiliter susceptus, & aliquandiu ibi commoratus, inde ad beatum Ambrosium Mediolanensem Episcopum contendit. Ab ipso quoque charitatiue susceptus, Theodosio principi (tunc ibi degenti) per ipsum est præsentatus, & ab vtrisque in pace dimissus. Inde aduenit Vindelicam primam Thraciæ vrbem Augustam, vbi & passus est vnus ex discipulis eius Vrsus. Discedens ergo inde, venit ad Sigismundum regem Allobrogum, & ab eo dirigitur ad Treuerensem Paulinũ, indeque nauigio vrbem adiit Moguntiacum, vbi contra hæreticos fortissime sana dimicantem doctrina, secundum reliquit discipulum Albanum, martyrio verissime super niuem dealbatum. 472

ROMANORVM 53. Martianus (secundum alios) regnauit annis 7. iuxta autem eũ qui tunc historiam conscripsit annis 8. secundum historiam Romanam annis 7. mensibus duobus, hoc est, quasi vsque Cal. Iulii in anno 445. post passionem.

451 1 Martianus. Adelphius. Childericus filius Merouei regum Frãcorum quartus. Pugna facta est in Galliis inter Æthium & Attalam Hunnorum regem, cum vtriusq; populi cæde. Attala fugatur in Gallias superiores. 473

452 2 Herculianus. Asporatius. *Ioannes* Baptista duobus monachis caput suum iuxta Herodis habitaculum reuelat, quod ad Edissam Phœnicis vrbem cum magno honore perlatum est. 474

453 3 Opilio. Vincomalus. Synodus Chalcedonensis facta, vbi Eutiches & Dioscorus damnati sunt. Sanctus Leo papa sic. De Paschali obseruantia sanctæ memoriæ Theophilus ad Theodosium Augustum seniorem scribens, per centum annos à primo prædicti principis Consulatu digessit ordinẽ diei festi Paschatis. Cuius institutionis 74. annus nũc euoluitur. Quo Opilione consule, secundo Idus Aprilis celebrata est sacra solennitas: vnde sequenti anno, secundo Nonas Aprilis consequitur, &c. Sed annus qui erit 76. discordat, vt videtur: siquidem 8. Cal. Maii Pascha constituit, cum 15. Cal. Maii, deberet fieri. 475

4. Æthius

476 4 Æthius. Studius. Episcopus Deo gratias ordinatur in basilica Fausti die dominica 8. Cal. Nouembris. 454

477 5 Valentinianus. Antonius, Valentinianus Augustus 11. Calendarum Octobris Æthium patricium & Boethium Carthagine occidit. Valentinianus autem ab amicis Æthii 13. Calendarum Aprilis in campo Martio occiditur. Maximus vero vir gemini Consulatus & patriciæ dignitatis, alia die, 12. Calēdarum Aprilis Romæ sumpsit imperium. Post mensem autem alterum, nunciato ei ex Aphrica Giserici regis aduentu, multisque nobilibus popularibus ex vrbe fugientibus, cum Maximus data abeundi cunctis licentia trepidus vellet abscedere. 77. adepti imperii die à famulis Valētiniani dilaniatus est, & membratim in Tiberim proiectus: sepultura quoque caruit. Post hæc consecuta est (multis digna lachrymis) Romana captiuitas. Cum enim vrbem, omni præsidio vacuam, Giserico obtinuit 4. Idus Iulii, feria 3. occurrens sibi sanctus papa Leo extra portas, ita eum cum sua supplicatione Deo agente liniuit, vt cum omnia potestati eius essent contradita, ciuitati tamen ab igne & cæde & supplicio parceret. Roma vero per 14. dies secura & libera scrutatione ab omnibus opibus suis euacuata est, multaque millia captiuorum (prout cuique ætate vel arte placuerat) cum regina & filiabus eius Carthagini sunt adducta. Hoc anno, hoc est. 455. incarnationis (iuxta Dionysium) Pascha dominicum 8. Cal. Maii recte celebratū est ordinatione sancti Theophili quod sanctus papa Leo 15. Cal. Maii potius obseruandum protestabatur. Hengistus & Horsus cum Vortigerio Britonum rege, in loco qui dicitur Ægelesthrep, pugnauere: & licet in ea pugna Horsus occisus esset, Hengistus tamen victoriam habuit: & post hæc cum filio suo Æsca regnare cœpit. 455

478 6 Varan. Iohannes. Cyclus decennouenalis 15. incipit Indict. 9. Post Maximum in Galliis Auitus sumpsit imperium. 456

479 7 Constantinus. Rufus. Auitus Placentiæ deposuit imperium. Martiano defuncto apud Constantinopolim, Leo Orientis, Maiorianus Italiæ suscepit imperium. Huc vsque in chronica *Eusebii*, in cuius fine hæc habentur. Post Consulatum Theodosii 17. & Festi, Giserico Vandalorum rex Carthaginem ingressus est 14. Calendarum Nouembris: in qua regnauit annis 27. mensibus 3. diebus 6. Post hunc regnauit Hunericus filius eius, annis 7. mensibus decem, diebus 28. Qui in fine anni 7. sui catholicæ Ecclesiæ persecutionem mouit: omnesque Ecclesias clausit, & cunctos domini catholicos sacerdotes cum Eugenio Carthaginensi Episcopo exilio relegauit: ipseque Dei iudicio scatens vermibus vitam finiuit. Post eum regnauit Guntamundus, Gentuni eiusdem Hunerici fratris filius, annis 11. mensibus 9. diebus 11. Qui tertio anno regni sui cœmeterium sancti martyris Agilei apud Carthaginem catholicis dari præcepit: Eugenio Carthaginensi Episcopo ab eodem de exilio iam reuocato. Decimo autem anno regni sui Ecclesias catholicorum aperuit, & omnes Dei sacerdotes petente Eugenio Carthaginensi Episcopo de exilio reuocauit. Quæ Ecclesiæ fuerunt clausæ annis decem, mensibus 6. diebus 5. hoc est, ab octauo anno Hunerici, id est, ex die septimo Idus Februarii, vsque in 11. annum regis Guntamundi, die quarto Idus Augusti: in quo completi sant supradicti anni 10. menses sex, dies quinque. Qui memoratus Guntamundus rex postmodum vixit annos duos, mensem vnum. Post quem regnauit Trasemundus Gentunis filius annis 26. mensibus octo, diebus quatuor. Ab exordio ergo imperii Auiti vsque annum 26. Trasemundi A 14. autem anno imperii & morte Valentis vsque in annum 26. Trasemundi anni sunt. Post quem regnauit Hildericus filius Hunerici annos octo & dies octo. Qui in exordio regni sui Bonifacium Episcopum apud Carthaginem in Ecclesia sancti Agilei ordinari præcepit, & omnibus catholicis libertatem restituit. Quo regnante assumpta tyrannide Geilemar regnum eius inuasit, in quo fecit annos tres & totidem menses. Qui tanta homicidia scelestus commisit, vt nec parentibus parceret. Fiunt ergo ab exordio Giserici regis vsque ad exitium Vandalorum anni. Ab interitu ergo Valentis, qui erat in 14. anno regni eius, vsque ad supradictum tempus sunt anni. Collecta ergo omnium summa annorum ab *Adam* vsq; ad Vandalorum perditionem fiunt. 5733. anni. 457

Hengistus & Æsca, in loco qui dicitur Creccanford, cum Britonibus prælium commisere, & ex eis quatuor millia virorum in ore gladii periere, reliqui Cantiam penitus dimisere, & cum magno metu ad Lundoniam fugere.

ROMANORVM 54. Leo (secundum omnes) regnauit annis 17. hoc est, vsq; Calen. Iulii, in anno 461. post passionem.

480 1 Leo Augustus. Maiorianus. Maiorianus Augustus in Aphricam mouit procunctum. 458

481 2 Richimer. Patritius. Alexandria & Ægyptus errore Dioscori hæretici langueſcit. 459

460 3 Magnus. Apollonius. Hæresis Acephalorum Chalcidonense Concilium impugnantium apparuit. Acephali autem dicuntur sine capite, quia auctor eorum nō apparet. 482

461 4 Seuerinus. Dagalaiphus. Maiorianus iuxta Dertonā ciuitatem. 8. Idus Augusti occiditur immissione Richimeris. Cui Seuerum natione Lucanum Rauennæ succedere fecit in regnum. Leo papa obiit 4. Cal. Iulii. 483

462 5 Leo Augustus. Seuerus Augustus. Hilarius 45. papa consecratur 11. Idus Nouemb. qui sedit annis 7. mens. 6. 484

463 6 Basilius. Viuianus. Theodorus episcopus ciuitatis, quę Cyria dicitur, eo quod à Cyro rege Persarum sit condita: scribit de vera incarnatione dominica contra Eutichen & Dioscorum, qui negant humanam carnem in Christo. 485

464 7 Rusticus. Olibrius. Beorgor rex Alanorum apud Pergamum à Richimere patricio peremptus est. 486

465 8 Armineric us. Basiliscus. Seuerus Romæ in palatio fraude Richimeris veneno perimitur. Hengistus & Æsca cum Britonibus prope Wippedesfleote, id est, Wippedi tranatorium pugnauerūt, & 12. duces exercitus cum multis aliis occiderunt, cum vnus tantum miles, cui nomen Wipped erat, ex suis in acie corruit. 487

466 9 Leo 3. vrbis Consul. Theodorus prædictus episcopus Cyriæ scribit historiam Ecclesiasticam, quæ Tripartita dicitur, à fine librorum *Eusebii*, id est, ab anno 20. Constantini Magni vsq; ad tempus huius Leonis imperatoris, quando & ipse episcopus obiit. 488

467 10 Pusæus. Iohannes. Anthemius à Leone imperatore ad Italiam mittitur: qui tertio ab vrbe miliario in loco Brontotas susceptit imperium. 489

468 11 Anthemius. Augustus. Marcellinus occiditur in Sicilia. Victorius iubente Hilario scripsit Paschalem circulum 532. annorum. 490

469 12 Martianus. Zeno. Arabundus imperium tentans iussu Anthemii exilio deportatur. 491

470 13 Seuerus. Iordanes. Romanus patritius affectans imperium capite truncatur. Hilarius papa obiit 10. Cal. Martii. Simplicius papa 46. sedit annis 15. 492

471 14 Leo Augustus. Probianus. Asper affectans tyrannidem, Constantinopoli á Leone imperatore occiditur. 493

472 15 Festus. Martianus. Richimer patritius, Romæ facto imperatore Olibrio, Anthemiū contra reuerentiam principis & ius affinitatis (cum graui clade ciuitatis) extinguit: qui 40. die gloriæ suæ defunctus est. Olibrius autem mense 7. imperii è vita exiuit. 494

473 16 Leo Augustus vrbis Consul. Gundebaldo hortante Glicerius Rauennæ sumpsit imperium. Eodem anno Leo nepotem suum Leonem, consortem facit imperii. Hēgistus & Æsca quarta vice cum Britonibus pugnauere, & potita victoria innumerabilia spolia tulere. In qua pugna Britones Anglos sicut ignem fugerunt. 495

474 17 Leo Augustus vrbis Consul. Nepos Romæ Glicerio successit in regnum. Leo imperator hoc anno obiit. Hæc Cassiodorus. Iordanis Episcopus sic, in chronica ab eo hoc tempore composita. Sic quoque Leo Leonem iuniorem, ex Ariagne filia nepotem suū, in imperio ordinans Orientali, anno 16. imperii sui obiit. Francorum rex Childericus hoc anno vita decessit, & regni hæredem suum filium Clodoueum reliquit. Hic decimo anno regni sui vsque Sequanam, sequenti tempore vsque Ligerim regnum suum dilatauit. Decimo quinto autem Alemannos, rege eorum occiso, capit, & tributarios constituit: & primus regum Francorum à sancto Remigio die Paschæ, cum 3000. virorum de exercitu suo, sororibus duabus Albofleda & Landeilda, regenerationis lauacrum suscepit. Processu vero temporis, per consilium reginæ suæ Christianissimæ Rothildis, Ecclesiam in honore Apostolorum *Petri* & *Pauli* in Parisiis ciuitate fecit: & post contra Alaricum Arrianum hostiliter pergens, à sancto Remigio benedictionem petiit. Cui & benedictionem dedit, & victoriam in verbo Christi spopondit: flaxonemque vino à se benedicto plenum dedit, præcipiens vt tam longe ad bellum procederet, quamdiu illi & suis illud vinum non deficeret. Bibit inde rex, & regalis familia, & numerosa turba populi, & vas vini detrimentum non patitur, sed more fontis inundatione repletur. Mouit igitur rex exercitum suum versus Parisios ciuitatem & 10. miliario ab ea regem Gothorum Alaricum interfecit, & post victoriam multis ciuitatibus suæ ditioni subiugatis, vsque Tholosam perrexit: & post cum glorioſa victoria ad propria rediit. Per idem tempus imperator Anastasius illi coronam auream gemmis ornatam, & tunicam ac Baltheū misit, & ab ea die Consul & Augustus est appellatus. Deinceps coronam aureā cum gemmis, quæ Regnum appellari solet, sancto *Petro* (beato Remigio suggerente) direxit. Post hæc omnia in pace vitam finiuit: & in Ecclesia sancti *Petri*, quam ipse & regina sua ædificauerant, honorifice sepultus est. 496

ROMA-

ROMANORVM 55. Leo iunior, mox paucis mensibus cum puerile (ordinante tamen patre) rexisset imperium, manu sua generum Zenonem coronans, imperatoremque constituens, rebus humanis excessit. Zenon autem natione Isaurus, gener Leonis imperatoris, regnauit annis 17. Hæc Iordanis episcopus. Et hoc est iuxta historiam Romanam, quod Leo regnauerit annis 16. ac mensibus 6. Hoc est, vsque Cal. Ianuarii in eodem anno 16. quo Leo obiit, tempore Leonis iunioris.

ROMANORVM 56. Zenon regnauit annis (secundum omnes) 17. hoc est, vsq; Cal. Ianuarii in anno 479. post passionem.

497 1 Proconsulatus. Leo Augustus. Cyclus decennou. 26. incipit, Indict. 13. Orestes nepote in Dalmatias fugato, filio Augustulo dedit imperium. 475

498 2 Basiliscus. Armatus. Cyclus solaris incipit, quatuor concurrẽtibus bisextilibus. Ab Odouacre Orestes & frater eius Paulus occisi sunt, nomenque regis Odouacer assumpsit sine purpura & regalibus insigniis. 476

499 3 Proconsules. Basiliscus Armatius. Iste Zenon Leonem Augusti filium interficere quæsiuit, sed mater eius pro eo alium forma similem obtulit, Leonem vero occulte clericum fecit, quique in clericatu vsque ad Iustini tempora vixit. Ælla & eius tres filii Cymen Pleucingus & Cissa, cum tribus nauibus in Britanniam venere & loco, qui vocatur Kimenesora, suas naues appulere, ibique Britones multos occidere, & cæteros in siluam (quæ Andredesleage nominatur) fugauere. 477

500 4 Ellius vrbis Consul.

501 5 Zenon. Augustus. 478

502 6 Basilius iunior. 479

503 7 Placidus vrbis Consul. Odouacer in Dalmatiis Oduiam vicit & peremit. 480

504 8 Seuerinus vrbis Consul. Simplicius papa Acatium Constantinopolitanum & Petrum Alexandrinum episcopos, Eutichianos damnat. 481 482

505 9 Faustus vrbis Consul. Corpus *Barnabæ* & Euangelium *Matthæi*, eius stylo scriptum reperitur, ipso reuelante. 483

506 10 Theodoricus. Venãtius. Apostolicus papa Simplicius obiit 6. Nonas Martii. Fœlix papa 47. qui sedit annis octo. 484

507 11 Simmachus vrbis Cõsul. Hunericus rex Vandalorum Arrianus, in Aphrica exiliatis defugatisq; plusquam 334. episcopis catholicis, ecclesias clausit, plebem variis affecit suppliciis: & quidem innumeris manus abscidit & linguas præscidit: nec tamen loquelam catholicæ confessionis eripere potuit. Ælla cum Britonibus prope Mearcredesburnan, hoc est, riuum Mearcreadi, pugnans: multos ex eis occidit, & cæteros fugauit. 485

508 12 Decius. Longinus. Fœlix etiam papa damnauit Acatium & *Petrum* Episcopos Eutichianos. 486

509 13 Boetius vrbis Consul. Odouacer, Feba rege Rugorum victo captoque regno potitus est. 487

510 14 Dinamius. Sifidius. Theodoricus rex intrauit Italiam his Consulibus, teste Cassiodoro. Cui Odouacer ad Isontium pugnam parans, victus cum tota gente fugatus est. Iterũ eodem anno Veronæ in pugna vincitur Odouacer. Hengistus, postquam regnum Cantuariorum 34. annis strenuissime rexisset, vitæ finem fecit. Cui successit in regnum Æsca filius suus, & 24. annis regnauit. 488

511 15 Probinus. Eusebius.

512 16 Faustus iunior Consul. Theodoricus ad Ducam fluuium Odouacrem vincit, qui ad Rauennam fugiens obsidetur. Hoc anno beatus Mamertus Vienensis episcopus solennes letanias instituit, id est Rogationum. 489 490

513 17 Olibrius iunior Consul. Odouacer cum Rugis egressus Rauenna nocte ad Pontẽ Candidiani à Theodorico rege memorabili certamine superatur. Tunc Vandali pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita deprædatione cessarunt. Eodem anno Zenon imperator obiit. Sãctus Patricius Hyberniæ archiepiscopus, annorum 122. beatissimo fine obiit. Ælla & Cissa filius suus Andredescaster post longam obsessionem fregerunt, & eius habitatores à paruo vsq; ad minimum peremerunt. 491 S. Patritius

ROMANORVM 57. Anastasius (secundum omnes) regnauit annis 27. hoc est, vsq; Cal. Maii, in anno 506. post passionem.

514 1 Anastasius Augustus. Rufus. Hic duas naturas, id est, humanitatis & Deitatis secũdum Eutichium negauit in Christo. 492

515 2 Albinus vrbis Consul. Gelasius papa 48. sedit annis quatuor & mensibus decem. Sextus regum Francorum Theodoricus. 493

494 3 Asterius.Præsidius.Cyclus decennouenalis 27.incipit,Indict.11. Theodoricus rex Rauennam ingressus,Odouacrem molientem sibi insidias occidit. 516

495 4 Victor vrbis Consul.Gelasius papa Nemesium episcopum à Fœlice papa damnatũ ecclesiæ suæ restituit.Hoc anno Duces duo Cerdicius sc. & suus filius Kenricus quinque nauibus in Britanniam sunt aduecti, & in loco qui Cerdicesora nominatur appellantes, eodem die cum Britonibus dimicauerunt,illosq; victos fugere compulerunt. 517

496 5 Paulus vrbis Consul.Gelasius papa librum contra Eutichen & Nestorium composuit, & obiit. 13.Cal.Decembris, 518

497 6 Anastasius Augustus. Anastasius imperator nullius inimicorũ suorum meruit vindictam audire, sicut nec ipse Ecclesiæ iura seruauit. Anastasius papa 49.post Petrum,sedit anno vno & mensibus sex. 519

598 7 Paulinus.Ioannes.Thrasamundus Vandalorum rex catholicas clausit Ecclesias,& 225.episcopos in exilium in Sardiniam misit.Anastasius papa voluit occulte reuocare Acatium Constantinopolitanum episcopum damnatum, & non potuit, qui etiam diuino nutu percussus est.Anastasius papa obiit 5. Calendarum Iunii. Simmachus papa 50.annis 15. 520

499 8 Iohannes vrbis Consul.Propter electionem Simmachi papæ, & Laurentii Festus exconsul nobilissimus,& exconsul Probinus ex parte Laurentii aduersus Festum exconsulẽ cæteroſq; ex Simmachi parte in medio vrbis cædes & homicidia fecerunt,clericosq; multos occiderunt. Vnde etiam sanctus Paschasius diaconus post mortem suam in pœna positus erat,quia contra populum in electione Laurentii vsque in finem vitę suæ permansit:sicut in dialogo legitur,& hoc fuit peccatum minimum , id est culpa ignorantiæ, quia ipse putabit rectius esse coram Deo quod fecit quam aliter. 521

500 9 Patricius.Hipatius.Rex Theodoricus Romam venit, & Senatũ affabiliter tractat. 522

501 10 Auienus.Pompeius. Theodoricus rex Romanæ plebi donauit annonas. Porta & duo filii sui Bida & Meagla cum duabus nauibus in Britanniam venere in loco qui dicitur Portesmutha,& iuuenem quẽdam Britonũ nobilissimũ cum multis aliis occiderunt. 523

502 11 Auienus iunior.Probus.Rex Theodoricus aquam Rauennam perduxit, cuius formam sumptu proprio instaurauit:quæ longis ante fuerat ad solum redacta temporibus. 524

503 12 Cætheus vrbis Consul. Virtute regis Theodorici victis Vlgaribus.Sirmium recepit Italia. 525

504 13 Theodorus.Sabinianus.Simmachus papa multa ecclesiarum opera à fundamentis fecit,vel prisca renouauit.Ad beatum Petrum & Paulum,& sanctum Laurentium pauperibus habitacula constituxit,& omni anno per Aphricam vel Sardiniã episcopis, qui erant in exilio,pecuniam & vestes ministrabat. Theodoricus contra Francos misit exercitum suum,qui Gallias Francorum deprędatione confusas,victis hostibus ac fugatis,suo acquisiuit imperio. 526

505 14 Messala.Ariobina. 527

506 15 Anastasius Augustus. 528

507 16 Venantius Iunior.Celer. 529

508 17 Importunus vrbis Consul.Cerdicius & suus filius Kenricus regem Britonum Natanleod & quinq; millia virorum in ore gladii peremerunt,à cuius nomine illa regio vsq; ad Cerdicesford Natanleod traxit vocabulum. 530

509 18 Boetius vrbis Cõsul.Apud Carthaginem Olimpius quidã Arrianus in balneis sanctam Trinitatem blasphemauit, statimq; ignis iaculo imminente visibiliter cõbustus est. 531

510 19 Fœlix.Secundinus,Barnabas quoque quidam Arrianus episcopus,dum contra regulam fidei quendam baptizans dixisset, Baptizo te Barnabas,In nomine patris per filium in Spiritu sancto,statim aqua quæ fuerat ad baptizãdum deportata nusquam comparuit: quod aspiciens qui baptizandus erat confestim ad ecclesiam catholicam abiit & baptismum Christi suscepit. 532

511 20 Paulus.Muscianus. 533

512 21 Probus.Clementinus.Fulgentius in confessione fidei & scientia floruit. 534

513 22 Senator vrbis Consul.Cyclus decennouenalis 28.incipit.Indict.6.Simmachus papa obiit.14.Cal.Augusti.Hormisda papa 51.sedit annis octo. 535

514 23 Cassiodorus Consul sic.Me etiam Consule in vestrorum laude temporum adunato clero vel populo Romano,ecclesiæ rediit optata concordia. Occidentales Saxones in Britanniam cum tribus nauibus venientes in loco qui Cerdicesora vocatur, appulerunt. Quorum primates Stufus & Wihtgarus Cerdicii nepotes extiterũt. Ii mox pugnam cum Britonibus ineuntes, quosdam ex eis occiderunt,quosdam vero fugauerunt. 536

537 24 Florentius. Anthemius. Theodoricus rex filiam suam Amalsuindam Eutharico viro glorioso copulauit. Septimus rex Francorum, Theodebertus. 515

538 25 Petrus vrbis Consul. Eutharicus Cillica, à Senatu & plebe exceptus est ad Consulatum. Sanctus Maurus duodenus beato Benedicto à parentibus traditur. 516

539 26 Eutharicus. s. Cillica. Iustinus Augustus. Hormisda papa composuit clerum, psalmisque erudiuit. 517

540 27 Anastasius imperator. Hormisda papa misit Euodium Ticinensem episcopum alioscq; ad Anastasium imperatorem docendum, Anastasius vero spernens & hæresi fauens Eutichetis, catholicos persecutus, & diuersis partibus inimicorum vallatus, agminibus sæpe congemens, diuino fulmine periit. Iordanis episcopus historiam tunc ita scripsit. Anastasius imperator mœrens & furens, maior octogenario, regni. 28. rebus humanis excessit. 518

ROMANORVM 58. Iustinus senior (secundum historiam Romanam & Iordanem Episcopum, qui tunc chronicam composuit & vixit) imperauit annis 9. iuxta Bedam autem tantum annis octo, hoc est, vsque Cal. Ianuarii.

541 1. Rusticus. Vitalis. Iustinus nomen hæreticorum cœpit extinguere, eorumque vbiq; Ecclesias catholice consecrare. Cerdicius & Kenricus regnare cœperunt, & eodem anno cum Britonibus (in loco qui nominatur Cerdicesford) pugnauerũt & victores extiterũt. 519

542 2 Valerius. Iustinianus. Iustinus Amantium Præpositum palatii & Andream cubicularium occidit. Misalem & Ardaburem cubicularios Sardicam in exilium misit. 520

543 3 Simmachus. Boetius. Hormisda papa obiit. 8. Idus Augusti. Sancta Brigida Scota virgo in Hibernia obiit. 421

544 4 Maximus vrbis Consul. Iohannes papa. 52. annis 2. mensibus. 10. sedit. 522

545 5 Opilio. Iustinus Augustus. Theodoricus autem Arrianus imperator Italiæ, Iohannem papam & Theodorum & Agapitum Consulares viros & Agapitum patricium ad Iustinum imperatorem Constantinopolim misit, interminans nisi dimitterentur hęretici in pace degere, ipse etiam omnes catholicos Italiæ occideret, Iohannes vero papa Constantinopolim veniens, ad portam quæ vocatur Aurea, populorum turbis ei occurrentibus, in conspectu omnium, roganti cæco lumen reddidit. Iustinus autem imperator fletibus legatorum pro certo imminente cæde catholicorum populorum motus hęreticos dimittere cessit. Theodoricus imperator Simmachum patritium interfecit, sed & Boetium Consularem virum summæ prudentiæ, qui dialecticam arithmeticam atque musicam suo sermone nobilitauit, & alios libellos elegantissime composuerat, idem tyrannus exilii pœna damnauit, & in territorio Mediolanensi iugulari fecit. Iohannes vero papa cum rediens Rauennam venisset, Theodoricus eum cum comitibus carceris afflictione peremit: inuidia ductus, quod catholicæ defensor pietatis Iustinus eum honorifice suscepisset. Quo anno item Consulatu Probi Iunioris, & Simmachum patritium Rauennæ occidit. 523

546 6 Probus iunior. Philoxenus. Iohannes papa obiit. 15. Calendarum Iunii: cuius corpus translatum est, & sepultum in basilica sancti Petri Apostoli. Huius Iohannis, sanctus Gregorius meminit in libro Dialogorum. Theodoricus autem anno sequẽti subita morte Rauennæ periit. 524

547 7 Olibrius vrbis Consul. Gothi autem Athalaricum ex Theodorico rege natum, cum matre eius, sibi præficiunt. Hildericus Vandalorum rex episcopos ab exilio reuerti, & Ecclesias restaurari præcepit, post annos 74. hæreticæ profanationis. Post Trasemundum enim Hildericus, ex Valentiniani imperatoris captiua filia genitus, Vandalorum susceptit imperium. Qui sacramento à Trasemundo astrictus ne catholicis in regno suo consuleret: antequam regnum susciperet episcopos ab exilio reuerti iussit, eisque Ecclesias reformari præcepit. Fœlix papa 53. sedit annis 4. mensibus duobus. Acephalorum hęresis abdicatur: qui dicunt Paulum Apostolum in epistolis suis præcepisse fœminas diaconas fieri debere, quia eas commemorat post diaconos. 525

548 8 Maburtius vrbis Consul. Hoc anno Dionysius computum suum incepit, ita dicens inter cætera: Præsentis anni monstremus exemplum. Indictio. quippe. 4. est, & lunaris Cyclus vndecimus, & decennouenalis 14. & quia Endecadis sextus est annus, eum embolismum esse necesse est. A 15. itaque luna præterriti festi vsque ad 14. præsentis quot dies sunt diligentius inquiramus & inueniemus proculdubio quando Pascha celebrare debemus. Transacto anno per indictionem tertiam Paschæ 14. lunam 9. die Calendarum Aprilis, id est 24. die mensis Martii fuisse quis dubitat? &cæt. Et paulo ante dicit. Hoc monemus quo Cyclus iste 95. annorum quem fecimus, non per omnia in seipsum reuertitur: & ideo post expletionem 95. annorum non ad quintum cyclum sancti Cyrilli, qui 526

incepit cyclos suos ab anno 153. Diocletiani, quorum quintum cyclum nobis necessario præposuimus, sed ad nostrum primum Cyclum, quem nos ab anno 248. eiusdem Diocletiani incepimus, lector accurrat,& cæt. Sanctus Benedictus abbas virtutum gloria claruit. Quas sanctus Gregorius in dialogo conscripsit. Iustinus Constantinopoli Iustinianum, sororis suæ filium, ante quartum mensem obitus sui imperatorem faciens, obiit.

ROMANORVM 59. Iustinianus (omni teste historico) regnauit annis 38. hoc est vsque Cal. Ianuarii in anno 552. post passionem.

527 1 Iustinianus Augustus. Belisarius patritius de Persis mirabiliter triumphauit. Cerdicius & Kenricus quarta vice in loco qui dicitur Cerdiceslege, pugnauerunt cum Britonibus. 549

528 2 Decius vrbis Consul. Belisarius à Iustiniano in Aphricam missus, Vandalorum gentem deleuit. Theodebaldus rex Francorum octauus, regnauit anno vno. 550

529 3 Lampadius. Orestes. His Consulibus Fœlix papa obiit 4. Idus Octobris. Bonifacius papa 54. annis duobus. 551

530 4 Proconsules Lampadius & Orestes. Corpus sancti Antonii monachi à Deo reuelatum, Alexandriam defertur,& in Ecclesia beati Iohannis baptistæ humatur. Cerdicius & Kenricus Vectam insulam ceperunt & illam suis nepotibus Stufo & Wihtgaro dederunt, paucosq; homines in Wihtgarabirig peremerunt. 552

531 5 Proconsules Lampadius & Orestes. His Consulibus Bonifacius papa obiit 17. die mensis Octobris. Mercurius papa. 55. post Petrum, præsedit Ecclesiæ annis 2. Huc vsque Cyclus magnus Paschalis 522. annorum protenditur: in cuius anno 13. Dominus noster Iesus Christus passus est octauo die Cal. Aprilium, luna 15. atque 6. Cal. Aprilis, luna 17. à mortuis resurrexit, anno 18. Tiberii Cæsaris iuxta historiam sacri Euangelii. 553

532 6 Iustinianus Augustus. Cyclus magnus Paschalis hic incipit Indictione decima. Iustinianus leges Romanorum multis libris nimis prolixe & inutili dissonantia conscriptas, intra duodecim libros coarctauit in vnum, quem librum Codicem Iustinianum nominari præcepit. S. Beda sic. Dionysius Paschales scribit circulos, incipiens ab anno dominicæ incarnationis 532. qui est annus 248. Diocletiani post Consulatum Lampadii & Orestis: quo anno Codex Iustinianus orbi promulgatus est. Hæc Beda. Cum ergo supputando à Diocletiano vsque Cyclum Dionysii, dicit Beda primum annum Cycli Dionysii ipsum fuisse annum 248. Diocletiani post Consulatum Lampadii & Orestis, satis quod verum est ostendit annum primi Cycli Dionysii sextum esse Iustiniani. Ex ipso itaque primo anno Cycli Dionysii id est sexto anno Iustiniani, numerando supra-uersus vsque ad Diocletianum iuxta chronicam Eusebii vel Bedæ supputemus. Atque inde iterum vsque ad Cyclum Dionysii secundum scripturam diuinam, apostolicosque viros, qui tunc temporibus ipsis etiam de ipsis annis bene disputauerunt, non tantum vt ostendamus mendacium chronicarum, sed vt defendamus sacratissimam veritatem Euangelicam, viroſque catholicos Ecclesiæ, qui post Euangelium perhibent dominum nostrum Iesum Christum 6. Calendarum Aprilis, luna 17. à mortuis resurrexisse, id est Hieronymum & Augustinum. Victorius etiam ad Hilarium papam sic. Primo vero Azymorum die Dominus noster IESVS CHRISTVS cœnans cum discipulis suis, postquã sui corporis & sanguinis sacramenta patefecit, ad montem Oliueti (sicut Euangelia sancta testantur) progressus, ibique detentus est à Iudæis tradente discipulo, dehinc 6. feria subsequente, id est, 8. die Calend. Aprilis crucifixus est & sepultus, tertio die hoc est 6. Calendarum Aprilis Dominico die resurrexit à mortuis,& cæt. Cassiodorus quoque Senator expositorque Psalterii, in sua chronica sic. His Consulibus Dominus noster Iesus
13 Christus passus est. 8. die Calen. Aprilis: & defectio solis facta est qualis antea vel postmo-
40 dum nunquam fuit, &c. Ab ipso ergo primo anno Cycli Dionysii regnauit Iustinianus
57 annis quinque vsque in annum 527. incarnationis secundum Dionysium. Inde Iustinus
senior regnauit annis octo, vsque in annum 519. secundum Dionysium. Inde Anastasius
74 regnauit, 27. annis vsque in annum 492. incarnationis secundum Dionysium. Inde Zẽ-
81 nõ regnauit annis 17. vsque in annum 475. incarnationis secũdum Dionysium. Inde Leo
regnauit annis 17. vsque in annum 458. incarnationis secundum Dionysium. Inde Mar-
108 tianus regnauit annis 7. vsq; in annum 451. incarnationis secundum Dionysium. Inde
123 Theodosius regnauit annis 27. vsque in annum 424. incarnationis secundum Dionysiũ.
136 Inde Honorius regnauit annis 15. vsque in annum 409. incarnationis secundum Diony-
147 sium. Inde Arcadius regnauit annis 13. vsque in annum 396. incarnationis secundũ Dio-
153 nysium. Inde Theodosius regnauit annis 11. vsq; in annum 385. incarnationis secundum

Diony-

Dionysium. Inde Gratianus annis sex vsque in annum 379. incarnationis secundum
Dionysium. Inde Valens annis quatuor vsque in annum 375. incarnationis secundum 157
Dionysium. Inde Valentinianus annis 11. vsque in annum 364. incarnationis secundum 168
Dionysium. Inde Iouinianus regnauit mensibus 8. vsque in annum 363. incarnationis
secundum Dionysium. Inde Iulianus regnauit annis duobus mensibus 8. vsque in annũ 169
361. incarnationis secundum Dionysium. Inde Constantius regnauit 24. vsque in annum 171
337. incarnationis secundum Dionysium. Inde Constantinus Magnus regnauit annis
31. vsque in annum 306. secundum Dionysium. Ab anno vero persecutionis quarto 195
Constantinus regnare incepit, iuxta chronicam *Eusebii* vel *Bedæ*. Tunc annum tertium 226
persecutionis (quæ in anno decimo nono Diocletiani incepta est) nulli deputant. Quem
Isidorus Episcopus cum multis aliis etiam cum anno altero Galerio Maximiano conscri- 227
psit. Inde Diocletianus regnauit annis 20. vsque in annum 285. incarnationis secun-
dum Dionysium, vsque autem in annum 289. incarnationis iuxta chronicam *Eusebii* 242
vel *Bedæ*, qui de annis incarnationis contradicunt sancto Euangelio. Inter Diocletianum
autem atq; Cyclum Dionysii per Cyclos 14. decennouenales desunt 7. anni, quos sic iu-
xta diuinam scripturam bene possumus inuestigare. Diocletianus enim in anno 278. in-
carnationis (secundum Dionysium) incipiens, regnauit annis 20. In cuius anno 19. id
est, in anno 297. incarnationis iuxta Dionysium, in quo 5. Calendarum Aprilis Pascha
contigit, conuenit hoc quod Eusebius in chronica sua ita dicit. Anno 19. Diocletiani
mense Martio in diebus Paschæ Ecclesiæ subuersæ sunt. Quarto autem persecutionis
anno Constantinus regnare orsus est. Secundo persecutionis anno Diocletianus Nico-
mediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt. Apparet ergo quod vnus an-
nus erat inter Diocletianum & Constantinum. Duo autem anni (secundum multos)
quibus Galerius, gener Diocletiani, regnauit. Galerius ergo regit tertium persecutionis
annum, incipiens in 19. Diocletiani, & terminans in anno primo Constantini, id est, in
anno 299. incarnationis secundum Dionysium. Constantinus itaque in anno 4. perse-
cutionis incipiens, regnauit 30. annis, mensibus 10. vsque in annum 330. incarnationis se-
cundum Dionysium: in quo, indictione 3. obit 25. die mensis Maii. Inde Constantius
(teste Orosio) regnauit annis 24. vsque in annum 357. incarnationis secundum Diony-
sium. In decretali epistola sancti Iulii papæ apostolicæ sedis tunc, ita veritas intimatur.
In nomine domini Dei & saluatoris nostri IESV CHRISTI, imperantibus quoque
Constantio & Constante Augustis anno 4. sub die 8. Calendarum Octobris, indictione
6. &c. sicut supra. Constantius vero obiit 3. die mensis Nouembris, sicut in Tripartita
Ecclesiastica historia legitur. Si autem Constantius regnauit 24. annis secundum Oro-
sium, aut si Valentinianus & Valens annis 17. & Gratianus septem vel Archadius annis
13. regnauerunt, sicut in chronica Isidori Episcopi, vel in expositione Melliti habetur,
non certum secundum diuinam scripturam inuenitur. Quia autem annus quartus Con-
stantini & Constantis, qui est, 333. incarnationis secundum Dionysium, erat indictio-
ne sexta: atque annus 9. Honorii, Consulatus sui vndecies, & Constantii 2. quem fini-
uit in anno 417. incarnationis (secundum Dionysium) indictione 15. erat, secundum
scripturam dubitandum non est. Inter quos duos annos per 4. decennouenales Cyclos
4. anni in chronicis desunt. Iulianus igitur in anno 80. Diocletiani incipiens, regnauit
annis duobus mensibus 8. & obiit. 6. Calendarum Iulii in anno 360. incarnationis secun-
dum Dionysium. Iouinianus in anno. 83. Diocletiani incipiens, regnauit mensibus o-
cto, & obiit. 14. Calendarum Martii in anno 361. incarnationis secundum Dionysium.
Valentinianus in anno 84. Diocletiani incipiens, regnauit annis 11. mensibus quinque
& obiit 17. die mensis Septembris in anno 372. incarnationis secundum Dionysium.
Valens in anno 95. Diocletiani incipiens, regnauit annis 4. vsque in annum 376. incarna-
tionis secundum Dionysium. Gratianus in anno 99. Diocletiani incipiens: regnauit annis
6. vsq; in annum 380. (secundum Dionysiũ) incarnationis. Theodosius in anno 105. Dio-
cletiani incipiens, regnauit annis 11. & obiit die 17. mensis Ianuarii in anno 393. incarna-
tionis secundum Dionysium. Archadius in anno 116. Diocletiani incipiẽs, regnauit annis
14. mens. 4. & obiit Cal. Maii in anno 408. incarnationis secundum Dionysium. Honorius
in anno 131. Diocletiani incipiens, regnauit annis 15. vsque in annum 424. incarnationis
secundum Dionysium. Huius anno nono, quem finiuit. 417. incarnationis secundum
Dionysium, cum 10. Calen. Maii deberet Pascha celebrari, celebratum est. 8. Cal. Aprilis.
Sed hora baptizandi aqua non venit in baptisterium, ideoq; baptisma non actum erat ipsa
nocte. Illa autem nocte quæ lucebat in diem Dominicum 10. Cal. Maii fons sacer ex sese
repletus est hora baptizandi. Hoc autem actum in fine anni noni Honorii. Theodosius

in an-

in anno 146. Diocletiani incipiens, regnauit annis 27. vsque in annum 450. incarnationis secundum Dionysium. Ita in libris legitur, testificante Prospero : qui in ipso etiam tempore partem ad chronicam Eusebii addidit. Hoc anno id est 21. anno Theodosii Pascha celebratum est 9. Calendarum Maii, vt supra dictum est. De hoc quoque, id est, ipso anno Paschasinus episcopus scribit ad papam Leonem, vt supra. Ipse autē est annus 8. decennouenalis Cycli, qui est 444. annus incarnationis iuxta Dionysium, in quo finitus est annus 21. Theodosii. Martianus in anno 173. Diocletiani incipiēs, regnauit annis 7. mensibus duobus secundum historiam Romanam, hoc est, vsque Calend. Iulii in anno 457. incarnationis secundum Dionysium. Prosper ita iterum. Anno 5. Martiani capta est Roma 4. Idus Iulii : eodemque anno Pascha celebratum est. 8. Calendarum Maii, ordinante episcopo Alexandrino Theophilo, &c. Quod Pascha sanctus papa Leo 15. Calend. Maii celebrandum potius protestabatur, &cæt. Sanctus autem Theophilus Pascha octauo Calend. Maii in anno 455. incarnationis (secundum Dionysium) recte constituit, cum nec in anno 30. antea, neque in anno 10. postea celebratum est Pascha 15. Calend. Maii. Nouissimus itaque Cycli decennouenalis est annus nonus Honorii, & quintus Martiani. Leo in anno 180. Diocletiani incipiens, regnauit annis 17. vsque Calend. Iulii in anno 474. incarnationis secundum Dionysium. Leo iunior regnauit annis mensibus sex, hoc est, vsque Calendarum Ianuarii in eodem anno obitus Leonis senioris. Zeno in anno 198. Diocletiani incipiens, regnauit annis 17. vsque ad annum 492. incarnationis secundum Dionysium. Anastasius in anno 215. Diocletiani incipiens, regnauit annis 27. vsque ad annum 518. incarnationis secundum Dionysium. Iustinus senior in anno 242. Diocletiani incipiens, regnauit annis septem, vsque ad annum 526. incarnationis secūdum Dionysium. Iustinianus in anno 250. Diocletiani incipiens, regnauit annis 5. vsque ad primum annum Cyclorum Dionysii, qui est annus 255. Diocletiani iuxta prædictam rationem sanctorum virorum, non annus 248. secundum chronicas iniquas. Certum est enim annum quartum Constantini & Constantis, (qui est annus 333. incarnationis secundum Dionysium) indictione 6. constitisse, teste sancto Iulio papa etiam tunc ipsam rem scribente. Annum etiam nonum Honorii, qui est annus 417. incarnationis secundum Dionysium, indictione 15. Consulatu Honorii vndecies & Constantii secundo, teste sancto Paschasino cum sancto Leone papa. Annum item 21. Theodosii, qui est annus 444. incarnationis secundum Dionysium indictione 12. teste eodem Episcopo cum sancto Leone papa. Annum quoque quintum Martiani indictione 8. qui est annus 455. incarnationis secundum Dionysium : teste etiam sancto Leone papa. Annus itaque 4. Constantii & Constantis sexta erat indictione, scribente sancto Iulio papa. In anno nono Honorii Pascha erat decimo Calendarum Maii, teste Episcopo Paschasino cum sancto Leone papa. In anno 21. Theodosii Pascha erat nono Calendarum Maii, eisdem testibus. In anno 5. Martiani Pascha erat nono Cal. Maii. A nullo vero papa vel Episcopo mittitur epistola vel scribitur decretalis epistola, nisi ipse sciat quid in ea scribit vel mittit.

533 7 Mercurius qui & Iohannes papa obiit 6. Calendarum Iunii. Agapitus papa 56. post Petrum. Interea Athalaricus rex Gothorum octo annis imperans obiit. Cuius mater Amalsuinda Theodatum sibi sociauit in regnum. Quam Theodatus post dies aliquantos strangulari in balneo præcepit. Quia vero ipsa viuens se suumque filium Iustiniano imperatori commendauit, ideo Iustinianus Theodato iratus est. Theodatus autem vt imperator hoc ei dimitteret, misit ad eum Constantinopolim papam Agapitum. Agapitus vero imperatorem in hæresim Eutichetis corruentem conuertit ad fidem. Anthimium quoque Constantinopolitanum Episcopum, præfatæ hæresis defensorem, duas naturas in Christo negantem, in exilium coegit: & Mennam in loco eius Episcopum consecrauit. Agapitus vero papa ibi Constantinopoli obiit decimo Cal. Maii, & sepultus est Romæ 12. Cal. Octobris.

534 8 Siluerius papa quinquagesimo septimo post Petrum, anno vno mensibus duobus. Interea ad Aphricam (quam multis annis Vandali possidebant) à Iustiniano cum exercitu Belisarius patritius missus est, & Vandalorum gentem deleuit. Carthago quoque anno excessionis suę nonagesimo sexto recepta est, pulsis deuictisq; Vandalis & rege eorū Gelemaro prælio victo & capto Constantinopolim misso. Carthago vero recessit anno 439. incarnationis (iuxta Dionysium) Theodosii iunioris 16. Agapito vero papa mortuo, misit Iustinianus imperator Belisarium contra Theodatum. Qui cum moras apud Siciliā fecisset, Theodatus obiit. Cui Vintiges successit. Belisarius vero videns sibi incongruum tempus bellandi, intra vrbem Romam se muniuit. Vintiges autem cum Gothis per annum Romam obsidet, & Romanorum omnia (etiam reliquias sanctorum) ita diripuit, vt

matres

matres membra natorum suorum eo anno præ fame comederent. Primus Occidentalium Saxonum Cerdicius hac vita decessit, & filius suus Kenricus solus post illum 26. annis regnauit.

557 9 Tunc statim præcepto Theodoræ Augustæ (consentiente Iustiniano imperatore) papam Siluerium quod Anthimium hæreticum Constantinopolitanum Episcopum, ab Agapito papa expulsum noluit reuocare, Belisarius licet nolens expulit ad Pontianam insulam, in qua obiit 12. Cal. Iulii. 535

558 10 Vigilius papa 58. post Petrum, annis 18. mensibus sex. Sanctus Benedictus migrauit ad dominum. 536

559 11 Belisarius Vintigetem bello captum, Constantinopolim secum perduxit ad imperatorem Iustinianum. 537

560 12 Eclipsis solis facta est 14. Cal. Martii ab hora prima vsq; ad tertiam. 538

561 13 Belisarius iterum ad Aphricam venit. 539

562 14 Belisarius Guntarium regem Vandalorum occidit. Eclipsis solis facta est 12. Cal. Iulii, & apparuerunt stellæ hora pene dimidia ab hora tertia. 540

563 15 Facta est apud Bizantium mortalitas magna. Qua de causa eodem anno cœpit celebrari solennitas sanctæ Dei genetricis Mariæ Purificationis ipsius, & cessauit mortalitas illa. Belisarius Vandalos reipublicæ substrauit. 541

564 16 Belisarius Romam veniens, crucem auream librarum centum & gemmis pretiosissimis ornatam, suis victoriis inscriptam, beato Petro per manus Vigilii papæ obtulit. 542

565 17

566 18 Anno 13. magni Cycli Paschalis, id est 18. Iustiniani, annus dominicæ passionis secundo continetur, non antea, id est, anno passionis primo & modo secundo. A passione igitur Christi vsque in prædictum annum habetur Cyclus magnus Paschalis 532. annorum. Wihtgarus nepos Cerdicii regis Occidentalium Saxonum mortem obiit, & in Wihtgarabirig, id est, in ciuitate Wihtgari tumulatus fuit: Capto Vintigete, Gothi trans Padum, Hildebaldum sibi regem constituunt: eodemque anno occiditur. Cui Erarius successit, & ante annum occisus est. His temporibus factum est illud, quod sanctus Gregorius in dialogo suo retulit de Episcopis, qui ob catholicam fidem truncatis linguis loquebantur, quorum vnus propter luxuriam (in quam postea cecidit) hoc miraculo priuatus est. 543 544

S. Gregorius. lib. 3. dialog. c. 32.

567 19

568 20

569 21 In prouincia Berniciorum Ida regnum suscepit, & 12. annis regnauit. Hic ex regina sex filios. Addam, Belricum, Theodricum, Æthelricum, Theodherum, Osmerum, & sex habuit ex pellicibus, Occam, Ailricum, Eccam, Oswoldum, Sogor, Sogetherum. Ex quibus regalis Northanhimbrorum prosapia fuit propagata. 545 546 547

570 22

571 23 548

572 24 Ida fuit filius Eoppæ, qui fuit Esæ, qui fuit Ingui, qui fuit Angenwit, qui fuit Aloc, qui fuit Benoc, qui fuit Brandi, qui fuit Bealdegi, qui fuit Wodeni, qui fuit Frithelasi, qui fuit Finni, qui fuit Godulfi, qui fuit Geatæ. 549 550

573 25 Cyclus decennou. secundus incipit, indictio. 14.

574 26 Baduilla, qui & Totilla, Erario successit. Kenricus rex Occidentalium Saxonum, in loco qui Searesbirig nominatur, cum Britonibus dimicauit, eosq; fugauit. Cuius pater Cerdicius, qui fuit Eslæ, qui fuit Gewisii, qui fuit Wigæ, qui fuit Freawini, qui fuit Frethegarii, qui fuit Brandii, qui fuit Bealdigi, qui fuit Wodeni. 551 552

575 27 Vigilius papa ob eãdem causam, qua & Decessor eius Siluerius, indignationẽ Augustæ per Anthimium Scribonem Constantinopolim perductus, indeq; in exilium actus, deinde reuocatus ad Romam, venienſque Siciliam in ciuitate Siracusa obiit: & sepultus est Romæ via Salaria iuxta Marcellum. Iste est Vigilius cui Arator librum suum obtulit, cuius etiam in eiusdem libri prologo meminit ita. 553

Publica libertas sanctissime papa Vigili,
Incluso accedis soluere vincla gregi.

576 28 Pelagius 59. papa annis 11. mensibus 11.

577 29 Totila cum Gothis totam Italiam inuadit. Exinde per Campaniam, virique Dei Benedicti abbatis Cœnobium iter faciens, Romã obsidionibus circũcludit, & tunc fames pene similis præcedẽti contigit. Fessis autẽ & non valentibus Romanis mœnia tueri, Totila porta Hostiensi vrbem intrat. Qui nocte capiens vrbem, vt parceret Romanis tubas 554 555

sonari

sonari præcepit, vt Romani vel paululum inimicorum rabiem deuitarent: & aliquantum temporis cum eis quasi pater cum filiis habitauit. Hanc illi vt datur, comitis animi benignitatem, qui nimiæ ante crudelitatis fuit, beati patris Benedicti: quem cum modo Romam venire vellet, audierat: monita contulerat, quando Totilam increpauit, & de sua morte sibi prædixerat post nouem annos. Regnante Francorũ rege Dagoberto, qui quartus erat à Clodoueo, qui primus Christianitatem à sancto susceptit Remigio, Comes Palatinus Badefridus vocabulo: ex vxore Framehilda sanctam genuit Austrobertam. Quæ processu temporis à sancto Audomaro Taruernensi episcopo sacro velamine consecrata, post in cœnobio Portus nominato, sub spirituali matre nomine Burgoflede sanctimonialibus est aggregata. Cuius monasterii erat consuetudo vt vicissim à sororibus coquerentur panes; sed cum hæc Christi famula die quadam in ordine vicis suæ hoc in opere laboraret, habebat secum vnam tantum adolescentulam quæ apud eam fuerat educata, cumq; clibanus fuisset igne succensus, & panes in promptu ad coquendum parati, cum post igne abstracto à fauillis vel prunis quæ remanserant debuisset mundari fasciculus, qui erat in summitate ligni colligatus, casu igne adustus est totus. Quod vbi famula Dei aduertit cõlidens manus vna ad alteram, altiusq; ingemiscens ait. Væ nobis quid acturi sumus? panes peribunt. Opus enim hoc recuperari modo non potest, & currens festina obserauit ostiũ domus: deinde signo crucis munita medium inter ignium vapores clibanum sola ingreditur, arreptisque manicis quibus vtebatur in brachiis, clibanum omnem mundauit: Egressa demum diligenter officium compleuit, & nec vnum quidem capillum capitis nec denique fimbriam vestimenti eius ausus est ignis attingere. Præcepit tum puellæ vt patefaceret ostium domus, multisq; eam contestata est sermonibus ne cuiquam quod viderat indicaret. Hac virtute multisq; aliis virtutibus adornata, in eodem monasterio. 4. Idus Februarii transiuit ad dominum virgo gloriosa.

556 30 Kenricus & Ceaulinus apud Beranbirig Britonibus bellum intulerunt, & illos fugauerunt. 578 579

557 31 Sigebertus. 13. rex Francorum occisus est fraude Hilperici germani sui, cum quo bellũ inierat: regnumq; Childebertus filius eius (adhuc puerulus) cum Brunichilda matre regendum suscepit. 580 581

558 32 Pelagius papa ecclesiam beatorũ Apostolorũ Philippi & Iacobi incepit construere.

559 33 Romæ Cassiodorus, prius Consul, inde Senator, postea monachus, clarus habetur. Ælla in prouincia Deirorum regnum suscepit, & ferme 30. annis strenuissime rexit. Ad cuius nomen beatus Gregorius (cum Angligenos pueros in foro Romano venales inuenerit positos) alludens, ait: Alleluia laudem Dei creatoris illis in partibus oportet cantari. Interim super Bernicios regnauerunt; Adda primogenitus Idæ 7. annis. Clappa quinque Theodwlfus vno. Freothulfus 7. Theodricus 7. Æthelricus duobus, viuente Ælla. Quo mortuo & filio eius Edwino regno expulso, super ambas prouincias 5. annis regnauit. Ælla fuit filius Iffi, cuius pater Wuscfrea, cuius pater Wilgelsus, cuius pater Westor Walena, cuius pater Seomelus, cuius pater Suearta, cuius pater Sæpugelus, cuius pater Seabaldus, cuius pater Siggeotus, cui⁹ pater Suebdegus, cuius pater Siggarus, cuius pater Weadegus, cuius pater Wodenus. 582

560 34 Cyclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. Ceaulinus filius Kenrici regimen regni Occidentalium Saxonum suscipiens 33. annis regnauit. 583

561 35 Victor Capuanus episcopus, librum de Paschate scribens, Victorii arguit errores. 584

Æthelbrihtus rex Cantuariorum regnare cœpit, & 56. annis (teste Beda) regnauit.

562 36 Vir sanctissimus Herculanus, nutritor beati Gregorii, ipso in Dialogo suo hoc referente, Perusinæ ciuitatis episcopus fuit. Qui præcepto Totilæ regis Gothorum, super murum suæ ciuitatis capite truncatus est. His quoque temporibus beatus pater Benedictus magnis vitæ meritis & Apostolicis virtutibus fulsit. Quod autem sanctus Gregorius his tẽporibus fuit, ipse in libro Dialogi sui ita probat. Vir quoq; vitæ venerabilis Cherbonius, Populonii episcopus, magnam in diebus nostris syncritatis suæ probationem dedit. 585 586

563 37

564 38 Priscianus grammaticus apud Constantinopolim clarus habetur. Pelagius Papa obiit 6. Nonas Martii.

ROMANORVM 60. Iustinus minor regnauit annis 11. hoc est, vsque Calend. Ianuarii. 587

565 1 Iohannes papa 60. annis 13. Columba presbyter & abbas, de Scotia in Britanniam venit, & regnante in Pictis Bridio rege potentissimo septentrionales Pictos ad fidẽ Christi conuertit. Vnde Insulam Ii ab eis in possessionem monasterii construendi accepit.

2. Narses

588 2. Narſes Patritius miſſus ad Italiam Totilam occidit, totamq; Italiam ad Rempubli- 566
cam reduxit. Qui deinde per inuidiam Romanorum (pro quibus multa contra Gothos laborauit) Accuſatus apud Iuſtinum & coniugem eius Sophiam quod ſeruitio premeret Italiam, receſſit Neapolim Campaniæ, & Longobardos introduxit in Italiam.

589 3. 567

590 4. Leuigildus rex Gothorum quaſdam Hiſpaniæ regiones ſibi rebelles, in poteſta- 568
tem regni ſui ſuperando redigit. Æthelbrihtus rex Cantuariorum, dum regi Occidentalium Saxonum Ceaulino & Cuthæ eius filio bellum intulerit, ab eis in Cantiam eſt fugatus, duobus ei ducibus Oslauo & Cnibbano in Wibbandune trucidatis.

591 5. Iohannes Papa Eccleſiam ſanctorum Philippi & Iacobi, quam prædeceſſor eius 569
Pelagius inceperat, perficiens dedicauit.

592 6. Ciclus decennouenalis incipit Indictione 3. 570

593 7. Germanus Pariſiorum Epiſcopus obiit. Regis Ceaulini frater Cuthulfus (in loco 571
qui dicitur Bedanforda) cum Britonibus dimicauit: & victor exiſtens quatuor regias villas eis abſtulit: ſcilicet Liganburh, Egelesburh, Benſingtun, & Eignesham: & eodem anno vita deceſſit.

594 8. Fortunatus poeta in Galliis clarus habetur.

595 9. Armenii fidem Chriſti ſuſcipiunt. 572

596 10. Redemptus Ferentinæ ciuitatis Epiſcopus clarus (vt legitur in Dialogo) habetur. 573

597 11. Iuſtinus imperator amentia obiit. 574

ROMANORVM 61. Tiberius Conſtantinus, regnauit annis 7. vſq; in annum 571. 575
poſt paſſionem domini.

598 1. Gregorius tunc Apocriſiarius in Conſtantinopoli, & poſt Papa, in Iob expoſitio- 576
nem condit. Iohannes Papa obiit tertio Idus Iulii.

599 2. Benedictus Papa 61. annis quatuor menſibus duobus. Sanctus Maurus 72. an- 577
norum migrauit ad dominum. Rex Occidentalium Saxonum Ceaulinus & filius ſuus Cuthuuinus (in loco qui vocatur Deorham) cum Britonibus pugnauere, & eorum tres reges Commeail Condidan & Farinmeil cum multis aliis trucidauere. Illisq; tres ciuitates videlicet, Gleauceſter, Cirenceſter, Bathanceaſter abſtulere.

600 3. Gregorius Eutichium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Tiberio præſente con- 578
uicit. Adeo Tiberius librum Eutichii de reſurrectione deſtruens ſuis catholicis allegationibus, liberaret flammis cremandum. Scribebat autem Eutichius corpus noſtrum in reſurrectione impalpabile, & ventis aerique ſubtilius eſſe futurũ; contra illud dominicum, palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

601 4. Gens Longobardorum cum rege Albuino, comitante fame & mortalitate, o- 579
mnem repente inuadit Italiam: ipſamque vaſtatura, Romanam obſidet vrbem. Denique cum vaſtantibus omnia per circuitum Longobardis fames abundaret, multa millia frumenti nauibus Benedictus Papa ab Ægypto dirigens, Romam ſub ſtudio miſericordiæ releuauit.

602 5. Chilpericus rex Francorum 15.

623 6. Gothi per Erminigildum Leuigildi filium, bifariam diuiſi, mutua cæde vaſtantur. 580

604 7. Pelagius 62. Papa annis decem, menſibus duobus. Benedictus Papa obiit 11. Cal. 581
Auguſti. Hoc anno factum eſt, quod ſanctus Gregorius ſcribit in Dialogo de monacho 582
Gerontio.

ROMANORVM 62. Mauritius regnauit, annis 21. menſibus quatuor, vſque Cal. Maii in anno 592. poſt paſſionem.

605 1. Pelagius Papa ſine iuſſione Mauritii ordinatus eſt, eo quod Longobardi Romam 583
per circuitum obſiderent, adeo vt nullus foras progredi poſſet.

606 2. In loco qui vocatur Fethanleah Ceaulinus rex Occidentalium Saxonum & filius 584
eius Cutha cum Britonibus certauere. In quo certamine inter confertiſſimos Cutha fortiter dimicans, ruit. Rex tamen Ceaulinus victoriam habuit, eisque multa ſpolia detraxit, & villas quamplures abſtraxit.

607 3. Erminigildus Leuigildi Gothorum regis filius, ob fidei catholicæ confeſſionem 585
inexpugnabilem, à patre Arriano regno priuatus, in vincula & in carcerem miſſus eſt. Ad extremum nocte ſancta Dominicæ reſurrectionis ſecuri in capite percuſſus, regnum cœleſte pro terreno rex & martyr poſſidere promeruit. Cuius frater Recaredus, mox vt regnum poſt patrem ſuſcepit, omnem Gothorum cui præerat gentem, inſtante Leandro Hiſpanitano Epiſcopo, qui & Erminigildum docuerat, catholicam conuertit ad fidem.

586 4. Childebertus Francorum rex 16. 608

587 5. 609

588 6. Ciclus ſolaris incipit, quatuor concurrentibus biſextilibus. Pelagius Papa Heliæ 610
Aquilienſi Epiſcopo, nolenti 3. capitula Chalcidonenſis Synodi ſuſcipere, Epiſtolam ſatis vtilem miſit. Quam Sanctus Gregorius adhuc diaconus compleuit. Sanctus Audoenus naſcitur. Ælla rex Deirorum 30. anno regni ſui deceſſit: & Æthelricus Idæ filius, poſt illum ſuper ambas prouincias regnauit quinque annis.

589 7. Ciclus 4. decennouenalis incipit. Indict. 7. Sanctus pater Columbanus ex Hiber- 611
nia (inſula ſanctorum) cum ſancto Gallo aliisq; probatis diſcipulis venit in Burgundiam: ibique permittente Theodorico rege, monaſterium, quod Luxouium dicitur, ædificauit. Exinde à Brunihilda fugatus Alamannniam ingreditur. Vbi ſanctum Gallum reliquit. Ipſe veto in Italiam tranſiens, monaſterium (quod Bouium) dicitur ędificauit, vbi pater multorum monachorum extitit.

590 8. Lotharius rex Francorum 17. 612

591 9. Ceola filius Cuthulfi, fratris regis Ceaulini, regnare cœpit, & 5. annis Occidenta- 613
lium Saxonum rector extitit.

592 10. Hoc tempore 16. Cal. Nouembr. diluuium factum eſt, vt flumen Tiberis ſuper 614
muros vrbis Romæ influeret, & per alueum eiuſdem fluminis cum magna ſerpentium multitudine draco miræ magnitudinis vſq; ad mare deſcendit. Quam inundationem peſtilentia, quæ dicitur inguinaria, ſtatim ſecuta eſt, vt pauci de multis remanerent. In qua primus Papa Pelagius obiit. 8. Idus Februarii. Gregorius 63. Papa, annis 13. menſibus ſex. Qui in hac tribulatione à cunctis electus, cum letaniam ſeptiformem ordinaſſet, dum Deum deprecarentur, ſubito 80. homines perierunt. Septiformis autem letania ideo dicitur, quia in ſeptem ordinibus populus erat conſtitutus. Primo ordine clerus, ſecundo abbates cum monachis, tertio abbatiſſæ cum ſuis, quarto infantes, quinto omnes laici, ſexto viduæ, ſeptimo coniugatæ. Pugnatum eſt in loco, qui dicitur Wodnesbeorh, id eſt, mons Wodeni, & ſtrage non modica rex Ceaulinus, anno imperii ſui 33. expulſus eſt regno.

593 11. Ceaulinus Cuichelmus & Crida perierunt. Æthelricus rex Northanhimbrorum 615
obiit. Æthelfridus vero filius eius, gubernacula regni ſuſcepit, & 24. annis tenuit. Cui ſunt geniti. 7. filii, Eaufridus, Oſwaldus, Oslafus, Oſwinus, Offa, Oſwidus, Oſſacus, & vna filia nomine Æbba.

594 12. Auares contra Romanos dimicantes, auro magis quam armis pelluntur. Sanctus 616
Gregorius in Dialogo ſuo ita dicit. Ante hoc triennium in meo monaſterio monachus nomine Iuſtus, medicus, ante obitũ ſuum ſuo germano Copioſo, ſibi in infirmitate ſeruienti, tres aureos occulte ſe habere innotuit, quos ſuper eum in ſterquilinio ſepeliri feci. Eodem anno monachus alius, cum à nobis fuiſſet ſepultus, remanentem ibi, vnum de fratribus Iohannem nomine vocauit, qui nobis hoc pallens & tremens indicauit, & poſt dies decem obiit. Biennio ante ſcriptum dialogum Eccleſia Arrianorum iuxta Romam, in loco nomine Subura, cum catholice conſecraretur, & introductæ eſſent in eam ſancti Sebaſtiani & ſanctæ Agathæ martyrum reliquiæ, diabolus in figura porci per populum tranſiens exiuit. Poſt paucos autem dies nubes cœlitus deſcendens, totam miro odore repleuit Eccleſiam.

595 13. Gregorius Papa anno imperii Mauricii 13. indictione 13. Synodum Epiſcoporum 617
24. ad corpus beati Petri congregans, de neceſſariis Eccleſiæ decernit. Inter quæ etiam hæc. In ſancta Romana Eccleſia cui diuina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum conſuetudo eſt valde reprehenſibilis exorta, vt quidam ad ſacri Altaris miniſterium cantatores eligantur & in diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium eleemoſynariumque ſtudium vacare congruebat. Vnde fit plerumque vt ad ſacrum miniſterium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur. Et cantor miniſtrum dum moribus ſtimulet cum populum vocibus delectat. Qua de re præſenti decreto conſtituto, vt in ſede hac ſacri Altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque Euangelicæ lectionis officium inter miſſarum ſolennia exoluant. Pſalmos vero ac reliquas lectiones cenſeo per ſubdiaconos, vel (ſi neceſſitas exigit) per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes anathema ſit.

596 14. Cœnobium ſancti Benedicti abbatis à Longobardis noctu inuaditur: mona- 618
chi autem Romam petierunt, codicem ſanctæ regulæ & pondus panis ac menſu-

ram

ram vini secum deferentes. Gregorius Papa diuino admonitus instinctu, anno aduentus Anglorum in Britaniam 147. misit seruum Dei Augustinum & alios plures cum eo monachos, Deum timentes, prædicare verbum Dei genti Anglorum, indictione 14.

619 15. Gregorius adiecit in missa: diesq; nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripias, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Præfati doctores hoc anno (Beda teste) Britanniam venere, & regem Cantuariorum Æthelbrihtum, imperii sui anno 35. ad fidem Christi conuertere. Nec distulit rex, quin doctori suo Augustino sedem Episcopalem in Dorouerni Metropoli sua donaret. 597

620 16. Qui regio fultus adminiculo, Ecclesiam inibi antiquo Romanorum fidelium opere factam recuperauit, & in nomine sancti Saluatoris sacrauit. Ceolulfus filius Cuthę, fratris regis Ceaulini, sceptra regni Occidentalium Saxonum suscipiens 14. annis tenuit: & vel Anglis vel Britonibus, vel Pictis aut Scotis bellum semper intulit. Qui fuit Cuthæ, qui fuit Kentrici, qui fuit Cerdicii. 598

621 17.

622 18. Theodebertus rex Francorum 18. & Theodoricus, cum Lothario patrueli suo bellum gesserunt, & afflixerunt nimis. Doctor Apostolicus & vere cœli nuntius Iuo, præsul inclytus, migrauit ad dominum. Qui in Perside (vt Orientale Sidus) ortus, finibus occiduis Britanniæ à domino est destinatus. 599 600

623 19. Gregorius 19. Anno Mauritii, indictione 4. scribens Augustino, eodē modo Londoniæ quoque & Eboraci Episcopis (accepto à sede Apostolica pallio) metropolitanos esse debere decernit. In vita Gregorii sic. Apostolos ad missam nihil aliud cantasse legimus, nisi tantum orationem dominicam. 601

624 20.

625 21. Mauritius imperator cum filiis suis Theodosio Tiberio & Constantino, à Foca (qui fuit strator Prisci patricii) occiditur. Si sanctus pater Benedictus (sicut sui scribunt) 12. Cal. April. Sabbato sancto Paschæ obiit, in hoc anno videtur obiisse. Nisi enim in anno 96. qui est ante istum nunc inceptum Ciclum obiisset, quod in credibile est, quia forsitan vix tunc natus fuit, aliter obitus eius in hoc termino, scilicet 12. Cal. Aprilis inueniri non potest, quia nec Paschalis festiuitas ex tunc nunc vsque 11. Cal. Aprilis celebrata est. In hoc autem anno plus minusue ætatis suæ 90. possibile est credere eum obisse. Rex fortissimus & gloriæ cupidissimus Æthelfridus, plus omnibus Anglorum primatibus gentem Britonum vastauit. Pluresq; terras eorum (exterminatis vel subiugatis indigenis) aut tributarias genti Anglorum, aut habitabiles fecit. Vnde motus profectibus eius Aidanus rex Scotorum cum immenso exercitu contra illum venit, sed cum paucis victus aufugit. Quod bellum in loco qui dicitur Degsastan, anno regni sui 11. Phocæ vero imperatoris primo Æthelfridus perfecit. Is etiam longo post tempore collecto exercitu ad ciuitatem Legionum, quæ à Britonibus Carlegion appellatur, diuino agente iudicio (vt prædixerat beatus Augustinus Archiepiscopus) ex Britonum sacerdotibus, qui ad exorandum Deū pro milite bellum agente conuenerant, mille ducentos prius exstinxit. Et sic cæteras nefandæ militiæ copias deleuit. 602 603

ROMANORVM 63. Phocas regnauit annis octo, vsque Cal. Maii in anno 600. post passionem.

626 1. Imago Phocæ 7. Cal. Maii, indictione 7. Romam delata est, sicut in vita sancti Gregorii legitur. Et postquam à clero & Senatu acclamatum est ei in basilica Iulii, iussu sancti Gregorii in basilica sancti Cæsarii Lateranensi palatio constituta est. Augustinus Mellitum & Iustum ordinauit Episcopos. Mellitum ad prædicandum prouinciæ Orientalium Saxonum. Qui vt verbum veritatis cum rege suo Seberto (regis Æthelredi nepote) prædicante Mellito accepere. In Lundonia sua metropoli rex ipse Æthelbertus fecit Ecclesiam sancti Pauli Apostoli. Iustum vero in ciuitate Dorubreui, quam gens Anglorum Hroueceaster cognominat, Augustinus Episcopum ordinauit. Laurentium quoque presbyterum ordinans Archiepiscopum pro se, paruo post tempore ad regnum migrauit cœleste 7. Cal. Iunii, feria. 3. 604

627 2. Anglorum Apostolus, Romanorum decus, beatæ Papa Gregorius, postquā sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ 13. annos, menses sex, & dies 10. glorioßissime rexisset 4. Idus Martii, feria sexta, ad æternam regni cœlestis sedem translatus est. 605

628 3. Sabinianus 64. Papa, anno vno mensibus decem.

629 4. Precerini & Benedicti per Orientem vel Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. Ceuluulfus rex Occidentalium Saxonum Australibus bellum intulit Saxonibus. Ciclus decennou. 5. incipit indict. 11. 606 607

608 5. Sabinianus Papa obiit 6. Cal. Martii. Bonifacius 65. Papa, menſibus decem obiit. 3. 630
3. Idus Decembris. Hic impetrauit à Foca vt ſedes Apoſtolica caput eſſet Eccleſiæ, cum antea Conſtantinopolis primam ſe omnium ſcriberet. Ipſe quoq; conſtituit in Eccleſia beati Petri cum Epiſcopis 70. duobus presbyteris 33. diaconis, & omni clero, ſub anathemate, vt nullus pontifice viuente aut Epiſcopo ciuitatis ſuæ præſumat loqui aut partes ſibi de Epiſcopatu facere, ſed tertio die depoſitionis eius adunato clero & filiis Eccleſiæ tunc electio fiat.

609 6. Bonifacius 66. Papa annis ſex menſibus 9. Iſte obtinuit à Foca, vt in veteri fano 631
quod Pantheon vocabatur, & à Domitiano imperatore conſtructum erat, Eccleſia in honore Omnium Sanctorum conſecraretur. Vbi dudum omnium Idolorum cultus agebatur.

610 7. 632

611 8. Perſæ contra Rempublicam grauiſſima bella gerentes, multas Romanorum pro- 633
uincias & ipſam Hieroſolymam auferunt: & deſtruentes Eccleſias, ſancta quoque prophanantes, inter ornamenta ſanctorum vel communium locorum etiam vexillum dominicæ crucis abducunt. Heraclius qui Aphricam regebat, Focam occidit. Ceolwlfus rex obiit. Cui fratris ſui Ceolæ filius Kinegilſus ſucceſſit, & 32. annis regnauit. Qui fuit Ceolæ, qui fuit Cuthæ, qui fuit Kenrici, qui fuit Cerdicii.

ROMANORVM 64. Heraclius regnauit annis 27. vſq; Cal. Maii in anno 627. poſt paſſionem domini.

612 1 Anaſtaſius Perſa monachus nobiliter pro Chriſto paſſus, qui natus in Perſide, ma- 634
gicam à patre artem didicit, ſed vbi à captiuis Chriſtianis nomen Chriſti accepit, in eum mox toto animo conuerſus eſt.

613 2. Bonifacius Papa obiit 8. Cal. Iunii. 635

614 3. Kinigilſus & filius ſuus Cuichelmus in Beandune contra Britones aciem direxe- 636
re, & pugnantes duo millia quadraginta ſex ex eis interemere.

615 4. Deuſdedit, qui & Theodatus 67. Papa, annis quatuor. Anaſtaſius ſupra dictus re- 637
licta Perſide Chalcedoniam Hierapolimq; Chriſtum quærens pertranſiit, ac deinde Hieroſolymam petiit; vbi baptizatus quarto ab eadem vrbe miliario, monaſterium abbatis Anaſtaſii intrauit, in quo ſeptem annis regulariter vixit. Qui cum Cæſariam Palæſtinæ orationis gratia veniſſet, captus à Perſis & multa diu verbera inter Carceres & vincula à Marzabana duce perpeſſus eſt. Deuſdedit Papa conſtituit ſecundam miſſam in clero. Eodem tempore factus eſt terræmotus magnus menſe Auguſto, indictione ſexta. Poſt hæc ſecuta eſt clades in populo, id eſt percuſſio ſcabierum ita vt nullus poſſet mortuum ſuum agnoſcere.

616 5. Ciclus ſolaris incipit 4. concurrentibus biſextilibus. Rex Cantuariorum Æthel- 638
bertus filius Irmenrici, cuius pater Octa, cuius pater Oricius cognomento Æſca, cuius pater Hengiſtus 56. imperii 21. anno aceptæ fidei die 24. menſis Februarii conſcendit regni cœleſtis gaudia. Cui Æthelboldus filius ſuus ſucceſſit. Verum fidem Chriſti non ſolum recipere noluit, ſed & patris vxorem ſibi in matrimonium ſociauit. Rex Orientalium Anglorum Redwaldus Æthelfrihtum Deirorum Berniciorumq; regem occidit in bello iuxta amnem qui vocatur Idle. Cui Edwinus iuxta oraculum (quod acceperat) ſucceſſit & 7. filios Æthelfrithi expulit. Sæbertus rex Orientalium Saxonum regna petens perennia, tres filios ſuos, qui pagani perdurauerant, regni temporalis hæredes reliquit. Qui mox idololatriæ palam ſeruire cœpere, & Mellitum Epiſcopum Lundoniæ de ſuo regno expulere. Ipſe vero Cantiam venit, & habito conſilio cum Laurentio Archiepiſcopo, ad partes Galliæ cum iuſto Hrofenſi Epiſcopo ſeceſſit. Sed non multo tempore reges qui à ſe veritatis præconem expulere, dæmonicis cultibus impune ſeruiere. Nam egreſſi contra gentem Gewiſſorum in prælium, omnes pariter cum ſua militia corruere. Cũ vero & Laurentius Mellitum & Iuſtum eſſet ſequuturus, ipſa nocte apparuit ei princeps Apoſtolorum Petrus, illumque flagellis affecit acrioribus. Mane autem, facto ad regem Eadbaldum venit, & quantis verberibus eſſet laceratus oſtendit. Quod vt vidit, multum extimuit. Omnem idololatriæ cultum Anathematizauit, connubium non legitimum abdicauit, fidem Chriſti ſuſcepit, in Galliam miſit, Mellitum & Iuſtum reuocauit.

617 6. 639

618 7. 640

619 8 Deuſdedit Papa obiit 6. Idus Nouembris. 641

620 9. Bonifacius 68. Papa annis 5. Hic conſtituit vt nullus trahatur de Eccleſia. 642

643. Præ-

643 10. Prædictus Anastasius tandem mittitur in Persidem ad regem eorum Chosdroen. A quo ter per interualla temporis verberatus est, ad extremum occisus est cum aliis multis. Mox tunica eius indutus quidam dęmoniacus curatus est. Beatus Laurentius Archiepiscopus regnante Adbaldo rege 4. die nonarum Februarii transiuit ad dominum. Post quem Mellitus qui erat Episcopus Londoniæ, tertius ab Augustino sedem suscepit Dorouernensis Ecclesiæ. Mellito succesſit Ceadda frater Ceddæ, ad Lundoniæ præsulatum. 621

644 11.

645 12. 622

646 13. Bonifacius papa obiit. 8. Cal. Nouembris. 623

647 14. Honorius 69. Papa annis 12. Superueniens Heraclius imperator cum exercitu superatis Persis Christianos (qui erant captiuati) reduxit. Mellitus Archiepiscopus postquam Ecclesiam rexit annis 5. octauo Calendarum Maiarum die ad cœlos migrauit Eadbaldo regnante. Cui succesſit Iustus Hrofensis Ecclesiæ Episcopus, & pro se Romanum consecrauit antistitem. 624 625

648 15. Vir Deo dilectus Paulinus, à beato Gregorio cum cæteris prædicandi gratia in Angliam missus, tertius processu temporis Hrofensis Episcopus, à Iusto Archiepiscopo Northumbranæ gentis pontifex ordinatus, ad Edwinum eiusdem gentis regem cum illius sponsa regis Athelberthi filia, ab Eadbaldo rege virginis eiusdem fratre missus est. 626

649 16. Reliquiæ beati martyris Anastasii, primo monasterium suum, deinde Romam aduectæ, venerantur in monasterio beati Pauli Apostoli quod dicitur ad Aquas Salinas. Quidam sicarius Eomerus vocabulo, missus est à rege Westsaxonum Cuichelmo, qui ad regem Edwinum primo die Paschæ venit, & euaginata sub veste sua sica impetum illi fecit. Verum Lilla minister regi amicissimus mox ante ictum pungentis, suum interposuit corpus, sed tanta vi ferrum infixit hostis, vt etiam regem vulneraret per corpus occisi militis. Eadem autem nocte Paschæ dominici, peperit regina filiam regi: quæ die Pentecostes de Northanhimbrorum gente prima à Paulino Episcopo baptizata, Eanfleda est vocata. Quinquagesimo ætatis suæ anno Penda regnum Merciorum suscepit & 30. annis tenuit. Qui fuit Wibbæ, qui fuit Cridæ, qui fuit Cunewaldi, qui fuit Cnebbæ, qui fuit Icelii, qui fuit Eomeri, qui fuit Angengeati, qui fuit Offæ, qui fuit Weremundi, qui fuit Wightleagi, qui fuit Wagæ, qui fuit Wothelgeati, qui fuit Wodeni. 627

650 17. Anno Heraclii imperatoris 16. indictione 15. Edwinus præcellentissimus rex Anglorum trans-Humbranæ gentis ad Aquilonem, prædicante Paulino Episcopo, quem misit de Cantia Archiepiscopus Iustus, verbum salutis cum sua gente suscepit. Anno autem 11. regni sui, aduentus vero Anglorum in Britaniam plus minus 230. hoc gessit. Ipse autem dedit Paulino sedem Episcopatus Eboraci. Cui regi in auspicium venturæ fidei regnique cœlestis terrena potestas creuit. Totam enim Britaniam (præter Cantuarios tantum) primus omnium Anglorum sibi subiecit. Eo tempore errorem 14. annorum in obseruatione Paschæ apud Scotos exortum Honorius Papa per Epistolam redarguit: sed & Iohannes qui succesſori eius Seuerino succesſit idem arguebat. Cum adhuc non esset electus in Pontificatum pro eodem Pascha eis scripsit, & pro Pelagiana hæresi quæ apud eos reuiuiscebat, Westsaxonum reges Kinegilsus & Cuichelmus, suus filius cum rege Merciorum Penda iuxta Cirenceastriam pugnauere, & post pace facta confirmataq; discesſere. 628

651 18.

652 19. 629

653 20. 630

654 21. Eorpwaldus filius Redwaldi, regis, cuius pater Titellus, cuius pater Vffa, persuadente rege Edwino superstitione Idolorum relicta, fidem Christique sacramenta cum sua suscepit prouincia, verum non multo tempore post occisus est à viro gentili Ricberto nomine. 631 632

655 22. Gloriosus rex Edwinus cum 17. annis Anglorum simul & Britonum genti præesset glorioſissime, anno ætatis suæ 48. à pagano rege Merciorum Penda, viro strenuissimo, & Cedwala rege Britonum seniore pagano, in campo Headfeald conserto graui prælio, est occisus die Iduum Octobrium 4. Turbatis rebus Northanhimbrorum Paulinus assumpta secum regina Æthelburga rediit in Cantiam nauigio, & honorifice susceptus est ab Honorio Archepiscopo, & rege Eadbaldo. 633

634 23. Rex Britonum Ceadwala regem prius Oſricum regis Edwini patruelem cum to- 656
to ſuo exercitu deleuit: dein regem Eanfrithum Ethelfridi regis filium, ad ſe poſtulandæ pacis gratia venientem peremit. Quo perempto cum paruo exercitu ſed fide Chriſti munito frater ſuus Oſwaldus ſuperuenit, & infandum Britonum ducem cum innumeris ſuis copiis (quibus nil reſiſtere poſſe iactabat) interfecit, & regni vtriuſque gubernacula ſuſcepit; ac ſequenti tempore omnes nationes & prouincias Britanniæ in deditionem accepit. Eo tempore gens Occidentalium Saxonum regnante Kinegilſo rege fidem Chriſti ſuſcepit, prædicante illis verbum Birino Epiſcopo. Sanctus Wilfridus naſcitur. Clodoueus filius Dagoberti rex Francorum 20.

635 24. Rex Oſwaldus miſit ad maiores Scotorũ, natu, petens vt ſibi mitterentur Anti- 657
ſtites. Cui pontifex miſſus eſt Aidanus, per quem & per ipſum clariſſimum & ſanctiſſimum regem Oſwaldum in prouincia Berniciorum primum fundatur Eccleſia Chriſti & inſtituitur. Euangelizante Birino ab Honorio Papa prædicandi gratia Angliam miſſo in Weſtſaxonica prouincia rex Kinegilſus cum ſua gente credidit. Quem de fonte Baptiſmi exeuntem rex victorioſiſſimus ſuſcepit Oſwaldus. A quibus regibus idem pontifex ciuitatem Dorcice ad faciendam inibi ſedem Epiſcopalem accepit. Honorius Papa obiit 4. Idus Octobris, & ceſſauit Epiſcopatus anno vno menſibus ſeptem diebus 17.

636 25. Eorpwaldi regis Eaſtanglorum frater Sigebertus, vir per omnia Chriſtianiſſimus 658
& doctiſſimus, mox vbi regnare cœpit totam ſuam prouinciam fidei & ſacramentorum participem facere curauit. Cuius ſtudiis fauens Fœlix Epiſcopus, genere Burgundus, qui Sigeberto Orientalium Anglorum regi in Gallia exulanti familiaris effectus, Angliam cum eodem poſt mortem Eorpwaldi venit, & Eaſtanglorum Epiſcopus efficitur. Illam ad fidem Chriſti perduxit, acceptaque ſede Epiſcopatus in ciuitate Dommoce 17. annis eidem genti præfuit. Eo tempore de Hibernia venit ad prouinciam Orientalium Anglorum vir ſanctiſſimus nomine Furſeus, & à rege præfato ſuſceptus honorifice, ibiq; prædicans verbum vitæ multos incredulos ad Chriſtum conuertit: & poſtea monaſterium nobile conſtruxit. Interea rex idem relictis regni negotiis & cognato ſuo Egrico cõmendatis, monaſterium quod fecerat ſibi intrauit: acceptaque tonſura æterno regi multo tempore deuote militauit. Sed dum paganus rex Merciorum Penda aduerſus Eaſtanglos in bellum procederet, monaſterio inuitus eruitur, in certamen nolens ducitur, virgamque tantum in manu tenens vna cum rege Egrico occiditur. Quibus in regnum ſucceſſit Anna filius Eni. Quichelmus regis Kinegilſi filius in ciuitate Dorice à Birino Epiſcopo baptizatur, & eodem anno defungitur.

637 26. Seuerinus 70. Papa anno vno. Iudæi in Hiſpania Chriſtiani efficiuntur. Siſi- 659
butus enim Gothorum glorioſiſſimus rex plurimas prouincias in Hiſpania militiæ Romanæ vrbes ſibi bellando ſubiecit, ac Iudæos in ſuo regno ad fidem Chriſti conuertit. Seuerinus Papa obiit 4. Nonas Auguſti. Iohannis 71. Papa anno vno & menſibus decem. 660

638 27. Heraclius Conſtantinopoli obiit.

ROMANORVM 65. regnauit Heraclonas filius Heraclii annis duobus, vſque in annum 689. poſt paſſionem.

639 1. Theodorus 72. Papa annis ſex, menſibus ſex. Iohannes Papa obiit 4. Idus Octo- 661
bris. Cyrus Alexandriæ Sergius & Pirrus regiæ vrbis Epiſcopi, Acephalorum hæreſim inſtaurantes: vnam operationem in Chriſto diuinitatis & humanitatis vna voluntate dogmatizant. E quibus Pirrus his temporibus ſub Theodoro Papa Romam veniens ex Aphrica, ficta vt poſt apparuit pœnitentia, obtulit eidem Papæ præſente cuncto clero & populo libellum cũ ſua ſubſcriptione, in quo condemnarentur omnia quæ à ſe vel à prædeceſſoribus ſuis ſcripta vel acta ſunt contra catholicam fidem, vnde & benigne ſuſceptus eſt ab eo quaſi regiæ pontifex ciuitatis. Sed quia reuerſus domum errorem repetiit memoratus Papa Theodorus (aduocatis cunctis ſacerdotibus & clero in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli) condemnauit eum ſub vinculo Anathematis. Birinus Epiſcopus Cuthredum Cuichelmi regis filium in ciuitate Dorcice baptizauit, & eum de fonte regenerationis ſuſcepit.

640 2. His temporibus Iſidorus Hiſpanienſis Epiſcopus clarus habetur. Eadbaldus rex 662
Cantuariorum anno 25. regni ſui ex hac vita tranſiens, regni gubernacula Erconberto filio ſuo reliquit. Hic primus regum Anglorum in toto regno ſuo idola relinqui ac deſtrui, ſimul & ieiunium 40. dierum obſeruari præcepit. Cuius filia Ercongota, quam peperit ei ſancta Sexburga regina, exſtitit magnarum virgo virtutum.

RO-

ROMANORVM 66. Constantinus filius Heraclii regnauit mensibus sex quasi vsq; Cal. Nouembris in anno 629. post passionem. Pirri successor Paulus non tantum vesana doctrina (sicut prædecessores eius) sed aperta persecutione catholicos cruciat. Apocrisiarios sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui ad eius correctionem missi fuerant, partim carceribus partim exiliis partim verberibus afficiens, sed & altare eorum in domo Placidiæ saeratum in venerabili oraculo subuertens diripuit, prohibens eos ibidē missas celebrare. Vnde & ipse sicut prædecessores eius ab Apostolica sede iusta depositionis vltione damnatur.

ROMANORVM 67. Constantinus filius Constantini, regnauit annis 28. vsq; in annum 657. post passionem.

663 1. Hic deceptus est à Paulo, sicut auus eius Heraclius à Sergio supradicto Episcopo. Exposuit enim iste contra catholicam fidem, nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in Christo diffiniens esse confitendas, quasi nil velle vel operari credendus sit Christus. 641

664 2. Nepos Edwini regis, filius regis Æthelfridi, rex Oswaldus Christianissimus, peregrinis & pauperibus semper humilis, benignus, & largus, anno ætatis suæ 38. regni autem nono, commisso graui prælio occisus est à Penda Merciorum rege pagano, in loco Maserfeld nuncupato. 642

665 3. Cuius frater Oswinus iuuenis circiter 30. annorum, breui post tempore in regnū illi successit, & per annos 28. laboriosissime tenuit. Eodem anno Kenwalhius filius Kinegilsi regis, regimen Westsaxonici regni suscepit, & 30. vno anno tenuit: & Wintoniæ Ecclesiam in qua sedes pontificalis est constructa. 643

666 4. Theodorus Papa obiit 2. Idus Maii. Paulinus quondam Eboracensis, sed tunc Hrofensis ciuitatis Episcopus, postquam 18. annos, menses duos dies 21. Episcopatum tenuit. 6. Iduum Octobrium die, ad dominum transiuit. In cuius locum Honorius Archiepiscopus, Iusti successor, Ithamarum ordinauit. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. 644

667 5. Martinus Papa 73. annis sex mensibus duobus. Rex Westsaxonum Kenwalchius, qui Pendæ regis Merciorum sororem (quā duxerat) repudiauit, bello petitus, ac regno ab illo priuatus, ad regem Eastanglorum Annam secessit. Hoc etiam anno rex Oswinus, aspectu venustus, statura sublimis, affatu iocundus, moribus ciuilis, omnibus manu largus, regum humilimus, amabilis omnibus, regis Edwini patruelis Ositici filius, in Deitorum prouincia regnare cœpit & 7. annis eidem præfuit. 645

668 6. Ciclus 7. decennouenalis incipit, Indictione 4. Kenwalchius rex apud Orientales Anglos à Fœlice pontifice baptizatus est. 646

669 7. Martinus Papa propter prædictam hæresim congregauit Romæ Synodum centum quinq; Episcoporum. In qua Synodo damnauit sub anathemate Cyrum, Sergium, Pirrhum & Paulum hæreticos præfatos Episcopos. Fœlix primus Eastanglorum Episcopus obiit: pro quo Honorius Archiepiscopus Thomam eius diaconum ordinauit. Quo etiam de hac vita subtracto, quinto sui Episcopatus anno, Bonifacium substituit eius loco. 647

670 8. Kenwalchius rex de Eastanglia rediit in Westsaxoniam: & eodem anno non modicam ruris portionem dedit Cuthredo fratrueli suo, Cuichelmi regis filio. 648

671 9. Facta est Synodus præfata anno imperii Constantini nono, mense Octobri, indictione 7. 649

672 10. Post hæc missus ab imperatore Theodorus hexarchus tulit Martinum papam de Ecclesia Constantiniana, perduxitq; Constantinopolim, & inde religatur Cersonam prouinciæ Siciliæ, ibidemq; 4. Idus Nouembris obiit, & multis virtutum signis refulget. Ægelbertus Episcopus, natione Gallus, in prouincia Westsaxonica à rege Kenwalchio (defuncto iam Birino) accepit Episcopatum: & eidem genti pontificali iure annis præfuit multis. 650

673 11. Eugenius 74. Papa, annis 2. mensibus 10. Sanctus Cuthbertus monasteriū Mailronense intrauit, susceptus à reuerendissimo Eata eiusdem Ecclesiæ abbate. Vir humilitatis eximiæ, sanctitatisque non modicæ, Deirorum rex Oswinus comitis Hunwaldi (sibi vt putabat amicissimi) proditus detectione, anno regni sui 7. die Cal. Septembrium 13. (regis Oswii iussione) à præfecto suo Æthelwino peremptus est detestanda omnibus morte. Cui successit in regnum Æthelvvaldus regis Osvvaldi filius. Post occisionem regis Osvvini, antistes Aidanus 2. Cal. Septembris ad cœlorum regna migrauit. Cuius animā puer bonæ indolis Cuthbertus vidit in cœlum ferri ab angelis. Quo defuncto Finanus pro illo gradum Episcopatus à Scotis ordinatus ac missus accepit. 651

652 12. Eugenius papa obiit. 4. Nonas Ianuarii. 674

653 13. Vitalianus. 75. papa. Benedictus cognomento Biscopius, regis Oswini minister, 675
nobili stirpe gentis Anglorum progenitus, domum, cognatos, possessiones, patriam, ętatis
suæ anno 25. amore Christi reliquit, primo Romam adiit, & mox doctior rediit. Honorius
Dorwernensis Archiepiscopus, secundo calendas Octobris ex hac luce migrauit. Cui
post annum & sex menses Deus dedit. 6. ab Augustino in regimen pontificatus successit,
& ab Ithamaro Hrofensis ecclesiæ antistite die septimo Calend. Aprilium ordinatus, an-
nos nouem, menses quatuor & duos dies ecclesiam rexit. Mediterranei Angli sub Peada
principe, filio Pendæ regis Merciorum, fidem & sacramenta Christi perceperunt, ipso
principe primitus à Finano episcopo apud regem Oswium in Northimbria cum omnib.
qui secum venerant baptizato: postmodum vero eo domum reuerso, cæteris de sua gente
baptizatis à presbyteris. 4. Cedda, Adda, Betta & Duina, quos secum de præfata addu-
xerat prouincia. Eo tempore rex Orientalium Saxonum Sigebertus, qui post Sebertum
cognomento Paruum regnauit: in prouincia Berniciorum, fidem Christi per exhortatio-
nem regis Oswii cum ad eum veniret suscipiens, à Finano Northimbrorum episcopo ba-
ptizatus est. Quo sui regni sedem repetente rex Oswinus, misit cum illo virum dei Ceddā
presbyterum ad prædicandum verbum Eastsaxonicis. Vbi cum ille multā domino eccle-
siam congregasset, & propter colloquium Finani episcopi domum reuersus esset, gradum
episcopatus ab eo accepit, & in prouinciam reuersus maiori auctoritate cœptum opus ex-
pleuit. Quadam vice cum ipse Northimbrorum prouinciam exhortandi gratia reuiseret,
Deirorum rex Æthelwaldus regis Oswaldi filius, postulauit eum possessionem terræ ali-
quam ad sibi construendum monasterium accipere. Qui regiis fauens votis, elegit sibi lo-
cum monasterii construēdi in loco qui nunc Leastingaig nuncupatur, & facto monaste-
rio religiosis moribus instituit. Interea regem Sigebertum instigante omnium bonorum
inimico, sui interfecere propinqui: quia nimis ille suis parcere solebat inimicis, & factas
ab eis iniurias mox obsecrantibus placida mente dimittere. Cui successit in regnum Sui-
thelmus filius Sexbaldi.

654 14 Constantinus princeps (Vitaliano papa nuper ordinato) misit beato Petro Apo- 676
stolo aurea Euangelia gemmis albis mirę magnitudinis in circuitu ornata. Anna rex East-
anglorum à Penda rege occiditur. Cui frater suus Æthelherus iu regnum successit. In
loco qui dicitur Ikanho monasterium construitur à sancto Botulpho.

655 15 Perfidus rex Merciorum Penda Sigeberti, Egrici, Annæ regum Eastanglorum, 677
necnon etiam Edwini, Oswaldi regum Northanhimbrorum occisor. 30. legionibus
totidemq; nobilissimis ducibus instructus, in Berniciam ad debellādum regem Oswium
ascendit. Cui ille cum Alfrido filio, vnam tantum legionem habens, sed Christo du-
ce confisus, in loco qui dicitur Winwidfelda occurrit. Inito certamine fugati sunt &
cæsi pagani duces regum. 30. qui ad auxilium venerant pene omnes interfecti. In qui-
bus Æthelherus frater Annæ regis eorundem, qui post eum regnauit, auctor ipse belli
interemptus est. Cui in regnum frater suus Æthelwaldus successit. Tum Rex Os-
wius pro collata sibi victoria duodecim possessiones ad monasteria construenda, & fi-
liam suam Ælfledam Deo obtulit, perpetua ei virginitate consecrandam. Quæ mo-
nasterium quod Heortesig nuncupatur, cui tunc Hilda abbatissa præfuit, intrauit. Hoc
bellum rex Oswius in regione Loidis. 13. regni sui anno decimo septimo die Calend.
Decembrium confecit, gentemque Merciorum ad fidem Christi conuertit. Sub
quo primus in prouincia Merciorum & Lindisfarorum ac Mediterraneorum Anglo-
rum factus est episcopus Duina, cuius supra meminimus, secundus Ceollachus de ge-
nere Scottorum. Idem rex tribus annis eidem genti, cæterisque Australium pro-
uinciarum populis præfuit, gentemque Pictorum regno Anglorum subiecit, & Pendæ
regis filio Peadæ suo cognato regnum Australium Merciorum dedit.

656 16 Peada rex suæ coniugis proditione in ipso Paschalis festi tempore peremptus 678
est multum nefarie.

657 17 679

658 18 Kenwalchius Rex Westsaxonum cum Brittonibus apud Peonum pugnauit, 680
& eos Pedridan vsque fugauit.

Beata Hilda Abbatissa in loco (qui dicitur Streoneshalh) monasterium construere
cœpit in quo Regis Oswii filia primo vitæ regularis discipula, deinde extitit magistra.
Cuius mater Eanfleda Regina in loco vbi Rex Oswinus filius videlicet patruelis sui,
patris Osrici Regis, peremptus est iniuste, monasterium quod in Getlingum dicitur
construxit: & Trumherum virum Dei (occisi regis propinquum) ibi abbatem constituit.

19 Ad-

681 19. Aduersus regem Oswium duces gentis Merciorum Imminus, Eaba & Eadbertus rebellauere, leuato in regem Wulfero filio Pendæ adolescente, quem occultum seruauere, sicque cum suo rege Christo gaudebant seruire. Idem rex habuit primum Episcopum præfatum Trumherum, secundum Iarumannum, tertium Ceddam, quartum Winfridum. 659

682 20. Rex Kenvvalchius Westsaxonicam prouinciam in duas parochias diuisit, & Episcopo Winæ in ciuitate Wenta sedem Episcopatus tribuit. Vnde Agelbertus Episcopus grauiter offensus in Galliam rediit, & Episcopatum Parisiacæ ciuitatis accepit. Rex Egfridus Oswii regis filius, Ætheldritham Annæ regis Orientalinm Anglorum filiam, accepit in coniugem. Clotharius filius Clodouei, rex Francorum 21. 660

683 21. Cuthredus Cuichelmi regis filius, nepos videlicet Kinegilsi regis, & regum Kenwalchii & Kentuuini fratruelis, & Kenbrithus Subregulus Ceaulini scilicet regis pronepos, & pater Ceadvvalæ regis obierunt. Wulferus rex Merciorum prius Æscesdum deuastauit, & postmodum Vectam insulam cepit. Quam regi Australium Saxonum Æthelvvoldo (cuius Patrinus extitit) & Mauorum prouinciam in gente Occidentalium Saxonum dedit. Finanus Episcopus Northanhimbrorum obiit, cui Colmannus & ipse à Scotia missus successit. 661

684 22.

685 23. Constantinus post aliquot annos venit Romam, 5. die mensis Iulii, feria 4. indictione 6. Tunc obtulit dominico die super altare sancti Petri pallium auro textum, & cum toto exercito cum cereis Ecclesiam intrauit. Hoc vero factum est per Indictionem 6. anno 23. imperii illius. Postquam vero obtulit pallium mansit in Roma diebus 12. Inde indictione 7. Siciliam ingressus est, in qua mansit vsq; ad indictionem 12. 662 663

686 24. Tricesimo anno Episcopatus Scotorum, quem gesserunt in prouincia Northanhimbrorum. ac 22. anni regni Oswii regis, mota quæstione in eadē prouincia de Paschate, vel tonsura, vel aliis rebus Ecclesiasticis dispositum est vt in monasterio, quod dicitur Streoneshealh, cui tunc Hilda abbatissa præfuit, Synodus fieri deberet. Venerunt autem illo reges Oswius & Alhfridus filius eius, qui regi Æthelvvaldo regis Osvvaldi filio in regnum successit, Episcopus Colmannus cum clericis suis, Agelbertus Westsaxonum Episcopus, cum Agathone & Wilfrido presbyteris, Cedda Orientalium. Saxonum Episcopus, Hilda abbatissa cum suis. Qui multum inter se confligentes tandem maiores vna cum mediocribus, abdicata minus perfecta Scotorum institutione, ad ea quæ meliora cognouerant sese transferre festinabant. Finito conflictu, ac soluta quæstione, Agelbertus domum regreditur, Cedda relictis Scotorum vestigiis ad sedem suam rediit. Colmannus vnanimi intentione catholicorum superatus, ad suos in Scotiam reuertitur. Quo patriam reuerso, suscepit pro eo pontificatum Northanhimbrorum Tuda, sed permodico tempore Ecclesiam regens. Abbas monasterii quod vocatur Mailros, Eata, vir reuerendissimus, qui Ripensis monasterii fundator rogatu regis Ahlfridi prius extitit, abbatis iure Lindisfarnensis fratribus præpositus est, & beatum Cuthertum de Mailrosensi monasterio ad insulam Lindisfarnensem transtulit. Eodem anno facta est Eclipsis Solis die tertia mensis Maii, hora quasi decima diei. Mox subita pestilentiæ lues secuta est qua sacerdos domini Tuta de mundo raptus est. Ahlfridus rex cum consilio atque consensu patris sui Oswii venerabilem presbyterum & abbatem Ripensis monasterii Wilfridū ad regem Galliarum mittens, Episcopum sibi rogauit ordinari, cum esset circiter 30. annorum. At ille misit eum ordinandum ad Agelbertum, qui relicta Britannia Parisiacæ ciuitatis factus erat Episcopus, cum quo & alii vndecim Episcopi ad dedicationem antistitis conuenientes, multum honorifice ministerium impleuerunt. Deusdedit 6. ab Augustino Archiepiscopo obiit. 2. Iduum Iuliarum. Sed & Erconbertus rex Cantuariorum eodē anno ac die defunctus, Egberto filio sedem regni reliquit. Wilfrido adhuc in transmarinis partibus demorante consecratus est in Episcopatū Eboraci à Wina ciuitatis Venta næ præsule iussu regis Oswii monasterii (quod Leastingaeig dicitur) abbas, sancti pontificis Ceddæ germanus, Ceadda vir sanctus. Deo dilecta mater Bergkinganensis monasterii Athelburga, prima eiusdem Cœnobii abbatissa, miræ sanctitatis viri Erconvvaldi futuri Lundoniæ ciuitatis Episcopi germana 5. Iduum Octobrium die, carnis ergastulo est educta. Cuius talem fuisse constat vitam, vt nemo qui eam nouerit, dubitare debeat quin ei de hac vita exeunti cœlestis patriæ patuerit ingressus. Cui successit in officium abbatissæ Deo dilecta familia Helilida nomine. Paulo post Cedda Episcopus Orientalium Saxonum monasterium suum Leastingaig adiit, ibidemque corporis infirmi- 664

firmitate tactus. 7. Cal. Nouembrium die obiit. Rege Eastãglorum Ethelwaldo defuncto, succeſſit Aldufus, cuius mater Hereſuitha, ſoror ſanctæ Hildæ abbatiſſæ : quarum pater Hereric us, cuius pater Eadfrithus, cuius pater Edwinus. Boſilus ſublimium virtutum monachus, Mailroſenſis cœnobii præpoſitus, vt prophetico ſpiritu plenus, ſacerdos Dei dilectus, lethali morbo preſſus, perpetuæ lucis gaudia conſcendit. Rex Orientalium Saxonum Sigerus cum ſua parte populi ad Apoſtaſiam conuerſus eſt. Quod vbi rex Merciorum Wulferus comperit, Iarumannum epiſcopum ſucceſſorem Trumheri ad corrigendum errorem miſit. Porro Sebba ſocius & coheres regni eiuſdem, fidem perceptã cum ſuis omnibus ſeruauit.

665 25. Ciclus decennouenalis 8. incipit Indictione. 7. Benedictus cognomento Biſcopius tempore Vitaliani papæ ſecundo Romam adiit, & poſt menſes aliquot Litinenſem inſulam venit, monachis ſe dedens attonſus eſt, & biennio ſub abbatis regimine Deo regulari militauit tramite. 687

666 26. Sanctus Aldelmus Melduni in eccleſia apoſtolorum Petri & Pauli abbas ordinatur à beato Leutherio Weſtſaxonum 4. epiſcopo. Wina ciuitatis Ventanæ epiſcopus à rege Kenwalchio de ſuo præſulatu pulſus, ad regem Merciorum Wulferum ſeceſſit, & ab eo acquiſita ſede ciuitatis Lundoniæ, eius epiſcopus manſit vſque ad terminum vitæ ſuæ. 688

667 27. Reges Anglorum nobiliſſimi Oſwius prouinciæ Northanhimbrorũ & Egbertus Cantuariorum, cum conſenſu ſanctæ Eccleſiæ gentis Anglorũ, presbyterum nomine Wihardum de clero Deuſdedit Archiepiſcopi, antiſtitem ordinandum Romam miſerunt. Verum ille Romam perueniens, priuſquam conſecrari in Epiſcopatum poſſet morte præreptus eſt. Ceadda præſul Eboracenſis tribus annis Eccleſiam rexit. Dehinc ad monaſterii ſui curam quod eſt in Leaſtingaig ſeceſſit, accipiente Wilfrido Epiſcopatum totius Northanhimbrorum prouinciæ. 689

668 28. Biſcopius qui & Benedictus, tertio Romam venit. Quo tempore erat Romæ monachus Theodorus, Tharſo Ciciliæ natus ſeculari & Eccleſiaſtica Philoſophia præditus, Græce & Latine ſufficienter inſtructus, probus moribus, annorum 66. ætatis. Hunc die 7. Cal. Aprilium dominica ordinatum Archiepiſcopum, Biſcopio (quia vir ſapiens erat ac ſtrenuus) papa Vitalianus Britanniam perducendum, ſimul & abbatem commendauit Adrianum. Conſtantinus 11. indictione in Sicilia à ſuis in balneo occiſus eſt, 15. die menſis Iulii: & non longe poſt Vitalianus Papa obiit 6. Cal. Febr. 690

ROMANORVM 68. Conſtantinus filius Conſtantini ſuperioris regis, regnauit annis 17. vſque in annum 674. poſt paſſionem.

669 1. Adeodatus 76. Papa Poſt Petrum annis 4. menſibus duobus, & obiit 6. Cal. Iulii. Archiepiſcopus Theodorus die 6. Cal. Iuniarum dominica Cantiam venit; & Benedicto (qui & Biſcopius) monaſterũ beati Petri Apoſtoli, abbatis iure, regendum dedit. Mox peragrata inſula tota, locis opportunis Epiſcopos ordinauit, & ordinationem Ceaddæ denuo catholica ratione conſummauit. In ciuitate etiam Hroſi, vbi defuncto Damiano Epiſcopatus iamdiu ceſſauerat, Puttam virum Eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutum ordinauit: & non multo poſt mortuo Iarummanno, ac rege Wulfero petente, & rege Oſwio concedente iuſſit Ceaddam Merciorum ſimul & Lindisfarorum pontificatum ſuſcipere. Illo iuſſis obſecundauit, magnaq; vitæ perfectione ſuſceptum miniſterium adminiſtrare curauit. Cui rex etiam Wulferus terram 50. familiarum ad conſtruendum monaſterium in loco qui dicitur Ad Bearuue donauit. 691

670 2. Oſwius rex Northanhimbrorum preſſus infirmitate, anno ætatis ſuæ 58. die Cal. Martii mortem obiit, & Egfridum filium regni reliquit ſucceſſorem. Leutherium Agilberti Pariacæ ciuitatis Epiſcopi nepotem, rex Kenwalchius & occidentales Saxones rogauerunt Theodorum Archiepiſcopatum Doruuernenſis Eccleſiæ, ſibi antiſtitem conſecrari. Qui conſecratus in Wenta ciuitate 7. annis Epiſcopatum ſolus geſſit. Saraceni Siciliam inuadunt : qui præda nimia ſecum ablata mox Alexandriam redeunt. 692

671 3. Auium ſtrages facta eſt permaxima. Venerabilis abbas Benedictus (qui & Biſcopius) vbi duobus annis monaſterio beati Petri Apoſtoli, abbatis iure præeſſet, Archipræſulis Theodori licentia tertio de Britannia Romam profectus eſt. Cui in monaſterii regimen ſucceſſit Adrinus abbas (cuius ſupra meminimus) vir natione Apher, ſacris literis diligenter imbutus, Græcæ pariter & Latinæ linguæ peritiſſimus. 693

672 4. Hic Conſtantinus princeps ſextam Synodum inſtituit. Ciclus ſolaris incipit 4. concurrentibus biſextilibus. Kenwalchius rex Weſtſaxonum 30. anno regni ſui defunctus 694

ctus est. Cuius vxor Sexburga regina secundum Anglicam chronicam vno post illum regnauit anno. Secundum vero Bedã Subreguli regnum inter se diuisum annis circiter 10. tenuerunt. Regina Northanhimbrorum Ætheldritha multum diu postulans regem Egfridum, vt relictis seculi curis in monasterio regi Christo seruire permitteretur: vbi vix aliquando impetrauit, monasterium sanctæ Æbbæ abbatissæ, videlicet sancti Oswaldi & Oswii regnum germanæ, ac Egfridi regis amitæ intrauit, & velamen sanct. monialis habitus ab antistite Wilfrido accepit. Cum in Merciorum prouincia duobus annis ac dimidio Ceadda Episcopus Ecclesiam glorioßissime rexisset, languore corporis tactus, post quã obitum suum dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit 6. die Nonarum Martii æterna gaudia petiuit. Qui dum è mundo transiret Egberhtus pater reuerendissimus (eius quondam in Hibernia condiscipulus) vidit animam Ceddæ Episcopi fratris ipsius cum Angelorum agminibus de cœlo descendere, & assumpta secum anima eius ad cœlestia regna redire. In cuius locum ordinauit Theodorus Winfridum diaconum eius, cui ipse successerat antistitis loco. Roma Benedictus Biscopius rediit, & ingressus Britanniam, patriam gentem solumq; in quo natus est petit. Egfridum transumbranæ gentis regẽ adiit, qui confestim terram 70. familiarum vt construeret monasterium ad ostium Wiri fluminis illi dedit.

695 5. Conus Papa 77. anno vno mensibus sex. Rex Cantuariorum Egbrihtus, nono regni sui anno mense Iulio obiit: succedente in regnum fratre Lothario, quod ipse annos 11. & menses 7. tenuit. Die 24. mensis Septemb. indictione prima, Theodorus Dorwernensis Episcopus in loco qui dicitur Heortford Episcoporum cogit concilium. In quo Wilfridus Northanhimbrorũ gentis Episcopus p proprios legatarios fuit. Fuerunt & Putta Rofensis Episcopus, Leutherius Occidentalium Saxonum Episcopus, Winfridus prouincię Merciorum Episcopus. Quibus affuit Bia Orientalium Anglorum Episcopus successor Bonifacii, cuius supra meminimus, vir multæ sanctitatis & religionis, non multo ante à Theodoro ordinatus. Quo adhuc superstite sub grauissima infirmitate ab administrando Episcopatu prohibito, duo sunt pro illo Æcca & Badwinus consecrati Episcopi. In regione quæ vocatur Elge beata Ætheldritha facta est abbatissa, vbi constructo monasterio virginum Deo deuotarum, mater virgo & exemplis vitæ cœlestis esse cœpit & monitis. 673

696 6. Conus Papa obiit tertio Idus Aprilis. Clodoueo, Dagoberti filio regni Francorum moderamina gubernante, abbas quidam Ecclesiæ sancti Aniani, quæ est apud vrbem Aurelianam (Leodebodus nomine) construxit monasterium in agro Floriacensi, colligensq; ibi plures ad seruiendum Deo monachos, instituit illis abbatem nomine Mummolum. Qui diuina reuelatione præmonitus misit vnum de suis monachis (Aiulfum nomine ad montem Cassinum, vt inde sibi deferret sanctissimi corpus Benedicti. Qui veniens illo, ibiq; pernoctans intempestæ noctis silentio ipsum sancti Benedicti sepulchrum ita cœlitus vidit illustrari ac si densis lampadibus circumfunderetur. Mox reuerenter accessit & effracto à latere sepulchro illud exinaniuit, & quicquid ibi reperit, id est ossa sanctæ Scholasticæ virginis sororis suæ in vnius sportulæ sinu recõdit, Floriacũ rediit. Translatum est igitur venerabile corpus sancti Benedicti à Cassino monte Floriacum anno incarnationis domini 774. Computantur à transitu sancti Benedicti vsque ad obitum Papę Gregorii anni 68. & ab obitu Gregorii vsque ad translationem sancti Benedicti anni 70. Æscwinus secundum Anglicam chronicam Occidentalium Saxonum suscepit regnũ. Qui fuit Kenfi, Qui fuit Kenferthi, qui fuit Cuthgilsi, qui fuit Ceolwulfi, qui fuit Kenrici, qui fuit Cerdicii, Hibernia, (insula sanctorum) sanctis & mirabilibus perplurimis sublimiter plena habetur. Biscopius ad ostium Wiri fluminis indictione 2. 674

697 7. Agatho papa 78. annis duobus mensibus 7. & obiit. 4. Idus Ianuarii. Wulferus rex Merciorum & Æscwinus rex Westsaxonum in loco qui dicitur Bidanheafod pugnauerunt. Eodem anno ipse Wulferus, qui regũ Merciorum primus fidem & lauacrũ sanctæ regenerationis accepit, & in tota gente sua Dæmoniorũ cultura destruxit & penitus eradicauit, Christiq; nomen vbiq; locorũ regni sui prędicare iussit & multis in Ecclsias ædificauit, 17. anno ex quo regnauit ad Vranica regna migrauit. Cuius regina S. Eormẽgilda, q̃ Cantuariorũ Ercõberhti regis sanctęq; Sexburgæ reginę, Annæ regis Orientaliũ Anglorũ filiæ, sororis videl. S. Ætheldrithæ, exstitit filia: peperit ei magnatũ virginẽ virtutũ S. Werburgã. Quæ patre defuncto seculo renunciauit, & habitũ sanctæ cõuersationis susceptura, genitricis materterę, sanctę videlicet Ætheldrithæ monasterium intrauit, in qua multa Deo cooperante miracula patrauit. Cuius sanctitatis famam cum suus patruus rex Æthelredus comperisset, eam quibusdam virginum Deo deuotarũ monasteriis abbatissę 675

iure

iure præfecit. Cum quibus & in quibus regulariter viuens, illisque in omnibus pie consulens, ad vitæ finem vero regi Christo militauit: ac in vno monasteriorum suorum (quod Triccingeham dicitur) è seculo migrauit, sicque ad complexum & nuptias sponsi cœlestis virgo beata intrauit. Corpus autem illius ad monasterium (cui est Heanbirig vocabulum) vt ipsa viuens præcepit, est delatum, & in illo honorifice tumulatum. Quod vsque ad tempus quo gens pagana Danorum crudeli cæde & tyrannica depopulatione Anglorum vastauerunt prouincias, mansit incorruptum. Fuerunt autem germani regis Wulferi Æthelredus, qui post illum sceptra regni gubernauit, Peada qui vt paucis prælibauimus Australium Merciorum regnum habuit, Merewaldus qui in Occidentali plaga Merciorum regnum tenuit. Cui regina sua sancta Ermenburga regis Ermenredi filia peperit tres filias, sanctam videlicet Milburgam, sanctam Mildritham, & sanctam Milgitham, vnumque filium Merefinum eximiæ sanctitatis puerum. Offensus à Winfrido Merciorum Episcopo per meritum cuiusdam inobedientiæ Theodorus archiepiscopus, eum de episcopatu deposuit, & in loco eius Saxulfum Episcopum ordinauit, constructorem & abbatem monasterii quod dicitur Burh in regione Giruiorum. Depositus vero Winfridus ad monasterium suum Bearwe rediit, ibique in optima vitam conuersatione finiuit. Tum etiam Orientalibus Saxonibus, quibus eo tempore præfuerunt Sæbba & Sigherus, in ciuitate Lundonia Erconwaldum Episcopum constituit. Vbi prædecessor eius Wina sedem Episcopatus habuit. Cuius viri scilicet Erconwaldi, & in Episcopatu & ante Episcopatum, vita & conuersatio fertur fuisse sanctissima. Hic fecit duo monasteria, vnum sibi, alterum sorori. Suum Certesia dicitur, quod adminiculo Frithewoldi Subreguli opulentia rerum & monachis impleuit. Sororis cœnobium appellatur Berkingum, vbi ipsa primum abbatissa constituitur. Post Erconwaldum fuit Waldherus, & post istum Ingualdus, vltimus quem Beda in historia Anglorum Lundonienensem commemorat episcopum. Porro Æthelburgæ sancti. E. sorori successit Hildelitha, ad quam sanctus Aldelmus scripsit librum de virginitate. Post Hildelitham extitit Wulfhedis abbatissa Edgari regis tempore.

676 8. Agathonis papæ tempore indictione. 4. luna eclipsin pertulit die. 18. mensis Iunii. 678
Idem etiam papa rogatu Constantini Heraclii & Tiberii piissimorum principum, misit in regiam vrbem legatos suos, in quibus erat Iohannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, non longe post Episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime susceptus à reuerendissimo fidei Catholicæ defensore Constantino, iussi sunt (remissis disputationibus philosophicis) pacifico colloquio de fide vera perquirere. Datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum patrum quos petebant libellis. Affuerunt autem & Episcopi. 150. præsidente Georgio patriarcha regiæ vrbis, & Antiochiæ Machario, & conuicti sunt qui vnam voluntatem & operationem astruebant in CHRISTO falsasse patrum Catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu Georgius correctus est, Macharius vero cum suis sequacib. simul & prædecessoribus, Ciro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro, anathematizatus est. In locum eius Theophanus abbas de Sicilia, Antiochiæ Episcopus est factus: tantaque gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, vt Iohannes Portuensis Episcopus, qui vnus ex illis erat, dominica octauarum Paschæ missas publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ coram principe & patriarcha Latine celebraret. Hæc est sexta Synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata, & Græco sermone conscripta temporibus Agathonis papæ, exequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simul & legatis Apostolicæ sedis, & Episcopis. 150. residentibus. Prima enim, vniuersalis Synodus in Nicea congregata est contra Arrianum. 318. patrum, temporibus Syluestri papæ sub Constantino Magno. Secunda in Constantinopoli. 150. patrum, contra Macedonium & Eudoxium temporibus Damasi papæ & Gratiani principis, quando Nectarius eidem vrbi ordinatus est Episcopus. Tertia, in Epheso. 200. patrum, contra Nestorium Augustæ vrbis Episcopum, sub Theodosio: Magno principe, & papa Cœlestino. Quarta in Chalcedone patrũ 630. sub Leone papa, temporibus Martiani. Quinta item in Constantinopoli, temporibus Vigilii papæ, sub Iustiniano principe contra Theodorum & omnes hæreticos. Sexta hæc, de qua in præsenti diximus. Benedictus Biscopius cum Ceolfrido religioso monacho, quarto Romam de Britannia petit, ecclesiastica priuilegia ab Agathone papa cum licentia consensu, desiderio, & hortatu regis Egfridi accepta, quo monasterium suum tutum ac liberum perpetuo redderetur, retulit. Accepit & Iohannem archicantorem beati Petri apostoli Britanniam perducendum, vt in monasterio suo cursum canendi per annum edoceret. Escwinus rex Westsaxonum moritur, &

ritur,& Kentwinus ei succedit: qui fuit filius Kinegilsi,filii Ceoli. Æthelredus rex Merciorum Cantiam vastauit,ciuitatem quoq; Hrofi communi clade absumpsit. Quod vbi Putta eius Episcopus comperiit, ad Saxulfum Merciorum Episcopum diuertit:& ab eo possessione cuiusdam Ecclesiæ accepta, ibidem in pace vitam finiuit. Pro quo Theodorus Quichelmum consecrauit Episcopum,sed illo post non multum temporis præinopia rerum ab Episcopatu decedente, Gebmundum pro eo substituit antistitē. Defuncto Westsaxonum Episcopo Leutherio, Episcopatu Hæddus functus est pro illo, in ciuitate Lundonia consecratus à Theodoro. Sanctus Cuthbertus anachoreticæ contemplationis secreta petiit.

699 9. Leo 79.papa anno Imperii Egfridi 8.apparuit mense Augusto stella cometes. Quo 677
etiam anno orta inter ipsum regem Egfridum & reuerendissimum antistitem Wilfridum dissensione,pulsus est idem Antistes à sede sui Episcopatus,& duo in locum eius substituti Episcopi, Bosa monachus reuerendus de monasterio Hildæ abbatissæ,qui Deirorum,& Eata venerabilis abbas Mailrosensis cœnobii: qui Berniciorum prouinciam gubernaret. Hic in ciuitate Eboraci, ille in Hagustaldensi siue Lindisfarnensi Ecclesia cathedram habens Episcopalem, ambo de monachorum collegio in Episcopatus gradum asciti. Cum quibus & Eathedus in prouincia Lindisfarorum(quam nuperrime rex Egfridus superato in bello & fugato Wulfero obtinuerat)ordinatur Episcopus,& hunc primum eadem prouincia proprium accepit præsulem,secundum Æthelwinum, tertium Eadgarum, quartū Kinebertum. Habebat enim ante Eathedum antistitem Saxulfum, qui etiam Merciorū & Mediterraneorum Anglorum simul Episcopus fuit: vnde & expulsus de Lindissi,in illarum prouinciarum regimine mansit. Ordinati sunt autem Eathedus, Bosa & Eata Eboraci,ab Archiepiscopo Theodoro. Pulsus ergo ab Episcopatu Wilfridus Romamque iturus. Vbi nauem conscendens flante Fauonio Fresiam est pulsus, vbi primus opus Euangelicum cœpit,& multa millia Barbarorum ad fidem conuertit, hyememq; ibidem cum noua Dei plebe feliciter exegit.

700 10. Sanctus Audoenus obiit. Sanctus Beda nascitur. 678

701 11. Benedictus Papa 80.annis 4.mensibus 10. Iste ab ineunte ætate in Ecclesia mili- 679
tauit, & paupertatis amator semper pro Christo extitit. Inter Egfridum regem Northimbrensium & Ægelredum regem Merciorum conserto graui prælio, iuxta fluuium Trentam, occisus est rex Alfwinus frater regis Egfridi, cuius sororem Ostritham rex Æthelredus habebat vxorem. Wilfridus Episcopus Frisiam reliquit, Romam adiit: & vbi Benedicti Papæ & plurimorum Episcoporum iudicio absque crimine accusatus fuisset, Episcopatuque inuentus est dignus esse, Britanniam rediit, prouinciam Suthsaxonum Christo credere fecit. Beata virgo Ætheldritha Elienſis cœnobii abbatissa,8.die Cal.Iuliarum in medio suorum rapta est ad dominum. Cui soror eius Sexburga in eius successit ministerium.

702 12. Anno 6.regni Æthelredi regis Merciorum,Indictione 8. Theodorus Archiepi- 680
scopus cœtum Episcoporum doctorumq; plurimorum collegit in loco qui dicitur Hęthfeld, vt cuius essent singuli fidei sciret, sicut ei Agatho Papa per Iohannem Archicantorem,qui huic Synodo intererat mandauerat. Eiusdem regis tempore, Merciorum prouincia in quinque parochias est diuisa, vnde ad prouinciam Wicciorum Tadfridus vir doctissimus de Hilde abbatissæ monasterio est electus antistes. Sed priusquam ordinari posset,morte immatura præreptus est. Quapropter eidem prouincię vir reuerendus Boselus non multo post antistes ordinatus est. Religio Christi famula Hilda monasterii quod Streoneshalh dicitur abbatissa, Hæretici nepotis regis Edwini filia,post multa quæ fecit in terris opera cœlestia, ad percipienda vitæ cœlestis præmia est de terris ablata,cum esset annorum 66. die 15. Cal. Decembrium de morte transiuit ad dominum. Hæc duo monasteria Streoneshealh scilicet & Hacanos constrvxit,in quibus iustitiæ,pietatis,castimoniæ,cæterarumq; virtutum, sed maxime pacis & charitatis custodiam docuit. In huius abbatissæ monasterio habitauit Cedmannus ille famosus monachus, qui diuinitus adiutus gratis canendi donum accepit. Osherus Subregulus licentia præstantissimi regis Merciorum domini sui Æthelredi terram 30. manentium (in loco qui dicitur Rippe) Frithewaldo monacho Winfridi Episcopi,cuius supra meminimus dedit, vt ibidem Ecclesiasticæ conuersationis normam exerceret.

703 13. Bonæ indolis puer Beda, cum esset septem annorum, suorum cura propinquo- 681
rum reuerendissimo abbati Biscopio datus est educandus. Post annos tres absessionis Wilfridi ad Ecclesiam Hagustaldensem Tunbertum (remanente Eata ad Lindisfarnensem) & Trunwinum ad terram Pictorum, Theodorus Archiepiscopus ordinauit. Eathe-

dum de Lindissa reuersum, eo quod Æthelredus rex prouinciam recepisset, Ripensi Ecclesiæ præfecit.

682 14. Kentwinus rex Westsaxonum Occidentales Britones vsque ad mare in ore gla- 704
dii fugauit. Reuerendissimus abbas Benedictus Biscopius presbyterum Easterwinũ, suum patruelem, sanctitate insignẽm, de monasterio suo eligens, abbatem eidem monasterio (regendi iure) præfecit. Egfridus rex pro redemptione animę suæ etiam aliam 40. familiarum terram, abbati Benedicto donauit. Vbi missis monachis numero 22. & præposito abbate Ceolfrido, sui per omnia adiutore strenuissimo, iussu regis monasterium beato Paulo Apostolo in loco qui dicitur Giruum construxit.

683 15. Ciclus 9. decennouenalis incipit Indictione 12. 705

684 16. Benedictus Papa obiit. 8. Idus Maii. Egfridus rex Northimbrorum, misso Hiber- 706
niam cum exercitu Duce Bertho vastauit misere gentem innoxiam. Congregata Synodo sub præsentia regis Egfridi iuxta fluuium Alne, in loco qui dicitur Twiford, cui Theodorus Archiepiscopus præsidebat, Tunberto ab Episcopatu deposito, vnanimo omnium consensu ad Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ Cuthbertus eligitur. Sed quia ipse plus Lindisfarnensi Ecclesiæ dilexit præfici, placuit vt Eata reuerso ad Hagustaldensem, Cuthbertus Ecclesiam susciperet Lindisfarnensem. Benedictus Biscopius 5. vice de Britannia Romam petiit.

685 17. Iohannes 81. Papa, anno vno & mense vno, & obiit quarto Nonas Augusti. Hu- 707
ius tempore regnauit Iustinianus Augustus mortuo patre in initio mensis Septembris indictione 13. Lotherius rex Cantuariorum in pugna Australium Saxonum vulneratus 12. anno sui regni 8. Idus Februarii feria 2. inter medendum est defunctus. Post quem Eadricus filius Egberti fratris sui, anno vno ac dimidio regnauit. Magna pestilentiæ procella Britanniam corripiens, lata nece vastauit. In qua Deo dilectus abbas Easterwinus per Nonas Martii raptus est ad dominum. Pro quo fratres cum consilio Ceolfridi abbatis, mirę sanctitatis virum & scripturarum studiis abundanter instructũ Sigefridum eiusdem monasterii diaconem constituere abbatem. Ecclesiasticorum donis commodorum Biscopius locupletatus, & peregrina merce (vt semper) onustus, Roma rediit. Ordinatio beati Cuthberti in ipsa solemnitate Paschali completa est Eboraci sub præsentia regis Egfridi: ad consecrationem eius 7. Episcopis conuenientibus, in quibus primatum tenebat Theodorus Archiepiscopus. Egfridus rex cum temere exercitum ad vastandum Pictorum prouinciam duxisset, anno ætatis suæ 40. regni autem 15. occisus est die Cal. Iuniarum 13. Sabbato. Cui successit in regnum Alhfridus frater eius, vir in scripturis doctissimus. Huius regni principio defuncto Eata sanctissimo Episcopo, Iohannes vir sanctus, Hagustaldensis Ecclesiæ præsulatum suscepit. Sanctissimus vir domini Trumwinus Episcopus de terra Pictorum cum suis recessit, & in Streones healh locum sibi mansionis elegit, ibique vitam nõ sibi solummodo sed & multis vtilem plurimo annorum tempore duxit, vbi etiam defunctus cœleste regnum conscendit. Ceadwalla iuuenis strenuissimus de regio genere Gewissorum, Æthelwaldum regem Australium Saxonum improuise cum exercitu superueniens interfecit, sed mox expulsus est à Ducibus regis Berthuno & Æthelhuno, qui deinceps regnum prouinciæ tenuerunt. Kentwinus rex Occidentalium Saxonum vita decedit, cui præfatus Ceadwalla in regnum succedit. Qui fuit Kenbrithi, qui fuit Ceddæ, qui fuit Cuthæ, qui fuit Ceaulini, qui fuit Kenrici, qui fuit Cerdicii.

ROMANORVM 69. Iustinianus minor, filius Constantini, regnauit annis 10. vsq; in annum 684. post passionem domini.

686 1. Canon. 82. Papa anno vno, mensibus vndecim. Wilfridus Episcopus post lon- 708
gum exilium sedem suam & Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ, rege Alhfrido inuitante recepit. Iohanne vero defuncto, Bosa multæ sanctitatis & humilitatis, vir Episcopus pro eo Eboraci substituitur. Ceadwalla rex Gewissorum, Ducem Suthsaxonum Beorthunum occidit, & prouinciam illam graui seruitio subegit. Deinde idem ipse, & frater suus Mul Cantiam depopulantur. Post hæc rex ipse Ceadwalla cepit Vectam insulam, quæ eatenus erat tota idololatriæ dedita & licet nec dum in Christo regeneratus, quartam partem eius, id est, 300. familias Wilfrido Episcopo vtendam pro domino obtulit. Qua accepta, & Berwino suo nepoti commendata, verbi ministros eidem insulæ destinauit. Duobus annis in Episcopatu peractis, vir domini Cuthbertus Episcopus (diuino admonitus oraculo) insulam Farnam repetiit. Defuncto Edrico Cantuariorum rege, regnum illud per aliquod temporis spatium, reges dubii vel externi diiperdidere.

2. Co-

709 2. Canon Papa obiit die 21. mensis Septembris Ceadwallæ regis Westsaxonum fratrem Mul & 12. milites eius flammis iniectos Cantuarienses atrociter in ipsa Cantia combusserunt. Vnde rex Ceadwalla ira commotus, rursum Cantiam deuastat. Reuerendissimus pater Cuthbertus indictione 15. 13. Calend. Aprilis feria 4. in insula Farnæ obiit, sed corpus illius ad insulam Lindisfarnensium relatum, in Ecclesia est tumulatum. Cuius Episcopatum Wilfridus Hagulstaldensis Episcopus, anno vno seruauit. Successit viro Domini Cuthberto in exercenda vita solitaria vir venerabilis Æthelwaldus, cuius meritum & vita qualis fuerit innumera declarant ab eo patrata miracula. Sanctus Kilianus Scotus de Hibernia insula natus, Wirziburgensis Episcopus, clarus habetur. 687

710 3. Sergius 85. Papa, annis 13. mensibus 9. Pippinus Ansgisi filii sancti Arnulfi filius, regit Francos annis 27. Abeunte Ceadwalla Romam, suscepit imperium Ina de stirpe regia, qui monasterium quod Glæstingabirig dicitur, construxit. Cuius pater Kenredus, cuius pater Ceolwaldus, cuius pater Cutha, cuius pater Cuthwinus cuius pater Ceaulinus. Ordinatus est pro Cuthertho Eadberhtus, vir scientia scripturarum diuinarum, simul & præceptorum cœlestium obseruantia, ac maxime eleemosynarum operatione insignis, Benedictus Biscopius, & Sigefridus abbates, diutina infirmitate lassati, in lectum ambo sternuntur. Vnde mox initio cum fratribus consilio, Benedictus acciit abbatem Ceolfridum, quem monasterio beati Pauli Apostoli præfecerat, eumque abbatem vtriusque monasterii constituit indictione prima 4. Iduum Maiarum die. Eodem anno venerabilis ac Deo dilectus, abbas Sigefridus, inductus in refrigerium sempiternæ quietis, introiit domum regni cœlestis in holocaustis perpetuæ laudationis 11. Calend. Septembris. 688

711 4. Iustinianus constituit pacem cum Saracenis decennio terra mariq;, sed & prouincia Aphrica subiugata est Romano imperio, quæ erat tanta à Saracenis, ipsa quoque Carthagine ab eis capta & destructa. Vitiorum victor & virtutum egregius patrator, Benedictus Biscopius post longæ caminum infirmitatis in qua Deo semper agere gratias solebat 11. Idus Ianuarii requiem lucemque vitæ cœlestis adiit. Pontificatum agente Sergio, Ceadwalla Westsaxonum rex baptizatus est die sancto sabbati Paschalis. Defunctus est autem ibidem die 12. Calen. Maiarum, indictione 11. qui vixit annos plus minus triginta. Cuius Epitaphium iubente Sergio Papa sic ponitur: 689

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, castra, lares.
Quæq; patrum virtus, & quæ congesserat ipse
Ceadual armipotens, liquit amore Dei.
Vt Petrum, sedemq; Petri rex cerneret hospes:
Cuius fonte meras sumeret almus aquas.
Splendificumq; iubar radianti carperet haustu,
Ex quo viuificus fulgor vbiq; fluit.
Percipiensq; alacer rediuiuæ præmia vitæ:
Barbaricam rabiem nomen & inde suum.
Conuersus conuertit ouans, Petrumq; vocari:
Sergius antistes iussit vt ipse pater.
Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans,
Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi,
Cuius consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perq; vias,
Vrbem Romuleam vidit, templumq; verendum
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oues Christi sociabilis ibit,
Corpore nam tumulum mente superna tenet.
Commutasse magis Sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

712 5. Theodorus beatæ memoriæ Archiepiscopus, anno ætatis suæ 88. Episcopatus autem 22. defunctus est, die Calendarum Octobrium 13. 690

Scandens alma nouæ fœlix consortia vitæ,
Ciuibus Angelicis iunctus in arce poli.

Archipræsules Dorwernensis Ecclesiæ, huc vsq; Romani: postmodum extitere Anglici.

691 6. Sergius Papa constituit vt tempore confractionis domini corporis, agnus Dei à clero cantaretur. Wilfridus Haguſtaldenſis Epiſcopus, denuo accuſatus: ab Alhfrido rege & plurimis Epiſcopis, præſulatu eſt pulſus. Qui mox ad regem Merciorum Æthelredum ſeceſſit, & ab eo mediterraneorum Anglorum Epiſcopatum accepit. Quo tempore Boſelus antiſtes prouinciæ Wicciorum, tanta erat corporis infirmitate depreſſus, vt officium Epiſcopatus per ſe implere non poſſet: propter quod omnium iudicio, vir ſingularis meriti ac ſanctitatis eximiæ Oſtforus, qui in monaſterio Hildæ abbatiſſæ presbyteri gradu diu functus eſt, ſed tunc in ſupra dicta prouincia verbum fidei prædicauit, in Epiſcopatum pro eo electus, ac iubente rege Æthelredo per Wilfridum beatæ memoriæ antiſtitem ordinatus eſt Epiſcopus, quia Theodorus Archiepiſcopus iam defunctus erat, & nec dum alius pro eo ordinatus eſt Epiſcopus. Wihtredus filius Egberti regis Cantuariorum, confortatus in regno, religione ſimul & induſtria gentem ſuam ab extranea inuaſione liberauit. Cum quo rex Suebheardus partem regni tenuit. 713

692 7. Iuſtinianus Sergium Papam, quia erraticæ ſuę Synodo (quam Conſtantinopoli fecerat) fauere & ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia Prothoſpatario ſuo, iuſſit Conſtantinopolim deportari. Sed præuenit militia Rauennatæ vrbis vicinarumque partium iuſſa principis nefanda, & eundem Zachariam contumeliis & iniuriis ab vrbe Roma pepulit. Venerandus & cum omni honorificentia nominandus Egbertus, natione Anglus, qui in Hibernia inſula pro adipiſcenda in cœlis patria vitam duxit peregrinam, cum ad prædicandum in Germaniam venire vellet, nec valeret diuina ſibi voluntate obſiſtente, miſit illo in opus verbi viros ſanctos & induſtrios, in quibus eximius Willebrordus presbyteri gradu & merito præfulgebat. Quos gratanter dux Francorum Pippinus ſenior ſuſcepit, & ad prædicandum in citeriorem Freſiam miſit. Horum ſecuti exempla duo presbyteri Hewadi nominati, de natione Anglorum, venerunt ad prouinciam antiquorum Saxonum, vt ibi aliquos (prædicando) Chriſto adquirerent. Sed vt cognouerunt Barbari quod eſſent alterius religionis, illos rapuerunt, & 5. Nonarum Octobrium martyrizauerunt. Willebrordus data ſibi à principe Pippino licentia prædicandi, iuit Romam vt cum licentia Sergii Papæ Euangelizandi opus iniret. Qui cum ſui voti compos eſſet effectus, ad prædicandum rediit. Brihtwaldus qui erat abbas in monaſterio, quod iuxta oſtium aquilonale fluminis Genladi poſitum, Raculf nominatur, vir ſcientia ſcripturarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul ac monaſterialibus diſciplinis ſumme inſtructus, pro Theodoro in Epiſcopatum eſt electus. Defuncto Oſtforo Wicciorum Epiſcopo, ſanctus Egwinus pro eo præſulatum ſuſcepit, & poſt annorum curricula paucorum, licentia iuuamineque regis Æthelredi monaſterium (quod Eouesham dicitur) conſtruere cœpit. 714

693 8. Brihtwaldus ordinatus eſt à Godwino Metropolitano Epiſcopo Galliarum 3. die Cal. Iuliarum. Dominica. Qui inter multos quos ordinauit antiſtites, etiam Gebmundo Roſenſis Eccleſiæ præſule defuncto, Tobiam pro illo conſecrauit. Beda monachus gradum diaconatus à Iohanne Eboracenſi Epiſcopo ſuſcepit. 715

694 9. Cantuarienſes facta pace cum Ina Weſtſaxonum rege 3750. libras dedere, quia vt prælibauimus Mullonem germanum ſuum combuſſere. 716

695 10. Iuſtinianus imperator, ob culpam perfidiæ regni gloria priuatus, exul in Pontum ſecedit. Beatæ virginis Ætheldrithæ corpus poſt 16. annos ſepulturæ (cum veſte qua inuolutum eſt) incorruptum reperitur. 717

ROMANORVM 70. Leo regnauit annis tribus, vſque in annum 688. poſt paſſionem domini.

696 1. Sergius Papa in ſacrario beati Petri Apoſtoli capſam argenteam, quæ in angulo obſcuriſſimo diutiſſime iacuerat, & in ea crucem diuerſis ac pretioſiſſimis lapidibus adornatam, domino reuelante reperit. De qua tractis 4. petallis, quibus gemmæ incluſæ erant miræ magnitudinis, portionem ligni ſalutiferi dominicæ crucis interius repoſitam inſpexit. Quæ ex tempore illo annis omnibus (in baſilica quæ vocatur Conſtantiniana) die Exaltationis eius ab omni adoratur atque oſculatur populo. Rogatu Pippini Francorum ducis, ſanctus Willebrordus, de Britannia natus, genere Anglus, à Sergio Papa Freſonum genti, die natalis beatiſſimæ Ceciliæ virginis, Archiepiſcopus ordinatus eſt. 718

697 2. Sanctus Guthlacus, cum ætatis ſuæ 24. peregiſſet annos, pompis abrenuncians ſecularibus, relictisque ſuis omnibus, monaſterium Hrepandunum adiit, ibique ſub abbatiſſa nomine Alfrida, tonſuram & clericalem habitum ſuſcepit. Oſtritha regis Merciorum Æthelredi regina, a Suthimbrenſibus occiditur. 719

720 3. Tiberius contra Leonem insurgens, regnum eius inuasit : eumque quamdiu 698
ipse regnauit in eadem ciuitate in custodia tenuit. Beati Cuthberti corpus transactis sepulturæ eius annis 11. incorruptum (quasi hora eadem defuncti) simul cum veste qua tegebatur depositionis eiusdem die inuenitur. Sicq; de terra leuatur, nouo amictu inuoluitur, noua in theca reconditur, & supra pauimentum sanctuarii ponitur. Nec mora Deo dilectus antistes Eadbertus (morbo correptus acerbo) non multo post, id est. 2. Nonas Maias etiam ipse migrauit ad dominum. Cuius corpus in sepulchro beati Cuthberti ponentes, apposuerunt desuper aream, in qua incorrupta eiusdem patris membra locauerint. Successit Eadberto in Episcopatum vir domini Eadfridus.

ROMANORVM 71. regnauit Tiberius annis 7. vsque in annum 694. post passionem domini.

721 1. Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, quintum vniuersale concilium susci- 699
pere diffidit, donec salutaribus beati Sergii papæ monitis instructa, & ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit. Beatissimus vir Guthlacus die Cal. Septembrium 8. insulam Crulandiam peruenit, ibiq; vitam anachoreticam ducere cœpit.

722 2. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus.

723 3. Sergius Papa obiit, 5. Idus Septembris. Iohannes papa 84. annis tribus & mensib. 3. 700 701

724 4. Ciclus decennou. 10. incipit, indictione prima.

725 5. Beda in libro de temporibus, in anno quo eum condidit, ita perhibet. Si vis nosse 702 703
quot sint anni ab incarnatione domini iuxta Dionysium scito quot fuerint indictionum ordines, vtpote in præsenti anno 5. Tiberii 46. hos multiplica per 15. fiunt. 690. adde semper regulares 12. quia quarta indictione (secundum Dionysium) natus est dominus, & indictionem anni illius cuiuscunque volueris, vtpote in præsenti vnam, fiunt septingenti tres. Isti sunt anni domini iuxta Dionysium: Hæc Beda.

726 6. Gisulphus dux gentis Longobardorum Beneuenti Campaniam igne gladio, & 704
captiuitate vastat. Cumq; non esset qui ei resisteret, Apostolicus Papa Iohannes, qui Sergio successerat, missis ad eum sacerdotibus ac donariis perplurimis, vniuersos captiuos redemit, hostesq; domum redire fecit. Ipseque Iohannes Papa obiit indictione 3. secundum gesta pontificum. Æthelredus Merciorum rex 30. anno regni sui monachus factus, Kenredo suo fratrueli regnum dedit. Venerabilis monachus Beda per ministerium sancti Iohannis Eboracensis Episcopi, iubente Ceolfrido suo abbate, gradum presbyteratus suscepit.

727 7. Iohannes 85. papa, annis duobus, mensibus 8. Qui inter multa opera illustria, fecit 705
oratorium sanctæ Dei genetrici opere pulcherrimo, intra Ecclesiam beati Petri Apostoli. Herebertus rex Longobardorum, multas curtes & patrimonia Alpium Cottiarum, quæ & quondam ad ius pertinebant Apostolicæ sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, restituit iuri eiusdem sedis, & hanc donationem (aureis scriptam literis) Romam direxit. Ahlfridus rex Northanhimbrorum in Driffelda 19. Calend. Ianuarii defunctus est, anno regni sui 20. necdum impleto, Cui succedens in imperium filius suus Osredus, puer octo circiter annorum, regnauit annis 11. Cuius regni principio antistes Occidentalium Saxonum Hædda cœlestem migrauit ad vitam. Quo defuncto, Episcopatus prouinciæ illius in duas parochias diuisus est, vna data Danieli, altera Aldelmo abbati monasterii, quod Maildulfi vrbem nuncupant, ambo in rebus Ecclesiasticis & in scientia scripturarum sufficienter instructi. Saxulfus Merciorum Episcopus vita quoque decessit. Sanctus Aldelmus à beato Briht waldo Dorubernensi Archiepiscopo ordinatur Episcopus.

ROMANORVM 72. Iustinianus secundus, cum Tiberio filio suo, regnauit annis sex, vsque in annum 700. post passionem.

728 1. Hic auxilio Interpelli regis vulgariorum regnum recipiens, occidit eos (qui se ex- 706
pulerunt) patricios, & Leonem qui locum eius vsurpauerat, necnon & successorem eius Tiberium, Gallinicum autem patriarcham erutis oculis misit Romam, & dedit Episcopatum Cyro, qui erat abbas in Ponto eumque alebat exulem. Iohannes Papa 15. Calend. Nouembris obiit.

729 2. Sisinnius 86. Papa, mense vno. Beda 30. ætatis suæ anno, gradu presbyteratus ac- 707
cepto, libros suos incepit facere, in quibus componendis 29. annis laborauit.

730 3. Constantinus 87. papa, annis 7. & mense vno. Quem Iustinianus ad se venire iu- 708
bens, honorifice suscepit ac remisit, ita vt eum die dominica missas sibi facere iubens, cõmunionem de manu eius acciperet, quem etiam prostratus in terra pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta Ecclesiæ priuilegia renouauit. Kenredus rex Merciorum, &

Offa rex Orientalium Saxonum, filius Sigheri regis, eorundem relictis vxoribus, agris, cognatis, & patria propter Christum & propter Euangelium, Romam venerunt, ibique attonsi ac monachi facti, ad limina Apostolorum in precibus, ieiuniis, & eleemosynis, vsque in diem vltimum permanserunt, sicque ad visionem beatorum Apostolorum in cœlis diu desideratam peruenerunt. Cum quibus & sanctus Egwinus Wicciorum Episcopus (rogatus ab eis) Romam venit, & vt in monasterio quod in territorio Wigornensi construxerat, ab improborum irruptione securius redderet, Epistolam priuilegii à Papa Constantino petiit & impetrauit.

709 4. Successit Kenredo in regnum Ceolredus, filius Æthelredi regis, qui ante ipsum 731
Kenredum idem regnum tenebat. Sanctus Aldelmus Westsaxonicæ prouinciæ antistes, vir vndecunque doctissimus, migrauit ad dominum. Pro quo pontificatum suscepit Forthredus, vir & ipse in scripturis sacris multum eruditus.

Wilfridus sanctis meritis & nomine magnus,
Iactatus multis per tempora longa periclis,
Quindecies ternos postquam egit Episcopus annos
Transiit, & gaudens cœlestia regna petiuit.

Cuius corpus in primo suo monasterio, quod dicitur in Hripum, in Ecclesia beati Petri Apostoli est honorifice tumulatum. Quo defuncto, Acca presbyter eius, vir strenuissimus, coram Deo & hominibus magnificus, cantor peritissimus, in literis sacris doctissimus, in catholicæ fidei confessione sanctissimus, castissimus, in Ecclesiasticæ institutionis regulis solertissimus, ac Deo dilecti Boscę Eboracensis Episcopi quondam alumnus, Hagustaldensi Ecclesiæ præsulatum suscepit.

710 5. Berhtfridus regis Osredi præfectus, cum Pictis pugnauit, & victor extitit. Gewissorum rex bellicosus Ina & Nun suus proximus, cum Gerente Britonum rege bellum gessere, victumq; in fugam vertere. Reuerendissimus pater Adrianus, monasterii beati Petri abbas, est defunctus, & in eodem monasterio sepultus. Cui successit in regimine discipulus suus Albinus, qui non minus Græcę & Latinæ, quam Anglicæ linguæ, quæ sibi naturalis, extitit peritus. 732

711 6. Iustinianus cum exercitum mitteret in Pontum, multum prohibente Papa Apostolico, ad comprehendendum Philippicum, quem ibi reliquerat: conuersus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum ibidem imperatorem, reuersusq; Constantinopolim pugnauit contra Iustinianum ad 12. ab vrbe milliarium, & victo atque cciso Iustiniano regnum suscepit Philippicus. 733

ROMANORVM 73. regnauit Philippicus anno vno & mensibus sex, vsque in annum 702. post passionem domini.

712 1. Hic eiecit Cyrum de pontificatu, eumq; ad gubernandum abbatis iure monasterium suum Pontum redire præcepit. Idem Constantino Papæ misit literas praui dogmatis, quas ille cum Apostolicæ sedis consilio respuit. Et huius rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ acta sex sanctarum Synodorum viniuersalium continerent: nam & huiusmodi picturas cum haberentur in vrbe regia, Philippicus iusserat auferri. Statuitq; populus Romanus ne hæretici imperatoris nomen, aut chartas vel figuram solidi susciperet, vnde nec eius effigies in Ecclesiam inducta est, nec nomen eius ad missam prolatum. 734

713 2. Contra hunc Anastasius consurgens, regno oculisq; priuauit. 735

ROMANORVM 74. regnauit Anastasius annis tribus, vsque in annum 703. Iste literas Constantino Papæ Romam per Scholasticum patricium & exarchum Italiæ direxit, quibus se fautorem catholicæ fidei, & sancti Sixti concilii prædicatorem esse dixit.

714 1. Anachorita probatissimus, deique sacerdos fidelissimus, dilectæ Christi virginis Pegiæ germanus, innumerabilium virtutum patrator Guthlacus, indictione 12. quarto lumine festi Paschalis 3. Idus Aprilis animam ad gaudia perpetuæ emisit exultationis. Cui Cissa qui diu paganis ritibus deditus erat, sed post baptismum in Britannia perceperat, successit. 736

715 2. Canstantinus Papa obiit 6. Idus Ianuarii. Gregorius Papa 88. annis 17. mensibus 10. Hic erat vir castus & sapiens, qui Bonifacium (genere Anglum) ordinauit Episcopum sedi Moguntinæ: per quem Germania verbum salutis suscepit. Quidam Petronax ciuis Brixianæ vrbis, diuino amore compunctus Romam venit, indeque hortatu beati Papæ Gregorii montem Cassinum expetiit, ibique cum aliquibus simplicibus viris habitare cœpit, & non multo post, suffragantibus sibi meritis eximii patris Benedicti, multorum ibi monachorum ad se concurrentium pater effectus, reparatis habitaculis regulariter viuere cœpit. Pippinus filius Ansgisi, apud Gallias Francorum regnans, obiit. Cui Carolus, 737

qui

qui & Maior domus, filius eius, in regnum succedit per annos 27. vsque ad filios suos Carlomannum & Pippinum primum imperatorem Francorum. Luitbrandus rex Longobardorum, donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Herebertus rex fecerat, & ille repetierat, admonitione venerabilis Papæ Gregorii confirmauit. Ina rex Westsaxonum, & Ceolredus rex Merciorum, in loco qui Wodnesbeorh dicitur, pugnauerunt.

738 3. Gregorius Papa 2. constituit vt in quadragesimali tempore ieiunium missarumq; celebritas fieret, quod ante eum non erat. Vir domini Egbertus, cuius supra meminimus, Iienses monachos ad catholicum Pascha & Ecclesiasticam correxit tonsuram. Osredo occiso, Kenredus magnifici viri Cuthwini filius, gubernacula regni Northanhimbrorum suscepit. Rex Merciorum Ceolredus defungitur, & Licetfeldiæ sepelitur. Post quem Æthelbaldus consobrinus suus, filius videlicet Alweonis, patruelis scilicet patris sui regis Æthelredi, vt ei prophetico spiritu sanctus prædixerat Guthlacus, regnũ nanciscitur. Æthelredus quondam rex Merciorum, post autem abbas Bardoniensis cœnobii, quod ipse construxit, è seculo migrauit: & æternæ felicitatis, serenitatis, ac lucis gaudia intrauit. Magnæ vir sanctitatis & religionis. Ceolfridus abbas 7. Cal. Octobrium die, feria 6. apud Lingonas Burgundionum ciuitatem peregrinus obiit, & in Ecclesia sanctorum martyrũ geminorum Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi sepultus est. Erat autem quando obiit 74. annorum, presbyterii gradu functus annis 47. abbatis officium ministrans annis 35. 716

ROMANORVM 75. Theodosus regnauit anno vno, vsque in annum 705. post passionem domini.

739 1. Anastasius cum classem in Alexandriam contra Saracenos direxisset, exercitus de medio itinere reuertitur, & Theodosium imperatorem facit, coactumque eum in solio imperii confirmauit. Qui deinde apud Nicenam ciuitatem graui prælio vicit Anastasium, in quo septem millia de exercitu imperii ceciderunt. Capto autem Anastasio, datoque sibi sacramento clericum fieri, ac presbyterum ordinari præcepit. Theodosius vero vt regnauit, cum esset catholicus, mox in regia vrbe imaginem illam venerandam, in qua sanctæ sex Synodi erant depictæ, & à Philippico fuerat deiecta, pristino in loco erexit. Tiberis fluuius alueum suum egressus, multa Romæ fecit exitia, adeo vt in Via lata ad vnam & semis staturam excresceret, atque à porta sancti Petri Apostoli vsque ad Pontem Miluium aquæ descendentes se coniungerent. Mansit autem sic diebus septem, donec agentibus Letanias crebras ciuibus, octauo demum die reuersus est. Sanctus Egwinus 3. Wicciorum Episcopus, transiuit ad dominum, indictione 15. 3. Calend. Ianuarium die feria 5. Pro quo Wilfridus religionis vir eximiæ, electus illo adhuc superstite, præsulatum suscepit Wigornensis Ecclesiæ. 717

ROMANORVM 76. regnauit Leo, annis 9. & inde annis 15. vsque ad Pippinum primum Francorum imperatorem, hoc est in annum 729. post passionem domini.

740 1. Coenrendus Northanhimbrorum rex moritur, & Osricus in regem leuatur. Ingelsus frater Inæ regis Westsaxonum, vitæ modum fecit. Quorum sorores extitere sancta Quenburga & sancta Cuthburga, quæ monasterium virginum Deo deuotarum, in loco qui dicitur Winburnan construxit. Hanc autem Aldfridus rex Northanhimbrorum in coniugem habuit, sed ante finem suæ vitæ connubio carnalis copulæ ambo pro Dei amore renunciauere. 718

741 1. Saraceni cũ immenso exercitu Constantinopolim obsident, donec ciuibus multa orationum instantia ad dominum clamantibus, plurimi hostium frigore, fame, atque pestilentia perierunt. 719

742 3. 720

743 4. Daniel Ventanæ ciuitatis Episcopus, Romam iuit. Eodemque anno rex Ina Clitonem Kineulfum occidit. Sanctus Iohannes Eboracensis Ecclesiæ Episcopus, cum præ maiore senectute minus Episcopatui administrando sufficeret, ordinato pro se Wilfrido presbytero suo, secessit ad monasterium suum, quod dicitur In syluaDeirorum, ibique vitam in conuersatione Deo digna complens, cœlestia Nonis Maii conscendit. Eadfridus Lindisfarnẽsis Episcopus obiit: cui Mailrosensis abbas & presbyter Æthelwold° successit. 721

744 5. Ciclus decennouenalis 11. incipit, Indictione 5. Æthelburga regina castrum (Tantun dictũ) penitus destruxit, quod prius rex Ina construxit, qui eodem anno cum Australibus Saxonibus pugnauit. 722

745 6. Saraceni pertęsi obsidionis abscedunt. Qui inde regressi Vulgarorum gentem, quę est super Danubiũ, bello aggrediuntur, ab hac quoq; victi refugiunt, ac naues repetunt. 723

746 7. 724

725 8. Wihtredus rex Cantuariorum, filius Egberti 9. die Cal. Maiarum obiit & regni, 747
quod per 34. semis annos tenebat, filios 3. Æthelbertum, Eadbertum, & Alricum, reliquit hæredes. Rex Ina denuo cum Suthsaxonibus pugnans, Clitonem Aldbrithum, quem prius de Westsaxonia expulerat, occidit. Hoc anno Beda computator more computi librum componit, ipso ita teste. Si vis nosse per annos singulos quod sint epactæ, sume annos domini iuxta Dionysiũ quotquot fuerint, vt puta in præsenti. 8. indictione 725. partire per decem & nouem, decies nouies triceni 570. decies nouies octoni 150. dipondius, remanent tres: hos item multiplica per 19. fiunt 33. tolle 30. remanent tres. Istę tres 748
sunt epactæ anno præsenti. Hæc Beda.

726 9. Tobias Hrofensis Ecclesiæ præsul defunctus est, qui ita Græcam cum Latina didicit linguam, vt tam notas ac familiares sibi eas quam natiuitatis suæ, id est Anglicæ, loquelam haberet. Post quem Episcopatus officium Altwlfus Berhtwaldo Dorouernensis Archiepiscopo consecrante, suscepit.

749

727 10. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus.

728 11. Relicto imperio, ac Æthelhardo de prosapia Cerdici regis oriundo commendato, rex Ina ad limina beatorum Apostolorum (Gregorio pontificatum agente) profectus 750
est, cupiens in vicinia sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius à sanctis recipi mereretur in cœlis. Eodem anno præliati sunt rex Æthelhardus & Oswoldus Clito, filius Æthelbaldi, filii Kinebaldi, filii Cuthwini, filii Ceaulini.

729 12. Mense Ianuario cometæ duo circa solem apparuere, & duabus ferme septimanis 751
permansere. Quo anno sanctus vir domini Egbertus, cuius sæpe meminimus, ipso die Paschæ, q. 8. Cal. Maiarũ die celebrabatur, migrauit ad dominũ. Et mox peracto Pascha, hoc est, 7. Idus Maii. Ofricus rex Northanhimbrorum vita decessit, & fratrem Kenredi regis, qui ante se regnauerat, Ceolulfum sibi hæredem fecit. Ad quem Beda famulus Christi, presbyter & monachus, historiam gentis Anglorum Ecclesiasticam scripsit. Ceolulfus extitit filius Cuthæ, qui fuit Cuthwini, qui fuit Egwaldi, qui fuit Aldhelmi, qui fuit Oscæ, qui fuit Idæ, qui fuit Eoppæ.

752

730 13. Oswaldus Clito vir strenuissimus defunctus est.

731 14. Brihtwaldus Archiepiscopus longa consumptus ætate, die 5. Iduũ Ianuarii obiit. 753
Gregorius Papa obiit 3. Idus Februarii. Pro Brihtwaldo Tadwinus presbyter monasterii, quod vocatur Briudunum, de prouincia Merciorum, Archiepiscopus consecratus est in Dorwernensi ciuitate à Daniele Wentano & Ingualdo Lundoniensi & Aldwino Licetfeldensi & Aldulfo Hrofensi Antistitibus, die 10. mensis Iunii dominica, vir religione & prudentia insignis, sacris quoq; literis nobiliter instructus. Anno aduentus Anglorum in Britanniam circiter 282. Ecclesiis Cantuariorum Tadwinus & Aldulfus Episcopi præfuerunt. Porro prouinciæ Orientalium Saxonum Ingualdus Episcopus, prouinciæ Orientalium Anglorum Eadbertus & Hathulacus Episcopi prouinciæ Occidentalium Saxonum Daniel & Fortherus Episcopi, prouinciæ Merciorum Aldwinus Episcopus, & eis populis qui vltra amnem Sabrinam ad occidentem habitant, Walhstodus Episcopus, prouinciæ Wicciorum Wilfridus Episcopus, prouinciæ Lindisfarorum Kinebertus præfuit. Episcopatus Vectæ insulæ ad Danielem pertinet Episcopum Ventanæ ciuitatis. Prouincia Australium Saxonum iam aliquot annis absque Episcopo manens, ministerium sibi Episcopale ab Occidentalium Saxonum antistite quæsiuit. Hæ omnes prouinciæ, cæteræque Australes ad confinium vsque Humbri fluminis cum suis quæque regibus, Merciorum regi Æthelbaldo subiectæ fuerunt. At vero prouinciæ Northanhimbrorum, cui rex Ceolulfus præfuit 4. Episcopi præsulatum tenuerunt. Wilfridus in Eboracensi Ecclesia, Athelwoldus in Lindisfarnensi, Acca in Hagustaldensi, Pechelinus in ea quæ Candida casa vocatur. Britones magna ex parte Anglorum seruitio mancipati fuere.

15. Gregorius 89 papa annis 11.

732 16. Eclipsis facta est solis 18. Cal. Septemb. circa horã diei tertiam, ita vt pene totus 754
733 orbis solis quasi nigerrimo & horrendo situ videretur esse coopertus. Saraceni prædicti cum nauibus alta peterent, ingruente subita tempestate plurimi ex ipsis mersi sunt & 755
necati: plurimæ enim naues eorũ per littora fractæ iacebant. Luitbrandus vero rex Longobardorum audiens quod Saraceni loca sancta corrumperent, & quod depopulata Sardinia, etiam loca illa fœdarent vbi ossa S. Augustini Episcopi (propter vastationem barbarorum) olim translata & honorifice fuerant cõdita, misit: & dato pretio transtulit accepta Ticinis, ibidemq; cum debito tanti patris honore recondidit. Hagustaldensis Episcopus Acca præsulatu pulsus est.

17. Lu-

756 17. Luna sanguineo rubore perfusa, quasi hora integra, 2. Cal. Februarii circa gallicantum, dehinc nigredine subsequente ad lucem propriam visa est reuersa. Dorouernensis Archiepiscopus Tadwinus 3. Cal. Augusti de seculo migrauit. Cui Nothelmus Ecclesiæ Lundoniensis presbyter, in Archiepiscopatus officium successit. Sacerdos venerabilis, monachus per omnia laudabilis, computator mirabilis, Beda sanctissimus, secundũ Anglicas chronicas anno præsenti, secundum vero suum discipulum Cuthbertum, qui eius obitum descripsit, suæq; decessioni cum aliis quam plurimis interfuit, anno sequenti, ante Ascensionem dominicam 4. feria, id est. 8. Cal. Iunii, circa horã 10. in magna mentis deuotione & tranquillitate, vltimum è corpore spiritum efflauit, sicq; gaudens ad regna cœlestia migrauit. Hic suæ gentis quamplurima gesta hucusq; luculento descripsit sermone, vnumq; temporalis vitæ modumq; terminauit historiæ. Nos vero Deo aspirante, ab eius vitæ fœlici exitu, prout Anglicarũ chronicarum reperimus textum, fideliumq; virorum credibili relatu, vel quæ nos ipsi indubitata audiuimus, vel quædam quæ oculis aspeximus, amodo fideliter notata, fidelium successorum relinquenda dignum duximus memoriæ. 734

757 18. Pectelinus Candidæ casæ præsul obiit, cui Frithwaldus in pontificatus regimine successit. 735

758 19. Nothelmus Dorouernensis Archiepiscopus à Gregorio 89. Papa, palliũ suscepit. 736

759 20. Episcopus Scireburnensis Ecclesiæ Fortherus, & Frithogitha Occidentalium Saxonum regina, Romam petrexere. 737

760 21. Gregorius Papa prædictus constituit in missa: Quorum solennitas hodie, & reliqua, vsque Largitor admitte. Ceolulfus rex Northimbrorum, regni gubernaculo relicto, & Eadbrihto patrueli suo (Eatæ scilicet filio) tradito, monachus efficitur. 738

761 22. Æthelwaldus Lindisfarnensis, & Acca Hagustaldensis præsules, morti debita persoluunt, & Æthelwaldo Kineulfus, Accæ vero Frithebertus succedit. 739

762 23.

763 24. Ciclus decennouenalis 12. incipit, indictione 8. Leo Imperator obiit, Constantinus filius eius successit. Carolus filius Pippini, qui & Maior domus dictus, rex Francorum obiit. Æthelhardus Westsaxonum rex obiit, cui propinquus suus Cuthredus in regnum successit: qui regem Merciorum Æthelbaldum frequẽter bello lacessiuit. Nothelmo Dorouernensi Archiepiscopo 16. Cal. Nouembr. defuncto, Cuthbertus (qui 5. erat Herefordensis Episcopus) Archiepiscopatum suscepit. Mortuo quoque Hrofensi Episcopo Aldulfo, Dunnus consecratus est pro eo. 740 741

ROMANORVM 77. Pippinus filius Caroli, Francorum primus Imperator, annis 27. vsque in annum 755. post passionem domini.

764 1. Gregorius papa obiit 4. Calend. Decemb. Indictione 10. Zacharias 90. Papa, annis 11. 742

765 2. Æthelbaldus Mercensium & Cuthredus Occidentalium Saxonum reges, cum Britonibus pugnauere. Wilfrido Hwicciorum Episcopo, de hac vita subtracto, Milredus successit. Sanctus Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus, clarus habetur. Visæ sunt stellæ quasi de cœlo cadere. 743

766 3. Sanctus Bonifacius Fuldam monasterium in solitudine Bochonia inchoauit. Wilfridus iunior, Eboracensis Ecclesiæ pontifex 3. Calen. Maii è viuis exiuit, & Egbertus regis Ædberti frater, Archiepiscopatus insigni sublimatur. Daniel Episcopus ciuitatis Wentanæ longa iam venerabilis ætate, sponte præsulatu dimisso, in eadem ciuitate recedit: & Hunfridus pro eo Episcopatum suscepit. 744

767 4 Carlomannus rex, frater imperatoris, secundum consultum fratris regnum dimittens, Romam venit: & à Zacharia Papa tonsuram accepit, deinde in monte Soractæ apud Ecclesiam sancti Syluestri constructo monasterio cum fratribus secum ad hæc venientibus, per aliquot annos Deo seruiens vixit, sed ob insolentiam Francorum Romam venientium, eumq; vt dominum quondam suum visitantium, ad monasterium sancti Benedicti in monte Cassino situm perrexit, vbi postea regulariter vixit. Daniel anno 43. ex quo Episcopatus officium suscepit, post multiplices cœlestis militiæ agones, ad præmia remunerationis perpetuæ transiuit. 745

768 5. Rex Eastsaxonum Selredus occiditur.

769 6. 746

770 7. Gripho fugit in Saxoniam ob metum imperatoris. Kenricus Occidentaliũ Saxonum Clito interficitur. Eadbertus rex Cantuariorum defungitur, suusq; frater Æthelbertus in regem constituitur. 747 748

S. Gri-

749 8. Gripho iterum de Saxonia reuertitur. 771

750 9. Pippinus decreto Zachariæ papæ, à Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo vngitur in imperatorem, & ob id poſt Papam ſecundus habetur Epiſcopus Moguntinus. Cuthredus rex Occidentalium Saxonum cum Duce animoſiſſimo Æthelhuno pugnauit. 772

751 10. Gripho obiit. Burchardus primus Epiſcopus Wirziburh ordinatur, qui ſedit annis 40. 773

752 11. Zacharias Papa obiit Idibus Martii indictione 5. Stephanus 91. Papa, annis 5. mẽſe vno. Anno regni ſui 12. Cuthredus Weſtſaxonum & rex Merciorum Æthelbaldus iuxta Beorhtfordam ſatis durum commiſere prælium. 774

753 12 Stephanus Papa cum prædicto Carlomanno fratre regis monacho, venerunt ad Pippinum in Franciam, petẽtes defenſionem contra Haiſtulfum regem Longobardorũ. Cuthredus rex denuo cum Britonibus pugnans, ex eis quamplurimos interfecit. 775

754 13. Vnxit idem Papa duos filios Pippini Carlomannum & Carolũ Magnum imperatores 5. Cal. Auguſti. Cuthredus rex Weſtſaxonum obiit, & ſuus propinquus Sigebertus filius Sigerici ſucceſſit. Defuncto Wentanæ ciuitatis præſule Hunfertho, Kinehardus pro eo Epiſcopatum ſuſcepit. Dorobernia igne conſumpta eſt. 776

755 14. Sanctus Bonifacius Archiepiſcopus prædicans verbum Dei in Freſia, paſſus eſt cum aliis martyribus, Nonis Iunii, Kineulfus de proſapia Cerdicii regis oriundus, auxilium ſibi ferentibus Weſtſaxonicis primatibus, regem illorum Sigebertum ob multitudinem ſuorum iniquorum factorum regno exterminauit, & loco eius regnauit: vnam tamẽ prouinciam (quæ Hantunſcire dicitur) eidem conceſſit, quam tam diu tenuit, quoad vſq; Ducem Cumbranum, qui cæteris diutius ſecum manſerat, iniuſte peremiſſet. Poſtmodum vero ab ipſo rege Kinealfo quæritur, & in ſaltum (qui lingua Anglorum Andred nominatur) expellitur. Vbi dum diu moratur, in vindictam necis præfati Ducis, à quodam ſubulco Priuotesflodan lancea perforatur. Idem rex Kineulfus Britones ſæpiſſime præliis detriuit permaximis. Rex Merciorum Æthelbaldus in Segeswalde occiditur, corpusque eius Hreopedune deportatur, ibidemq; tumulatur. Cuius regnum Beornredus tyrannus inuaſit, & per modicum tempus in parua lætitia & iocunditate tenens, regnum cum vita perdidit. Quo mortuo, ſucceſſit in regnum nepos patruelis Æthelbaldi regis Merciorum Offa, filius videlicet Dingſerti, filii Eanulfi, filii Oſmodi, filii Eoppæ, filii Wibbæ, patris regis Pendæ. 777

756 15. Ciclus ſolaris incipit 4. concurrentibus biſextilibus. Lullus Archiepiſcopus poſt Bonifacium ſucceſſit annis 32. 778

757 16. Organum primitus venit in Franciam, miſſum à Conſtantino rege Græcorum Pippino imperatori. Stephanus Papa obiit 5. Cal. Maii. Cui ſucceſſit germanus eius Paulus. Eadbertus rex Northimbrenſium, amore cœleſtis patriæ imperium reliquit, tonſuramque ſancti Petri Apoſtoli accepit. Et filius ſuus Oſulfus regimen regni ſuſcepit, & vno anno regnans 9. Calend. Auguſti à Northimbrenſibus occiditur. 779

758 17. Paulus 92. Papa, annis 10. & menſe vno. Cuthbertus Dorouernenſis Archiepiſcopus 7. Cal. Nouemb. vitæ modum fecit. His tẽporib. Orientalibus Saxonibus Swithredus, Auſtralibus Saxonibus, Oſmundus, Orientalibus Anglis Beornus reges præfuerunt. 780

759 18. Pippinus Imperator in Saxoniam ingreditur. Breogwinus poſt Cuthbertum die feſtiuitatis ſancti Michaelis Archiepiſcopus ordinatur. Mollus Æthelwoldus regnum Northanhimbrorum ſuſcepit. 781

760 19. Ciclus decennouenalis 13. incipit nidictione 13. Pippinus in Vaſconiam ingreditur. Æthelbertus rex Cantuariorum obiit. Ceolulfus monachus religioſiſſimus, rex Northimbrorum quondam glorioſiſſimus, ad æternæ lucis gaudia tranſiuit. 782

761 20. Pippinus Italiam intrauit, & bellum contra Haiſtulfum regem Longobardorum ſuſcepit. Hoc anno hyems aſperrima extitit, & Mollus rex Northimbrenſium 8. Idus Auguſti (iuxta Cliuum Edwini) Clitonem quendam nobiliſſimum Oſwinum occidit. 783

762 21. Pippinus Haiſtulfum paucorum dierum obſidione apud Ticinum compulit & obſides dare, & recepta à Romanis oppida atq; caſtella reſtituere, & vt reddita non repeterentur ſacramento fidem facere. Breogwinus Archiepiſcopus Eccleſiæ Cantuarienſis vitæ finem dedit 9. Cal. Septemb. Cui ſucceſſit Iainbertus ſancti Auguſtini abbas. 784

763 22. Iainbertus die Purificationis ſanctæ Mariæ in Archiepiſcopatũ leuatur. Eodẽq; anno Frithewoldus Hwitternenſis Eccleſiæ antiſtes Nonis Maii defungitur. Pro quo Pechtwinus 16. Cal. Aug. in regione quæ dicitur Ælfete cõſecratus Epiſcopatu fungitur. 785

764 23. Iainbertus Archiepiſcopus à Papa Paulo, Stephani Papæ ſui prædeceſſoris germano, pallium ſuſcepit. 786

24. Mol-

787 24. Mollus regnum Northanhimbrorum dimisit,& Alhredus filius Eanwini succes- 765
cessit, qui fuit Birnhomi, qui fuit Bosæ,qui fuit Bleocmanni,qui fuit Ailrici, qui fuit Idæ.

788 25. Gordegangus Merensis Episcopus, corpora sanctorum Gorgonii & Nazarii à 766
Roma in Franciã adduxit. Egbertus Eboracensis Archiepiscopus 14.Cal.Decembris E-
boraci obiit. Cui successit Æthelbertus. Frithobertus Hagustaldensis Episcopus vita de-
cessit,cui Alhmundus successit.

789 26. Pippinus finito Aquitanico bello contra Waifarium Ducem Aquitaniæ,quod 767
continuis nouem annis gessit,Turonis causa orationis ad sanctum Martinum perrexit.In-
de egressus, Parisiis ad sanctum Dionysium vix perueniens, ibi morbo aquæ intercutis
obiit 9.Cal.Septemb. ibique sepultus est.

790 27. Paulus Papa obiit.Eximiæ religionis monachus,Eadbrithus,quondam rex Nor- 768
thanhimbrorum nobilissimus 13.Cal.Septemb.defunctus est,ac in eadem porticu,in qua
frater suus Egbertus Archiepiscopus iacet,tumulatus est.

ROMANORVM 78.Carolus Magnus,filius Pippini,regnauit annis 46.mensibus 4.

791 1. Stephanus 93.Papa, annis quatuor.

792 2. Mortuo Pippino, Franci generali conuentu totum regnum inter duos filios eius 769
Carolum & Carlomannum æque diuiserunt. Carolus partem patris eorum Pippini,Car- 770
lomannus vero partem patrui eorum Carlomanni suscepit.

793 3. 771

794 4. Carlomannus post administratum biennio regnum, in villa Salamoniaca obiit 772
secundo Nonarum Octobris,& Carolus totum regnum suscepit. Stephanus Papa obiit.
Adrianus 94.Papa,annis 23.

795 5. Carolus Hunuldo,qui post mortem Waifarii bellum sibi inferre conabatur fuga- 773
to,& Aquitania subacta: rogatu Adriani Papæ Italiam perrexit, & desiderium Longo-
bardorum regum longa obsidione fatigans, in deditionem suam suscepit: filiumq; eius A-
dalgisum, in quo omnes spem inclinabant, ab Italia expulit,& Italiam totam subegit: &
omnia à Longobardorum regibus erepta,tam Romanis quam Adriano Papæ restituit: &
tunc primum Romam Sabbato sanctæ Paschæ venit.

796 6. Rubicundi coloris signum (in crucis modum)in cœlo apparuit post solis occasum. 774
Merci & Cantuarienses apud Ottanfordam præliati sunt. In prouincia Austtalium Saxo-
num visi sunt serpentes, aspectu horribiles valdeq; mirabiles. Festi Paschalis tempore
Northimbrenses regem suum Alhredum,Molli regis successorem,Eboraco expulere, fi-
liumq; eiusdem regis Molli,Æthelbertum in regem leuauere.

797 7. Hwicciorum Episcopus Milredus obiit, cui in pontificatus officium Weremun- 775
dus successit.

798 8. Subacta Italia Saxonicum bellum biennio ante Italicum inceptum,repetitum est, 776
& per 33. annos permansit. Quorum Saxonum Carolus decem millia hominum capti-
uorum cum vxoribus & paruulis dispersit.

799 9. Pechtwinus Candidæ casæ præsul obiit.

800 10. Carolus Hispaniam subiecit,& incolumi exercitu reuertitur. Domuit Britones, 777
qui in occidente Galliæ super littus residebant. Æthelberto à Northimbrensibus regno 778
expulso, Alfwoldus regnum Northimbrorum suscepit.Kineulfus rex Westsaxonũ & Of-
fa rex Merciorum,propter Benesingtun,graue gessere prælium, sed Offa victor existens,
eandem villã cepit & possedit.Hwicciorum Episcopus Weremundus obiit, & abbas Til-
herns illi successit.Æthelbert⁹ ad Candidã casam 17.Cal.Iulii Episcop⁹ Eboraci ordinatur.

801 11. Ciclus decennouenalis 14.incipit, indictione 2. Hagustaldensis Episcopus Alh- 779
mundus 7.Idus Septemb.obiit:pro quo Tilbertus 6.Nonas Octobr. ordinatur:& Higbal-
dus pro Kineulfo apud Soccabirig Lindisfarnæ Episcopus consecratur. Rex Alfwoldus
pro petendo pallio Eanbaldi, legatos Romam misit ad Adrianum papam.

802 12. Carolus iterum in Saxoniam venit: & fames magna mortalitasque magna fa- 780
cta est in Francia.Sanctus Sturnus primus abbas Fuldensis obiit 16.Calend.Nouemb.Cui
successit Baogulfus.

803 13. Hwicciorum præsule Tilhero defuncto,Eathoredus pro illo functus est Episco- 781
patus officio. Æthelbertus Eboracensis Archiepiscopus Egberti successor obiit,cui Ean-
baldus in Archiepiscopatũ successit.Carolus Saxoniam capit. Synodus apud Acleam ce-
lebratur: Kineulfus Lindisfarnensis episcopus, & Wereburga Ceolredi quondam regis
Merciorum regina, obierunt.

804 14. Carolus secundo Romam perrexit, ibiq; baptizatus est filius eius Carlomannus, 782
quem Adrianus papa mutato nomine vocauit Pippinum.

15.Hil-

783 15 Hildegardis regina obiit, tres filios Carolum Pippinum, & Ludouicum, Carolo re- 805
linquens: pro qua Carolus Fastradam sociauit sibi in coniugium.

784 16 Ciclus solaris incipit. 4. concurrentibus bisextilibus. Kineulfus rex Occidentalium 806
Saxonum Clitonem Kinehardũ, regis videlicet Sigeberti germanum, suo de regno cum moliretur expellere, contigit illum villam, quæ Anglice Meretun dicitur, causa mulieris cuiusdam cum paucis adiisse. Quo cognito, suos Clito conglobauit illico, illoque festinus cum magno properauit gaudio. Quo cum venisset, & omnes alto sopori deditos inuenisset: cameram (in qua rex dormiens iacebat spissum) circumuallare suis præcipiebat. Quod rex vt comperit, strato prosilit, arma arripit, ostium cameræ aperit, & pugnando se impugnantibus viriliter resistit. Viso tandem Clitone in illum protinus irruit, eumque oppido vulnerauit. Cuius milites hæc videntes, simul omnes in regem insurrexere, vulneratumque interfecere. Exclamat mulier præ timore & dolore, impletque cameram flebili clamore. Accurrit paucitas militum, regem videt occisum, quem paulo ante reliquerat viuum. Quapropter iræ stimulis exagitata perplurimum, euaginatis machęris in eius interfectores magnum facit impetum. At illos Clito allocutus blandissime, promittit cuique non modicum pecuniæ, promittit etiam viuere si ab incœptis velint desistere. Illi vero promissa spernunt, cœptis insistunt, sed omnes (excepto vno Britonico obside nimis vulnerato) occidunt. Mane autem morte regis audita, Dux ipsius Ofricus (sibi amicissimus & Wiuerthus eius minister fidelissimus, cum omnibus quos rex pridie domi reliquerat, citatim aduolarunt, sed fores cunctas seratas inuenerunt. Quas dum moliuntur effringere, ad eos Clito accedens intrepide aurum, argentum, dignitates, iuxta suum velle spondet se eis daturum libenti animo, si se regali sublimare velint solio. Intimat etiam eis secum esse quamplurimos illis germanitate coniunctos, qui nullo pacto se abiicere, sed secum velint mori & viuere. At illi spretis promissis, cognatos summopere rogitant, vt abiecto suo domino incolumes ad se quantoties exeant. Quibus illi respondentes dixerunt Quod nobis offertis, sociis cum rege occisis prius obtulimus vestris. Verum sicut illi nostræ petitioni noluerunt acquiescere, ita & nos hac in re vestræ nolumus obtemperare. His auditis illi propius accedunt, portas effringunt, sepes diruunt, & Clitonem cum suis omnibus nunc-
19.84. interficiunt, excepto solo duntaxat Ducis filiolo, oppido tunc vulnerato. Corpus præfati regis Wintoniam humandum deportatur, Clitonis vero in monasterio quod Axanminster dicitur tumulatur.

785 17 Coniuratio Hardradi & Orientalium. Carolus pergit Italiam, qui matrem suam 807
Bertradam in basilica sancti Dionysii iuxta patrem humauit cum magna gloria. In loco qui lingua Anglorum Cealchithe dicitur litigiosa facta est Synodus, & idcirco modicam portionem suæ parochiæ archiepiscopus amisit Iainbertus. Defuncto Berthuno Dorcestrensi episcopo, Higebrihtus ab Offa rege Merciorum in episcopatum est electus: & Egferthus eiusdem regis natus, rex est consecratus.

786 18 Carolus tertio Romam perrexit: & signum crucis in vestibus hominum apparuit. 808
Lullus archiepiscopus Moguntinus obiit. 17. Cal. Nouemb. hora diei secunda. Ricolphus sibi successit annis. 27. qui basilicam sanctissimi martyris Albani à fundamentis inchoauit, mirifico opere perfecit, interiusque ditauit. Sanguis è cœlo & terra profluxit.

787 19 Carolus à Roma pergit ad sanctum Benedictum, & per Alamanniam venit ad Ba- 809
uariam. Filiam Offæ regis Eadburgam duxit vxorem Occidentalium Saxonũ rex Brihtricus. Cuius tempore Danici piratæ tribus cum nauibus Angliam adiere. Quorum aduentus dum regis præposito nunciatus fuisset, eos cum paucis festinus adiit. Cumq; penitus ignoraret qui essent vel vnde venissent, inuitos ad regiam minare villam molitus est, sed mox ab eis occisus est. Hi primi fuerunt, qui de Dania Angliam adierunt. 810

788 20. Synodus apud Pincanhale in Northimbria 4. Nonas Septemb. celebratur.

789 21 Carolus Sclauos, qui dicuntur (Wulzi) subegit. Rex Northanhimbrorum Alfwol- 811
dus, à quodam viro Sigano nomine. 9. Cal. Octobris iniuste perimitur, & in Ecclesia sancti Petri Hagustaldæ sepelitur. In cuius loco occisionis, sæpius cœlitus emissa lux apparuit immensa. Successit autem illi in regnum nepos suus Osredus, regis Alhredi filius.

790 22 Basilica sancti Bonifacii Fuldensis monasterii fundatur. Iainbertus Doruber- 812
nensis archiepisc. 2 Idus Augusti defunctus est, in cuius locum Æthelhardus abbas electus est. Osredo à Northimbrensib. regno expulso, Æthelredus frater Alfwoldi regnũ recepit.

791 23 Carol⁹ perrexit Pannoniã. Beadwlfus 16. Cal. Augusti Cãdidę casæ præsul ordinatur. 813

792 24 Carolus Auares subegit & Hunnorum regnum vastat. Osredus quem Nort- 814
himbrenses regno expulerant, capitur, & 18. Cal. Octobris iniuste occiditur, & in monasterio ad ostium Tinæ fluminis sepelitur.

25 Con-

815 25. Coniuratio Pippini contra patrem suum Carolum. Qui consilio detecto tonsuratur: & sociorum eius alii decollantur, alii suspenduntur. Glorioſissimus ac sanctissimus rex Orientalium Anglorum Ægelbrihtus, vero regi Christo bonarum virtutum merito acceptabilis, omnibus blando alloquio affabilis, Offæ præpotentis regis Merciorum detestanda iussione, suæque coniugis Cinedrithe reginę nefaria persuasione, regno vitaque priuatus est capitis abscisione: sed iniuste peremptus terrisque exemptus, magno tripudio angelorum rex & martyr intrauit curiam spirituum beatorum. Ordinatio Æthelhardi archiepiscopi. 12. Cal. Augusti. 793.

816 26. Hæresis Feliciana in Sinodo apud Franconofurtum habita damnatur. Fastrada regina de genere Germanorum obiit, & in monasterio sancti Albani ad aquilonalem plagam ante altare sanctæ Dei genitricis sepulta est: pro qua Carolus Luitgardam Alemannam duxit. Rex Nortimbrorum Æthelredus. 3. Cal. Maii à suis interficitur. Vnde Ceolulfus Lindisfarnensis ecclesiæ episcopus & Ædboldus antistites de regno illo exierunt. Eadbertus (qui & Pren) super Cantuarios regnare cœpit. Offa regi Merciorum. 4. Kal. Augusti defuncto, filius eius Egferthus in regni gloriam successit, & 141. diebus regnauit, eodemque anno vitam finiuit. Cui vir magnificus & sancta sobole fœlix, Kenulfus successit, qui in pace, iustitia, & pietate, regni gubernacula rexit. 794.

817 27. Adrianus papa obiit. 7. Cal. Ianuarii, quem Carolus vt fratrem vel charissimum filium planxit. 795.

818 28. Leo 95. papa, annis. 20. Quem Romani in Letania maiori captum excæcauerunt, & radicitus linguam eius abscinderunt. Qui in custodiam missus, noctu per murum euasit, & ad legatos Caroli Virundum abbatem & Witgisum Spolitanorum Ducem veniens, Spoletum ductus est, & inde ad regem Carolum in Saxoniam apud Paderbrunnam præsente Ricolpho episcopo Moguntino peruenit, à quibus summo honore susceptus est. Carolus vngitur in imperatorem à papa Leone. Kenulfus rex Merciorum totam pene Cantiam deuastauit, & eorum regem Pren cepit, ligatumque in Merciam secum duxit. 796.

819 29. Ciclus decennouenalis. 15. incipit, indictione 6.

820 30. Corpus sanctæ Wihtburgæ virginis filiæ Annæ regis Orientalium Anglorum, & sororis sanctarum virginum Sexburgæ Æthelburgæ ac Æthelthrithæ, sine corruptione inuentum est, post annos fere. 55. ex quo apud villam quæ Dirham vocatur humatum est, Ricolphus archiepiscopus consecratur. 4. Nonas Martii, die dominico, in monasterio beati Petri, quod est Friteslar. Wicciorum episcopus Eathoredus obiit: pro quo electus & consecratus est Denebertus. 797. 798.

821 31. Carolus legendi & psallendi disciplinam diligentissime emẽdauit. Dorobernensis archiepiscopus Æthelhardus, & Kinebertus Ventanæ ciuitatis pontifex, Romam adierunt. 799.

822 32. Carolus 4. vice Romam cum papa Leone pergit, ad reparandum (qui nimis turbatus erat) ecclesiæ statum, ibique hyemem transegit. Rex Occidentalium Saxonum Brihtricus obiit, & Egbertus successit. Eodem vero anno, quo rex Brihtricus vita decessit contigit Merciorum Ducem Æthelmundum de Mercia cum suis exiisse, vadumque (quod lingua Anglorum Kimeresford nominatur) transisse. Cuius aduentu cognito Wiltonienſium Dux Weolhstanus cum Wiltonienſibus ascendit contra eum. Cõmisloque graui prælio multi ex his & ex illis ceciderunt, amboq; Duces occisi corruerunt: victoriam vero Wiltonienses habuerunt. Alhmundus filius Alhredi regis Northimbrorum occiditur. 800.

823 33. Carolus à Romanis Augustus appellatur.

824 34. Amarmur Mulus rex Persarum, elephantem & alia munera misit Carolo imperatori. Higebaldus Lindisfarnensis episcopus obiit, pro quo Egbertus electus, ab Eanbaldo Eboracensi archiepiscopo. 3. Idus Iunii consecratur. Weremundo Hrofensis ecclesiæ præsule defuncto. Beornmodus consecratur pro eo. 801 802

825 35. Carolus pontem quingentorum passuum longitudinis trans Rhenum Moguntiaco constructit: tanta est enim ibi fluminis illius latitudo. Æthelhardus Dorobernensis archiepiscopus obiit, cui Wulfredus successit. 803.

826 36. Leo papa venit in Franciam. Wulfredus archiepiscopus à papa Leone pallium suscepit. 804.

827 37. Ecclesia sancti Albani dedicatur hoc anno. Cal. Decemb. Indictione. 13. qui est annus. 20. Ricolphi post acceptum episcopatum, octauus autem postquam episcopus est consecratus. Carolus filius Caroli imperatoris, Boemios vastat, Lethonem regem eorum occidens. Rex Cantuariorum Cuthredes, & Eabrihtus Comes, & Ceolburga abbatissa, obierunt. 805.

806 38. 818

807 39. Mortalitas maxima orta est in monasterio Fuldensi: adeo vt plurimi ipsorum mo- 819
nachorum morerentur.

808 40. Carolus religionem Christianã qua ab infantia fuit imbutus, sanctissime & piis- 830
sime docuit, circa pauperes eleemosynas deuotissime exercens.

809 41. Corpus sancti Bartholomei de insula Lipparitana transuectum, delatum est Be- 831
neuentum.

810 42. Pippinus filius imperatoris obiit. Maxima mortalitas boum totam pene vastauit 832
Europam. Carolus imperator antequam obiisset, crebra febre quadriennio corripitur.

811 43. Carolus primogenitus imperatoris obiit. Ipse vero imperator Carolus anno. 43. 833
regni eius in Francia, in Italia autem 36. imperii. 11. Indictione 4. thesauros & vestes cæteraque omnia diuisit in tres partes. Quarum duas partes in vnã & viginti partes totidem metropolitanis ciuitatibus, quæ in regno eius noscũtur, partitus est: quarum nomina sunt hæc 1. Roma. 2. Rauenna. 3. Mediolanum. 4. Forum Iulii. 5. Grandus. 6. Colonia. 7. Moguntiacus. 8. Iuuauum quæ & Salzburh. 9. Treueris. 10. Senones. 11. Vesontium. 12. Lugdunum. 13. Rotomagus. 14. Remis. 15. Arelatus. 16. Vienna. 17. Darantasia. 18. Ebrodunum. 19. Burdigala. 20. Turonis. 21. Bituriges. Vnusquisque autem metropolitanus episcopus vnam partem ecclesiæ suæ, & duas suffraganeis suis dare debuit. Tertia vero pars vel vsque ad obitum eius, vel vsq; dum vsu quotidiano carere vellet mansit ipsaq; postremo. 4. diuisionibus secuta est. Prima pars addita est ad. 22. supradictas. Altera secessit filiis & filiabus suis, ac nepotibus. Tertia distributa est pauperibus. Quarta seruis & ancillis, palatio famulantibus. Ad tertiam vero partem addita sunt vasa atq; vtensilia ex ære & ferro aliisq; metallis, cum armis & vestibus, & omnis supellex ad varios vsus, vt sunt cortinæ, stragula, tapetia, filtra, coria, sagmata, vt erogatio eleemosynæ ad plures peruenire potuisset. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, quod per hæreditatem sibi venit, integrũ seruari decreuit, exceptis si qua ipse capellæ eidẽ in vasis aut libris addidisset, quæ qui vellet emeret. Horum ergo pretium, atque librorum, quorum magnam copiam in bibliotheca sua habuit, pauperibus erogatur.

812 44. Wulfredus Dorouernensis archiepiscopus, & Wibertus Scireburnensis eccle- 834
siæ præsul, Romam perrexerunt.

813 45. Pons quem apud Moguntiacum per decem annos ingenti labore, & opere mira- 835
bili, de lignis Carolus rex constructit, adeo vt perpetuo durare posse videretur, anno vno ante obitum suum, ita tribus horis conflagrauit, vt ne vna quidem hastula super aquam remaneret. Pontem autem ipsum Ricolphus episcopus dicitur iussisse incendere, propter latrocinia quæ noctibus in eo exercebantur, dum homines spoliati in flumen ipsum iacti necabantur. Sed Kinehardus (qui vitam Caroli istius scripsit) hæc fortuito refert contigisse. Ricolphus archiepiscopus obiit, Haistulfus post eum successit annis vndecim. Carolus circa Cal. Nouemb. habito generali conuentu, vocauit de Aquitania Ludouicum filium suum, & die dominico cum post omnium cõsensum regem illum laudantium, eum commouisset, præcepit ei vt propriis manibus de magno altari Aquisgrani coronam imperii capiti suo imponeret, ob recordationem paternę admonitionis, & ita donatis magnis muneribus, Aquitaniam rediit. Imperator vero mense Ianuario post balneum febre corripitur. In qua cum. 7. dies laborasset, septimo die accepto corpore & sangine domini, vt confirmaret exitum suum, laborauit ipso die & nocte sequenti. Sequenti vero die luce aduẽniente, sciens quid facturus erat, manu dextra vt potuit signo sanctæ crucis totum corpus suum signauit, deindeq; colligens pedes, ac brachia super corpus extendens, clausisq; oculis hunc versum psallens. In manus tuas Domine commendo spiritum meum, in senectute bona obiit. 5. Cal. Februarii, Indictione. 7. anno ætatis suæ. 72. incarnationis domini secundum Dionysium 813. ibique Aquisgrani eadem die in basilica Saluatoris sanctæque Mariæ semper virginis, quam ipse ex fundamento mirifico opere constructit, sepultus est. Wulfredus archiepiscopus cum benedictione S. Papæ Leonis ad sui præsulatus sedem reuertitur. Eodem anno Egbertus rex Westsaxonum Occidentales Britones deuastauit.

ROMANORVM. 79. Ludouicus regnauit annis. 26. mensibusq; 11. 836

814 1. Ludouicus omnem iustitiam regni sui inquirens, restaurat. 837

815 2. Baogulfus abbas Fuldensis obiit. 8. Idus Iulii, iussumq; est vt omnes monachi cursum S. Benedicti cantarent. Ratgerus abbas successit Baogulfo, annis 5.

816 3. Exercitus Ludouici Sclauos superat: & Leo papa obiit, Anglorum schola Romæ 838
igne cremata est.

817 4. Ciclus. 16. decennouenalis incipit, Indictione. 10. Stephanus 96. Papa annis 3. 839
& men-

& mensibus.7. Iste obuiauit Ludouico in magno campo Remensium susceptus, sequenti die dominica coram omni populo vnxit eum in imperatorem: & coronam miræ pulchritudinis, quam secum detulerat, imposuit capiti eius, aliamque coronam capiti Irmingardæ reginæ, nominans eam Augustã. qui postea donatus magnis muneribus Romãrediit.

840 5. 818

841 6. Stephanus papa obiit. Monasterium sancti Bonifacii ad Fuldam dedicatur Calen. 819
Nouemb. Rex Merciorum S. Kenulphus, post multã bona (quæ in sua vita gessit) opera, ad beatitudinem quæ in cœlis est transiuit perennem, filiumq; suum Kenelmũ septennem regni reliquit hæredem. Sed paucis mensibus euolutis, germanæ suæ Quendrithæ insidiis, cuius sæuam conscientiam dira cupido regnandi armarat, ausu crudelitatis ab Asceberto nutritore suo cruciatissimo, in vasta syluaq; nemorosa sub arbore spinosa occulte traditur iugulo, verum qui solo teste cœlo est iugulatus, cœlo teste per columnam lucis postmodum est reuelatus. Abscinditur caput Kenelmi natalis & innocentiæ candore lacteum: vnde lactea columba aureis pennis euolat in cœlum. Post cuius fœlix martyrium, Ceolulfus regnum suscepit Merciorum. Defuncto Egberto Lindisfarnẽsi episcopo, Eathoredus successit.

842 7. Paschalis papa. 97. Ratgerus abbas obiit. 4. Idus Decembris, Euigil successit an- 820
nis. 5. Ludouicus imperator Britanniam subegit, Ducem eius Marcomannum occidens. Inde regrediens Irmingardam reginam febricitãtem inuenit: quæ & paulo post obiit. Ludouicus imperator in Ingelenheim villa regia generale suum placitũ habuit, & Iuditham filiam Welfi Ducis Bauariæ reginam sibi sociauit.

843 8. Rex merciorum Ceolulfus regno expellitur: & Beornulfus in regnum suscipitur. 821

844 9. Ludouicus imperator per exercitum suum Orientales Sclauos vastat, duce eorum 822
nomine Liduito fugato. Duces robustissimi Burhelmus & Muca occiduntur: & Synodus in loco qui dicitur Clouesho celebratur. Denebertus Wicciorum episcopus obiit, cui Heabertus successit.

845 10. Ludouicus imperator primogenito filio suo Lothario, placito generali habito, fi- 823
liam Hugonis Comitis coniunxit. Britones in loco qui dicitur Gafulford à Domnanien-sibus cæsi sunt. Rex Occidentaliũ Saxonum Egbertus & rex Merciorum Beornulfus in Ellandune, id est, in monte Eallæ, pugnã iniere, sed facta strage non modica, Egbertus potitur victoria. Vnde mox filium suum Athelulfum, & Alhstanum Scireburnensem episcopum, suumq; Ducem Wulfhardum cum magno exercitu Cantiam direxit. Qui statim vt illo venerunt, regem eiusdem prouinciæ Baldredum regno expulerunt. Posthæc Cantuarienses, Suthregienses, Australes Saxones, Orientales Angli, sponte se regi dederunt Egberto: ex cuius propinquorum manibus prius extorti, extraneorum regum ditioni per aliquot annorum curricula inuiti sunt subacti, Orientales Angli simul cum suo rege legatarios miserunt ad regem Westsaxonum Egbertum, supplicantes vt patronus illis & fortis esset murus contra infestinationem & impetum Mercensium. Qui petitioni illorum acquiescit, & se libenter eos adiuturũ in omnibus spopondit. Verũ hæc Beornulfus rex Merciorum vili pendens, exercitum collegit non modicum, illorumq; fines hostiliter intrauit, atq; neci optimum quemq; tradere festinauit. Contra quem rex eorum cum suis ascendit, initoq; prelio illum cum maxima parte sui exercitus interfecit. Cui propinquus suus Ludecanus in regnum successit.

846 11. Ludouicus imperator de placito generali Attinaco palatio, Lotharium filiũ suum 824
cum coniuge sua Irmingarda in Italiam direxit. Eugenius papa. 98. Haistulfus archiepiscopus Moguntinus obiit. Otgarius successit. Qui cum ad Italiam (ob discordiam filii) ab imperatore cum aliis directus, Papiam veniisset, quidam clericus cũ reliquiis S. Seueri Rauennæ vrbis episcopi, necnon vxoris eius Vicentiæ, filiæq; eius Innocentiæ, quasi furto abstulerat, ad eundem Otgarium se contulit, & ei quid egisset innotuit. Otgarius autẽ gaudens, easdem reliquias suscepit, & eas Moguntiacum secum adduxit, atq; in monasterio S. Albani, S. Vincentiã ad australem plagam, sanctam vero Innocentiam ad aquilonalem posuit, sanctũ vero Seuerũ iuxta altare S. Albani, cuius postea reliquias ad Erfesfurt transtulit.

478 12. Ludouicus imperator Britanniam vastat. Rex Merciorum Ludecanus sua mili- 825
tia coadunata, ad vlciscendum prædecessorem suum regem Beornulfum, in Orientalium Anglorum prouinciam mouit exercitum. Cui prouinicales illi cum rege suo festinato occurrerunt, cõsertoq; graui prælio illum & 5. duces eius exercitus, cum aliis quam pluribus occiderunt, reliquos vero fugauerunt: in regni autem gloriam ei Wiglafus successit.

848 13. Euigil abbas Fuldensis obiit, Rabanus successit. Legati Vulgariorum imperatori 826
munera portant.

827 14. Valentinianus. 99. papa Ludouicus imperator in Ingelenheim Haraldū regem 849
quondam Danorum de fonte baptiſmatis eleuauit, vxorem vero eius Iuditha regina ſuſcepit. cui magnam partem Freſonum dedit, & donis aliis ditatum cum legatis ſuis eum dimiſit. Sacroſancta nocte dominicæ Natiuitatis facta eſt eclipſis lunæ. Eodem anno rex Occidentalium Saxonum Egbertus, expulſo regno Wiglafo, regnum Merciorum ſuo ſubiecit imperio. Deinde ſuam mouit expeditionem vltra Humbri flumen. Cui Northimbrenſes (in loco qui Dore vocatur) occurrentes pacifice, ei concordiam humilemq; ſubiectionem obtulere: & ſic ab inuicem diuiſi ſunt magna mentis alacritate. Hic idē rex Egbertus octauus quidem in regibus gentis Anglorum, cunctis auſtralibus eorum prouinciis (& quæ Humbro fluuio ē contiguis ei terminis ſequeſtrantur à borealibus) imperauit. Nam primus imperium huiuſmodi Ælla rex Auſtralium Saxonum: ſecundus Ceolinus rex Occidentalium Saxonum, qui lingua ipſorum Ceaulin vocabatur: tertius Æthelbertus rex Cantuariorum: quartus Redwaldus rex orientalium Anglorum (qui etiam viuente Æthelberto eidem ſuæ genti Ducatum prębebat) obtinuit. Quintus Edwinus, rex Northanhimbrorum gentis, id eſt, eius quæ ad Borealem plagam inhabitant, maiore potentia cunctis, qui Britanniam incolunt, Anglorum pariter & Britonum populis præfuit, præter Cantuarios tantum: necnon & Meuanias Britonum inſulas, quæ inter Hyberniam & Britanniam ſitæ ſunt, Anglorum ſuſcepit imperio. Sextus Oſwaldus, & ipſe Northimbrorum rex Chriſtianiſſimus, eiſdem fideliter finibus regnum tenuit. Septimus Oſwius, frater eius, æqualibus pene terminis regnum nonnullo tempore coercens: Pictorum quoque atq; Scotorum gentes quæ ſeptentrionales Britanniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac tributarios fecit. Octauus (vt diximus) extitit rex Egbertus. Cuius (vt fertur) regni tempore ortus eſt beatus Swithunus nobili parentum ſtirpe. Qui tranſactis annis puerilibus à ſancto Helmſtano præſule Wintonienſis eccleſiæ, ſacris eſt gradibus inſignitus. Cui rex etiam Egbertus filium ſuum commendauit Æthelulfum literis ſacris erudiendum.

828 15. Ludouicus imperator dirigens exercitum cōtra Saracenos, fugauit eos. Rex Wi- 850
glafus regnum Merciorum recepit. Heathedo Lindisfarnenſi epiſcopo defuncto, Egredus ſucceſſit. Egbertus rex Weſtſaxonum in terram ſeptentrionalium Britonum exercitum duxit, & eos licet inuitos ſuo dominio ſubiugauit.

829 16. Ludouicus imperator Wormaciam veniens, Carolo filio ſuo ex Iuditha regina, 851
terram Alamannicam & Rheticam partemq; Burgundiæ dedit coram filiis ſuis Lothario Ludouico & Pippino, indeq; hi tres germani indignati ſunt. Corpora ſanctorum Valentini & Geneſii in Augeam inſulam. 6. Idus Aprilis venerunt. Dorobernenſis archiepiſcopus Wulfredus obiit.

830 17. Ceolnothus in gradum archiepiſcopatus electus & conſecratus eſt. 852

831 18. Gregorius papa. 100. Ceolnothus archiepiſcopus à Gregorio papa pallium ſuſce- 853
pit. Ludouicus Imperator de Aquiſgrani palatio venit ad Compendium, ibiq; filius ſuus Pippinus cum multis perfidis venit ei obuiam, volens eum de regno expellere: ſed æquiuocus imperatoris filius eius, contradixit. dicebant autem illi perfidi, Iuditham reginam violatam eſſe à quodam Duce Bernardo, qui erat de ſtirpe regali, mentientes omnia, ſicq; velantes eam, in monaſterium miſerunt, ſimiliterq; fratres eiuſdem reginæ Conradum & Rodulphum, tondentes eos. Quos omnes imperator eodem anno in Nouiomago caſtro ſuper flumen Valum ſito, cum veritate ſuperauit. Reginamque obuiantem ſibi ad Aquiſgranum præcepto Gregorii papæ, aliorumq; epiſcoporum, iuſto iudicio ſuſcepit.

832 19. Bernardus Dux in palatio Theodonis coram rege & duobus filiis eius Lothario 854
& Ludouico purificauit ſe de ſupradicto ſtupro, cum nullus auſus eſſet pro hoc armis cum eo decertare. Danici piratæ inhiatores præda, Sceapege deprædati ſunt.

833 20. Filii regis temptauerunt regnum patri auferre, quod & perfecerunt vbi obuiaue- 855
runt ei cum Gregorio papa in campo magno, qui eſt inter Argentinam & Baſalam. Tunc ſeparantes reginam ab eo, & mittentes eam in Italiam, in ciuitatem Dertunam, Pippinus in Aquitaniam, Ludouicus in Bauariam perrexit. Lotharius vero patrē ad Compendium palatium, & inde ad Aquiſgranum eum duxit, & in cuſtodia incluſit, ibique celebrauit Natale domini, patre adhuc incluſo. Rex Occidentalium Saxonum Egbertus apud Carrum cum. 35. nauibus piratarum pugnauit, ſed ſtrage magna facta Dani potiti ſunt victoria.

834 21. 856

835 22. Poſt Epiphaniam vero quia Ludouicus cum patre contra eum erat, Lotharius 857
compel-

compellit patrem secum ire ad compendium. Quem cum multitudine secutus est Ludouicus, & cum prope esset, fugit Lotharius. Ludouicus vero patrem duxit ad sedem regalē Aquisgrani, ibique pariter Pascha celebrauerunt. Dani multa cum classe in Occidentalium Britonum terram (quæ Curualia vocatur) appulerunt: cum quibus Britones fœdus paciscuntur, & eos secum ducentes, fines regni Egberti regis depopulantur. Quod ille audiens, festinanter copiā militum coadunauit, & in loco qui dicitur Hengestesdune, id est, Mons Hengisti, cū eis certamen iniit. Ex quibus multos trucidauit, reliquos vero fugauit.

858 23. Ciclus. 17. decennouenalis incipit, Indictione. 14. Egbertus rex Occidentalium 836
Saxonum obiit. Quem Offa rex Merciorum & Brihtricus rex Westsaxonum, antequam rex effectus esset, de Anglia expulerunt. Qui Franciam adiit, ibiq; per trienniū mansit: Inde Angliam rediit, & mortuo Brihtrico regni gubernacula (vt prælibauimus) suscepit. Cuius post mortem filius suus Æthelulfus in Westsaxonia regnare cœpit, suumq; filium Æthelstanum Cantuariis, Eastsaxonibus, Suthregiis & Suthsaxonibus regem præfecit.

859 24. Wulfhardus Dux apud Hamtun cum. 34. nauibus piratarum prælium gessit, & 837
ex eis multam stragem dedit, victorq; extitit, nec multo post vita decessit. In regione quæ vocatur Port cum Danis prælium iniit Dux Athelmus, Dorcestrensibus auxilium sibi ferentibus, eosq; diu fugere compulit, sed tamen in ipsa fuga ab eis vulneratus occubuit, Danicus vero miles victoriam habuit. Rege vero Æthelulfo regnante S. Helmstanus episcopus vita decessit: cui iussu regis beatus Swithunus successit.

860 25. Pauto diaconus palatii, lapsus est in Iudaismum. Dux Herebrihtus & cum eo 838
quamplures Merscuuariorum, à Danis Paganis occisi sunt. Eodemque anno in Lindissi prouincia, in Eastanglia, & in Cantia ab eodem exercitu multi sunt interfecti. Wiglafus rex Merciorum vita decessit. Cui in regnum Beortulfus successit.

861 26. Eclipsis solis facta est. 3. Nonas Maii. inter octauam & nonam horam, in vigilia 839
Ascensionis domini. In Lundonia & in Cuuentauuic, in ciuitate Hrofi sæpe dicti Pagani quamplurimos dederunt neci.

862 27. Ludouicus imperator, dum filium suum Ludouicum trans Rhenum persequeretur, morbo grauatus, naui per Meni flumen in Rhenum deductus, vix in insulam Ingelenheim perueniens, obiit ibi *11.* Cal. Iunii, & inde mense Martio asportatus, in basilica S. Arnulphi sepelitur: statimq; Lotharius Italia egressus, imperium arripuit. Æthelulfus rex Occidentalium Saxonum apud Carrum cum. 35. nauibus Danorum commisit prælium, sed Saxones Danica vicit fortuna. Temporibus Ludouici imperatoris floruit Theodulfus Floriacensium abbas, & Aurelianensium episcopus. Qui cum insimulatus multis criminibus apud imperatorem fuisset, Andegauis est exilio relegatus. Qui dum in Custodia teneretur, contigit vt ibidem die Palmarum veniret iam dictus Imperator. Et cum secus domum, qua custodiebatur ipse Theodulphus episcopus, processio pertransiret, facto silentio præsente Imperatore, illos pulcherrimos versus (qui nunc vsq; in eadem solennitate psalluntur) à se editos, per fenestram decantauit. Quorum hoc est exordium. 840

Gloria laus & honor tibi sit rex Christe redemptor:
Cui puerile decus prompsit Osanna pium.

Quibus imperator emollitus, mox eum à vinculis absolui præcepit, & priori gratiæ redonauit. Sed dum ad sua reuertitur veneno (sicut fertur) extinguitur. Cui successit in episcopatu Ionas vir venerabilis, qui contra Claudium Taurinensem episcopum hæresiarcham librum de adoranda cruce edidit. Dogmatizauit enim idē hęreticus crucis dominicę signum non oportere adorari, quod nisi adhibeatur frontibus nostris, siue aquis quibus regeneramur, aut crismati quo linimur, aut sacrificio quo vegetamur, nihil rite perficitur. Sed ei memoratus episcopus Ionas, satis lucide catholiceq; illo suo respōdit libello. Floruit etiam iisdem temporibus vir quidam, Rabanus nomine, qui & ipse de laude crucis librum diuersis schematibus decoratum metrice composuit.

ROMANORVM. 80. Lotharius, regnauit annis. *15.* Corpus S. Bartholomæi Apostoli Beneuentum delatum est.

863 1. Ludouicus vero & Carolus paterno regno priuati, apud Fontaniacum fratrem Lo- 841
tharium bello superant.

864 2. Tres supra dicti fratres regnum Francorum inter se diuiserunt. Carolus Occiden- 842
tem tenet à Britanniaco Oceano vsq; ad Mosam fluuium. Ludouicus suscepit Orientem, i.e. omnem Germaniā vsq; Rheni fluēta, & aliquas ciuitates trans Rhenum cū adiacentib. plagis propter copiā vini. Lotharius primogenitus & imperator, medium inter vtrosq; tenuit regnum, totam prouinciā, & omnia regna Italię cum ipsa Roma. Ab hoc Lothario, regnum Lotharingorum hactenus dicitur.

843 3. Gregorius papa obiit. 865

844 4. Sergius 101. papa. 866

845 5. Dux Eanulfus cum Sumerſetenſibus, & Ealſtanus Scireburnenſis epiſcopus, & 867
Dux Oſricus cum Dorceſtrenſibus, ad oſtium fluminis Pedridan, cum Danico exercitu pugnantes & ex eis non modicam ſtragem dantes, victorię palmam ſunt adepti. Defuncto Egredo Lindisfarnenſi epiſcopo, Egbertus ſucceſſit.

846 6. Otgarius archiepiſcopus Moguntinus obiit. Rabanus abbas Fuldenſis ſucceſſit. 868
Hatto ſucceſſit abbas ad Fuldam.

847 7. 869

848 8. Defuncto Wicciorum epiſcopo Heaberto, Alhunus ſucceſſit. 870

849 2. Angloſaxonum rex Alfredus, in illo pago qui nominatur Baroceſſire naſcitur, in 871
villa regia quę dicitur Wanating, qui pagus taliter vocatur à Berroc ſylua, vbi buxus abundantiſſime naſcitur. Cuius genealogia tali ſerie contexitur. Alfredus rex filius Æthelulfi regis qui fuit Egberti, qui fuit Alhmundi, qui fuit Eafæ, qui fuit Eoppæ, qui fuit Ingilfi. Ingilfus & Ina ille famoſus Occidentalium Saxonum rex germani duo fuerunt. Qui Ina perrexit Romam, & ibi vitam præſentem finiens, honorifice cœleſtem patriam (cum CHRISTO regnaturus) adiit. Qui fuerunt filii Coenredi, qui fuit Ceolwaldi, qui fuit Cuthæ, qui fuit Cuthwini, qui fuit Ceaulini, qui fuit KENRICI, qui fuit Cerdicii, qui fuit Eliſii, qui fuit Eslæ, qui fuit Gewiſii. A quo Britones totam illam gentem Gewiſam nominant. Qui fuit Wigæ, qui fuit Freawini, qui fuit Freodegarii, qui fuit Brandii, qui fuit Bealdegi, qui fuit Wodeni, qui fuit Frithewaldi, qui fuit Frealafi, qui fuit Fritheulfi, qui fuit Fiuni, qui fuit Godulfi, qui fuit Gætæ. Quem Gætam iamdudum Pagani pro Deo venerabantur. Qui fuit Cedwæ, qui fuit Beawæ, qui fuit Sceldwii, qui fuit Heremodi, qui fuit Itermodi, qui fuit Hathri, qui fuit Walæ, qui fuit Bedwigi, qui fuit Seth, qui fuit Noæ, qui fuit Lamech, qui fuit Matuſalæ, qui fuit Enoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaliel, qui fuit Caman, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam. Mater quoq; eiuſdem Osburga nominabatur, religioſa nimium fœmina, nobilis ingenio, nobilis & genere, quæ erat filia Oslaci famoſi pincernæ regis Æthelulfi, qui Oslacus Gothus erat natione. Ortus.n. erat de Gothis & Iutis, de ſemine ſcilicet Stufi & Wihtgari duorum fratrum, & etiam comitum, qui accepta poteſtate Vectæ inſulæ ab auunculo ſuo Cerdicio rege, & Kinrico filio ſuo conſobrino eorum, paucos Britones eiuſdem inſulæ accolas, quos in ea inuenire potuerunt, in loco qui dicitur Wihtgarabirig occiderunt. Cæteri enim accolæ eiuſdem inſulæ, ante aut
850 occiſi erant, aut exules aufugerunt. 872

10. Calendis Iunii, vigilia Pentecoſtes Bertferthus, filius regis Merciorum Bertulfi, ſuum cognatum iniuſte peremit S. Wiſtanum. Hic itaq; nepos duorum extitit regũ Merciorum: Nam pater eius Wigmundus, Wiglafi regis filius, mater vero Ælfleda Ceolulfi regis extitit filia. Corpus autem illius ad monaſterium tunc temporis famoſum (quod Reopedun nominatur) delatũ, in mauſoleo aui ſui regis Wiglafi eſt tumulatũ. Sed illius martyrio cœleſtia nõ defuere miracula. Nã deloco in quo innocẽter peremptus eſt, columna lucis vſq; cœlum porrecta, omnibus eiuſdem loci incolis per 30. dies conſpicua ſtabat.

851 11. Irmingardis regina vxor Lotharii obiit, tres ei filios relinquens, Lotharium Ludo- 873
uicum & Carolum. Ceorlus Domnanię Comes cum Domnaniis contra Paganos pugnauit, in loco qui dicitur Wigganbeoth, & Chriſtiani victoriam habuerunt. Et ipſo eodem anno primum hyemauerunt Pagani in Inſula quæ vocatur Sceapege, quod interpretatur Inſula ouium, quæ ſita eſt in Thameſi flumine inter Eaſtſaxoniam & Cantuarios, ſed & Cantiæ propior eſt quã Eaſtſaxoniæ, in qua monaſterum optimiũ conſtructũ eſt. Eodem quoq; anno magnus Paganorum exercitus cum 350. nauibus in oſtium Thameſis fluminis venit, & Doruberniam id eſt, Cantuariorum ciuitatem, & Lundoniam quæ ſita eſt in aquilonali ripa Thameſis fluminis, in confinio Eaſtſaxonum & Middelſaxonum, ſed tamen ad Eaſtſaxoniam illa ciuitas cum veritate pertinet, depopulati ſunt: & Beortulfum Merciorum regem cum omni exercitu ſuo, qui ad præliandum contra illos venerat, in fugam verterunt. His ibi ita geſtis, idem Paganorum exercitus perrexit in Suthregiam, qui pagus ſitus eſt in meridiana Thameſis fluminis ripa ab occidentali parte Cantiæ, & Æthelulfus Weſtſaxonum rex & filius ſuus Æthelbaldus cum omni exercitu, in loco qui dicitur Aclea, id eſt in campo quercus, diutiſſime pugnauerunt, ibique cum diu acerrime & animoſe ex vtraque parte pugnatum eſſet, maxima pars Paganæ multitudinis funditus deleta & occiſa eſt: ita qualiter nunquam in aliqua regione in vna die, ante nec poſt, ex eis occiſum eſſe audiuimus. Et Chriſtiani victoriã honorifice tenuerunt, & loco funeris dominati ſunt. Eodem quoq; anno Æthelſtanus rex & Ealcherus Comes magnum Paganorum exercitum in Cantia, in loco qui dicitur Sanwicus occiderunt, & ex nauibus eo-

tum, nouem naues ceperunt, cęteri per fugam elapsi sunt.

874 12. Rex Merciorum Beortulfus vita decessit, cui in regnum Burhredus successit. 852

875 13. Leo papa 102. post Petrum. Burhredus rex Merciorum, per nuntios deprecatus 853
est Æthelulfum Occidentalium Saxonum regem, vt ei auxilium conferret, quo mediterraneos Britones (qui inter Merciam & mare occidentale habitant) dominio suo subdere potuisset qui contra eum immodice reluctabantur. Nec segnius Æthelulfus rex (legatione eius accepta) exercitum mouens, Britanniam cum Burhredo rege adiit, statimq; vt ingreditur, gentem illam deuastans, dominio Burhredi subdit. Quo facto domum reuertitur. Eodem anno Æthelulfus rex præfatum filium suum Alfredum, magno nobilium & etiam ignobilium numero constipatum, honorifice Romam transmisit. Quem Leo papa (sui patris rogatu) oppido ordinans, vnxit in regem, & in filium adoptionis sibimet accipiens, confirmauit. Eodem quoq; anno Alcherus Comes cum Cantuariis & Huda cum Suthregiis contra Paganorum exercitum in insula, quæ Saxonice dicitur Tenet, Britannice Ruim, animose & acriter belligerauerũt, & primitus Christiani victoriam habuerunt, prolongatoq; diu prælio ibidem ex vtraque parte plurimi ceciderunt, & in aqua mersi suffocati sunt, & Comites illi ambo ibidem occubuerunt. Necnon & eodẽ anno rex Occidentalium Saxonum Æthelulfus, post Pascha filiam suam Burhredo Merciorum regi, in villa regia, quæ dicitur Cippenham, nuptiis regaliter factis ad reginam dedit.

876 14. Defuncto Egberto Lindisfarnensi episcopo, Eardulfus successit. 854

877 15. Ciclus. 18. decennouenalis incipit, indictione. 3. Rabanus archiepiscopus obiit. 855
Carolus ei successit. Lotharius imperator conuocatis primoribus regni, imperium inter filios suos diuisit: Ludouico quidem Italiam tradidit, eumq; in imperatorem nomine suo appellari fecit. Lothario vero regnum quod ex suo nomine vocatum est concessit. Carolo autem iuniori Hessorum prouinciam mandauit. qui ita disponens, seculum reliquit, & in Prumia monasterio veniens postquam habitum sanctę conuersationis monachorum suscepit, eodem anno 3. Cal. Octobris obiit. Magnus Paganus exercitus tota hyeme in præfata Sceapege insula hyemauit. Eodem anno Æthelulfus rex decimã totius regni sui partem ab omni regali seruitio & tributo liberauit, & in sempiterno graphio in cruce Christi, pro redemptione animæ suæ & anteceſſorum suorum, vni & trino Deo immolauit. Sicq; magno cum honore Romam perrexit, filiumq; suum Alfredum, quẽ plus cæteris dilexit, iterũ in eandẽ viam secũ ducẽs, ibi anno integro remoratus est. Quo peracto, ad patriã suã remeauit, afferens secum Iuditham, Caroli Francorum regis filiam. Interea tamen Æthelulfo rege vltra mare tantillo tempore immorante, quædã infamia contra morẽ omnium Christianorum, in occidentali parte Selwde orta est. Nam Æthelbaldus, rex & Ealstanus Scireburnensis ecclesiæ episcopus, Eanulfus quoq; Sumertunensis pagi Comes, cõiurasse referuntur, ne vnquã Æthelulfus rex à Roma reuertens, iterũ in regno reciperetur. Quod inauditum omnibus seculis ante infortunium, episcopo & Comiti solummodo perplurimi reputant, ex quorum cõsilio hoc factum esse perhibetur. Multi quoq; regali solummodo insolentiæ deputant, quia & ille rex in hac re & in multis aliis peruersitatibus pertinax fuit, sicut quorundam hominum relatu audiuimus, quod & rei sequentis approbauit effectus. Nam redeunte eo à Roma prædictus filius regis Æthelulfi, cum omnibus suis consiliariis, immo insiliariis, tantum facinus perpetrare ausi sunt, vt regem à regno proprio repellerent: quod nec Deus ita fieri permisit, nec nobiles totius Saxoniæ consenserunt. Nam ne irremediabile Saxoniæ periculum belligerante patre cũ filio, quin immo tota cum gente ambobus rebellantibus, atrocius & crudelius per dies singulos quasi clades intestina augeretur: ineffabili patris clementia, omniumq; astipulatione nobilium, adunatum antea regnum inter patrem & filium diuiditur & orientales plagæ patri, occidentales filio è cõtrario deputantur, vbi enim pater iusto iudicio regnare debuerat, illic iniquus & pertinax filius regnauit. Nam occidentalis pars Saxoniæ semper orientali principalior est. Aduenientegitur Æthelulfo rege à Roma, tota illa gens (vt dignum erat) in aduentu senioris ita gauisa est, vt (si ille permitteret) pertinacem filium suum Æthelbaldum cum omnibus suis consiliariis à totius regni sorte expellere vellent. Sed ille, vt diximus, nimia clementia & prudenti consilio vsus, ne ad regni periculum perueniret, ita fieri noluit: & Iudithã Caroli regis filiam, quam à patre suo acceperat, iuxta se in regali solio sine aliqua suorum nobilium controuersia & odio, vsque ad obitum vitæ suæ, contra peruersam illius gentis consuetudinem sedere imperauit. Gens namque Occidentalium Saxonum reginam iuxta regem sedere non patitur, nec etiam reginam appellari, sed regis coniugem permittit. Quæ controuersia (immo infamia), de quadam pertinaci & maleuola eiusdem gentis regina orta est, maioribus nostris sic attestantibus. Fuit in Mercia moderno

tempore quidam ſtrenuus rex nomine Offa: cuius filiam nomine Eadburgam Brihtricus Occidentalium Saxonum (vt prædiximus) ſibi in coniugium accepit. Quæ mox tyrannice viuere, omnia odibilia Deo & hominibus facere, quos poſſet ad regem accuſare, & ſic vita aut poteſtate per inſidias priuare: & ſi à rege illud non poſſet impetrare, veneno eos cœpit necare. Hoc factum de adoleſcẽte quodam regi dilectiſſimo habetur compertum, quem cum ad regem accuſare non poſſet, veneno eum necauit. De quo veneno etiã præfatus rex Brihtricus inſcienter guſtaſſe aliquid refertur. Neque enim illa venenum dare regi propoſuerat, ſed puero, ſed rex præoccupauit, vnde ambo periere. Pro huiuſmodi reginæ malitia omnes accolæ illius terræ coniurauerunt, vt nullum vnquam regem ſuper ſe regnare permitterent, qui reginam in regali ſolio iuxta ſe ſedere imperare vellet. Defuncto igitur Brihtrico rege, cũ regina inter Saxones diutius eſſe non poſſet, vltra mare nauigans cum innumerabilibus theſauris Carolũ illum famoſiſſimum Francorum regem adiit. Ad quem cum ante ſolarium multa regi offerens dona ſtaret, Carolus ait. Elige Eadburga quem velis, me aut filium meum, qui in iſto ſolario ſtat mecum. At ille ſine deliberatione, ſtulte reſpondens, ait. Si mihi electio conceditur, filium tuum in quantũ te iunior eſt eligo. Carolus illi reſpondens, & ſubridens, ait. Si me eligeres filium meum haberes, ſed quia filium meum elegiſti, nec me nec filium meum habebis. Dedit ei tamen vnum magnum ſanctimonialium monaſterium, in quo depoſito ſeculari habitu, & ſanctimonialium ſumpto indumento, perpaucis annis abbatiſſæ fungebatur officio. Nam à quodam laico conſtuprata, eiectaque monaſterio Caroli regis imperio, in paupertate & miſeria lethotenus vitam duxit. Vixit ergo Æthelulfus rex duobus annis poſtquam à Roma rediit. In quibus inter alia multa præſentis vitæ bona ſtudia cogitans de ſuo ad vniuerſitatis viam tranſitu, ne ſui filii poſt patris obitum indebite inter ſe diſceptarent, hæreditariam ſcribere imperauit epiſtolam. In qua & regni inter filios Æthelbaldum & Æthelbertum & propriæ hæreditatis inter filios & filiam & etiam propinquos, pecuniarum quæ poſt ſe ſupereſſent inter animam & filios & etiam nobiles ſuos diuiſionem ordinabiliter literis mandare procurauit. Pro vtilitate namque animæ ſuæ, quam à primæuo iuuentutis ſuæ flore in omnib. procurare ſtuduit, per omnem hæreditariam terram ſuam ſemper in decem Manentibus vnum pauperem, aut indigenam ant peregrinũ, cibo, potu, veſtimento, ſucceſſoribus ſuis vſq; ad vltimum diem iudicii poſt ſe paſcere præcepit, ita tamen ſi illa terra hominibus & pecoribus habitaretur, & deſerta non eſſet, Romę quoq; omni anno. 300. mancuſas denariorum portare præcepit: quæ taliter ibi diuiderentur, ſcilicet. 100. mancuſas in honore S. Petri, ſpecialiter ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius apoſtolicæ eccleſiæ, in veſpera Paſchæ & in gallicantu æqualiter, & 100. mancuſas in honore ſancti Pauli, eadem de cauſa. 100. quoque mancuſas vniuerſali Papæ apoſtolico. Defuncto autem illo Idibus Ianuarii & apud Wintoniam ſepulto, Æthelbaldus filius eius, contra Dei interdictum & Chriſtianorum dignitatem, necnon & contra omnium Paganorum conſuetudinem, thorum patris ſui aſcendens, Iuthitam Caroli Francorum regis filiam in matrimonium duxit, effrænisq; duobus ac dimidio annis Occidentalium Saxonum poſt patrem regni gubernacula rexit. Sanctiſſimus Deoq; acceptus Eadmundus, ex antiquorum Saxonum proſapia oriundus, fidei Chriſtianæ cultor veraciſſimus, omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratiæ procliuis, egentibus liberaliter dapſilis, pater clementiſſimus pupillis & viduis, Eaſtangliæ prouinciæ nactus eſt culmen regiminis.

ROMANORVM. 81. Ludouicus, qui & Lotharius, regnauit annis. 15.

856 1. 878
857 2. 879
858 3. Benedictus. 103. papa poſt Petrum. 880
859 4. 881
860 5. Meginradus eremita martyrizatur. Rex Æthelwaldus defunctus eſt, & in Scireburna ſepultus, & Æthelbertus frater ſuus, Cantiam, Suthregiam, Suthſaxan quoque ſuo dominio (vt iuſtum erat) ſubiunxit. In cuius diebus magnus Paganorum exercitus de mari aduenientes, Wintoniam ciuitatem hoſtiliter inuadens, depopulatus eſt. Cui cum ad naues cum ingenti prẽda reuerterentur, Oſricus Hantunenſiũ Comes cum ſuis, & Æthelulfus Comes cum Barrocenſibus viriliter obuiauerunt, cõſertoq; prælio Pagani paſſim trucidantur, & cum diutius reſiſtere non poſſent, muliebriter fugam arripiunt, & Chriſtiani loco funeris dominati ſunt. Æthelbertus itaque quinq; annis regno pacifice & amabiliter atq; honorabiliter gubernato, cum magno ſuorum dolore viam vniuerſitatis adiit, & in Scireburna iuxta fratrem ſuum honorifice ſepultus requieſcit. 882
861 6. Hatto abbas Fuldenſis obiit: & Thiodo poſt eum ſucceſſit. 883

7. San-

884 7. Sanctus transiuit Swithunus & astra petiuit, Indictione decima. 6. Nonas Iulii, feria quinta. 862

885 8 Carolus archiepiscopus obiit: Luitbertus post eum successit. Sanctus Nicolaus papa 104. 863

886 9 Lotharius imperator, eo quod Thieburgam reginam vxorem legitimam recusare vellet, quam exosam habebat propter Waldradam concubinam suam, quam cum adolescens erat in domo paterna nimio diligebat affectu: non parua res inde euenit. Fratres enim reginæ hęc Nicolao papæ Romę referunt, vnde Nicolaus papa Arsonium episcopum apocrisiarium suum & consiliarium vice sua in Franciam anno isto direxit. Quo cum venisset, conuocato, antequam protinus anathematis gladio feriretur, necessitate constrictus Lotharius, vellet nollet, reginam in matrimonium recepit: interposito iurisiurandi sacramento ne eã à se separaret, neq; ipsa viuente aliã super eam induceret. Sed postea proiecta regina & Waldrada pro ea inducta, sanctus papa Nicolaus in purificatione sanctæ Mariæ Waldradam anathematis sententia ab omni consortio sanctę ecclesiæ excommunicauit. Pagani hyemauerunt in insula Tenet, firmumque fœdus cum Cantuariis pepigerunt, quibus Cantuarii pecuniam pro fœdere seruando reddere promiserunt. Interea tamen vulpino more Pagani noctu clam castris erumpentes, fœdere dirupto, & promissionem pecuniæ spernentes, (sciebant enim maiorem pecuniam se furtiua præda quam pace adepturos) totam Orientalem Cantiæ plagam depopulati sunt. 864

887 10. 865

888 11. Æthelredus regis Æthelberti frater, Occidẽtalium Saxonum regni gubernacula suscepit. Eodem anno magna Paganorum classis de Danubio Britanniam aduenit, in regno Orientalium Anglorum (quod Saxonice Eastengle dicitur) hyemauit, ibiq; ille exercitus maxima ex parte equestris factus est. 866

889 12. Prædictus Paganorum exercitus de Orientalibus Anglis ad Eboracum ciuitatem migrauit, quæ in aquilonali ripa Humbri fluminis sita est. Eo tempore maxima inter Northanhimbros discordia diabolico instinctu orta fuerat: sicut semper populo qui odium incurrit euenire solet. Nam Northanhimbri eo tempore (vt diximus) legitimum regem suum Osbrihtum nomine, regno expulerant & tyrannum quendam (Ællam nomine) nõ de regali prosapia progenitum, super regni apicem constituerant: sed aduenientibus Paganis, consilio diuino, & optimatum adminiculo, pro communi vtilitate discordia illa aliquantulum sedata, Osbrihtus & Ælla adunatis viribus congregatoq; exercitu, Eboracum oppidum adeunt. Quibus aduenientibus Pagani confestim fugam arripiunt, & intra vrbis mœnia se defendere procurauerunt. Quorum fugam & pauorem Christiani cernentes, etiam intra vrbis mœnia eos persequi & murũ frangere instituunt, quod & fecerunt. Non enim tunc adhuc illa ciuitas firmos & stabilitos muros illis temporibus habebat. Cumque Christiani murum vt proposuerant fregissent, eorumq; magna pars in ciuitatem simul cũ Paganis intrassent, Pagani dolore & necessitate compulsi, super eos atrociter irrumpunt, cædunt, fugant, prosternunt intus & extra. Illic maxima ex parte omnes Northanhimbrẽsium cœtus occisi, duobus regibus deletis occubuerunt, reliqui vero qui euaserunt pacem cum Paganis pepigerunt. Eodem anno Ealstanus episcopus Scireburnensis ecclesię viam vniuersitatis adiens, postquam episcopatum per 50. annos honorabiliter rexerat, in pace in Scireburna sepultus est. 867

890 13. Ciclus solaris incipit. 4. concurrentibus bisextilibus. Cometis stella visa est manifestissime hoc anno. Venerabilis rex Alfredus, secundarii tamen, tunc ordine fretus, vxorem de Mercia nobilem scil. genere, filiam Æthelredi Gainorũ Comitis (qui cognominabatur Mucil) subarauit & duxit. Cuius fœminæ mater Eadburga nominabatur, de regali genere Merciorum regis, venerabilis scilicet fœmina, & per multos annos post obitum patris sui castissima vidua letho tenus permansit. Eodem anno prædictus Paganorum exercitus Northanhimbros relinquens, in Merciam venit, & Snotingaham adiit, quod Britannice Tigguocobauc interpretatur, latine autem speluncarum domus, & in illo loco eodem anno hyemauerunt. Quibus illic aduenientibus, confestim Burhredus Merciorum rex, omnesq; gentis eiusdem optimates nuncios ad Æthelredum Occidentalium Saxonum regem & ad fratrem eius Alfredum dirigunt, suppliciter obsecrantes vt sibi auxiliarentur, quo possent contra præfatum pugnare exercitum. Quod & facile impetrauerunt. Nã fratres non segnius promissione, cõgregato ex omni parte sui immenso exercitu, Merciã adeunt, & vsq; ad Snotingahã bellũ vnanimiter quęrẽtes peruenũt. Cumq; Paganitutione arcis muniti, bellũ dare negarẽt, & Christianis frangere murũ non suppeterebat: pace inter Mercios & Paganos facta, duo illi fratres Æthelredus rex & Alfredus cum suis 868

cohor-

cohortibus domum reuersi sunt. Oratorium sancti Andreæ Apostoli Kemesege cõstructum & dedicatum est ab Alhuno Wigornensi præsule.

869 14. S. Nicolaus papa obiit. 8. Idus Decemb. Præfatus Paganorum exercitus iterum 891
ad Northanhimbros equitans Eboracum ciuitatem adiit, ibiq; anno integro mansit.

870 15. Adrianus. 105. Papa Lotharius audita morte Nicolai papæ, misit ad papam Adria- 892
num, vt cum gratia eum susciperet. Cui rescripsit, vt si se immunem ab obiectis prædictis sciret, ad appetendam S. Petri benedictionem properaret: si culpabilem, vt ad condigna remedia pœnitentiæ nihilominus sine dilatione veniret. Qui cum Romam peruenisset, ab Adriano papa honorifice susceptus est, & cum à papa interrogaretur si præcepta S. Nicolai, immo S. Petri, & iusiurandum dominici corporis obseruasset, respondit se ita obseruasse omnia ac si diuinitus essent præcepta: quod etiã optimates & proceres sui attestati sunt. Cui papa: oportet te ergo (inquit) ô fili charissime corpus Christi nobiscum participare, vt per hanc participationem membris Christi, vnde abscissus videbaris, inseri merearis. Papa itaque cantata missa hora communicationis accipiens corpus Christi manibus suis, dixit Lothario: Si innoxius es à prædictis criminibus, remissio sit tibi hæc communicatio. Sin autem, nequaquam sumere præsumas, ne forte ad condemnationem tibi perueniat. Rex autem captus mente, obduratus pariter & obcæcatus, absque retractione cõmunicauit. Deinde papa sequacibus regis & fautoribus dixit singulis. Si in adulterio prædicto cum rege tuo non communicasti, hæc communio corporis Christi sit tibi in vitam æternam. Nullus autem qui in hoc scelere regi consensit & communicauit, post annum vixit. Lotharius vero imperator Roma egressus, morbo corripitur, & perueniens ad Placentiam ciuitatem obiit. 6. Idus Augusti. Inde etiam & in populo mortalitas maxima acta est. Cuius regnũ Ludouicus & Carolus senior, fratres eius, in loco Marsana iuxta Mosam, vna cũ proceribus & optimatibus suis, æquis partibus inter se diuiserunt. Carolus ad Heristellum perrexit, cuius palatium ei acciderat. Ludouicus ad Aquisgrani palatium rediit. Supra memoratus Paganorum exercitus per Merciam in Orientales Anglos transiuit, & ibi in loco (qui dicitur Theotford) hyemauit. Eodem anno sanctissimus ac gloriosissimus Orientalium Anglorum rex Eadmundus, vt in sua legitur passione, ab Inguaro rege Paganissimo indictione. 2. duodecimo Cal. Decemb. die dominico martyrizatus est. Quo etiã anno Ceolnothus Dorobernensis archiepiscopus defunctus, in eadem ciuitate in pace sepultus est. Cui vir venerandus Æthelredus successit.

ROMANORVM. 82. Ludouicus, filius Ludouici vel Lotharii, regnauit annis. 4.

871 1. Exosæ memoriæ Paganorum exercitus, Orientales Anglos deserens, regnum Oc- 893
cidentalium Saxonum adiens, venit ad villam regiam quæ dicitur Readingum, in meridiana Thamesis fluminis ripa sitam, in illo pago qui dicitur Bearrocscire. Tertioque aduentus sui die duo Comites eorum cum magna illius parte in prædam equitauerunt, aliis vallum inter duo flumina Tamesan & Kinetan, à dextra parte eiusdem villæ regiæ facientibus. Quibus Æthelulfus Bearrocensis pagi Comes, cũ suis, in loco, qui anglice Englafeld, latine Anglorum campus dicitur, obuiauit: vbi animose pugnatum est ex vtraque parte. Cumque ibi diu vtrique resisterent, altero Paganorum Comite occiso, & maxima exercitus parte deleta, cæterisque fuga elapsis, Christiani victoriam accipientes, loco funeris dominati sunt. His ibi ita gestis, post quatuor dies Æthelredus rex & Alfredus frater eius, adunatis viribus, congregatoque exercitu, Redingum adierunt. Cumque vsque ad portam arcis peruenissent, cædendo & prosternendo quoscunque de Paganis extra arcem inuenissent, Pagani non segnius certabant lupino more, totis portis erumpentes, totis viribus bellum perquirunt, ibique diu & atrociter ex vtraque parte dimicatum est. Sed (proh dolor) Christianis demum terga vertentibus, Pagani victoriam accipentes, loco funeris dominati sunt, ibique Æthelulfus præfatus Comes inter cæteros occubuit. Quo dolore & verecundia Christiani commoti, iterum post, 4. dies contra præfatum exercitum, in loco qui dicitur Æscesdun, quod latine Mons fraxini interpretatur, totis viribus & plena voluntate ad prælium prodeunt. Sed Pagani in duas se turmas diuidentes, æquali testudine bellum parant. Habebant enim tunc duos reges, multosque Comites, concedentes mediam partem exercitus duobus regibus, & alteram omnibus Comitibus. Quod Christiani cernentes, & etiam ipsi exercitum in duas turmas diuidentes, testudines non segnius construunt. Sed Alfredus citius & promptius cum suis ad locum prælii venit. Nimirum erat enim tunc suus frater Æthelredus rex in tentorio in oratione positus, audiens missam, nimiumque affirmans se inde non discessurum antequam sacerdos missam finiret, & diuinum pro humano nolle deserere seruitium: & ita fecit. Quæ regis Christiani fides multum apud deum valuit, sicut aptius declarabitur in sequentibus. Decreue-

rant

rant ergo Christiani, vt Æthelredus rex cum suis copiis contra duos Paganos reges sumeret prælium, Alfredus vero suus frater, cum suis cohortibus contra omnes Paganorum Duces belli sortem sumere debere sciret. Quibus ita firmiter ab vtraque parte dispositis, cum rex in oratione diutius moraretur, & Pagani parati ad locum certaminis citius adueniissent. Alfredus tunc Secundarius, cum diutius hostiles acies ferre non posset, nisi aut bello retrorsum cederet, aut contra hostiles copias ante fratris aduentum in bellum prorumperet, demum viriliter (pristino more) Christianas copias contra hostiles exercitus, vt ante proposuerant (quamuis rex adhuc non venerat) dirigens, diuino fretus consilio & fultus adiutorio, testudine ordinabiliter condensata, confestim contra hostes vexilla mouet. Tandem rex Æthelredus finitis quibus occupatus erat orationibus aduenit, & inuocato magno mundi principe, mox se certamini dedit. Sed in hoc loco nescientibus intimandum est, quod ille locus certaminis belligerantibus inæqualis erat. Nam Pagani editiorem locum præoccupauerunt, Christiani ab inferiori loco aciem dirigebant. Erat quoque in eodem loco vna spinosa arbor, breuis admodum, circa quam hostiles inter se acies cum ingenti omnium clamore, illi perperam agentes, isti pro vita & dilectis atque patria pugnaturi, hostiliter conueniunt. Cumque aliquandiu animose nimiumq; atrociter hinc & inde vtriq; pugnarent, Pagani diuino iudicio Christianorum impetum diutius non ferentes, maxima parte suorum occisa, opprobriosam fugam cepere. Quo in loco alter de duobus Paganorum regibus, & quinq; Comites occisi occubuerunt, & multa millia illorum in eodem loco, & insuper per totam campestrem Æscesdun latitudinem vbique dispersa & occisa corruerunt. Cecidit ergo illic Bagsegt rex, Sidroc senex Comes, Sidroc iunior Comes, Osbernus Comes, Freana Comes, Haraldus Comes: & totus Paganorum exercitus vsque ad noctem, & etiam vsque ad diem sequentem, quousq; ad arcem qui euaserant peruenerunt, in fugam versus est. His ibi ita gestis, iterum post. 14. dies Æthelredus res vna cum fratre Alfredo, adunatis viribus contra Paganos pugnaturus, Basengas adiit, quibus hostiliter conuenientibus, & diu simul certantibus, Pagani victoria potiuntur. Rursus duobus euolutis mensibus rex Æthelredus & frater eius Alfredus cum Paganis, qui se in duas diuiserant turmas, apud Meretun pugnantes, diu victores existũt, aduersariis omnibus in fugam versis. Sed illis in prælium redeuntibus, multi ex his & ex illis corruunt, & Pagani victoriã accipientes, loco funeris dominantur. Eodem anno post Pascha rex Æthelredus, regno. 5. annis per multas tribulationes strenue atque honorabiliter cum bona fama gubernato, viam vniuersitatis adiens. 9. Cal. Maii, in Winborna sepultus est, vbi aduentum domini primamque cum iustis resurrectionem expectat. Quo defuncto, supra memoratus Alfredus, qui vsq; ad id tempus venientibus fratribus suis fuerat Secundarius, totius regni gubernacula diuino concedente nutu, cum summa omnium illius regni accolarum voluntate confestim suscepit. Cuius de infantilibus & puerilibus moribus hoc in loco breuiter inserendum esse existimauimus. Communi itaq; & ingenti patris sui & matris amore, supra omnes fratres suos immo ab omnibus nimium diligebatur, & in regio Curto semper inseparabiliter nutriebatur. Accrescente vero infantili & puerili ætate, cunctis fratribus forma decentior, vultu verbis atque moribus gratiosior videbatur. Sed (proh dolor) suorum parentum & nutritorum incuria vsq; ad 12. ætatis annum illiteratus permansit. Saxonica tamen poemata die noctuque solers auditor, relatu aliorũ sæpissime audiens, docibilis memoriter retinebat. In omni venatoria arte incomparabilis omnibus peritia & felicitate, sicut & in cæteris omnibus Dei donis fuit. Cum ergo quadã die mater sua sibi & fratribus suis quendam Saxonicum poematicæ artis librum, quem in manu habebat ostenderet, ait: Quisquis vestrum discere citius istum codicem poterit, dabo ei illũ. Qua voce immo inspiratione instinctus Alfredus, & pulchritudine principalis literæ illius libri illectus, ita matri respondens inquit. Vere ne dabis istum librum vni ex nobis, scilicet illi, qui citissime intelligere & recitare ante te possit? Ad hæc illa arridens, dabo inquit illi. Tunc ille statim tollens librum de manu sua, magistrum adiit, & legit. Quo lecto, matri retulit & recitauit. Post hæc cursum diurnum, psalmos quosdam, & orationes multas didicit. Quæ omnia in vno libro congregata, in fino suo die nocteque orationis gratia, inter omnia præsentis vitæ curricula vbique circumducebat. Sed (proh dolor) quod maxime desiderabat, liberalem scilicet artem, desiderio suo non suppetebat, eo quod illo tempore grammatici in toto regno Occidentalium Saxonum non erant. Cum autem in primo iuuentutis suæ flore mentem suam in Dei mandatis stabilire vellet, seq; à carnali desiderio abstinere nõ posse cerneret, ne offensam Dei incurreret si aliquid contrariũ voluntati illius perageret, sepissime galli cãtu & matutinis horis clã cõsurgens, ecclesias & reliquias sanctorũ orãdi causa visitabat, ibiq; diu prostratus orabat: quo Deus omnipotens

propter

propter ſuam miſericordiam mentem illius amore ſuæ ſeruitutis per aliquam infirmitatem, quam poſſet ſuſtinere, non tamen quo eum indignum & inutilem in rebus mundanis faceret, corroboraret. Cumque hoc ſæpius magna mentis deuotione ageret, poſt aliquantulum interuallum fici dolorem Dei munere incurrit. In qua diu & ęgre per multos annos roborans ſe, etiam de vita deſperabat. Sed quodam tempore diuino nutu cum Corunbiam venandi cauſa adiret, & ad quandam eccleſiam orandi cauſa diuertiſſet, in qua ſanctus Guerur requieſcit: ſanctus etiam Niotus ibidem pauſat, diu in oratione tacita proſtratus, Dei miſericordiam deprecabatur, quatenus pro ſua immenſa clementia ſtimulos præſentis & infeſtantis infirmitatis aliqua qualicunq; leuiori infirmitate mutaret, ea tamen conditione vt corporaliter exterius illa infirmitas non appareret, ne deſpectus & inutilis eſſet. Oratione finita, cœptum iter arripuit, & non multo poſt tempore, vt in oratione deprecatus fuerat, ſe ab illo dolore medicatum eſſe diuinitus ſenſit, ita vt funditus eradicaretur. Sed (pro dolor) eo amoto alius infeſtior in nuptiis eum arripuit, qui à 20. ætatis ſuæ anno vſq; ad 45 & eo amplius illum die nocteq; inceſſabiliter fatigauit. Nati ſunt ergo ei filii & filiæ de ſupradicta coniuge ſua Ealſuitha, Egelfleda primogenita, poſt quam Eadwardus, deinde Æthelgeoua, poſtea Alfritha, deinde Æthelwardus natus eſt. Æthelfleda adueniente matrimonii tempore, Æthelredo Merciorum Comiti matrimonio copulata eſt. Æthelgeoua monaſticæ vitæ regulis deuota, Deo virginitate ſubiuncta & conſecrata, diuinum ſubiit ſeruitium. Æthelwardus omnibus iunior literariæ diſciplinæ diuino cõſilio, admirabiliq; regis prouidẽtia, & omnes pene totius regionis nobiles & etiã ignobiles, ſub diligenti magiſtrorum cura traditi ſunt, vt antequã aptas humanis artibus vires haberent, liberalibus inſtruerentur artibus. Edwardus & Alfritha ſemper in curia regia nutriti, non ſine liberali diſciplina: inter cætera præſentis vitæ ſtudia, pſalmos, & Saxonicos libros maximeq; Saxonica carmina ſtudioſe didicere. At rex Alfredus inter bella & præſentis vitæ frequentia impedimenta, necnon Paganorũ infeſtationes, & quotidianas corporis infirmitates regni gubernacula regere, omnem venandi artem agere, aurifices & artifices ſuos omnes, falconarios, accipitrarios, canicularios quoque docere, ædificia ſupra omnem anteceſſorum ſuorum conſuetudinem venerabiliora & pretioſiora noua ſua machinatione facere, Saxonicos libros recitare, & maxime Saxonica carmina memoriter diſcere, aliis imperare, ſolus aſſidue pro viribus non deſinebat. Miſſam quotidie audire, pſalmos quoſdam, & orationes, horas diurnas & nocturnas celebrare, & eccleſias nocturno tempore orandi cauſa (clam ſuis) adire ſolebat, & frequẽtabat. Eleemoſynarũ dator largiſſimus, omniũ affabiliſſimus, & iucundiſſimus, ignotarũ rerum inueſtigator ſolertiſſimus. Frãci autẽ multi, Friſones, Galli, Pagani, Briones, Scoti, & Armorici, ſpõte ſuo ſe dominio ſubdiderant, nobiles ſcilicet & ignobiles: quos nos omnes ſicut propriã gentem ſecundũ ſuã dignitatẽ regebat, diligebat, honorabat, pecunia & poteſtate ditabat. Epiſcopos quoq; ſuos, omnemq; eccleſiaſticum ordinem, Comites, ac nobiles ſuos, miniſteriales etiam & omnes familiares admirabili amore diligebat. Filios quoq; eorũ qui in regali familia nutriebãtur, nõ minus propriis diligens, omnibus bonis morib. inſtituere, & literis imbuere ſolus die nocteque inter cætera non deſinebat. Cumque regnare prope (quaſi inuitus) vno menſe impleto cœperat, nimirum .n. non putabat ſe niſi diuino fultũ auxilio, tantam Paganorum non poſſe ſolum ſuſtinere auſteritatem: quin etiam viuentibus ſuis fratribus cum magna multorum detrimenta ſuſtinuiſſet, contra vniuerſum Paganorum exercitum in monte, qui dicitur Wiltun, qui eſt in meridiana ripa fluminis Guilon, de quo flumine totus ille pagus nominatur, cum paucis & nimium inæquali numero acerrime belligerauit. Et cum hinc inde vtriq; hoſtiliter & animoſe non parua diei parte pugnarent, Pagani ad integrum ſuum periculum cernentes, & hoſtium infeſtationem diutius non ferentes, terga in fugam verterunt. Sed (proh dolor) per audaciam perſequentium decipientes, iterum in prælium prodeunt, & victoriam capientes, loco funeris dominati ſunt. Nec hoc cuiquã mirabile videatur, quod Chriſtiani paruum in prælio numerum habebant. Erant enim Saxones maxima ex parte in vno anno octo contra Paganos præliis populariter attriti, vnus rex Paganorum & nouem Duces cum innumeris cohortibus occiſi periere, exceptis quotidianis nocturniſque irruptionibus innumerabilibus, quos rex Alfredus & ſinguli Duces illius gentis cum ſuis, etiamq; perplures Miniſtri regis contra Paganos infatigabiliter exercebant. In quibus frequentiſſimis irruptionibus. quot millia Paganæ expeditionis occiſa perierunt, niſi ſoli Deo incognitum eſt exceptis his qui in octo prædictis præliis trucidati ſunt. Eodem quoque anno Saxones cum eiſdem Paganis ea conditione vt ab eis diſcederent, pacem pepigerunt: quod & impleuerunt.

872 2. Adrinus papa obiit. Iohannes. 806. papa. Defuncto Wicciorum epiſcopo Alhun, 894 ſanctæ

sanctę Wigorniēsis ecclesiæ nutritus,& vir in diuinis scripturis doctissimus Werefrithus. 7. Idus Iunii, die Pentecostes, ab Æthelredo, Doroberniæ archiepiscopo antistes est ordinatus. Qui imperio regis Alfredi libros Dialogorum beati papæ Gregorii de latinitate primum in Saxonicam linguam elucubratim &elegantissime transtulit. Hunc eundem,& processu temporis Pleigmundum genere Mercium Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopum, venerabilem scilicet virum sapientia præditum, sacerdotes quoque genere Mercios Æthelstanum,& Werulfum quam optime literis instructos, idem rex ad se de Mercia vocauit, multisque honoribus & potestatibus extulit, quo cum in desiderata, immo in discēda literarum scientia adiuuarent. Legatos etiam vltra mare ad Galliam direxit, inde sanctum Grimbaldum sacerdotem & monachum, virum venerabilem, cantorem optimum, ecclesiasticis disciplinis & in diuina scriptura eruditissimum, omnibusque bonis moribus ornatum: Iohannem quoq; æque presbyterum atq; monachum acerrimi ingenii virum: Asserum etiam de Occiduis & vltimis Britanniæ finibus è monasterio sancti Dewii aduocauit. Quorum omnium doctrina & sapientia regis desiderium ita indies crescebat, & implebatur, vt in breui librorum omnium notitiam haberet. Præfatus exercitus Paganorum Lundoniam adiit, ibique hyemauit, cum quo Mercii pacem pepigerunt.

895 3. Ictu fulminis Wormacia comburitur. Ludouico imperatore Romam veniente, 873
ibique conuentum faciente coram papa Iohanne, Adalgisus dux Beneuentanus Græcorum persuasibus corruptus, & contra Ludouicum imperatorem manum eleuans, à Senatu tyrannus & hostis reipublicæ proclamatur, bellumq; contra eum decernitur. Thiodo abbas Fuldensis obiit. Sigehardus successit. Sæpe memoratus exercitus Lundoniam deserens, in Northanhimbrorum regionē perrexit,& ibi hyemauit in pago qui dicitur Lindesig, cum quo iterum Mercii pacem pepigerunt.

896 4. Ciclus decennouenalis. 19. incipit, Indict. 7. Ludouicus imperator obiit,& Caro- 874
lus senior rex Galliæ Romā perrexit. supra memoratus exercitus Lindesig deserens, Merciam adiit,& hyemauit in loco qui dicitur Reopedun. Burhredum quoq; Merciorum regem regnum suum deserere,& vltra mare exire, Romamq; adire contra voluntatem suam coegit, anno 22. regni sui. Qui postquā Romam adierat, non diu viuens ibi defunctus est, & in schola Saxonum in ecclesia sanctæ Mariæ honorifice sepultus, aduentum domini, primamque cum iustis resurrectionem expectat. Post cuius expulsionē Dani piratę totum Merciorum regnum suo dominio subdiderunt, quod tū miserabili conditione cuidā insipienti Ministro, cuius nomen erat Ceolulfus, eo pacto custodiendum commendauerunt, vt qualicunq; die vellent id sibi pacifice resignaret: quib. in eadē conditione obsides dedit, & iurauit nullo modo se voluntati eorū contradicere velle, sed obedientē in omnibus esse.

ROMANORVM. 83. Carolus, regnauit annis. 2.

897 1. Carolus Romam perueniens, datis Iahanni papæ & Romanis magnis muneribus, 875
imperator factus est. Ludouicus rex, frater Caroli, apud Franconfurt palatiū obiit. 6. Cal. Septēb. sepultusq; est in monasterio S. Nazarii Lorassan, qui ex regina nomine Emma tres filios habuit, id est. Carlomannum Arnulfi patrem, & Ludouicum, Carolumq; iuniorem, postea imperatorem. Carolus ergo senior & imperator audiens mortem fratris sui, ad Aquisgrani palatium, & inde post paucos dies Coloniam est profectus. Carlomannus vero primogenitus Ludouici, fines Italiæ intrauit, quia Carolus senior inde recessit. Carolus autem frater eius in Alamannia morabatur. Porro Ludouicus qui ad obitum patris fuit, apud Frauconfurt principalem sedem Orientalis regni residebat. Qui quoq; Carolum seniorem. 8. Idus Octobris, in pago Moinensę nomine Ripuariā non longe ab Andrenato Castello iuxa Rhenum contra se pugnantem. 50. amplius millibus superauit. Deinde tres fratres in loco qui dicitur Sualifelt inter se regnū paternum diuiserunt. Carlomannus Baiuariam Pannoniam Corinthiam, & regna Sclauorum Beheimensiū: Ludouicus Orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam, Fresiam, partemq; regni Lotharii: Carolus Alamāniam & aliquas ciuitates regni Lotharii tenuit. Supra memoratus sæpe exercitus Reopedun deserens, in duas se diuisit turmas. Cuius altera pars cum Haldeno in regionem Northanhimbrorum perrexit, ibiq; hyemauit iuxta fluuium qui dicitur Tyna, & totam Northanhimbrorum regionem suo subdidit dominio, necnon Pictos & Stratdutenses depopulati sunt. Altera vero pars cum Guthrun & Oskitello & Amundo tribus Paganorum regibus, ad locum qui dicitur Grantebrigge peruenit, ibique hyemauit. Eodem anno Alfredus rex nauali prælio in mare contra sex naues Paganorum belligerauit,& vnam ex eis cepit, cæteris per fugam elapsis.

898 2. Carolus imperator Romam secūndo profectus est, & ab vrbe Roma in Bracham 876
reuersus, Bosoni germano suo, Richildis Reginæ filio, Irmingardam filiam Ludouici im-

peratoris cum magna gloria vxorauit, deditque ei prouinciam, & corona capiti eius imposita regem eum iussit appellari, & inde euolutis paucis diebus papiam ingreditur. In qua cũ publicam rem disponeret, repente nunciatum est ei Carlomannum cum ingenti armatorum multitudine Longobardorum regna intrasse: qui mox pauore solutus Ticinum Padumq; pertransit, summoq; annisu in Gallias repedare contendit. Sed priusquam Alpium præminentia iuga angustaque itinera attingeret, ægritudine tunditur, de qua protinus. 2. Nonas Octobris obiit. Cuius corpus sui in feretro extra Italiam leuauerunt, sed ob intollerabilem fœtorem eius, compulsi sunt illud terræ commendare. Post aliquantos autem annos ossa eius translata sunt, & Parisiis in monasterio sancti Dionysii sepulta. Sæpe memoratus Paganorũ exercitus noctu de Grantebrig exiens, castellum quod dicitur Werham intrauit, vbi monasterium Sanctimonialium inter duo flumina Fraw & Trentam & in pago qui Saxonice dicitur Dornseta tutissimo situ terrarum situm est, nisi ab occidẽtali parte tantummodo, vbi contigua terra est. Cum quo exercitu Alfredus rex fœdus firmiter & ea conditione vt ab eo discederent pepigit: cui ille exercitus electos obsides (quantos ipse nominauit) sine vlla controuersia dedit, necnon sacramentum in omnibus reliquiis quibus ille rex maxime post Deum confidebat iurauit, in quibus nec alicui genti prius iurare voluit se citissime de regno suo exiturum. Sed more suo solita fallacia vtens, & obsides & iuramentum atque fidem promissam non custodiẽs, nocte quadam fœdere rupto, omnes equites quos rex habebat occidit. Versusq; inde alium locum, qui Saxonice Eaxanceastre, Latine ciuitas Exæ dicitur, quę in orientali ripa fluminis eiusdem sita est, prope mare meridianum, quod interluit Galliam Britanniamq;, inopinate adiit. Quem collecto exercitu rex Alfredus est insecutus, sed quia ciuitatem iam intrauerat illum assequi non poterat: veruntamen quot & quantos voluit obsides ab eis extorsit, firmumq; cum eis fœdus pepigit, quod illi tempore non modico bene custodierunt, ibidemq; hyemauerunt. Eodem anno Paganus rex Haldenus Northanhimbrorum regionem sibimet & suis diuisit, illamq; cum suo exercitu coluit. Rollo cum suis Normanniam penetrauit. 15. Cal. Decembris.

ROMANORVM. 84. Post Carolum, regnauit filius eius Ludouicus, qui etiam appellabatur Balbus, eo quod impeditioris erat eloquii, annis duobus.

877 1. Paganus exercitus apud Werham cum classe relictus, Eaxanceastre venit, sed priusquam illuc peruenisset. 120. naues ex eis marina tempestate submersæ sunt Instante vero Autumni tempore Paganorum pars apud Eaxanceastre resedit, pars Merciam adiit. Cuius portionem aliquam Ceolulfo, cui eam custodiendam (vt prædictum est) commiserat, dedit: aliquam vero inter se distribuit. 899

878 2. Ludouicus Balbus obiit, tres filios relinquens, id est duos, Ludouicum & Carlomannum ex puella nomine Ansgrada, pro qua ipsa interdicta à Carolo patre suo, quia sine consilio eius duxit eã, pater sibi vxorẽ Adelheidam coniunxit, quæ post mortẽ viri genuit filium nomine Ain, id est Carolũ. Supra memoratus sæpe exercitus, deserens Cippanham, villam regiam, quæ sita est in sinistrali parte Wiltunscire adiit, ibique hyemauit, & multos eiusdẽ gentis vltra mare compulit hostiliter ex penuria atq; pauore nauigare, maximaq; ex parte omnes regionis illius habitatores suo se subdiderũt dominio. Eodẽ tẽpore rex Alfredus cum paucis suis nobilibus, & etiam cum quibusdam fasellis, per syluestria & granuosa Sumertunensis pagi loca, in magna tribulatione vitam inquietus ducebat. Nihil enim habebat quo vteretur, nisi quod à Paganis vel etiam à Christianis, qui se Paganorum subdiderant dominio, frequentibus irruptionibus, aut clam aut palam subtraheret. Eodem anno frater Inguari & Haldeni cum. 23. nauibus de Demetica regione (in qua hyemauerat) post multas ibi Christianorum strages factas, ad Domnaniam enauigauit, ibique à ministris regis cum mille. 200. infœlici exitu perperam agens occisus est ante arcem Cynuit, quia in eadẽ arce multi ministri regis cum suis se concluserant confugii causa. Verum Pagani cum arcem imparatam, atque omnino immunitam, nisi quod mœnia nostro more erecta solummodo haberet, cernerent, non enim effringere moliebantur quia ille locus situ terrarum tutissimus est ab omni parte nisi ab Orientali, obsidere eam cœperunt, putantes homines illos manum cito daturos, fame, siti, & obsessione coactos, quia nulla aqua illi arci contigua est: quod non ita vt putabant euenit. Nam Christiani antequam talem penuriam omnino paterentur, diuinitus instigati, multoq; melius iudicantes aut mortẽ aut victoriã mereri, diluculo super Paganos ex improuiso irrumpunt & à primo tempore hostes hostiliter cum rege suo maxima ex parte (paucis ad naues per fugam elapsis) prosternunt. Eodem anno post Pascha Alfredus rex cum paucis fecit arcem in loco qui dicitur Æthelingaeig, & de ipsa arce semper cum fasellis Sumertunensibus Paganos infatigabiliter debellauit: iterumq; in septima hebdomada post Pascha, ad Petrã Egbrihti, quæ est in

Orien-

Orientali parte saltus qui dicitur Sealwdu, Latine autem Sylua magna, equitauit, ibique obuiauerũt illi omnes accolę Sumertunensis, Wiltunensis, & Hamtunensis pagi, qui non vltra mare pro metu Paganorum nauigauerant, visoq; rege, sicut dignum erat, quasi rediuiuum post tantas tribulationes recipientes, immenso repleti sunt gaudio, ibiq; castra metati sunt vna nocte. Diluculo vero sequenti rex inde castra commouens, venit ad locum qui dicitur Ecglea, & ibi vna nocte castrametatus est. Inde sequenti die vexilla commouens, venit ad locum qui dicitur Ethandun: vbi contra Paganorum exercitum vniuersum cum densa testudine atrociter belligerans, animoseq; diu persistens, diuino nutu tandem victoria potitus est, & Paganos maxima cæde prostrauit. Fugientes vero vsq; ad arcẽ persecutus est, & omnia quę extra arcem inuenit, homines scilicet equos, & pecora cõfestim cædens, homines subripuit, & ante portas arcis Paganicæ cum omni exercitu suo viriliter castra metatus est. Cumq; ibi. 14. dies moraretur, Pagani fame, frigore, timore, & ad extremum desperatione perterriti, pacem, ea conditione, petierunt, vt rex nominatos obsides quantos vellet, & ille nullum eis daret, ita tamen qualiter nunquam cum aliquo pacẽ ante pepigerãt. Quorum legatione audita rex suapte misericordia motus, nominatos quantos voluit obsides ab eis accepit: quibus acceptis Pagani insuper iurauerunt se citissime de suo regno exituros, necnon Guthrum rex eorum Christianitatem subire, & Baptismũ sub manu regis Alfredi accipere promisit. Quæ omnia ille & sui vt promiserant, impleuerunt. Nam post hebdomadas. 7. Guthrum Paganorũ rex cum. 30. electissimis de exercitu suo viris ad Alfredum regẽ prope Æthelingaeig in loco qui dicitur Aalr peruenit, quẽ rex in filium adoptionis sibi suscipiens, de fonte sacri baptismatis eliminauit, & nomen ei Æthelstanum imposuit. Cuius chrismatis solutio octauo die in villa regia quæ dicitur Weadmor fuit, qui postquam baptizatus fuit. 12. noctibus cum rege permãsit, cui rex cum suis omnibus multa ædificia & optima largiter dedit.

ROMANORVM. 85. regnauit Carolus minor, annis decem post primum eius introitum in Italiam.

901 1. Carolus iunior filius Ludouici, Italiam primum intrauit, frater Carolomãni & Ludouici. Prędictus Paganorum exercitus de Cipanham (vt promiserat) consurgens, Cirencestre adiit, quæ est in meridiana parte Wicciorum, ibiq; per vnum annũ mansit. Eodem anno magnus Paganorum exercitus de vltramarinis partibus nauigans in Thamesim fluuium venit, adunatusq; est superiori exercitui, sed tamẽ hyemauit in loco qui dicitur Fullanham iuxta flumen Thamesis. Eodem anno eclipsis solis inter nonam & vesperam, sed propius ad nonam facta est. Defuncto Dunberto Wintonienſi episcopo, successit Deneulfus. Hic (si famæ creditur) ad multam ętatem non solum literarum expers, sed etiam subulcus fuit. Cum rex Alfredus hostium violentiæ cedens, & in syluam profugus, casu sues pascentem offendit, eius comperto ingenio, literis informandum tradidit, & postmodum perfectius institutum creauit Wintoniæ præsulem, commentus rem dignam miraculo. 879

902 2. Boso germanus Caroli senioris, occupare regnum nitens, à filiis Balbi fugatur. Supra memoratus Paganorum exercitus Cirenceſtre deserens, ad Orientales Anglos perrexit, ipsamq; regionem diuidens cœpit inhabitare. Eodem anno exercitus Paganorum qui in Fullanham hyemauerat, Britannicã insulam deserens, iterumq; vltra mare nauigans, ad Orientalẽ Franciã perrexit, & per vnum annũ in loco qui dicitur Gendi, i. e. Gent, mansit. 880

903 3. Carolomãnus maior, rex Bauariæ, pater Arnulfi, obiit paralysi, sepultusq; est in Bauaria in villa Odingas. Ludouicus vero frater eius, possidens suũ regnũ, concessit Arnulfo Carinthiã, quam ei pater pridie dedit. Exercitus Paganorũ sæpedictus in Franciam perrexit, cõtra quẽ Franci pugnauerunt, finitoq; prælio Pagani equis inuẽtis, equites facti sunt. 881

904 4. Carolus iunior de Alemannia egressus, Longobardorumq; fines possidens, in paucis diebus totam Italiam accepit, Romamq; perueniens à papa Iohanne & Senatu fauorabiliter acceptus, & cum magna gloria oleo consecrato vnctus, imperator creatur. Præfatus exercitus Paganorum suas naues per flumen quod dicitur Mese sursum tanto longe in Franciam pertraxit, ibique vno anno hyemauit. Eodem anno rex Alfredus nauali prælio contra Paganicas naues in mare congressus est, ex quibus duas cepit, occisis omnibus qui in eis erant, duarumq; aliarum nauiũ duo principes cum omnibus suis sociis valde prælio vulneribusq; fatigati, depositis armis, curuo poplite & supplicibus precib. dederunt se regi. 882

905 5. Ludouicus rex, frater imperatoris, obiit apud Franconfurt. 13. Cal. Septembris, sepultusq; est Loraſſan, vbi etiã pater eius. Præfatus exercitus naues suas per flumen quod dicitur Scaldad, contra flumen nauigans, ad monasterium quod dicitur Candath, traxit & ibi anno vno mansit. Assero Scireburnensi episcopo defuncto, succedit Suithelmus: qui regis Alfredi eleemosynam ad S. Thomam Indiam detulit, indeq; prospere rediit. 883

884 6. Ludouicus filius Balbi obiit apud S. Dionysium, vbi & sepultus est. Cuius regnum 906
frater eius Carlomannus tenuit. Marinus. 107. papa. Hic scholam Saxonũ in Roma morantium, pro amore & deprędicatione Alfredi Anglosaxonum regis, ab omni tributo & telonio benigne liberauit: qui etiam multa dona prædicto regi illa vice transmisit. Inter quæ dedit ei non paruam illius sanctissimæ crucis partem, in qua Dominus noster Iesus Christus pro hominum salute pependit. Memoratus exercitus Paganorum Sunni fluminis ostium intrans, Embenum vsque nauigauit, ibidemque anno vno mansit.

885 7. Marinus papa obiit. Agapitus. 108. papa. Paganorum exercitus præfatus in duas se 907
turmas diuisit, vna etenim in Orientalem Franciam perrexit, altera vero turma ad Britanniam veniens, Cantiam adiit, ciuitatemque quæ Rhoueceſtre Saxonice dicitur, in orientali ripa fluminis Medweaig sitam obsedit. Ante huius portam Pagani castellum firmum subito fabricauerunt, nec tamen illam ciuitatem expugnare potuerunt, quia ciues illi se viriliter defenderunt, quousque rex Alfredus cum magno exercitu adiutorium illis collaturus superuenit, & tunc Pagani relicta arce sua, omnibus que equis quos de Francia secũ adduxerant derelictis, maxima necnon captiuorum suorum parte dimissa, adueniente subito rege, ad naues suas cõfestim confugiunt. Saxones vero derelictos à Paganis captiuos & equos statim diripiunt. Pagani itaque magna necessitate compulsi, eadẽ æstate rursus Frãciam adierunt. Eodem anno Alfredus Anglosaxonum rex classem suã de Cantia, plenam bellatoribus in Orientales Anglos dirigens, prædandi causa transmisit. Cumq; ad ostium Sturi fluminis venissent, confestim. 16. naues Paganorum ad bellum paratæ obuiauerunt eis, initoque nauali prælio hinc & inde acriter pugnantes, Pagani omnes occisi, & omnes naues cum omni pecunia eorum captæ sunt. Cumq; inde victrix regia classis rediret, Pagani qui Orientalem Anglorum regionem inhabitabant, cõgregatis vndecunq; nauibus, eidem regiæ classi in ostio fluminis in mari obuiauerunt, confertoque nauali prælio Pagani victoriam habuerunt. Regem Occidentalium Francorum Carlomannum, aprum venatione agentem, singulari congressione horrendo dente singularis dilacerans ferus, miserabili funere percussit. Cuius frater Ludouicus tertio anno ante defunctus est, qui & ipse erat Francorum rex. Ipsi etenim ambo filii Ludouici regis Francorũ erant, qui supra memorato anno, quo eclipsis solis facta est, defunctus est. Ipse quoq; Ludouicus filius Caroli Francorum regis erat, cuius filiam Iuditham Æthelulfus Occidentalium Saxonum rex, ad reginam sibi paterna voluntate suscepit. Præsenti quoq; anno magnus Paganorum exercitus de Germania, in regionem antiquorum Saxonum superuenit, contra quos adunatis viribus iidem Saxones & Frisones bis in vno anno viriliter pugnauerunt. In quibus duobus bellis Christiani diuina misericordia opitulante, victoriã habuere. Eodem insuper anno Carolus Alamannorum rex, Occidentalium Francorum regnum, & omnia regna quæ sunt inter mare Thirrenum, illumq; marinum sinum, qui inter antiquos Saxones & Gallos adiacet, voluntario omnium consensu accepit, absq; Armoricano regno. Qui Carolus Ludouici regis filius erat. Ipse vero Ludouicus germanus fuit Caroli regis Francorũ, patris Iudithæ prædictæ: qui duo germani fuerunt filii Ludouici, Ludouicus vero ille filius Pippini. Eodem quoq; anno Paganorum exercitus, qui in Orientalibus Anglis habitauit, pacem, quam cum Alfredo rege pepigerat, opprobriose fregit.

886 8. Carlomannus filius Balbi obiit, & sepultus est apud S. Dionysium cũ fratre & auo. 908
Memoratus sæpe exercitus Paganorum, Orientali Francia derelicta, iterum in Occidentalium Francorum regionem venit, & in ostium fluminis, quod Sequana dicitur, intrans, contraque longe nauigans Parisiam ciuitatem adiit, ibiq; hyemauit. Quam ciuitatem anno illo integro obsedit, sed Deo misericorditer fauente, munitionem irrumpere non potuit. Eodem anno Alfredus Anglosaxonum rex, post incendia vrbium, stragesque populorum, Lundoniam ciuitatem honorifice restaurauit, & habitabilem fecit, quam etiã Æthelredo Merciorum Comiti seruandam commendauit. Ad quem regem omnes Angli & Saxones, qui prius vbique dispersi fuerãt, aut cum Paganis sine captiuitate erant, venerunt, & voluntarie suo se dominio subdiderunt.

887 9. Adrianus. 109. papa. Carolus imperator corpore & animo cœpit ægrotare, & mẽ 909
se Nouembri circa Transitum sancti Martini Tributas villam veniens, conuentum cõuocauit. Tunc cernẽtes optimates regni imperatorẽ non solũ virib. corporis, sed etiam animi defecisse, Arnulfum, Carlomanni filiũ, vltro in regnum attrahunt, & ab imperatore in triduo ita deficiunt, vt cum illo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impẽderet. Cibus tantum & potus ex Luithberti Moguntini archiepiscopi sumptibus ei dabatur: cui supplicanti Arnulfus aliquantos in Alamannia fiscos concessit. Prædictus Paganorũ exercitus, ciuitatẽ Parisiam derelinquens incolumem, eo quod sibimet aliter proficere

non

non poterat, classem suam contra Sequanam longe remigando tamdiu direxit, donec ad ostium fluminis, quod Meaterne nominatur peruenisset, tunc Sequanam deferentes in ostium fluminis Meaterne diuertunt. Contra quod diu ac longe nauigantes, demum non sine labore vsque ad locum qui dicitur Caziei, id est villa regia, peruenerunt, in quo loco anno integro hyemauerunt, Sequenti anno in ostium fluminis, quod dicitur Iona, intrauerunt nō sine magno regionis damno, & illic remorati sunt vno anno. Eodem anno Carolus Francorum rex viam vniuersæ carnis adiit, sed Arnulfus filius fratris sui, sexta antequam defunctus esset hebdomada, illum regno expulerat. Quo statim defuncto, quinque reges ordinati sunt, & regnum in quinque partes diuisum est, sed tamen principalis sedes regni ad Arnulfum iuste & merito pertinuit, nisi solummodo quod in patruū suum indigne peccauit. Cæteri quatuor reges fidelitatem & obedientiam Arnulfo, sicut dignum erat, promiserunt. Nullus enim illorum quatuor regum hæreditarius illius regni erat in paterna parte, nisi solus Arnulfus. Quinque itaque reges confestim Carolo moriente ordinati sunt, sed imperium penes Arnulfum remansit. Talis ergo illius regni extitit diuisio. Arnulfus Orientales regiones Rheni fluminis, Rodulfus quoq; internam partem regni, Oda, Occidentalium regnum, Berengarius & Witha Longobardiam, necnon & illas partes quæ in illa parte montis sunt. Nec tamen tanta & talia regna inter se pacifice seruauerunt. Nam bis pleno prælio inter se belligerauere, illaq; regna persæpe inuicem deuastauere, & vnusquisq; alterum de regno expulit. Eodē quoq; anno Athelelmus Wiltoniensium Comes, Alfredi regis & Saxonum eleemosynas Romam deportauit. Quo etiam anno sæpe memoratus Alfredus Anglosaxonum rex, diuino instinctu legem & interpretari simul vno eodemq; tempore primitus inchoauit, in sancta videlicet beati Martini Turonensis episcopi solennitate. Erat itaque rex ille, quamuis in regia potestate constitutus, multis tribulationum clauis confossus. Nam (vt diximus) à vicesimo ætatis anno, vsq; ad quadragesimum quintum, & eo amplius, grauissima incogniti doloris infestatione incessanter fatigabatur, adeo vt ne vnius quidem horæ securitatem haberet, quo aut illam infirmitatem non sustineret, aut sub illius formidine lugubriter constitutus non desperaret. Prætereà assiduis exterarum gentium infestationibus, quas sedulo terra mariq; sine vllius quieti temporis interuallo sustinebat, inquietabatur. Quid loquar de frequentibus contra Paganos expeditionibus, de bellis, de incessabilibus regni gubernaculis, de ciuitatibus & vrbibus renouandis, & aliis vbi nunquam antea fuerant construendis, de ædificiis aureis & argenteis incomparabiliter illo edocente fabricatis, de aulis & cameris regalibus lapideis & ligneis suo iussu mirabiliter constructis, de villis regalibus lapideis antiqua positione mutatis, & in decentiorib. locis regali imperio decentissime constructis? Diuino sane fultus adminiculo solus regni gubernaculum semel susceptum, titubare ac vacillare, quamuis inter fluctiuagas ac multimodas præsentis vitæ turbines, non sinebat. Nam assidue suos episcopos, Comites, ac nobilissimos sibiq; dilectissimos Ministros, & præpositos suos, leniter docendo, hortando, imperando, ad vltimum inobedientes post longam patientiam acrius castigando, vulgarem stultitiam & pertinaciam omnimodo abominando, ad suam voluntatem, & ad communem totius regni vtilitatem sapientissime attrahebat. At si inter regalia exhortamenta, propter pigritiam populi imperata non implerentur, aut tarde incepta tempore necessitatis ad vtilitatem exercentium minus finita non peruenirēt, vt de castellis ab eo impatis adhuc nō inceptis loquar, aut nimiū tarde inceptis ad perfectū finē non perductis, & hostiles copiæ terra mariq; irrūperent, tunc cōtra dictores imperialiū definitionū sera pœnitētia attriti, regalia se præcepta incuriose despexisse doluere, regalemq; sapientiā collaudātes, q; antea refutauere, totis virib. implere pmisere. Inter cætera quę idem rex gessit bona, duo construi imperauit monasteria: vnum monachorum in loco qui dicitur, Æthelingaeig, vbi diuersi generis monachis coadunatis, primitus Iohannem presbyterum & monachum genere Ealdsaxonum, abbatem constituit. Aliud quoq; monasterium iuxta orientalem portam Sceastesbyrig habitationi sanctimonialium habile idem rex ædificari imperauit, in quo propriam filiam Ægelgeouam deuotam Deo virginem Abbatissam constituit, quæ duo monasteria terrarum possessionibus, omnibusque diuitiis locupletatim ditauit. Ad hæc etiam dimidiam partem omnium diuitiarum, quæ annualiter ad eum cum iustitia acquisitę peruenire consueuerant, Deo deuote & fideliter se daturum spopondit, quod mira mentis alacritate sapienter adimplere studuit. Denique consilio diuinitus inuento, omnium vniuscuiusq; anni censuum successum bifarie primitus ministros suos diuidere æquali lance imperauit. His ita diuisis, partem primam in tres portiones sequestrari præcepit. Quarum primam suis ministris nobilibus, qui in cultu regio vicissim commorabantur in pluribus ministrantes ministeriis, annualiter largiebatur.

In tribus namq; cohortibus prefati regis satellites prudẽtissime diuidebantur, adeo vt prima cohors vno mense in cultu regio die nocteq; administrans cõmoraretur: mense q; finito, & alia cohorte adueniente, prima domum redibat, & ibi propriis quasi necessitatibus studens, duobus commorabatur mensibus. Secunda itaque cohors mense peracto, aduenientetertia, domum redibat, vt ibi duobus commoraretur mensibus: sed & illa finito vnius mensis ministerio, & adueniente prima cohorte domum redibat, ibidem duobus cõmoratura mensibus. Hoc ordine omni vitæ suæ tempore talium vicissitudinum in regali cultu rotabatur administratio. Secundam vero partem operatoribus, quos ex multis gentibus collectos vel etiam comparatos propemodum innumerabiles habebat, in omni terreno ædificio edoctos. Tertiam autem aduenis ex omni gente ad eum venientibus, longe propeq; positis, & pecuniam ab illo exigentibus, etiam & non exigentibus mirabili dispensatione hilariter impendebat. Secundam autem partem omnium diuitiarum suarum, quę annualiter ad eum ex omni censu perueniebant, in. 4. æquas partes curiose suos ministros diuidere imperauit, ea conditione, vt prima pars pauperibus vniuscuiusque gentis, qui ad eum veniebant discretissime erogaretur, secũdam duobus monasteriis, quæ ipse fieri imperauerat, & in his Deo seruientibus: tertiam scholę, quam ex multis gentis suę nobilibus, & etiam pueris ignobilibus studiosissime congregauerat: quartam circumfinitimis in omni Saxonia & Mercia Monasteriis: & etiam quibusdam annis per vices in Britannia, Cornubia, Gallia, Armotica, Northimbria, & in Hybernia, ecclesiis secundum possibilitatem suam distribuit. His ita ab eo ordinabiliter dispositis, dimidiam etiam partem seruitii mentis & corporis, in quantũ infirmitas, possibilitas, atq; suppetentia permitteret, diurno scilicet ac nocturno tẽpore, totis viribus se redditurũ Deo spopõdit. Vnde excogitare cœpit qua ratione promissum voti sui tenorem letho tenus incõmutabiliter conseruare posset. Tandem inuento vtili discretoque consilio, sibi ceram sufficientem offerri, & ad denarios pensare in trutina præcepit. Cumq; tanta cera mensurata fuisset quæ. 72. denarios pensaret, sex candelas, vnamquamq; æqua lance capellanis suis inde facere mandauit, ita vt vnaquęq; candela. 12. vncias pollicis in se signatas in longitudine haberet. Itaque hac reperta ratione, sex illæ candelæ per. 24. horas die nocteq; sine defectu coram multorum sanctorum reliquiis, quæ semper cum eo vbiq; comitabantur, ardebant. Erat præterea rex idem in exequendis iudiciis (sicut in cæteris, aliis omnibus rebus) discretissimus indagator. Nam omnia pene totius regionis suæ iudicia, quæ in absentia sua fiebant, sagaciter inuestigabat, qualia fierent iusta aut etiam iniusta, aut si aliquam in illis iudiciis iniquitatem intelligere posset, leniter illos ipsos iudices, aut per se ipsum aut per alios suos fideles, quoslibet interrogabat, quare tam nequiter iudicassent: vtrum per ignorantiam, aut propter aliam quamlibet maleuolentiam, id est vtrum pro aliquorum amore, vel timore, aut odio, aut etiam pro alicuius pecuniæ cupiditate. Deniq; si illi iudices profiterentur, propterea se talia iudicasse, eo quod nihil rectius de his rebus scire poterant, tunc ille discrete ac moderate illorum imperitiam, & insipientiam redarguens aiebat, ita inquiens. Nimium admiror vestram hanc insolentiam, eo quod Dei dono & meo sapientum ministerium & gradum vsurpastis, sapientiæ autem studiũ operamq; neglexistis. Quapropter aut terrenarũ potestatum ministeria (quæ habetis), illico dimittatis, aut sapientiæ studiis multo deuotius quam hactenus insistere, mando, studeatis. Quibus verbis auditis perterriti, ac veluti pro maxima vindicta correcti, Comites ac præpositi, ad æquitatis discendæ studium totis viribus se vertere nitebantur, adeo vt mirum in modum illiterati ab infantia Comites pene omnes præpositi ac Ministri literatoriæ artis studerent, malentes insuetam disciplinam laboriose discere quam potestatum ministeria dimittere. Verum si aliquis liberalibus studiis aut præsenio, vel præ nimia inusitati ingenii tarditate proficere non valeret, suum, si haberet, filium, aut etiam aliquem propinquum suum, vel etiamsi aliter non haberet suum proprium hominem librum vel seruum, quem ad lectionem longe ante promouerat, libros ante se die nocteque (quandocunq; vllam haberet licentiam) Saxonicos imperabat recitare. Ipsi vero senes nimium suspirantes, intima mente dolebant, eo quod in iuuentute sua talibus studiis non studuerant, fœlices arbitrantes huius temporis iuuenes, qui liberalibus artibus fœliciter eruditi poterant, se vero infœlices existimantes, qui nec has in iuuentute didicerant, nec etiã in senectute quamuis inhiãter desiderarent, discere poterant.

ROMANORVM. 86. Arnulfus, regnauit annis. 12.

888 1. Arnulfus compositis in Francia fœliciter rebus, in Bauariam reuertitur. Carolus imperator obiit. 2. Idus Iunii, sepultusq; est in Augia insula. 910

889 2. Basilius. 110. papa. Luithbertus archiepiscopus obiit. Sunderoldus succedit. Mortuo autẽ Carolo, quædã pars populi Italici Berengariũ filiũ Eburhardi, qui Ducatum Foroiulia- 911

roiulianorū tenebat,regē ſibi conſtituit: quidā vero Guidonē filium Lanberti, Ducē Spolitanorū, regia dignitate decernunt ſubleuandū. Sed poſt multas ſtrages inter eas factas. Guido victor exiſtens, Berengarium regno expulit. Dux nobilis Becca nomine, Alfredi regis & Weſtſaxonum eleemoſynam Romam detulit. Eodem anno ſoror regis Æthelſuitha, Burhredi regis Merciorum regina eſt defuncta, & apud Ticinum ſepulta. Quo etiam anno Dux Æthelwoldus, & Dorobernēſis archiepiſcopus Æthelredus in vno menſe obierunt. Cui in archiepiſcopatu ſucceſſit Pleigmundus, literis inſigniter inſtructus.

912 3. Stephanus. *III.* papa S. Edalricus Auguſtenſis epiſcopus naſcitur. 890

913 4. Abbas Beornhelmus Alfredi regis & Weſtſaxonum eleemoſynam Romam portauit. Guthrum rex Northmānicus, quē, vt præfati ſumus, de ſacro fonte rex ſuſcipiēs Alfredus, nomen ei Æthelſtani impoſuit, hoc anno obiit. Hic in Orientali Anglia cū ſuis habitauit, & prouinciā illam poſt martyriū ſancti regis Edmūdi primitus incoluit, & poſſedit. Eodem anno ſæpe dictus exercitus Paganorū Sequanam deſerens, locū qui dicitur Sant-laudan inter Franciā & Armonicā ſitum adiit, contra quos Britones pugnauerunt, & eorū quibuſdā in ore gladii peremptis, quibuſdā vero in fugam verſis, & quibuſdam in flumine merſis, victores extiterūt. S. Sunderodus archiepiſcopus Mogūtinus Wormaciæ à Nordmānis occiditur, Sabbato. 6. Cal. Iulii. Hatto archiepiſcopus ſucceſſit annis 21. menſib. 8. 891

914 5. Memoratus Paganorum exercitus Occidentali Francia derelicta, Orientalē adiit, ſed priuſquā illo claſſes eorum venire poterāt, imperator Arnulfus cum Orientalib. Francis, antiquis Saxonibus, Bauariis, contra pedeſtrem exercitum pugnam iniens, in fugam vertit. Tres Scotici viri Dusblanus, Mahbethus, Mulmuninus, peregrinam ducere vitam pro domino cupientes, aſſumpto ſecum vnius hebdomadæ viatico, occulte de Hybernia fugerunt: carabumq; qui ex duobus tantum coriis & dimidia factus erat, intrauerunt, mirumq; in modum ſine velo & armamentis poſt ſeptem dies in Cornubia applicuerunt, & poſtmodum regem Alfredum adierunt. Eodem anno Swifneh doctor Scotorum peritiſſimus obiit. Quo etiam anno ſtella, quæ cometes dicitur, circa Rogationes viſa eſt. 892

915 6. Arnulfus rex cum valido exercitu, Longobardorum fines intrauit, & vſque Placentiam peruenit. Inde conuerſus per Alpes Appenninas Galliam intrauit, & vſq; ad ſanctum Mauricium peruenit. Cyclus decennouenalis. 20. Indict. 11. Sigehardus abbas Fuldenſis obiit. Huogus ſucceſſit. Claſſicus & equeſtris Paganorū exercitus, Orientalē Franciam deſerens, Bononiā adiit, indeq; ſimul cum ſuis equis 250. nauibus Cantiam tranſuectus, in oſtio amnis Limeni, qui de ſylua magna Audred nominata decurrit, applicuit. A cuius oſtio quatuor milliariis in eandem ſyluā naues ſuas ſurſum traxit, vbi quandā arcem ſemiſtructā, quā pauci inhabitabant villani, diruerunt, aliamq; ſibi firmiorē in loco qui dicitur Apultrea conſtruxerunt. Nec diu poſt Haſteinus rex Paganus cū 80. paronib. oſtium Thameſis fluminis intrans, munitionē ſibi in regia villa quę Middeltun dicitur, ædificauit. 893

916 7. Formoſus, papa. 112. Pagani qui Northimbriam incoluere, cum Alfredo rege pacem firmam iuramentis ſtabilierunt. Similiter qui Eaſtangliam inhabitauere, datis inſuper ſex obſidibus fecerunt. Sed fœdere dirupto, quotieſcunq; exercitus in Cantia reſidētes prædandi cauſa de ſuis munitionibus exiere, ipſi tunc aut cum illis perrexere, aut per ſe vbicunq; potuere, prædam egere. Quo cognito, rex Alfredus partem exercitus ſecum aſſumens, partem (vt ſolebat) domi relinquens, nonnullos etiam præſidii cauſa in caſtellis vbibuſq; conſtituens, Cantiam feſtinato proficiſcitur, & inter vtrumq; Paganorum exercitum loco quidem ſitu naturali munito, vtpote aquis plene circumfluentibus, vndis admodum criſpantibus, ſcopulis altis, ſyluis vndiq; ſe protelantibus, caſtra metatus eſt, ita ſane vt ſi aliquem campum prædæ vel prelii cauſa peterent, ſine cunctatione cum illis certamen iniret. At illi nunc pedeſtres, nunc equeſtres turmatim latrocinando prędam ills in partibus frequentabant, vbi regis exercitū abeſſe videbant. Quibus tamē inopinantibus, non ſolum de regia expeditione, ſed & de vrbibus pleriq; ſingulis fere diebus ac noctib. cædē intentant, adeoq; perturbāt, vt Cantiam relinquentes denuo prædatū ſimul omnes ſedibus exirent, nam in prędā ſimul exierāt, dum illis in locis primitus habitare cœperant. Sed hac vice maiorē vberioremq; prędā ceperunt. Thameſemq; fluuiū tranſire, Eaſtſaxoniam adire, ſicq; claſſicæ manui (quā premiſerant) cum præda obuiare decreuerant. Verum ab exercitu regis prœuenti, prelio cum eis iuxta Feornham commiſſo, prędaq; ſimul erepta cū equis quos de tranſmarinis partibus adduxerant, in fugam omnes vertuntur, Thameſeq; fluuio ſine vadis trāſito, in inſulam quandā intra meatum Colnia amnis ſitā fugerunt. Vbi tam diu obſidione cinguntur, donec regio exercitui & eſca deficeret, & ſtatutum tempus iam aduenirent quo domum rediret, aliuſque illo dirigeretur exercitus. Quo domum redeunte, & Alfredo rege cum ſui exercitus medietate illo properante, Pagani quia rex 894

illorum oppido vulneratus erat, ideoq; secum ducere ipsum non potuerunt, ibidem residerunt. Rex vero Alfredus nondum ad expugnandum hostem iter peregerat, & ecce, nunciatur ei Paganos Northimbriam & Eastangliam incolentes. 240. naues congregasse, & quosdam illorum australem Angliæ plagam centum nauibus, quosdam vero septentrionalem plagam. 40. nauibus circumnauigasse, illos Eaxanceastram, istos arcem quandam apud Domnaniam non modica manu obsediſſe. His auditis non hostium audacia in timorem, sed de suis in obsidione relictis, rex vertitur in furorem. Nec mora, omnẽ equitatum reducens, Eaxanceastram adiit, paucis tamen ad debellandum (quem insequebatur) hostem relictis. Ii Lundoniam vsque pergentes, cum ciuibus & cum illis qui sibi ab Occidentali Angliæ plaga in auxilium venerant, Beanflotã adueniunt: illuc enim maximam exercitus conductionem, quæ apud Apultream resederat, conueniſſe, regemque Haestenum cum suo exercitu de Middeltun adueniſſe, ibique munitionem sibi construxisse, sed tunc denuo in prædam audierant descendisse. Nam idem paulo ante, cum rege Alfredo pace stabilita, obsides quamplures dederat insuperque duos filios lauacro salutari regenerandos, vt ipse rex petierat Alfredus, tradiderat. Quorum vnum ipse rex Alfredus, alterum de fonte suscepit Dux nobiliſſimus Æthelredus. Sed Beanflotam rex Haestenus perueniens, facta citato munitione, mox fines regni cõpatris sui Æthelredi deuastat. Inito ergo cum Paganis graui prælio, Christiani prima congressione illos in fugam vertunt, opus exstructum destruunt, quæque reperiunt sumunt, mulieres cum filiis Lundoniam secum ducunt, naues quasdam confringunt, quasdam incendunt. quasdam Lundoniam, & ad ciuitatem Hrofi deducunt. Vxorem quoque regis Haesteni cum duobus filiis, priusquam ille Beanflotam à præda rediret, ceperunt, & ad regẽ Alfredum perduxerunt. Quibus ille nil mali intulit, nam alter suus vt diximus, alter Æthelredi Ducis erat filiolus, sed pace denuo stabilita, obsidibusque datis roganti patri non solum vxorem & filios, verum etiam non modicum pecuniæ reddidit. Qui denique prædictorum suorum labore solicitatus, postquam Exanceastram aduenerat, Pagani aduentu illius territi, naues petunt, sicq; suas sedes repetentes, prope ciuitatem, quæ lingua Anglorum Cissaceastre dicitur, in prouincia Australium Saxonum, prædam agunt. Sed ab vrbem inhabitantibus fugati, maximaque pars illorum vulnerata & cæsa, quamplureſque de nauibus eorum captæ sunt. Interea Paganorum exercitus de Beanflota (vt diximus) à Christianis fugati, vrbem quæ lingua Anglorum Sceobyrig in Eastsaxonia sitam adeunt, firmamque sibi munitionem ibidem construunt. Quibus de Eastanglia & Northimbria sociatis Paganorũ quampluribus, prius per Thamesis, postmodum per Sabrinæ fluminis ripas prædam agunt. Quorum nimiam infestationem Duces nobiliſſimi Æthelredus, Æthelmus, Æthelnothus, cæterique Ministri regis, quos ipse præsidii causa per munitiones, per oppida, per vrbes, non solum in Orientali plaga Pedredan, sed etiam in Occidentali plaga Sealwdu, nec solum in Australi, sed & in septentrionali plaga fluminis Thamesis constituerat, non ferentes, in hostem haud modicum congregant exercitum, Walensibus qui Occidentalem Sabrinæ plagam inhabitabant, sibi in auxilium occurrentibus. Conglobati itaq; in vnum, hostem vadunt insecutum, quem apud Buttingtun in ripa Sabrinæ fluminis sitam comprehendunt, & mox in quam fugerant munitionem ex vtraque parte amnis obsidere cœperunt. Multis autem peractis hebdomatibus, Paganorum quidam fame moriuntur, quidam vero equis iam comesis emunitione erumpentes, cum illis qui in orientali parte fluminis erant, prælium committunt. Sed multis Paganorum millibus cæsis, cæteriſque omnibus in fugam versis, Christiani loco funeris dominantur. In qua pugna Ordeah nobiliſſimus, multique de ministris regis occisi sunt. Cumq; Pagani qui aufugerant, Eastsaxoniam reuersi, ad suas munitiones & ad naues veniſſent, hyeme iam incumbente magnum rursus de Eastanglia & Northimbria exercitum congregant. Commendatisq; vxoribus, pecunia, nauibusque suis in Eastanglia, relictisque munitionibus, sine intermissione iter agunt, & ciuitatem Legionum tunc temporis desertam, quæ Saxonice Legeceastre dicitur, priusquam regis Alfredi & Æthelredi subreguli exercitus (qui illos insecutus est) assequi poterant, intrant. Nonnullos tamen illorum comprehendentes, interficiunt, pecudes & pecora quæ deprẽdando ceperant, excutiunt, biduo ciuitatem obsident, segetes partim igne comburunt, partim sonipedibus distribuunt. Hæc acta sunt post anni circulum, ex quo de partib. Gallicis ostium amnis Limeni intrauerant.

895 8. Guido, qui nomine imperatoris Italiam regebat, obiit. Lanbertus filius eius regnũ 917
obtinens, à papa sibi imponi diadema fecit. Sæpe dictus Paganorum exercitus, cum vnde viuerent non haberent, (cuncta enim illis Christiani abstulerant) terram Septentrionalium Britonum petunt, quam longe lateq; deuastantes, prædam quam maximam secum

educunt

educunt. Et quoniam propter Mercenſes repedare per Merciam non audebant prius per Northimbriam, deinde per Mediterraneam Angliam, vxoribus nauibuſq; ſuis receptis in Eaſtanglia, modicam quandam inſulam Mereſig dictam, & in orientali plaga Eaſtſaxoniæ in mari ſitam, adeũt. Eodem anno iidem ipſi per fluuium Thameſim, & poſtmodum per amnem Ligean ſuas naues ſurſum traxerunt, ſibiq; munitionem prope ipſum amnem. 20. milliariis à Lundonia ædificare cœperunt.

918 9. Cyclus ſolaris incipit 4. concurrentibus biſextilibus. Synodus. 96. Epiſcoporum, 896
cum Abbatibus, probatiſque multis clericis, qui reſidentes in monaſterio Triburas, contra pleroſque ſeculares, qui Epiſcopalem auctoritatem minuere tentauerunt, plurima decreta ſuper ſtatum ſanctæ Eccleſiæ ſcripta roborauerunt. Arnulfus rex Wormaciam venit, ibiq; optimatibus omnibus regni ſui ſibi occurrentibus, conuentum publicum celebrauit, in quo omnibus collaudantibus Zuendiboldum filium ſuum regno Lotharii præfecit. Æſtatis tempore magna pars ciuium Lundonienſium, & de vicinis locis quamplures, munitionem, quam ſibi Pagani ædificarant, deſtruere moliuntur, ſed illis fortiter reſiſtentibus, Chriſtiani in fugam vertuntur, quatuorq; de Miniſtris regis Alfredi occiduntur. Ipſe autem rex, autumnali tẽpore, non longe ab vrbe caſtra metatus eſt, ea de cauſa ne Pagani meſſem prouincialibus per vim auferrent. Quodam vero dierum per ripas rex equitans, conſiderauit quonam in loco alueum illius obſtrueret, ne Dani ſuas extrahere naues poſſent: nec mora, ex vtraq; parte amnis obſtructurã fieri mãdauit. Quod vbi Paganis innotuit, vxorib. in Eaſtanglia denuo commendatis, nauibuſq; relictis, locũ qui Quatbrig dicitur, pedeſtres celeri fuga petũt, cõſtructaq; ſibi munitione, hyemem ibidẽ exigũt. Quarũ nauium Lundoniẽſes quaſdã Lundoniã vehunt, quaſdã vero penitus confringunt. Arnulfus rex Italiã ſecundo ingreſſus, Romã peruenit, & vrbem cũ conſenſu Formoſi papæ ante Natalem domini armis cepit. Mater autem Lanberti, quæ ad præſidiũ à filio relicta fuerat, cũ ſuis latẽter aufugit. Arnulfus vero vrbẽ ingreſſus, cum magno honore à Formoſo papa ſuſceptus, & ante confeſſionẽ S. Petri vnctus & coronatus, imperator creatur. Eodẽ autẽ anno Lanbert⁹ nomine imperatoris obiit, & Ludouicus fili⁹ Boſonis, fratris Caroli ſenioris, à Lõgobardis inuitat⁹ à Prouincia egreſſ⁹ Italiã intrauit.

919 10. Kindiboldus qui & Zuendiboldus, hortatu Arnulfi patris ſui, Odonis Comitis fi- 897
liam, nomine Odam, poſt Paſcha vxorẽ duxit. Æſtiuo tempore Paganorum exercitus, qui apud Quatbrige hyemauerat, pars quædam Eſtangliam, pars quædam Northimbriã petit, ex quibus nonnulli ibidem remanſerunt, nõnulli vero nauibus acquiſitis ſæpe dictum fluuiũ Sequanam adierunt. O quam crebris vexationibus, quã grauibus laboribus, quam diris & lamentalibus modis, non ſolum à Danis, qui partes Angliæ tunc temporis occupauerant, verum etiam ab his Satanæ filiis tota vexata eſt Anglia. Multo magis tamẽ per triennium & animalium peſte, & hominum mortalitate nobiliorũ, maxime regis Miniſtrorum, qui per idem tempus defuncti ſunt, vexabatur. In quibus erat Suithulfus Rhofenſis eccleſiæ præſul, Elheardus Dorceſtrẽſis epiſcopus, Ceolmundus Dux Cantuariorũ Beorthulfus Dux Orientalium Saxonum, Eadulfus in Suthſaxonia regis Miniſter, Beornulfus Wintonienſium præpoſitus, Ecgulfus Strator regius, & quamplures alii licet hi eſſent nobiliſſimi. Eodem anno exercitus Paganorum in Eaſtanglia & Northimbria reſidentium, furtiuam prædam circa ripas maris agentes, terram Occidentalium Saxonum grauiter vexabant, maxime longis celeribuſq; nauibus, quas ipſi ante plures annos fabricauerant. Aduerſum quos bis longiores, altiores, celeriores minuſq; nutãtes, ex præcepto regis Alfredi fabricantur naues, quarũ violentia prædictæ hoſtiũ naues ſuperari poſſent. Quib. in mare miſſis, mandat rex vt quos capere poſſent, viuos caperent, & quos viuos capere nequirent, occiderent. Vnde actum eſt vt eodem anno. 20. naues Danicorum piratarum caperentur, quorum quidam occiduntur, quidam ad regẽ viui ducuntur, & in patibulo ſuſpenduntur.

920 11. Bonifacius. 113. papa. In Italia inter Ludouicum filium Boſonis, & Berengarium 898
multa certamina geſta ſunt, ſed tandem Ludouicus fugans Berengarium, Romam ingreditur: vbi coronatus, imperator nominatur. Stephanus. 114. papa, anno vno, menſibus tribus. Rollo primus Normannorum Dux, cum exercitu ſuo Carnotenſem ciuitatem obſedit, ſed epiſcopus eiuſdem vrbis Walzelinus Richardum Burgundiæ Ducẽ & Ebalum Pictauenſem Comitem, in ſuum prouocans auxilium, tunicam ſanctæ Mariæ in manibus ferens, Rollonem Ducem diuino nutu fugauit, & ciuitatem liberauit.

921 12. Hungari Italiam multum vaſtant. Arnulfus imperator obiit. 3. Cal. Decemb. ſe- 899
pultuſque eſt Odingæ, vbi & pater eius iacet. Romanus 115. papa, menſibus. 4.

ROMANORVM. 87. Ludouicus regnauit annis. 12.

922 1. Theodorus. 116. papa. Ludouicum filium Arnulfi 2. Nonas Februarii, anno 900
ætatis

ætatis suæ.7.quem ex legitimo matrimonio genuit Arnulfus,proceres & optimates regni, regem super se constituunt,& coronatum regiisq; ornamentis indutũ,ad Foracheim congregati in vnum,in fastigium regni eleuant. Iohannes. 117. papa Ealhstanus Lundoniæ episcopus obiit, cui successit Theodredus. Eardulfus Lindisfarnẽsis episcopus obiit,cui vir religiosus Cuthardus successit.

901 2. Famosus,bellicosus,victoriosus,viduarum pupillorum orphanorum pauperumq; 923
prouisor studiosus,poëtarum Saxonicorum peritissimus,suæ genti charissimus,affabilis omnibus,liberalissimus:prudentia,fortitudine,iustitia,temperantia præditus: in exequendis iudiciis indagator discretissimus, in seruitio Dei vigilantissimus & deuotissimus, Angloſaxonum rex Alfredus,piissimi regis Æthelulfi filius.29. annis,sexq; mensibus regni sui peractis, Indictione quarta,mortẽ obiit & feria quarta, 5. Cal. Nou.& Wintoniæ in nouo monasterio sepultus, beatæ immortalitatis stolã,& resurrectionis gloriã cũ iustis expectat. Huic filius successit Eadwardus cognomẽto Senior,literarũ cultu patri inferior, sed dignitate,potentia,pariter & gloria superior. Nam (vt in sequentibus clarebit) multo latius quã pater,fines regni sui dilatauit:siquidem ciuitates & vrbes multas ædificauit,nonnullas vero destructas reædificauit: totam Eastsaxoniam,Eastangliam,Northimbriam,pluresque etiam Merciæ prouincias,quas Dani multo possederant tempore,manibus illorum extorsit:Merciam post obitum suæ germanæ Ægelfledæ totam obtinuit & posſedit: Scotorum, Cumbrorum,Streatgleduwalorum,omnesque Occidentalium Britonum reges in deditionem accepit. Reges & Duces ab eo, prælio victi, cæsique quamplurimi. Ex muliere nobilissima Egwina filium suum primogenitum Æthelstanum,ex regina autem sua Eadgiua filios tres Eadwinum, Eadmundum, Eadredum, filiamque Deo deuotissimam virginem Eadburgam,tresq; insuper habuit filias. Quarum vnam Otto Romanorum imperator.89. alteram vero in coniugem habuit rex Occidentalium Francorum Carolus. Cuius amitam, Caroli scilicet imperatoris filiam,vxorẽ duxit rex Occidentalium Saxonum Æthelulfus. Tertiam autem filiam in vxorem habuit rex Northanhimbrorum Sihtricus. Huius videlicet regis Eadwardi patruelis, Clito Æthelwoldus, regiam villam Tuoxbeam nominatam, sine licentia regis primorumq; eius, inuasit. Alteram quoque Winburnan dictam inuasit, portis seriſq; obfirmauit. Quo in loco (vt præfati sumus) sancta Cuthburga, Inæ regis germana, Deo deuotarum virginum constructt monasterium. Qua re cognita rex Eadwardus collecto exercitu,in loco qui lingua Anglorum Baddanbyrig dicitur, prope Winburnan castra metatus est nec mora, Clitoni rex mandat,exire nequaquam differat:negat ille,velle se dicens vitã vel mortem ibidem,sed frustra. Nam regii exercitus multitudinem timens,nocte fugam iniit, Northimbriam petit, Danos expoſcit, vt nõ tam ducem se quam commilitonem recipiant, vnumq; ex collegio suo esse velint, quem in regia mox illi dignitate præficiunt sibi. Conquestus vero rex de talis fugæ iniuria, quam citius suis mandat illum insequi. Verum vbi cognouit eum non posse comprehendi, sanctimonialem,quam absque sua & episcoporum licentia vxorem duxerat,captam,iubet ad suum monasteriũ Winburnan reduci. Eodem anno Kindiboldus rex,filius Arnulfi occiditur.

902 3. Stephanus Comes,frater Walonis,cum in secessu residens aluum purgaret,sagitta 924
per fenestram percutitur,vnde eadem nocte extinguitur.

903 4. Benedictus.118.papa. Strenuissimus Dux Athulfus Ealhsuithæ reginæ, matris re- 925
gis Eadwardi,germanus,& venerabilis abbas de Scotia Virgilius,obierunt. Sanctus etiam presbyter Grimboldus,magnæ vir sanctitatis, vnusquisq; magistrorũ Alfredi regis,gaudia scandit regni cœlestis.

904 5. Focho Remorum episcopus,à quodam satellite Balduini Comitis, nomine Win- 926
nimaro,occiditur. Cui succedens Heriucus cum multis aliis episcopis eundem Winnimarum pro tanto scelere perpetuo anathemate excommunicauit. Cantuarienses cum multitudine Danicorum piratarum, in loco qui Holme dicitur pugnauerunt: & victores extiterunt. Multarũ apparatu nauium,quas vel acquisierat,vel quas de Eastsaxonia contraxerat,Clito Æthelwoldus in Angliam de transmarinis rediit partibus.

905 6. Eclipsis lunæ facta est. Ludouicus filius Bosonis, qui sortitus est nomen imperato- 927
ris,Berengarium, de Italia expellens,totum illud possedit regnum. Qui de securitate præsumens, absoluto exercitu, cum paucis Veronam ingressus est, adhortante Æthelhardo eiusdem ciuitatis episcopo. Quod cum ciues summa cum festinatione Berengario, qui tunc in Bauaria exulabat nunciassent,promittentes se portas ei aperire,si ille veniens, Ludouicum captum,oculis regnoque priuauit,regnumq; Italiæ obtinuit. Leo.119. Papa Magna prædæ portione promissa,Clito Æthelwoldus suadet Danis, Eastangliam inhabitantibus,vt secum prædatum vadant in fines Merciorum. Cui consentientes, mox cum rege

Eohrico

Eohrico, simul & Æthelwoldo, Merciorũ fines irrumpũt, prędæq; instãtes, cuncta cædũt ferro, flamma cætera destruunt, tandemq; Creccanfordam vsq; perueniunt, vbi Thamesi fluuio transito, & silua quæ Saxonice Bradene vocatur peragrata, villas circum circa positas inuadunt, quæq; reperiunt diripiunt. Iamq; prædæ vbertate ditati, domum aduolant læti: sed frustra. Namq; rex inuictissimus Eadwardus, congregatã quam citius poterat expeditionẽ post eos mouens, terras illorũ, quæ inter terræ limitem sancti regis Eadmundi, & flumen Vsam sitæ sunt deuastat: qui à deuastatione reuersurus, cunctum exercitum simul exire mandat. Cuius iussa spernentes Cantuariensis, ibidẽ remanserunt. ad quos rex septem nuncios mittens, vt exirent præcepit. Verum illi nil hostilitatis formidantes, in quo cœperant, securi permanserunt. Quo cognito, Dani in vnum festinate cõglobati, repentè super eos irruerunt, cõmissoq; graui prælio, multi ex his & illis ceciderunt. Dux Sigelfus cũ Sibrihto filio, Comes Sigelmus, regis minister Eadwaldus, abbas Kenulfus, quamplurescq; alii ex parte ceciderũt Cantuariorũ. Ex parte vero Danorũ cecidit Eohricus rex illorũ, Clito Æthelwoldus, quẽ sibi regẽ delegerant. multoq; plures quã ex Anglis corruerũt, loco tamen funeris dominati sunt. Religiosa Christi famula Ealhsuitha regina, mater regis Eadwardi, vita decessit, quæ sanctimonialium monasterium Wintoniæ construxit.

928 7. Cometa stella visa est. Cunradus Comes, pater Cunradi iunioris, tertio Cal. Martii bello occiditur, in loco qui dicitur Fritislar ab Adalberto. Eodẽ anno mense Iulio Ludouicus rex conuẽtum generalem celebrauit apud Triburas villam regiam, in castro Terassa obsidione cinxit Adalbertum, & decollauit quinto Idus Septembris. Christoferus. 120. papa. Paganorum exercitus de Eastanglia & Northimbria, inuictum esse regem Eadwardum scientes, pacẽ cum eo faciunt loco, qui lingua Anglorum Ittingaford dicitur. 906

929 8. Bauarii ab Hungaris interficiuntur. Sergius. 121. papa. 907

930 9. Hungari Saxoniam & Thuringiam vastant. Ciuitas quæ Carlegion Britannice, & Leageceastre dicitur Saxonice, iussu Ethelredi Ducis, & Ægelfledæ restaurata est. 908

931 10. Hungari Alamanniam vastant. Denulfus Wintonien sis præsul obiit. 909

932 11. Franci ab Hungaris aut occisi sunt aut fugati. Mortuo Denulfo S. Fritheſtan' successit ei in episcopatu. S. Oswaldi regis & martyris ossa de Barthoneig in Merciã translata sunt. Rex inuictissimus Eadwardus, quia pactũ (quod secũ Dani pepigerant) præuaricati sunt, Westsaxonum & Merciorũ exercitũ in Northimbriam misit, qui cũ illo veniſſet per 40. ferme dies eam deuastare non cessantes, quamplures Danorum occiderunt, multos etiam captos cum maxima præda secum reduxerunt, & reges duces q; eorũ (vellent nollẽt) cum rege Eadwardo pacem (quam fregerant) redintegrare compulerunt. 910

933 12. In prouincia Statfordensi in loco qui dicitur Teotfanhele, inter Anglos & Danos insigne prelium actum est, sed Angli potiti sunt victoria. Eodem anno victoriosus rex Eadwardus, centum naues coadunans, milites legit, naues conscendere iussit, sibiq; per terram iter facturo occurrere in Cantia præcepit. Interea Danorũ exercitus, qui Northimbriã inhabitabant, fœdere quod cum eo statuerãt, rursus dirupto, & omni rectitudine, quam ipse suiq; primates eis obtulerant, spreta, agros Merciorum ausu temerario depopulati sunt, æstimantes sane maius robur in nauibus esse, & se quocunque vellent sine prælio ire posse. Quod vbi rex audiuit, exercitum Westsaxonum simul & Merciorum ad eos repellendos misit. Qui cum illos à depopulatione reuertentes, in campo, qui lingua Anglorum Wodnesfeld dicitur, comprehendissent duos reges eorum Eowilsum & Halfdenum fratres regis Hinguari, Comitesque duos Ohterum & Scurfum, nouemque proceres nobiliores, multaque millia extinxerunt, cæteriſque fugatis omnem prædam excusserunt. Ægelfleda Merciorum domina vrbem Bremesbyrig construxit. Ludouicus rex obiit, & Cunradus 911

ROMANORVM. 88 Conradus regnauit annis 7. (in regem eleuatur.

934 1. Ciclus decennou. 21. incipit Indict. 15. Hatto archiepiscopus obiit. Herigerus successit, Eximiæ vir probitatis, Dux & patricius, dominus & subregulus Merciorum Æthelredus, post nonnulla quæ egerat bona decessit. Post cuius mortem vxor illius Ægelfleda, regis Alfredi filia, regnum Merciorum, exceptis Lundonia & Oxenforda, quas suus germanus rex Eadwardus sibi retinuit, haud breui tempore strenuissime tenuit. 912

935 2. Hungari Alamanniam vastant, & iuxta Inam flumen à Bauariis & Alamannis graui ter feruntur. Ægelfleda Merciorum domina, 2. Nonas Maii cum exercitu ad locum, qui Sceargete dicitur, venit, ibidemque arcẽ munitã exstruxit: dehinc in occidentali plaga Sabrinæ fluminis, in loco qui Bricge dicitur, aliã ædificauit. Circa festiuitatẽ S. Martini, iussu regis Eadwardi, apud Heortfordã inter amnes Meneran, Ficcean Ligean, in plaga septentrionali vrbs conditur. 913

936 3. Post Pascha exercitus Paganorum de Northamtune & de Leogeceastre, in Oxe- 914.

nefordenſi prouincia prædam egerunt,& in regia villa Hokenertune,& in multis aliis villis quam plures occiderunt. Quibus domum reuerſis; alius mox equitatus paratur, & in prouinciam Heortfordenſem verſus Ligetun mittitur. Sed illis ad obſiſtendum prouinciales cõfluebant,& multis ex eis occiſis,ceteriſq; in fugam verſis,equos nonnullos, & arma illorum quamplura extorquebant, prædamque quam ceperant,reducebant. Relictis quibuſdam ad ædificationem vrbis in auſtrali plaga Ligei amnis,rex Eadwardus poſt Rogationes,cum maiori parte exercitus,Eaſtſaxoniam profectus,in Mealdune caſtra poſuit: vbi tam diu moratus eſt donec apud Witham vrbs ædificaretur, & ædificata firmaretur: cui magna pars populi,quæ ſub manibus Paganorum erat,cum ſuis omnibus ſe dedebant. Æſtatis initio Ægelfleda Merciorum domina cum Mercenſibus, ad Tomewordinã perrexit,Deiq; auxilio ipſam vrbem reſtaurauit. Deinde Staffordam tetendit,& in ſeptentrionali plaga Sowi annis arcem conſtruxit. Hyems nimis magna & dura.

915 4. Hungari totam Alamanniam igne & gladio cum Thuringia vaſtant, venientes vſq; 937
ad Fuldam. Anaſtaſius 122. papa Defuncto Wicciorum epiſcopo Werefertho, magnæ ſcientiæ & ſanctitatis viro, Æthelhunus ſucceſſit. Æſtatis initio Ægelfleda Merciorum domina vrbem condidit, quæ Eadesbyrig vocatur, & in fine autumni alteram, quæ Werewic nominatur. Pagani piratæ, qui ferme ante. 19. annos derelicta Britannia Gallicas partes adierant,de prouincia quæ Lidwicũ dicitur,ducibus Ohtero & Rhoaldo Angliam redeunt,& circumnauigata Weſtſaxonia & Cornubia, tandem Sabrinæ fluminis oſtium ingrediuntur: nec mora terras ſeptentrionalium Britonum inuadunt & cuncta quæ circa fluminis ripam reperiunt, pene diripiunt. Captum quoque in campo, Ircenefeld nuncupato, Britonicum epiſcopum Cimelgeacum,lætantes non modicum, ad naues deducunt ſecum. Quem non multo poſt 40. libris argenti rex redemit Eadwardus. Nec diu omnis exercitus nauibus exiliunt, verſuſq; prædictum campum deprędationis cauſa iter arripiũt: ſed eis repente Herefordenſes & Glauornenſes, quam pluresq; ex vicinis vrbibus occurrunt,& cum eis prælium committunt, dux hoſtium Roaldus fraterque ducis alterius Ohteri, magnaque pars exercitus interficiuntur, cæteri in fugam vertuntur,& à Chriſtianis in quoddam ſepum coguntur: vbi tamdiu obſidentur, quoad obſides ea conditione darẽtur, vt quam citius poſſent de regno regis Eadwardi exirent. Idem itaque rex in auſtrali plaga Sabrinæ fluminis,à Cornubia ad oſtium fluminis Auenæ opportuna per loca ſuum diuiſerat exercitum, ne piratę regiones illarum vaſtarent prouinciarum. Verum illi nocturno ſub tempore in plaga orientali Weced, & rurſus in loco qui Portlocon dicitur, relictis in littore nauibus, furtiuam agunt prædam, ſed vtraq; vice cæſi ſunt omnes ab exercitu regis, præter illos qui ad naues turpiter refugerant. Iitamen clade oppreſſi, quandam inſulam (quæ Reoric nominatur) petierunt, vbi tamdiu conſiderunt, quouſque plures eorum eſſent fame conſumpti: vnde neceſſitate compulſi, prius ad Deomedum, deinde autumnali tempore ad Hyberniam nauigarunt. Poſt hæc, rex inuictiſſimus Eadwardus cum exercitu Bulcingaham perrexit, vbi. 30. diebus conſedit,& ex vtraque parte amnis Vſæ munitiones ædificari fecit. Quamobrem vnus ex Danorum Ducibus Turketillus, & omnes nobiliores de Bedforda, multiq; de Northamtune coacti, ſe dederunt regi. Defuncto Cuthardo Lindisfarnenſi epiſcopo, Tilredus ſucceſſit.

916 5. Lando. 123. papa. Rex inuictiſſimus Eadwardus ante feſtiuitatem S. Martini Bed- 938
fordam adiit,& eam cum inhabitatoribus eius in deditionem accepit, ibidemque per 30. dies moratus, vrbem in auſtrali plaga amnis Vſæ condi præcepit. Ægleſleda Merciorum domina, poſt Natiuitatem domini duas vrbes Citicbyrig videlicet & Weadbirig, & tertiam Runcofan ante Natiuitatem ædificauit.

917 6. Hungari per Alamanniam & Alſatiam,& vſq; ad fines regni Lotharii venerunt. Io- 939
hannes. 124. papa. Ante Natiuitatem S. Iohannis Baptiſtæ rex inuictiſſimus Eadwardus Meldunam vſque perrexit, vbi vrbem reædificauit: nec (priuſquam illam militum cuſtodia muniret) inde receſſit. Eodem anno ſupra memoratus Dux Turketillus, pace & iuuamine regis Eadwardi, cum ſuis omnibus Gallicas adiit partes. Venerabilis abbas Egbrihtus. 6. Cal. Iulii iniuſte occiditur. Et poſt tres noctes Ægelfleda Merciorum domina, in terram Britonum ad expugnandam arcem apud Bricenanmere miſit exercitum, qui expugnata arce, vxorem regis Britonum &. 34. homines captiuos in Merciam adduxerunt. Rollo primus Dux Normanorum obiit: cui ſucceſſit Wilhelmus filius eius.

918 7. Ex præcepto regis Eadwardi ciuitas quę Toueceaſtre dicitur, ante Paſcha,& altera 940
poſt Paſcha circa Rogationes apud Wiggingainere conditur. Poſt natiuitatem ſancti Iohãnis Baptiſtæ, Pagani de Northamtuna & de Leogereceſtre ſtatuta pace violata, Toueceaſtran adeunt, quam per totum diem impugnantes, expugnare moliuntur: ſed illis qui intus

intus erant ſummis viribus reſiſtentibus, ſibiq; in auxilium vicinis accurrentibus, omnes in fugā vertuntur. Deinde frequenter in prouincia Bukingamenſi noctu ſuper imparatos irruētes, non ſolū de hominibus, ſed & de iumentis prædā agunt, multosq; inter Birnwda & Ægelesbyri interficiunt. Eodem tempore Paganorū exercitus, q̄ Eaſtangliam & Huntandun inhabitant, relicta munitione q̄ in Huntandun firmauerant, in loco q̄ dicitur Temesforda firmiorē ſibi conſtruxere, arbitrantes ſane terrā ſibi ablatam inde ſe certamine recuperaturos eſſe. Inde ad expugnandam Bedfordā proſiliunt. Verū aduentu illorū cognito, vrbē qui cuſtodiunt, ipſis in præliū occurrunt: congrediuntur, hoſtes vincuntur, in fugam vertuntur, plurimi interficiuntur. Paruo interiecto tempore rurſus de Eaſtanglia, Eaſtſaxonia, & de Mercia Pagani conglobati, vrbem quæ Winganmere dicitur, adeunt: & per totum fere diem impugnare non deſinunt. Sed qui intus erant viriliter illam defendebant, hoſtesq; abigebant: qui recedentes, maximam ſecum prædam reducunt. Poſt hæc, ipſo æſtatis tempore, de proximis ciuitatibus & regionibus, quæ ſub poteſtate regis Eadwardi, erant, multus populus vndecunque collectus, Temesfordam pergunt, eamq; obſident, impugnant, expugnant, incendunt, diruunt, regemq; Paganorū Ducēq; Togleā cum filio ſuo Comite ſcilicet Mannano, fratrē quoq; illius, omnesq; ſe defendere volētes interficiunt, reliquos capiunt, quęq; reperiunt, tollunt. Exinde Danorum vires paulatim decreſcebant, Anglorum vero indies creſcebāt. Ægelfleda Merciorum domina, ante Cal. Auguſti Dorbeiam infringendo expugnauit, ipſamq; prouinciam obtinuit. Cuius miniſtri 4. de charioribus in porta vrbis fortiter pugnantes occiſi ſunt. Autumnali poſt hæc tempore, de Cantia, Suthregia Eaſtſaxonia, & de vrbibus, regionibusq; in vicinio poſitis, non parua multitudo populi in vnum congregati, vnanimiter Coleceaſtram adiit, quam obſidione cingentes, tam diu impugnant donec expugnent. Omnes autem exceptis paucis qui aufugerant, interficiunt, & quicquid intus reperiunt, diripiunt. Quod Dani Eaſtangliam incolentes, grauiter ferentes, ſuamq; iniuriam vlciſci cupientes, cum piratis quos in auxilium ſibi contraxerant, ad Mealdunam profecti ſunt, & eam tamdiu obſidentes impugnabant, quoad Anglis de finitimis locis auxiliarii veniſſent. Quos cum Dani aduentare audiſſent, ab vrbis impugnatione receſſerunt. Hoc viſo, Angli illos magno impetu perſecuti, multa millia & de piratis & de cæteris proſtrauerunt, reliquos vero fugauerunt. Non multo poſt rex inuictiſſimus Eadwardus, Weſtſaxonicam expeditionem ad Paſſaham duxit, & tamdiu cōſedit, donec vrbs Toueceaſtra lapideo cingeretur muro. Vnde Danicus Comes Thutferthus, quia regis diutius ſtrenuitati reſiſtere non valebat, cum ciuibus & prouincialibus Northamtunenſibus Danis & Anglis, regi ſe dedebat. His geſtis rex domum rediit, aliumq; exercitum ad Huntandun è veſtigio miſit, vt ciuitatem refarcirent & renouarent, & in ea cuſtodes ponerent. Quibus peractis, omnes prouinciales illi, qui Danorum ſupererant crudelitati, ſe manibus illorum euaſiſſe gaudentes, pacem & patrocinium regis petebant. Paucis vero interiectis diebus, Weſtſaxonico coadunato exercitu, ad Coleceaſtram rex abiit, & murum illius redintegrauit, virosque in ea bellicoſos cum ſtipendio poſuit. Interim de Eaſtanglia & Eaſtſaxonia multi Anglorum (qui ferme 30. annos, feritati Paganorum ſubiacebant) læto animo ſe regi ſubiiciebant. Ad quem etiam Dani Eaſtangliam incolentes venerunt, & ſe mari terraque nil (quod regem offenderet) penitus acturos, ſacramento firmauerunt. Venit & Danorum exercitus de Grantebrigeie, & illum in dominum & patronum delegit, & hoc iuramentis vt ipſe voluit, roborauit. Huogi abbas Fuldenſis obiit, & Helinfridus ſucceſſit. Cunradus rex obiit decimo Calend. Ianuarii, ſepultuſque eſt in Fulda, iuxta altare ſanctæ Crucis.

ROMANORVM 89. Henricus, regnauit annis 17.

941 1. Ægelfleda Merciorum domina, in principio anni, cum auxilio Dei, Leogereceaſtram pacifice acquiſiuit, & exercitum Danorum, qui ad illam pertinebat, ferme totum 919
in deditionem accepit. Cui etiam Dani qui Eboracæ præſidebant, quidam pacto, quidā iuramento, firmauerunt ſe ipſius voluntati & conſilio in omnibus conſenſuros. Rex Eadwardus inuictiſſimus Senior, poſt Rogationes cum exercitu Stanfordam profectus eſt, firmamque in Auſtrali plaga amnis Welund arcem muniuit, & non ſolum Danos, qui in ſeptentrionali plaga eiuſdē amnis arcem tenebant, ſed & omnes qui ad illam pertinebant, in deditionem accepit. Dum hæc aguntur, ſoror illius Ægelfleda Merciorum Domina, inſignis prudentiæ & iuſtitiæ, virtutisque eximiæ fœmina, octauo anno ex quo ſola regnum Merciorum ſtrenuo iuſtoque rexit moderamine 19. Calend. Iulii obiit, & vnicam filiam ſuam Alfwinnam ex Æthelredo ſubregulo ſuſceptam, hæredem regni reliquit. Cuius corpus Glauornam delatum in Eccleſia ſancti Petri eſt honorifice tumulatū. Quod

vt regi nunciatum est, Tomwrthigme mox properauit, eamque suo dominio subiuganit. Inde mouens exercitum, ad Snotingaham profectus est, captamq; vrbem reſarcire iussit, & in ea Anglos simul & Danos collocauit. Processu vero temporis prius Mercenses omnes, & Danos Merciam inhabitãtes, deinceps tres reges Britonum videlicet Howelum Clitwic, & Iuthwal cum suis populis in sui deditionem obtinuit. Helinfridus abbas Fuldensis obiit octauo Idus Decemb. Haico succeſſit.

920 2. Autumnali tempore rex inuictissimus Eadwardus ad Tealweale profectus est, i- 942
bidemque vrbem constructit, & ad eius præsidium quosque fortissimos de exercitu suo reliquit. Misit etiam in Northimbriam Merciorum exercitum, vt vrbem Mamercestram restaurarent, & in ea fortes milites collocarent. Post hæc ab Ælfwinna nepte sua potestatem regni Merciorum penitus ademit, & in Westsaxoniam duci præcepit.

921 3. Rex inuictissimus Eadwardus Senior, ante Natiuitatem sancti Iohannis Baptistæ, 943
cum expeditione Snotingaham adiit, & in australi ripa fluminis Trentæ vrbem, contra vrbem quæ in altera ripa sita erat, ædificauit, & inter vtramque firmam pontem fieri mandauit. Inde cum exercitu ad Badecanwellan profectus, non longe ab ea vrbem constructit, & in illa milites viribus robustos posuit. Eo tempore rex Scotorum cum tota gente sua, Reignaldus rex Danorum cum Anglis & Danis in Northimbria incolentibus, rex etiam Streatgledwalorum cum suis, regem Eadwardum Seniorem sibi in patrem & dominum elegerunt, firmumque cum eo fœdus pepigerunt.

922 4. Clito Æthelwardus, regis Eadwardi germanus 17. Cal. Nouemb. defunctus, Win- 944
toniam defertur, & sepelitur. Wicciorum Episcopo Æthelhuno defuncto Wilferthus succeſſit.

923 5. Sanguis domini venit in Augiam 6. Idus Nouemb. qui de imagine Christi fluxit, 945
cum secundo in imagine sua à Iudæis priora pateretur.

924 6. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bissextilibus. Inuictissimus rex, Anglorum 946
Eadwardus Senior, qui cunctis Britanniam incolentibus Anglorum, Scotorum, Cumbrorum, Danorum pariter & Britonum populis gloriosissime præfuit, post multas res egregie gestas, regni sui anno 24. in regia villa quæ Fearndun nominatur, Indictione 15, ex hac vita transiens, Æthelstano filio regni gubernacula reliquit. Cuius corpus Wintoniam delatum, in Nouo monasterio regio more sepelitur. Nec multo post filius eius Alfwardus apud Oxenfordam decessit, & sepultus est vbi & pater illius. Æthelstanus vero in Kingestune, id est in regia villa, in regem eleuatur, & honorifice ab Athelmo Dorobernensi Archiepiscopo consecratur. Cuius temporibus oritur puer strenuus Dunstanus in Westsaxoniæ finibus. Haico abbas Fuldensis obiit quarto Cal. Iunii. Hildebertus succeſſit. Hungari totam Franciam, Alsatiam, Galliam, Alamanniamque igne & gladio vastant.

925 7. Strenuus & gloriosus rex Anglorum Æthelstanus, sororem suam cum magno ho- 947
nore & gloria Northimbrorum regi Sihtrico Danica stirpe progenito, in matrimonium dedit.

926 8. Ignei per totam Angliam visi sunt radii in septentrionali plaga cœli, nec multo 948
post Northanhimbrorum rex Sihtricus vita decessit. Cuius regnum rex Æthelstanus, filio illius Guthferdo qui patri in regnum succeſſerat expulso, suo adiecit imperio. Omnes etiam reges totius Albionis, regem scilicet Occidentalium Britonum Huwalum, dehinc regem Scotorum Constantinum, regemque Wentorum Wer prælio vicit & fugauit. Aldredum quoque filium Eadulfi, de regia vrbe (quæ lingua Anglorum Bebbanbirig nominatur) expulit. Ii omnes vbi se viderunt non posse strenuitati illius resistere, pacem ab eo petentes, in loco qui dicitur Eadmodum quarto Idus Iulii conuenerunt, datoque sacramento firmum cum eo fœdus pepigerunt.

927 9. Herigerus Archiepiscopus obiit Calen. Decembris. Hildebertus abbas Fuldensis, 949
succeſſit. Post quem ad Fuldam succeſſit Hadamarus abbas.

928 10. Tilredus Lindisfernensis Episcopus obiit. Cui Wigredus succeſſit. 950

929 11. Leo 125. Papa. Wciciorum Episcopo Wilfertho defuncto, succeſſit Kine- 951
woldus.

930 12. Henricus rex regem Obritorum & Northmannorum facit Christianos. 952

931 13. Domnaniæ præsul Eadulfus obiit, & in Chridiantune est sepultus. 953

932 14. Vir eximiæ sanctitatis Fritheſtanus Wintonienſis Episcopus, ordinato pro se in 954
Episcopatu viro religioso Birnstano, Wintoniã resedit. Hic vir sanctus fuit, quotidie missam pro defunctorũ requie cantauit, nocte cœmeteria circuiuit, pro animarũ salute Psalmos decantauit. Quadam vice hoc agens, dũ expletis omnib. subiungeret, Requiescant in

pace:

pace: subito voces quasi exercitus infiniti è sepulchris audiuit respondentium. Amen.

955 15. Hungari ab exercitu regis Henrici occisi sunt, multique ex eis comprehensi sunt. 933
Sanctus Frithestanus obiit.

956 16. Stephanus 126. Papa. Strenuus rex Anglorum Æthelstanus, quia rex Scotorum 934
Constantinus fœdus (quod cum eo pepigerat) dirupit, classica manu perualida, & equestri exercitu non modico ad Scotiam proficiscitur, eamque maxima ex parte depopulatur. Vnde vi compulsus rex Constantinus, filium suum obsidem cum dignis muneribus illi dedit, paceque redintegrata rex in Westsaxoniam rediit. Eodem anno sanctus Birnstanus Wintonienſis Episcopis obiit.

957 17. Iohannes 127. Papa religiosus monachus Alfeagus, cognomento Caluus, beati 935
Dunstani propinquus, suscepit Episcopatum Wintonienſis Ecclesiæ.

958 18. Leo 128. Papa Hildebertus Archiepiscopus obiit, secundo Cal. Iunii. Cui Fride- 936
ricus successit. Henricus rex obiit sexto Nonas Iulii: & Otto filius eius in regnum constituitur.

ROMANORVM 90. Otto regnauit annis 36. & mensibus decem. Huic rex Æthelstanus vnam sororum suarum dedit in coniugem.

959 1 Hibernienſiũ multarum insularum rex Paganus Anlafus, à socero suo rege Scoto- 937
rum Constantino incitatus, ostium Humbri fluminis valida cum classe ingreditur. Cui rex Æthelstanus fraterque suus Eadmundus, in loco qui dicitur Brunanburgh, cum exercitu occurrerunt, & prælio à diei principio in vesperum tracto 5. regulos, septemq; Duces quos aduersarii sibi in auxilium conduxerant, interfecerunt: tantumque sanguinis, quantum eatenus in Anglia nullo in bello fusum est, fuderunt, & reges Anlafum & Constantinum ad naues fugere compellentes, magno reuersi sunt tripudio. Illi vero summam infœlicitatem de interitu sui exercitus consecuti, cum paucis redeunt in sua. Monasteria sanctorum Galli & Bonifacii igne consumuntur. Hungari per Orientales Francos & Alamanniam, multis ciuitatibus igne & gladio consumptis, iuxta Wormaciam Rheno transito, vsq; ad mare Oceanum regnum Galliæ deuastauerunt, & postmodum per Italiam redierunt.

960 2. Otto à Bauariis sibi resistentibus rediit. Frater autem eius Henricus comprehen- 938
sus est ab Eberhardo. Illo vero liberato, Eberhardum misit in exilium, atque iterum Bauarios cum exercitu inuasit, omnesque sibi subdidit, præter vnum Arnulfi filium. Interim magna pars Hungarorum à Saxonibus occisa est.

961 3. Otto Lotheringiam intrauit vsque ad Capri montem. Interea Ludouicus rex 939
Galliæ inuasit Alsatiam. Tunc Otto reuersus venit in Brisacam, & obsedit eam, & Ludouicus discessit. Stephanus 129. Papa.

962 4. Strenuus & glorioſus rex Anglorum Æthelstanus, decimo sexto regni sui anno, 940
Indict. 14. sexto Cal. Nouembris, feria quarta, apud Glauornam è vita decessit, & ad Madulfi vrbem delatus, honorifice est tumulatus. Cui frater suus Eadmundus 18. ætatis suæ anno, in regnum successit.

963 5. Northimbrenſes fidelitati, quam magnifico regi Anglorũ Eadmundo debebant, 941
infidelitatem præferentes, regem Northmannorum Anlafum sibi in regem elegerunt. Eodem anno Alfredus Scireburnenſis Episcopus obiit.

964 6. Marinus Papa 130. Huius Papæ tempore sanctus Vldaricus Romam venit, & ab 942
eodem mortem Episcopi sui audiens, simul etiam se ipsum Episcopum futurum agnouit. Sed Hiltinus post Adalberonem 15. annis Ecclesiæ Augustenſi præfuit. Moxque Vldaricus in Episcopatũ successit, Interim Eberhardus Dux occisus est, & Giselbertus Dux in Rheno submersus. Magnificus rex Anglorum Eadmundus, quinque ciuitates Lindicoli-, nam, Snotingaham, Deorbeiam, Leogereceastram & Stanfordam, manibus Danorum penitus extorsit, totamque Merciam in sui potestatem redegit. Hic Dei seruo Dunstano summus, & eius consiliis glorioſus, à quo diuersis honorib. sublimatus, Gleastoniæ, in qua educatus est, abbatis iure præficitur. Willielmus Dux Normannorum, filius Rollonis 16. Cal. Ianuarii occiditur. Cui successit Richardus filius eius.

965 7. Magnifico regi Eadmundo, cum sua regina Alfgiua filium peperisset Eadgarum, 943
sanctus abbas Dunstanus audiuit (quasi in sublimi) voces psallentium atque dicentium, Pax Anglorum Ecclesiæ, exorti nunc pueri, nostrique Dunstani tempore. Eodem anno idem rex Anlafum regem (cuius supra meminimus) de lauacro sanctæ regenerationis suscepit, regioq; munere donauit, & paruo post tempore Reignoldum Northanhimbrorum regem, dum ab Episcopo confirmaretur, tenuit, sibique in filium adoptauit. Otto Dux obiit, cui Gunradus successit.

944 8. Otto rex in Lotheringiam cum exercitu exiuit, omnesq; suo subiugauit imperio, 966
sed Metensis Episcopus resistebat. Magnificus rex Anglorum Eadmundus duos reges
Anlafum, regis videlicet Sihtrici filium, & Reignoldum Guthferdi filium, de Northim-
bria expulit, eamq; suæ ditioni subegit. Wigredo Lindisfarnensi Episcopo defuncto,
Vhtredus successit, quo mortuo, Sexhelmus loco eius ordinatur, sed paucis mensibus e-
uolutis defungitur, pro quo Aldredus consecratur.

945 9. Magnificus rex Anglorum Eadmundus terram Cumbrorum depopulatus est: il- 967
lamq; regi Scotorum Malculmo eo tenore dedit, vt terra mariq; sibi fidelis existeret.

946 10. Agapitus 131. Papa Magnificus rex Anglorum, Eadmundus die festiuitatis sancti 968
Augustini, Anglorum doctoris, dum in regia villa, quę Anglice Pucelecirce dicitur, suum
dapiferum è manibus pessimi cleptoris Leonem, ne occideretur, vellet eripere, quinque
annis, septemque mensibus regni sui pactis, Indict. 4. septimo Cal. Iunii, feria tertia, ab eo-
dē interficitur, & Gleastoniā delatus, à beato Dunstano abbate sepelitur. Mox proximus
hæres Edredus, fratri succedens, regnum naturale suscepit, & 17. Cal. Septembris, die do-
minica, in Kingestune à sancto Odone Dorobernensi Archiepiscopo consecratur. Hic vt
suus germanus prius egit, totam Northimbriam in suum dominium redegit, & à Scotis, vt
sibi fideles essent, iuramentum accepit.

947 11. Henricus frater regis Ottonis, proiectis armis venit ad eum. 969

948 12. 970

949 13. Wulstanus Eboracensis Archiepiscopus, Proceresq; Northimbrenses omnes, in 971
villa quæ dicitur Taddenescilf, egregio regi Anglorum Edredo fidelitatem iurauerunt,
sed non illam diu tenuerunt. Nam quendam Danica stirpe progenitum (Ircum nomine)
super se regem leuauerunt.

950 14 Ciclus decennou. 23. incipit, Indict. 8. Pro infidelitate Northimbrensium egre- 972
gius rex Anglorum Edredus totam Northimbriam deuastat: in qua deuastatione mona-
sterium, quod dicitur In Rhipun, à sancto Wilfrido Episcopo quondam constructum,
igne est combustum. Redeunte vero domum rege, exercitus de Eboraca erumpens ciui-
tate, in loco qui dicitur Casterford, de extrema parte exercitus regis multam stragem de-
dit. Vnde rex nimis offensus, voluit illico redire, & totam illam terram penitus delere. Ve-
rum hoc cognito Northimbrenses timore perterriti, Ircum, quem sibi regē præfecerant,
abiecerunt: regis iniurias honoribus, detrimenta muneribus explcuerunt, eiusque of-
fensam pecunia non modica placauerunt.

951 15. Per loca Galliæ Germaniæq; plurimi & magni terræmotus facti sunt. Sanctus Æl- 973
feagus cognomento Caluus, Wentanus Episcopus, qui beatū Dunstanū monachatus, &
presbyteratus gradu decorauit, huic vitæ modū fecit. Cui Alfsinus in Episcopatū successit.

952 16. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bisextilibus. Inclitus rex Anglorum Ed- 974
redus Eboracensem Archiepiscopum Wulstanum in Iuthanbirig arctam posuit in cu-
stodiam, quia frequenter apud eum certis ex causis accusabatur. Iussit etiam eiues Theot-
fordenses quam plures occidere, in vltionem abbatis Aldelmi iniuste ab eis occisi.

953 17. Moguntia ciuitas ab Ottone rege obsessa est. Æthelgarus Cridionensis præsul 21. 957
accepti Episcopatus anno, vitam in Christo finiuit, ibidemq; sepultus est. Pro quo bea-
ti Dunstani abbatis consilio, vir venerandus, Alfwoldus functus est præsulatus officio.

954 18. Beatæ memoriæ dominus Fredericus sanctæ Moguntinēsis Ecclesiæ archiepisc. 8. 976
Cal. Nouemb. obiit. Eodē vero anno ego Gulielmus tanta successione indignus, loco eius
cū consensu cleri & populi eiusdē sanctæ sedis 16. Cal. Ianua. sum electus in loco Arāsteti,
ipso die paee inter Ottonē regem & filiū eius Ludolfum facta, & in die 9. Cal. Ianu. Mogū-
tiæ ordinat⁹. Hæc ait ipse Gulielmus archiepisc. filius Ottonis Imperatoris. Wulstano Ebo-
racensi archiepiscopo à custodia soluto, Episcopalis honor apud Dorcaceastre restituitur.

955 19. Egregius rex Anglorum Edredus 10. anno regni sui ægrotauit, & desperatus est, 977
qui missa celeri legatione, confessionum suarum patrem, beatum Dunstanum scilicet ab-
batem, accersiuit. Quo festine ad palatium tendente, & medium iam iter peragente,
vox desuper clare sonuit ipso audiente, rex Edredus nunc in pace quiescit. Ad hanc
vocem equus cui insedit pondus vocis angelicæ ferre non valens, absque vlla sessoris læ-
sione, cum interitu sui in terram corruit. Regis autem corpus Wintoniam defertur, & ab
ipso abbate Dunstano in Veteri monasterio sepulturum esse honestissime traditur. Cuius
fratruus Clito Eadwius, regis scilicet Eadmundi & sanctæ Alfgiuæ reginæ filius, monarchi-
am imperii suscepit, & eodem anno in Kingestune, ab Odone Dorobernensi Archie-
piscopo, rex est consecratus. Eodem anno Ludouicus rex Occidentalium Francorum,
filius Caroli regis & filiæ regis Anglorum Eadwardi Senioris obiit, Ludolfus quoq; filius

Otto-

Ottonis Imperatoris, & alterius filiæ eiusdem regis Eadwardi obiit, & sepultus in choro monasterii sancti Albani Moguntiæ.

978 20. Beatus Dunstanus abbas à rege Anglorum Eadwio profustitia proscriptus, ma- 956
re transiit, & ab Arnulfo regiæ stirpis viro honorifice susceptus, in monasterio quod Blandinium dicitur sub exilii sui tempore mansionem accepit, Wulstanus Eboracensium Archiepiscopus septimo Cal. Ianuarii defunctus, in Vndalan tumulatur. Cui vir reuerendus Oskitellus successit. Hadamarus Fuldensis abbas, qui monasterium Fuldense magnifico opere construxit, obiit. Hatto filius sororis suæ successit.

979 21. Iohannes Papa 132. de regione Violata ex Albrico patre principe Romano. Rex 957
Anglorum Eadwius, quoniam in commisso regimine insipienter egit, à Mercensibus & Northimbrensibus contemptus relinquitur, & suus Germanus Clito Eadgarus ab eis rex eligitur, sicque res regum seiuncta est, vt flumen Thamesis regnum disterminaret amborum. Mox rex Mercensium Eadgarus beatum Dunstanum abbatẽ cum honore & gloria reuocauit. Excurso dehinc parui spatii tempore, pastor Wigornien sis Ecclesiæ Ceonwalchus vir magnæ humilitatis & monasticæ professionis defungitur: pro quo beatus abbas Dunstanus ad Episcopatum eligitur, & ab Odone Archiepiscopo Dorobernensi consecratur. Cui etiam anno sequenti rex Mercensium Eadgarus Lundonien sem Ecclesiam pio pastore viduatam, commisit regendam.

980 22. Alfsius Dorsetensium Episcopus obiit. Cui Brithelmus vir pius & modestus, 958
humilis & benignus successit. Sanctus Odo Doroberniæ Archiepiscopus regem Westsaxonum Eadwinum & Alfgiuam, vel quia vt fertur propinqua illius extitit, vel quia illã sub propria vxore adamauit, ab inuicem separauit. Eodem anno idem archipræsul, vir quidem clarus ingenio, & virtute laudabilis, spiritu quoque propheriæ pollens, humanis excessit rebus, angelorum manibus ad Paradysum deductus. Huic successit Wentanus Episcopus Alfsinus, & pro ipso ad Episcopatum Wintonien sis Ecclesiæ ordinatus est. Brihthelmus.

981 23. Alfsinus Dorobernensis Archiepiscopus, dum Romam pro petendo pallio ten- 959
deret, in Alpinis montibus gelu niueque obstrictus defecit. Rex Westsaxonum Eadwius, 4. annis regni sui peractis defunctus, Wintoniæ in Nouo monasterio est sepultus. Cuius regnum suus Germanus, rex Mercensium Eadgarus, ab omni Anglorum populo electus, anno ætatis suæ 16. aduentus vero Anglorum in Britanniam quingentesimo, 363. autem ex quo sanctus Augustinus & socii eius Angliam venerunt, susce pit, diuisaque regna in vnum copulauit. Brihthelmus Dorsetensium Episcopus, Cantuariæ ad patriarchatum sedis eligitur, sed quoniam ad tantam rem minus erat idoneus, iussus à rege Cantuaria discedit, atque ad relictam nuper Ecclesiam suam rediit. Dehinc beatus Dunstanus consilio primæ Metropolis, Anglorum primas & patriarcha constituitur. A quo & cæteris sapientibus ipse rex Anglorum Eadgarus decenter instructus, passim improbos oppressit, rebelles sub asperitatis correctione redarguit, iustos & modestos dilexit, destructas Dei Ecclesias renouauit & ditauit, abiectis ex cœnobiis clericorum neniis, ad laudem creatoris summi monachorum & sanctimonialium cateruas aggregauit, & plusquam 40. monasteria cum eis constitui iussit. Quos omnes vt fratres honorabat, & vt filios charissimos diligebat, admonens per se pastores, quos ipsis præposuit, vt illos regulariter & irreprehensibiliter viuere admonerent, quatenus Christo & sanctis in omnibus placerent. Erat itaque vir discretus, mitis, humilis, benignus, liberalis, misericors, armipotens, bellicosus, iura regni bellica potestate regaliter protegens: populum in obsequio principum, principes ad iustitiam imperiorum formauit, leges rectas instituit, regno tranquillissimo potitus est: neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit, sed regni sui fines, prudentia, fortitudine, iustitia, temperantia (quoad vixit, Deo auxiliante) custodiuit, & quoniam iram ferocis leonis contra inimicos habuit, non solum insularum principes & tyranni illum pertimuerunt, verum etiam reges plurimarum gentium ipsius audientes sapientiam & strenuitatem, quidam timore atque terrore perculsi sunt, quidam veto pro sua munificentia eum diligebant, honorabant, magnificeq; laudabant. Imperator etiam primus Otto, qui suam amicam in coniugem habebat, mira illi munera direxit, & cum eo pactum firmissimæ pacis firmauit.

982 24. Sanctus Dunstanus ad Romuleam vrbem profectus, Indictione tertia, pallium à 960
Iohanne Papa susce pit, sicque per pacis itinera ad patriam remeauit. Paucis exinde mensibus interiectis, regalia petit limina, ianuam regiæ pietatis suggestione preceque pulsat humillima, vt religiosum, mitem, humilemque monachum, sui prędecessoris Odonis fratruelem, beatum Oswaldum, quem in timore diuino, sanctisque virtutum operibus

verissime probauerat excreuisse, promoueret ad pontificale decus Wigornien sis Ecclesiæ. Annuit rex Eadgarus quod sanctus petebat Dunstanus, & ab ipso inthronizatur ad summum sacerdotium beatus Oswaldus.

961 25. Otto rex vngitur in imperatorem à Iohanne Papa. 983

962 26. Romanus rex Græcorum multum pius & laudabilis obiit. Nicephorus successit. 984

963 27. Sanctus Æthelwoldus venerabilis abbas, à beato Dunstano educatus, mortuo Brihthelmo, Episcopatum Wintonien sis Ecclesiæ suscepit, & eodem anno iussu regis expulsis clericis, vetus monasterium cum monachis instituit. Hic namq; regem, cuius eximius erat consiliarius, ad hoc maxime prouocauit, vt clericos à monasteriis expelleret, & monachos sanctimonialesq; in eis collocari iuberet. 985

964 28. Rex Anglorum pacificus Eadgarus, Ordgari Ducis Domnaniæ filiam, Alfrythã nomine, post mortem viri sui Æthelwoldi, glorioſi Ducis Orientalium Anglorum, in matrimonium accepit: ex qua duos filios Eadmundum & Æthelredum suscepit. Habuit etiam prius ex Egelfleda candida, cognomento Eneda, Ordmeari Ducis filia, Eadwardũ, postea regem & martyrem, & de sancta Wulfritha, virginem Deo deuotissimam Eadgitham. Eodem anno idem rex monachos in nouo monasterio & in Middeltune collocauit, & illis Æthelgarum, istis Kinewardum abbates constituit. 986

965 29. 987

966 30. Iohannes Papa 133. 988

967 31 Eberhardus Comes obiit. Rex Anglorum pacificus Eadgarus, in monasterio Rumesyge, quod auus suus rex Anglorum Eadwardus senior construxerat, sanctimoniales collocauit, sanctamq; Mearwinnam super eas abbatissam constituit. 989

968 32. Otto filius Imperatoris, à Iohanne Papa ante altare sancti Petri cum patre suo coronatus est. Gulielmus archiepiscopus Moguntinus obiit. 6. Nonas Martii, & sepultus est ante altare sancti Stephani in monasterio sancti Albani in Moguntia. Rex Anglorum paficus Eadgarus monachis in Exanceastra congregatis, virum religiosum Sidemannum illis abbatis iure præfecit. Hatto abbas Fuldensis Gulihelmo successit: ad Fuldam autem successit Werintherus abbas. Mortuo Aldredo Lindisfarnensi Episcopo, successit Alfsius. 990

969 33 Ciclus decennou. 14. incipit, Indictione 12. Nicephorus rex Græcorum senex, cũ timuisset à filiis suis proiici, voluit eunuchizare eos. Tunc mater eorum regina, quia per nullum aliud ingenium filios liberare potuit, Iohanni suasit regem occidere, & imperare. Iohannes itaque occulte cum funibus intrauit per fenestram in palatium, & occiso rege egressus imperauit. Rex Anglorum pacificus Eadgarus, sancto Dunstano Dorobernensis & beato Oswaldo, Wigornien sis, & sancto Æthelweldo Wintonien sis Ecclesiæ Episcopis præcepit, vt expulsis clericis, in maioribus monasteriis per Merciam constructis, monachos collocarent. Vnde sanctus Oswaldus sui voti cõpos effectus clericos Wigornien sis Ecclesiæ monachilem habitum suscipere renuentes de monasterio expulit, consentientes vero hoc anno (ipso teste) monachizauit, eisq; Ramesien sem cœnobitam Winsinum, magnæ religionis virum, loco decani præfecit. 991

970 34. Hatto Archiepiscopus Moguntinus obiit. 6. Cal. Maii. Rotbertus successit. Sancti ac venerabilis antistitis Suithuni reliquiæ, peractis à sepultura eius 110. annis, indict. 13. Idus Iulii, feria sexta, sublatæ sunt de monumento à sancto Æthelwoldo venerabili præsule, & ab Alfstano Glastonien sis, & Æthelgaro Noui monasterii abbatibus, & in basilica Apostolorum Petri & Pauli decentissime sunt reconditæ. Eodem anno Osulfus Wiltunien sis præsul obiit, & in Wiltonia tumulatus est. Pro quo quo vir venerandus ordinatus est abbas Alfstanus. 992

971 35. Clito Eadmundus, regis Eadgari filius obiit, & in monasterio Rumesiæ honorifice est sepultus. Eodem anno Alfeagus Suthamtunen sium Dux obiit, & Glastoniæ tumulatus est. Non multo post Ordgarus Dux Domnaniæ, socer regis Eadgari, decessit, & in Exanceastre sepultus est. 993

972 36. Rex Anglorum pacificus Eadgarus, Noui monasterii Ecclesiam à patre suo rege Eadmundo inceptam, à se vero perfectam, honorifice dedicare præcepit. Eodem anno Alfwoldus Domnaniæ præsul 19. præsulatus sui anno decessit, & in Cridiantune sepultus requiescit. Defuncto Eboracen si Archiepiscopo Oskitello, suus propinquus S. Oswaldus, Wigornien sis Episcopus, pro eo in archiepiscopum eligitur. 994

973 37. Stephanus Papa 134. A quo sanctus Oswaldus pallium suscepit. Otto imperator Non. Maii obiit, & iacet in Maideburch. Rex Anglorum pacificus Eadgarus, ætatis suæ anno 995

anno 30. Indict. prima, quinto Idus Maii, die Pentecostes à beatis præsulibus Dunstano & Oswaldo, & à cæteris totius Angliæ antistibus, in ciuitate Acamanni benedicitur, & cum maximo honore & gloria consecratur, & in regem vngitur. Interiecto deinde tempore, ille cum ingenti classe septentrionali Britannia circumnauigata, ad Legionum ciuitatem appulit. Cui subreguli eius octo, Kynathus scilicet rex Scotorũ, Malcolmus rex Cumbrorum, Maccus plurimarum rex insularum, & alii quinque Dufnallus, Siferthus, Huwallus, Iacobus, Iuchillus, vt mandarat occurrerunt, & quod sibi fideles & terra & mari cooperatores esse vellent, iurauerunt. Cum quibus die quadam scapham ascendit, illisque ad remos locatis, ipse clauum gubernaculi arripiens, eam per cursum fluminis Deæ perite gubernauit, omnique turba Ducum & procerum simili nauigio comitante, à palatio ad monasterium sancti Iohannis Baptistæ nauigauit. Vbi facta oratione, eadem pompa ad palatium remeauit. Quod dum intraret, optimatibus fertur dixisse, tunc demum quemque suorum successorum se gloriari posse regem Anglorum fore, cum tot regibus sibi subsequentibus potiretur pompa talium bonorum. Sumertunensis Episcopus Brihthelmus obiit, & in Willum humatus est. Cui successit Middeltunensis abbas Kynewardus.

ROMANORVM 91. Otto, regnauit annis decem, mensibus 7.

996 1. Hoc anno terræmotus per totam Angliam factus est maximus. Ebergerius archie- 974
piscopus Colonien sis obtulit in Sempiternum Scotis monasterium sancti Martini in Colonia. Cui primus præfuit abbas Minborinus Scotus.

997 2. Anglici orbis Basileus, flos & decus anteces sorum regum, pacificus rex Eadgarus, 975
non minus memorabilis Anglis quam Romulus Romanis, Cyrus Persis, Alexander Macedonibus, Arsaces Parthis, Carolus Magnus Francis, postquam cuncta regaliter consummauit, anno ætatis suę 32. regni autem illius in Mercia & Northimbria 19. ex quo vero per totã Angliam regnauit 16. Indict. tertia 8. Idus Iulii, feria quinta, ex hac vita trãsiuit: filiumque suum Eadwardum & regni & morum hæredẽ reliquit. Corpus vero illius Glastoniam delatum, regio more est tumulatum. Is itaque dum viueret 3600. robustas sibi cõgregauerat naues, ex quib. Paschali emensa solennitate omni an. 1200. in orientali 1200. in occidẽtali 1200. in septẽtrionali insulæ plaga coadunare, & ad occidentalẽ cum orientali classe, & illa remissa ad borealem cum occidentali, ipsaq; remissa cũ boreali ad orientalem classem remigare, eoq; modo totam insulã omni æstate consueuerat circũnauigare, viriliter hoc agens ad defensionem contra exteros regni sui, & suum suorumq; ad bellicos vsus exercitium Hyeme autem & vere infra regnum vsquequaque per omnes prouincias Anglorum transire, & quomodo legum iura, & suorum decretorum statuta à principibus obseruarentur, neue pauperes à potentibus præiudicium passi opprimerentur, diligenter solebat inuestigare. In vno fortitudinis in altero iustitiæ studens, in vtroque reipublicæ & regni vtilitatibus cõsulens. Hinc hostibus circumquaque timor, & omnium sibi subditorum erga eum excreuit amor. Cuius decessu totius regni status est perturbatus, & post tempus lætitiæ, quod illius tempore stabat pacifice, cœpit tribulatio vndiq; aduenire. Nã princeps Merciorum Alferus, quamplures que regni primates, magnis obcœcati muneribus, abbates cum monachis de monasteriis, in quibus rex pacificus Eadgarus eos locauerat, expulerunt, & clericos cum vxoribus suis introduxerunt. Sed huic vesaniæ viri timorati, Dux Orientaliũ Anglorum Athelwinus Dei amicus, & suus germanus Alfwoldus, & Brihtnothus Comes vir religiosus, restiterunt, & in Synodo constituti se nequaquam ferre posse dixerunt, vt monachi eicerentur de regno, qui omnem religionem tenuerunt in regno. Congregato dein exercitu, monasteria Orientalium Anglorum maxima strenuitate defendunt. Dum hæc aguntur, de rege eligendo magna inter regni primores oborta est dissensio. Quidam namque regis filium Eadwardum, quidam vero fratrem illius elegerunt Æthelredum. Quam ob causam archipræsules Dunstanus & Oswaldus, cum corepiscopis, abbatibus, Ducibusq; quamplurimis in vnũ conuenerunt, & Eadwardum, vt pater eius præceperat, elegerunt: electum consecrauerant, & in regem vnxerunt. Kynewardus Sumertunensis Episcopus obiit. Cometes stella autumnali tempore visa est.

998 3. Fames valida Angliam inuasit. Quo anno vir magnificus Dux Oslacus iniuste ex- 976
pellitur Anglia. 977

999 4. Rotbertus Moguntinus archiepiscopus obiit Idus Ianuarii: Willigisus successit. In Eastanglia apud villam, quæ Kyrtlinege nominatur, maxima Synodus celebratur. Dehinc apud Kalne regiam villam, dum alia celebraretur, totius Angliæ maiores natu, qui ibidem congregati fuerant, excepto sancto Dunstano, de solario corruerunt, quorum quidã mortui sunt, quidam vero mortis periculũ vix euaserunt. Tertia apud Ambres-

byrig Synodus celebrata est. Dnmnaniæ præsul Sidemannus obiit.

978 5. Rex Anglorũ Eadwardus, iussu nouercæ suæ Alftrythæ reginæ, in loco qui dicitur Coruesgeate, à suis iniuste occiditur, & apud Werham nõ regio more sepelitur. Cuius frater Æthelredus Clito egregius, moribus elegans, pulcher vultu, decorus aspectu, Indictione sexta, die dominica 18. Cal. Maii, post Paschalem festiuitatem à sanctis archipræsulibus Dunstano & Oswaldo, & decem Episcopis, in Kyngestune, ad regni fastigium est consecratus. Alfwoldus Dorsetensium Episcopus obiit, & in Scyreburna sepultus est. Nubes per totam Angliam media nocte nunc sanguinea, nunc ignea visa est: dehinc in radios diuersos, & colores varios mutata, circa auroram disparuit. 1000

979 6. Dux Merciorum Alferus cum multitudine populi Werham venit, sanctumque corpus pretiosi regis & martyris Eadwardi, de tumulo subleuari præcepit, quod dum esset nudatum, sanum atque incolume ab omni clade & contagione est inuentum: lotum deinde, nouisque vestimentis indutum, ad Scaftesbyrig est delatum, & honorifice tumulatum. 1001

980 4. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bissextilibus. Æthelgarus Noui monasterii venerabilis abbas, sexto Nonas Maii, Seolisigensis Ecclesiæ præsulatum suscepit. Eodem anno Suthamtonia à Danicis piratis deuastatur, & eius ciues omnes fere vel occisi, vel captiui sunt abducti. Nec multo post Tenetland insulam idem deuastat exercitus. Quo etiam anno ciuitas Legionum cum prouincia à Norwegensibus piratis deuastatur. 1002

981 8. Stephanus Papa 135. Sancti Petroci confessoris monasterium in Cornubia deuastatum est à piratis, qui anno præterito Suthamtoniã deuastarunt: qui deinde in Domnania, & in ipsa Cornubia circa ripas maris frequentes prædas agebant. Alfstanus Wiltuniensis Episcopus defunctus, Abbandoniæ sepelitur: pro quo Wulgarus Episcopatũ suscepit. Eximiæ vir religionis Wulstanus Glastoniensis Decanus obiit. 1003

982 9. Ad prouinciam Dorsetensium tres naues piratarum applicuerunt, & Portland deuastarunt. Londonia igne cremata est. Suthamtunensium Dux Æthelmarus, & Suthsaxonum Dux Eadwinus decesserunt, & istius corpus Abbandoniæ, illius vero Wintoniæ in Nouo monasterio sepultum est. Herelwa Sceaftesbyriensis, & Wulwin Werhamnensis abbatiſlæ de hac vita transierunt. Eodem anno Romanorum Imperator Otto secundus, cum in partes Græciæ deneniſſet, Saracenorum exercitũ (terras Christianorum depopulaturum) obuium habuit, cum quibus prælium iniit, cæsisq; multis ex his & illis, victor extitit. Quo domum reuertente, Otto filius fratris sui Ludolfi, filii imperatoris Ottonis primi, & filiæ regis Anglorum Eadwardi senioris, obiit. 1004

983 10. Dux Merciorum Alferus, regis Anglorum Eadgari propinquus, decessit: ciusq; Ducatum filius suus Alfricus suscepit. 1005

984 11. Sanctus Æthelwoldus Wintonienſis Episcopus, Indictione secunda, Cal. Augusti migrauit è seculo. Cui successit Bathonicus abbas Alfeagus. Hic in monasterio, cui Deorhyrſte vocabulum est, religionis susceperat habitum. Otto imperator secundus, obiit septimo Idus Decembris, feria secunda, & in Roma iacet. 1006

ROMANORVM 92. Otto tertius, filius secundi Ottonis, regnauit 18. annis, mensibusque 2.

985 1. Venerabilis monachus Eadwinus Abbandunensi monasterio abbatis iure præsidet. 1007

986 2. Rex Anglorum Æthelredus, propter quasdam dissensiones ciuitatem Roffensem obsedit, & visa capiendi illam difficultate, iratus discessit, & terras sancti Andreæ Apostoli deuastauit. Dux Merciorum Alfricus Alferi Ducis filius, Anglia expellitur. Minborinus abbas Scotus, in monasterio S. Martini in Colonia c biit 15. Cal. Augusti die dominica. Kilianus ei succedit. 1008

987 3. Hoc anno duæ retro seculis Anglorum genti incognitæ pestes, scilicet febris hominum, & lues animalium quæ Anglicæ Shitta vocatur, Latine autem fluxus intraneorum dici potest, totam Angliam plurimum vexauerunt, & clade perualida tam homines afficiendo, quam animalia penitus consumendo, per omnes fines Angliæ inedicibiliter desæuierunt. 1009

988 4. Ciclus decennou. 25. incipit, Indict. prima Wecedport à Danicis piratis deuastatur, à quibus etiã Satrapa Domnaniæ, Goda nomine, & miles fortissimus Strenwoldus, cum aliis nonnullis perimitur, sed tamen ex illis pluribus occisis, Angli loco funeris dominantur. B. Dunstanus Archiepiscopus Indict. prima 14. Calend. Iunii, Sabbato, ex hac vita transiuit, & supernæ ciuitatis sedem petiuit. Pro quo Æthelgarus Seolisigensis 1010

Episco-

5. Martinus Papa 136.

1011 6. Siricus Doroberniæ archiepiſcopus conſecratur. Eadwinus Abbandunenſis ab- 989
1012 bas obiit: cui Wulgarus ſucceſſit. Defuncto Alfſio Lindisfarnenſi præſule, Aldhunus ſuc- 990
ceſſit.

1013 7. Willigiſus arhiepiſcopus Moguntinus dedicauit Eccleſiam in Turinlan, Wicke- 991
ro comite rogante. Qui Wickerus mox eandem Eccleſiam, quæ etiam Dorlon nomina-
tur, cum omnibus, quæ in eadem marchia habuit, poſt obitum ſuum ſancto Martino, &
archiepiſcopo Moguntino contradidit. Eodem anno Gipeſwic Dani depopulati ſunt,
quorum duces fuerunt Iuſtinus, & Guthmundus filius Stercani. Cum quibus non mul-
to poſt ſtrenuus Dux Orientalium Saxonum Brihtnothus iuxta Mealdunan prælium
commiſit, ſed vtrinque infinita multitudine cæſa, ipſe Dux occubuit, Danica vero fortu-
na vicit. Quo inſuper anno Sirici Dorobernenſis archiepiſcopi, & Ducum Æthelwardi
& Alfrici conſilio Danis tributum, quod erat 10. millium librarum, primitus datum eſt, vt
à crebris rapinis, crematiõnibus, & hominũ occiſionibus, quas circa ripas maris frequen-
ter agebant, deſiſterent, pacemque firmam cum eis tenerent. Sanctus Oſwal-
dus archiepiſcopus monaſterium Rameſege, quod ipſe & Dei amicus Dux Orientali-
um Anglorum Æthelwinus conſtruxerunt, diuino adiutus auxilio, & confortatus
adminiculo Eſcwii Lincolnienſis Epiſcopi, ſexto Idus Nouembris, feria tertia, conſe-
crauit.

1014 8. Sanctus Oſwaldus archiepiſcopus, Indictione 5. ſecundo Cal. Martii, feria ſecun- 992
da, tranſiens ex hac vita, regni cœleſtis gaudia conſcendit, & Wigorniæ in Eccleſia ſan-
ctæ Mariæ, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, requieſcit. Cui venerabilis Medes-
hamſtudenſis abbas Aldulphus ſucceſſit, pro quo Kenulphus abbatis iure fungitur. Nec
diu poſt exceſſum beati Oſwaldi, egregiæ Dux memoriæ Æthelwinus Dei amicus de-
functus eſt, qui fratribus ſuis Æthelwoldo, & Alfwoldo, & Agelſino licet iunior ætate, il-
los tamen manſuetudine, pietate, bonitate, & iuſtitia excellebat, & vt vir maximæ hone-
ſtatis & munditiæ paradiſi ciuibus (vti credi liber) eſt allectus. Cuius corpus cum maxi-
mo honore Rameſegiam delatum, à ſancto Alfeago Wintonienſi Epiſcopo eſt tumula-
tũ. Conſilio iuſſuq; regis Anglorum Æthelredi, procerumque ſuorum, de tota Anglia ro-
buſtiores Lundoniæ congregatæ ſunt naues. Quas rex lectis inſtruens militibus, illis Al-
fricum cuius ſupra meminimus, & Thoredum Duces, Alftanum Wiltunienſem, & Æſc-
winum Epiſcopos præfecit, mandans vt ſi quo modo poſſent, Danorum exercitum in ali-
quo portu circumuallando comprehenderent. Verum Dux Alfricus clanculo nuntium
ad hoſtes mittens, hortatur, vt ſibi conſulerent, & præcauerent ne ab exercitu regis de im-
prouiſo circumuenirentur. Ipſe vero Dux exemplum flagitii ſingulare, nocte quæ præ-
ceſſit diem, quo cum Danis Angli ſtatuerant fortiter dimicare, clam omnibus ad claſſem
profugit Danicam, & cum eis mox fœdam iniit fugam. Quod vbi cognouit claſſis regia,
fugientes inſequitur: nec mora vna ex illis tantum nauis capitur, omnique in ea multitu-
dine cæſa ſpoliatur, cæteris per fugam lapſis, ſolum Lundonienſes cum Orientalibus An-
glis fortuito caſu occurrerunt, commiſſoque prælio multa millia Danorum occiderunt,
inſuper etiam Ducis Alfrici nauem cum militibus & armis (ipſo per fugam vix elapſo) ce-
perunt, & victores extiterunt.

1015 9. Hoc anno prædictus exercitus Danorum Bebbanburh infregit, & omnia quæ in 993
ea ſunt reperta, ſecum aſportauit. Dehinc ad oſtium Humbri fluminis curſum ſuum di-
rigens, in Lindeſege & in Northimbria multis villis incenſis, hominibusque cæſis, ma-
gnam prædam cepit. Contra quos, prouinciales quamplures conglobati, properanter
aſcenderũt: ſed cum prælium eſſent commiſſuri, duces exercitus Frana videlicet, Frithо-
giſtus, & Godwinus, quia ex paterno genere Danici fuerunt, ſuis inſidiantes, auctores
fugæ primitus extiterunt. Eodem anno iuſſu regis Æthelredi excæcatus eſt Algarus, præ-
dicti Ducis Alfrici filius.

1016 10. Anlafus rex Norreganorum & Sueinus rex Danorum, die Natiuitatis ſanctæ
Mariæ 94. trieribus Lundoniam aduehuntur. Quam mox effringere & incendere co- 994
nantur, ſed Dei ſuæq; genetricis Mariæ iuuamine, non ſine paruo detrimento ſui exerci-
tus à ciuibus repelluntur. Vnde furore ſimul & triſtitia exaſperati, eadem die receſſerunt
inde, & primitus in Eaſtſaxonia, & Cantia, circaq; maris ripas, deinde in Suthſaxonia, Su-
thãtunenſiq; prouincia villas incendunt, agros deuaſtant, & ſine reſpectu ſexus quampluꝛ-
res ferro & flãma abſumunt, prædamq; ingentem agunt. Ad poſtremum vero, equos ra-
piẽtes, multasq; prouincias debacchãdo diſcurrẽtes, ne ſexui quidẽ muliebri, vel innocuæ

par-

paruulorum pepercerunt ætati, quin vniuersos atrocitate ferina morti contraderent. Tũc rex Æthelredus procerum suorum consilio, ad eos legatos misit, promittens tributum & stipendium ea conuentione illis se daturũ, vt à sua crudelitate omnino desisterent. Qui petitioni regis acquiescentes, ad suas regressi sunt naues, & sic ad Suthamptun totus congregatus exercitus, ibidem hyemauit. Quibus de tota Westsaxonia stipendium dabatur, de tota vero Anglia tributum quod erat. 16. millia librarum dependebatur. Interea iussu regis Æthelredi Wintoniensis Episcopus Alfeagus, nobilisque Dux Æthelwardus regem Anlafum adierunt, obsidibusque datis illum ad regiam villam Andeafaran, vbi rex manebat, cum honore deduxerunt, quem rex honorifice suscepit, confirmari ab Episcopo fecit, sibi in filium adoptauit, regioque munere donauit. Ille vero se non amplius ad Angliam cum exercitu venturum, regi Æthelredo promisit, & ad naues postea rediit, æstateq; imminente ad patriam deuectus, sua promissa bene custodiuit.

995 11 Cometa visus est, & Siricus Dorobernensis Archiepiscopus obiit, & Alfricus Wiltunienſium Episcopus successit. Lindisfarne Ii dicitur insula, quæ à vulgo Haligealand appellatur, in mari sita est: maris recessus quotidie intrantibus siccum præbet iter. In hac insula sedes Episcopalis fuit Cuthberti, & antecessorum eius, successorum quoque multo tempore. Ea vero tempestate qua Hinguarus & Hubba Angliam deuastauerunt, Eardulfus qui tunc Episcopus erat Lindisfarnensis Ecclesiæ, cum his qui in Ecclesia erant, incorruptum S. Cuthberti corpus tollens, insulam reliquit propter Barbarorum immanitatem, & per aliquot annos incertis sedibus cum S. Cuthberti corpore vagabatur, donec in loco qui Kunegeceastre dicitur, Episcopalis cathedra esset locata, quod factum est tempore Alfredi regis Anglorum. Post multorum annorum curricula, regnante Æthelredo rege Anglorum, corpus sanctum sicut oraculo cœlesti præmonstratum fuerat, in Dunelmum perlatum est, atque sedes Episcopalis ibidem constituta. Idcirco sanctus Beda Lindisfarnensem Ecclesiam ponit, vbi primitus sedes erat Episcopalis. Tempore namque Bedæ nulla erat cognitio Dunelmi. Anno vero ab incarnatione domini Iesu Christi 995. sedes episcopalis in Dunelmum translata est. 1018

996 12 Alfricus Doroberniæ archiepiscopus consecratur.

997 13 Danorum exercitus, qui remanserat in Anglia, circumnauigata Westsaxonia, ostium Sabrinæ fluminis intrauit, & nunc septentrionalem Brittanniam, nunc Cornubiam, nunc in Domnania Wecedport deuastauit, villisque quamplurimis incensis, multas hominum strages dedit. Deinde Penwithsteort regirato, in ostium fluminis Tameræ Domnaniam & Cornubiam sequestrantis deuectus, nauibus prosiliuit, nulloque prohibente vsque ad Lidefordam suum incendium continuauit, & cædes hominum reiterauit. Ad hæc etiam Ordulfi Domnaniæ primatis monasterium, quod Teauistoke nominatur, combussit, ingentique præda onustus ad naues repedauit, eodemque in loco hyemauit. 1019

998 14 Agapitus. 137. papa. Memoratus Paganorum exercitus ostium fluminis, quod Frome dicitur, appulsus, Dorsetaniam maxima ex parte deuastauit. Dein frequenter insulam Vectam adiit, sæpe Dorsetaniam repetiit moreque solito prædæ institit, & quotiescunque in Vecta iacuit, de Suthsaxonia, & de Suthamtunensi prouincia sibi victum accepit. Aduersus tantam tempestatem multoties congregatus est exercitus, sed quoties prælium essent commissuri, Angli aut insidiis, aut aliquo infortunio impediti, terga verterunt & hostibus victoriam dederunt. 1020

999 15 Sæpe dictus Paganorum exercitus ostium Thamesis fluminis ingressus, per flumen Meadweage Roueceastram aduehitur, eamque paucis diebus obsidione cinxit. Ad quos repellendos conglobati Cantuarienses, asperum cum eis prælium ineunt, sed multi ex his & illis cæsis, Dani loco funeris dominantur. Hinc equites effecti, occidentalem Cantiæ plagam ferme totam sunt demoliti. Qua re cognita, rex Anglorum Æthelredus (suorum primatum consilio) & classem, & pedestrem congregauit exercitum. Verum dum paratæ essent naues, duces exercitus de die in diem moram cœptis innectentes, populum grauiter vexabant. Ad vltimum vero nec classica, nec pedestris manus quicquam communis vtilitatis agebat, præter populi laborem, pecuniæ per ditionem, hostium incitationem. 1021

1000 16 Danorum classis præfata, hoc anno, Normanniam petit. Rex Æthelredus terram Cumbrorum fere totam depopulatus est. Hic suæ classi mandauit, vt circumnauigata septentrionali Britannia, in loco constituto sibi occurreret, sed vi ventorum præpedita non potuit: insulam tamen, quæ Monege dicitur, deuastauit. 1022

1001 17 Inuentio corporis sancti Iuonis archiepiscopi. Memoratus Paganorum exercitus de Nor- 1023

de Normannia Angliam reuectus, ostium fluminis Eaxe ingreditur, & mox ad expugnandam vrbem Eaxanceastram egreditur, sed dum murum illius destruere moliretur, à ciuibus vrbem viriliter defendentibus repellitur, vnde nimis exasperatus, more solito villas succẽdendo, agros depopulando, homines cædendo, per Domnaniam vagatur. Quare Domnanienses, & Sumersetunenses in vnum congregati, in loco qui dicitur Penho, certamen cum eis ineunt, sed Angli pro militum paucitate Danorum multitudinem non ferentes, fugam capessunt, illi vero multa strage facta victores existunt. Deinde adepti caballos, per totam fere Domnaniam peiora prioribus mala gesserunt, ingentique præda capta, naues repetierunt. Inde ad Vectam insulam cursum direxerunt, & modo in ea, modo in Suthamtonia, modo in Dorsetania (nullo obsistente) diu solitæ prædæ insisterunt, & in homines ferro, & in villas igne sunt in tantum grassati, vt cum illis nec classica manus nauali, nec pedestris exercitus certare auderet prælio terrestri: idcirco & regi non parua mœstitia & populo indicibilis inerat tristitia.

1024 18. Otto tertius Imperator obiit decimo Cal. Febr. sepultusque est Aquisgrani. Rex 1002
Anglorum Æthelredus, habito consilio cum regni sui primatibus, vtile duxit à Danis dextras accipere, illisque vt à malis cessarent, stipendium dare, & placabile tributum soluere. Huius rei gratia Dux Leofsinus ad eos est transmissus, qui cum venisset, stipendium & tributum vt acciperent, flagitauit. Illi vero legationem eius libenter amplectentes, petitis acquieuerunt, & pro tenenda pace quàntum tributi sibi dependeretur statuerunt. Nec diu post 24. millia librarum illis persoluebantur. Interea idem Dux Leofsinus nobilem virum Eaficum (summum regis Præpositum) occidit, vnde rex ira succensus, patria illum expulit. Eodem anno Emmam, Saxonice Alfgiuam vocatam Ducis Normannorum primi Ricardi filiam, rex Æthelredus duxit vxorem. Aldulfus Archipræsul Eboracensis, coepiscopis, abbatibus, presbyteris, monachis, religiosis quoque viris aggregatis, sancti Oswaldi archipræsulis ossa anno regis Anglorum Æthelredi 25. Indictione 15. 17. Cal. Maii, feria quarta è tumulo leuauit, & in scrinio (quod parauerat) honorifice locauit: & non multo post, id est, secundo Nonas Maii, ipse defunctus, in Ecclesia sanctæ Mariæ Wigorniæ est sepultus. Cui successit abbas Wulstanus. Quo etiam anno rex Æthelredus omnes Danos, Angliam incolentes, maiores & minores, vtriusque sexus, occidi iussit, quia illum, suosq; primates vita regnoq; priuare, & totius Angliæ dominium suæ ditioni conati sunt subdere.

ROMANORVM 93. Henricus, regnauit annis 22. Qui die dominico, septimo Idus Iunii, electione populi laudatus, in regem ipso die ab Archiepiscopo Moguntino Willigiso, ante altare sancti Martini, consecratus & coronatus est.

1025 1. Octauianus 138. Papa. Hoc anno rex Danorum Suanus per consilium, incuriam, 1003
& traditionem Normannici Comitis Hugonis, quem regina Emma Domnaniæ præfecit, ciuitatem Eaxanceastram infregit, spoliauit, murum ab orientali vsque ad occidentalem portam destruxit, & cum ingenti præda naues repetiit. Post hæc autem, cum Wilrunienſem prouinciam deuastaret, fortis exercitus de Suthamtunensi & Wiltunensi prouinciis congregatus, viriliter & constanter aduersus hostes pugnaturus, ascendit. Sed cum tam prope essent exercitus, vt alter alterum videre potuisset, Alfricus Dux supra memoratus, qui loco ducis Anglis tunc extitit, antiquas artes statim prodidit, & simulata infirmitate vomere cœpit, dicens se magnam infirmitatem incurrisse, & ob hoc cum hostibus non posse dimicare. Cuius inertiam & timiditatem vt vidit exercitus, à suis inimicis sine pugna diuertit mœstissimus. Vnde dictum est in antiquo prouerbio, Tremescente duce in prælio, cæteri omnes præliatores efficiuntur pauidiores. Suanus autem videns Anglorum inconstantiam, ad ciuitatem Wiltoniam suum duxit exercitum, eamque deuastauit, & incendit. Simili quoque modo Særbyriam consumpsit, & post suas naues repetiit. Kilianus abbas Scotorum sancti Martini, ipsecq; Scotus, obiit 19. Cal. Ianuarii. Helias Scotus post eum successit.

1026 2. Rex Danorum Suanus cum sua classe Northwick aduectus, illam deuastauit & in- 1004
cendit. Tunc magnæ strenuitatis Dux Eastanglorum Vlfketellus, quia ex improuiso venit, nec contra eum spatium congregandi exercitum habuit, cum maioribus Eastangliæ habito consilio, pacem cum eo pepigit. Verum ille, dirupto fœdere, tertia post hæc hebdomada, cum copiis suis latenter è nauibus prosiliens, Theotfordam inuasit, deuastauit, nocte vna in ea mansit, diluculo incendit. Quo cognito, Dux Vlfketellus quibusdam de prouincialibus mandauit, vt hostium naues confringerent: at illi vel non audebant, vel iussa perficere negligebant. Ipse vero interim (quam citius potuit) clam suum congregans exercitum, aduersus hostes audacter ascendit: quibus ad naues repedantibus, non

æqua

æqua manu militum illis occurrit, durissimumq; cum eis prœliũ commisit, multisq; ex his & illis cæsis, nobiliores quique de Eastanglia corrueruut, Dani vero vix euaserunt. Sed si vires Eastanglorum iam adessent, nullo modo naues suas repeterent. Vt enim ipsi testati sunt, durius & asperius bellum in Anglia nunquam experti sunt, quam illis Dux Vlfketellus intulerat.

1005 3 Hoc anno dira magnaq; fames Angliam inuasit, quapropter rex Danorum Suanus 1027
Denemerciam reuertitur, post non longum tempus reuersurus.

1006 4. Alfricus Dorobernensis Archiepiscopus obiit, cui Wintoniensis Episcopus Alfe- 1028
agus successit, & pro illo Kenulfus Episcopatum suscepit. Rex Æthelredus Wulfgeatum Leouici filium, quem pene plus omnibus dilexerat, propter iniusta iudicia, & superba, quæ gesserat opera, possessionibus, omnique honore priuauit. Dolosus & perfidus Edricus Streona dolum aduersus nobilem Ducem Alfhelmum cogitans, apud Scrobbesbyrig magnum ei parauit conuiuium, ad q; cum inuitatus veniisset, suscepit eũ Edricus, quasi suus familiaris amicus: sed insidiis præparatis, tertio vel quarto die conuiuii, illũ secum venatum in syluam duxit. Vbi cunctis circa venationem occupatis, quidam Scrobbesbyrigensis carnifex, Godwinus Porthund, id est, Oppidi canis, quem multo ante donis magnis, multisq; promissionibus (pro patrando facinore) excæcauerat Edricus, ex insidiis subito prosiluit, & ducem Alfhelmum nefarie peremit. Paruo interiecto tempore, filii eius Wulfeagus, & Wegeatus, iussu regis Æthelredi, apud Cocham, vbi ipse tunc degebat, cæcati sunt. Kenulfus Wintonienſis Episcopus obiit, cui Æthelwoldus successit. Mense dehinc Iulio, Danorum classis innumera, Angliam aduecta, portum Sandicum subiit, & cæde ac incendio obuia quæq; consumens, modo in Cantia, modo in Suthsaxonia maximam prædam egit. Ob hæc rex Æthelredus de Mercia & Westsaxonia exercitum cõgregauit, & cum eis fortiter dimicare statuit: sed illi, cum eo palam confligere nullatenus voluerunt, verum nunc in his, nunc in illis locis rapinas frequentes exercuerunt, & mox ad naues more solito repedabant, eoque modo per totum autumnum Anglorum vexabant exercitum. Quo domum redeunte (nam hyems imminebat) illi cum enormi præda Vectam insulam adiere, & ibidem vsque ad Natiuitatem Domini mansere. Qua aduenientes, quia rex tunc temporis in Scrobbesbirienſi prouincia morabatur, per Suthamtunensem prouiniam ad Bearucscire venerunt, & Readingum, Walingafordam, Ceoleseiam vicosque quamplurimos combusserunt. Inde mouentes, Easceſdune transito, Cuiccelmeslawe adierunt. Vnde per aliam viam reuertentes, iuxta Kenetan incolas loci paratos ad prælium offenderunt, statimq; cum eis commiserunt, illosque fugauerunt, & postmodum cum præda quam ceperant, ad naues repedarunt.

1007 5. Ciclus decennou. 26. incipit Indict. 5. Hoc anno rex Anglorum Æthelredus cum 1029
consilio primatum suorum nuncios ad Danos legans, eis nunciare mandauit, quod sumptus & tributum eo tenore illis dare vellet, vt à rapinis desisterent, & pacem cum eo firmã tenerent. Cuius postulationi consenserunt, & ex eo tempore de tota Anglia sumptus illi dabatur: & tributum, quod erat 36. millia librarum persoluebatur. Quo etiam anno rex, Edricum supra memoratum Ægelrici filium, hominem humili quidem genere, sed cui lingua diuitias ac nobilitatem comparauerat, callentem ingenio, suauem eloquio, & qui omnes id temporis mortales tum inuidia atque perfidia, tum superbia & crudelitate superauit, Merciorum constituit Ducem. Cuius fratres extiterunt Brihtricus, Alfricus, Goda, Agelwinus, Agelwardus, Agelmerus pater Wulnothi, patris Westsaxonum Ducis Godwini.

1008 6. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bissextilibus. Rex Anglorum Æthelredus 1030
de 310. cassatis vnam trierem, de nouem vero loricam & cassidem fieri, & per totam Angliam naues intente præcepit fabricari. Quibus paratis, electos in eis milites cum alimentis posuit, & vt ab exterorum irruptionibus fines regni sui defenderent, illas ad Sandicum portum congregauit. Eo tempore, vel paulo ante, frater perfidi Ducis Edrici Streonæ Brihtricus, homo lubricus, ambitiosus, & superbus, apud regem iniuste accusauit Suthsaxonum Ministrum Wulnothum, qui ne caperetur, mox fugam iniit, & 20. nauibus acquisitis, circa ripas maris rapinas frequentes exercuit. Vbi autem regiæ classi nunciatum est, quod si quis vellet illum facile capere posset 80. trieribus assumptis ad persequendum illum Brihtricus profectus est: sed cum diu prospere nauigasset, subito validissima tempestas oborta naues diuerberauit, conquassauit, & in aridam proiecit, quas Wulnothus non multo post exussit. Ea re cognita, rex cum Ducibus & proceribus domum rediit, classis vero iussu illius Lundoniam adiit, sicque totius populi maximus labor periit.

7. Leo

1031 7 Leo. 139.papa.Danicus comes Turkillus ſua cum claſſe ad Angliam venit: ex in- 1009
de menſe Auguſto alio claſſis Danorum innumerabilis, cui præerant duces Hemmingus & Eiglafus, ad Tenedland applicuit,& prædictæ claſſi ſine delatione ſe adiunxit. Deinde ambæ Sandicum portum adeunt, & è nauibus proſilientes, ciuitatem Cantuariam hoſtiliter adeunt,eamque effringere cœperunt. A quibus mox ciues Cantuarienſes, cum Orientalibus Cantuariis dextras petentes,acceperunt, & eis. 3000. libras pro firma pace dederunt. Illi autem naues repetentes,ad Vectam inſulam curſum direxerunt,deinde in Suthſaxonia & Suthamtunenſi prouincia circa ripas maris, vti conſueuerant, frequenter prædam egerunt, & villas quamplures incenderunt. Quocirca rex Æthelredus de tota Anglia exercitum congregauit, & per prouincias (mari vicinas) aduerſus illorum irruptiones locauit. Sed illi pro hoc non deſtiterunt, quin pro ſitu vbique locorum rapinas agerent. Quadam igitur vice, dum illi ſolito longius à mari prædatum deſcederent & onerati præda redirent, viam (qua ad naues ſuas reuerſuri erant) rex præoccupauit multis millibus armatorum inſtructus, & (vt totus erat exercitus) mori vel vincere paratus. At perfidus Dux Edricus Streona, gener eius, habuit enim in coniugio filiam eius Eadgitham, & inſidiis & perplexis orationibus ne prælium inirent, ſed ea vice ſuos hoſtes abire permitterent, modis omnibus laborauit. Suaſit & perſuaſit, & à manibus Anglorum Danos (vt patriæ proditor) eripuit, & abire permiſit. Illi vero ab eis diuertentes, magno cum gaudio ad ſuas naues regreſſi ſunt. Poſt hæc, emenſa ſancti Martini feſtiuitate, in Cantiam deuecti, in Thameſi flumine hyemalem ſtationem elegerunt, & ſumptus de Eaſtſaxonia aliiſque prouinciis vtrique ripæ fluminis vicinis, ſibi rapuerunt. Sæpe etiam ciuitatem Lundoniam aggreſſi,expugnare moliti ſunt,ſed à ciuibus non ſine magno ſuorum detrimento repulſi ſunt.

1032 8 Brunus Epiſcopus martyrizatus eſt. Memoratus Danorum exercitus menſe Ianua- 1010
rio nauibus exilientes, per ſaltum qui dicitur Ciltern, Oxenefordam adeunt, eamque deuaſtantes incendunt, & ſic in vtraque parte Thameſis in reuertendo prædam agunt. Quibus cum nunciatum fuiſſet, exercitum aduerſus illos Lundoniæ congregatum, & cum eis prælium commiſſurum, pars exercitus per ſeptentrionalem ripam gradientis, in loco qui dicitur Stane tranſiuit, & in vnum collecti, prædæque vbertate ditati, per Suthregiam ad ſuas repedarunt naues. Quas tempore quadrageſimali, dum conſiſterent in Cantia, refecerunt. Poſt Paſcha Eaſtangliam aduecti, & prope Gipeſwic nauibus egreſſi, ad locum qui Ringmere dicitur, vbi Ducem Vlfketellum cognouere conſediſſe perrexerunt,& durum cum eo prælium tertio Nonas Maii commiſerunt. Sed cum pugna vehemens eſſet, Eaſtangli terga verterunt, quodam Danico Miniſtro Turkitelo cognomento Myrenheafod,fugam primitus incipiente. Verum Grantebricgenſes viriliter pugnantes diu reſtiterunt, victique demum fugerunt. In eo prælio gener eius Æthelſtanus, nobilis Miniſter Ofwius cum filio, Wulfricus Leofwini filius, Eadwinus Alfrici præfati germanus,& multi alii nobiles Miniſtri, populuſque innumerabilis, corruerunt. Dani vero, loco funeris dominati, Eaſtangliam obtinuerunt, & equites effecti, tribus menſibus,per totam prouinciam diſcurrere, prædas agere, villas cremare, homines & animalia non ceſſabant trucidare, in paludibus etiam id idem per omnia fecerunt. Exin Theotfordam & Grantebricge deuaſtantes, cremarunt. His geſtis, pedites nauibus deuecti,equites vero equis ſubuecti, Thameſim fluuium repetierũt. Paucis diebus interiectis, iterum deprædaturi exierunt, & recto tramite ad Oxenefordenſem prouinciam tetenderunt, eamque primitus, deinde Bukingamnenſem, Bedefordenſem, Heortfordenſem prouincias, villaſque cremando, homines & animalia trucidando, depopulati ſunt, & poſt ad naues ſuas cum ingenti præda regreſſi ſunt. Poſt hæc circa feſtiuitatem ſancti Andreæ apoſtoli, Northamtuniam, & in circuitu eius quantum volebant, igni tradiderunt,& inde Thameſim fluuium tranſeuntes, Weſtſaxoniam adierunt & Kaningamerſce, maioriq; parte Wiltunenſis prouincię cremata, more ſolito cum præda magna ad ſuas naues circa Natiuitatem domini reuerſi ſunt.

1033 9 Willigiſus archiepiſcopus Moguntinus obiit feria ſexta, 7. Calend. Martii, Erkan- 1011
baldus abbas Fuldenſis ſucceſſit ei. Eaſtanglia, Eaſtſaxonia, Middelſaxonia, Heortfordenſi, Bukingahamnenſi, Oxenefordenſi, Grantebricgenſi prouinciis, medietate quoq; Huntedunenſis prouinciæ, magnaque parte Northamtunenſis pagi, in auſtrali vero plaga Thameſis fluminis, Cantia, Suthregia, Suthſaxonia, Suthamtunenſi, Wiltunenſi, Bearroſcirenſi prouinciis, à memorato Danorum exercitu, ferro flammaque demolitis, rex Anglorum Æthelredus, & regni ſui primates ad illos miſerunt legatos,pacem ab eis petentes, & vt à depopulatione deſiſterent, ſtipendium & tributum promittentes.

Quibus auditis, vt rei probauit exitus, non sine dolo & simulatione oblatis consenserunt. Licet enim eis affluenter sumptus pararetur, & ad sua vota tributum penderetur, non tamen destiterunt quin turmatim per prouincias vbiuis discurrentes, villas deuastarent, rebus suis miseros quosdam spoliarent, quosdam vero necarent. Ad vltimum inter Natiuitatem sanctæ Mariæ, & sancti Michaelis festiuitatem, Cantuariam circumuallantes, obsederunt. Vicesimo autem obsidionis die, per insidias Almeari archidiaconi, quem sanctus Alfegus ne morti traderetur prius eripuit, pars ciuitatis incenditur, exercitus ingreditur, vrbs capitur: alii ferro iugulantur, alii flammis consumuntur, plures quoq; de muris præcipites dantur, nonnulli per verenda suspensi deficiunt. Matronæ crinibus per plateas ciuitatis distractæ, demum flammis iectæ, moriuntur. Paruuli à matrum vberibus auulsi, aut lanceis excipiuntur, aut super acto carro minutatim conteruntur. Interea archipræsul Alfegus capitur, vincitur, tenetur, & variis modis afficitur. Almarus abbas monasterii sancti Augustini abire permittitur. Capiuntur Godwinus Rhofensis Episcopus, Leofruna abbatissa monasterii sanctæ Mildrithæ, Alfredus regis Præpositus, monachi quoq; & clerici, populusq; vtriusq; sexus innumerabilis. Exin Ecclesia Christi spoliata comburitur, grex monachilis & turba virilis, sed muliebris nec infantilis, decimatur, nouem trucidantur, decimus vitæ reseruatur. Quatuor monachis & 800. viris decimatorum summa perficitur. Populo cæso, vrbe spoliata, & tota cremata archipræsul Alfeagus vinctus extrahitur, impellitur, grauiter sauciatur, ad classem ducitur, post in carcerem retruditur, ibique 7. mensibus affligitur. Interea ira Dei in homicidam populũ desæuiens, ex eis duo millia per diros internorum cruciatus prostrauit. Cæteri quoq; simili modo percussi, à fidelibus commouentur vt pontifici satisfaciant: sed differunt. Præualuit interim clades, & nunc denos, nunc vicenos, nunc plures absumpsit.

1012 10. Perfidus Dux Edricus Streona, & omnes Angliæ primates vtriusque ordinis, ante Pascha Lundoniæ congregati sunt, & ibi tam diu morati sunt, quousque tributum Danis promissum, quod erat 48. millia librarum, persolueretur. Interea sacrosancto dominicæ requiei Sabbato archipræsuli Alfeago à Danis proponitur cõditio, vt si vita ac libertate velit potiri 3000. librarum persolueret. Illo nolente necem eius vsque ad aliud Sabbatum protelant, quo adueniente, aduersus illum exarserunt ira magna: & quia vino nimis inebriati fuerant, & quia prohibuerat ne quis pro sua redemptione quicquam eis daret, proinde de carcere ducitur, ad eorum concilium protrahitur. Mox illi è sedibus prosiliunt, auersis securibus illum deiiciunt, lapidibus, ossibus, bouinis capitibus obruunt. Ad vltimum quidam Thrum nomine, quem confirmauit pridie, impia motus pietate, securim capiti illius infixit. Qui statim in Domino 13. Cal. Maii obdormiuit, & victorem spiritum cum triumpho ad cœlum direxit. Cuius corpus die sequenti Lundoniam defertur, à ciuibus honorifice suscipitur, & ab Episcopis Eadnotho Lindicolinensi, & Alfhuno Lundonensi in Ecclesia sancti Pauli sepelitur. Post hæc tributo soluto, & pace iuramentis firmata, Danica classis vt prius erat congregata, longe lateq; dispergitur, sed cum rege 45. naues remansere, eiq; fidelitatem iurauere, & aduersus exteros, Angliam se defensuros eo tenore promisere, vt eis victum tegimenq; præberet. 1034

1013 11. Liuingus archipræsulatum Doroberniæ suscepit. Mense Iulio rex Danorum Suanus cum valida classe ad Sandicum portum est appulsus, ibiq; paucis diebus moratus, discessit: & Eastanglia circumnauigata, ostium Humbri fluminis intrauit, de quo in flumen Trentam intrauit, Geainesburh nauigauit, vbi & castra posuit. Cui sine cunctatione Gomes Vhtredus & Northimbrenses, & Lindisienses primitus, deinde Fifburgenses, mox etiam omnis populus qui habitabat in septentrionali plaga Weatlingastreate, id est strata quam filii Watlæ regis ab Orientali mare vsque ad Occidentale per Angliam straurunt, deditionem obtulerunt, & pace cum illo stabilita, obsidibusq; datis, fidelitatem ei iurauerunt, quibus præcepit, vt equos & alimenta suo exercitui pararent. His impletis, & classe cum obsidibus Canuto filio suo commendata, sibi lectos auxiliarios de deditis sumens, aduersus Australes Mercios expeditionem mouit, & pertransita Weatlingastreta suis edictum posuit, videlicet vt agros deuastarent, villas cremarent, Ecclesias spoliarent, quicquid masculini sexus in manus veniret, sine respectu misericordiæ iugularent, & omnia quæ possent mala peragerent. Quibus ita facientibus, & rabie ferina debacchantibus, venit Oxenefordam, & illam citius quam putauit obtinuit, obsidibusque acceptis, festinato Wintoniam properauit. Quo cum venisset, crudelitatis eius magnitudine ciues Wintonienses perterriti, pacem cum eo sine mora fecerunt, & obsides quos libuit, & quot expediuit, dederunt. Quibus acceptis, versus Lundoniam mouit exercitum, de quo multi in Thamesi flumine submersi interierunt, quia nunquam pontem 1035

neq;

neq; vadum quærere voluerunt. Cumq; Lundoniam veniſſet, multis modis illam vel dolo capere, vel vi expugnare conatus eſt. Sed rex Anglorum Æthelredus cum ciuibus, & iuuamine Danici Comitis Turkilli ſæpe memorati, qui ſecum tunc temporis intus erat, muros vrbis viriliter defendit, & illum abegit. Qui repulſus, primo Walingafordam dein Bathan, obuia quæque more ſolito rapiendo, & demoliendo, adiit: ibique exercitũ ſuum refrigerando conſedit. Tunc venit ad eum Athelmarus Domnaniæ Comes, & cum eo occidentales Miniſtri, & pace cum illo facta, obſides illi dederunt. Quibus omnibus ad velle peractis, ad ſuam claſſem reuerſus, ab omni Anglorum populo rex (ſi rex iure queat vocari qui fere cuncta tyrannice faciebat) & appellabatur, & habebatur. Ciues etiam Lũdonienſes obſides illi miſerunt, & pacem cum eo fecerunt: metuebant enim furorem illius in tantum ſuper ſe exardeſcere, vt omnibus ſuis rebus ablatis, vel oculos illorum erui, vel manus aut pedes detruncari iuberet. Quod cum vidiſſet rex Æthelredus, reginam Emmam Normanniam ad ſuum fratrem, ſecundum Ricardum Normannorum Comitem, & filios ſuos Eadwardum & Alfredum, cum magiſtro illorum Alfhuno Lundonienſi Epiſcopo, & Alffinum Medeshamſtudenſem abbatem nauiter miſit. Ipſe vero cum Danica claſſe, qui in Thameſi flumine iacebat, in loco qui dicitur Grenewic, aliquantiſper manſit, & poſt ad Vectam inſulam deuectus, Natiuitatem Domini in illa celebrauit. Qua peracta, Northmanniam deuehitur, & à Ricardo Comite honorifice ſuſcipitur. Interea Suanus tyrannus, ſuæ claſſi ſumptus affluenter parari, & tributum fere importabile ſolui præcepit. Similiter per omnia Comes Turkillus claſſi, quæ apud Grenewic iacebat, ſolui mandauit, & ſuper hæc omnia vterq; illorum quotieſcunque eis libuerat, prædas egit, & multa mala fecit.

1036 12. Suanus tyrannus, poſt innumerabilia & crudelia mala, quæ vel in Anglia vel in 1014
aliis terris geſſerat, ad cumulum ſuæ damnationis ex oppido, vbi corpus pretioſi martyris Eadmundi incorruptum requieſcit, quod nemo prius audebat facere ex quo id oppidum datum fuerat memorati ſancti Eccleſiæ, grande tributum auſus eſt exigere. Quod ſi cito non penderetur, ſe procul dubio ipſum oppidum cum oppidanis crematurum, ipſius martyris Eccleſiam funditus euerſurum, clericos variis modis cruciaturum, minatus eſt ſæpiſſime. Inſuper frequenter ipſi martyri multis modis detrahere, & illum nil ſanctitatis habere ore profano & ſacrilego auſus eſt euomere. At quia modum ſuæ malitiæ noluit ponere, vltio diuina non permiſit blaſphemum diutius viuere. Deniq; imminente veſpera diei, qua in generali placito, quod apud Geignesburgh tenuerat, hæc eadem minitans reiteraret, cum Danorum cuneis circumuallatus eſſet denſiſſimis, ſanctum Eadmundum ex aduerſo venientem ſolus vidit armatum. Quem cum vidiſſet, expauit, & nimio cum clamore vociferari cœpit ſuccurrite, commilitones, ſuccurrite, ecce ſanctus Eadmundus me venit occidere, & hoc dicendo, acriter à ſancto confoſſus cuſpide, de emiſſario cui inſederat, decidit, & vſq; ad noctis crepuſculum magno cruciatus tormento, tertio Nonas Februarii, miſerabili morte vitam finiuit. Quo mortuo, filium eius Canutum ſibi regem conſtituit claſſica manus Danorum. At maiores natu totius Angliæ, ad regem Anglorum Æthelredum pari conſenſu nuncios feſtinanter miſerunt, dicentes ſe nullum plus amare vel amaturos eſſe quam ſuum naturalem dominum, ſi ipſe vel rectius gubernare, vel mitius eos tractare vellet, quam prius tractarat. Quibus auditis, Eadwardum filium ſuum cum legatis ſuis ad eos dirigens, maiores minoresque gentis ſuæ, amicabiliter ſalutauit, promittens ſe illis mitem deuotumq; dominum futurum, in omnibus eorum voluntati cõſenſurum, conſiliis acquieturum, & quicquid ſibi vel ſuis ab illis probroſe & dedecoroſe dictum vel contrarie factum fuerat, placido animo condonaturum, ſi omnes vnanimiter & ſine perfidia illum recipere vellent in regnum. Ad hæc cuncti benigni reſponderunt. Dein amicitia plenaria ex vtraq; parte & verbis & pacto confirmatur. Ad hæc principes ſe non amplius Danicum regem admiſſuros in Angliam vnanimiter ſpoponderunt. His geſtis, ab Anglis in Normanniam mittitur, rex feſtinato quadrageſimali tempore reducitur, & ab omnibus honorabiliter excipitur. Interea Canuto & Lindiſienſibus conuenit, vt caballis exercitui ſuo paratis, prædatum ſimul deſcenderent, ſed antequam eſſent parati, venit illo rex Æthelredus cum exercitu valido, & Canuto cum claſſica manu expulſo, Lindeſegiam totam depopulans, flammisq; conſumens, omnes incolas (quos poterat) occidit. Ille vero fugæ præſidio celeriter arrepto verſus Auſtrum curſum dirigens, breui Sandicũ ad portum eſt appulſus: & obſides qui de tota Anglia patri ſuo dati fuerant, in terram expoſuit, illorumq; manibus truncatis, auribus amputatis, naribus præciſis, abire permiſit, & deinceps profectus eſt Denemerciam, anno ſequenti reuerſurus. Super hæc omnia mala rex Æthelredus claſſi, quę apud Grenewici iacuit, tributum (quod erat 30. millia librarum)

pendi mandauit. Mare littus egreditur tertio Cal. Octobris, & in Anglia villas quamplurimas, innumerabilemq; populi multitudinem submersit.

1015 13. Hoc anno, cum apud Oxenefordam magnum haberetur placitum, perfidus Dux 1037
Edricus Streona, digniores & potentiores Ministros ex Seouenburgēsibus, Sigeferthum, & Morcarum filios Earngrimi, in cameram suam dolose suscepit, & occulte eos ibi necari iussit: quorum facultates rex Æthelredus accepit, & derelictam Sigeferthi Aldgitham ad Maidulfi vrbem deduci præcepit. Quæ cum ibi custodiretur, venit illuc Eadmundus Clito, & contra voluntatem sui patris illam sibi vxorem accepit, & inter Assumptionem & Nauitatem sanctæ Mariæ profectus ad Fifburgingos, terram Sigeferthi & Morcari inuasit, ac populum illarum sibi subiugauit. Eodem tempore Canutus rex Danorum cum magna classe ad Sandicum portum venit, & mox Cantia circumnauigata ostium Fromæ fluminis introiuit, & in Dorsetania, & Sumersetonia, Wiltonienſique prouinciis magnam prædam egit. Tunc quia rex Æthelredus apud Cosham ægrotauit, Eadmundus Clito filius eius, ex sua parte, & Dux insidiis doloque plenus Edricus Streona suum magnum congregauit exercitum: sed eum in vnum conuenirent, modis omnibus insidias Clitoni Dux tetendit, illumq; dolo perimere tentauit. Quibus cognitis, mox ad inuicem discesserunt, & locum suis inimicis dederunt. Non diu post, Dux de regia classe 40. naues, Danicis militibus instructas, sibi allexit, & Canutum adiens, ipsius dominio se mancipauit. Idem Westsaxones datis obsidibus fecerant, & postea caballos exercitui parauerant.

1016 14 Rex Danorum Canutus, & perfidus Dux Edricus Streona, cum multo equitatu 1038
amnem Thamesim (in loco qui Criccelade dicitur) transeuntes, ante Epiphaniam domini Merciam hostiliter intrauerunt, & multas villas in Warrewicana prouincia populantes incēderunt, ac omnes (quos inuenerant) occiderūt. Quod vt audiuit Clito Eadmundus (cognomine Ferreū Latus) exercitum festinato congregauit, sed cū congregatus esset, cū Westsaxonicis & Danis nolebant congredi Mercenses: quapropter expeditione dimissa, vnusquisq; redit in sua. Festiuitate vero transacta, iterū Eadmundus Clito maiorem congregauit exercitum: quo congregato, nuntios Lundoniam misit, rogans patrem suum vt cum omnibus, quos habere poterat sibi quam citius posset occurreret: qui multis pugnatoribus coadunatis, illi festinanter occurrit. Sed cum exercitus in vnum conuenissent, intimatum est regi, quod nisi præcaueret sibi, quidam ex suis auxiliariis essent illum tradituri. Idcirco mox exercitu dimisso, Lundoniam rediit, Clito vero in Northimbriam iuit. Vnde putabant nonnulli, quod adhuc aduersus Canutum congregare maiorem vellet exercitum: sed sicut Canutus & Edricus ex vna parte, ita ille & Vhtredus, Northimbrorum Comes, prouincias nonnullas sunt depopulati. Nam prius Staffordensem, deinde Scrobbesbyriensem, & Leogeceſtrensem prouincias deuastauere, quia aduersus Danorum exercitum ad pugnam exire noluerunt. Interea Canutus & Edricus Streona, primitus Bukinghamnensem, Bedefordensem, Huntadunensem, Northamtunensem, Lindicolinensem, Snotinghamnensem prouincias, dein Northimbriam depopulātur. Quo cognito, Clito Eadmundus depopulatione dimissa, ad patrem suum Lundoniam properauit. Comes vero Vthredus domum rediit, & necessitate compulsus, ad Canutum cum omnibus Northimbrensibus se contulit, & obsides ei dedit: & tamen eius iussu vel permissu, à Thurebrando nobili & Danico viro est peremptus, & cum eo Turketellus Neauanæ filius. Quo patrato, Canutus Egricum pro Vthredo Comitem posuit, & post alacer versus austrum per aliam viam regressus, ante Paschalem festiuitatem suas cum omni exercitu naues repetiit. Eo tempore rex Anglorum Æthelredus 14. Indictione, nono Cal. Maii, feria 2. Lundoniæ defunctus est, post magnos labores & multas vitæ suæ tribulationes: quas super illum venturas, regalis consecrationis suæ die, post impositam coronam, prophetico spiritu sanctus ei prædixerat Dunstanus. Quoniam, inquit, aspirasti ad regnum per mortem fratris tui, quem occidit mater tua, propterea audi verbum domini: hæc dicit Dominus. Non deficiet gladius de domo tua, sæuiens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo, quousq; regnum tuum transferatur in regnum alienū cuius ritum & linguam gens cui præsides, nō nouit. Nec expiabitur nisi longa vindicta peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum virorum qui interfuere consilio eius nequam. Corpus autem illius in Ecclesia sancti Pauli Apostoli honorifice sepultum est. Post cuius mortem Episcopi, Abbates, Duces, & quiq; nobiliores Angliæ, in vnum congregati, pari consensu, in dominum & regem sibi Canutū elegere, & ad eum in Suthamtonia venientes, omnemq; progeniem regis Æthelredi, coram illo abnegando repudiātes, pacē cum eo cōposuere, & fidelitatē illi iurauere, quib. & ille iurauit q; & secundum Deū, & se-

& secundum seculum fidelis esse vellet eis dominus. At ciues Lundonienses, & pars nobilium, qui eo tempore consistebant Lundoniæ, Clitonem Eadmundum vnanimi consensu in regem leuauere. Qui solii regalis sublimatus culmine, intrepidus Westsaxoniam rediit sine cunctatione, & ab omni populo magna susceptus gratulatione, suæ ditioni subegit eam citissime. Quibus auditis, multi Anglorum populi magna cum festinatione illi se dederunt voluntarie. Canutus autem interim cum tota sua classe circa Rogationes Lundoniam deuehitur. Quo cum venisset, in australi parte Thamesis fluminis magnam scrobem foderunt, & naues suas in Occidentalem plagam pontis traxerunt: dein vrbem alta lataque fossa & obsidione cingentes, ingressum & egressum cunctis intercluserunt, ac eam frequenter expugnare moliti sunt, sed à ciuibus, illis viriliter resistentibus, procul à mœnibus repelluntur. Quapropter obsidione ad tempus dimissa, exercitusque parte ad naues custodiendas relicta, in Westsaxoniam abierunt propere, & regi Eadmũdo Ferreo lateri, spacium congregandi exercitum non dedere. Quibus tamen ille cum exercitu, quem in tantillo spatio congregauerat, Dei fretus auxilio, audacter in Dorsetania occurrit, & in loco qui Peonnum vocatur, iuxta Gillingaham cum eis congressus, vicit & eos in fugam vertit. Post hæc media æstate transacta, denuo maiori quam prius exercitu congregato, fortiter confligere statuit cum Canuto, cui occurrit in Wiccia, in loco qui Scearstan, nominatur. Vbi exercitum pro loco & copiis instruit, optimum quemque in primam aciem subducit, cæterum exercitum in subsidiis locat, vnumquemque nominans, appellat, hortatur, rogat, vt meminerint se pro patria, pro liberis, pro coniugibus, atque suis domibus certare, & optimis sermonibus militum animos accendebat: deinde tubicines canere, & cohortes paulatim incedere iubet. Idem facit hostium exercitus, vbi eo ventum est, vbi ab illis prælium committi posset, maximo clamore cum infestis signis occurrunt: lanceis & gladiis pugna geritur, maxima vi certatur. Interea rex Eadmundus Ferreum latus in prima acie cominus acriter instabat, omnia prouidebat, multum ipse pugnabat, sæpe hostem feriebat, strenui militis & boni imperatoris officia simul exequebatur. Sed quia Edricus Streona Dux perfidissimus, & Almarus Dilectus, Algarusque filius Meawes, qui ei auxilio esse debuerant, cum Suthamtunensibus & Wiltonienſibus prouincialibus, innumeraque populi multitudine in parte Danorum fuerant, eius exercitus nimis erat defatigatus. Attamen primo die belli, Lunæ scilicet die, tam durum tamque cruentum extitit prælium vt vterque exercitus præ lassitudine diutius non valens pugnare, sole iam occidente, ab inuicem sit digressus spontea voluntate. Sed postera die rex Danos protereret omnes, si perfidi Ducis Edrici Streonæ non essent insidiæ. Siquidem cum pugna vehemens esset, & Anglos fortiores esse cerneret, cuiusdam viri regi Eadmundo facie capillisque simillimi Osmeari nomine, capite amputato & in altum leuato exclamat Anglos frustra pugnare, dicens: Vos Dorsetenses, Domnani, Wiltonienses, amisso capite præcipites fugite, en domini vestri caput Eadmundi basilii hic teneo manibus: cedite quantocius. Quod vbi Angli accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuncii terrentur. Vnde factum est, vt inconstantiores quique paulum à fuga abessent, sed illico quod rex viueret, comperto, animos tollebant, & in Danos acrius incedebant, ex illisque multos prosternebant, summis certantes viribus vsque ad crepusculum noctis: qua adueniente, vt pridie digressi sunt spontanee. At vbi multum noctis processit, Canutus è castris suos abire silentio iussit, & versus Lundoniam iter arripiens, ad naues repedauit, ac non multo post Lundoniam reobsedit. Vbi autem dies aduenit, & rex Eadmundus Ferreum latus Danos fugisse comperit, maiorem congregaturus exercitum in Westsaxoniam reuertitur. Cuius strenuitatem videns sororius eius perfidus Dux Edricus, vt naturalem dominum requisiuit illum, & pace cum eo redintegrata, se fidelem ei permansurum iurauit. Itaque exercitu vice tertia congregato, Lundonienses ciues obsidione rex liberauit, Danos ad suas naues fugauit. Post biduum Thamesim (in loco qui dicitur Brentford) transfretauit, cum Danis tertio prælium commisit, & fugatis eis victor extitit. Ea vice multi Anglorum populi, dum incautius flumen transirent, demerguntur. Exinde rex, numerosiorem congregaturus exercitum, in Westsaxoniam properat. Dani vero Lundoniam repetunt, obsidione illam cingunt, & omni ex parte oppugnant, sed Deo iuuante, nil omnino proficiunt. Ob quam rem cum sua classe inde recedentes, amnem qui Arewe dicitur intrant, & nauibus exilientes, prædatum in Merciam pergunt, obuios quosque cedunt, more solito villas incendunt, prædam agunt, post ad naues redeunt. Pedestres in flumen (quod Meadeweage nuncupatur) nauibus deuehuntur, equestres vero viuam prædam per terram minantur. Interea rex Eadmũdus Ferreum latus exercitum fortem de tota Anglia quarto congregauit, & in lo-

eo vbi prius Thamesi fluuio transmeato, in Cantiam citus intrauit, ac iuxta Ottaforda cum Danis pugnam iniit. At illi non ferentes impetum eius, terga verterunt, & cum suis equis in Sceapege fugerunt. Ex quibus tamen omnes, quos comprehendere potuit, occidit, & nisi perfidus Dux Edricus suis insidiis & insiliis eum apud Eagelesford (ne suos persequeretur hostes) retineret, eo die plena potiretur victoria. Quo in Westsaxoniam reuerso, Canutus suas copias in Eastsaxoniam traiecit, & iterum prædandi causa Merciam repetiit, & peiora prioribus exercitum facere iussit. Illi autem satis impigre iussa peragunt, & omnibus, qui in manus venerant, obtruncatis, villis quam plurimis incensis, agris depopulatis, prædæ vbertate ditati, ad naues repedant festini. Quos rex Anglorum Eadmundus Ferreum latus, cum exercitu, quem de tota Anglia contraxerat, insecutus in monte qui Assandun, id est, mons Asini nominatur, abeuntes est consecutus. Ibi festine triplicibus subsidiis aciem instruit, dein singulas turmas circumiens, monet atque obtestatur vti memores pristinæ virtutis atque victoriæ, sese regnumq; suũ à Danorum auaritia defendant, cum eis certamen fore quos antea vicerunt. Interea Canutus paulatim in æquum locum suos deducit. At contra, rex Eadmundus aciem sicuti instruxerat velociter mouet, & repente signo dato Danos inuadit. Summa vi vtrinq; dimicatur ex his & illis multi cadũt. Verum perfidus Dux Edricus Streona, videns Danorũ aciem inclinatam, & Anglos habituros victoriam, vt prius Canuto promiserat, cum Mageſetensibus, & exercitus parte cui præerat, fugam capessit, & dominum suum regem Eadmundum & Anglorum exercitum dolis circumuenit, & Danis victoriam suis insidiis dedit. Occisus est in ea pugna Alfricus Dux, Godwinus Dux, Vlfketellus Eastanglorum Dux, Æthelwardus Dux, filius Ducis Eastanglorum, Athelwini Dei amici, totusq; fere globus nobilitatis Anglorum, qui nullo in bello maius vnquam vulnus quam ibi acceperunt. Eadnothus quoq; Lindicolinensis Episcopus, Ramesiensis quondã Præpositus, & Wulsius abbas, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente conuenerant, interfecti sunt. Interiectis post hæc paucis diebus, cum rex Eadmundus Ferreum Latus cum Canuto vellet adhuc congredi, perfidus Dux Edricus, & quidam alii, id nullo modo sinebant fieri, sed illi consilium dabant, vt pace facta cum Canuto, regnum diuideret. Quorum suggestionibus, licet inuitus, ad postremũ cum consentiret, recurrentibus internuntiis, & obsidibus ad inuicem datis, ambo reges ad locum, qui Deorhyrst nominatur, in vnum conuenerunt. Eadmundus cum suis in Occidentali ripa Sabrinæ: Canutus vero in Orientali cum suis consedit. Dein vterq; rex in insulam, quæ Olanege appellatur, & est in ipsius fluminis medio sita, trabariis aduehitur. Vbi pace, amicitia, fraternitate (pacto & sacramentis) confirmata, regnum diuiditur. Westsaxoniam, Eastangliam, Eastsaxoniam cum Lundonia *Ciuitate, & totam terram ad Australem partem Thamesis fluminis obtinuit Eadmundus; Canuto aquilonares partes Angliæ obtinente:* corona tamen regni Eadmundo remansit. Dein armis & vestibus mutatis, tributoque quod classicæ manui penderetur statuto, ab inuicem discesserunt. Dani tamen cum præda, quam diripuerant, suas ad naues redierũt, cum quibus pacem (dato pretio) ciues Lundonienses fecerunt, & eos secum hyemare permiserunt. Post hæc, rex Eadmundus Ferreum latus, circa festiuitatem sancti Andreæ Apostoli 15. Indictione, decessit Lundoniæ, sed cum auo suo rege pacifico Eadgaro sepultus est Glastoniæ. Cuius post mortem, rex Canutus omnes Episcopos & Duces, necnon & principes, cunctosque optimates gentis Angliæ, Lundoniæ congregari iussit. Qui, cum venissent ante eum, quasi nescius interrogauit eos sagacissime, qui fuerunt testes inter eum & Eadmundum, quando conuentionem amicitiæ & diuisionem regni inter ipsos gesserunt, qualiter ipse & Eadmundus de fratribus & filiis eiusdem inter se locuti fuissent, vtrum fratribus & filiis eius liceret in regno Occidentalium Saxonum post patrem eorum regnare, si Eadmundus moreretur viuente illo. At illi cœperunt dicere, se procul dubio scire quod rex Eadmundus fratribus suis nullam portionem regni sui (nec se spirante nec moriente) commendasset, direxeruntq; hoc se nosse, Eadmundum regem velle Canutum adiutorem & protectorem esse filiorum eius, donec regnandi ætatem habuissent. Verum illi, testante Deo, falsum perhibuerunt testimonium, & fraudulenter mentiti sunt existimantes illum sibi & miti-orem esse propter mendacium eorum, & se ab eo præmium sumpturus magnum. Ex quibus falsis testibus quidam (post non longum tempus) ab eodem rege sunt interfecti. Tũc rex Canutus post supradictam interrogationem, conatus est à præfatis optimatibus fidelia iuramenta recipere. At ipsi iurauerunt illi quod eum regem sibi eligere vellent, eique humiliter obedire, & suo exercitui vectigalia dare, & accepto pignore de manu sua nudã cũ iuramentis à principibus Danorum, fratres & filios Eadmundi omnino despexerunt. Vnus autem ex ipsis præfatis Clitonibus erat Eadwius, egregius ac reuerendissimus regis

Quæ annotantur hic minori Charactere, desiderabantur in exẽplari manu scripto & inseruntur, sunt ex Florilego.

gis Eadmundi germanus, & quem ibidem cum consilio pessimo exulem esse debere constituerunt. Et cum audisset Canutus rex adulationem supradictorum, & despectionem, quam fecerunt in Eadwium, gaudens introiuit in cameram suam, vocansq; ad se perfidum Ducem Edricum, sciscitabatur ab eo quomodo decipere valuisset Eadwium, vt mortis subiret periculum. Qui respondens, dixit se scire quendam virum alium Æthelwardum nomine, qui facilius eum in mortem tradere quiuisset, cum quo colloquium habere posset, illique nimiam mercedem promittere. Cognito autem viri nomine, vocauit eum rex ad se, astutissime dicens: sic & sic allocutus est me Dux Edricus, dicens te posse seducere Eadwium Clitonem, vt occidatur. Modo acquiesce consiliis nostris, & potieri omni honore & dignitate patrum tuorum, & quære mihi caput eius, & eris mihi charior fratre germano. Ille vero dicebat se velle eum quærere vt interficeretur, si vllo modo valuisset. Veruntamen nondum illum necare volebat: sed propter excusationē hoc promittebat. Erat enim ille ex nobilissimo genere Anglorum ortus.

1039 15 Beneductus 140. Papa. Hoc anno rex Canutus totius Angliæ susce pit imperium, 1017
idque in 4. partes diuisit, Westsaxoniam sibi, Eastangliam Turkillo Comiti, Merciam Edrico Duci. Northimbriam Irco Comiti, Fœdus etiam cum principibus, & omni populo ipse, & illi cum ipso percusserunt, & amicitiam firmam inter se iuramentis stabilierunt, omnesque veteres inimicitias postponentes sedauerunt. Dein consilio perfidi Ducis Edrici, rex Canutus Clitonem Eadwium, regis Eadmundi germanum, & Eadwium (qui rex appellabatur rusticorum) exlegauit. Verum sequenti tempore cum rege pacificatus est. Eadwius vero Clito deceptus illorum insidiis, quos eo tenus amicissimos habuit, iussu & petitione regis Canuti, eodem anno innocenter occiditur. Dedit etiam consilium Edricus, vt Clitunculos, Eadwardum & Eadmundum, regis Eadmundi filios, necaret. Sed quia magnum dedecus sibi videbatur vt in Anglia perimerentur, paruo elapso tempore ad regem Suanorum occidendos misit. Qui licet fœdus esset inter eos, precibus illius nullatenus voluit acquiescere, sed illos ad regem Hungarorum Salomonem nomine misit nutriendos, vitæq; reseruandos. Quorum vnus, scilicet Eadmundus, processu temporis ibidem vitam finiuit: Eadwardus vero Agatham, filiam Germani imperatoris Henrici, in matrimonium accepit, ex qua Margaretam Scotorum reginam, & Christinam sanctimonialem virginem, & Clitonem Eadgarum suscepit. Mense Iulio rex Canutus derelictam regis Æthelredi reginam Alfgiuam in coniugiū accepit: ac in Natiuitate domini (cum esset Lundoniæ) perfidum Ducem Edricum in palatio iussit occidere, quia timebat insidiis ab eo aliquando circūueniri, sicut domini sui priores Æthelredus & Eadmundus frequenter sunt circumuenti, & corpus illius super murum ciuitatis proiici, ac insepultum iussit dimitti. Cum quo Dux Normannus filius Leofwini Ducis, frater scilicet Leofrici Comitis, & Æthelwardus filius Agelmari Ducis, & Brihtricus filius Alphegi Domnanensis satrapæ, sine culpa interfecti sunt. Leofricum pro Normanno germano suo rex constituit Ducem, & eum postmodum valde charum habuit.

1040 16. Hoc anno de tota Anglia 72. millia, & de Lundonia 10500. librarum exercitui 1018
Danorum sunt persoluta, & cum rege Canuto 40. naues remanserc, cæteræ vero Denemerciam sunt reuectæ. Angli & Dani apud Oxenefordam de lege regis Eadgari tenenda concordes sunt effecti.

1041 17. Hoc anno rex Anglorum & Danorum Canutus Denemerciam adiit, & ibi per 1019
totam hyemem mansit.

1042 18. Benedictus Papa, præsente Henrico imperatore, & Ricardo Fuldensi abbate, in 1020
eodem Cœnobio publicam missam cantauit in Natali sanctorum Philippi & Iacobi. Canutus rex Angliam rediit, & in Paschali festiuitate apud Cirenceastram magnum Consilium habuit, & Æthelwardum Ducem exlegauit. Liuingus Doroberniæ Archiepiscopus vita decessit, cui Æthelnothus, qui Bonus appellabatur, nobilis viri Ægelmari filius successit. Eodem anno Ecclesia, quam rex Canutus & Comes Turkillus in monte, qui Assandun dicitur, construxerant, illis præsentibus à Wulstano Eboracensi Archiepiscopo, & multis aliis Episcopis, cum magno honore & gloria dedicata est. Defuncto Aldhuno Lindisfarnensi Episcopo tribus pene annis Ecclesia pastorali destituebatur solatio. Facto in vnum conuentu, cum de Episcopi electione tractaretur, religiosus presbyter quidam Eadmundus nomine superuenit, & ioco dixit. Cur me Episcopum non eligitis? Cuius iocum non iocose accepere qui aderant, sed elegerunt illum, & triduano indicto ieiunio, sancti Cuthberti velle super hoc quærebant. Celebrante presbytero missam ad caput ipsius sancti, in medio Canone (quasi de eiusdem patris sepulchro) vox audita est, quæ tribus vicibus Eadmundum Episcopum nominauit.

1021 19. Erkenbaldus Archiepiſcopus Moguntinus obiit. 16. Cal. Septembris, cui Aribo ſucceſſit. Canutus rex Anglorum & Danorum, ante feſtiuitatem S. Martini, Turkillum ſæpe dictum Comitem cum vxore ſua Edgitha expulit Anglia. Algarus Orientalium Anglorum Epiſcopus obiit, cui Aldwinus ſucceſſit. 1043

1022 20. Æthelnothus Doroberniæ archiepiſcopus Romam iuit. Quem Benedictus Papa magno cum honore ſuſcepit, & pallium illi dedit. 1044

1023 21. Eclipſis ſolis hora nona, verno tempore. Corpus ſancti Alpheagi martyris, de Lũdonia Doroberniam eſt translatum. Wulſtanus Eboracenſis Archiepiſcopus, Eboraci, quinto Cal. Iunii, feria tertia, defungitur: ſed corpus eius Heli defertur, & ibi ſepelitur. Cui ſucceſſit Alfricus Puttoc Wintonienſis Præpoſitus. 1045

1024 22. Benedictus Papa obiit. Iohannes 141. Papa Henricus pius obiit ſecundo Idus Iulii, & ſepultus eſt in Babonis monte. 1046

ROMANORVM 94. Conradus regnauit annis 15.

1025 1. Eadmundus vir religioſus Lindisfarnenſem Epiſcopatum ſuſcepit. 1047

1026 2. Ciclus decennou. 27. incipit Indictione 9. Alfricus Eboracenſis Archiepiſcopus Romam adiit, & à Iohanne Papa pallium ſuſcepit. Obiit Ricardus ſecundus Dux Normannorum, cui ſucceſſit Ricardus tertius, qui eodem anno mortuus eſt. Cui Rorbertus frater eius ſucceſſit. 1048

1027 3. Cum regi Anglorum & Danorum Canuto intimatum fuiſſet, quod Norregani regem ſuum Olauum, propter eius ſimplicitatem, & manſuetudinem, æquitatem, & religioſitatem, nimis vili penderent, multum auri & argenti quibuſdam illorum miſit, multis rogans petitionibus, vt illo ſpreto & abiecto, deditionem illi facerent, ac illum ſuper ſe regnare permitterent. Qui cum ea quæ miſerat, auiditate magna ſuſcepiſſent, ei remandari iuſſerunt, ad illum ſuſcipiendum ſe paratos fore quandocunq; vellet venire. 1049

1028 4. Canutus, rex Anglorum & Danorum 50. nauibus magnis Norregiam deuectus, Olauũ regem de illa expulit, ſibique eam ſubiugauit. Eodem anno natus eſt Hibernenſis probabilis Scotus: cuius ſtudio & labore hæc chronica præcellens de diuerſis libris eſt coadunata. 1050

1029 5. Canutus, rex Anglorum Danorum & Norreganorum ad Angliam rediit, & poſt feſtiuitatem ſancti Martini Danicum Comitem Hacun, qui nobilem matronam Gunildam, ſororis ſuæ & Wirtgeorni regis Winidorum filiam, in matrimonio habuit, quaſi legationis cauſa, in exilium miſit. Timebat enim ab illo vel vita priuari vel regno expelli. 1051

1030 6. Prædictus Comes Hacun in mari periit: quidam tamen dicunt eum fuiſſe occiſum in Orcada inſula. Sanctus Olauus rex & martyr, Haroldi regis Norreganorum filius, in Norregia iniuſte perimitur à Norreganis. 1052

1031 7. Canutus rex Anglorum, Danorum, & Norreganorum, de Denemarcia magno cũ honore Romam iuit, & ſancto Petro Apoſtolorum principi ingentia dona, in auro & argento, aliisque rebus pretioſis obtulit, & à Iohanne Papa, vt ſcholam Anglorum ab omni tributo & thelone liberaret, impetrauit: & in eundo & redeundo largas pauperibus eleemoſynas erogauit, ac multas per viam clauſuras, vbi thelon à peregrinis extorquebatur, ingenti pretio dato diſſipauit. Hic etiam ante ſepulchrum Apoſtolorum ſuæ vitæ morumque emendationem Deo deuouit, vnde & Epiſtolam memoria dignam, per virum prudentiſſimum Liuingum, tunc Taueſtokenſis Eccleſiæ abbatem, poſt vero mox eodem anno in Cridiatunenſis Eccleſiæ pontificatu Eadnothi ſucceſſorem, qui ſibi comes itineris extitit, aliosque ſuos legatos Angliam miſit, dum ipſe Roma rediens per viam quam ierat, Denemerciam priuſquam Angliam peteret. Cuius Epiſtolæ textum hic ſubſcribere dignum duximus. 1053

CANVTVS rex totius Angliæ & Danemerciæ, & Norreganorum, & partis Suanorum. Æthelnotho Metropolitano, & Alfrico Eboracenſi Archiepiſcopo, omnibusque Epiſcopis & primatibus, & toti Anglorum genti, tam nobilibus quam plebeis ſalutem. Notifico vobis me nouiter iuiſſe Romam, oratum pro redemptione peccaminum meorum, & pro ſalute regnorum, quiq; meo ſubiacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram, ſed pro negotiis regni, & cauſis impedientibus, hucuſque perficere non poteram. Nunc autem ipſi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, qui mihi conceſſit in vita mea ſanctos Apoſtolos ſuos Petrum & Paulum, & omne ſanctuarium quod intra vrbem Romam aut extra addiſcere potui, expetere, & ſecundum deſiderium meum præſentialiter venerari & adorare. Ob id ergo maxime hoc patraui, quia à ſapientibus didici, ſanctum Petrum Apoſtolum magnam poteſtatem

statem à domino accepisse ligandi atque soluendi, clauigerumq; esse regni cœlestis, & ideo specialius eius patrocinium apud dominum diligenter expetere valde vtile duxi. Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipsa Paschali solemnitate ibi cũ domino Papa Iohanne & imperatore Conrado erat, scilicet omnes principes gentiũ à monte Gargano vsque ad istud proximum mare, qui omnes me & honorifice susceperẽ, & donis pretiosis honorauere: maxime autem ab imperatore donis variis, & muneribus pretiosis honoratus sum, tam in vasis aureis & argenteis, quam in palliis & vestibus valde pretiosis. Locutus sum igitur cum ipso imperatore, & domino Papa, & principibus qui ibi erant, de necessitatibus totius populi vniuersi regni mei, tam Anglorum quam Danorum, vt eis concederetur lex æquior & pax securior in via Romam adeundi, & ne tot clausuris per viam arctentur, & propter thelon iniustum fatigentur, annuitque postulatis imperator, & Rodulphus rex qui maxime ipsarum clausurarum dominatur, cunctiq; principes edictis firmauerunt, vt homines mei tam mercatores quam alii orandi causa viatores, absque omni angaria clausurarum & thelonearium firma pace & iusta lege securi Romam eant & redeant. Conquestus sum iterum coram domino Papa, & mihi valde displicere causabar, quod mei archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab eis expetebatur, dum pro pallio accipiendo, secundum morem, apostolicam sedem peterent, decretumq; est ne id deinceps fiat. Cuncta enim quæ à domino Papa & ab ipso imperatore, & à rege Rodulpho, cæterisq; principibus, per quorum terras nobis transitus est ad Romam, pro meæ gentis vtilitate postulabam, libentissime annuerunt, & concessa sacramento etiam firmauerunt, sub testimonio 4. Archiepiscoporum & 20. Episcoporum, & innumeræ multitudinis Ducum & nobilium, qui ibi aderant. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia quæ desideraueram, prout mente decreueram, prospere perfeci, votisque meis ad velle satisfeci. Nunc itaque notum sit omnibus vobis, quia ipsi Deo omnipotenti supplex deuoui vitam meam à modo in omnibus reformare, & regna mihi subdita, populosq; iuste & pie regere, æquumq; iudicium per omnia obseruare: & si quid per meæ iuuentutis intemperantiã aut negligentiam hactenus præter id quod iustum erat, actũ est, totum Deo auxiliante deinceps dispono emendare. Idcirco obtestor, & præcipio meis consiliariis, quibus regni consilia credidi, ne vllo modo, aut propter timorem mei, aut alicuius potentis personæ fauorem, aliq̃ iniustitiam à modo consentiant, vel patiantur pullulare in omni regno meo. Præcipio etiam omnibus vicecomitibus, & præpositis vniuersi regni mei, sicut meam amicitiam aut suam salutem habere volunt, vt nulli homini (nec diuiti nec pauperi) vim iniustam inferant, sed omnibus tam nobilibus quam ignobilibus, & diuitibus & pauperibus, sit fas iusta lege potiundi, à qua nec propter fauorem regium, aut alicuius potentis personam, nec propter mihi congregandam pecuniam vllo modo deuietur, quia nulla mihi necessitas est, vt iniqua exactione mihi pecunia congregetur. Ego itaque, quod vobis notum fieri volo, eadem via qua exiui, regrediens Danemerciam, eo pacem & firmum pactũ omnium Danorum consilio cum eis gentibus & populis compositurus, qui nos & regno & vita priuare si eis possibile esset, volebant, sed non poterant, Deo scilicet virtutem eorum destruente, qui nos sua benigna bonitate in regno & honore conseruet, omniumq; inimicorum nostrorum potentiam & fortitudinem deinceps dissipet, & annihilet. Compositis deniq; pace cum gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, dispositoque & pacato omni regno nostro hic in Oriente, ita vt à nulla parte bellum aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quam citius hac æstate apparatum nauigii procurare potero, Angliam venire dispono. Hanc autem Epistolam idcirco præmisi, vt de mea prosperitate omnis populus regni mei lætificetur, quia vt vos ipsi scitis, nunquam memetipsum, nec meum laborem abstinui, nec adhuc abstinebo, impendere pro omnis populi mei necessaria vtilitate. Nunc igitur præcipio, & obtestor omnes meos Episcopos, & regni Præpositos, per fidem, quam Deo & mihi debetis, quatenus faciatis, vt antequam ego Angliam veniam, omnia debita, quæ Deo secundum legem antiquam debemus, sint soluta, scilicet eleemosynæ pro aratris, & decimæ animalium ipsius anni procreatorum, & denarii quos Romæ ad sanctum Petrum debemus, siue ex vrbibus, siue ex villis, & mediante Augusto decimæ frugum, & in festiuitate sancti Martini primitiæ seminum ad Ecclesiam sub cuius parochia quisque est, quæ Anglice Circes-ceat nominantur. Hæc & his similia si (dum venero) non erunt persoluta, regia exactio secundum leges (in quem culpa cadit) districte absq; venia comparabit. Valete. Aribo Moguntinus Archiepiscopus obiit octauo Idus Aprilis. Sanctus Bardo successit annis 20. baculum die sancto Pentecostes accipiens.

vicecomites in Anglia

Circesceat.

1032 8. Ecclesia sancti Eadmundi regis & martyris hoc anno dedicata est. 1054

1033 9. Magnæ religionis & modestiæ vir, Leofsius Wicciorum Episcopus, in Episcopali villa Kemesceia 14. Calend. Septembris, feria tertia obiit, & (vt credi fas est) ad cœlica regna migrauit. Cuius corpus in Ecclesia sanctæ Mariæ Wigorniæ tumulatur honorifice. In cuius sedem Persorensis abbas Brihteagus, filius videlicet sororis Wulstani Eboracensis archiepiscopi, leuatus est. 1055

10. Æthericus Lindicolinensis Episcopus defungitur, & in monasterio Ramesegæ sepelitur. Cui successit Eadnothus. Malcolmus rex Scotorum obiit. 1056

1034

1035 11. Canutus rex Anglorũ, ante suum obitum, super Norreganos regem constituit Suanũ, qui suus & Northamtunẽsis Alfgiuæ (filiæ videlicet Alfhelmi Ducis & nobilis matronæ Wulfrunæ) dicebatur filius, quem tamen nonnulli asserebant non regis & eiusdem Alfgiuæ filium extitisse, sed eandem Alfgiuam ex rege filium habere voluisse sed nequiuisse & ideirco recenter natum infantem cuiusdam presbyteri sibi afferri iussisset, regemque omnino credulum fecisse, se filium illi iam peperisse. Super Danos etiam suum & Alfgiuæ reginæ filium Hardecanutum regem constituit. Et postea hoc anno, secundo Idus Nouembris, feria quarta, apud Sceaftesbyriam vita decessit, sed Wintoniæ in Veteri monasterio satis honorifice sepelitur. Quo tumulato regina Alfgiua ibidem resedit. Haraldus vero dixit se filium esse Canuti regis & Northamtunensis Alfgiuæ, licet id verum esset minime, dicunt enim nonnulli filium cuiusdam sutoris illum fuisse, sed Alfgiuam eodem modo de illo fecisse, quo de Suano fertur egisse. Nos vero quia res in dubio agitur, de neutrorum genitura quid certi sciuimus definire. Is tamen adepta regia dignitate, misit Wintoniam suos constipatores celerrime, & gazarum opumq; quas rex Canutus Alfgiuę reliquerat reginæ, maiorem melioremq; partem ademit illi tyranniee, spoliatamque dimisit ibidem vt cœperat residere, atq; consentientibus quam plurimis maioribus natu Angliæ, quasi iustus hæres cœpit regnare, nec tamen ita potenter vt Canutus, quia iustior hæres expectabatur Hardecanutus. Vnde breui post tempore regnum Angliæ sorte diuiditur, & Haraldo pars septentrionalis, Hardecanuto prouenit Australis. Obiit Rotbertus Dux Normannorum, qui successit Gulielmus Bastardus, filius eius, in puerili ætate. 1057

1036 12. Ciclus solaris incipit 4. concurrentibus bissextilib. Piligrinus archiepiscopus Colonienſis, instigatus quorundam inuidorum monachorum (de monasterio sancti Pantaleonis) verbis, qui Heliam abbatem Scotorum, qui illis quoque præfuit, propter distinctionem suam, & alios Scotos, quos secum habuit, odio habebant: præfatus archiepiscopus minatus est eidem Heliæ, quod postquam de Curte regia venissent, nullum Scotum neq; ipsum ibi dimisisset. Tunc Helias & alii Scoti responderunt: si Christus in nobis vere est peregrinus, non reuertetur viuus ad Coloniam archiepiscopus Piligrinus. Ita quoque dominus effecit, & Helias duo monasteria rexit. Innocentes Clitones Alfredus & Eadwardus, Æthelredi quondam regis Anglorum filii de Normannia (vbi cum auunculo suo Ricardo manserant tempore longo) multis Normannicis militibus secum assumptis, in Angliam paucis transuecti nauibus, ad suæ matris colloquium (quæ morabatur Wintoniæ) venerunt. Quod indigne grauiterque ferebant potentes nonnulli, quia (licet iniustum esset) Haraldo multo deuotiores extitere quam illi, maxime (vt fertur) Comes Godwinus. Hic quidem Alfredum, eum versus Lundoniam ad regis Haraldi colloqui- (vt mandarat) properaret, retinuit, & arcta in custodia posuit. Sociorum vero illius quosdam disturbauit, quosdam catenauit, & postea cœcauit: nonnullos cute capitis abstracta cruciauit, & manibus ac pedibus amputatis mulctauit, multos etiam vendi iussit, & mortibus variis ac miserabilibus apud Gildefordam 600. viros occidit. Sed illorum nunc animas in paradiso creditur gaudere cum sanctis, quorum corpora tam crudeliter sine culpa perempta sunt in aruis. Quo audito, regina Alfgiua filium suum Eadwardum, qui secum remansit, maxima cum festinatione Normanniam remisit. Deinde Godwini & quorundam aliorum iussione ad insulam Elig Clito Alfredus strictissime vinctus ducitur. Sed vt terram nauis applicuit, in ipsa mox eruti sunt oculi eius cruentissime, & sic ad monasterium ductus, monachis traditur custodiendus. Vbi breui post tempore de hac migrauit luce, & in australi porticu, in occidentali parte Ecclesiæ, corpus eius sepelitur cum debito honore, anima vero paradisiaca fruitur amœnitate. 1058

1037 13. Haraldus rex Merciorum & Northimbrorum, vt per totam regnaret Angliam (à principibus & omni populo) rex eligitur. Hardecanutus vero, quia in Danemarcia moras innexuit, & in Angliam rogatus venire distulit, penitus abiicitur. Cuius mater 1059

Alfgi-

Algiua, Anglorum quondam regina, hyemis initio, sine misericordia expellitur Anglia. Quæ rate mox parata in Flandriã transuehitur, & à nobili Comite Balduino cum honore suscipitur. Is, vt talem virum decuit, quamdiu necessitas poposcerat, ei necessaria gratanter ministrare curauit. Eodem anno, paulo ante, magnæ vir religionis Auicus Eoueshamnensis decanus obiit. Piligrinus archiepiscopus obiit octauo Cal. Septemb. feria quinta, & Herimannus successit 20. annis. Sanctus Bardo Archiepiscopus, præsente Conrado imperatore, Indict. quinta, quarto die Iduum Nouembris, feria quinta, dedicauit monasterium S. Martini Moguntinẽsis archiepiscopatus, in honorem sancti Martini Episcopi & Confessoris.

1060 14 Æthelnothus Dorobernensis archiepiscopus, quarto Cal. Nouemb. vita decessit. 1038
Cuius obitus die septimo Æthelricus Suthsaxoniæ præsul obiit. Petierat enim à Deo, ne post mortem dilectissimi sui patris Æthelnothi in hac luce diu viueret. Cui Grimketellus in Episcopatum: Æthelnotho vero regis capellanus Eadsius in archiepiscopatum successit. Decessit etiam eodem anno Alfricus Eastanglorum Episcopus. Et Wicciorum Episcopus Brihteagus decimo tertio Cal. Ianuarii, feria quarta, vitam finiuit: cuius Episcopatum Liuinge Critiatunensi antistiti rex dedit Haraldus. Pro Alfrico vero Stigandus, regis capellanus, est constitutus, sed postmodum eiectus, & Grimketellus pro eo est electus, habuitque duas parochias tunc, Australium Saxonum & Orientalium Anglorum. Sed iterum Stigandus receptus, & Grimketellus est eiectus, & Stigandus quidem Australium Saxonum Episcopatum tenuit, & fratri suo Agelmaro Orientalium Anglorum præsulatum acquisiuit: minimumque id animo sitati suæ ratus, Wintonien sem & Cantuarien sem thronos ascendit, vixque ægreq; exoratus, vt Australibus Saxonibus prius ordinaretur Episcopus. Post Agelmarũ fuit Elmhamnensis Episcopus Arfastus, qui ne nihil feciſſe videretur, vt sunt Normanni famæ in futurũ studiosissimi, Episcopatum de Elmham transtulit ad Theodfordum.

1061 15. Conradus imperator obiit 2. Idus Ian. feria 4. & sepultus est in Spira. Ricardus abbas 1039
Fuldẽsis obiit 13. Cal. Aug. Sigeward⁹ successit. Quo anno hyems extitit durissima. Brihtmarus Licetfeldensis Episc. obiit, cui Wulsius successit. Eadwinum Leofrici Comitis germanũ & nobiles regis Ministros Turkillũ, & Alfgeatũ filiũ Etsii, multosq; cũ eis viros occiderunt Walẽses. Hardecanutus rex Danorũ, Flandriã deuectus, ad matrẽ suã Alfgiuã venit.

ROMANORVM 95. Henricus filius Conradi imperatoris, regnauit annis 17.

1062 1. Haraldus rex Anglorum, obiit Lundoniæ, & in Westmonasterio sepelitur. Quo 1040
sepulto, proceres ferme totius Angliæ, legatos ad Hardecanutum Bricgæ, vbi cum matre sua morabatur, mittẽtes, & se bene facere putantes, rogauerunt illum vt Angliam veniret, & sceptra regni susciperet. Qui nauibus 60. paratis, & Danicis militibus, instructis, ante mediam æstatem Angliam aduehitur, & gaudenter ab omnibus suscipitur, regniq; solio mox sublimatur. Sed sui imperii tempore nil egit dignum potestate regia. Nam mox vt regnare cœpit, iniuriarum, quas vel sibi, vel suæ genetrici suus antecessor fecerat rex Haraldus, qui frater suus putabatur, non immemor, Alfricum Eboracensem archiepiscopum, Godwinum Comitem, Stir Maiorẽ domus Edricum dispensatorẽ, Throndsuum carnificem, & alios magnæ dignitatis viros, Lundoniam misit, & ipsius Haraldi corpus effodere, & in Gdonnam proiicere iussit. Quod cum proiectum fuisset, id extrahere, & in flumẽ Thamesis mandauit proiicere. Breui autem post tempore à quodã piscatore captum est, & ad Danos allatum sub festinatione, in cœmeterio quod habuerunt Londoniæ sepultũ est ab ipsis cũ honore. Quibus actis, octo marcas vnicuiq; suæ classis remigi, & 12. vnicuiq; gubernatori de tota Anglia præcepit dependi, tributũ videlicet tam graue, vt vix aliquis id posset persoluere. Quapropter omnibus, qui prius aduentũ eius desiderabant magnopere factus est exosus summopere. Adhæc etiam, pro nece sui fratris Alfredi, aduersus Godwinũ Comitem & Wigornensem Episcopum Liuingũ, accusantibus illos Alfrico Eboracensi archiepiscopo & quibusdam aliis, exarsit ira magna. Idcirco Episcopatũ Wigornensem Liuingo abstulit, & Alfrico dedit: sed sequenti anno ablatũ Alfrico, Liuingo secũ pacificato benigne reddidit. Godwinus autẽ regi pro sua amicitia dedit trierem fabrefactã, caput deauratum habentẽ, armamẽtis optimis instructam, decoris armis electisq; & militibus decoratam. Quorum vnusquisq; habebat duas in suis brachiis aureas armillas, sedecim vncias pendentes, loricam trilicem indutã, in capite cassidẽ ex parte deauratã, gladiũ deauratis capulis renib. accinctũ, Danicam securim auro argentoq; redimitã in sinistro humero pendentem, in manu sinistra clypeũ, cuius vmbo clauiq; erant deaurati. in dextra lanceam, quæ lingua Anglorũ Ategar appellatur. Insuper etiam, non sui consilii nec suæ voluntatis fuisse, quod frater eius necatus fuisset, sed dominũ suũ regem Haraldũ illum

illum facere quod fecit iussisse, cum totius fere Angliæ principibus & Ministris dignioribus regi iurauit.

1041 2. Hoc anno rex Anglorum Hardecanutus suos Huscarlas misit per omnes regni sui 1063
prouincias ad exigendum quod dixerat tributum. Ex quibus duos, Feades scilicet & Thurstanum, Wigornenses prouinciales cum ciuibus seditione exorta, in cuiusdam turris Wigornensis monasterii solario, quo celandi causa confugerant, quarto Nonas Maii, feria secunda, peremerunt. Vnde rex ira commotus, ob vltionem necis illorum, Thurum Mediterraneorum, Leofricum Merciorum, Godwinum Westsaxonum, Siwardum Northimbrorum, Ronum Magesitensium, & cæteros totius Angliæ Comites, omnesque ferme suos Huscarlas, cum magno exercitu (Alfrico adhuc pontificatum Wigornensem tenente) illo misit, mandans vt omnes viros (si possint) occiderent, ciuitatem deprædatam incenderent, totamq; prouinciam deuastarent. Qui die veniente secundo Iduum Nouembris, & ciuitatem & prouinciam deuastare cœperunt, idq; per 4. dies agere non cessauerunt, sed paucos vel è ciuibus vel prouincialibus ceperunt aut occiderunt, quia præcognito aduento eorum prouinciales quoque locorum fugerant. Ciuium vero multitudo in quandam modicam insulam, in medio Sabrinæ fluminis sitam, quæ Beueregæ nuncupatur, confugerant; & monitione facta, tam diu se viriliter aduersus suos inimicos defenderant, quoad pace recuperata, libere domum licuerit eis redire. Quinta igitur die ciuitate cremata, vnusquisq; magna cũ præda rediit in sua, & regis statim quieuit ira. Non multo post Eadwardus Æthelredi quondam regis Anglorum natus de Normannia vbi multis exulabat annis, venit Angliam, & à fratre suo Hardecanuto rege susceptus honorifice, in curia sua mansit.

1042 3. Rex Anglorum Hardecanutus, dum in conuiuio, in quo Osgodus Clapa, magnæ 1064
vir potentiæ, filiam suam Githam Danico & præpotenti viro Touio, Prudan cognomento, in loco qui dicitur Lamhithe, magna cum lætitia tradebat nuptui, lætus sospes & hilaris cum sponsa prædicta, & quibusdam viris, bibens staret, repente inter bibendum miserabili casu ad terram corruit, & sic mutus permanens, sexto Idus Iunii, feria tertia, expirauit, & Wintoniam delatus, iuxta patrem suum regem Canutum est tumulatus. Cuius frater Eadwardus, annitentibus maxime Comite Godwino, & Wigorẽnsi præsule Liuingo, Lundoniæ leuatur in regẽ. Cuius pater Æthelredus, cuius pater Eadgarus, cuius pater Edmundus, cuius pater Eadwardus Senior, cuius pater Alfredus. Helias Scotus, abbas, obiit secundo Idus Aprilis, vir prudens & religiosus, & ideo monasterium sancti Pantaleonis cũ suo, id est, S. Martini, sibi commissum est regendum. Ipse optimum Missalem librum monachi Franci, sine licentia in commune scriptum, in monasterio sancti Pantaleonis igne consumpsit, ne alius quidquam sine licentia facere auderet.

1043 4. Eadwardus ab archipræsulibus Edsio Dorobernensi, & Alfrico Eboracensi, aliis- 1065
que ferme totius Angliæ præsulibus, prima die Paschæ 3. Nonas Aprilis, vngitur in regem Wintoniæ. Eodem anno 14. diebus ante festiuitatem sancti Andreæ Apostoli, festinato rex cum Comitibus Leofrico, Godwino, & Siwardo, de ciuitate Glaworna Wintoniam venit improuise, & vt illi consilium ei dederant, suæ genetrici, quicquid in auro, argento, gemmis, lapidibus, aliisve rebus pretiosum habuerat abstulit, vel quia priusquam rex esset effectus, vel post, minus quam volebat illi dederat, & ei valde dura extiterat. Veruntamen sufficienter ei ministrari necessaria præcepit, & illam ibidem quietam manere iussit. Animchadus Scotus monachus & inclusus in Fulda obiit, super cuius sepulchrũ Marianus, huius Chronicæ auctor, decẽ annis ad pedes eius stans inclusus, missam cantauit, qui etiã hæc de supradicto Animchado retulit. Ipse inquit, cũ in Hibernia esset insula, quæ Keltra dicitur, quadam die fratribus quibusdam aduenientibus, cum licentia senioris sui, nomine Kortram, charitatem eis fecit. Cumq; quidam post cibum essent egressi, illi qui remanserant, ad ignem se calfacientes, consederunt, atq; bibere ab eo petierunt, quo nolente sine licentia coegerunt illum. Tandem consensit, prius tamen ex eo potu seniori suo quasi benedictionem misit. Crastino autem ab eo interrogatus, vnde sibi illum potum misisset, omnia quæ gesta erant retulit: moxq; propter hanc tantum culpam, eum senior de Hibernia exire iussit. Quod ille humiliter adimpleuit, sicque Fuldam veniens, sancte viuendo inclusus (vt prædixi) obiit. Hoc autem mihi retulit Tigernah senior meus, cum quandam culpam paruam coram eo fecissem. Me quoque audiente in Fuldam incluso, quidam religiosissimus eiusdem cœnobii monachus, nomine Gulielmus, supradictum Animchadũ (iam sepultũ) rogauit, vt se benediceret: atq; sicut postea mihi confirmauit, eadem nocte per visum videre Animchadum, in sepulchro suo stantem, nimio fulgore nitentem, & extensa manu se benedicentem, totamq; ipsam noctem etiam ego mellifluo plenam odore duxi. Hæc ait Marianus.

5. Bene-

1066 5. Benedictus Papa 142. Hic cum papatiam suam emisset, Henricus Imperator per- 1044
rexit Romam, & pro eo Clementem instituit papam, quia ex ore sancti Petri, emptor &
venditor gratię spiritualis cum Simone Mago sunt anathematizati. Ælfwardus Lundo-
nensis præsul, qui & ante Episcopatum & in Episcopatu, abbatis iure Eoueshamnensi
cœnobio præfuit, cum pontificatum administrare pro sua infirmitate minus sufficeret,
Eoueshammi residere voluit, sed fratres loci illius id omnino ferre noluerunt. Quapro-
pter ablatis ex maxima parte libris & ornamentis, quæ ipse eidem contulerat loco, & quæ
dam (vt fertur) quæ alii contulerant, ad monasterium Rhamesegæ secessit, & omnia quæ
attulit sancto obtulit Benedicto, ibiq; resedit, & hoc anno, octauo Cal. Augusti, feria quar-
ta, defungitur, ibidemq; sepelitur. In generali Concilio, quod eodem tempore celebra-
tū est Lundoniæ, religiosus Eoueshamnēsis monachus Wulmarus, qui & Mannus, vt ab-
batis iure suo monasterio præesset eligitur, & quarto Idus Augusti, feria sexta, ordinatur.
Eodem anno nobilis matrona Gunilda regis Wirthgeorni & sororis Canuti regis filia, &
Comitum Hacuni & post Haroldi morte viduata, cum duobus filiis Hemmingo & Thut-
killo expellitur de Anglia. Quæ Flandriam deuecta, in loco qui Bricge dicitur aliquan-
diu resedit, & sic Danemerciam adiit. Capellanus regis Stigandus præsulatum Eastan-
gliæ suscepit.

1067 6. Ciclus decenn. 21. incipit, Indict. 13. Brihtwoldus Wiltonienſis Episcopus obiit, 1045
cui regis capellanus Heremannus de Lotharingia oriundus successit. Quo anno rex An-
glorum Eadwardus ad Sandicum portum congregauit classem præualidam contra Ma-
gnum Norreganorum regem, Angliam adire disponentem: sed bellum à Suano rege Da-
norum illi illatum, iter impediuit.

1068 7. Clemens Papa 143. Liuingus Wicciorum, Domnaniæ & Cornubiæ præsul, 10. 1046
Cal. Aprilis die Dominica obiit. Cuius post decessum, regis Cancellario Leofrico Brito-
nico mox Cridiatunensis & Cornubiensis datus est præsulatus: & Aldredus, qui primo
monachus Wintonienſis, post abbas Tauistokensis extitit, Wicciorum pontificatum
suscepit. Osgodus Clapa expellitur Anglia. Magnus Norreganorum rex sancti Olaui re-
gis filius, fugato rege Danorum Suano, sibi Danemerciam subiugat.

1069 8. Clemens Papa obiit septimo Idus Octobris. Poppo, qui & Damasus, Papa 144. 1047
Nix in Occidente tanta cecidit, vt siluas quoq; frangeret. Quo etiam anno hyems extitit
durissima. Grimkitelus Suthsaxoniæ præsul obiit, cui regis capellanus Heca successit. De-
cessit quoq; Alfwinus Wintonienſis Episcopus, in cuius sedem præsul Eastangliæ sub-
matur Stigandus. Suanus rex Danorum suos legatos misit ad Eadwardum regem Anglo-
rum, & rogauit vt sibi classem mitteret contra Magnum regem Norreganorum. Tunc
Comes Godwinus consilium regi dedit, vt saltem 50. naues militibus instructas ei mitte-
ret, sed quia Leofrico Comiti & omni populo id non videbatur consilium, nullam ei mit-
tere voluit. Post hæc magnus rex Norreganorum, classe multa & valida constipatus, cum
Suano prælium commisit, & multis militibus vtrinq; occisis, illum de Danemercia expu-
lit, & post in illa etiam regnauit, atq; tributum sibi non modicum pendere Danos coegit,
ac non multo post obiit.

1070 9. Poppo Papa obiit. Suanus Danemerciam recepit, & Haraldus Haruager Siwardi 1048
regis Norreganorum filius, & ex parte matris frater sancti Olani, patruus scilicet Magni
regis, Norregam repetiit, breuiq; post tempore suos nuntios ad regem Eadwardum misit,
& pacem amicitiamq; illi obtulit, & recepit. Ad quem etiam rex Danorū Suanus legatos
mittens, rogauit vt ei nauale mitteret adiutorium. Sed licet Comes Godwinus voluisset
vt saltem 50. naues illi mitterentur, Leofricus Comes omnisq; populus vno ore contradi-
xerunt. Terræmotus Cal. Maii die dominica extitit magnus Wigorniæ, Wic. Deor-
beiæ, & multis aliis locis. Mortalitas hominum & animalium multas occupauit Angliæ
prouincias, & ignis aereus, vulgo dictus siluaticus, in Deorbegensi prouincia, & qui-
busdam aliis prouinciis, villas & segetes multas vstulauit. Eadmundus Lindisfarnen-
sis Episcopus Glawornæ obiit, sed à suis deportatus, Dunholmi sepelitur. Cui succes-
sit Edredus, sed illo diuina vltione percusso, in eius locum Æthelricus Burgensis mona-
chus substituitur.

1071 10. Leo Papa 145. Iste est Leo ille, qui nouum cantum de sancto Gregorio Papa fecit. 1049
Henricus imperator innumerabilem congregauit exercitum contra Flandrensem Co-
mitem Balduinum, maxime eo quod apud Neomagum suum palatium combussisset, atq;
fregisset pulcherrimū. In qua expeditione fuit Leo Papa & de multis terris nobiles & ma-
gnifici viri quamplurimi Suanus etiam rex Danorum, vt imperator illi mandarat, cum sua
classe ibi affuit, & ea vice fidelitatem imperatori iurauit. Misit quoque ad regem Anglorū

Eadwardum,& rogauit illum ne Balduinum permitteret effugere, si vellet ad mare fugere. Idcirco cum magna classe rex ad Sandicum portum adiit,& ibi tamdiu mansit,quod imperator de Balduino omnia quæ voluit habuisset. Interea Suanus Comes, Godwini Comitis & Githæ filius,qui relicta prius Anglia, eo quod Eadgiuam Leonensis monasterii abbatissam (quam corruperat) in matrimonium habere non licuerit, Danemerciam adierat,nauibus 8.rediit, dicens cum simulatione se cum rege fideliter à modo remansurum. Cui Beornus Comes,filius auunculi sui Danici Comitis Vlfi,filii Spraclingi, filii Vrsi,ac fratris Suani Danorum regis, promisit se à rege impetraturum, vt suus ei Comitatus redderetur. Pacificato itaque cum imperatore Balduino Comite,Comites Godwinus & Beornus,42. nauibus Peuenesea regis licentia sunt deuecti: reliquam vero classis partem domum iussit redire,paucis secum nauibus ibi retentis. Cui cum nuntiatum fuisset,quod Osgodus Clapa cum 29.nauibus in Vlpe iaceret,de nauibus quas remisit quod potuit reuocauit. Osgodus autem,vxore sua quam apud Briege commiserat,recepta,sex nauibus Danemerciam rediit. Alię vero Eastsaxoniam adeuntes,præda circa Promontoriũ Eadulfi capta non modica,redibant. Verum eas in redeundo sæua corripuit tempestas,omnesq; submersit, exceptis duabus quæ in transmarinis partibus captæ sunt,occisis omnibus qui in illis erant. Dum hæc agebantur, Suanus Comes Peueneseam venit, & consobrinum suum Beornum Comitem cum dolo rogauit, vt ad Sandicum portum secum iret,& vt illi promiserat,eum cum rege pacificaret. Qui fisus in consanguinitate,tribus tantum sociis assumptis, cum illo proficisci cœpit. At ille ad Bosanham vbi naues eius erant eum duxit, & in nauem introductum duris mox loris vinciri iussit,& secum tam diu habuit,donec ad ostium Dertæ veniret. Vbi illo occiso,& in altam fossam proiecto,terraque obruto, dimiserunt illas sex naues,quarum duas paulo post cœperunt Hastingenses, & occisis qui fuerunt in eis, naues ad Sandicum conducentes, regi obtulerunt. Suanus vero ad Flandriam duabus fugiens nauibus, ibi mansit, quoad Wigornensis Episcopus Aldredus illum reduceret, & cum rege pacificaret. Eodem anno,mense Augusto,Hibernienses piratæ 36.nauibus, ostium intrantes Sabrinæ fluminis,in loco qui dicitur Wilesceaxan appulerunt,& cum adiutorio Griffini regis Australium Britonum, circa loca illa prædam agentes, nonnulla mala fecerunt. Dein coniunctis viribus,rex & ipsi pariter flumen quod Weage nominatur transeuntes, Dunedham incenderunt, & omnes (quos ibi reperiebant)peremerunt. Contra quos Wigornensis Episcopus Aldredus, & pauci de prouincialibus Glawornensib.ac Herefordensibus,festinanter ascenderunt.Sed Walenses quos secum habuerant,eisque fidelitatem promiserant,ad regem Griffinum clanculo nuntium miserunt, rogantes vt quam citius posset super Anglos irrueret. Qui mox & cum suis & cum piratis Hiberniẽsibus aduolauit,& diluculo super Anglos irruens, multos ex illis occidit, cæteris per fugam elapsis. Eadnothus Dorcestrensis Episcopus obiit, cui regis capellanus Vlfus genere Normannus successit. Oswius abbas Thornegensis & Wolnothus abbas Westmonasterii decesserunt. Decessit quoque Siwardus Eadsii Dorobernensis Archiepiscopi corepiscopus,& Abbandoniæ est tumulatus. Quo etiam anno sanctus Papa Leo, rogatur eximiæ religionis abbatis Herimari, in Franciã venit, habens in comitatu suo Præfectum & digniores quosq; Romuleæ vrbis: & sancti Remigii Francorum Apostoli monasterium Remis constitutum maximo cum honore dedicauit,& postmodũ in ipsa vrbe magnam synodum Archiepiscoporum,Episcoporum,& Abbatam,sex diebus celebrauit. In qua fuit Alfwinus Ramesiensis abbas,& abbas monasterii sancti Augustini,à rege Anglorum Eadwardo illo directi.

1050 11. Rex Scotorum Machæthad Romæ argentum spargendo distribuit. Eadsius Dorobernensis Archiepiscopus obiit, cui Rotbertus Lundonensis Episcopus, genere Normannorum successit.Spearheafocus abbas Abbandoniẽsis Lundoniæ præsulatum suscepit, sed antequam esset consecratus,à rege Eadwardo est electus. Heremannus Wiltuniensis Episcopus,& Aldredus Wigornensis antistes Romam iuerunt. 1072

1051 12. Alfricus Eboracensis Archiepiscopus, Suthwellæ defunctus, Medeshamstede sepelitur: cui regis capellanus Kinsinus successit. Rex Eadwardus absoluit Anglos à graui vectigali 38. anno, ex quo pater suus rex Æthelredus primitus id Danicis solidariis solui mandarat. Post hæc mense Septembri Bononiensis comes Eustachius, senior, qui sororẽ Eadwardi regis, Godam nomine, in coniugium habuerat, paucis Doruerniam applicuit nauibus,in qua milites eius cum stolide & insipienter sibi hospitia quærerent, vnum è ciuibus peremerunt. Quod videns eius conciuis, vlciscitur illum occiso milite vno. Ob quam rẽ Comes & sui nimis irati, viros & mulieres quamplures armis interfecerunt, pueros & infantes suorum pedibus equorum contriuerunt.Sed vbi ciues ad obsistendum 1073

oc-

occurrere viderunt, turpem fugam ineuntes, vix euaserunt (7. ex sociis illorum peremptis) & ad regem Eadwardum, qui tunc temporis Glawornæ morabatur, fugerunt. Talia geri in suo comitatu Comes Godwinus grauiter ferens, nimiaq; commotus ira, de toto suo comitatu, scilicet de Cantia, Suthsaxonia, & Westsaxonia & filius eius primogenitus Suanus de suo, id est, de Oxnafordensi, Glawornensi, Herefordensi, Sumerseatunensi, Bearruescirensi prouinciis, alterq; filius Haraldus de suo comitatu, videlicet de Eastsaxonia, Eastanglia, Huntedunensi & Grantebrigensi prouinciis, innumerabilem congregauerunt exercitum: quod regem Eadwardum non latuit. Idcirco nuntiis ad Leofricum Mercensium, & Siwardum Northimbrorum Comites festinato missis, rogauit vt ad se, in magno periculo constitutum, cum omnibus quos habere poterant, venire accelerarent. Illi autem primo cum paucis venerunt, sed vbi cognouerunt quomodo se res habuit, per suos comitatus celeres miserunt veredarios, & magnum congregauerunt exercitum. Similiter & Radulphus Comes, Godæ sororis Eadwardi regis filius, de suo comitatu quot-quot potuit congregauit. Interea Godwinus & filii eius cum suis exercitibus, post Natiuitatem sanctę Mariæ in Glawornensem prouinciam venientes, in loco qui dicitur Langetrea, castra metati sunt, & legatis Glawornam ad regem directis, comitem Eustatium & socios eius, insuper & Normannos, & Bononienses, qui castellum in Doruerniæ cliuo tenuerunt, sub denunciatione belli reposcebant. Ob id autem ad tempus rex perterritus, & in angore magno constitutus, quid ageret penitus ignorabat. Sed vbi exercitum Comitum Leofrici, & Siwardi, & Radulphi aduentare comperit, se nullatenus Eustatium aliosq; requisitos traditurum, constanter respondit. Quo audito, vacui redeunt legati. Quibus abeuntibus, exercitus Glawornam intrauit, ita inflammatus, & concordi animo ad pugnam paratus, vt statim si rex permitteret, cum exercitu Godwini pugnam inire vellet. At quia de tota Anglia quique meliores in sua & illorum parte erant coadunati, Comiti Leofrico & quibusdam aliis magnum videbatur infilium, vt ipsi cum suis compatriotis bellum inirent, sed obsidibus ad inuicem datis, rex & Godwinus die constituto ad placitandum Lundoniam conuenirent. Probato consilio & nuntiis intercurrentibus, obsidibus datis & acceptis, Dux in Westsaxoniam rediit, rex vero de tota Mercia, & Northimbria copiosiorem exercitum congregauit, & secum Lundoniam duxit. Godwinus autem & filii eius ad Sudwerce venere cum magna Westsaxonum multitudine. Sed quia suus ab eo paulatim defluxerat exercitus, placitum inire cum rege non audebat, verum nocte superueniente fugam iniit. Quare mane facto, rex in suo Concilio, & omnis exercitus vnanimi consensu, illum & quinque filios eius exules fore decreuerunt. Qui mox cum coniuge sua Githa, & Tostius cum vxore sua Iuthita, filia videlicet Baldwini Flandrensium Comitis, ac duo alii eius filii Suanus & Gyrth ad Thornege, vbi nauis eius parata fuerat venerunt. In quam tantum auri & argenti, aliarumq; rerum pretiosarũ, quantum illa portare potuit, festinanter imponentes, eamq; citatim conscendẽres, ad Flandrensium Comitem Balduinum cursum direxerunt. Porro Haraldus, & Leofwinus filii eius, Bricstowam adeuntes, nauẽ, quam frater illorum Suanus sibi parauerat, conscenderunt, & Hiberniam transuecti sunt. Reginam vero Edgitham rex propter irã (quam aduersus patrem suum Godwinum habuerat) repudiauit, & cum vna pedisequa ad Werewellam eam sine honore misit, & abbatissæ custodiendam commisit. His gestis, Normannicus Comes Gulielmus eum multitudine Normannorum Angliam venit, quem rex Eadwardus & socios eius honorifice suscepit, & magnis multisq; donatum muneribus ad Normãniam remisit. Eodem anno Gulielmus regis capellanus Lundoniensem Episcopatum, qui Spearheauoco prius datus fuerat, suscepit. Sanctus Bardo Archiepiscopus Moguntinus obiit sexto Idus Iunii. Liwoldus ei successit.

1074 13. Marianus chronographus seculum reliquit. Alfgiua Emma cõiux regum Æthelredi & Canuti, secundo Nonas Martii, Wintoniæ obiit, & ibi sepulta est. Eodem anno Walensium rex Griffinus magnam partem Herefordensis prouinciæ depopulatus est. Contra quẽ prouinciales illi, & de castello quamplures Normanni ascenderunt: sed multis ex illis occisis, ille victoriam habuit, & secum prædam magnã abduxit. Hæc pugna facta est eodem die, quo ante 13. annos fratrem Comitis Leofrici Eadwinum Walenses per insidias interfecerunt. Paruo post hoc tẽpore, Haraldus Comes & frater eius Leofwinus, de Hibernia redeuntes, & ostium Sabrinæ nauibus multis intrantes, in confinio Sumersetaniæ & Dorsetaniæ applicuerunt, & illis in partibus villas ac agros deprædati sunt multos. Aduersus quos, & de Domnania & Sumersetania, quamplures congregati ascenderunt, sed eos vicit Haraldus, cæsis ex illis plusquam 30. nobilibus Ministris, cum aliis multis. Dein ad naues cum præda rediit, & mox Peonwithsteort circumnauigauit. Tunc rex

Emma reg. 1052

Eadwardus.40.naues,alimentis militibusque electis instructas, ad Sandicum portum festinato misit,& eos aduentum Godwini Comitis operiri & obseruare iussit. Sed tamen ignorantibus omnibus, ille cum paucis nauibus reuersus, in Cantia applicuit, & missis latenter nuntiis,primitus Cantuarienses, dein Suthsaxones, Eastsaxones, Suthregienses, & omnes Butsecarlas de Heastinga,& vbique circa ripas maris, alioſque nonnullos, in adiutorium sibi allexit. Hi omnes vno ore aut mori cum eo se paratos fore, sibi promiserunt. Quod vbi regiæ classi, quæ ad Sandicum portum iacebat,innotuit, illum insequuntur. Verum ipse fugiens euasit,& quo in loco potuit, se occultauit. Illi vero ad Sandicum portum sunt reuecti, & inde Lundoniam sunt reuersi. Hoc cognito, Comes Godwinus ad Vectam insulam est reuectus, & circa ripas maris tamdiu vagabatur, doneç ad illum filii eius Haraldus & Leofwinus sua cum classe venirent, sed ex quo in vnum conuenerant, à deprædatione,ac depopulatione desistebant. Victum tamen exercitui suo, cum res exposceret,sumebant,circa ripas autem maris, & vbicunque locorum omnes quos poterãt, sibi in adiutorium allicientes, & Butsecarlas omnes quos obuios inuenerant, secum legentes, versus Sandicum portum cursum direxerunt. Quo cum venissent,regi Eadwardo, tunc temporis Lundoniæ demoranti, illorum aduentus nunciatur. Qui nuntiis propere missis,omnibus qui a se non defecerant,mandauit, vt in adiutorium sui venire maturarẽt. At illi nimis tardantes,ad tempus non venerunt. Interea cum sua classe Godwinus Comes aduersus cursum Thamesis fluminis deuectus,die Exaltationis sanctæ Crucis,feria secunda,ad Suthweorce venit,& ibi tã diu expectauit, quod maris æstus veniret. Interim quosdam per internuntios, quosdam per se ciues Lundonienses, quos variis pollicitationibus prius illexerat, conuenit,& vt omnes fere quæ volebat omnino vellent,effecit. Inde rebus omnibus dispositis & ordinatis, reumate aduenientе festinanter anchoras sustulerunt, ac nullo in ponte obsistente, per australem fluminis crepidinem sursum nauigauerunt. Venit & pedestris exercitus,ac se per orã fluminis ordinatim disponens, spissam terribilemq; fecit testudinem. Dein classis se versus aquilonalẽ ripam vertit, quasi regis classem circundare vellet. Habebat enim & rex classem, ac numerosum pedestrem exercitum. Sed quia ibi & cum rege & cum Godwino erant perpauci, qui fortitudinis aliquid haberent, nisi tantum Angli, pugnare aduersus suos propinquos ac compatriotas pene omnes abhorrebant. Vnde sapientiores quique ex vtraque parte, inter regem & Ducem pacem redintegrantes,exercitum ab armis discedere iusserunt. Mane autem facto concilium rex habuit pristinumque honorem pleniter reddidit Godwino & vxori suæ, filiisque omnibus excepto Suano. Ille enim ductus pœnitentia,eo quod (vt prælibauimus) consobrinum suum Beornum occiderat,de Flandria nudis pedibus Hierusalem iam adierat,indeque rediens, inualitudine ex nimio frigore contracta, mortuus est in Licia. Filiam quoque Ducis Eadgitham reginam digniter rex recepit,ac pristinæ dignitati restituit .Facta igitur concordia,paceque firmata,omni populo rectam legem promiserunt,& omnes Normannos qui leges iniquas adinuenerant,& iniusta iudicia iudicauerant, multaque regi insilia aduersus Anglos dederant,exlegauerunt. Paucos tamen scilicet Rotbertum Diaconem, & generum eius Ricardum filium Scrob. Alfredum regis Stratorem, Anfridum cognomento Ceocesfot, & quosdam alios, quos plus cæteris rex dilexerat, eique & omni populo fideles extiterant, in Anglia remanere permiserunt. Porro Rodbertus Doroberniæ archiepiscopus,& Lundoniæ præsul Gulielmus, & Vlfus Lundicolnienſis antistes, cum suis Normannis vix euadentes, mare transierunt. Sed Gulielmus propter suam bonitatem paruo post tempore reuocatus,in suum episcopatum recipitur. Osbernus vero cognomento Pẽtecost,& socius eius Hugo sua reddiderunt castella,& Comitis Leofrici licentia per suum comitatum Scotiam adeuntes,à rege Scotorum Macheotha susceptі sunt. Eodem anno in nocte festiuitatis sancti Thomæ apostoli, tantus tamq; vehemens extitit ventus, vt multas ecclesias domosq; dirueret,& innumerabiles arbores frangeret, vel radicitus erueret.

1053 14 Griffini regis Australium Walensium frater, Rhesus nomine, propter frequentes 1075
prædas quas agebat in loco qui Bulendun dicitur,iussu,regis Eadw. occiditur,& Glaornam caput eius ad regem in vigilia Epiphaniæ domini est allatum. Eodem anno, dum secunda Paschalis festiuitatis celebraretur feria Wintoniæ, Godwino Comiti more solito regi ad mensam assedenti,suprema euenit calamitas. Graui etenim morbo ex improuiso percussus,mutus in ipsa sede declinauit. Quod filii eius Comes Haraldus, Tostius, & Girth videntes, illum in regis cameram portabant, sperantes eum post modicum de infirmitate conualescere. Sed ille expers virium, quinta post hæc feria miserabili cruciatu vita decessit,& in veteri monasterio sepultus est. Cuius Ducatum suscepit filius eius Haraldus, & eius Comitatus datus est Algaro Leofrici Comitis filio. Mense Octobri Wul-

fius

sius Licetfeldensis Episcopus, & abbates Godwinus Wincelcumbensis, & Agelwardus Glastonienſis decesserunt. Wulsio Leofwinus Couentrensis abbas, & Agelwardo, Ægelnothus eiusdem monasterii monachus successerunt. Aldredus vero Wigorniēsis Episcopus abbatiam Wincelcumbensem tam diu in manu tenuit, donec Godricū regis capellani Godmanni filium, abbatem constitueret. Alfricus germanus Oddæ Comitis apud Deorhirste vndecimo Cal. Ianuarii obiit, sed in monasterio Persorensi est tumulatus. Aedd clericus barbosus in Hibernia, vir famosissimus & miræ religionis fuit, qui clericorum, puellarum, & laicorum magnam scholam habebat, puellasq; more clericorum tondebat, propter quod etiam de Hibernia proiectus est.

1076 15. Leo papa obiit decimo sexto Cal. Maii. Strenuus Dux Northanhimbrorum Si- 1054
wardus, iussu regis, cum equestri exercitu & classe valida Scotiam adiit, & cum rege Scotorum Macbeotha prælium commisit, ac multis millibus Scotorum, & Normannis omnibus, quorum supra mentionem fecimus occisis, illum fugauit, & Malcolmum regis Cimbrorum filium, vt rex iusserat, regem constituit. In eo tamen prælio suus filius & multi Anglorum & Danorum ceciderunt. Eodem anno in festiuitate sancti Kenelmi martyris, Aldredus Wigornensis Episcopus Godricum abbatem Wincelcumbæ constituit, dein magnis cum xeniis regis fungitur legatione ad imperatorem. A quo simul & ab Hermanno Colonienſi archipræsule magno susceptus honore, ibidem per integrum annum mansit, & regis ex parte imperatori suggessit, vt legatis Hungariam missis, inde fratruelem suum Eadwardum, regis videlicet Eadmundi Ferrei lateris filium, duceret, Angliamque venire faceret.

1077 16. Victor Papa 146. Siwardus Dux Northanhimbrorū Eboraci decessit, & in mona- 1055
sterio Galmanho, quod ipse construxerat, sepultus est. Cuius Ducatus Tostio Haraldi Ducis germano datus est. Non multo post, rex Eadwardus habito Lundoniæ Consilio, Algarum Comitem filium Leofrici, sine culpa exlegauit. Qui mox Hiberniam petiit, & 18. piraticis nauibus acquisitis rediit, & Griffinum regem Walensium adiit, eumq; petiuit, vt contra regem Eadwardum sibi esset in auxilium. Ille statim de toto regno suo copiosum exercitum congregans, Algaro præcepit, vt loco constituto, sibi & exercitui cum suis copiis occurreret. Quibus in vnum conuenientibus, fines Anglorum depopulaturi, Herefordensem prouinciam intrauerunt. Contra quos timidus Dux Radulphus, regis Eadwardi sororis filius, exercitum congregans, & duobus miliariis à ciuitate Hereforda, nono Cal. Nouembris, illis occurrens, Anglos contra morem in equis pugnare iussit. Sed cum prælium essent commissuri, Comes cum suis Francis & Normannis fugam primitus capessit. Quod videntes Angli, ducem suum fugiendo sequuntur, quos aduersarii fere omnes insequuti, 400. vel quingentos viros ex eis peremerunt, multosq; vulnerauerunt. Dein victoria potiti, rex Griffinus & Comes Algarus Herefordam intrauerūt, & 7. Canonicis, qui valuas principalis basilicæ defenderant, occisis: ac monasterio quod verus Dei Christicola antistes Æthelstanus construxerat, cum omnibus ornamentis, & reliquiis sancti Æthelbrihti regis & martyris, aliorumque sanctorum, combusto, & nonnullis è ciuibus necatis, multisq; captiuatis, ciuitate etiam spoliata & cremata, prædæ vbertate ditati redierunt. Quod vbi regi innotuit, de tota mox Anglia exercitum congregari iussit. Cui Glawornæ congregato strenuum Ducem Haraldum prefecit, qui deuote iussis obtemperans, Griffinum & Algarum impigre insequitur, ac fines Walanorum audacter ingressus, vbi Straddele castra metatus est. Sed illi quia virum fortem & bellicosum ipsum sciebant, cum eo committere bellum non audentes, in Suthwaliam fugerunt. Quo comperto, maiorē exercitus partē ibi dimisit, mandans eis vt suis aduersariis (si res exposceret) viriliter resisterent. Cum cætera vero multitudine Herefordam rediens, vallo lato & alto illam cinxit, portis & seris muniuit. Interea legatis intercurrentibus, Griffinus Algarus & Haraldus, & qui cum eis fuerant, in loco qui Bililesleaga dicitur conuenerunt, & pace data & accepta, firmam amicitiam inter se pacti sunt. Quibus patratis classis Algari Comitis Leogecestram deuecta, stipendium quod eis promiserat, ibi expectauit. Ipse vero ad regem venit, & ab eo suum Comitatū recepit. Eo tempore religiosus vir Tremerinus Walonicus antistes decessit. Hic multo tempore vicarius Æthelstani Herefordensis præsulis extitit, postquam ipse ministerium Episcopale per se implere nequiuit, erat enim per annos 13. oculorum lumine priuatus. Heremannus Wiltoniæ prouincię præsul, offensus quia ei sedem Episcopalem transferre de villa quæ Ramnesbirig dicitur, ad abbatiam Malmesbirienſem rex nollet concedere, Episcopatum dimisit, mariq; transfretato apud Sanctum Bertinum monachicum habitum suscepit, ibiq; in ipso monasterio tribus annis mansit.

1056 17. Magnæ vir sanctitatis Herefordensis Episcopus Ælhelstanus, quarto Idus Fe- 1078
bruarii, in Episcopali villa quæ vocatur Bosanbirig decessit, cuius corpus Herefordam delatum, in Ecclesia quam ipse à fundamentis construxerat, est tumulatum. Cui Leouegarus Ducis Haraldi capellanus successit: qui eodem anno 16. Cal. Iulii, à Griffino Walanorum rege in loco qui Claftbirig vocatur, cum clericis suis & vicecomite Agelnotho, & multis aliis, occisus est. Mansit autem in Episcopatu 12. septimanis, & 4. diebus. Quo perempto, Aldredo Wigornensi præsuli donec antistes constitueretur, commissus est Episcopatus Herefordensis. Post hæc idem Episcopus, & Comites Leofricus & Haraldus, cum rege Eadwardo, regem Walanorum Griffinum pacificauerunt. Herimannus Colonien sis Archiepiscopus obiit. Anno successit. Marianus peregrinus factus pro cœlesti patria, venit Coloniam, ibiq; in monasterio Scotorum sancti Martini, quinta feria, Cal. Augusti, monachus factus est. Ecclesiarum amator, pauperum recreator, & pupillorum defensor, oppressorum subuentor, virginitatis custos, Comes Agelwinus, id est, Odda, ab Aldredo Wigornẽsi Episcopo, ante suum obitum, monachizatus, secundo Cal. Septembris, apud Deorhyrste decessit, sed in monasterio Persorensi honorifice sepultus quiescit. Dunhulmensis Episcopus Agelricus Episcopatu sponte relicto, ad monasterium suum, quod dicitur, vbi nutritus & monachus est factus secessit, ibiq; annis 12. deguit. Cui eiusdem monasterii monachus, frater ipsius Agelwinus, in Episcopatum successit. Imperator Henricus tertio Nonas Octobris obiit, & sepultus est in Spira, vbi & pater eius.

ROMANORVM 96. Henricus, filius superioris Henrici, regnauit annis 50.

1. Victor Papa obiit quinto Cal. Augusti. Clito Eadwardus, regis Eadmundi Ferrei 1079
1057 lateris filius, vt ei mandarat suus patruus rex Eadwardus, de Hungaria, qui multo ante (vt prædiximus) in exilium missus fuit, Angliam venit. Decreuerat enim rex illum post se regni hæredem constituere: sed ex quo venit paruo post tempore vita decessit Lundoniæ. Excellentis vir memoriæ, laudabilis Comes Leofricus, Ducis Leofwini filius, in propria villa quæ dicitur Bronleage, 2. Cal. Septemb. in bona decessit senectute, & Couentreæ sepultus est honorifice. Quod monasterium, inter cætera bona quæ in sua vita gessit opera, ipse & vxor eius Dei cultrix, sanctæ Mariæ semper virginis amatrix deuota, nobilis Comitissa Godgiua, de suo patrimonio à fundamentis construxerunt, & id terris sufficienter locupletauerunt, ornamentis variis adeo ditauerunt, vt in Anglia tanta copia auri, argenti, gemmarum, lapidumq; pretiosorum in nullo inueniretur monasterio, quanta tunc temporis habebatur in illo. Leonense etiam & Winlocanense cœnobium S. Iohannis Baptistæ ac sanctæ Werburgæ virginis monasteria in Leogeceastra sita, & Ecclesiam quam Lindicolinensis præsul Eadnothus in loco famoso qui sanctæ Mariæ Stou Anglice, Latine vero sanctæ Mariæ locus appellatur, pretiosis ditauerunt ornamentis. Wigornense quoque monasterium terris, & Eoueshamnense ædificiis, ornamentis variis, terrisq; locupletauerunt. Huius itaque Comitis sapientia (quam diu vixit) regibus, omniq; Anglorum populo multum profuit. Cuius Ducatum filius suus Algarus suscepit. Heca præsul Australium Saxonum obiit, pro quo Agelricus Christi Ecclesiæ monachus Cantuarien sis, eligitur. Radulphus Comes 12. Cal. Ianu. decessit, & in abbatia quæ Buth vocatur, tumulatus est.

2. Stephanus Papa 147. Abbas de monte Cassino. Paderbrunna ciuitas cum duobus 1080
1058 monasteriis, id est, Episcopatus & Monachorũ, feria sexta ante Palmas igne consumitur. In monasterio autem monachorum erat monachus nomine Paternus, Scotus, multisque annis inclusus, qui etiam ipsum prænuntiabat incendium, qui pro cupiditate maryrũ nullo modo exiuit, sed in clausula sua combustus est, & per hunc ignem transiuit in refrigerium: de cuius etiam sepulchro quædam bona narrantur. Ipsis vero statim diebus, feria secunda post Octauas Paschæ, de Colonia causa claudendi, cum abbate Fuldensi ad Fuldam super mattam super quam combustus est, ego oraui. Hæc ait Marianus Scotus inclusus. Algarus Merciorum Comes à rege Eadwardo, secundo exlegatus est, sed regis Walanorum Griffini iuuamine, & Norreganicæ classis adminiculo, quæ ad illũ venerat ex improuiso, cito per vim suum Comitatum recuperauit. Stephanus Papa obiit, tertio Cal. April. Benedictus successit: qui Stigando Doroberniæ Archiepiscopo pallium misit. Agelricus Suthsaxonum præsul ordinatur, & abbas Siwardus consecratur Episcopus ad Rhofensem Ecclesiam. Aldredus Wigornien sis Episcopus Ecclesiam, quam in ciuitate Glaworna à fundamentis construxerat, in honorem principis Apostolorum Petri honorifice dedicauit, & postea regis licentia Wulstanũ Wigornensem monachum à se ordinatũ, abbatẽ constituit ibidem. Dein præsulatu Wiltonen sis Ecclesiæ, qui sibi ad regendũ commissus fuerat, dimisso, & Herimanno cuius supra meminimus reddito, mare transiit, & per Hungariam profectus est Hierosolymam, quod nullus Archiepiscoporum vel Episcoporum Angliæ eatenus dinoscitur feciſſe.

3. Ni-

1081 3. Nicolaus ciuitatis Florentiæ Episcopus, Papa eligitur, & Benedictus eiicitur. Marianus inclusus cum Sigefrido Fuldensi abbate, iuxta corpus S. Kiliani in Wirziburh consecratus est presbyter Sabbato mediæ Quadragesimæ, tertio Idus Martii, & feria sexta post Ascensionem domini, secundo Idus Maii, inclusus est in Fulda per annos decem. Liuwoldus Archiepiscopus Moguntinus obiit septimo Idus Decembris. Sigefridus ei successit. 1059

1082 4. Henricus rex Francorum obiit, cui filius eius primogenitus Philippus successit. Wellensis Episcopus Dudocus obiit: cui successit Gisa regis capellanus, ambo de Lotharingia oriundi. Eboracensium Archiepiscopus Kinsinus II. Cal. Ianu. obiit, cuius corpus ad monasterium quod Burh dicitur, delatum, honorifice tumulatũ est. Pro quo Wigornensis Episcopus Aldredus ad Archiepiscopatum in Natiuitate domini eligitur: & Herefordensis præsulatus, qui ei propter suam industriam fuerat commissus, capellano Eadgithæ reginæ Waltero Lotharingo est datus. Sigefridus abbas Fuldensis dominica die Natalis domini de Fulda ad regiam Curtem iens, baculum Moguntinensis Archiepiscopatus accepit in Epiphania domini. Papæ Nicolai legato, qui non longe post Papa factus est Alexandro hoc idem annuente. Widradus, decanus Fuldensis, abbas successit. 1060

1083 5. Aldredus Eboracensis Archiepiscopus cum Tostio Comite Romam iuit, & à Nicolao Papa pallium suscepit. Maiolus abbas Scotorum Coloniæ obiit. Foilanus post eum successit. Nicolaus Papa obiit. Alexander Papa 149. successit. 1061

1084 6. Wulstanus vir venerandus, pontifex Wigornensi Ecclesiæ præficitur. Hic Deo amabilis, regione Mercíorum in prouincia Waricensi, parentibus religiosis oriundus, patre videlicet Eatstano, matre vero Wulgeoua nomine, in nobili autem monasterio quod Burh nominatur, literis & Ecclesiasticis officiis optime extitit imbutus. Qui ambo (scilicet parentes eius) in tantum religioni studebant, vt longe ante finem vitæ castitatem professi, se ab inuicem separantes, sub sanctæ conuersationis habitu vitam consummare gauderent. Quorum exemplo ipse adolescens incitatus, matre id maxime persuadente, seculum reliquit, atque in eodem Wigornensi monasterio, quo & ante pater suus Deo seruierat, monachicum habitum & ordinem à venerabili Brihteago eiusdem Ecclesię Episcopo suscepit, à quo etiam in gradum tam diaconatus quam presbyteratus ordinatus est, statimque in ipso initio arduam & omni religiositate plenam vitam arripiens, in vigiliis, ieiuniis, orationibus, omnique virtutum genere, subito admirandus apparuit. Hinc ob morum disciplinam primo magister & custos infantum aliquandiu constituitur, deinde ob solertiam Ecclesiastici officii cantor simul & thesaurarius Ecclesiæ ex præcepto seniorum efficitur. Nactus vero occasionem liberius Deo seruiendi ex commissa sibi custodia Ecclesiæ, totum se contemplatiuæ vitæ dedit, die noctuque in ea aut orationi aut diuinæ lectioni insistens, bidui triduique ieiunio assidue corpus macerans, sacris vigiliis in tantum deditus, vt non modo noctem, sed etiam persæpe diem cum nocte aliquando, quod à nobis vix crederetur si non ab ipsius ore hoc audissemus, quatuor dies cum noctibus absque somno transigens, fere exiccato cerebro periculum incurreret, nisi sopore prælibato naturæ satisfacere maturaret. Denique & cum vi naturæ dormire compelleretur, non lecto aut lectosterniis membra ad soporem fouebat, sed super aliquod scamnum Ecclesiæ, libro in quo orabat siue legebat caput sustentans, paulisper se reclinabat. Post aliquod autem tempus, defuncto Agelwino priore monasterii, ipse vir venerandus prior & pater congregationis ab Aldredo Episcopo ponitur. Quod officium valde laudabiliter adimplens, prioris conuersationis austeritatem minime reliquit, immo vt cæteris exemplum bene viuendi daret, multipliciter adauxit. Deinde post aliquot annorum curriculà, electo ad Archiepiscopatum Eboracensis Ecclesiæ ipso Aldredo Wigornensis Ecclesiæ Episcopo, fit vnanimis consensus tam cleri quam etiam totius plebis in eius electione, rege videlicet annuente vt quem sibi vellent præsulem eligerent. Contigit eo namq; tempore & legatos sedis Apostolicæ eius electioni interesse, Armenfredum scilicet Seduenensem Episcopum, & alium, qui à domino Papa Alexandro pro responsis Ecclesiasticis ad regem Anglorum Eadwardum missi, regio præcepto Wigorniæ per totã fere quadragesimam degebant, expectantes responsum suæ legationis vsque ad curiam regalem proximi Paschatis. Hi videntes (dum ibi degebant) eius laudabilem conuersationem, in eius electione non tantum consentiebant, immo tum clerum tum plebem maxime ad hoc instigabant, suaque auctoritate eius electionem firmabant. Illo vero obstinatissime renuente, seque indignum acclamante, & cum sacramento etiam affirmãte, se multo libentius decollationi, quam tam altæ ordinationi succumbere velle, cum sæpe & frequenter à pluribus viris religiosis & venerabilib. personis, super his circumuentus, ad 1062

consentiendum minime persuaderi posset, tandem à viro Dei Wulsio incluso, qui tunc plus 40. annis solitariam vitam egisse noscebatur, acriter pro inobedientia & obstinatia correptus, diuino etiam oraculo territus, consentire cum maximo cordis dolore compulsus est, atq; die Collationis sancti Iohannis Baptistæ electione canonice confirmata, & Episcopatu suscepto. Dominico die quo Natiuitas sanctæ Mariæ ab Ecclesia celebrabatur consecratus, vita & virtutibus clarus, Wigornensis Ecclesiæ præsul effulsit. Consecratus est igitur Episcopus à venerando Aldredo Eboracensi Archiepiscopo, eo quod Stigando Doroberniæ Archiepiscopo officium Episcopale tunc à domino Apostolico interdictum erat, quia Rotberto Archiepiscopo viuente Archiepiscopatum susciperé præsumpsit: canonica tamen professione præfato Dorobernensi Archiepiscopo Stigando, non suo ordinatori Aldredo facta. Insuper & ipse Eboracensis Archiepiscopus (eius ordinatur) coram rege & regni optimatibus, ipso Stigando factitante propter subsequentiũ calumnias profiteri iussus est, se nullum ius Ecclesiasticæ seu secularis subiectionis super eum deinceps velle clamare, nec propter quod ab eo consecratus est, nec quia ante consecrationem eius monachus factus est. Facta est autem hæc illius ordinatio, anno ætatis suæ plus quinquagesimo, regni vero regis Eadwardi anno 20. Indictione 15.

1063 7. Strenuus Dux Westsaxonum Haraldus, iussu regis Eadwardi, post Natiuitatem 1085
domini, equitatu non multo secum assumpto de Glaworna, vbi rex tunc morabatur, ad Rudelan multa cum festinatione profectus est, vt regem Walanorum Griffinum propter frequentes depopulationes, quas in Anglorum finibus agebat, ac verecundias, quas domino suo regi Eadwardo sæpe faciebat, occideret. At ille eius aduentu præcognito, fugã cũ suis iniit, nauem ascendit, & vix euasit. Haraldus vero vt eum fugisse comperit, palatiũ incendere, & naues eius cum armamentis comburere iussit, eodemq; die rediit: sed circa Rogationes de Bricstowe classica manu profectus, magna ex parte terram Walanorum circumnauigabat. Cui frater suus Comes Tostius (vt rex mandarat) cum equestri occurrit exercitu, & viribus simul iunctis, regionem illam depopulari cœperunt. Vnde Walani coacti datis obsidibus se dederunt, & se tributum illi daturos promiserunt, regemque suum Griffinum exlegantes abiecerunt.

1064 8. Ciclus magnus Paschalis hic incipit, Indictione secunda. Multi diuites & pau- 1086
peres cum Moguntino Archiepiscopo, Traiectensi quoque, nec non Babbenbergensi, atque Ratisponensi Episcopis, post transitum sancti Martini, plus 7. millibus hominum Hierusalem perrexerunt. Vbi autem Episcopi sedebant, ad dorsa eorum pallia pendebant, vasis quoq; aureis seu argenteis cibus potusq; inferebantur. Arabitæ vero fama pecuniæ congregati, multos eorum in Paraseue occiderunt. Qui autem euadere potuerunt, in quoddam castellum vacuum nomine Curuasalim fugerunt: quod claudentes, lapidibus & fustibus defendebant se contra iacula Arabitarum, quærentium pecuniam eorum auferre, vel vitam cum pecunia. Tunc vnus optimus miles nullo periculo victus, quin sepulchrum domini videret, foras exiit: Arabitę vero statim eum comprehendentes, resupinũ in terram in modum crucis distenderunt, & manus ac pedes eius clauis transfigentes in terram, ab imo ventris vsq; ad guttur discecantes eum, omnia viscera eius scrutati sunt. Postremo cum eum membratim diuisissent, dux ipsorum primum lapidem super eum misit, deinde omnes. Tunc sociis illius de castello hæc omnia intuentibus, dixerunt, vos ita eritis, nisi omnem pecuniam vestram nobis tradideritis. Christianis itaq; promittentibus, dux Arabitarum ingressus est castellum ad eos, & 16. alii cum gladiis. Qui dux cum vidisset adhuc cum tanta gloria Episcopos sedere, cernens Episcopum Babbergensem (nomine Guntherum) cæteros magnitudine seu pulchritudine corporis præcellentẽ, putat illum dominum esse Christianorum, & sicut mos est gentilibus reos tenere, misit corrigiam in collum Episcopi, & ait, tu & ista omnia tua mea erunt. Episcopus vero per interpretem ait illi: quid mihi facies? Ille dixit. Istum pulchrum sanguinem gutturis tui fugam, & suspendam te ante castellum, sicut canem. Tunc Episcopus apprehenso capite eius, vno colapho elisit ducem in terram: alii autem omnes ligati sunt. Quo comperto, hi qui foris erant, super castellum irruerunt, sed illi qui ligati erant, suspensi in muro contra eos, prohibuerunt illos suæ salutis causa. Ipsi vero latrones propter pecuniam, quam prius à Christianis tulerunt rixati, inuicem se magna ex parte peremerunt. Interea dux de Ramala, rogatus à Christianis qui euadere poterant, secundo die Paschæ cum valida manu aduenit, Arabitasq; fugauit. Deinde accipiens quingentos aureos à Christianis, cum duce Arabitarum inimico regis Saracenorum domini sui, perduxit eos Hierusalem, & inde ad nauim. Ita autem omnis multitudo Christianorum consumpta est, vt vix septem vel amplius milibus 2000. sint reuersa. Rex Walanorum Griffinus Non. Augusti à suis

suis interficitur, & caput eius caputque nauis ipsius cum ornatura Comiti Haraldo mittitur, qui mox illa regi detulit Eadwardo. Quibus gestis suis fratribus Blethgento & Rithwalano rex terram Walanorum dedit. Cui, & Haraldo Comiti fidelitatem illi iurauerunt, & ad imperium illorum mari terraque se fore paratos, ac omnia quæ prius de terra illa, regibus anterioribus fuerant pensa, obedienter se pensuros spoponderunt.

1087 9. Reuerendus vir Agelwinus, Dunholmensis Episcopus, sancti Oswini quondam regis Berniciorum ossa, in monasterio quod iuxta ostium Tinæ fluminis situm est, de tumulo leuauit, transactis à sepultura eius 415. annis, & in scrinio cum magno honore locauit. Strenuus Dux Westsaxonum Haraldus in terram Walanorum, in loco qui Portascith nominatur, mense Iulio magnum ædificari iussit ædificium, & multa quæ pertinent ad esum & potum illuc congregari mandauit, vt dominus suus rex Eadwardus illic aliquandiu venationis causa degere posset. Sed Cradocus filius regis Suthwalanorum Griffini, quem ante paucos annos Griffinus rex Northwalanorum occiderat, eiusque regnum inuaserat, cum omnibus, quos habere poterat, die festiuitatis sancti Bartholomæi Apostoli, illuc venit, & operarios fere cunctos cum illis, qui eis præerant, peremit, & omnia bona quæ ibi congregata fuerant, abstulit. Dein post festiuitatē sancti Michaelis Archangeli, quinto Nonas Octobris, feria secunda, Northimbrenses Ministri Gamelbearn Dunstanus filius Atheluethes, Glonicorn filius Heardulfi, cum 200. militibus Eboracum venerunt, & pro execranda nece nobilium Northimbrensium Ministrorum Gospatrici, quem regina Eadgitha germani sui Tostii causa in curia regis, quarta nocte dominicæ Natiuitatis, per insidias occidi iussit, & Gamelis filii Orni, ac Vlfi filii Dolfini quos, anno præcedenti Eboraci, in camera sua, sub pacis fœdere, per insidias Comes Tostius occidere præcepit, nec non pro immensitate tributi quod de tota Northimbria iniuste acceperat, eodem die primitus illius Danicos Huscarlas Amundum & Rauensuartum de fugaretractos, extra ciuitatis muros, ac die sequenti plusquam 200. viros ex curialibus illius in boreali parte Humbri fluminis peremerunt. Ærarium quoque ipsius fregerunt, ac omnibus quæ illius fuerant ablatis recesserunt. Omnes dehinc fere comitatus illius in vnum congregati, Haraldo Westsaxonum Duci, & aliis quos rex Tostii rogatu pro pace redintegrata ad eos miserat, in Northamtonia occurrerunt. Vbi prius, & post apud Oxenefordam die festiuitatis Apostolorum Simonis & Iudę. dum Haraldus & alii quamplures Comitem Tostium cum eis pacificare vellent, omnes vnanimi consensu contradixerunt, ac eum cum omnibus, qui legem iniquam statuere illum incitauerant, exlegauerunt: & post festiuitatem Omnium sanctorum cum adiutorio Comitis Eadwini de Anglia Tostium expulerunt. Qui mox cum vxore sua Baldwinum Flandrensium Comitem adiit, & apud Sanctum Audomarum hyemauit. Post hæc Rex Eadwardus paulatim ægrotare cœpit. In Natiuitate vero domini curiam suam (vt potuit) Lundoniæ tenuit, & Ecclesiam quam ipse à fundamentis construxerat, die Sanctorum Innocentium in honorem sancti Petri Apostolorum principis, cum magna gloria dedicari fecit.

1088 10. Anglorum Decus pacificus rex Eadwardus, Æthelredi regis filius, postquam 23. annis, mensibus 6. & 27. diebus, potestate regia præfuerat Anglosaxonibus, Indictione 4. Epiphaniæ domini vigilia, feria quinta, mortem obiit Lundoniæ, & in crastino sepultus regio more, ab omnibus qui tunc affuere non sine lachrymis plangebatur amarissime. Quo tumulato, subregulus Haraldus, Godwini Ducis filius, quem rex ante suam decessionem regni successorem elegerat, à totius Angliæ primatibus ad regale culmen electus, die eodem ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo in regem est honorifice consecratus. Qui mox, vt regni gubernacula susceperat, leges iniquas destruere, æquas cœpit condere, Ecclesiarum ac monasteriorum patronus fieri, Episcopos, abbates, monachos, clericos colere simul ac venerari, pium, humilem, affabilemq; se bonis omnibus exhibere, malefactores exosos habere. Nam ducibus, Satrapis, vicecomitibus, & suis in commune præcepit Ministris, fures, raptores, regni disturbatores comprehendere, & pro patriæ defensione ipsemet terra mariq; desudare. Eodem anno octauo Cal. Maii. stella Cometes nō solum in Anglia, sed etiam (vt fertur) per totum mundum visa, per 7. dies splendore nimio fulgebat. Non multo post, Comes Tostius de Flandria rediens, ad Vectam insulam applicuit, & postquam insulanos sibi tributum & stipendium soluere coegerat, discessit: & circa ripas maris, donec ad Sandicum veniret, prędas exercuit. Quo cognito, rex Haraldus qui tunc Lundoniæ morabatur, classem non modicam & equestrem exercitum congregari præcepit. Ipse vero Sandicum portum adire parabat, quod dum Tostio nunciatum fuisset, de Buthsecarlis quosdam volentes, quosdam nolentes secum assumens recessit,

& cur-

1066

& cursum ad Lindesegiam direxit: in qua villas quamplures incendit, multosq; homines neci tradidit. His cognitis, Dux Merciorum Eadwinus & Northimbrorum Comes Morcarus cum exercitu aduolant, illumq; de regione ipsa extrudunt. Ille autem inde discedens, regem Scotorum Malcolmum adiit, & cum eo per totam æstatem mansit. Interea rex Haraldus ad Sandicum portum venit, ibiq; classem suam expectauit. Quæ cum fuisset congregata, Vectam insulã adiit, & quia Normannorum Comes Gulielmus Eadwardi regis consobrinus in Angliam cum exercitu venire parabat, tota æstate & autumno aduentum illius obseruabat. Ad hæc etiam pedestrem exercitum locis opportunis circa ripas maris locabat. Aduenientè itaque Natiuitate sanctæ Mariæ victu deficiente, & classicus & pedestris exercitus domum rediit. Quibus gestis, cum classica manu perualida, scilicet plus quingentis magnis nauibus, Haraldus Haruagra rex Norreganorum, frater sancti regis Olaui, in ostio Tinæ fluminis improuisæ applicuit. Ad quem Comes Tostius (vt prius condixerant) sua cum classe venit, & citato cursu ostium Humbri fluminis intrauerunt, & sic aduersus cursum Vsæ fluminis nauigantes, in loco qui Richale dicitur, applicuerunt. Quod vbi rege Haraldo innotuit, versus Northimbriam expeditionem propere mouit. Sed priusquam illud veniret, duo Germani Comites, videlicet Eadwinus & Morcarus, cum ingenti exercitu in vigilia sancti Matthæi Apostoli, feria quarta, in boreali ripa Vsæ fluminis, iuxta Eboracum, cum Norreganis prælium commisere, & in primo belli impetu viriliter pugnantes multos prostrauere. At postquam diu certatum est, Angli Norreganorum impetum non ferentes, haud sine paruo detrimento suorum terga dedere: multoq; plures ex illis in fluuio demersi fuere, quam in acie cecidere. Norregani vero loco funeris dominantur, & obsidibus 150. de Eboraca sumptis ad naues repedarunt, relictis in ea suis 150. obsidibus. Verum quinto post hæc die, id est septimo Cal. Octobris, feria secunda, rex Anglorum Haraldus multis millibus pugnatorum, armis bellicis instructorum, Eboracum veniens, & Norreganis in loco qui Stanfordebrigge dicitur occurrens, in ore gladii regem Haraldum Comitemq; Tostium (cum maiori parte sui exercitus) occidit, ac plenam victoriam, licet acerrime pugnatum esset, habuit. Filium autem eius Olauũ, & Comitem de Orcada insula Paulum nomine, qui ad naues custodiendas cum exercitus parte fuerant dimissi, acceptis ab eis prius obsidibus & sacramentis, cum 20. nauibus, & reliquis exercitus in patriam redire libere permisit. Interea dum hæc agerentur, & rex omnes suos inimicos autumaret detritos fuisse, nuntiatum est ei Gulielmum Comitem gentis Normanicæ cum innumera multitudine equitum, fundibaliorum, sagittariorum, peditumq; aduenisse, vtpote qui de tota Gallia sibi fortes auxiliarios conduxerat, & in loco qui dicitur Pefnesea suam classem appulisse. Vnde rex statim versus Lundoniam suum mouit exercitum magna cum festinatione, & licet de tota Anglia fortiores quosq; in duobus præliis bene sciret iam cecidisse, mediamq; partem sui exercitus nondum conuenisse, quam citius tamen potuit, in Suthsaxonia suis hostibus occurrere non formidauit, & 9. miliariis ab Hestinga, vbi sibi castellum firmauerant, priusquam tertia pars sui exercitus ordinaretur, vndecimo Cal. Nouembris, sabbato, cum eis prælium commisit. Sed quia arcto in loco constituti fuerant Angli, de acie se multi subtraxere, & cum eo perpauci cõstantes corde permansere: ab hora tamen diei tertia vsq; noctis crepusculum suis aduersariis restitit fortissime, & se ipsum pugnando tam fortiter defendit & tam strenue, vt vix ab hostili interimi posset agmine. At postquam ex his & illis quamplurimi corruere (heu) ipsemet cecidit crepusculi tempore. Comites etiam Girth & Leofwinus frater eius ceciderunt, & fere nobiliores totius Angliæ. Gulielmus vero Comes cum suis Hestingam rediit. Regnauit autem Haraldus mensibus 9. & diebus totidem. Cuius morte audita, Comites Eadwinus & Morcarus (qui se cum suis certamini subtraxere) Lundoniam venere, & sororem suam Algitham reginam sumptam ad ciuitatem Legionum misere. Aldredus autem Eboracensis Archiepiscopus, & iidem Comites cum ciuibus Lundonienſibus, & Butsecarlis, Clitonem Eadgarum, Eadmundi Ferrei latetis nepotem, in regem leuare voluerunt, & cum eo se pugnam inituros promiserunt: sed dum ad pugnam descendere multi se parauerunt, Comites suum auxilium ab eis retraxerunt, & cum suo exercitu domum redierunt. Interea Comes Gulielmus Suthsaxoniam, Cantiam, Suthamtunensem prouinciam, Suthregiam, Middelsaxoniam, Herefordensem prouinciam deuastabat, & villas cremare, hominesq; interficere non cessabat, donec ad villam quę Beorcham nominatur, veniret. Vbi Aldredus Archiepiscopus, Wulstanus Wigornensis Episcopus, Clito Eadgarus, Comites Eadwinus & Morcarus, & de Lundonia quique nobiliores, cum multis aliis ad eum venerunt, & datis obsidibus illi deditionẽ fecerunt, fidelitatemq; iurauerunt. Cum quibus & ipse fœdus pepigit, & nihilominus exercitui suo villas cremare, & rapinas age-

agere permisit. Appropinquante igitur dominicæ Natiuitatis festiuitate, cum omni exercitu Lundoniam vt ibi in regem sublimaretur adiit. Et quia Stigandus primas totius Angliæ, ab apostolico papa calumniatus est pallium non suscepisse canonice, ipsa Natiuitatis die, quæ illo anno feria secunda euenit, ab Aldredo Eboracensium archiepisco in Westmonasterio consecratus est honorifice, prius (vt idem archipræsul ab eo exigebat) ante altare sancti Petri apostoli, coram clero & populo iureiurando promittens, se velle sanctas Dei ecclesias ac rectores illarum defendere, necnon & cunctum populum sibi subiectum iuste & regali prouidentia regere, rectam legem statuere & tenere, rapinas iniustaq; iudicia penitus interdicere.

1089 11. Aduenientе quadragesima rex Gulielmus Normãniam repetiit, ducens secum 1067
Dorobernensem archiepiscopum Stigandum, Glastoniensem abbatem Agelnothum, Clitonem Eadgarum, Comites Eadwinum & Morcarum, Waltheofum Siwardi Ducis filium, nobilem satrapam Agelnothum Cantuariensem, & multos alios de primatibus Angliæ: fratremque suum Odonem Baiocensem episcopum, & Gulielmum filium Osberni (quem in Herefordensi prouincia comitem constituerat) Angliæ custodes relinquens, castella per loca firmari præcepit. Wulfwius Dorcecestrensis episcopus decessit Wintoniæ, sed sepultus est Dorcecestræ. Eo tempore extitit quidam præpotens Minister Edricus, cognomento Syluaticus, filius Alfrici, fratris Edrici Streonæ, cuius terram quia se dedere regi dedignabatur, Herefordenses Castellani, & Richardus filius Scrob, frequẽter vastauerunt, sed quotiescunq; super eum irruerant, multos è suis militibus & scutariis perdiderunt. Idcirco ascitis sibi in auxilium regibus Walanorum Blethgento videlicet & Rithwalano, idem vir Edricus circa Assumptionem sanctæ Mariæ Herefordensem prouinciam vsq; ad pontem amnis Lugge deuastauit, ingentemq; prædam reduxit. Post hæc hyeme imminente, rex Gulihelmus de Normannia Angliam rediit, & Anglis importabile tributum imposuit. Dein in Domnaniam hostiliter profectus, ciuitatem Execeestrã quam ciues & nonnulli Anglici Ministri contra illum retinebant, obsedit, & cito infregit. Githa vero Comitissa, scilicet mater Haraldi regis Anglorum, ac soror Suani regis Danorũ, cum multis de ciuitate fugiens euasit, & Flandriam petiit. Ciues autem dextris acceptis regi se dedebant. Siwardus 19. Rofensis episcopus obiit.

1090 12. Duo papæ in Roma facti sunt, id est, episcopus Parmensis, qui expulsus est, & e- 1068
piscopus de Luca qui papa permansit. Post Pascha Comitissa Matildis de Normannia venit Angliam, quam die Pentecostes Aldredus Eboracensis archiepiscopus consecrauit in reginam. Post hæc Marlesuein & Gospatric, & quiq; Northumbranæ gentis nobiliores, regis austeritatem deuitantes, & ne sicut alii in custodiam mitterentur formidantes, sumptis secum Clitone Eadgaro, & matre sua Agatha, duabusq; sororibus suis Margareta & Christiana, nauigio Scotiam adierunt, ibidemq; regis Scotorum Malcolmi pace, hyeme exegerunt. Rex autem Gulielmus cum exercitu suo Snotingaham venit, vbi castello firmato Eboracum perrexit, ibidemq; duobus castellis firmatis quingentos milites in eis posuit, & in ciuitate Lindicolinã, aliisq; locis castella firmari præcepit. Dum hæc agerentur, Haraldi regis filii, Godwinus, Eadmundus, Magnus, de Hybernia redeuntes, in Sumersetania applicuerunt. Quibus Eadnothus, qui fuit Haraldi regis Stallarius, occurrit cum exercitu, & cum eis prælio commisso, cum multis aliis occisus est: illi vero potiti victoria, de Domnania & Cornubia præda rapta non modica, in Hyberniam redierũt.

1091 13. Marianus post decem annos suæ inclusionis in Fulda, iussione archiepiscopi 1069
Moguntini, & abbatis Fuldensis, tertio Nonas Aprilis, feria sexta ante Palmas, Moguntiam venit. Duo filii Haraldi regis, circa Natiuitatem Iohannis Bapt. denuo. 44. nauibus de Hybernia venientes, in ostio fluminis Taui applicuerunt, & cum Beona Britonico Comite graue prælium commiserunt. Quo confecto, vnde venerunt, redierũt. Marianus sexto Idus Iulii, feria sexta, in Natali sanctorum. 7. fratrum, in eadem iuxta monasteriũ principale includitur. Ante Natiuitatem sanctæ Mariæ Suani regis Danorum filii Haraldus, Canutus, & patruus eorũ Esbernus Comes, & Comes Turkillus. 240. nauibus de Danemercia venientes, in ostio Humbri fluminis applicuerunt. Vbi eis Clito Eadgarus, Comes Waltheouus, & Marleswin, multiq; alii, cum classe, quam congregauerant, occurrerunt. De quorum aduentu Eboracensis archiepiscopus Aldredus valde tristis effectus, in magnam incidit infirmitatem, & decimo anno sui archiepiscopatus, tertio Idus Septemb. feria. 6. vt Deum rogauerat, vitam finiuit & in ecclesia sancti Petri est sepultus. Octauo post hunc die, scilicet. 13. Cal. Octobris, Sabbato, Normanni qui castella custodiebant, timentes ne domus, quę prope castella erant, adiumenta Danis ad implendas fossas castellorum essent, igne eas succendere cœperunt. Qui nimis excrescens, totam ciuitatem inuasit,

monaste-

monasteriumque S.Petri cum ipsa consumpsit. Sed hoc vltione diuina citissime in eis vindicatum est grauissime. Nam postquam tota ciuitas esset combusta, Danica classis superuenit, feria secunda, & castellis eodem die fractis, & plus 3000. ex Normannis trucidatis, Gulielmo Malet cum sua coniuge, & duobus liberis, aliisq; perpaucis, vitæ reseruatis: naues cum innumeris repetiere manubiis. Quod vbi regi innotuit Gulielmo, exercitu mox congregato, in Northimbriam efferato properauit animo, eamq; per totam hyemem deuastare, hominesque trucidare, & multa mala non cessabat agere. Interea nuntiis ad Danicum Comitem Esbernum missis, spopondit se clanculo daturum illi non modicæ summam pecuniæ, & permissurum licenter exercitui suo victum sibi circa ripas maris rapere, ea tamen interposita conditione, vt sine pugna discederet peracta hyeme. Ille autem auri argentiq; nimis auidus, non sine magno dedecore suis petitis concessit. Normannis Angliam vastantibus in Northimbria, & quibusdam aliis prouinciis anno præcedenti, sed præsenti, & subsequenti fere per totam Angliam maxime per Northimbriam, & per contiguas illi prouincias, adeo fames prævaluit, vt homines equinam, caninam, cattinam, & carnem comederent humanam.

1070 14 Gulielmi Herefordensis Comitis & quorundam aliorum consilio, tempore quadragesimali, rex Gulielmus monasteria totius Angliæ serutari, & pecuniam quam ditiores Angli propter illius austeritatem & depopulationem in eis posuerant, auferri & in ærarium suum iussit deferri. Concilium magnum in Octauis Paschæ Wintoniæ celebratū est, iubente & præsente rege Gulielmo, domino Alexandro papa consentiente, & per suos legatos Earmenfredum Sedunensem episcopum, & presbyteros Iohannem & Petrum cardinales sedis apostolicæ, suam auctoritatē exhibente. In quo Concilio Stigandus Doroberniæ archiepiscopus degradatur tribus de causis, scilicet quia episcoparum Wintoniæ cum archiepiscopatu iniuste possidebat; & quia viuente archiepiscopo Roberto non solum archiepiscopatum sumpsit, sed etiam eius pallio (quod Cantuariæ remansit) dum vi iniuste ab Anglia pulsus est, in missarum celebratione aliquandiu vsus est, & post à Benedicto, quem sancta Romana ecclesia excommunicauit, eo quod pecuniis sedem apostolicam inuasit, pallium accepit. Eius quoque frater Agelmarus Eastanglorum episcopus est degradatus. Abbates etiam aliqui ibi degradati sunt, operam dante rege vt quamplures ex Anglis suo honore priuarentur, in quorum locum suæ gentis personas subrogauit, ob confirmationem sui (quod nouiter acquisierat) regni. Hic & nonnullos tam episcopos quam abbates, quos nulla euidenti causa nec Concilia nec leges seculi damnabant, suis honorib' priuauit, & vsque ad finem vitæ custodiæ mancipatos detinuit, suspicione (vt diximus) tātum inductus noui regni. In hoc itaque Concilio, dum cæteri trepidi, vtpote regis agnoscentes animū, ne suis honoribus priuarentur timerent, venerandus vir Wulstanus Wigornensis episcopus, quāplures possessiones sui episcopatus ab Aldredo archiepiscopo (dū a Wigornienſi ecclesia ad Eboracensem transferretur) sua potentia retentos, qui eo tunc defuncto in regiam potestatem deuenerant, constanter proclamabat, expetebat, iustitiāq; inde fieri tam ab ipsis qui Concilio præerant, quam à rege flagitabat. At quia Eboracensis ecclesia, non habens pastorem qui pro ea loqueretur, muta erat, iudicatum est vt ipsa querela sic remaneret quousque (archiepiscopo ibi cōstituto qui ecclesiam defenderet) dum esset qui eius querelæ responderet, ex obiectis & responsis posset euidentius ac iustius iudicium fieri. Sicq; tunc ea querela ad tempus remansit. Die autem Pentecostes rex apud Windesoram, venerando Baiocensi canonico Thomæ, Eboracensis ecclesiæ archiepiscopatum, & Walcelino suo capellano Wintonienſis ecclesiæ dedit præsulatum. Cuius iussu mox in crastino prædictus Sedunensis episcopus Armenfridus Synodum tenuit, Iohanne & Petro præfatis cardinalibus Romam reuersis. In qua Synodo Agelricus Suthsaxonum pontifex non canonice degradatur, quem rex sine culpa mox apud Mearlesberge in custodia posuit: abbates etiam degradati sunt quamplures. Quibus degradatis, rex suis capellanis Arfasto Orientalium Anglorum præsulatum, & Stigando Suthsaxonum dedit episcopatum. Nonnullis etiam Normannicis monachis dedit abbatias. Et quia Dorobernensis archipræsul depositus, & Eboracensis erat defunctus, iussu regis in Octauis Pentecostes ab eodem Armenfrido Sedunensi episcopo, sedis apostolicæ legato, ordinatus est Walkelinus. Imminente autem festiuitate S. Iohannis Baptist. Comes Esbernus cum classe quæ in Humbro flumine hyemauerat, Danemerciam adiit, sed frater suus rex Danorum Suanus, illum propter pecuniam quam contra voluntatem Danorum à rege Gulielmo acceperat, exlegauit. Vir strenuissimus Eadricus cognomento Siluaticus, cuius supra meminimus, cum rege Gulielmo pacificatur. Post hæc, rex accito de Normannia Lanfranco Cadomensi abbate, genere Longobardo, 1070

viro vi-

viro vndecunque doctissimo, omnium liberalium artium diuinarumque simul ac secularium scientia literarum peritissimo, consiliis quoq; ac gubernatione rerum mundialium æque prudentissimo, die Assumptionis S. Mariæ archiepiscopum constituit Cantuariensis ecclesiæ, & in festiuitate S. Iohannis Baptistæ, die dominica, archiepiscopum consecrari fecit Cantuariæ. Consecratus est autem ab episcopis Gisone Wellensi, & Waltero Herefordensi, qui ambo Romæ à Nicolao papa ordinati sunt, quando Aldredus Eboracensium archiepiscopus pallium suscepit. Vitabant enim à Stigando, qui tunc archiepiscopatui Dorobernię præsidebat, ordinari: quia nouerant illum non canonice pallium suscepisse. Heremannus etiam Searesbiriensis episcopus cum quibusdam aliis eius interfuit consecrationi. Deinde Lanfrancus Thomam Eboracensem consecrauit archiepiscopū. His gestis, reuerendi Wulstani Wigornensis episcopi, mota est iterum querela archiepiscopo iam consecrato Thoma, qui pro Eboracensi loqueretur ecclesia, & in Consilio in loco qui vocatur Pedreda celebrato, corā rege ac Dorobernię archiepiscopo Lanfranco, & episcopis, abbatibus, Comitibus, & primatibus totius Anglię Dei gratia adminiculante est terminata. Cunctis siquidem machinamentis non veritate stipatis, quibus Thomas eiusq; fautores Wigornensem ecclesiam deprimere, & Eboracensi ecclesiæ subiicere, ancillamq; facere modis omnibus satagebant, iusto Dei iudicio ac scriptis euidentissimis detritis, & penitus annihilatis, non solum vir Dei Wulstanus proclamatas & expetitas possessiones recepit, sed & suam ecclesiam (Deo clamante ac rege concedente) ea libertate liberam suscepit, qua primi fundatores eius sanctus rex Æthelredus, Osherus Wicciorum subregulus, cæteriq; Merciorum reges Kenredus, Æhtelbaldus. Offa, Kenulfus, eorumque successores Eadwardus Senior Æthelstanus, Eadmundus, Ædredus, & Eadgarus ipsam liberauerant. Agelwinus Dunholmi episcopus ab hominibus regis Gulihelmi capitur, & in carcerem truditur: vbi dum ex nimio cordis dolore comedere nollet, fame & dolore moritur, Siwardo Rofensi episcopo defuncto Arnostus Beccensis monachus succesſit, & Arnosto Gundulfus eiusdē ecclesiæ monachus: Comes Flandrensiū Balduinus iunior obiit.

1093 15. Ab Henrico imperatore clericus quidam Carolus nomine comparauit episcopa- 1071
tum vrbis Constantiæ. Quapropter Sigefrido archiepiscopo Moguntino Consilium faciente, coram præfato rege idem clericus & episcopatum pędidit, & non longe post etiam vitam. Comes Frisiæ Rodbrihtus fratruelem suum Arnulfum, Flandriæ Comitem, in loco qui dicitur Cassel, in bello occidit, & eius comitatum obtinuit. Lanfrancus & Thomas Romam iuerunt, & ab Alexandro papa pallium acceperunt. Comites Eadwinus & Morcarus, quia rex Gulielmus eos in custodiam ponere voluit, latenter è curia eius fugerunt, & aliquandiu contra eum rebellauerunt. Verum vbi quod cœperunt, sibi nō prospere cessisse viderunt, Eadwinus regem Scotorum Malcolmum adire decreuit, sed in ipso itinere à suis insidias perpessus occiditur. Morcarus vero & Agelwinus Dunholmensis episcopus, & Siwardus cognomēto Barn, & Herewardus vir strenuissimus, cum multis aliis, Heli insulam nauigio petierunt, in ea hyemare volentes. Sed hoc audito, rex cum Butsecarlis in orientali plaga insulę omnem illis exitum obstruxit, & pontem in occidentali duorum miliariorum longum fieri iussit. At illi vbi se viderūt sic esse conclusos, repugnare desistebāt: & omnes (excepto Herewado viro strenuissimo, qui per paludes cum paucis euasit) regi se dedebant. Qui mox episcopum Agelwinum Abbandoniam missum in custodiam posuit, vbi in ipsa hyeme vitam finiuit. Comitem vero cæterosq; per Angliam diuisos partim custodiæ mancipauit, partim manibus truncatis vel oculis erutis abire permisit.

1094 16. Post Assumptionem sanctæ Mariæ rex Anglorum Gulielmus, habens in comita- 1072
tu suo Edricum cognomento Siluaticum, cum nauali & equestri exercitu Scotiam profectus est, vt eam suæ ditioni subiugaret. Cui rex Scotorum Malcolmus in loco qui dicitur Abernithici occurrit, & homo suus deuenit. Sigefridus archiepiscopus Moguntinus quinto Idus Septembris, die dominico, quasi causa orationis, in Galatiam ad S. Iacobum perrexit. Cum autem monasterium Cluniacum intrasset seculum relinquens, ibi perstitit. Sed cum mercenarii Moguntinum comparare vellent archiepiscopatum, Sigefridus præcipiente sibi abbate, per obedientiam quam ei vel S. Benedicto debebat, ad sedem suam rediit. Agelricus quondam Dunholmensis episcopus apud Westmonasterium, quo rex Gulielmus illum miserat custodiendum, Idibus Octobris, feria secunda, vita decessit. Succesſit Agelwino in episcopatum Dunholmensem Walcerus genere Lotharingus.

1095 17. In hoc anno iuxta cursum solis & lunæ habentur, sicut in anno. 15. Tiberii, in quo 1073
baptizatus est dominus, id est, dies baptismatis octauo Idus Ianuarii, die dominico Epiphaniæ, & secunda feria initium ieiunii eius. 40. diebus. A baptismate itaq; domini in anno. 15. Tiberii huc vsque, duo magni cicli hoc est. 1064. anni rex Anglorum Gulielmus ciuitatē

quæ vocatur Cinomannis, & prouinciam ad illam pertinentem, maxime Anglorum adiutorio quos de Anglia secum duxerat, sibi subiugauit. Clito Eadgarus de Scotia per Angliam venit in Normanniam, & cum rege se repacificauit.

1074 18. Hildebrandus, qui & Gregorius, Romanus archidiaconus, papa est electus & factus. Iste papa Synodo celebrata ex decreto S. Petri apostoli & S. Clementis, aliorumque sanctorum patrum, & banno interdixit clericis, maxime diuino ministerio consecratis vxores habere, vel cum mulieribus habitare, nisi quos Nicæna Synodus vel alii canones exceperunt. Decreuit quoq; sub sententia S. Petri, vt cum Simone Mago damnaretur non solum emptor & venditor cuiuscunq; officii, vtputa episcopatus, abatiæ, præposituræ, decaniæ vel decimationis ecclesiæ, sed & quicunq; consentiret eis. Dominus. n. dixit: Gratis accepistis, gratis date. De prædicta Synodo duo episcopi missi sunt à papa, ad regē Romanum Henricum cum matre ipsius Agnete imperatrice, ob hoc scilicet, vt decreta papæ roborata perficerentur, ipsique duo episcopi noluerunt esse in Pascha cum rege in ciuitate Babbenberh, ne aliquam societatem haberent cum Heremanno eiusdem vrbis episcopo, qui episcopatum emit, & in illo Pascha regi seruiuit. Herefordensis Comes Rogerus, filius Gulielmi eiusdem pagi Comitis, Eastanglorum Comiti Radulpho (contra præceptum regis Gulielmi) sororem suam coniugem tradidit, nuptiasq; permagnificas cum plurima multitudine optimatū in Grantebrigensi prouincia, in loco qui Ixninga dicitur, celebrantes: magnam coniurationem plurimis assentientibus contra regem Gulielmum ibi fecerunt, Comitemq; Waltheouum suis insidiis prœuentum, secum coniurare compulerunt. Qui mox vt potuit, Lanfrancum Dorobernensem archiepiscopum adiit, pœnitentiamq; ab eo pro facto licet non sponte sacramento accepit, eiusq; consilio regem Gulielmum in Normannia degentem petiit, eiq; rem ex ordine gestam pandens, illius misericordiæ vltro se dedit. Verum illi supra memorati coniurationis principes, cœptis operam daturi, sua castella repetiere, rebellationemq; adoriri omni conatu cum suis fautoribus cœpere. Sed Herefordensi Comiti, ne (Sabrina transuadato) Radulpho Comiti ad locum destinatū cum suo exercitu occurreret, restitit Wulstanus Wigornensis episcopus cum magna militari manu, & Agelwius abbas Eoueshamnensis cū suis, ascitis sibi in adiutoriū Vrsone vicecomite Wigornæ & Waltero de Laceio cum copiis suis, & cætera mulitudine plebis. At vero Radulpho Comiti, prope Grantebrigeiam castra metanti, Odo Baiocensis episcopus frater regis, & Gosfridus Constantiensis episcopus, congregata magna copia tam Anglorum quam Normannorum, ad bellum parati occurrerunt. Ipse autem suos conatus infirmari cernens, multitudine resistentium veritus, ad Northwic clanculo refugit, & castello suæ coniugi militibusq; suis commendato, ascensa naui de Anglia ad minorem Britanniam fugit. Quem fugientem aduersarii illius insequētes, omnes, quos de suis comprehendere poterant, vel interemerunt, vel diuersis modis debilitauerunt. Dein principes castellum tam diu obsederunt, quoad pace data permissu regis, comitissæ cum suis exire de Anglia liceret. His gestis, rex autumnali tempore de Normannia rediens, comitem Rogerum in custodia posuit: Comitem etiam Waltheouum licet ab eo misericordiam expetierat, custodiæ tradidit. Eadgitha regis Haraldi germana, quondā Anglorū regina, mense Dec. Wintonię decessit. Cuius corpus regis iussu Lundoniam delatū, iuxta corpus Dn. sui regis Eadwardi honorifice est in Westmonasterio tumulatū. Vbi rex proxima Natiuitate curiā suā tenuit, & ex eis, qui contra illum ceruicē erexerāt, de Anglia quosdam exlegauit, quosdam erutis oculis, vel manibus vel pedibus truncatis, deturpauit. Comites vero Waltheouum & Rogerum, iudiciali sententia damnatos, arctiori custodiæ mancipauit. 1096

1075 19. Dum clerici magis eligerent anathemati subiacere, quam vxoribus carere, Hildebrādus papa, vt per alios (si posset) eos castigaret, præcepit vt nullus audiret missam coniugati presbyteri, sic Gregorius papa (qui & Hildebrādus) seruorum Dei seruus, per totum Italicum regnum & Teutonicum debitam S. Petro obedientiam exhibentibus, apostolicam benedictionem. Si qui sunt presbyteri, diaconi, subdiaconi, qui iacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei & auctoritate S. Petri, introitū ecclesiæ, vsque dum pœniteant & emendent. Si qui autem in peccato suo perseuerare maluerint, nullus vestrum officium eorū auscultare præsumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum: testante domino per Prophetam. Maledicam (inquit) benedictionibus vestris. Comes Waltheouus (iussu regis Gulielmi) extra ciuitatem Wintoniā ductus, indigne & crudeliter securi decapitatur, & in eodem loco terra obruitur. Sed processu tēporis Deo sic ordināte, corpus eius de terra leuatur, & magno cū honore Cruland portatur, & in ecclesia honorifice tumulatur. Hic cum adhuc temporali frueretur vita arcta in custodia, ea quæ gesserat iniq;, incessanter defleuit & amarissime: 1097

vigiliis

vigiliis,orationibus,ieiuniis,& eleemosynis Deum studuit placare. Cuius memoriã voluerunt in terra delere, sed creditur vere illũ cũ sanctis in cœlo gaudere, prædicto Lanfranco piæ memoriæ archipræsule (à quo, confessione facta pœnitentiã acceperat) fideliter attestante. Qui & impositi criminis, supradictæ scil. cõiurationis,illũ immunẽ affirmabat esse, & quæ in cæteris cõmisisset, vt verũ decuit Christianũ,pœnitentialibus lachrymis defleuisse, seq; fœlicẽ fore si post exitũ vitæ, illius fœlici potiretur requie. Post hæc mare transito, rex in minorẽ Britanniam suã mouit expeditionẽ, & Castellum Radulphi Comitis, quod Dol nominatur,tamdiu obsedit donec Francorũ rex Philippus illum inde fugaret.

1098 20. Rex Danorum bene litteris imbutus obiit. Cui filius Haraldus successit. 1076

1099 21 In consilio 24. episcoporum, abbatũ, multorumq; clericorũ in Wormatia mense 1077
Martio facto agente rege Henrico ipso præsente,decretum est, vt iussa siue decreta Hildebrandi papæ quisq; parui penderet, vel cõtemneret, & vt nequaquã vltra papa esset. Papa autẽ prædictus regẽ cum suis sequacibus seu cõsentaneis in Quadragesima, excõmunicauit tribus ex causis:prima ob infamiã peccatorum suorũ. 2. propter vnitatẽ suam cũ simoniacis.3. propter distributionẽ ecclesiæ inter papã & alios. Inde quasi iusta ex causa primates regni,regi quasi excõmunicato contradicunt,eũq; de regno proiicere tentant. Robertus Gulielmi regis primogenitus,eo quod Normanniã quã sibi ante aduentũ ipsius in Angliã,coram Philippo rege Francorũ dederat, possidere non liceret, Franciã adiit, & auxilio Philippi regis,in Normannia magnã frequenter prædã agebat, villas comburebat, homines perimebat,& patri suo non paruam molestiam & anxietatem inferebat.

1100 22. Henricus rex & Hildebrandus papa conuenientes in mense Martio, in Longo- 1078
bardia,inuicem pacificantur, sed falso vt postea claruit. Conueniẽtes interim Sueui & Saxones,& Welfus Dux Bauariorum,& episcopi de Saxonia. 7. aliiq; numero quinq;,id est, Patauiensis Salzburgensis,Winziburgensis,Wormatiensis,& Moguntinus,Rodulphum regem Sueuorum in Forancheim super se regem cõstituunt,& in Quadragesima Moguntiæ in regem vngunt, Alpesq; contra regem Henricum muniunt. Quo cognito Henricus rex Radisponam per Aquileiam post Pascha venit, & contra Rodulphum cum exercitu properauit. Rodulpho vero cedente, Henricus Sueuiã deprædando inuasit. Eodem quoque anno iuxta Rhenum inter Moguntiam & Wormaciam, Henricus & Rodulphus cõuenerunt,sine pugna tamen discesserunt. Anno Colonien sis archiepiscopus obiit.

1101 23. Henricus rex iterum Sueuiam venit, non cessans deprædari & castella frangere. 1079
Rex Scotorum Malcolmus post Assumtpionem S. Mariæ. Northimbriam vsq; ad magnũ flumẽ Tinæ deuastauit,multos occidit,plures captiuauit,& cum præda magna rediit. Rex Gulielmus filio suo Roberto ante castellum Gerboreth,quod ei rex Philippus præstiterat: dum pugnã intulerit, ab ipso vulneratus in brachio,de suo deiectus est emissario. Sed mox vt illum per vocem cognouisset,festinus descendit,ac illum suum caballum ascendere iussit,nonnulliſque captis, ac filio suo Gulielmo cum multis aliis vulnerato fugam iniit, Venerandus vir Robertus,qui per ministerium reuerendissimi Wigornensis episcopi Wulstani gradum presbyteratus susceperat,à Lanfranco archipræsule Doroberniæ, ad Herefordensem ecclesiam,quarto Cal. Ianuarii,die dominica,episcopus ordinatur Cantuariæ.

1102 24. Dunholmensis episcopus Walcerus genere Lotharingus, in loco qui dicitur, Ad 1080
caput capræ,secundo Idus Maii,feria quinta,à Northimbrensibus est occisus,in vltionem necis Liulfi nobilis generosiq; Ministri. Hic itaq; vir late per Angliam possessiones multas ex hæreditario iure possedit. Sed quia vbi locorum Normanni incessanter ea tempestate operam dabant suæ feritati, cum suis hominibus ad Dunholmũ se contulit, quia S. Cuthbertum corde sincero dilexit. Quippe cui idem sanctus, vt ipsemet Aldredo Eboracensi archiepiscopo,& aliis viris religiosis narrare consueuerat,& dormienti & vigilanti persæpe apparuit,& quæ fieri voluit, vt suo fideli amatori reuelauit. Sub cuius pace, nunc & in oppido, nunc in suis possessionibus, quas illis in partibus habuerat longo tempore degit. Cuius aduentus episcopo Walcero non extitit ingratus, quia eidem sancto valde deuotus extiterat in omnibus. Idcirco ab ipso in tantum diligebatur, vt absq; illius consilio maiores secularium negotiorum causas nullatenus agere vellet aut disponeret. Ob quam rem suus capellanus Leobwinus, quem ita exaltauerat, vt & in episcopatu & in comitatu fere nil sine illius arbitrio agitaretur,inuidiæ stimulis succensus,& propter suam potentiam tedis superbiæ nimis inflatus, se contra prædictum virum arroganter erexit. Quapropter nonnulla eius iudicia atq; consilia flocci pendebat,omnibusque modis annullare sudabat. Frequenter etiam coram episcopo (non sine minis) cum eo litigans, illum verbis probrosis sæpius ad iracundiam prouocabat. Quadam itaque die, cum idem vir Liulfus ab episcopo vocatus ad consilium, legalia quæque & recta decerneret, obstinatius ei Leobwi-

nus obstitit,& loquelis illum contumelioſis exacerbauit. Sed quia ille reſpondit ei durius ſolito,de Placiti loco diſceſſit illico,& euocans ad ſe Gillebertum,cui prę ſul quia ſuus propinquus erat,Comitatum Northimbrenſium ſubregendum commiſerat, vt ſe vindicaret obnixe rogauit,& Liulfum quam citius poſſet morti tradere maturaret Ille autem confeſtim iniquis petitionibus acquieſcens ſuis,& epiſcopi,& eiuſdem Leobwini militibus in vnum coadunatis, ad villam vbi tunc Liulfus morabatur, nocte quadam perrexit, ac illum cum ſua familia fere tota in domo propria iniuſte peremit. Quo cognito, grauiter antiſtes ex corde ſuſpirauit intimo,& capitio de capite detracto,& in terram proiecto,Leobwino, qui tunc præſens aderat, triſtis dixit continuo. Tuis Leobwine factionibus doloſis acta ſunt hæc, & inſidiis ſtolidiſſimis: idcirco volo te ſcire pro certo, quia & me & teo mnemque familiam meam tuæ linguæ peremiſti gladio. Hoc dicto, in caſtellum ſe proripuit feſtinato, confeſtimque nunciis per Northimbriam miſſis, omnibus nunciari curauit,ſe necis Liulfi conſcium non fuiſſe, quin potius eius occiſorem Gillebertum omneſq; ſocios ipſius de Northimbria penitus exlegaſſe, ac paratum fore ſemetipſum purgare ſecundum iudicium pontificale. Dein miſſis intercurrentibus,ille parentesque occiſorum, pace ad inuicem data & accepta, locum & diem quo conuenire interque ſe pacem firmiorem facere poſſent,ſtatuere. Quo aduenıente,loco conſtituto in vnum conuenere. Verum cum illis epiſcopus ſub diuo noluit placitare, ſed in eccleſiam quæ ibi erat, cum ſuis clericis ac honorabilioribus militibus intrauit, & conſilio habito, ſemel & iterum de ſuis quos voluit,pro pace faciēda, foras ad eos miſit. At illi nequaquam petitis acquieſcebant, quia Liulfum illius iuſſione peremptum fuiſſe, pro certo credebant. Nam Gillebertum eiuſq; ſocios nocte poſt necem propinqui ſui proxima, non ſolum in domum ſuam Leobwinus familiāriter & amicabiliter ſuſcepit, verum etiam epiſcopus ipſe illum (vt prius) in ſuam gratiam familiamque recepit. Vnde omnes, qui ex parte antiſtitis foris inuenti fuerant, primitus occiderunt, paucis fuga reſeruatis. Quo viſo, vt hoſtium furori ſatisfaceret, propinquū ſuum præfatum Gillebertum (cuius anima quærebatur) præſul de eccleſia iuſſit exire. Quem egredientem milites repugnaturi,è veſtigio ſunt ſecuti. Sed mox ab hoſtibus vndiq; gladiis & lanceis appetiti,in momento ſunt perempti,duobus tantum Anglicis miniſtris propter conſanguinitatem pepercerunt. Leobwinum quoq; Dunholmenſem decanum,quia ſæpius epiſcopo aduerſos illos multa dederat inſilia,& clericos alios,ſtatim vt egreſſi ſunt, occiderunt. Epiſcopus autem vt intellexit illorum furorem nulla ratione iri mitigatum quiuiſſe, niſi caput & auctor totius illius calamitatis occideretur Leobwinus,rogauit illum egredi foras. Sed cum penitus vt egrederetur ab illo extorquere nō poterat,ad eccleſiæ ianuas ipſemet acceſſit,ſibique vitam concedi popoſcit. Quibus renuentibus, caput ſuæ chlamydis limbo cooperiens, foras exiuit, & mox inimicorum gladiis pereuſſus occubuit. Dein Leobwinum egredi iuſſerunt: quo nolente, eccleſiæ tecto parietibuſque ignem impoſuere. At ille potius vſtulatione quam occiſione vitam eligens finire, flammas aliquandiu ſuſtinuit: ſed cum ſemiuſtus eſſet, exiliuit, & fruſtim conciſus nequitiæ ſuæ pœnas exoluēdo miſer interiit. Ob quorum deteſtandæ necis vindictam,rex Gulielmus eodem anno deuaſtauit Northimbriam. Henricus rex Hildebrandum papam in Pentecoſten Moguntiæ decernit deponendum, & Wigbertum Rauennæ vrbis archiepiſcopum in Natali S. Iohannis Bap. pro eo fecit papam. Rodulphus rex Saxonum bello occiditur apud Merſeburgh, ibique ſepultus eſt Idibus Octobris. Moguntia ciuitas magnum terræmotum Cal. Decembris ſenſit, & ſequenti anno ex magna parte incendio cōflagrauit, cum principali monaſterio, & aliis tribus. Henricus rex hoſtiliter Romam aduerſus papam adiit,oppugnans eam,non tamen intrauit.

1081 25. Gulielmus abbas monaſterii S. Vincētii martyris à rege Gulielmo electus,Dunhol- 1103
menſem epiſcopatum ſuſcepit, & Non. Ianuarii ab archiepiſcopo Thoma conſecratus eſt.

1082 26. Prima Paſchalis luna toti orbi quarto Non. Aprilis apparuit, cum prima eſſe de- 1104
beret ſecundo Nonas Aprilis. Multis homicidiis & prędationibus inter Henricum regem & Hildebrandum papam actis, in nocte Palmarum multi ſunt occiſi. Rex Gulielmus fratrem ſuum Odonem Baiocenſem epiſcopum,Normanniæ in cuſtodiam poſuit.

1083 27. Henricus vrbem Romæ infregit & cepit, Wigbertum in ſede apoſtolica conſti- 1105
tuit. Hildebrandus vero Beneuentum adiit, vbi vſque ad obitum ſuum deguit. Henricus rex in Teutonicā patriā rediit. Seditio nefanda inter monachos & indigne nominandū abbatem Turſtanū Glaſtonię facta eſt, quē rex Gulielmus de monaſterio Cadomi,nulla prudentia inſtructū,eidē loco abbatē præfecerat. Hic inter cętera ſtultitię opera, Gregorianū cantum aſpernatus,monachos cœpit compellere, vt illo relicto cuiuſdam Gulielmi Feſcamnenſis cantum diſcerent & cantarent. Quod dum ægre acciperent,quippe qui iam tam

in hoc

in hoc quã in cætero ecclesiastico officio secundũ morem Romanæ ecclesiæ insenuerant, subito(armatus militari manu)illis ignorantibus quadã die in capitulum irruit, monachos nimio terrore fugientes in ecclesiam vsque ad altare persequitur,iaculisque & sagittis cruces & imagines ac feretra sanctorum manus militaris transfigens, vnum etiam monachũ amplexantem altare lancea transuerberans,interemit:alium ad altaris crepidinem sagittis confossum necauit.Cęteri vero necessitate compulsi,scamnis & candelabris ecclesiæ fortiter se defendentes,licet grauiter vulnerati,milites omnes retro chorum abegerunt: sicq; factum est,vt duo occisi. 14. vulnerati ex monachis, nonnulli etiam de militibus sauciati existerent. Hinc moto iudicio, dum maxima abbatis esse culpa patuit rex eundem abbatem summouit,& in monasterio suo in Normannia posuit. De monachis vero quamplurimi per episcopatus & abbatias, iussu regis custodiẽdi disperguntur.Cuius post mortem, idem abbas iterum abbatiam suam à filio eius Gulielmo quingentis libris argenti emit,& per ecclesiæ possessiones aliquot annis peruagatus,longe ab ipso monasterio (vt dignus erat)misere vitam finiuit. Regina Mathildis quarto Nonas Nouembris, feria quinta,decessit in Normania,& Cadomi est sepulta.

1106 28. Apostolicus papa Hildebrandus,in extremis suis,ad se vocauit vnum de. 12. Cardinalibus,quem diligebat multum,& confessus est omnipotenti Deo,& sancto Petro,& toti ecclesiæ, valde se peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum erat commissa, suadenteq; diabolo contra genus humanum odium & iram incitasse. Postea vero sententiam quæ in orbe terrarum effusa est,pro augmento Christianitatis se cepisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem suũ ad imperatorem, & ad totam ecclesiam, vt optarent illi indulgentiam, quia finem vitæ suę aspiciebat & tacito induebat se angelicã vestẽ, & dimisit ac dissoluit vincula bannorum omniumq; suorum imperatori & omni populo Christiano,viuis & defunctis,clericis ac laicis, & iussit eos abire de domo Theodorici, & amicos Henrici ascendere,teste Moguntino archiepiscopo:nec multo post obiit.Rex Anglorum Gulihelmus de vnaquaque hida per Angliam sex solidos accepit. 1084

1107 29. Henricus rex Saxones bello vicit,patriam obtinuit, eosque sibi iurare & obsequi coegit. Sed postquam exercitum dimisit,Saxones occulte cœperunt congregari aduersus imperatorem Henricum,dolo volentes eum occidere. Ille autem dolo comperto, declinauit insidias eorum, egrediendo de illa prouincia. Eodem anno rex Danorum Canutus, cum classe valida,& auxilio soceri sui Roberti Flandrensis Comitis,in Angliam venire paratus erat. Vnde rex Gulielmus de tota Gallia solidariis, pedonibus, & sagittariis multis millibus conductis,& nonnullis de Normannia sumptis,autumnali tempore Angliam rediit,& eis per totum regnum diuisis,episcopis,abbatibus,Comitibus, Baronibus, vicecomitibus, ac regis præpositis victum præbere mandauit. Sed vbi cognouit suos inimicos impeditos fuisse,partem exercitus remisit,partem secum per totam hyemem retinuit,& in Natiuitate domini curiam suam Glaworne tenuit, vbi tribus suis capellanis Mauricio scilicet Lundonienſem,Gulielmo Theotfordenſem,Roberto Cestrẽſem dedit pręsulatum. 1085

1108 30. Henricus rex iuxta Wirziburgum Sueuis & Saxonibus bello congressus,& quorundam suorum perfidorum,in ipso conflictu se ad hostes conuertentium præsidio destitutus,à quodam etiam collaterali suo in vertice ense percussus,dedit se cum paucis in fugam. Hostes vero insecuti vsque ad vrbem prædictam, ceperunt eam: & episcopũ Alberonem ab Henrico ob perfidiam expulsum, ibidẽ restituerunt, expulso Menandro episcopo ibidem ab Henrico constituto. Paulo post Henricus eandem vrbem cõgregato exercitu obsedit, & cepit, episcopoque Alberoni (quia suus erat patrinus) concessit vt remaneret sibi fidelis,& episcopus vrbis. Illo autem nolente Henrico subesse, Henricus quia nimium pius erat, liberum illum permisit abire. Gulielmus rex fecit describi omnem Angliam, quantum terræ quisque Baronum suorum possidebat, quot feudatos milites, quot carrucas, quot villanos, quot animalia, immo quantum viuæ pecuniæ quisque possidebat in omni regno suo, à maximo vsque ad minimum,& quantum redditus quæque possessio reddere poterat:& vexata est terra multis cladibus inde procedentibus. Et in hebdomada Pentecostes suum filium Henricum apud West monasterium (vbi curiam suam tenuit) armis militaribus honorauit. Nec multo post mãdauit vt archiepiscopi,episcopi, abbates, Comites,Barones,vicecomites,cum suis militibus die Calendarum Augustarum sibi occurrerent Scaresbiriæ. Quo cum venissent, milites illorum sibi fidelitatem contra omnes homines iurare coegit. Eo tempore Clito Eadgarus (licentia à rege impetrata) cum. 200. militib.mare trãsiit,& Apuliam adiit.Cuius germana virgo Christina monasterium(quod Rumesia nuncupatur) intrauit,& vestem sanctimonialis habitus susceptit. Eodem anno animalium pestis & magna extitit aeris intemperies. 1086

1087 31. Hoc anno primo febribus, deinde fame quamplures mortui sunt. Interea vorax 1109
flamma consumpsit omnes fere principales ciuitates Angliæ, ecclesiam quoq; sancti Pauli apostoli cum maiori & meliori parte Lundoniæ. Dani suum dominum regem Canutum, sexto Idus Iulii, Sabbato, in quadam ecclesia martyrizauerunt. Cicestrensis episcopus Stigandus, abbas sancti Augustini Scolandus, abbas Bathoniensis Alfius, & abbas Persorensis Turstanus decesserunt. Ante assumptionem S. Mariæ rex Gulielmus in Franciam cum exercitu venit, & oppidum quod Marhantum nominatur, & omnes ecclesias in eo sitas, duosque recluses igne succendit, indeq; in Normanniam rediit: sed in ipso reditu dirus viscerum dolor illum apprehendit, & magis ac magis de die in diem grauebat. Cum autem ingrauescente ægritudine diem mortis sibi imminere sensisset, fratrem suũ Odonem Baiocensem episcopum, Comites Morcarum, & Rogerum, Siwardum cognomẽto Barn, & Wulnothum regis Haraldi germanum, quem à pueritia tenuerat in custodia, & omnes quos vel in Anglia vel in Normannia custodiæ manciparat, laxauit. Dein filio suo Gulielmo regnum tradidit Angliæ, & Roberto filio suo primogenito (qui tunc exulabat in Francia) Comitatum concessit Normanniæ: & sic cœlesti munitus viatico, postquam. 20. annis, mensibus. 10. & 28. diebus, genti Anglorum præfuit, quinto Iduum Septemb. die regnum cum vita perdidit, & Cadomi in ecclesia S. Stephani protomaryris, quam ipse à fundamentis exstruxerat bonisq; ditauerat, sepultus requiescit. Gulielmus autem filius eius Angliam festinato adiit, ducens secum Wulnothum & Morcarum. Sed mox vt Wintoniam venit, illos, vt prius fuerant, custodiæ mancipauit, & sexto Cal. Octobris die dominico, in Westmonasterio à Lanfranco Doroberniæ archiepiscopo in regem consecratus est. Dein Wintoniam rediens, thesauros sui patris vt ipse iusserat per Angliam diuisit, scilicet quibusdam principalibus ecclesiis. 10. quibusdam. 6. marcas auri, quibusdam minus, ecclesiis etiã in ciuitatibus vel villis suis per singulas denarios. 60. dari, cruces, altaria, scrinia, textos, candelabra, situlas, fistulas, ac ornamenta varia gemmis, auro, argento, lapidibusq; pretiosis redimita per ecclesias digniores ac monasteria iussit diuidi. Eius quoq; germanus Robertus in Normanniam reuersus, thesauros quos inuenerat, monasteriis, ecclesiis, pauperibus, pro anima patris sui largiter diuisit: & Vlfum Haraldi quondam regis Anglorum filium, Duneçaldumque regis Scotorum Malcolmi filium, à custodia laxatos, & armis militaribus honoratos, abire permisit.

1088 32. Hoc anno inter primates Angliæ magna orta est discordia, pars etenim nobilio- 1110
rum Normannorum fauebat regi Gulielmo, sed minima: pars vero altera fauebat Roberto Comiti Normannorum, & maxima: cupiens hunc sibi ascisscere in regnum, fratrem vero aut fratri tradere viuum, aut regno priuare peremptum. Huius execrandæ rei principes extitere, Odo Baiocensis episcopus, qui etiam erat comes Cantuarienses, Robertus etiam frater eius Comes Moritunensis, & hic vterq; frater fuerat Gulielmi regis Senioris, sed tamen de matre. Intererat etiam prædicto consilio cum Roberto nepote suo Comite Northimbriæ, Gosfridus episcopus Constantiensis, Rogerus Comes Scrobbesbirensis, quod etiam erat peius, Gulielmus episcopus Dunholmensis. Ea quoq; tempestate rex prædictus illius (vt veri consiliarii) fruebatur prudentia, bene enim sapiebat, eiusq; cõsiliis totius Angliæ tractabatur respublica. Hi erant quorum maiorum terrenarum diuitiarum in regno pollebat gloria. Commilitonum etiam, & confodalium coniurationis eis indies crescebat abundantia. Execrabile autem hoc factum clam tractauerunt in quadragesima, quod cito in palam prorumpi posset post Pascha. Nam à regali se subtrahentes curia, munierunt castella: ferrum, flammam, prædas, necem excitauerunt in patriam. Ecce factum execrabile: ecce bellum, & plusquam ciuile. Pugnabant enim parentes in filios, fratres in germanos, amici pridem in cognatos, ignoti in extraneos. Interea prædictus episcopus Baiocensis munita Roueceastra, misit Normanniam exhortans Comitem Robertum cito venire in Angliam, nuntians ei rem gestam, affirmans paratum sibi regnum, & si sibi non desisteret paratam & coronam. Rumore autem percussus insolito Comes, exultat, amicis nunciat, quasi iam de victoria securus triumphat, plures ad prædam incitat: Odoni episcopo patruo suo auxiliarios in Angliam legat, se quantocius congregato maiori exercitu secuturum affirmat. Missi à Comite Roberto venerunt in Angliam, ab Odone episcopo ad custodiendum ceperunt Roueceastram: & horũ vt primates Eustachius iunior Comes Bononiæ, & Robertus de Belesmo gerebant curam. Huius vero rei vt ad aures regis peruenit notitia, insolita turbatur molestia. Iure autem militari regi, vt impiger fretus audacia, mittit legatos: vocat quos sibi credit fidos, vadit Lundoni im belli tractaturus negotia, expeditioni prouisurus necessaria. Congregato quantum ad præsens poterat Normannorum, sed tamen maxime Anglorum equestri & pedestri (licet mediocri) exercitu, statuens leges,

leges, promittens fautoribus omnia bona, fretus Dei clementia qua maiorem hostium esse audiebat multitudinem, tendere disposuit Roueceastram. Relatum enim erat ei, ibi esse episcopum Odonem cum omnibus suis, & cohortem vltra marinam. Hinc signa mouens, cœptumq; aggrediens iter, Tunebricgiam (cui præerat Gilebertus filius Ricardi) contrarium sibi inuenit, obsedit, in biduo expugnauit, vulneratum Gilebertum cum castello ad deditionem coegit. Fama volans dicti peruenit Odonis ad aures, & cum sociis inito consilio relinquens Roueceastram, cum paucis adiit castrum fratris sui Roberti Moritunensis Comitis, quod Peuenesia dicitur: fratremq; reperiens, eum vt se teneat hortatur, pollicens se securos ibi posse esse, & dum rex ad expugnandam Roueceastram intenderet, Comitem Normanniæ cum magno exercitu venturum, seque suosq; liberaturum, & magna fautoribus suis dando præmia, regnum accepturum. Rex igitur expugnata Tunebricgia, & ab incolis fidelitate accepta, relicto propter vulnus Gileberto, & castello in custodia locato, iturus vt disposuerat Roueceastram, audiuit patruum inde recessisse & Penesceam adiisse. Inito itaque salubri consilio, illum eo vsq; cum exercitu persequitur, sperans se belli citius finem assecuturum, si ante triumphare posset de principibus malorũ prædictorum. Interim circumquaq; per Angliam tempestas sæuit bellica: Rofenses Cantuariensibus & Lundonienſibus cædes inferunt & incendia. Lanfrancus enim archiepiscopus, & pene omnes optimates eiusdem prouinciæ erant cum rege. Rogerus fautor Roberti, erat in castello suo Arundello, Comitis prædicti operiens aduentum. Gosfridus episcopus Constãtiensis, in castello Bricstowa socium coniurationis & perfidiæ habebat secum, nepotem suum Robertum de Mulbraio, virum gnarum militię, qui congregato exercitu inuasit Bathoniam ciuitatem regiam, igne succendit eam, & illa deprædata transiuit in Wiltusciram, villasque depopulans, multorumq; hominum strage facta, tandem adiit Giuelceastram, obsedit, & expugnare disposuit. Pugnant exterius spe capti prędæ, & amore victorię, repugnãt intrinsecus acriter pro se suorũq; salute. Tandẽ inter vtrũq; necessitatis vicit causa, repulsus & tristis redit Robertus sine victoria. Gulielmus de Owe Glawornensem inuadit comitatũ: regiam villã deprædatur Beorkenlaũ, per totã ferro & flamma grande perpetrãt malum. Dum autẽ hæc interim circumquaque perpetrantur mala, Beornardus de Nouo mercato, Rogerius de Laceio qui iam super regem inuaserat Herefordã, Raulfus de Mortuo mari, coniurationis socii, cũ hominibus Comitis Rogeri de Scrobbesbiria, congregato magno Anglorũ, Normannorũ, & Walensiũ exercitu, Wigornensem irrũpunt in prouinciã, affirmantes se igne crematuros ipsam ciuitatẽ Wigreceastram, spoliaturos Dei & S. Mariæ ecclesiã, grandem de regis incolis fidelibus sumpturos vindictã. His auditis, vir magnæ pietatis, & columbinę simplicitatis, Deo populoq; quem regebat in omnibus amabilis, regi vt terreno domino per omnia fidelis, patèr reuerendus Wulstanus Wigornensis episcopus, magna turbatur molestia, sed Dei misericordia respirans, iam quodam modo alter Moyses parat se viriliter staturũ pro populo & ciuitate sua. Hostes ad rebellandum parant arma: ipse pro imminenti periculo fundit precamina, exhortans subditos ne desperent de Deo, qui non pugnat gladio neq; hasta. Normanni interim ineuntes consilium, rogant ipsum episcopum vt ab ecclesia transiret in castellum, tutiores se affirmantes de eius præsentia si maius iucumberet periculum: diligebant enim valde eum. Ipse autem (vt erat miræ manſuetudinis) & pro regis fidelitate, & pro eorum dilectione, petitione eorum acquieuit. Interea audenter in arma se parat episcopalis familia: cõueniunt castellani & omnis ciuium turma, occurrere se affirmãt hostibus ex altera parte Sabrinæ fluminis: si hoc eis pontificis annueret licentia. Parati igitur & armis instructi, ipsum ad castellum euntem habent obuiam: quam optabant, requirunt licentiã. Quibus libenter annuens: ite, inquit, filii, ite in pace, ite securi, cũ Dei & nostra benedictione. Confidens ego in domino, spondeo vobis, non hodie nocebit vobis gladius, nec quicquam infortunii, nec quicquam aduersarius. State in regis fidelitate, viriliter agentes pro populi vrbisque salute. His dictis alacres pontem reparatum transeunt, hostes de longinquo accelerantes conspiciunt. Inter quos magna belli iam feruebat insania: contumaciter enim episcopi contemnentes mandata, in terram ipsius posuerunt incendia. Quod audito episcopus ingenti concutitur dolore, videns debilitari res ecclesiæ, ac ceptoque inde consilio, graui eos (ab omnibus qui circumaderant coactus) percussit anathemate. Res miranda: & Dei virtus, & viri bonitas nimis in hoc prædicanda. Nam statim hostes, vt sparsi vagabantur per agros, tanta membrorũ percutiũtur debilitate, tãta exteriori oculorũ attenuãtur cœcitate, vt vix arma valerẽt ferre, nec socios agnoscere, nec eos discernere qui eis oberãt ex aduersa parte. Illos fallebat cęcitatis ignorantia: nostros cõfortabat Dei, & episcopalis benedictionis cõfidentia. Sic illi insensati nec sciebant capere fugã, nec alicuius defensionis quęrebant viã, sed Dei

nutu dati in reprobum sensum, facile cedebant manibus inimicorum. Cædūtur pedites: capiuntur milites cum Normannis, tam Angli quam Walenses. Cæteris vero vix debili elapsis fuga, regis fideles cum pontificis familia exultantes in gaudio, sine vlla diminutione suorum redeunt ad propria: gratias Deo referunt de rerum ecclesiæ incolumitate, gratias episcopo referunt de consilii eius salubritate.

1089 33. Dorobernensis archiepiscopus Lanfrancus, nono Cal. Iunii, feria quinta, obiit. 1111
Eodem anno, tertio Idus Augusti, Sabbato, circa horam diei tertiam, terræmotus permaximus extitit per Angliam.

1090 34. Rex Anglorum Gulielmus iunior, fratri suo Roberto Normanniam adimere, & 1112
suæ ditioni cupiens subiicere primo castellum Walteri de sancto Walerico, & castellum Odonis de Albamario, deinde alia sibi conduxit castella: & in eis milites vt Normanniam deuastarent, posuit. Qua re visa, & suorum infidelitate cognita: Comes Robertus, legatis ad regem Francorum Philippum dominum suū missis, illum in Normanniam venire fecit, vnumque de castellis (in quo milites fratris sui fuerunt) ipse & rex obsederunt. Quod cum regi Gulielmo nunciatum esset, non modica pecuniæ quantitate rege Philippo occulte transmissa, vt obsidione dimissa domum rediret flagitauit, & impetrauit.

1091 35. Mense Februario rex Gulielmus iunior Normanniā petiit, vt eam fratri suo Ro 1113
berto eriperet. Sed dum ibi moraretur pax inter illos ea conditione facta est, vt Comes regi Comitatum de Owe, Fiscamnense cœnobium, abbatiam in Monte sancti Michaelis sitam & Keresburh, & castella quæ à se defecerant, bono animo concederet. Cinnomanicam vero prouinciam, & castella quæ tunc in Normannia Comiti reluctabantur, illius dominio rex subiugaret. Omnibus etiam Normannis terras quas in Anglia ob fidelitatē Comitis perdiderant, redderet & tantum terræ in Anglia quantum conuentionis fuerat inter eos Comiti daret. Ad hæc etiam inter se constituerunt, vt si comes absq; filio legali in matrimonio genito moreretur, hæres eius esset rex: modoq; per omnia simili, si regi contigisset mori, hæres illius fieret Comes. Hanc conuentionem. 12. ex parte regis, &. 12. ex parte Comitis, Barones iuramento firmauerūt. Interim germanus illorum Henricus, Montem sancti Michaelis (ipsius loci monachis quibusdam illum adiuuantibus) cum omnibus militibus quos habere potuit intrauit, regis terram vastauit, & eius homines quosdam captiuauit, quosdam expoliauit. Ea propter rex & Comes (exercitu congregato) per totam Quadragesimam Montem obsederunt, & frequenter cum eo prælium commiserunt, & homines & equos nonnullos perdiderunt. At rex cum obsidionis diutinæ pertæsus fuisset, impacatus recessit, & non multo post Eadgarum Clitonem honore (quem ei Comes dederat) priuauit, & de Normannia expulit. Interea mense Maio Scotorum rex Malcolmus cum magno exercitu Northimbriam inuasit: si prouentus successet, vlterius processurus, & vim Angliæ incolis illaturus. Noluit Deus: ideo ab incepto est impeditus. Attamen antequam rediisset, eius exercitus de Northimbria secum modicam prædam abduxit. Quo audito, rex cum fratre suo Roberto rediit Angliam mense Augusto. non multo post cum classe non modica & equestri exercitu Scotiam profectus est, vt regem Scotorum Malcolmum debellaret. Sed priusquam illuc peruenisset, paucis diebus ante festiuitatem sancti Michaelis fere tota demersa est classis, multiq; de equestri exercitu eius fame & frigore perierunt. Cui rex Malcolmus cum exercitu in prouincia Loidis occurrit. Quod videns Comes Robertus, Clitonem Eadgarum (quem rex de Normannia expulerat, & tunc cum rege Scotorum degebat) ad se accersuit. Cuius auxilio fretus, pacem inter reges fecit ea cōditione, vt Gulielmo (sicut patri suo obediuit) Malcolmus obediret: & Malcolmo. 12. villas (quas in Anglia sub patre illius habuerat) Gulielmus redderet, &. 12. Marcas auri singulis annis daret. Sed pax inter eos facta, non multo tempore durauit. Ipsum etiam Eadgarum cum rege Gulielmo Comes pacificauit. Idibus Octobris, feria quarta, turrim Wincelcumbensis ecclesiæ vehemens ictus fulminis concutiens, parietem iuxa culmen ample perforauit, vnamq; de trabibus discidit, caputq; imaginis Christi fortiter percussum in terram deiecit, & crus eius dextrum fregit. Imago etiam S. Mariæ, quæ iuxa crucem stabat, ictu percussa ad terram decidit. Magnus deinde fumus cum nimio fœtore subsecutus, totam ecclesiam repleuit, & tam diu durauit, quoad loci illius monachi cum aqua benedicta & incenso, & reliquiis sanctorum, officinas monasterii psalmos decātando circuirent. Nec minus. 16. Cal. Nouembris, feria sexta, turbo veniens ab Affrico perualidus, Lundoniæ plus quam. 600. domos & ecclesias quamplures concutiendo diuerberauit. In ecclesiam quoque sanctæ Mariæ quæ dicitur ad Arcum irruens, in ea duos occidit homines, & tectum cum tignis in altum leuans, & huc illucque diu per aëra ferens, tandem sex de tegnis (eo ordine quo tecto prius infixa erant) tam alte in terram defixit, vt de quibusdam

eorum

corum ſeptima, de quibuſdam vero octaua pars appareret. Erant enim. 27. vel. 28. pedum longitudinis. Poſt hæc rex de Northimbria per Merciam in Weſtſaxoniam rediit, & ſecum fere vſq; ad Natiuitatem domini Comitem retinuit, ſed conuentionem inter eos factam illi perſoluere noluit. Quod Comes grauiter ferens, decimo Cal. Ianuarii die cum Clitone Eadgaro Normanniã repetiit. Erant duo (vt in Anglia ferebatur) qui dicebantur Romani põtifices, à ſe inuicem diſcordantes, & eccleſiam Dei inter ſe diuiſam poſt ſe trahentes: Vrbanus ſcilicet, qui prius fuerat vocatus Odo epiſcopus Hoſtienſis: & Clemens qui Wibertus appellatus fuerat, archiepiſcopus Rauennenſis. Quæres, vt de aliis mundi partibus fileamus, per plures annos eccleſiam Angliæ in tantum occupauit, vt ex quo Gregorius (qui & Hildebrandus) defunctus fuit, nulli loco papæ vſque ad hoc tempus ſubdi vel obedire voluerit. Vrbanum pro vicario beati Petri, Italia Galliaque iam receperat.

1114 36. Ciuitas Lundonia maxima ex parte incendio conflagrauit. Oſmundus Searesbirienſis epiſcopus eccleſiam, quam Searesbiriæ in caſtello conſtruxerat, cum adiutorio epiſcoporum Walcelini Wintonienſis & Iohannis Bathonienſis, Nonis Aprilis, feria ſecunda, dedicauit. Antiſtes etiam Remigius, qui licentia regis Gulielmi Senioris epiſcopalem ſedem de Dorcaceaſtra mutauerat ad Lindicolinam, conſtructam in ea eccleſiã pontificali cathedræ dignam dedicare volebat, quia ſibi diem mortis imminere ſentiebat. Sed Thomas Eboracenſis archiepiſcopus illi contradicendo reſiſtebat, affirmans eam in ſua parochia eſſe conſtructam. At rex Gulielmus iunior, pro pecunia quam ei Remigius dederat, totius fere Angliæ epiſcopis mandauit, vt in vnũ conuenientes ſeptenis Idibus Maii eccleſiam dedicarent. Sed biduo ante diem ſtatutum, occulto Dei iudicio, ipſe epiſcopus Remigius migrauit è ſeculo, & eccleſię per hoc remanſit dedicatio. His actis, rex Northimbriã profectus, ciuitatẽ quę Britannice Kairleu Latine Legubalia vocatur, reſtaurauit: & in ea caſtellum ædificauit. Hæc enim ciuitas, vt illis in partibus aliæ nonnullæ à Danis Paganis ante. 200. annos diruta, & vſque ad id tempus manſit deſerta. 1092

1115 37. Rex Gulielmus iunior (in regia villa, quæ vocatur Alweſtan) vehementi percuſſus infirmitate, ciuitatem Glawornam feſtinanter adiit ibique per totam Quadrageſimam languoſus iacuit. Qui cum ſe putaret cito moriturum, vt ei ſui Barones ſuggeſſerunt, vitam ſuam corrigere, eccleſias non amplius vendere, nec ad cenſum ponere, ſed illas regia tueri poteſtate, irrectas leges deſtruere, ac rectas ſtatuere Deo promiſit. Inſuper Anſelmo Beccenſi abbati, qui tunc in Anglia morabatur, Dorobernenſem archiepiſcopatum, & Cancellario ſuo Roberto (cognomento Bloet) Lindicolinenſem dedit præſulatum. Sed Anſelmo nil de archiepiſcopatu, præter id quod rex illi dari iuſſerat, accipere licebat, quoad tributum quod poſt Lanfranci obitũ ſingulis annis inde acceperat, perſolueretur. Rheſus Walanorum rex in ipſa hebdomada Paſchali, iuxta caſtellum quod Brechenieau nominatur, in pugna occiſus eſt. Ab illo die regnare in Walonia reges deſiere. Rex Scotorum Malcolmus, die feſtiuitatis ſancti Bartholomęi apoſtoli, regi Gulielmo iuniori, vt prius per legatos inter eos ſtatutũ fuerat, in ciuitate Glaworna occurrit, vt ſicut quidam primatum Angliæ voluerunt, pace redintegrata, ſtabilis inter eos amicitia firmaretur. Sed impacati ab inuicem diſceſſerunt. Nam Malcolmum videre aut cum eo colloqui, præ nimia ſuperbia & potentia, rex Gulielmus deſpexit. Inſuper etiam illum vt (ſecundum iudicium tantum Baronum ſuorum) in curia ſua rectitudinem ei faceret, conſtringere voluit, ſed id angere niſi in regnorum ſuorum confiniis, vbi reges Scotorum erant ſoliti rectitudinem facere regibus Anglorum, & ſecundum iudicium primatũ vtriuſq; regni, nullo modo Malcolmus voluit. Poſt hæc in ſole ſignũ apparuit valde mirabile, & Comes Scrobbesbirienſis Rogerus, & Guido abbas monaſterii S. Auguſtini, & Paulus abbas S. Albani deceſſerũt. Deceſſit etiam eodem anno vir magnę ſtrenuitatis Flandrenſis Comes Robertus, cui ſucceſſit primogenitus filiꝰ eius Robertus. Rex Scotorum Malcolmus, & primogenitus filius eius Eadwardus, cum multis aliis, in Northimbria (die feſtiuitatis S. Bricii) à militibus Roberti Northimbrorum Comitis occiſi ſunt. Quorum morte cognita, regina Scotorũ Margareta, tanta affecta eſt triſtitia, vt ſubito in magnam incideret infirmitatem. Nec mora, presbyteris ad ſe accerſitis, eccleſiam intrauit, eiſque ſua peccata confeſſa oleò ſe perunxit, cœleſtique muniri viatico fecit, Deum aſſiduis & intentiſſimis precibus exorans, vt in hac ærumnoſa vita diutius ſe viuere nõ permitteret. Nec multo poſt exaudita eſt. Nã poſt tres dies occiſionis regis, ſoluta carnis vinculis, vt creditur, ad gaudia tranſiuit æternæ ſalutis. Quippe quæ dum viueret, pietatis, iuſtitiæ, pacis, & charitatis cultrix extitit deuota, freqũẽs in orationib. corpꝰ & vigiliis & ieiuniis macerauit, eccleſias & monaſteria ditauit, ſeruos & ancillas Dei dilexit & honorauit, eſurientib. hoſpitia, veſtimẽta, & alimẽta prębuit, & Deũ tota mente dilexit. Qua mortua, Duuenaldũ regis Malcolmi fratrẽ, Scotiſibi in regem 1093

gem elegerunt,& omnes Anglos qui de curia regis extiterunt,de Scotia expulerunt. Quibus auditis filius regis Malcolmi Dunecanus, regem Gulielmum (cui tunc militauit) vt ei regnum patris sui concederet,petiit,& impetrauit,illique fidelitatem iurauit:& sic ad Scotiam cum multitudine Anglorum ac Normannorum properauit,& patruum suum Duenaldum expulit,& in loco eius regnauit. Deinde nonnulli Scotorum in vnum congregati,homines illius pene omnes peremerũt,ipse vero cum paucis vix euasit. Veruntamen post hæc illum regnare permiserunt,ea ratione, vt amplius in Scotiã nec Anglos nec Normannos introduceret sibique militare sineret. Conuenientibus ferme totius Angliæ episcopis,in quibus Thomas Eboracensis archiepiscopus primatum tenebat, Anselmus abbas Beccensis secundo Non. Decembris antistes consecratur. Eodem anno Gulielmus Comes de Owe,auri ingenti victus auiditate,& promissi honoris captus magnitudine,à naturali domino suo Roberto Normannorum Comite (cui fidelitatem iurauerat) defecit: & in Angliam ad regem Gulielmum veniens, illius se dominio (vt seductor maximus) subiugauit.

1094 38. Comes Normannorũ Robertus,fratri suo regi Gulielmo iuniori per legatos mandauit,pacẽ quam inter se firmauerant nõ esse diutius seruaturũ: insuper illũ vocauit periurum & perfidum, nisi conuentionem inter illos in Normannia factam esset ei persoluturus. Ob hanc causam rex circa Cal. Februarii Heastingam adiit,& dum ibi moraretur,ecclesiam de Bello dedicari fecit. Hoc anno venerabilis Herbertus Theotfordensis episcopus,à Roma cum benedictione apostolica rediit: & à Gulielmo rege impetrauit vt sedes episcopalis in Norwicensi ecclesia firmaretur, vbi ipse (Christi iuuante gratia) pulcherrimam congregationem monachorum ad honorem sanctæ Trinitatis adunauit. Dein media Quadragesimæ rex Normanniã petiit: ad fratris colloquium sub pace statuta venit,sed impacatus ab eo recessit. Dein in Campo Martio conuenere, vbi illi qui sacramentis inter se pacem confirmauere, regi culpam omnem imposuere. At ille culpam nec agnoscere, nec conuentionem voluit persoluere. Iccirco nimis irati discesserunt impacati. Comes quidem Rotomagum perrexit. Rex vero ad Owe rediit, & in illo resedit, solidarios vndique conduxit, aurum, argentum,terras, quibusdam primatum Normanniæ dedit: quibusdam promisit,vt à germano suo Roberto deficerent,& se cum castellis suæ ditioni subiicerent. Quibus ad velle suum paratis, per castella (vel quæ prius habuerat, vel quæ tunc conduxerat) suos milites distribuit. Interea castellum quod Bures vocatur expugnauit, Comitis milites in illo captos partim in Anglia custodiendos misit, partim in Normannia custodiæ mancipauit: & fratrem suum multis modis vexans,exhæredare laborauit. At ille necessitate compulsus, dominum suum regem Francorum Philippum cũ exercitu Normanniam adduxit: sed rex Argentinum castellum obsedit, & ipso die obsessionis. 700. milites cum bis totidem scutariis,& castellanis omnibus qui intus erant, sine sanguinis effusione cepit, captosque in custodia tam diu detineri mandauit, donec quisque se redimeret: & post hoc in Franciam rediit. Comes vero Robertus castellũ quod Holm nuncupatur obsedit,donec Gulielmus Peuerellus,& 800. homines qui id defendebant, illi se dederent. Quod cum regi innotuerit, nuntiis in Angliam missis. 20. millia pedonum in Normanniam iussit sibi in auxilium mitti. Quibus vt mare transirent, Heastingæ congregatis, pecuniam quæ eis data fuerat ad victum Ranulphus Passeflambardus præcepto regis abstulit, scilicet vnicuique decẽ solidos & eos domum repedare mandauit: pecuniam vero regi transmisit. Interea graui & assiduo tributo, hominumque mortalitate, præsenti & anno sequenti tota vexabatur Anglia. Ad hæc etiam primitus Northwalani, deinceps Westwalani & Suthwalani,seruitutis iugo quo diu premebãtur excusso,& ceruice erecta, libertatem sibi vindicare laborabant. Vnde collecta multitudine,castella quæ in Westwalonia firmata erant, frangebant,& in Castrensi, Scrobesbiriensi, & Herefordensi prouincia frequenter villas cremabant,prædas agebant,& multos ex Anglis & Normannis interficiebant. Fregerunt & castellum in Meuania insula,eamque suæ ditioni subiiciebant. Interim Scoti regem suum Dunecanum, & cum eo nonnullos,suasu & hortatu Duuenaldi, per insidias peremerunt, & illum sibi regem rursum constituerunt. Post hæc rex Gulielmus quarto Cal. Ianuarii Angliam rediit,& vt Walanos debellaret, mox exercitũ in Waloniam duxit,ibique homines & equos perdidit multos.

1095 39. Vir venerabilis & valde admirabilis vitæ, Wulstanus episcopus sanctæ Wigornensis ecclesiæ,ab adolescentia diuinis mancipatus seruitiis, post multos sancti sudoris agones,quibus pro gloria regni cœlestis adipiscenda magna mentis deuotione & humilitate sedulus Deo seruiuit intentissime, die mensis Ianuarii. 18. noctis septimi Sabbati, hora

1117

median-

mediante. 7. migrauit è seculo, anno à primo seculi die, certa scripturæ diuinæ ratione. 5299. Noni magni anni. 529. Noni vero magni anni ab initio seculi. 476. A passione domini secundum Euangelium. 1084. Iuxtà chronicam Bedæ. 1066. Secundum Dionysium. 1061. Ab aduentu Anglorum in Britanniam. 745. Ab aduentu S. Augustini. 498. A transitu S. Oswaldi archipræsulis. 103. Vndecimi magni Paschalis cicli, 32. Decimi vero à capite mundi. 510. Secundi solaris cicli. 4. Bissextilis cicli tertio. Secundi decennouenalis cicli. 13. Secundi lunaris cicli. 10. Endecadis quinto. Indictionalis cicli tertio. Lustro suæ ætatis. 18. Sui vero pontificatus septimi Lustri anno tertio. Miroq; modo ipsa sui transitus hora, suo quem specialiter dilexerat amico, Roberto Herefordensi episcopo in oppido quod Crickelad vocatur, in visione apparuit, illique ad se tumulandum Wigornam properare mandauit. Annulum etiam cum quo pontificalem susceperat benedictionem, neminem Deus passus est digito extrahere, ne post mortem vir sanctus suos videretur fallere: quibus prædixerat sæpissime, nec illum vita comite se velle perdere, nec etiam sepulturæ suæ die. Pridie Non. Aprilis, in nocte visæ sunt stellæ quasi de cœlo cadere. Wolfetus Albinensis episcopus, S. Romanæ ecclesię Legatus, ab Vrbano papa missus, ante Pascha venit Angliã, pallium pro quo rex Gulielmus anno prędcedenti miserat, illi deferens. Quod iuxta conditum die dominica, quæ erat quarto Idus Iunii, ab eodem Cantuariam super altare Salutatoris delatum, ab Anselmo assumptum est, arq; ab omnibus pro reuerentia S. Petri supplici ter deosculatum. Vir magnæ religionis Herefordensis episcopus Robertus, sexto Cal. Iulii, feria quarta obiit. Huic prædictus Wigornensis episcopus Wulstanus. 30. die postquam de hoc seculo migrauit, denuo in visione apparuit eumq; pro sui negligentia & ignauia acriter corripuit, admonuitq; vt tam de suæ vitæ, quam sibi subiectorum emendatione quam vigilantissime posset, studeret. Quod si faceret, dicebat eum omnium peccaminum à Deo posse veniam cito promereri, adiunxitque quod non diu in cathedra qua tunc sedebat, sedem haberet: sed secum si vigilantior esse veller, coram Deo conuiuari deberet. Fuerant enim hi ambo patres nimia charitate in Dei dilectione, & ad se inuicẽ coniuncti: ideoque credi fas est, ipsum qui prius de hoc seculo ad Deum migrauit, solicitudinem egisse sui dilectissimi quem in hoc seculo reliquit, & vt quam citius simul ante Deum gauderent operam dedisse. Northimbrensis Comes Robertus de Mulbreo & Gulielmus de Owe, cum multis aliis, regem Gulielmum regno vitaque priuare, & filium amitæ illius Stephanum de Albamarno conati sunt regem constituere: sed frustra. Nam ea re cognita, rex exercitu de tota Anglia congregato, castellum prædicti Comitis Roberti (ad ostium Tinæ fluminis situm) per duos menses obsedit & interim quadam munitiuncula expugnata ferme omnes meliores Comitis milites cepit, & in custodia posuit. Dein obsessum castellum expugnauit, & fratrem Comitis, & equites quos intus inueniebat, custodiæ tradidit. Post hæc ante Bebbanbirig, id est, vrbem Bebbæ reginæ, in quam Comes fugerat, castellum firmauit, idq; Malueisin nominauit, & in illo militibus positis, in Suthimbriam rediit. Post cuius decessum, Comiti Roberto vigiles Noui castelli promisere in id se permissuros illum intrare, si veniret occulte. Ille autem lætus effectus, quadam nocte cum 30. militibus vt id perageret exiuit. Quo cognito, equites qui castellum custodiebant, illum insequentes, eius exitũ custodibus Noui castelli per nuntios intimauerunt. Quod ille nescius, die dominica tentauit peragere cœpta, sed nequiuit, deprehensus enim erat. Ea propter ad monasterium sancti Oswini regis & martyris fugit, vbi sexto die obsessionis suæ grauiter in crure est vulneratus dum suis aduersariis repugnaret. Quorum multi perempti, multi sunt vulnerati: de suis quoq; nonnulli vulnerati, omnes sunt capti. Ille vero in ecclesiam fugit, de qua extractus, in custodia est positus. Interea Walenses castellum Muntgumri fregerũt, & Hugonis Scrobbesbirię Comitis homines in illo nonnullos occiderunt. Vnde rex iratus, expeditionẽ cito mandauit, & post festiuitatẽ S. Michaelis exercitũ in Waloniã duxit, ibiq; homines & equos quãplures perdidit. Qui inde reuersus, Comitẽ Robertũ ad Bebbãbirig duci & eius oculos erui iussit, nisi vxor illius ac propinquus eius Moreal castrũ redderent: qua necessitate cõpulsi, castellũ reddiderunt. Comes autẽ forti custodiæ mancipandus ad Windlesoram est ductus, Moreal vero factæ traditionis causam regi detexit.

1118 40. Dunholmensis episcopus Gulielmus apud Windlesoram, in curia regis, Cal. Ianuarii, feria quarta obiit, sed Dunholmi est sepultus. Octauis Epiphaniæ apud Searesbiriã celebrato concilio, Gulielmi de Owe in duellio victi oculos erui & testiculos abscidi: & dapiferum illius Gulielmum de Aldari, filium amitæ illius, traditionis conscium iussit rex suspendi: Comitem vero Odonem de Campania, prędicti scilicet patrem, Philippum Rogeri Scrobbesbirienſis Comitis filium, & quosdam alios traditionis participes, in custodiã posuit. Vrbanus papa venit in Galliam, & apud Clarũ Montem quadragesimali tempore Synodo celebrata, ad Turcas, Sarracenos, Turcopolos, alioſq; Paganos debellandos, Hie- 1096

rusalē proficiſci hortat' eſt Chriſtianos. Cuius hortatu, mox in ipſa Synodo Comes S. Egidii Raimundus, & cū eo multi alii cruce Chriſti ſignati, peregrinationē ſe pro Deo ſubituros, & q̄ ſuaſerat peracturos ſpopōderūt. Quib. auditis, de Italia, Germania, Gallia, Anglia cæteri Chriſtiani ad eandē profectionē certatim ſe parauere. Quorum duces & primates extitere Podienſis epiſcopus, Aimerus, Hoſtiēſis epiſcopus cū aliis epiſcopis quamplurib. Petrus monach', Hugo Magnus Philippi regis Francorū germanus, Dux Lothariēſis Godefridus, Carnotenſis Comes Stephanus, Normannorum Comes Robertus, Flandrenſis Comes Robertus: duo germani Godefridi Ducis: Comes Euſtachius Bononiēſis & Baldwinus, prędictus Comes Reimundus, Boemundus Roberti Guiſcardi filius. Sampſon Wigornenſis epiſcopus ab Anſelmo Doroberniæ archiepiſcopo Lundoniæ in eccleſia ſancti Pauli. 17. Cal. Iulii dominica conſecratur. Poſt hæc Comes Normannorum Robertus, cum Hieruſalem proficiſci cum aliis animo proponeret, nuntiis in Angliam miſſis germanum ſuum Gulielmum petiit, vt inter ſe pace redintegrata illi decies mille marcas argenti præſtaret, & ab eo Normanniam in vadimonium acciperet. Qui mox petitioni eius ſatisfacere geſtiens, indixit maioribus Anglię, vt quiſq; illorum pro poſſe ſibi pecuniam feſtinanter accommodaret. Ecirco epiſcopi, abbates, abbatiſſæ, aurea & argentea eccleſiæ ornamenta fregerunt, Comites, Barones, Vicecomites, ſuos milites & villanos ſpoliauerunt, & regi non modicam ſumma auri & argenti detulerunt. Ille autem menſe Septembri mare tranſiit, pacem cum germano facit. 6666. libras illi præſtitit, & ab eo Normanniam in vadimonium accepit.

1097 41. Rex Anglorum Gulielmus quadrageſimali tempore Angliam rediit, & poſt Pa- 1119
ſcha cum equeſtri & pedeſtri exercitu ſecūdo profectus eſt Waloniam, vt omnes maſculini ſexus internecioni daret. At de eis vix aliquem capere aut interimere potuit, ſed de ſuis nonnullos, & equos perdidit multos. Poſt hæc Clitonem Eadgarum ad Scotiam cum exercitu miſit, vt in ea conſobrinum ſuum Eadgarum Malcolmi regis filium (patruo ſuo Duuenaldo, qui regnū inuaſerat expulſo) regē conſtitueret. Chriſtiani ceperunt Niceam ciuitatem. 13. Cal. Iulii, Sabbato. Stella quæ cometes dicitur, tertio Cal. Octobris per 15. dies apparuit. Nonnulli ſignum mirabile & quaſi ardens (in modum crucis) eo tempore ſe vidiſſe in cœlo affirmabant. Mox inter regem & Dorobernenſem archiepiſcopū Anſelmum orta diſſenſione, quia ex quo archipræſul effectus eſt, Synodum tenere & praua quæ per Angliam pullulauerant, non licuit corrigere, mare tranſiit, & ad tempus in Gallia manſit, & poſt ad papā Vrbanum perrexit. Rex autem circa feſtiuitatem ſancti Andreæ de Anglia Normanniam profectus eſt. Eximiæ vir religionis, monaſterii ſancti Eadmundi abbas Balduinus, genere Gallus, artis medicinę bene peritus, quarto Cal. Ianuarii, feria tertia, in bona ſenectute deceſſit, & in medio choro principalis eccleſiæ ſepultus requieſcit.

1098 42. Wintonienſis epiſcopus Walcelinus, tertio Nonas Ianuarii, die dominica, obiit. 1120
Et abbas monaſterii de Burh Thuroldus, & abbas Noui monaſterii Robertus obierunt. Æſtatis tempore rex Anglorum Gulielmus iunior ciuitatem quæ Cinomannia vocatur, magnamque partem illius prouinciæ per vim ſuæ ditioni ſubegit. Interea Comites Hugo de Ceaſtra, & Hugo de Scrobbesbiria Meuaniam inſulam quæ conſuete vocatur Anglefege cum exercitu adierunt, & multos Walanorum quos in ea ceperunt occiderunt, quoſdam uero (manibus & pedibus truncatis, teſticuliſq; abſciſis) excæcauerunt. Quendam etiam prouectę ætatis presbyterum, nomine Kenredum, à quo Walani in eis quę agebant, conſilium accipiebant, de eccleſia extraxerunt, & teſticulis eius abſciſis & vno oculo eius eruto, linguam illius abſciderunt: ſed die tercia miſeratione diuina illi reddita eſt loquela. Eo tempore rex Norreganorum Magnus, filius regis Olaui, filii regis Haraldi Haruagri, Orcadas & Meuanias inſulas cum ſuo adieciſſet imperio, paucis nauib. aduectus illuc venit. At cum ad terram rates appellere vellet, comes Hugo de Scrobbesbiria, multis armatis militib. in ipſa maris ripa occurrit, & vt fertur mox ab ipſo rege ſagitta percuſſus, die ſeptimo quo crudelitatem in præfatum exercuerat presbyterum, interiit. Antiochia ciuitas à Chriſtianis tertio Nonas Iunii, feria quarta, capta eſt. In qua paucis diebus tranſactis, lancea qua mundi Saluator in crucis patibulo pendens vulneratus fuit, Andrea apoſtolo ſanctorum mitiſſimo reuelante, in eccleſia Sancti Petri apoſtoli inuenta eſt. Cuius inuentione Chriſtiani animati, quarto Cal. Iulii, feria ſecunda, ſecum illam deferentes, de ciuitate exierunt, & cum Paganis prælio commiſſo, Curbaranum principem militiæ Soldani Perſiæ, & Turcos, Arabes, Sarracenos, Publicanos, Azimatos, Perſas, Agulanos, & alias multas gentes in ore gladii fugantes, multis millibus ex eis occiſis, Dei virtute plenam victoriam habuerunt. Splendor inſolitus per totam fere noctem quinto Cal. Octobris emicuit. Eodē anno oſſa regis & martyris Canuti de tumulo leuata, in ſcrinio honorifice ſunt collo-

collocata. Rógerus Dux Apuliæ (adunato gtandi exercitu) Capuanã ciuitatem à sua ditione resilientem obsedit. Vrbanus papa comitante secum Dorobernensi archiepiscopo Anselmo, vt illi mandarat, ad Concilium quod apud Barum Cal. Octobris celebrari cõstituit, proficiscitur. In quo Concilio plurima de fide catholica ab apostolico diserta sunt facunda oratione. Vbi etiam mota quæstione ex parte Græcorum, Euangelica authoritate probare volentium Spiritum Sanctum processionem non habere nisi tantum à patre, præfatus Anselmus sic de negotio tractauit, disseruit, absoluit, vt in ipso conuentu nemo existeret qui non inde sibi satisfactum consentiret.

1121 43. Vrbanus papa, tertia hebdomada Paschæ, magnum Concilium tenuit Romæ. In quo recisis recidendis, & statutis statuendis, in aduersarios sanctæ ecclesię excommunicationis sentẽtiam in omnes laicos inuestituras ecclesiarum dantes, & omnes easdem inuestituras de manibus illorum accipientes, necnon omnes in officium sic dati honoris huiusmodi consecrantes cum toto Concilio papa intorsit. Eos quoque anathematis vinculo colligauit, qui pro ecclesiasticis honoribus laicorum hominum homines fiunt: dicens nimis execrabile videri, vt manus quæ in tantam eminentiam excreuerant vt quod nulli angelorum concessum est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent, & eundem ipsum pro redẽptione & salute totius mundi, summi Dei patris obtutibus offerant, in hanc ignominiam detrudantur, vt ancillæ fiant earum manuum quæ die ac nocte obscœnis contactibus inquinantur, siue rapinis ac iniustæ sanguinum effusioni addictæ commaculantur. Fiat, fiat, ab omnibus est clamatum: & in his Concilium consummatum est. Post hæc archiepiscopus Lugdunum perrexit. Rex Anglorum Gulielmus iunior in Angliam de Normãnia rediit, & festiuitate Pentecostes Lundonię curiam suam tenuit: ac Randulfo, quem negotiorum totius regni exactorem constituerat, Dunholmẽsem episcopatum dedit: quẽ Thomas Eboracensis archiepiscopus ibi mox consecrauit. Idus Iulii, feria quinta, Hierusalem à Christianis capta est, & post hæc vndecimo Cal. Augusti, eadem feria, Lothariensis Dux Godefridus ab omni exercitu in regem est electus. Vrbanus papa, quarto Cal. Augusti, feria quinta, obiit. Christiani cũ Amirauiso principe militiæ, & secundo in potestate totius regni regis Babylonię, ante ciuitatem Ascalonam secundo Idus Augusti, eadem feria, bellum habentes maximum, Christo largiente, potiti sunt victoria. Paschalis vir venerandus, qui ab Hildebrando papa presbyter fuerat ordinatus, à Romano populo Idib. Augusti electus, die sequenti, id est, 19. Cal. Septẽb. feria prima, in papam est cõsecratus. Tertio. Non. Nouemb. mare littus egreditur, & villas & homines quamplures, boues & oues innumeras dimersit. Osmundus Searesbirienſ. episcopus, 3. Non. Dec. feria sexta obiit. 1099

1122 44. Clemens papa (qui & Wibertus) obiit. Idibus Iulii, die dominica, ecclesia quam venerandæ memoriæ abbas Serlo à fundamentis construxerat Glawornæ, ab episcopis Samsone Wigornensi, Gundulfo Rofensi, & Herueo Bancornensi dedicata est cum magno honore. Deinde quarto Non. Augusti, feria quinta, Indictione octaua, rex Anglorum Gulielmus iunior, dum in Noua foresta, quæ lingua Anglorum Yrene nuncupatur, venatu esset occupatus, à quodam Franco Waltero (cognomento Tirello) sagitta incautè directa percussus vitam finiuit, & Wintoniam delatus in Veteri monasterio, in ecclesia Sancti Petri est tumulatus. Nec mirum, vt populi rumor affirmat, hanc procul dubio magnam Dei virtutem esse & vindictam. Antiquis enim temporibus, Eadwardi scilicet regis & aliorum Angliæ regũ prædecessorũ eius, eadem regio incolis Dei cultoribus & ecclesiis nitebat vberrime, sed iussu regis Gulielmi senioris hominib. fugatis, domibus semirutis, ecclesiis destructis, terra ferarum tantũ colebatur habitatione, & inde vt creditur causa fuit infortunii. Nam & antea eiusdem Gulielmi iunioris germanus Ricardus in eadem foresta multo ante perierat, & paulo ante suus fratruelis Ricardus, Comitis scil. Normannorum Roberti filius, dum & ipse in venatu fuisset, à suo milite sagitta percussus interiit. In loco quo rex occubuit, priscis temporibus ecclesia fuerat constructa, sed patris sui tempore (vt prædiximus) erat diruta. Eiusdem regis tempore (vt ex parte prætitulatũ est) in sole & stellis multa fiebant signa. Mare quoque littus persæpe egrediebatur, & homines & animalia summersit, villas & domos quãplures subuertit. In pago qui Barrocscire nominatur, ante occisionem illius sanguis de fonte tribus septimanis emanauit. Multis etiam Normannis diabolus in horribili specie se frequẽter in syluis ostendens, plura cum eis de rege & Randulfo & quibusdam aliis locutus est. Nec mirum: nam illorũ tempore fere omnis legũ siluit iustitia, cauisq; sub iustitio positis sola in principibus imperabat pecunia. Deniq; eadẽ tempestate, nõnullis regis voluntati magis quam iustitię obedientibus, Randulfus contra ius ecclesiasticũ, & sui gradus ordinẽ (presbyter enim erat) ad censum primitus abbatias, dehinc episcopatus, quorum patres è vita discesserant nouiter, accepit à rege, & inde sin- 1100

gulis annis non modicã persoluit illi pecuniam summã. Cuius astutia & calliditas tam vehemens extitit,& paruo tempore adeo excreuit, vt Placitatorem ac totius regni Exactorem rex illum constitueret. Qui tanta potestate adepta, vbi locorum per Angliam ditiores ac locupletiores quosdã, rerum terrarumq; ablatione mulctauit, pauperiores autem graui iniustoq; tributo incessanter oppressit, multisq; modis & ante episcopatum,& in episcopatu maiores & minores communiter afflixit, & hoc vsq; ad regis eiusdem obitũ. Nam eo die quo occisus periit, Dorobernensem archiepiscopatum, Wintoniensem & Searesbiriensem præsulatus in manu sua tenuit. Regnauit idem rex 13. annis, minus. 38. diebus, Cui successit iunior frater suus Henricus, & mox Nonas Augusti die dominico in Westmonasterio à Mauricio Lundoniẽsi episc. in regẽ est cõsecratus. Qui cõsecrationis suæ die S. Dei ecclesiã, quæ fratris sui tẽpore vendita & ad firmã erat posita, liberã fecit, ac omnes malas consuetudines & iniustas exactiones (quibus regnũ Angliæ iniuste opprimebatur) omnib. in cõmune reddidit, cũ illis emendationib. quibus pater suus illã emendauit: sed forestas quas ille cõstituit & habuit, in manu sua retinuit. Nec multo post Dunholmens. episcopũ Randulfum Lundonię in Turri custodię mãcipauit,& Dorobernẽsem archiepiscopũ Anselmũ de Gallia reuocauit. Interea à Hierusalẽ domũ redierunt Comites Robertus Flandrensis & Eustachius Bononiẽsis primitus, dein Normannorũ comes Robertus cum vxore (quã sibi in Sicilia despõsauerat) repatriauit. Interim rex Anglorũ Henricus maior natu Angliæ cõgregauit Lundoniæ, & regis Scotorũ Malcolmi & Margaretæ reginæ filiã Mahtildẽ nomine in coniugẽ accepit: quam Dorobernẽsis archiepisc. Anselm' dominica die festiuitatis S. Martini reginã consecrauit & coronauit. Venerãdæ memoriæ,& eximiæ religionis vir, affabilis, omnibusq; amabilis, Eboracẽsis archiepisc. Thomas. 4. Cal. Dec. die dominica, ex hac vita decessit Eboraci. Cui successit Herefordensis episcopus Gerardus.

1101 45. Dunholmensis episcopus Randulfus, post Natiuitatem domini, de custodia magna calliditate euasit, mare transiit, Normannorum Comitem Robertum adiit, eiq; suasit, vt Angliam hostiliter adiret. Nec minus perplures huius terræ principes (missis ad eum legatis) rogauerunt vt Angliam festinato veniret, coronam & regnum illi promittentes. Ciuitas Glaworna, cum principali monasterio,& aliis, octauo Idus Ianuarii, feria quinta, incendio conflagrauit. Comes Normannorum Robertus, equitum sagittariorũ,& peditum, non paruam congregans multitudinẽ, in loco qui Normannica lingua dicitur Vltresport, naues coadunauit. Quibus cognitis, rex Butsecarlis præcepit mare custodire,& obseruare ne quis de partibus Normanniæ fines adiret Angliæ. Ipse vero innumerabili exercitu cõgregato de tota Anglia, non longe ab Heastinga castra posuit in Suthsaxonia. Autumabat enim pro certo, fratrem suum illis in partibus naui appulsurum. At ille cõsilio Randulfi episcopi, quosdam de regis Butsecarlis adeo rerum diuersarum promissionibus fregit, vt fidelitate quam regi debebant postposita, ad se transfugerent,& sibi ad Angliam duces existerent. Paratis igitur omnibus, cum exercitu nauem cõscendit & circa ad vincula sancti Petri in loco qui Portesmuth dicitur, appulit, statimq; versus Wintoniam exercitum mouens, apto in loco castra posuit. Cuius aduentu cognito, quidã de primoribus Angliæ mox ad eum vt ante proposuerant, transfugere, quidam vero cum rege ficta mente remansere: sed episcopi, milites gregarii,& Angli animo constanti cũ illo perstitere, vnanimiter ad pugnam parati cum ipso descendere. Verum sapientiores vtriusq; partis, habito inter se salubriter consilio, pacẽ inter fratres ea ratione composuere, vt ter mille marcas, id est. 2000. libras argenti, singulis annis rex persolueret Comiti, & omnib. suos pristinos honores quos in Anglia pro Comitis fidelitate perdiderant, restitueret gratuito: & cunctis quibus honores in Normannia causa regis fuerant ablati, Comes redderet absque pretio. Quibus pacatis, regis exercitus domum, Comitis vero pars in Normanniam rediit, pars in Anglia secum remansit. Filius Eustachii senioris, Comitis Bononiensis, Godefridus rex Hierosolymorum, qui præpotens extiterat Dux Lotharienſium, diem clausit vltimum, & in ecclesia Golgothana sepultus requiescit. Cuius post obitum, Christiani vnanimi cõsilio, eius germanum sibi in regem elegerunt Balduinum. Arcem quam in occidentali Sabrinæ fluminis plaga, in loco qui Bricge dicitur lingua Saxonica, Æthelfleda Merciorum domina quondam cõstruxerat, fratre suo Eadwardo Seniore regnante, Scrobbesbirienſis Comes Robertus de Belesmo, Rogeri Comitis filius, contra regem Henricum, vt exitus rei probauit, muro lato & alto, summoque restaurare cœpit. Cœpit etiam in Walonia ædificare aliam, in loco qui Carocloue dicitur.

1102 46. Supradictus Comes Robertus de Belesmo, qui Comitatum etiam Pontiuensis pagi rexit eo tempore, ac in Normannia castella possedit quamplurima, ciuitatem Scrobbesbiriam,

besbiriã,& castellum in ea situm,castella quoq; Arundelliæ & Tickehil,alimentis,machinis,armis, militibus, ac peditibus contra regem Henricum firmiter muniuit. Muros quoque ac turres castellorum,videlicet Briege & Carocloue die noctuque laborando & operando perficere modis omnibus festinauit. Walonos etiam suos homines,vt promptiores sibiq; fideliores ac paratiores essent ad id perficendum quod volebat, honoribus, terris, equis,armis incitauit, variisque donis largiter ditauit. Sed conatus illius & opera nimis cito sunt impedita. Insidiis enim & conatibus eius per certa indicia detectis, publicum hostem rex illum pronunciauit. Iccirco mox Walonis & Normannis (quot tunc habere potuit) in vnum congregatis,ipse & suus germanus Arnoldus partem Staffordensis pagi vastauerũt:ac inde iumenta & animalia multa,hominesq; nonnullos in Waloniam abduxerunt. At rex sine dilatione castellum eius Arundelliæ primitus obsedit, & castellis ante illud firmatis, recessit. Deinde Robertum Lindicolinæ ciuitatis episcopum, cum parte exercitus Tickehil obsidere iussit. Ille autẽ Briege cum exercitu pene totius Angliæ obsedit, machinas ibi construere & castellũ firmare cœpit. Interim Walonos, in quibus fiduciam magnam Robertus habuerat,vt iuramenta quę illi iurauerant irrita fierent, & ab illo penitus deficerent,in illumq; consurgerent,donis modicis facile corrupit. Infra. 30. dies,ciuitate omnibusq; castellis redditis,inimicum suum Robertum superauit, & ignominiose de Anglia expulit. Germanum quoq; illius Arnoldum paulo post pro sua perfidia simili sorte damnauit. In hoc anno. 14. Cal. Maii, Indictione decima, pontificatus autem domini Paschalis secundi,papę anno tertio,translata est sedes episcopalis de Cestria ad Couentream. Post hæc in festiuitate S. Michaelis rex fuit Lundoniæ apud Westmonasterium, & cũ eo omnes principes regni sui,ecclesiastici & secularis ordinis. Vbi duos de clericis,duobus episcopatibus inuestiuit,Rogerum videlicet Cancellariũ episcopatu Searesbirien si, & Rogerum Larderarium suum pontificatu Herefordensi. Vbi etiam Anselmus archiepiscopus tenuit magnũ concilium de his quæ ad Christianitatem pertinent, cõsedentib. secum archiepiscopo Eboracẽsi Gerardo,Mauricio Lundonien si,Gulielmo electo episcopo Wintonensi,Roberto Lincolien si,Samsone Wigornen si,Roberto Cestren si,Iohanne Bathonien si,Hereberto Norwicen si, Radulpho Cicestren si, Gundulfo Rofen si, Herueo Bancornen si,& duobus inuestitis Rogero,& Rogero. Osbernus autem episcopus Exonien sis infirmitate detentus,interesse non potuit.In hoc cõsilio plures Abbates Francigeni & Angli sunt depositi,& honoribus priuati,quos iniuste acquisierunt, aut in eis inhoneste vixerunt,scilicet Guido Persorensis,Aldwinus Ramesien sis,Wimundus Taueſtokensis, Haimo de Cernel, & ille de Miceleneia, Ægelricus de Middeltuna, Godricus de Burgo, Ricardus de Heli,Robertus de S. Eadmundo. Præfatus Rogerus Herefordensis ecclesiæ episcopus electus,Lundoniæ infirmitate percussus mortuus est:& Cancellarius reginæ,Reignelmus nomine,loco illius pari inuestitura subrogatus est.Rex Anglorum Hẽricus, Mariam sororem reginæ,Eustachio Bononien sium Comiti nuptam tradidit.

1125 47. Magna discordia facta est inter regem Henricum & Anselmum archiepiscopum, 1103
eo quod archiepiscopus nollet consentire vt rex daret inuestituras ecclesiarum, neq; consecrare, neque communicare iis quibus rex iam dederat ecclesias, quia apostolicus sibi & omnibus hoc interdixerat. Vnde rex pręcepit Gerardo archiepiscopo Eboracen si,quatenus consecraret episcopos,quibus ipse rex dederat inuestituras,scilicet Gulielmum Giffardum,& Rogerum qui fuit capellanus eius, cui iam dederat Searesbirien sem ecclesiam. Gerardus præceptum regis suscepit, sed Gulielmus causa iustitiæ illud & benedictionem archiepiscopi Gerardi spreuit. Quare regis iudicio suis omnibus expoliatus eliminatur à regno,cæteri vero inconsecrati remanserunt. Reignelmus autẽ paulo ante episcopatum Herefordensem regi reddidit,quia intellexit se Deũ offendisse in hoc, quod de manu laici alicuius inuestituram ecclesiæ suscepisset. Post hæc rex tenuit curiam suam in Pascha Wintoniæ. Anselmus archiepiscopus post multas iniurias & diuersas contumelias quas passus est,rogatus à rege perrexit Romã quinto Cal. Maii,sicut ei & regi conuenit, habens in comitatu Gulielmum Wintonensis ecclesiæ electum antistitem,& abbates de abbatiis depositos,Ricardum Elien sem & Aldwinum Rames ien sem. Robertus Comes Normanniæ venit in Angliam loqui cum fratre suo,& antequam rediisset de Anglia perdonauit ter mille marcas argenti,quas rex sibi omni anno per conuentionem debuit. In prouincia etiam,quæ nominatur Beartuescire in loco qui dicitur Heanstede, visus est à multis sanguis effluere de terra. Eodem anno,tertio Idus Augusti,magna intemperies venti facta est,quæ tantum damnum fecit in fructibus terræ per Angliam, quantum qui tunc vixerunt, retro actis temporibus nunquam viderunt.

1126 48. Venerandi abbates, Walterus Eoueshamnensis 13. Cal. Febr. & Serlo Gloece- 1104

 strensis,

ſtrenſis, quarto Nonas Martii, obierunt. Rex Anglorum Henricus tenuit curiam ſuam apud Weſtmonaſterium in Pentecoſten. Tertia feria, id eſt, ſeptimo Idus Iunii, quatuor circuli viſi ſunt circa ſolem albi coloris, circa horam ſextam, quiſq; circulus ſub alio, quaſi eſſent picti. Mirati ſunt omnes qui tunc viderunt, quia nunquam amplius talia viſa ſunt ab aliquo illorum. Gulielmus Comes de Moreteon exhæredatus eſt de tota terra ſua, quam habuit in Anglia. Non facile poteſt narrari miſeria, quam ſuſtinuit iſto tempore terra Anglorum propter exactiones regias. Corpus ſancti Cuthberti epiſcopi ob quorundã incredulitatem pontificante Randulfo epiſcopo, oſtenſum eſt, & à Radulpho Sagenſi abbate, poſtmodum Rofenſi epiſcopo, & à fratribus Dunholmenſis eccleſiæ, cum capite S. Oſwaldi regis & martyris, ſanctiq; Bedæ, multorumq; ſanctorum reliquiis, certo indicio incorruptum inuentum eſt, pręſente Alexandro mite, Eadgari regis Scotorum fratre, poſtea rege. Hic quia tam ſanctæ rei ſibi licuit intereſſe, datis quãplurimis marcis auri & argenti, parari fecit ſcrinium, in quo ſanctũ corpus nouis indutũ veſtimẽtis, honorifice eſt recõditũ.

1105 49. Rex Anglorum Henricus mare tranſiit, omnes autem pene Normãnorum maiores, ad eius aduentum ſpreto Comite domino ſuo & fide quam ei debebant, in aurum & argentum regis (quod ipſe de Anglia illuc portauerat) cucurrerunt, eiq; caſtra, munitaſq; ciuitates & vrbes tradiderunt. Ille vero Baiocas cũ eccleſia S. Mariæ quæ intus erat, combuſſit, & Cathum fratri ſuo abſtulit & poſt Angliam rediit (quia Normanniam ſibi totam ſubiugare nequieuerat) vt copioſiori pecunia fretus, rediens anno ſequenti, quod reſiduũ erat exhæredato fratre ſuo ſibi ſubiiceret. Comes Gulielmus de Moreteon vbicunq; potuit nocuit rebus & hominibus regis propter honorẽ ſuum quem perdiderat in Anglia. 1127

1106 50. Robertus Comes Normanniæ venit in Angliam, vt loqueretur fratri ſuo Henrico regi, quem inuenit apud Northamtun. Tunc Comes quæſiuit ab eo vt redderet ſibi ea quæ acceperat ſuper eum in Normannia: cui rex omnino contradixit. Quare Comes iratus receſſit, & mare tranſiuit. In prima autem ſeptimana Quadrageſimę, ſexta feria, 14. Cal. Martii, in veſpera, oſtenſa eſt quædam inſolita ſtella, & per 25. dies eodem modo, eademque hora viſa eſt lucere inter Auſtrum & Occidentem. Parua enim viſa eſt & obſcura, ſed ſplendor qui de ea exiuit, valde erat clarus, & quaſi ingens trabes de orientali & aquilonali parte claritas ingeſſit ſe in eandem ſtellam. Quidam dixerunt ſe plures inſolitas ſtellas eo tempore vidiſſe. In Cœna autem domini nocte viſæ ſunt duæ lunæ, paulo ante diem, vna in Oriente, altera in Occidẽte, & vtraq; plena, & erat eo die decimaquarta luna. Quo anno facta eſt nimis execrabilis contentio inter Imperatorem de Alemãnia & filium eius. Rex Anglorum Henricus, ante Auguſtum menſem tranſiuit mare, vadens in Normanniam, cui fere omnes primi Normannorum ſe dederunt, exceptis Roberto de Beleſmo, Gulielmo de Moreteon, & paucis aliis, qui ſe tenebant cum Comite Roberto. 1128

ROMANORVM. 96. Henricus quartus obiit, cui filius ſuus Henricus ſuccedens, regnauit annis 19. Rex Anglorum Henricus in Aſſumptione S. Mariæ Beccum venit vbi ipſe & Anſelmus archiepiſcopus in vnum conuenerunt, & tandem omnia quæ in diuerſa traxerant pacem & concordiã inuenerunt. Non multo poſt idem archiepiſcopus iuſſu & rogatu regis Angliam rediit. Congregato exercitu rex ad quoddam caſtrum Comitis de Moritonio (quod vocatur Tenercebrei) perrexit, & obſedit illud. Interim dum ibi moraretur, venit Comes Robertus frater regis, ſuper eum cum exercitu ſuo, in vigilia S. Michaelis & cum eo Robertus de Beleſmo, & Comes Gulielmus de Moritonio, ſed ius & victoria facta eſt regis. Ibi captus eſt Robertus Comes Normanniæ, & Comes Gulielmus de Moritonio, & Robertus de Stutauilla. Robertus autem de Beleſmo in fugam verſus eſt. Gulielmus Criſpinus captus eſt, & plures alii cũ eo. His ita geſtis, rex ſubegit ſibi totã Normanniã, & ſecundũ ſuã voluntatẽ dictauit, & hoc per literas Anſelmo archiepiſ. indicauit.

1107 1. Eadgarus rex Scotorum 8. Idus Ianuarii obiit, cui Alexander frater ſuus ſucceſſit. Normannia ſub regia pace diſpoſita, Duceq; Normannorum Roberto, & Comite Moritonii Gulielmo in Angliam ſub captione præmiſſis, rex ipſe ante Paſcha in regnum ſuum reuerſus eſt. In Cal. Auguſti Conuentus omnium epiſcoporum, abbatum, & procerũ regni Lundouiæ in palatio regis factus eſt, & per tres dies (abſente Anſelmo archiepiſcopo) inter regem & epiſcopos ſatis actum de eccleſiarũ inueſtituris, quibuſdã ad hoc nitentibus vt res eas faceret more patris & fratris ſui, non iuxta præceptum & obedientiam Apoſtolici. Nam papa Paſchalis in ſententia quæ inde promulgata fuerat firmus ſtans, conceſſerat omnia quę papa Vrbanus æq; vt inueſtituras interdixerat: ac per hoc regem ſibi de inueſtituris conſentaneũ fecerat. De hinc præſente Anſelmo, aſtante multitudine, annuit rex & ſtatuit vt (ab eo tẽpore in reliquũ) nunquam per dationẽ baculi paſtoralis vel annuli quiſquam de epiſcopatu aut abbatia per regem vel quamlibet laicã manũ in Anglia inueſtiatur. 1129

tur,concedente quoq; Anſelmo vt nullus in prælationem electus pro hominio quod regi faceret,conſecratione ſuſcepti honoris priuaretur. Gerardus Eboracenſis archiepiſcopus manu ſua impoſita manui Anſelmi vt ipſe volebat interpoſita fide ſua pollicitus eſt, ſe eandem ſubiectionem & obedientiam ipſi & ſucceſſoribus eius in archiepiſcopatu exhibiturum, quam Herefordenſi eccleſiæ ab eo ſacrandus epiſcopus illi promiſerat. Gulielmus Wintonienſi, Rogerus Saresbirienſi, Regnelmus Herefordenſi, Gulielmus Exceſtrenſi, & Vrbanus Glamorganenſi eccleſiæ quæ in Walonia eſt, electi epiſcopi, ſimul Cantuariam venerunt,& in die dominica, quæ fuit tertio Idus Auguſti, pariter ab Anſelmo conſecrati ſunt: miniſtrantibus ſibi in hoc officio ſuffraganeis ipſius ſedis, Gerardo ſcilicet archiepiſcopo Eboracenſi,Roberto Lincolnienſi,Herberto Norwicenſi, Roberto Conuẽtrenſi,Radulpho Ciceſtrenſi,Randulpho Dunholmenſi. Nullus fuit certe tunc temporis, qui meminiſſet retroactis temporibus tot ſimul paſtores electos & ordinatos in Anglia,niſi regis Eadwardi Senioris tempore, quando Plegmundus archiepiſcopus ſeptem epiſcopos ſeptem eccleſiis in vna die ordinauit. In præſentis concilii conuentu Aldwino Rameſienſis apoſtolico iuſſu reſtituta eſt abbatia, quam Romæ ſibi iniuria ſubtractam queſtus eſt. Venerabilis etiam Cantuarienſis eccleſiæ prior Arnulfus, ibi de Burh abbas eligitur. Hoc etiam anno Mauritius Lundonienſis epiſcopus, Ricardus Elienſis abbas, Robertus de ſancto Eadmundo, Milo Criſpinus, Robertus filius Haimonis, Rogerus Bigod, Ricardus de Reduers, regis conciliatores, vita deceſſerunt.

1130 2. Gerardus Eboracẽſis archiepiſcopus obiit, pro quo Thomas eligitur. Hæc ſunt ſta- 1108
tuta de archidiaconibus, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & canonicis in quocunque gradu conſtitutis, quæ anno dominicæ Incarnationis. 1108. ſtatuerunt Anſelmus archiepiſcopus Cantuarienſis, & Thomas electus archiepiſcopus Eboracenſis cum eo, omneſq; alii Angliæ epiſcopi, in præſentia regis Henrici, Aſſenſu Baronum ſuorum. Statutum eſt vt presbyteri, diaconi, ſubdiaconi caſte viuant, & fœminas in domibus ſuis non habeant, præter proxima conſanguinitate ſibi iunctas, ſecundum hoc quod ſancta Nicæna Synodus definiuit. Illi vero presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, qui poſt interdictum Lundonienſis conſilii fœminas ſuas tenuerunt, vel alias duxerunt, ſi amplius miſſas celebrare voluerint, eas à ſe omnino ſic faciẽt alienas, vt nec illæ in domos eorum, nec ipſi in domos earum intrent, ſed neq; in aliqua domo ſcienter conueniant, neq; huiuſmodi fœminæ in territorio eccleſiæ habitent. Si autem propter aliquam honeſtã cauſam eas colloqui oporteat, cum duobus legitimis teſtibus extra domum colloquantur. Si vero in duobus aut in tribus legitimis teſtibus, vel publica parochianorum fama, aliquis eorum accuſatus fuerit quod hoc ſtatutum violauerit, purgabit ſe adiunctis ſecum ordinis idoneis teſtibus, ſex ſi presbyter. 4. ſi diaconus, duobus ſi ſubdiaconus fuerit. Cui autem hæc purgatio defecerit, vt tranſgreſſor ſacri ſtatuti iudicabitur. Illi autem presbyteri, qui diuini altaris & ſacrorum ordinum contemptores prælegerint cum mulieribus habitare, à diuino officio remoti, omniq; eccleſiaſtico beneficio priuati, extra chorum ponantur, infames pronunciati. Qui vero rebellis & contemptor fœminam non reliquerit, & miſſam celebrare præſumpſerit, vocatus ad ſatisfactionem ſi neglexerit, octauo die excommunicetur. Eadem ſententia archidiaconos & canonicos omnes complectitur de mulieribus relinquendis, & de vitanda earum conuerſatione, & de diſtrictione cenſuræ ſi ſtatuta tranſgreſſi fuerint. Iurabunt archidiaconi omnes quod pecuniam non accipient pro toleranda trãſgreſſione huius ſtatuti, nec tolerabunt presbyteros quos ſcient fœminas habere, miſſam cantare, vel vicarios habere. Similiter decani faciẽt. Qui vero archidiaconus vel decanus hoc iurare noluerit, archidiaconatum vel decaniam perdet. Presbyteri vero, qui relictis mulieribus Deo & ſanctis altarib. ſeruire elegerint. 40. dies ab officio ceſſantes, pro ſe interim vicarios habebunt, iniuncta eis pœnitẽtia ſecundum hoc quod epiſcopis eorum viſum fuerit. Roſenſis eccleſiæ epiſcopus Gundulfus obiit, Non. Martii. Rex Anglorum Henricus pacem firmam, legemq; talem conſtituit: vt ſi quis in furto vel latrocinio deprehenſus fuiſſet, ſuſpenderetur. Monetam quoq; corruptam & falſam ſub tãta animaduerſione corrigi ſtatuit, vt nullus qui poſſet deprehendi falſos denarios facere, aliqua redemptione quin oculos & inferiores corporis partes perderet, iuuari valeret. Et quoniam ſæpiſſime dum denarii eligebantur flectebantur, rũpebantur, reſpuebantur, ſtatuit vt nullus denarius vel obolus (quos & rotundos eſſe inſtituit) aut etiam quadrans, integer eſſet. Ex quo facto magnum bonum toti regno creatum eſt, quia ipſe rex hæc in ſecularibus ad reuelandas terræ ærumnas agebat. Philippus rex Francorũ obiit, cui Ludouicus filius ſuus ſucceſſit. Rex Anglorum Henricus mare tranſiit. Anſelmus archiepiſcopus (vt rex rogauerat) Ricardum Lundoniæ eccleſiæ electum pontificem, in capella ſua apud Paggaham conſecrauit, miniſtrantibus ei

in hoc officio Gulielmo episcopo Wintonienſi, Rogero Searesbirienſi, Radulfo Ciceſtrenſi, & Gulielmi Exceſtrenſi, accepta prius ab eo conſueta profeſſione de obedientia & ſubiectione ſua. Poſt hæc Cantuariam venit, & Radulphum Saienſem abbatem, virum religioſum, pro Gundulfo ad Rofenſem eccleſiam (tertio Idus Auguſti) epiſcopum conſecrauit, miniſtrantibus ſibi in hoc officio Gulielmo Wintonienſi, Radulfo Ciceſtrenſi, & Ricardo Lundonienſi epiſcopis. Qui Ricardus anteceſſorum ſuorum more, honorauit ipſo die matrem ſuam eccleſiam Cantuarienſem honeſto munere.

1109 3. Dorobernenſis archiepiſcopus Anſelmus. 11. Cal Maii, feria quarta, obiit Cantuariæ, & ſequenti die quæ fuit Cœna Domini honorifice ſepelitur. Rex Anglorum Henricus circa Rogationes Angliã rediit, & curiam ſuam apud Weſtmonaſterium in Penteceſten tenuit. Thomas Eboracenſis eccleſiæ archiepiſcopus electus, à Ricardo Lundonienſi epiſcopo, quinto. Cal Iulii, Lundoniæ conſecratur, & poſt ab Vlrio cardinali pallium, quod ſibi papa miſerat, in Cal. Auguſt. die dominica, Eboraci ſuſcepit: & ipſo eodem die Thurgodum Dunholmenſem prioremad epiſcopatum S. Andreæ de Scotia (qui dicitur Kenrimunt) conſecrauit. Eodem anno rex abbatiam Elienſem ad epiſcopalem mutauit ſedem, & Herueum Bancornenſem epiſcopum eidem eccleſię præfecit. Stella Cometa menſe Decemb. viſa eſt circa Lacteum circulũ, crinem in auſtralẽ cœli plagam dirigens. 1131

1110 4. Rex Anglorum Henricus filiam ſuam Henrico regi Teutonicorum dedit in coniugem. Eodem anno diuerſa per Angliam ſigna monſtrata ſunt. Terræmotus Scrobbesbiriæ factus eſt maximus. Fluuius qui Trenta dicitur, apud Snotingaham à mane vſq; horam diei tertiã ſpatio vnius milliarii exiccatus eſt: ita vt homines ſicco veſtigio per alueum incederent. Stella cometa ſexto Idus Iunii apparuit, & per tres hebdomadas lucere eſt viſa. 1132

1111 5. Henricus rex Teutonicorum Romam venit, Paſchalem papam cepit, & in cuſtodia poſuit, ſed poſtmodũ ad pontẽ viæ Salariæ, vbi Paſchalẽ feſtiuitatẽ in campo celebrauerunt, pacẽ cũ eo fecit. Hoc autẽ modo reconciliatio inter regẽ & Dn. papã facta eſt, & hoc eſt iuramentũ regis. Ego Hẽricus rex liberos dimittã 4. vel 5. feria proxima dominũ papam, & epiſcopos, & cardinales, & omnes captiuos & obſides, qui pro eo vel cũ eo capti iunt, ſecuros produci faciam intra portas Tranſtiberinæ ciuitatis, nec vlterius capiã, aut capi permittã eos qui in fidelitate Dn. Papæ Paſchalis permanẽt, & populo Romano, & Tranſtiberinæ & inſulæ ciuitatis pacẽ & ſecuritatẽ ſeruabo tam per me quã meos, & in perſonis & in rebus, qui mihi pacẽ ſeruauerint. Dominum papam Paſchalẽ fideliter adiuuabo vt papatum quiete & ſecure teneat, Patrimonia & poſſeſſiones Romanæ eccleſiæ quæ abſtuli, reſtituam, cuncta quæ habere debet more anteceſſorũ meorum recuperare & tenere adiuuabo bona fide, & domino papę Paſchali obedientiã (ſaluo honore regni & imperii) ſicut catholici imperatores catholicis pontificibus Romanis. Hæc omnia obſeruabo bona fide, ſine fraude & malo ingenio. Et iſti ſunt iuratores ex parte ipſius regis. Fredericus Coloniẽſis archiepiſcopus, Gebehardus Tridentius epiſcopus, Burhardus Monaſterienſ. epiſcopus, Bruno Spirẽſis epiſcopus, Albertus Cancellarius, Comes Heremãnus, Fredericus Comes Palatinus, Berengarius Comes, Fredericus Comes, Bonifacius Martio, Albertus Comes de Blandriaco, Fredericus Comes, Godefridus Comes, Warnerius Martio. 1133

Dominus Papa Paſchalis. 156. concedet domino regi Henrico & regno eius, & priuilegio ſuo ſub anathemate cõfirmabit & corroborabit, epiſcopo vel abbate libere electo ſine ſymonia aſſenſu regis, quod dominus rex eũ annulo & virga inueſtiat. Epiſcopus autẽ vel abbas à rege inueſtitus, libere accipiat cõſecrationem ab epiſcopo ad quẽ pertinuerit. Si quis vero à clero & populo eligatur niſi à rege inueſtiatur, à nemine cõſecretur, & archiepiſcopi & epiſcopi libertatẽ habeant cõſecrandi, à rege inueſtitos. Super his etiã Dn. papa Paſchalis nõ inquietabit regẽ Henricũ, nec eius regnũ & imperiũ. Dominus papa Paſchalis non inquietabit Dn. regẽ Henricum, nec eius imperiũ vel regnũ, de inueſtitura epiſcoparuũ vel abbatiarũ, neq; de iniuria ſibi illata & ſuis, neq; aliquod malũ reddet ſibi vel alicui perſonæ pro hac cauſa, & penit° in perſonã regis Henrici nunquã anathema ponet, nec remanebit in domino papa quin coronet eũ, ſicut in ordine continetur, & regnũ & imperiũ officii ſui auxilio eũ tenere adiuuabit pro poſſe ſuo. & hæc adimplebit dominus papa ſine fraude & malo ingenio. Hæc ſunt nomina illorum epiſcoporum & Cardinalium, qui præcepto domini papæ Paſchalis, priuilegium & amicitiam ſacramento confirmauerunt Dn. imperatori Henrico. Petrus Portuenſ. epiſcopus, Centius Sabinienſ. epiſcopus, Robertus cardinalis S. Euſebii, Bonifacius cardinalis S. Marci, Anaſtaſius cardinalis S. Clementis, Gregorius cardinalis S. Apoſtolorum Petri & Pauli. Item Gregorius cardinalis S. Griſogoni, Iohannes cardinalis S. Potentianæ, Rhiſus cardinalis S. Laurentii, Rainerus cardinalis ſanctorum Marcellini & Petri, Vitalis cardinalis S. Balbinæ, Duuzo cardinalis

ſancti

ſancti Martini, Theobaldus cardinalis Iohannis & Pauli, Iohannes diaconus. S. Mariæ in ſchola Græca.

Paſchalis epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Henrico Teutonicorum regi, & per Dei operis gratiam Romanorum imperatori Auguſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Regnũ veſtrum ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſingulariter cohęrere diſpoſitio diuina conſtituit. Prædeceſſores veſtri probitatem cum prudentiæ amplioris gratia, ac Romanæ vrbis coronam & imperium conſecuti ſunt. Ad cuius videlicet coronæ & imperii dignitatem tuam quoq; perſonam (fili chariſſime Henrice) per noſtri ſacerdotii miniſterium maieſtas diuina prouexit. Illam igitur dignitatis prærogatiuã, quam prædeceſſores noſtri veſtris prædeceſſoribus, catholicis imperatoribus conceſſerunt, & priuilegiorum paginis confirmauerunt, nos quoq; dilectioni tuæ concedimus, & præſentis priuilegii pagina confirmamus, vt regni tui epiſcopis vel abbatibus libere præter violentiam & ſymoniã electis inueſtiturã virgæ & annuli conferas. Poſt inueſtitutionẽ vero, canonice conſecrationem accipiat ab epiſcopo, ad quẽ pertinuerit. Si quis autẽ à clero & populo præter tuũ aſſenſum electus fuerit, niſi à te inueſtiatur à nemine conſecretur. Sane epiſcopi vel archiepiſcopi libertatem habeant, à te inueſtitos epiſcopos vel abbates, canonice conſecrandi. Prædeceſſores enim veſtri eccleſias regni iuramentis regaliũ ſuorum beneficiis ampliarunt, vt regnũ ipſum epiſcoporũ maxime vel abbatũ prædiis oporteat communiri, & poſt plures diſſenſiones quæ electionibus ſæpe contingunt regali oporteat maieſtate compeſci. Quamobrẽ prudentiæ & poteſtatiuę curæ debes ſolicitius imminere, vt Romanę eccleſię cellitudo & cęterarum ſalus præſtante domino beneficiis & ſeruitiis cõſeruetur. Si qua igitur eccleſiaſtica vel ſecularis perſona hanc noſtræ cõceſſionis paginam temerario auſu peruertere tentauerit, anathematis vinculo niſi reſipuerit innodetur, honoris quoq; ac dignitatis ſuæ periculum patiatur. Obſeruantes autem miſericordia diuina cuſtodiat, & perſonam poteſtatemq; tuam ad honorem ſuum & gloriam fœliciter imperare concedat. His conuentionibus & iuramentis inter dominum papam & regem (in Paſchali feſtiuitate) facta eſt concordia. Deinde Romam Idus Aprilis rex venit, quem papa in eccleſia ſancti Petri miſſam celebrans, in imperatorem cõſecrauit, & ei ſuiſq; omnibus abſolutionem fecit, & omnem iniuriam ſibi factam condonauit. Rex Anglorum Henricus Flandrenſes qui Northimbriam incolebant, cum tota ſupellectili ſua in Waloniam tranſtulit, & terram (quæ Ros nominatur) incolere præcepit. Nouum etiam monaſterium, quod infra murum Wintoniæ erat, agente Gulielmo Wintonienſi epiſcopo, rex extra murum conſtrui iuſſit: & non multo poſt mare tranſiit. Hoc anno hyems aſperrima, fames valida, mortalitas hominum, peſtis animalium agreſtium ſimul & domeſticorum, ſtrageſq; auium extitit permaxima.

1134 6. Anno pontificatus domini papæ Paſchalis ſecundi 13. Indictione. 5. menſe Martio. 1113
15. Cal. Aprilis, celebratum eſt Concilium Romæ, Lateranis, in baſilica Conſtantiniana. In quo cum dominus papa rediſſet cum archiepiſcopis & epiſcopis & cardinalibus & varia multitudine clericorum & laicorum, vltima die Concilii, facta coram omnibus profeſſione catholicæ fidei, ne quis de fide ipſius dubitaret, dixit. Amplector omnem diuinam ſcripturam, ſcil. Veteris ac Noui teſtamenti, legemà Moyſe ſcriptam & à ſanctis prophetis. Amplector quatuor Euangelia, ſeptem canonicas epiſtolas, Epiſtolas glorioſi doctoris beati Pauli apoſtoli. Sanctos canones apoſtolorum, quatuor Concilia vniuerſalia ſicut. 4. Euangelia, Nicenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Chalcedonẽſe. Antiochenum Concilium & decreta ſanctorum patrum Romanorum Pontificum, & præcipue decreta domini mei papæ Gregorii ſeptimi, & beatæ memoriæ papæ Vrbani. Quæ ipſi laudauerunt, laudo. Quæ ipſi tenuerunt, teneo. Quæ confirmauerunt, confirmo. Quæ damnauerunt, damno. Quæ repulerunt, repello. Quæ interdixerũt, interdico. Quæ prohibuerunt, prohibeo. In omnib. & per omnia in his ſemper perſeuerabo. Quib. expletis, ſurrexit pro omnibus Girardus Engoliſmenſis epiſcopus, Legatus in Aquitania, & cõmuni aſſenſu domini papæ Paſchalis totiuſq; concilii, coram omnibus legit hanc ſcripturam. Priuilegium illud quod non eſt priuilegium, ſed vere debet dici priuilegium pro liberatione captiuorũ & eccleſię, à domino papa Paſchali per violentiã regis Henrici extortũ, nos omnes in hoc Concilio cum domino congregati, canonica cenſura & eccleſiaſtica auctoritate iudicio S. Spiritus damnamus, & irritũ eſſe iudicamus, atq; omnino quaſſamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat penitus excõmunicamus. & hoc ideo damnatũ eſt, quia in eo priuilegio continetur, quod electus canonice à clero & populo, à nemine conſecretur niſi prius à rege inueſtiatur, quod non eſt contra Sanctum Spiritum & canonicam inſtitutionem. Perlecta vero hac charta, acclamatum eſt ab vniuerſo Concilio: amen, amẽ, fiat, fiat,

Archiepiſcopi cũ ſuis ſuffraganeis qui inter fuerunt hi ſunt. Ioannes patriarcha Veneticus, Semies Capuanus, Landulfus Beneuentanus, Amalphitanus, Rogitanus, Hidrontinus, Brunduſinus, Capſanus, Girontinus, & Græci, Roſanus, & archiepiſcopus S. Seuerinæ. Epiſcopi vero Centius Sauinenſis, Petrus Portuenſis, Leo Oſtienſis, Cono Preneſtinus, Gerardus Engoliſmus, Galo Leonenſis, Legatus pro Bituricenſi & Viennenſi archiepiſcopis, Rogerus Vulturnenſis, Gaufridus Senenſis, Rollandus Populonienſis, Gregorius Terracinenſis, Gulielmus Troianus, Gibinus Siracuſanus Legatus pro omnibus Siculis, & alii fere. 100. epiſcopi. Siguinus & Iohannes Tuſculanus epiſcopi, cum eſſent Romæ illa die Concilio non interfuerunt. Qui poſtea lecta damnatione priuilegii, conſenſerunt & laudauerunt. Samſon. 25. Wigornienſis epiſcopus. 3. Nonas Maii, die dominica, obiit. Rex Anglorum Henricus Comitem Robertum de Beleſmo in Caresburga menſe Octobri in cuſtodiam poſuit.

1113 7. Ciuitas Wigornia, cum principali eccleſia, & omnibus aliis, & Caſtello. 13. Cal. Iulii, feria. 5. igne cremata eſt. De monachis vnus monaſterio vtiliſſimus, cum duobus ſeruientibus, & 15. de ciuibus, igne combuſti ſunt. Rex Anglorum Henricus, menſe Iulio, Angliam rediit, & Comitem Robertum de Beleſmo, de Normannia ductum, apud Werham in arctiſſima cuſtodia poſuit. Viri probitatis eximiæ dominus prior Thomas & Colemannus S. Mariæ Wigornẽſis eccleſiæ nobiles Cenobitæ. 4 Non. Oct. Sabbato obierunt. 1135

Communi ſorti ſoluentes debita morti,
Gaudia ſumma petant, vbi ſumma pace quieſcant:
Cum ſanctis læta contemplando fine meta.

Theulfus regis capellanus. 5. Calend Ianuarii, die dominica, Wigornenſem epiſcopatum apud Windleſoram ſuſcepit.

1114 8. Henrico Romanorum imperatori Matildis, filia regis Anglorum Henrici. 8. Idus Ianuarii, Moguntiæ deſponſata, & in imperatricem eſt conſecrata. Thomas Eboracenſis archiepiſcopus. 6. Cal. Martii, feria tertia, obiit. Rofenſis epiſcopus. Radulphus. 6. Cal. Maii, die dominica, ad archiepiſcopatum Cantuarienſem apud Windleſorã eligitur. Ciuitas Ciceſtria cum principali monaſterio, per culpam incuriæ. 3. Nonas Maii, feria. 3. flammis abſumpta eſt. Thurſtanus regis Capellanus ad Eboracenſem archiepiſcopatum die Aſſumptionis S. Mariæ eligitur Wintoniæ. Arnulfus abbas de Burh ad Rofenſem eccleſiam eligitur epiſcopus. Rex Anglorum Henricus, poſtquam exercitum in Waloniam duxit, ante feſtiuitatem ſancti Michaelis mare tranſiit. Fluuius Medeweage vocatus, per nonnulla milliaria. 6. Idus Octobris, ita à ſe defecit, vt in medio alueo ſui etiam paruiſſimę naues ob penuriã aquæ elabi aliquatenus minime poſſent, Thameſis nihilominus eidem illa die defectui patuit. Nam inter pontem & regiam Turrim, ſub ponte etiam, in tantum fluminis ipſius aqua diminuta eſt, vt non ſolum equis, ſed & innumera hominum & puerorum multitudo illud pedibus tranſuadaret, aqua vix genua eorum attingente. Durauit autem hic aquæ defectus à medio noctis præcedentis, vſque in profundas tenebras noctis ſubſequentis. Similem quoq; aquarum defectum ipſo die apud Gernemutham & in aliis locis per Angliam certo relatu contigiſſe didicimus. 1136

1115 9. Hoc anno hyems extitit aſperrima, ita vt omnes fere per Angliam põtes glacie frangerentur. Imperator Henricus, poſtquam Coloniam diu obſediſſet, & multos ſuorũ campeſtri prælio perdidiſſet, pacem apud ciuitatem miſſam iuramento fecit. Radulfus Dorobernenſis archiepiſcopus ab Anſelmo S. Romanæ eccleſiæ legato. 5. Cal. Iulii, die dominica, pallium ſuſcepit Cantuariæ: vbi fuere congregati epiſcopi totius regni. Ipſoque die magno cum honore conſecratus eſt Theulfus Wigornenſis eccleſiæ epiſcopus, Wilfridus epiſcopus de ſancto Dauid in Walonia obiit. Vſq; ad illum epiſcopi extitere Britonici. In octauis apoſtolorum magnum Concilium à Cono Romanę eccleſiæ cardinali Catalaunis celebratum eſt. In quo excommunicauit epiſcopos qui concilio non interfuere, quoſdam etiã degradauit, & plurimos abbates baculis priuatos depoſuit de ſedibus, eccleſiaſticum illis interdicens officium. Rex Anglorum Henricus mediante Iulio menſe Angliam rediit. Bernardus reginæ cancellarius ad eccleſiam ſancti Dauid in Walonia. 14. Cal. Octobris, Sabbato, pręſul eligitur, & eodem die ad gradum presbyteratus à Wentano pontifice Gulielmo apud Sutowercam promotus eſt. In craſtino præſente regina conſecratur epiſcopus apud Weſtmonaſterium à Radulfo archiepiſcopo. Reinelmus Herefordenſis epiſcopus circa feſtiuitatem Omnium ſanctorum obiit, pro quo Ganfridus regis capellanus eligitur. Radulfus Dorobernenſis archiepiſcopus, Arnulfum ad Rofenſem & Gaufridum ad Herefordenſem eccleſiam die S. Stephani epiſcopos ordinauit Cantuariæ. 1137

10. Grif-

1138 10. Griffinus filius Rhesi verno tempore in Walonia prædã egit, & castella incẽdit, 1116
quoniam rex Angliæ Henricus particulam de terra patris sui ei dari noluit. Conuentio optimatum & Baronum totius Angliæ apud Sealesbiriam .14. Calend. Aprilis facta est, qui præsentia regis Henrici homagium filio suo Gulielmo fecerunt, & fidelitatem ei iurare runt. Habita est ibi causa de querela, quæ inter archiepiscopum Cãtuariæ Radulfum & electum pontificẽ Eboracensem Thurstanum per integrũ annum versata fuerat. Hic electus, cum ab ipso pontifice moneretur, vt ecclesiæ Cantuariensi faceret quod debebat, & benedictionem suam ecclesiastico more susciperet, respondit: benedictionem quidem se libenter suscipere velle, sed professionem quam exigebat nulla ratione facturum. Rex autem Henricus, vbi aduertit Thurstanum in sua pertinacia stare, aperte protestatus est illum aut more antecessorum suorum (tam in professione facienda, quam & in aliis dignitati ecclesiæ Cantuariensis ex antiquo iure competentibus) executurum, aut episcopatu Eboracensi cum benedictione funditus carituru. His auditis, ille sui cordis consilio impræmeditatius credens, renuntiauit pontificatui, spondens regi & archiepiscopo sed dum viueret illum non reclamaturum, nec aliquam calumniam inde moturum, quicunq; subsecutus fuisset. Owinus rex Walanorum occiditur: & rex Anglorum Henricus mare transiit, comitante secum Thurstano Eboracensi archiepiscopo, sperante se reuestituram sui pontificatus recuperaturum, & ex regio iussu benedictionem ab archiepiscopo sine exactione professionis adepturũ. Circa mensem Augusti reuersus à Roma Anselmus, qui pallium archiepiscopo Cantuariæ Roma detulerat, venit Normanniam ad regem Henricum litteras apostolici deferens, quæ illi vices apostolicas administrare concedebant. Quod regno Angliæ breui innotuit. Vnde communi consilio reginæ & nobilium quorumlibet Angliæ Cantuariensis archiepiscopus Radulfus emensa festiuitate Natiuitatis sanctæ Mariæ mare transiit, regem adiit, illumq; Rotomagi consistentem repetit, & cum ipso de negotiis pro quibus venerat iuxta rerum ordinem diligenter agens, ad consilium eius Romani itineris viam ingreditur.

1139 11. Secundum regis Henrici præceptum apud Cirencestriam nouum opus est incep- 1117
tum. apud Lumbardiam magnam, terræmotu facto, & vt testati sunt qui nouere. 40. die- 1 Houeden an. Dom.
rum spatio durante, plurima domorum ædificia corruere. Et quod visu dictuque constat 2 1174 p. 479. lin. 14.
mirabile, villa quædam pergrandis mota est repente de statu proprio: iamque ab omnibus
longe remoto consistere cernitur loco. Mediolani dum patritiæ dignitatis viri, de republi- 3.
ca tractantes, sub vna residerent turri, auribus omnium vox foras insonuit, vnum ex illis
nomine vocans, & festinato exire rogans. Quo tardante, persona quædam coram appa-
ruit, quæ vocatum virum vt egrederetur prece obtinuit. Exeunte illo turris repente ce-
cidit, & omnes qui ibidem aderant casu mirabili oppressit. Robertus Con-
uentrensis episcopus obiit, & Gilebertus abbas
Westmonasterii.

Huc vsque author noster FLORENTIVS WIGORNIENSIS *obitus an.ˢ seqˢ. an.ˢ 1118. pag. seq.ª*

CON-

CONTINVATIO OPERIS PRÆCEDENTIS PER QVENDAM ERVDITVM EIVSdem cœnobii.

1118 12 SAcræ memoriæ Paschalis papa. 14. Cal. Febr. defungitur: & loco 1140
eius Iohannes quidam Gaitæ natus substitutus est, & mutato nomine Gelasius est nuncupatus. Hic in monasterio Montis Cassini ab infantia monachus & nutritus & adultus, in ministerio venerabilium apostolicorum, Desiderii, Vrbani & Paschalis assiduus fuerat, Cancellarii officio functus. Rex vero Teutonicus, qui & Romanus imperator, audito papam huic vitæ decessisse, Romam aduolat, & Bracarensem episcopum, iam anno præterito ab eodem papa Beneuenti excommunicatum, cedente ab vrbe Gelasio, papam instituit, & ex Mauricio Gregoriũ nominat. Matildis regina Anglorum apud Westmonasterium Cal. Maii obiit, & in ipso monasterio decenter sepulta est. Plures Normannorum, quam regi Henrico iurauerant, fidelitatem post posuerunt, & ad regem Franciæ Ludouicum principesq; eius, aduersarios scilicet naturalis domini sui, non veriti iustitiam, se transtulerunt. Præfatus papa Gelasius per mare Burgundiam venit, & aduentus eius mox Galliæ toti innotuit. Nonis Iulii obiit Dn. FLORENTIVS WIGORNIENSIS monachus. Huius subtili scientia & studiosi laboris industria, præeminet cunctis hæc chronicarum Chronica.

Corpus terra tegit spiritus astra petat,
Quo cernendo Deum cum sanctis regnet in æuum, Amen.

Ecclesia apud Momerfeld à Gosfrido Herefordensi episcopo dedicata, omnes qui ad dedicationem venerant, domum redibant. Verum post aeris serenitatem, quę prius extiterat maxima, repente cum tonitru orta est tempestas nimia, qua perculsi quidam in itinere, dum loco in quẽ deuenerant cedere non valerent, subsistebant. Erant numero quinque, tres viri & duæ fœminę, quarum vna ictu fulmineo percussa occubuit, altera vero ab vmbilico vsq; ad pedum vestigia misere percussa & ignita decidit, viris duntaxat vix vitæ restauratis. Quinq; etiam caballi illorum fulmine percussi interierunt.

1119 13 Gelasius papa obiit, & Cluniaci sepultus est. Cui successit Guido Viennensis epi- 1141
scopus, qui alio Calixtus nominatus est. Gosfridus Herefordensis episcopus. 3. Nonas Februarii obiit, & Herebertus Norwicensis. 11. Cal. Aug. Orto bello inter regem Anglorum Henricum & regẽ Francorũ Ludouicũ & Comitem Andegauens. & Comitẽ Flandrens. ipse rex Henricus inito opportunitatis cõcilio anticipauit pacẽ facere cum Comite Andegauensi, accepta filia eius in vxorem filio suo Gulielmo, quem iam hæredem totius regni sui instituerat. Comes idem Andegauensis Hierosolymam adiit. Post hæc Henricus consilio optimatũ suorum fecit pacem cum rege Francorum, in qua pace accepit Gulielmus filius eius Normanniam, à prædicto rege Francorum tenendam. Cum suis etiam optimatibus, qui iniuste & infideliter ab eo recesserant, & cũ Comite Flandrensi fecit rex pacem. Terræmotus in pluribus locis per Angliam factus est. 4. Cal. Octobris, die dominica, circa horam diei tertiam. Calixtus papa instituit generale Conciliũ Remis. 13. Cal. Nouemb. Ad quod concilium factus est multiplex archiepiscoporũ, episcoporum, abbatũ & principum diuersarum prouinciarum concursus, cum numerosa clericorum ac plebium multitudine. Episcopi vero Angliæ (qui tunc temporis in Normannia cum rege degebant) Gulielmus videlicet Exoniensis, Randulfus Dunholmensis, Bernardus Menuensis, & Vrbanus Glamordensis, & insuper episcopi & abbates Normanniæ, ab ipso rege Anglorũ Henrico ad ipsum concilium directi sunt. Radulfus archiepiscopus Cantuariæ præ infirmitate non potuit interesse. Turstanus electus Eboracensis archiepiscopus, à rege licentiam petens illuc eundi, tandem obtinuit, ea tamen interposita fide vt benedictionem episcopalẽ à papa (nulla ratione suadente) susciperet. Tali sponsione ligatus, iter arripuit, & ad papam venit. Et mox posthabita sponsione, Romanis in causam suam largitatis officio transtulit, & per eos vt à papa archiepiscopus consecraretur (sua manu cooperante) impetrauit. Consecratus est autem in pontificatũ Eboracẽsem, & cõsecrationi eius plures è Gallia episcopi ad iussum papæ interfuere. Episcopi vero Angliæ nondum ad Concilium venerant. Qui vbi quod factum est cognouere, regi renuntiauere. Commotus in furorem ille, Turstano

& suis

& suis interdixit in Angliam & Normanniam redire, in omnemque locum dominationis suæ.

1142 14. Radulfus archiepiscopus Cantuariæ. 2. Nonas Ianuarii, feria secunda Angliã reuertitur, & secundo Nonas Aprilis, dominica die, apud Westmonasterium consecrauit in pontificatum Bangornensis ecclesiæ quendam clericum venerandum, Dauid nomine, electũ à principe Griffino, clero & populo Waliæ. Cuius cõsecrationi interfuere, Ricard⁹ episc. Lundonię, Robertus Lincolniæ, Rogerus Saresberiæ, Vrbanus Glamorgatẽsis, Rex Anglorũ Henricus, omnib. prospere & ad velle peractis, à Normãnia in Angliã redit. Quẽ Gulielmus filius suus sequi gestiens, nauẽ ingreditur, copiosa nobiliũ, militum, puerorũ, ac fœminarũ multitudine comitatus. Hi portu maris euecti, miraq; aeris serenitate freti freto illapsi, in modico nauis qua vehebantur rupẽ incurrẽs euersa est: & omnes qui in ea residebãt, excepto rustico vno & ipso vt ferebatur nec nomine digno, qui mira Dei gratia viuus euasit, marinis fluctib. sunt absorpti. Quorum nobilissimi fuerũt hi, Gulielmus filius regis, Ricardus frater eius, Ricardus Comes Cestrensis, Ottuel frater eius, Gulielmus Bigod, Gosfridus Ridel, Walterus de Euerci, Gosfridus Herefordensis archidiaconus, filia regis Comitissa de Perceio, Neptis regis Comitissa de Cestria & alii quã plurimi, quos breuitatis causa prꝑterimus. Quæres & regis prospero nauigio Angliam venientis, & omnium qui audiebant mentes exterruit atq; turbauit, & de occultis iusti Dei iudiciis in admirationem concussit. 1120

1143 15. Rex Anglorum Henricus legalis coniugii olim nexu solutus, ne quid vlterius inhonestũ cõmitteret, consilio Radulfi Cantuariorũ pontificis & principũ regni, quos omnes in Epiphania domini sub vno Lundoniæ cõgregauit, decreuit sibi in vxorẽ Atheleidam filiam Godefridi Ducis Lotharingæ, puellã virginem, decore modesti vultus decenter insignitam. Directi sunt nuntii, & futuram regni dominam summo cum honore de transmarinis partibus ad curiam regis adduxerunt. Inter hæc electi sunt ad regimen ecclesiarum iamdudum viduatarum clerici duo, assumpti de capella regis, Ricardus scil. qui regis sigilli sub cancellario custos erat, & Robertus qui & ipse domino regi in curia panũ ac potus strenue ministrare solebat. Horum prior Herefordensi, sequens vero Couentrensi ecclesiæ prælatus est. Herbertus quoq; abbatiæ Westmonasterii monachus, ipsius loci abbas constituitur. Ricardus. 7. Idus Ian. feria. 6. electus. 17. Cal. Feb. Dominica, apud Lambhithã consecratus est in episcopum à Radulfo Cantuariæ archiepiscopo, cooperantibus sibi episcopis Ricardo Lundonienſi, Roberto Licolnienſi, Arnulfo Rofenſi, Vrbano Glamorgatenſi, Bernardo de sancto Dauid. Puella prædicta in regni dominam electa. 4. Cal. Feb. Sabbato, regi despõsatur à Gulielmo Wintoniẽsi episcopo, iubente Radulfo archiepiscopo Cantuariæ, & Crastino die 3. Cal. Febr. ab eodem archipræsule consecratur & coronatur. Post hęc, idem pontifex cum rege Abbandoniã veniens. 3. Idus Martii, die dominica, sacrauit supramemoratum Robertum ad episcopatũ Conuentrensis ecclesiæ astantibus & cooperantibus huic sacramento Gulielmo Wentano episcopo, Gulielmo Exonienſi, Vrbano & Bernardo episcopis Walensibus. Paucis diebus elapsis, electus est quidam de regis capella, Euerardus nomine, ad episcopatum Norwicensis ecclesiæ, & à Radulfo Cantuariensi pontifice. 2. Idus Iunii, sacratur Cantuariæ, conuenientibus pro hoc ipso Arnulfo Rofenſi, Ricardo Herefordenſi, & Roberto Conuentrẽsi episcopis. Calixtus papa viribus vndecunq; collectis, supra memoratum Mauritium (cognomento Burdinum) quem vocatum Gregorium in sede apostolica imperator cum suis fautoribus constituerat, cepit: eumq; suis omnibus spoliatum, monasterio (vt monachus esset) contumelioſe intrusit. Rex Anglorum Henricus super Walenses exercitum duxit, & acceptis obsidibus ab eis totam Waliam suæ ditioni subegit. Clericus quidam natione Hibernensis (nomine Gregorius) à rege Hibernię, clero & populo in episcopatum Dublinæ ciuitatis electus, Angliam venit antiquo pro more ordinandus ab archiepiscopo Cantuarienſi, Anglorum primate. Quem ex præcepto eiusdem archipræsulis. Rogerus Saresberiæ episcopus apud castellum suum quod vocatur Diuisio 8. Cal. Octob. Sabbato, ad diaconatus & ad presbyteratus promouit gradum. Ordinatus est autem episcopus. 6. Non. Octob. Dominica, apud Lambhithã à Radulfo Cantuariorũ pontifice. Eiusq; cõsecrationi interfuere episcopi, Ricardus Lundoniæ, Rogerus Saresberiæ, Robertus Lincolnię, Euerardus Norwicensis, & Dauid Bangornensis. Principalis ecclesia apud Theodekesbiriam ab episcopis Theulfo Wigornensi, Ricardo Herefordenſi, Vrbano Glamorgatenſi, & à præfato Gregorio Dublinenſi. 9. Calend. Nouembris, feria 2. consecrata est summo cum honore. 1122.

1144 16. Ciuitas Glaworna cum principali monasterio 7. Idus Martii, feria quarta, denuo conflagrauit incẽdio, anno regni regis Anglorũ Henrici. 22. Siquidem primo, quo regnare

cœpit

cœpit anno. 11. Cal. Iunii. feria. 5. combusta est primo. Dorobernensis archiepiscopus 25, Radulfus. 14. Cal. Nouembris, feria. 5. vita decessit Cantuariæ. Iohannes Bathoniensis episcopus. 4. Cal. Ianuarii obiit.

1123 17. Robertus. 18. Lincolnienſis episcopus, mense Ianuario, dum apud Wodestoke 1145
(equo sedēs) cum rege Henrico colloquium haberet, subito decidere cœpit & obmutuit, deportatus ad hospitium morte improuisa obiit. Ranulfus quoq; regis cancellarius miserabili obitu vita decessit. Vir eximiæ religionis Gulielmus, canonicus S. Osgithæ de Cice, ad archiepiscopatum Cantuariensem Glawornæ, vbi in Purificatione S. Mariæ tex tenuit curiam suam, eligitur: & à Gulielmo Wintonienſi episcopo (pluribus cooperantibus episcopis) 14. Cal. Martii, Cantuariæ consecratur episcopus. Quo annuente, datus est (ipso quadragesimali tempore) Lindicolinæ ciuitatis episcopatus, Alexandro Saresbiriensi archidiacono. Postea idem archiepiscopus Gulielmus, comitantibus secum Turstano Eboracensi archipontifice, Bernardo episcopo de sancto Dauid, Sigefrido Glastonienſi abbate, Anselmo quoq; abbate de S. Eadmundo, pro petendo pallio Romam iuit. Alexander rex Scotorum. 7. Cal. Maii, obiit. Rex Anglorum Henricus emensa festiuitate Pentecostes mare transiit. Archiepiscopus Cantuariæ Gulielmus susceptο pallio à papa Calixto, & Turstanus Eboracensis archipręsul cum sociis Romam redeuntes, ad regem in Normannia morantem venerunt. Et non multo post archiepiscopus Gulielmus Angliam redit, & Alexandrum Lincolienſi ecclesiæ. 11. Cal. Augusti, Cantuariæ consecrauit. Godefridum vero cancellarium reginæ. 7. Cal. Septembr. in ecclesia sancti Pauli consecrauit episcopum Bathonienſi ecclesię. Theulfus. 26. Wigornienſis ecclesiæ antistes. 12. Calend. Nouemb. Sabbato, apud Hamtunam villam suam obiit.

1124 18. Arnulfus 13. Rofenſis episcopus, mense Martio obiit. Comes de Mellento in he- 1146
bdomada dominicæ Passionis à militibus regis Henrici in Normannia captus, cum pluribus in arctam custodiam Rothomagi detruditur. Reuerendus prior Wigornienſis eccle, siæ, Nicholaus nomine. 8. Calend. Iulii, feria. 4. obiit.

Gaudeat in cælo qui, miserante Deo.

Gulielmus Cantuarienſis archiepiscopus (vt rex mandarat) mare transiit. Calixtus papa obiit, Cui Honorius Ostienſis episcopus succeſſit.

1125 19. Monetarii per Angliam cum falsa moneta capti, truncatis dextris manibus, & ab- 1147
scisis inferioribus partibus, regis ferale subeunt edictum. Mutatione postmodum monetæ, cara facta sunt omnia. Hinc prævalida fames oborta, plurimam mulitudinem hominū morte tenus affligit. Simon cancellarius reginæ & Sigefridus abbas Glastoniæ, in episcopos eliguntur Normannię. Simon quidem ad episcopatum Wigornienſem, Sigefridus ad Ciceſtrenſem. Paschali festiuitate emensa, Simon & Sigefridus electi episcopi, cum archiepiscopis Gulielmo & Turstano, & cardinali Romano (Iohanne vocabulo) Angliam venere: & Sigefridus apud Lambhitham. 2. Idus Aprilis, à Gulielmo archiepiscopo ordinatur antistes Ciceſtrēſ. ecclesię, eiusq; ordinationi interfuerūt, Romanus cardinalis, Turstanus Eboracensis archiepiscopus, Euerardus Norwicenſis, Ricardus Herefordēſis, Bernardus de sancto Dauid, Dauid Bangornenſis, Vrbanus Glamorgatenſis, & Iohannes Rofenſis electus episcopus. Simon electus præsul Wigornienſis. 8. Idus Maii, die Ascenſionis dominicæ, à clero & populo cum festiua processione susciputur Wigorniæ, &. 10. Cal. Iunii, à Gulielmo archiepiscopo Cantuariæ presbyter ordinatur Doroberniæ. Imperator Henricus obiit, & sepultus est Spiræ, vbi & auus eius.

ROMANORVM. 98. Leodegarius regnauit annis. 13. Simon electus Wigornienſis episcopus, comitante Godefrido Batonienſi episcopo, Cantuariam venit: & à Gulielmo Cantuarienſi archiepiscopo, Sabbato hebdomadæ Pentecostes, presbyter ordinatur, & crastino cū magno honore sanctæ matris Wigornienſis ecclesiæ præsul consecratur. Cum quo Ioānes Cātuarię archidiacon⁹, ad ecclesiā Rofenſem episc. ordinatur. Quorū cōsecrationi interfuere, Ricard⁹ Herefordēſ. Dauid Bangornēſ. Godefrid⁹ Bathonienſ. Sigefrid⁹ Ciceſtrenſis. Simon Wigorniā ad sui præsulatus sedē veniens, maxima populi confluente multitudine, cū honorifica ꝓcessione denuo susciputur, inthronizatur, laus summæ Trinitati in illo celebratur. Eodē die, id est. 9. Cal. Iunii, Dei seruus & in tota domo sua fidelis amicus, Benedictus nomine, anno præterito de priore electus abbas Theodekes biriēſi ecclesiæ, ibidē à puero nutritus in monachico habitu, & processu tēporis cōcessu Dn. Wulstani præsulis, à quo omnes ecclesiasticos ordines iamdudū susceperat, in pace & dilectione vnus de cœnobitis Wigorniēſibus effectus, ab eodē nouo præsule Simone nouus abbas consecratur Wigorniēſi ecclesiæ. Cuius cōsecrationi interfuere processionales susceptores eiusdem præsulis, Ricardus Herefordenſis, Godefridus Bathonienſis, Dauid Bangornenſis

nensis episcopi, & parochiani sui abbates Guido Perforensis, Gulielmus Glouecestrensis, Godefridus Wincelcumbensis, & pro abbate suo infirmitate depresso dominus prior Eoueshamnensis Dominicus, prior etiã Maluernensis Dn. Walcerus, illi inquam de quibus illud psalmographi potest pronunciari: emittit Deus fontes in conuallib. & totũ processionale agmen quod antistiti obuiam præcesserat. Celebratur Synodus Lundoniæ, in ecclesia beati Petri apostolorum principis apud Westmonasteriũ, mense Septemb. 9. die eiusdẽ mensis, id est, 5. Idus Sept. vbi post multarũ discussionem causarũ promulgata sunt hæc capitula, & ab omnib. cõfirmata, numero. 17. Præfuit autẽ huic Synodo Iohannes de Crema, sanctæ & apostolicæ ecclesiæ (de titulo S. Grisogoni) presbyter cardinalis, & domini papæ Honorii in Angliã Legatus, cum Gulielmo Cantuariensi & Turstano Eboracẽsi archiepiscopis, & cum episcopis diuersarum prouinciarum numero 20. & abbatibus circiter. 40. & cum innumera cleri & populi multitudine. Sunt autem hæc capitula.

Sanctorum patrum vestigiis inhærentes, quenquam in ecclesia per pecuniam ordinari auctoritate apostolica prohibemus. Interdicimus etiã vt pro chrismate, pro oleo, pro baptismate, pro pœnitẽtia, pro visitatione infirmorũ seu vnctione, pro communione corporis Christi, pro sepultura, nullum omnino pretium exigatur.

Statuimus præterea, & apostolica auctoritate decernimus, vt in consecrationibus episcoporum, vel abbatum benedictionibus, seu in dedicationibus ecclesiarum, nõ cappa, non tapetæ, non manutergia, nõ baccilia, & nihil omnino per violentiam, nisi sponte oblatum fuerit, penitus exigatur.

Nullus abbas, nullus prior, nullus omnino monachus vel clericus, ecclesiam, siue decimam, seu quælibet beneficia ecclesiastica, de dono laici, sine proprii episcopi auctoritate & assensu suscipiat. Quod si præsumptum fuerit: irrita erit donatio huiusmodi, & ipse canonicæ vltioni subiacebit.

Sancimus præterea, ne quis ecclesiam sibi siue prębendam paterna vendicet hæreditate, aut successorem sibi in aliquo ecclesiastico constituet beneficio. Quod si sumptum fuerit, nullas vires habere permittimus, dicentes cum Psalmista. *Deus meus pone illos vt rotam, & (sicut dixerunt) hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Adiicientes quoque statuimus, vt clerici qui ecclesias seu beneficia habent ecclesiarum, & ordinari quo liberius viuant subterfugiunt cum ab episcopis inuitati fuerint, si ad ordines promoueri contempserint, ecclesiis simul & beneficiis earum priuentur.

Nullus in diaconum, nullus in priorem nisi presbyter, nullus in archidiaconatum nisi diaconus promoueatur.

Nullus in presbyterum, nullus in diaconum, nisi ad certum titulum ordinetur. Qui vero absolute fuerit ordinatus sumpta careat dignitate.

Nullus abbas, nullus omnino clericus vel laicus, quenquam per ecclesiam in ecclesia ordinatum, absq; proprii episcopi iudicio præsumat eiicere. Qui autẽ secus facere præsumpserit, excommunicationi subiacebit.

Nullus episcoporum alterius præsumat parochianum ordinare aut iudicare, vnusquisq; enim suo domino stat aut cadit: nec tenetur aliquis sententia, non à suo iudice prolata. Nemo excommunicatum alterius præsumat in communionem suscipere. Quod si scienter fecerit, & ipse communione careat Christiana.

Præcipimus etiam nec vni personæ archidiaconatus vel diuersi ordinis tribuantur honores. Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, canonicis, vxorum concubinarum & omnino omnium fœminarum contubernia auctoritate apostolica inhibemus, præter matrem, sororem, amitam, siue illas mulieres, quæ omni careant suspicione. Qui huius decreti violator extiterit, confessus vel conuictus, ruinam proprii ordinis patiatur.

Vsura & turpe lucrum clericis omnimodis prohibemus. Qui vero super crimine tali confessus, fuerit conuictus, à gradu proprio deiiciatur.

Sortilegos, ariolos, & anguria quæq; sectantes eisq; consentientes excõmunicari præcipimus, perpetuaq; notamus infamia.

Inter consanguineos seu affinitate coniunctos vsq; ad generationẽ matrimonia contrahi prohibemus, si qui vero taliter coniuncti fuerint, separentur.

Interdicimus etiam vt viri proprias vxores de consanguinitate impetentes, & testes quos adducunt non suscipiantur, sed prisca patrum seruetur auctoritas. *Placet vobis? Placet; Placet vobis? Placet; Placet vobis? Placet.*

Idem cardinalis relicta Anglia Normanniã vadit, ac demũ reuertitur Romã. Gulielmus quoq; archiepiscopus, cõsiderans ecclesiã regni Anglorũ in ecclesię Cantuariensis humiliatione graui scandalo cõsternatã, transit ipse mare, Romam iturus, rebus quæ non æque

ꝓcesserãt,ne pari exorbitatione ampliꝰ procederẽt,opẽ pro posse laturus. Venit ergo Romã,& ab Honorio summo pontifice,qui Calixto successerat,honorifice susceptꝰ est. Cui idem apostolicꝰ vices suas in Anglia & Scotia cõmisit,& apostolicę sedis Legatũ cõstituit.

1126 1. Rex Anglorũ Henricus Angliam reuersus, in Natiuitate domini curiã suam in castro quod Windlesora vocatur diuiti apparatu celebrauit: & illuc totius regni nobilitatẽ sua sanctione adunauit. Vbi cũ Eboracẽsis archiepiscopus in æqualitate archiepiscopi Cãtuarensis regẽ vellet coronare, exemplo antecessorũ suorum iudicio omniũ repulsus est, & ad eum coronã regni nihil pertinere vna omniũ sententia cõcorditer promulgauit. Lator insuper crucis,quã in regis capella corã se fecit deferri, extra capellam cum cruce ejectus est. Iudicio enim episcoporũ & quorumq; prudentiũ ecclesiasticas leges scientiũ probatum est ac roboratũ, nulli metropolitæ extra diœcesim suam crucẽ licere ferre ante se. Finitis diebus festiuioribus, rex ac tota quæ cõfluxerat dignitas regni Lundoniam vadit, ibiq; ad iussum regis Gulielmus archiepiscopus & ecclesiæ Romanæ Legatus, cæterique Anglicæ regionis episcopi omnes, cum principibus terræ ipsius, fide & sacramento spoponderunt filiæ regis,se totum regnũ Anglorum illi cõtra omnes defensuros si patrẽ suum superuiueret,nisi de legali coniugio filiũ (qui sibi succederet) adhuc ante obitũ suum procrearet. Ipsa siquidẽ defuncto imperatore Henrico qui eam per plures annos in matrimonio tenuerat,absq; liberis ad patrẽ suum reuersa,circa illũ excellenti (sicut decebat) honore fulciebatur. Rex igitur,Gulielmo filio suo (sicut olim descripsimus) ex hac vita subtracto, alium qui regni hæres legitime existeret nec dum susceperat, & ea re in filiam suã (sororẽ scil. Gulielmi) conditione qua diximus, regni iura transferebat. Ipse etiã rex consilio Baronum suorũ concessit Cantuariensi ecclesię, & Gulielmo archiepiscopo, & omnibus successoribus eius, custodiam & constabulationẽ castelli Rosi semper in posterũ possidẽdã,& in eodẽ castello munitionẽ vel turrim (quã voluerint) sibi faciant, & in perpetuum habeant & custodiant. Et milites qui custodiæ eiusdem castelli deputati fuerint, intrent & exeant per vices suas, sicut intrare & exire debuerint. Et de eodem castello ei securitatem faciant. Hugo abbas S. Augustini. Dominica die Passionis domini,obiit Robertus cognomento peccatum,Couentrensis episcopus vita decessit,& Couentriæ quiescit. 1148

1127 2. Gulielmus Dorobernensis archiepiscopus congregauit generale Concilium, omnium episcoporum & abbatum, & quarumq; religiosarum personarum totius Angliæ, apud Monasteriũ S. Petri in occidentali parte Lundoniæ sitũ. Cui concilio præsedit ipse sicut archiepiscopus Cantuariæ & Legatus apostolicæ sedis, considentibus secũ, Gulielmo Wintonensi episcopo,Rogero Saresbirensi,Gulielmo Excestrensi, Alexandro Lincolnensi,Herueo Elyensi,Euerardo Norwicensi,Sigefrido Cicestrensi,Ricardo Herefordensi,Godfrido Bathonensi,Iohanne Rosensi, Bernardo de S. Dauid, Vrbano Glamorgatensi siue Landauensi, Dauid Bangornensi. Ricardus Lundoniensis & Robertus Couentrensis iam obierant, nec aliquis in sedẽ illorum eo vsq; successerat. Turstanus autem Eboracensis archiepiscopus directis nuntiis ac literis, rationabili causa ostendit se conuentui ipsi interesse non potuisse. Randulfus vero Dunholmensis episcopus eo tendens, infirmitate correptus est, nec iter cœptum perficere potuit, sicut Prior ecclesiæ & clerici (quos illuc direxerat) sub testimonio veritatis attestati sunt. Wigornensis autem episcopus Simon ad parentes suos trans mare iuerat,& nondum reuersus erat. Confluxerant quoq; illuc magnæ multitudines clericorũ, laicorũ tam diuitũ quam mediocriũ,& factus est cõuentus grandis & inæstimabilis. Sedit autẽ. 3. diebus,id est tertio Idus Maii,& die sequenti,tertioq; post hoc, qui fuit 17. Cal. Iunii. Acta sunt ibi de negotiis secularibus nonnulla, quædã quidem determinata,quædã dilata, quædã vero (propter nimiũ æstuãtis turbæ tumultũ) ab audientia iudicantiũ profligata. Quæ autem communi episcoporũ consensu in ipso Concilio decreta sunt & statuta,sicut illic publice recitata sunt & suscepta,in hoc opere placuit annotare. Sunt igitur hæc. Ecclesias & ecclesiastica beneficia,seu quoslibet ecclesiasticos honores vendi vel emi, auctoritate beati Petri apostolorũ principis & nostra, omnino prohibemus. Qui vero hoc præceptũ violasse cõuictus fuerit,clericus quidẽ(etiãsi canonicus regularis sit vel monachus) ab ordine deponatur, laicus vero exlex & excõmunicatus habeatur,& eiusdẽ ecclesię vel beneficii potestate priuetur. Ordinari quenquã per pecuniã in ecclesia Dei vel promoueri, auctoritate sedis apostolicæ modis omnib. interdicimus. Exactiones certas pecuniarũ pro recipiendis monachis, canonicis, & sanctimonialibus, condemnamus. Nullus in decanũ nisi presbyter, nullus in archidiaconatum nisi diaconus constituatur. Quod si quis ad hos honores infra prædictos ordines iam designatus est,moneatur ab episcopo ad ordines accedere. Quod si iuxta monitionẽ episcopi ordinari refugerit, eadẽ, ad quã designatus fuerat, careat dignitate. Presbyteris diaconib. 1149

sub-

subdiaconibus, & omnibus canonicis, contubernia mulierũ illicitarum penitus interdicimus. Quod si concubinis (quod absit) vel coniugibus adhęserint, ecclesiastico priuentur ordine, honore, simul & beneficio. Presbyteros vero parochiales (si qui tales fuerint) extra chorũ eiicimus, & infames esse decernimus. Archidiaconis vero & ministris (quibus hoc incumbit) auctoritate Dei & nostra præcipimus, vt omni studio & solicitudine procurent ab ecclesia Dei hanc pernicię omnino eradicare. Quod si qui in hoc negligentes, vel (quod absit) cõsentientes inuenti fuerint, primo & secundo ab episcopis digne corrigantur, tertio vero canonice seuerius corripiãtur. Concubinæ vero presbyterorũ & canonicorum, nisi ibi legitime nupserint, extra parochiã expellãtur. Quod si postea culpabiles inuentæ fuerint, in cuiuscunq; territorio sint, à ministris ecclesiæ capiantur, & sub excõmunicatione pręcipimus ne ab aliqua potestate minore vel maiore detineantur, sed libere eisdẽ ministris ecclesiæ tradantur, & ecclesiasticæ disciplinæ vel seruituti (episcopali iudicio) mancipentur. Vt nullus archidiaconus in diuersis episcopatibus diuersos archidiaconatus teneat sub anathemate prohibemus: immo ei cui prius assignatus erat tantũ adhęreat. Episcopi, presbyteros, abbates, monachos, priores subiectos, firmã tenere inhibeãt. Decimas sicut Dei summi dominicas, ex integro reddi præcipimus. Vt nulla persona ecclesias vel decimas, seu quęlibet alia ecclesiastica beneficia, det vel accipiat, sine cõsensu & auctoritate episcopali, canonica auctoritate vetam⁹. Nulla abbatissa vel sanctimonialis cartioribus vtatur indumẽtis, q̃. agninis vel cattinis. Rex igitur cũ inter hęc Lũdonię moraretur, auditis Concilii gestis consensum præbuit, auctoritate regia & potestate concessit, & cõfirmauit statuta Cõcilii, à Gulielmo Cãtuarien si archiepiscopo, & S. Romanæ ecclesiæ Legato apud Westmonasterium celebrati. Hugo quidã nomine, de episcopatu Rofensi, abbas institutus, à Gulielmo Dorobernię archiepiscopo in Ciceſtra, Dominico qui fuit. 2. Idus Iun. ad susceptę dignitatis gradũ, quę est apud S. Augustinũ, merito honore promotus est. Ricardus Herefordensis episcopus. 18. Cal. Septembris. feria. 2. apud suam villam quæ vocatur Ledberia obiit. Cuius corpus Herefordiam delatum, cum coepiscopis in ecclesia sepelitur. Rex Anglorum Henricus mare transiit.

1150 3. Turstanus Eboracensis archiepisc. Robertũ, quẽ Alexander rex Scotiæ, ecclesiæ S. Andreæ intruserat, petẽte Dauid fatre ac successore Alexandri, in episcopũ Eboraci consecrauit. In quo officio Randulfum Dunholmẽsem episcopũ, & quendã Radulfum ad Orcades Insulas iam olim episcopũ ordinatũ, sibi adiutores asciuerat. Qui Radulfus quoniã nec principis terræ, nec cleri, nec plebis, electione vel assensu fuerat ordinatus, ab omnib. refutatus & in loco põtificis à nemine susceptus erat. Hic quia nullius episcopus vrbis erat, modo Eboracensi modo Dunholmensi adhęrens, ab eis sustentabatur, & vicarius vtriusq; in episcopalibus ministeriis habebatur. Ab his itaq; Robertus cõsecratus, nullã (vt dicitur) professionẽ de quauis subiectione vel obediẽtia ecclesiæ Eboracensi aut eius pontifici facere permissus à Scotis est, licet Eboracensis canonicus fuerit. Quidam ecclesiæ Lugdunensis canonicus, vir probus & grandæuus, electus est ad põtificatum ecclesię Lundoniẽsis. Defunctus siquidẽ Ricardus fuerat eiusdẽ ciuitatis antistes. Et iste Gilebertus nomine, cognomine vero vniuersalis, loco illius à rege Henrico & Gulielmo archiepiscopo, annuente clero & populo, substitutus erat. Sacratus autẽ est Cantuariæ ab ipso archiepiscopo in matre ecclesia. 11. Cal. Febr. cooperantibus & ministrantibus sibi in hoc officio, Sigefrido episcopo Ciceſtrensi, & Ioanne Rofensi, sub pręsentia abbatum & aliarũ magnatum & honestarũ, pro hoc ipso Cantuariæ conuenientium, susceptа prius ab eo professione, ex more antecessorũ suorum, qua se illi & omnibus successoribus eius canonicã subiectionẽ & obedientiã per omnia exhibiturũ fore promisit. Vrbanus Glamorgatensis seu Landauensis episcopus, quia de quarundã causarũ querelis, quas anno præterito in generali Concilio super Bernardũ episcopum de S. Dauid promouerat, non iuste erga se agi persenserat, emensa festiuitate Purificationis S. Mariæ mare transiit, Romã iuit, apostolico papæ causam itineris certa attestatione suorũ intimauit. Cuius idẽ apostolicus votis ac dictis fauit, & regi Anglorũ Henrico & Gulielmo archiepiscopo & omnibus Angliæ episcopis literas direxit, omnibus apostolica mandans auctoritate, vt iustæ exactioni illius nemo obstaret in aliquo. Godefridus abbas Scrobbesbirien sis obiit. Vir religionis eximiæ Cantuariæ prior Gosfridus nomine, rege Scotorum Dauid petente, & archiepiscopo Gulielmo annuente, abbas eligitur ad locũ in Scotia, qui Dunfermelin dicitur. Ordinatus est autẽ à Roberto episcopo ecclesiæ S. Andreæ. Vrbanus Landauensis episcopus prospero reditu Angliã reuertitur, regio iussu pręcepta apostolica complentur, sicq; nunc ille quæ sitis ex Dei gratia potitur. De collegio fratrum Scrobbesbiriæ Deo seruientiũ vnus electus, Herbertus nomine, à Gulielmo Dorobernen si archiepiscopo apud Lewes abbas consecratur & ecclesię

1128

Serobesbirienſi abbatis iure præficitur. Hugo Certeſienſis abbas obiit. Comes Flandrenſium Gulielmus nomine, Miſer cognomine, ab hoſtibus circumuentus vulneratur, & ingraueſcente dolore, morte cunctis dolenda 6. Cal, Auguſt. defungitur, & apud S. Bertinũ ſepelitur. Dunholmenſis epiſcopus Randulfus Non. Septemb. obiit. Et Gaufridus Rothomagenſis archiepiſcopus vita deceſſit. 4. Cal. Decemb.

1129 4. Gulielmus Wintonienſis epiſcopus defunctus. 8. Cal. Februarii, Wintoniæ ſepelitur. Menſe Iulio rex Anglorum Henricus de Normannia Angliam rediit. Henricus Glaſtonienſis abbas, nepos regis Henrici, ad epiſcopatũ Wintonienſis eccleſiæ menſe Octob. electus, Wintoniæ à Gulielmo Cantuarienſi archipræſule. 15. Cal. Decembr. die dominico, conſecratur epiſcopus. Rogerus nepos Gosfridi de Clintuna, Bukingahamnenſis archidiaconus, ad præſulatum Ceſtrenſem electus. 12. Cal. Ian. Sabbato, presbyter ordinatus, & die ſequenti à Gulielmo Dorobernenſi archipręſule conſecratur epiſcopus Cantuariæ. Honorius papa obiit. 1151

1130 5. Idem Rogerus à Simone Wigornenſi epiſcopo apud Couentreiam præſulari ſede inthronizatur. 5. Idus Ian. die dominico. Eximiæ vir religionis Gloceſtriæ cœnobita, Reignaldus nomine abbas eſt electꝰ, & ab eodẽ præſule, 6. Cal. Febr. die lunæ, cõſecratur Wigorniæ, & ſic Eoueshamnẽſi eccleſiæ abbatis iure præficitur. Hugo venerandus abbas Radingenſis eccleſiæ, ad Rothomagenſem præſulatũ eligitur. Eccleſia Chriſti Cantuariæ. 4. Non. Maii, die dominica, à Dn. Gulielmo eiuſdẽ ciuitatis archiepiſcopo dedicata eſt cum magno honore. Cuius conſecrationi interfuere præſules hi, Ioannes Roſenſis, Gilebertus Lundonienſis, Henricus Wintonienſis, Alexander Lincolnienſis, Rogerus Saresbirienſis, Simon Wigornenſis, Rogerus Couentrenſis, Godefridus Bathonienſis, Euerardus Norwicenſis, Sigefridus Ciceſtrenſis, Bernardus de Sancto Dauid, Andoenus Ebroicenſis, Iohannes Sagienſis. Quarto poſt hoc die, id eſt, Nonis Maii, præſente rege Henrico ciuitas Roſenſis magno incendio conflagrauit. Die tamen ſequenti, quæ tunc fuit dominica Aſcenſionis, noua eccleſia Sancto Andreæ conſecratur à Gulielmo archipræſule, ſuffraganeis ſibi in hoc miniſterio quibuſdam de præfatis antiſtitibus. Religioſus prior de Lewes Anſgerus, Radingenſis eccleſiæ abbas eligitur Wintoniæ. Prior Wintonienſis eccleſiæ Ingulfus nomine, apud Wudeſtoke abbas electus Abbendunenſi eccleſiæ, à Rogero Saresberienſi præſule 6. Idus Iunii, die dominica, conſecratur Saresbiriæ, Gulielmus Glaornenſis abbas, præ ſenectute paſtorali cura ſponte dimiſſa, eiuſdẽ eccleſię, religioſum cœnobitam Walterum nomine cum conſenſu fratrũ pro ſe abbatẽ eligit. Qui à Simone Wigorniæ præſule. 3. Nonas Auguſti die dominica, conſecratur Wigorniæ. Eo- 1153

1131 dem anno rex Anglorum Henricus mare tranſiit.

6. Et anno ſequenti menſe Iunio Angliam rediit Robertus prior reuerendus Lantonienſis eccleſiæ, ad Herefordenſem præſulatum electus, à Gulielmo Doroberniæ archiepiſcopo. 3. Cal. Iulii epiſcopus conſecratur Oxenefordiæ. Serlo quoq; Saresbirienſis canonicus à Simone Wigornienſi pontifice apud Bloccesleam epiſcopalem villam ſuam abbas conſecratur, & Cirenceſtrenſi eccleſiæ abbatis iure præficitur. Venerandi abbates Reignaldus Rameſienſis. 13. Cal. Iunii, & Gulielmus Glaornenſis, Herueus prius Bancornen- 1154

1132 ſis poſtmodum Elienſis primus epiſcopus. 3. Cal. Septembr. obierunt.

7. Stella cometis. 8. Idus Octobris fere per. 7. dies apparuit. Maxima pars Lundoniæ ciuitatis in hebdomada Pentecoſtes igne combuſta eſt. Anno. 33. ex quo rex Anglorum Henricus regnare cœpit, feria 4. die etiam ipſo ſecundum anni reuolutionẽ quo frater & præceſſor illius Henrici, Gulielmus ſcil. Rufus, rex interfectus eſt & ipſe Henricus primo regni ſui anno ſuſcepit gubernacula. 4. Nonas Auguſti, tale conſtat cõtigiſſe ſpectaculum. Cum igitur rex prędictus Henricus circa maris littus transfretandi cauſa moraretur, vento perſæpe ad transfretandũ exiſtente ſecundo, tandẽ die præfato circa meridiẽ, cum ad mare tranſiturus perrexiſſet, ſuorũ (vt mos eſt regibus) conſtipatus militũ turmis, ſubito in aere nubes apparuit, quæ tamẽ eiuſdẽ quantitatis per vniuerſam Angliã non comparuit. In quibuſdã. n. locis quaſi dies obſcurus videbatur, in quibuſdã vero tantæ obſcuritatis erat, vt lumine candelæ ad quodlibet agendũ ipſa protecti homines indigerẽt. Vnde rex latuſq; regiũ ambientes & alii cõplures mirantes, & in cœlũ oculos leuãtes, ſolẽ ad inſtar nouę lunę lucere cõſpexerũt, qui tamẽ nõ diu ſe vno modo habebat. Nã aliquãdo latior, aliquãdo ſubtilior, quãdoq; incuruior, quandoq; erectior, nunc ſolito modo firmus, modo mouens, & ad modũ viui argenti motus & liquidus videbatur. Aſſerunt quidã eclipſim ſolis factam fuiſſe. Quod ſi verũ eſt, tunc ſol erat in Capite Draconis, & luna in Cauda, vel ſol in Cauda & luna in Capite, in. 5. ſigno, id eſt Leone, in 17. gradu ipſius ſigni. Erat autem tunc luna 27. Eodẽ etiã die & eadẽ hora, ſtellæ plurimæ apparuere. Necnon die eodem, cum naues

ad prę-

ad prędicti regis transitum paratæ, in littore anchoris firmarentur, mari pacatissimo, ventoque permodico existente, cuiusdam nauis magnæ anchoræ à terra quasi via aliqua subito auulsæ sunt, nauisq; commota multis manentibus, eamq; tenere nitentibus nec valentibus, sibi proximam nauem commouit, & sic. 8. naues vi ignota commotę sunt, vt nulla illarum illæsa remansisset. Multi etiam dixerunt, se eodem die & circa eandem horam vidisse in Eboracensi prouincia ecclesias quamplures quasi sudore perualido madefactas. Hæc omnia. 4. Nonas Augusti. 4. etiam feria (vt dictum est) contigerunt. Sexta autē feria eiusdē septimanæ, scilicet. 2. Nonas eiusdem mensis, summo mane in pluribus Angliæ partibus terræmotus factus est magnus. Fuerunt etiam qui dicerent, se in subsequenti hebdomada, feria. 2. sexto videlicet Idus mensis eiusdem, cum luna foret. 3. ipsam vidisse primam, qualis in tali ætate esse solet, paruoq; interuallo vespere eiusdem se ipsam vidisse magnam, ad modum scuti rotundi valdeq; rutilantis. Dicebant quoq; plures, se ipsa nocte vidisse duas lunas, inter se quasi longitudine hastæ vnius distantes.

1155 8. Rex autem Henricus mare transiens, reliquit Angliam, petit Normanniam, non 1133
vlterius vita comite rediturus, vel visurus Angliam. Mense Nouemb. ciuitas Wigornia (vt
crebro solet) incendio conflagrauit.

1156 9. Robertus frater regis Henrici, quondam Comes Normanniæ, sed postmodum ab 1134
illo in bello captus, & diu in custodia per Angliam positus, apud Cairdif in Walia defunctus, Glauornæ magno cum honore humatur. Godefridus Bathoniēsis episcopus. 17. Cal.
Sept. obiit. Cui processu temporis successit quidā monachus, Robertus nomine, Flandrēsis genere, sed est natus in partib. Normanniæ, ex monacho fit episcopus. Sic enim disposuit Wintonienſis præsul Henricus: non tunc, sed tunc Romæ ecclesiæ Legatus.

1157 10. Rex Anglorum Henricus, annis. 35. & quatuor mensibus exactis, ex quo regnare 1135
cœpit. 4. Nonas Decemb. anno ætatis suæ. 69. obiit Normanniæ. Cui Stephanus, sororis
suæ filius, electus in regem Angliæ, à Gulielmo archipræsule Doroberniæ. 13. Cal. Ian. die
dominica, rex consecratur Lundoniæ. Vbi in dominica Natiuitatis clementi gratia, & in
regia prærogatiua, cum totius Angliæ primoribus curiam suam tenuit. Qua sacrosancta
emensa festiuitate, regis Henrici nuper defuncti corpori de Normannia Angliam delato,
non modica stipatus nobilium caterua rex obuiat, & ob amorem auunculi regias scapulas
feretro supponens, cum Baronibus, suis Nonis Ianuarii, corpus Radingum deportari fecit.
In missarum celebrationibus, & oblationibus diuersis ac pretiosis, in eleemosynis pauperū
numerosæ multitudini expensis, exequiis rite celebratis, mēbrisq; feretro expositis, tumulo ex more cōposito, in beatissimæ ac gloriosissimę virginis Marię principali ecclesia, quā
ipse rex Hēricus pro remedio animæ suæ terris, syluis, pascuis, pratis, ac variis ditarat ornamentis, ante altare, magna honorificentia, regia reconditur gleba.

Rex hic Henricus terrenis rebus optimus,
Ereptis pœnis, cœli potiatur amœnis.

Quo sepulto, & Stephano regnante, necnon multo ante, vbiq; locorum per Angliam & Normāniam dirupto pacis fœdere plurima fit deturbatio. Quilibet in alterum caput eleuat. Quæ oritur discordia, in vastando omnium nobilium & ignobilium, alta ac diuersa subintrat mœnia. Quisq; alium rebus spoliat. Potens impotentem vi opprimit. Quæstum super hoc agentem minis territat. Neci traditur, qui resistit. Opulenti regni optimates, diuitiis affluentes, minime procurant quam impie tractentur miseri. Sibi suisq; duntaxat cōsulunt. Vitæ necessariis castella & oppida muniunt, manu militari instruunt, timent regni mutationem, non animo supernam perpēdentes dispositionem. Inuestigabiles enim sunt viæ eius. Dum autem ob regium terrorem, rugitui leonis comparandum, omnia deberent paci cedere, iam in pluribus locis & maxime in Walia depopulatio & deprędatio minime cessat. Hinc coniicere quis poterit, quod mediocri prudentia imbecilliq; fortitudine, & magis iniustitia quam iustitia (à quibus regi debet) regitur Anglia. In regnante auaritia & in cuiuslibet honoris ambitione pessima, vix aliqua intercurrit quæ est mater virtutum temperantia. Rex Anglorum equestri milite & pedestri exercitu armato Domnaniā penetrat, longi temporis spatio Exanceſtrēse castellum obsessurus, quod Balduinus, de Redners cognomine, contra regiam maiestatem munierat. At demum his qui intus erant victæ necessariis deficientibus, dextrisq; datis & acceptis, ipse Balduinus cū vxore & filiis exhæredatur, & Anglia expellitur. Obierunt venerabilis Radingensis ecclesiæ abbas Ansgerus, sexto Cal. Febr. Godefridus Bathonienſis episcopus. 17. Cal. Septembris.

1158 11. Defuncto rege Henrico, 4. Nonarū Dec. fit statim in Cal. Ian. graue præliū apud 1136
Guher, inter Normannos & Walenses, vbi quingenti & sedecim ex his & ex illis corruerunt. Corpora vero eorū à lupis horribiliter per agros discerpta & deuorata sunt. Facta est

exinde magna nimis Walēsium irruptio, ecclesiarum, villarū, segetum, animaliū grauissima per eosdem Walenses longe lateq; destructio, castellorum seu aliarum munitionum exustio, hominum innumerabiliū (diuitum & pauperum) occisio dispersio & in exteras terras venditio. Inter quos nobilis atq; amabilis Ricardus Gisleberti filius, eorundem Walensium præuentos insidiis, 17. Cal Maii perimitur, corpusq; eius Glaornam delatū, in Capitulo fratrum honorifice sepelitur. Subsecutum est hoc anno bellum aliud grauissimum apud Caradigan, mense Octobri, hebdomada secunda, in quo tanta hominum strages facta est, vt exceptis viris in captiuitatem abductis, de mulieribus captiuatis decies centum decimæ remanerent, maritis earum cum paruulis innumeris, partim aqua demersis partim flamma consumtis, partim gladio trucidatis. Eratque ibi magnam videre miseriā, cum fracto ponte super fluuium Teuwi, fieret huc illucq; discurrantib. pons humanorum corporum siue equorum inibi dimersorum horrenda congeries. Dorobernēsis archiepiscopus Gulielmus decimoquinto Patriarchatus sui anno, 12. Cal. Decembrium die, apud villam suam defunctus, Cantuariæ sepelitur. Viri religionis eximiæ & magnæ prudentię, abbates de Persora Guido, Nonis Augusti: de Wincelcumba Godefridus, de Teodekesbiria Benedictus abbas, Idibus Martii, huic vitæ modum fecerunt.

Exemptis mundo, det Summus viuere summo.

1137 12. Rex Anglorum Stephanus, mense Martio, ante Pascha, mare transiens, in transmarinis partibus moratur. Rex Waliæ Griffinus, Rhesi regis filius, dolo coniugis suæ defungitur. Walenses in defensione suę natiuæ terræ, non solum à Normannis diuitibus, sed etiam à Flandrēsibus (iussu quondam regis Henrici terram Walię incolentibus) multa perpessi, pluribus vtrinq; peremptis, deuictis tamen in calce Flandrēsibus, non cessant in circuitu omnia deuastare, villas ac castella vastando comburere, omnes resistentes sibi (simul cum innocentibus & nocentib.) neci tradere. Inter quos vnus miles (Paganus nomine) vir vt fertur strenuitatis magnæ, dum prædantes Walenses insequendo capere vellet & occidere, capite perforatus lancea occubuit: Glaornam delatus, in capitulo fratrum sepelitur. Feria 6. in hebdomada Pentecostes Eboraca ciuitas cum principali monasterio conflagrauit incendio. Non multo post Rofensis ciuitas igne crematur. Feria. 5. quarto Cal. Augusti, Bathonienſis ecclesia cū tota ciuitate, & eodē mense Augusti ciuitas Leogera igne combustæ sunt. Vt quorundam veredico relatu agnouimus, apud Windlesoram vno dierum stante populo ad celebrationem missæ, lux quædam insulserat in interioribus ecclesiæ. Quo attoniti quidam foras exierunt, & eleuatis sursum oculis aspiciunt stellam insolitam cœlo radiantem. Reuersi animaduertunt, de radiis stellæ lucem quæ visa est descendisse. Miraculo successit miraculum. Quæ super altare stabat vident crucem se mouentem, & nunc dextra sinistram, nunc sinistra dextram more plangentium cōstringentem. Hoc factum est tertio. Crucem dehinc totam tremere, defluenti sudore totam etiam sudare, fere medio horę spatio, postmodum vero in priorem statum reuersam. Apud Suthwellam archiepiscopalem villam, dum in sepulturam cuiusdā pararetur fossa, quorundam reliquiæ sanctorum & vitrea ampulla, cum limpidissima aqua, lateribus surrectis, velut à fractura tuentibus eam, reperta est. Qua infirmis data, & gustata, sanitati pristinæ restituuntur. Vt aure percepi præcedens miraculum: Wintonienſis episcopus Henricus subsequens narrauit. Eboracensis archipræsul Turstanus, qui cum Saresbirienſi episcopo Rogero, & quibusdam aliis episcopis & regni primoribus, Concilium tenuerant apud Northamtoniam, in plurimorum audientiam. Rex Francorum Ludouicus mense Maio, obiit. Cui Philippus filius eius successit.

Fluctuabat adhuc iam annis. 7. Romana sedes propter papatum duorum, Gregorii scilicet qui & Innocentius, & Petri qui & Leo. Quorum causa, inter Lotharium Romanorum imperatorē & Rogerum Apulię Ducem, exortum fuit bellum. Diuitiis pleni ambo hi. Vnus religione & dignitate superior vel excellentior: alter in confusionem sui auro præstantior. Imperialis tamen sublimitas (vt dignum & iustum est) omni regiæ dignitati præstat in omnibus. Ambo Romæ prædictos constituerunt episcopos episcoporum. Lotharius Gregorium canonice electum. Rogerus Petro Leoni Romanæ vrbis concessit papatum. Verum hac inter eos dissensione cardinalium auctoritati & præfectorię dignitati displicente, amore pecuniæ nunc Gregorium in Petri expulsione, nunc Petrū Gregorii exclusione in apostolicam sedem recipiunt. Constitutus deniq; à Lothario Gregorius apostolicam regit sedem. Electus à Rogero velut alter papa Lateranis sedit, antiqui Petri Leonis soboles Petrus Leo: quo vtroſq; si stimulat dignitatis ambitio, neuter placens Deo. Quę cum fiunt in mundo, Dei seruantur iudicio, cuius iudicia abyssus multa. Causa tantæ dissensionis in capite omnium per orbem ecclesiarum, Romæ quāplurimis annis habitæ cōmuni

muni principium consilio statuitur dies, quo inter Romanos & Apulienses duellum fiat, & Deus omnipotens iudex omnium, cui disposuerit victoriam tribuat. Congregato exercitu fere innumerabili, Lotharius Imperator (licet infirmitate positus) castrametatus est in Apulia. Rogerus multorũ millium peditũ & equitũ multitudine constipatus occurrit. Pugnatum est vtrinq; Deo autem sic disponente, Imperator cum suis vincẽs triumphat, Rogerus cum suis victus fugã iniit. Cuius regia corona, quam sibi fecerat vt rex coronaretur, auro præfulgida insidiose tamen reperta, in donum acceptabile imperatoriæ traditur excellentię. Qui repatrians, non multo post regnum cum vita amisit. Mense Decembri rex Anglorum Stephanus Angliam rediit, & in Natiuitate Domini apud Dunstapulã villam in Bedefordensi prouincia sitam curiam suam tenuit

1160 1. ROMANORVM. 99. Conradus, Dux Bauariorum, nepos Henrici superioris, qui habuit in imperatricem filiam regis Anglorum Henrici, regnauit annis. 12. Olim temporis gens quædam ab aquilonali parte veniens, Turingiam terram incolendam penetrauit. Cuius terræ incolæ, vt ipsius exteræ terræ populus expetiere, haud modicam sui incolatus portionem illi concessere. Creuit populus & multiplicatus est nimis. Longo elapso tempore debitam Turingis abnegant deditionem. Qua de re cum armis (vt moris est eidem genti) conuenitur vtrinq;, vt debitum exigatur & persoluatur. Id sane semel & iterum sine vulnere tamen agebatur, tertio sine armis ab vtraq; parte sub pacis fœdere conuenire decernitur. Exrerorum plurima multitudo sentiens imbecillitatem Turingorum, & nec cõsilio nec fortitudine bene regi terram illorum, conueniunt: statuto die condicto placito se ingerunt, in cautelam & tutelam sui longos cultros inuaginatos in abscondito secũ gerentes. Non pacis consensu, sed in dissensione magna placitatum est. Quid multis? Turingi vincuntur, extera gens & effera triumphat. Nam lõgorum cultrorum iam euaginatorum exercitio, fit in Thuringis nõ modica sanguinis effusio. De terra & de cognatione sua Turingi propelluntur incolæ in ignominia: fere tota terra illorum cedit, quibus totalis arriserat fortuna iñ victoria. Mutato deniq; nomine, quæ ad id tempus Turingia, ex longis cultellis sed victoriosis postmodum vocata est, non Saxonia, sed Anglico elemento Sexonia. Rex Anglorum Stephanus mense Decemb. Angliam rediit, & in Natiuitate domini apud Dunstapulam, Mercionalem quandam villam in Bedefordensi prouincia curiam suã tenuit. Emensis festiuis diebus dominicæ Natiuitatis, rex Anglorum Stephanus, vt nominis sui coronam regaliter teneat, sicut prius Eaxanceastre, sic Bedefordense castellum sibi aduetsum, cum exercitu obsedit & cepit. Audito postmodum nuntio de hostium irruptione, de vastatione terrarum, villarum concremationę, castellorum & oppidorum obsessione, in manu valida Northimbriam proficiscitur. Quo non diu moratus, vix ad velle suum pro quibus ierat peractis rediit. Ferunt qui nouerunt à pluribus diuersæ gentis hostibus fere sex mensibus indicibilem factam irruptionem in Northimbria, & per loca longe & prope adiacentia. Capiuntur quam plures, spoliantur, incarcerantur, cruciantur, viri ecclesiastici pro rebus ecclesiæ nec traduntur, numerum occisorum ex nostra vel illorum parte vix quis valet enumerare. Defuncto sedis apostolicæ inuasore Petro Leone, anno. 9. inuasionis suæ, venerabilis papa Gregorius, (qui & Innocentius) sanctam regens ecclesiam, ad satisfactionem venientes cunctos qui in parte Petri contra eum tenuerant suscepit. Et pacificatis, omnib. die Paschali Romæ consecrauit in episcopum Ostiensis ecclesiæ, Albericũ abbatem Verzelensis ecclesiæ. Fama volat per circuitum hoc factum miraculum, in archiepiscopatu Treuerensi Cœnobium nobile situm est, quod Brumia dicitur, in honore sanctorum apostolorum Petri & Pauli dedicatum, ab antiquis temporibus a Pipino rege Francorum patre Caroli Magni fundatum, in qua talis nouitas rei ab omnibus ibidem cõuersantib. accidisse refertur. Quodã mane cũ Cellarius eiusdẽ monasterii, cellã vinariam vt vinum ad altaris sacrificium more solito daret: cũ famulo suo intrasset, reperit vnam de cupis quam hesterna die plenã reliquerat vsq; ad foramen obicis (qui vsitato nomine clemno quod acciderat ingemiscens, famulũ qui astabat aspertime increpauit, dicens eum præterito vespere minus diligenter obicem firmasse, ideoq; damnũ huiusmodi contigisse. His dictis, sub interminatione præcepit ei ne alicui diceret quod acciderat: veritus ne si abbas hoc animo perciperet, cõtumeliose eum officio suo priuaret. Facto autem vespere, priusquã fratres irent cubitũ cellarium intrauit, obices vasorum in quib. vinũ habebatur diligentissime firmauit, clausoq; ostio lectũ petiuit. Mane autem facto, cũ cellarium (sicut consueuerat) intrasset, vidit aliam cupam vsq; ad meatũ obicis (sicut pridie) vino defluente vacuatam. Quo viso, cuius negligentiæ damnum hoc imputaret ignorans, grauiter non sine magna admiratione indoluit, famuloq; suo ne cuiq; proderet quod acciderat denuo

præcipiens, priusquam vespere lectum peteret omnes obices cuparum diligentia qua potuit muniens, tristis & anxius stratũ adiit. Surgensq; diluculo, aperto cellario vidit die tertia cupa pessulum extractum, & vinum vsq; ad foramẽ effusum. Vnde non immeritito super his quę acciderant perterritus, & diutius commune damnum silere metuens, ad abbatem festinauit, eiusq; pedibus prouolutus, quæ viderat per ordinem intimauit. Qui habito cum fratribus cõsilio, iussit vt obices vasorum quæ vinũ habebant adueſperante die chrismate circũlinirentur. Quod & factũ est. Illucescẽte autẽ die prædictus frater ex more cellariũ ingressus, reperit puerulũ nigrum mirandæ paruitatis, in vno de pessulis manibus hęrentem. Quem festine comprehendens, & ad abbatem deferens: en ait domine, puerulus iste (quem vides) omne damnum quod in promptuario pertulimus, nobis intulit. His dictis, retulit ei qualiter eundem puerulũ in obice pendentem inuenit. Abbas autẽ eiusdem pueruli qualitatem (vltra quam credi potest) admiratus, accepto cõsilio monachilem habitum ei parari iussit, & cum scholarib. puerulis in claustro conuersari. Quo facto, puerulus idem (sicut abbas iusserat) scholares puerulos nocte dieq; comitatur, nunquã tamen cibum aut potum sumebat, nulli publice aut priuatim loquebatur. Aliis nocturnis aut meridianis horis quiescentibus, ipse in lecto residebat, sine intermissione plorans & singultus creberrimos emittens. Inter hæc, abbas quidam alterius ecclesiæ (orarionis gratia) ad eundem locum veniens, aliquantis diebus ibidem detentus est. Cumque scholares pueri ante eum sępius transirent, vbi cum abbate & maioribus eiusdem ecclesiæ residebat, puerulus ille paruulus (protẽsis ad eum manibus) cum lachrymis respiciebat, quasi aliquid petens ab eo. Quod dum sæpius ageret, abbas idem paruitatem eius admirans, sciscitatus est assidentes sibi, vt quid tam paruulum puerulum in conuentu vellent habere. Qui subridentes, nõ est (iniquiunt) domine talis iste puerulus vt existimas. Et narrauerunt damnum, quod eis intulerat, & qualiter in pessulo cupæ hærens manibus inuentus sit: seu qualiter se continuerit intrans & exiens inter eos. Quibus auditis abbas expauit, & altius ingemiscens, quantotius ait, eum de monasterio expellite, ne maius damnũ vel grauissimum incurratis periculum. Manifeste enim diabolus est in humana latẽs effigie, sed Dei misericordia vos protegente per merita sanctorũ (quorũ hic habẽtur reliquiæ) nõ potuit vobis amplius nocere. Protinus, ad imperium abbatis eiusdẽ ecclesiæ puerulus adductus est: & cum eum monachili habitu spoliarent, inter manus eorum vt fumus euanuit. Rex Anglorum Stephanus, in octauis Paschæ, quod erat 4. Idus Aprilis, tenuit Concilium Northamtoniæ, cui præsidebant Eboracẽsis archiepiscopus Turstanus, episcopi, abbates, Comites, Barones, nobiles quiq; per Angliam. In quo etiam Concilio quorundam electione, Exonienſi ecclesiæ iam pastorali cura destituræ, de medio facti præsulis Gulielmi de Warawast archidiacon', nomine Robert', pastorali curæ præficitur. Duę quoq; dantur abbatiæ, vna Wincelcumbæ cuidam Cluniacensi monacho (vt ferunt) regis propinquo, nomine Roberto, altera S. Mariæ Eboraci eiusdem ecclesię cuidam monacho. Quorum vnus scil. Wincelcumbensis electus, die Pentecostes. 11. Cal. Junii, à venerãdo præsule Simone, abbas Wincelcumbensi ecclesiæ ordinatur Wigorniæ. Rex de Northamtonia mouens castra, diuertit Glawornam. Cuius aduentu præcognito, ciues Glaornenses plus quinque milliariis venienti cum magno occurrunt gaudio, lætumq; cum fauore propriam conducunt ad vrbem. Ibique à monachis, feria tertia Rogationum, cum processionali susceptus honore, annulum suum regium supra sanctum ponit altare, quem die eodem capellani regii, datis pro eo. 50. solidis, regi reportant. Inde eum Milo (tunc suus Constabularius) cum honore regiam conducit ad aulam, vbi ei die sequenti ciues vrbis fidelitatem iurauerunt. Die tertia, feria scilicet quinta, ad monasterium rex cum suis reuersus, dominicæ Ascensionis lætabundus processionum seu missarum interfuit solennitati. Qua peracta festiuitate, audito rex de castello quod contra illum obfirmabatur Herefordiæ, in expeditione maxima castrametatus est. Quo perueniens, famæ auditæ repetit verisimile. Vnde in eodem loco fere. 4. vel 5. hedomadarum spatio demoratus, die quoq; Pentecostes in ecclesia sanctę Dei genetricis Mariæ coronatus, mandat per Angliam manus militum venire sibi in auxilium, ad expugnandum omnes regiæ dignitatis inimicos. Interim in eiusdem regis præsentia, ciuitas Herefordensis infra pontem fluminis Wegæ comburitur igne. Nec multo post regis & totius curiæ percutit aures, Oxenefordensis ciuitatis dolenda cunctis combustio. Viso & cognito Herefordenses castellani, in graui multitudine exercitus regem de se triumphantem, dextris datis & acceptis regi sese dedebant. Et quoniam ipse rex pietatis & pacis erat, immo quia est, nec nocere alicui operam dedit, sed hostes liberos abire permisit. Oppidum insuper Wibbeleage nominatum, quod Galfridus de Talebot contra regem tenuerat, illo iam in fugã verso, cuius arte & ingenio illis in partibus sub diriũ endæ pacis fœdere

regis

regis aduersarii sustinebantur, rex cepit: & illud, & prædictum Herefordense castellū instructis militibus muniuit. Inter hæc prædictus Albericus Ostiensis episcopus, apostolica functus legatione Angliam venit euellere euellenda, destruere destruenda, ædificare ædificanda, plantare plantanda. Lectis coram rege & primoribus Angliæ literis ab Apostolica sede directis, licet non in primis, pro reuerentia tamen apostolicæ auctoritatis demum suscipitur. Circuiensq; Angliam, considerat omnia, conseruat animo vniuersa prouiso & cōstituendo Concilio corrigenda. Aliquandiu rex moratus Herefordiæ, cum suis inde secessit. Orbata regis præsentia ciuitate, ipsa die. 17. Cal. Iuliarium, feria quinta, vltra flumen prædictū Wegæ à prædicto Galfrido comburuntur omnia, nullo tamen de nostris. 7. vel 8. de Walensibus occisis. Effusionem sanguinis plurimorū de aliis supradictis dicere supersedeo, nam ignoratur numerus. Exinde rex iam instante Natiuitate sancti Iohannis ad Oxenefordiā profectus, audito quod castellum Diuisas nuncupatum, contra illum obfirmaretur, missis nuntiis ad ciusdem castelli fundatorem, Salesbiriensem episcopum Rogerum, tunc apud Malmesbiriam positum, ad suum iussit venire colloquium. Quam ille profectionem (vt aiunt) nimis inuitus, vtpote iam amplius non reuersurus, aggressus: duos secum nepotes quos (episcopos Lincolniēsem scil. & Eliensem) cum maximo militum apparatu, armis & equis multipliciter instructos adduxit. Quo viso, rex proditionem suspicatus, suos se armis induere, & ad sui defensionem (si necesse esset) paratos iussit adesse. Interim rege cum episcopis causas diuersas tractante, inter vtranque militum partem causa hospitiorum, tumultus furoris magnus incanduit. Vnde regiis militibus ad arma concurrentibus, fugam ineunt episcopales, apparatibus suis vniuersis post terga relictis. Capitur à rege Salesbirienſis episcopus Rogerus cum Lincolnienſi episcopo, & filio Rogero Paupere censu cognomine, Elienſis elapsus, Diuisas castellum adiit, muniuit, contra regem tenuit. Vnde rex ira commotus, eumq; prosecutus, captos episcopos, vnum Rogerum scilicet in bostario in boum præsæpio, alterum sub vili tugurio ponit sub custodia, tertio suspensionis parat supplicium, ni sibi citius reddatur castellum. Hoc videns Rogerus, suo metuens filio, iuramento se strinxit, nunquam se manducaturum siue bibiturum donec prædictum rex habeat castellum. Quod & factum est. Tribus enim diebus nō manducauit neq; bibit. Rex inde cum regia multitudine Lundoniam ire perrexit. Galfridus autem de Talebot regem pacis amicum deserens cum suis, ad Gloceſtrenſis Comitis filiū Bricſtowense castellum contra regem tenentem diuertit, illiusq; munimini se dedit. Qui vno dierum velut cuilibet spectatui operam daturus, magis autem (vt post claruit) Bathoniam exploraturus & postmodum inuasurus, cum duobus strenuis militibus Gulielmo Hoseto & alio quodam, iter illo direxit. Quo cognito, Bathonienſis episcopus Robertus, quasi de regis aduersariis triumphaturus, instructo milite sub quadam cautela obuiam procedit. Fugiētibus duobus, Galfridus capitur, & custodiæ mancipatur. Hinc furore succensi Bricſtowenses castellani, cum domino suo Comitis filio Bathoniam hostiliter adeunt, post præsulem legant, & ni citius commilito suus Galfridus reddatur, pontifici & suis suspensionis patibulū minātur. Qua de re præsul vice mercenariis suisq; timēs, educto de custodia Galfrido & illis reddito, voluntati illorū cedit. Quod vbi regiis auribus insonuerat, in episcopum velut in fautorem inimicorum suorū exardescit ira. Quem etiamsi magis discordiæ quam paci rex ipse cederet, illum pastorali baculo fortasse priuaret. At quoniā præsul cognum est vt sol faciat occasum. Fecit autē rex postmodū quod consilio disposuit, mittens Bathoniam multitudinem exercitus, qui præsidio suo ciuitatem muniendo ab hostiū irruptione defenderent. Non multo post versus Bricſtowam rex mouit exercitum, vbi iisdem diebus per quendam Comitis cognatum, Philippum Gai nuncupatum, velut ex inferno emerserunt Neroniana seu Deciana tempora & tormenta. Illo enim agente cœperunt inibi primitus adinueniri diuersorum acerbitates tormentorum, quæ per totam Angliā longe lateq; disseminatæ, vniuersam prope iā ad nihilū redegerūt insulā. Rex igitur vastatis in circuitu, & igne cōbustis terris ac villis Gloceſtrenſis Comitis, aliquādiu castellū obsedit. Demū pertæsus diutinæ obsidionis, ad alia Comitis castella, Carif in Dorsetania & Harpetreā in Sumersetania sita, obsidēda diuertit, ibidēq; ante castellis extructis, & manu militari munitis discessit, & ad castellū de Duddeleage quod Radulph⁹ Paganellus cōtra illū munierat, cū toto exercitu aggressum cepit. Vbi quę in circuitu erant igne combustis, multipliciq; præda animaliū capta, & abacta, ad Serobesbirienſe castellū (quod Gulielmus filius Alani aduersatiue tenuerat) obsidendum, multitudinem militum secū in mare cœpit. Pręcognito autem regis aduentu idem Gulielmus cum vxore & filiis & quibusdam aliis latenter fugam iniit, relictis in castello qui in non reddendo illo fidelitatē iurauerant. Ob-

rat. Obſeſſo pluribus diebus caſtello, ad id expugnandum (vt ferunt qui nouerunt) talis paratur machina. Congeries non modica lignorũ congeritur, adhibetur, caſtellina foſſa iuſſu regis impletur, ignis ſuccenditur, fumus in altum ſe leuat, omnes infumigat & exfumigat. Regia vi porta aperitur. Decedentes vel derepentes de caſtello fugã miſere ineunt omnes, quos inſequi & neci tradere regia mandat cenſura. Quinque ex eis viri nobiliores ſuſpenduntur. Deuictis hoſtibus, rex inde diſceſſum egit, & verſus Werham expeditionẽ mouit. Dextris vero datis & acceptis, Radulphus Paganellus cũ rege pacificatur ad tempus. Interim facta coniuratione aduerſus regẽ per prędictum Briſtowenſem Comitem, & Coneſtabularium Milonẽ, abnegata fidelitate quã illi iurauerant, miſſis nuntiis ad Andegauenſem ciuitatem, accerſunt eximperatricem, Henrici regis filiã, ſpondentes ei quod infra quinque menſium ſpatium regnum eſſet poſſeſſura paternum, ſicut ei viuente patre fuerat iuratum. Initia dolorum hæc. Hoc diſſidium, grauiſſimum immo pene vltimum omni patriæ intulit excidium. Interea rex Scotiæ Dauid, in graui multitudine equeſtrium & pedeſtrium, de vagina finium regni ſui iam tertio egreſſus, circa terminos Northimbriç cœpit rura, oppida, & caſtella cremare, & fere totam terram deuaſtare. Sed iam hac vltima vice, cum vſq; Eboracum & Humbrum minaretur progreſſum, Eboracenſis archiepiſcopus Turſtanus colloquium habuit cum omnibus de Eboraca prouincia, fecitque omnes cõmuni conſenſu & conſilio iuramentũ in regis fidelitate facere, vt ei reſiſterent. Inde autem rex Scotiæ magis irritatus, à nullis diſſuadentibus potuit cohiberi, ſed veniens vſque Teiſam in die octauo Aſſumptionis S. Mariæ, quæ feria ſecunda euenit, decreuit noſtros pręoccupare, quia in articulo ipſius diei maxima nebula erat. Et ſic ex improuiſo ſe venturum ſuper ipſos ſperans, multas villas intactas reliquit, nec ſuos (ſicut ſolebant) ipſa die aliquid ardere permiſit. Noſtri tamen tarde à quodam armigero præmoniti, & pene præoccupati citiſſime ſe armantes & ordinantes, ſagittarios præmiſerunt ante primam frontem, à quibus valde Scotorum exercitus læſus eſt. Ex inde ipſi regii Barones cum militibus progreſſi, omnes de equis ſuis deſcenderant, & qui in prima acie erant manus & arma cũ hoſtibus miſcuerunt, & in ipſo primo puncto certaminis finem & victoriã fecerunt, cedentibus ſibi Scotis, & ſtatim vel cadentibus, vel cũ maximo terrore fugientibus. Dum autem quia pedites erant, & omnes equos ſuos longius abduci fecerant, nõ diu eos inſequi potuerunt: alioquin & ipſum regẽ & filium eius, & omnes qui cum eo erant, vel tenuiſſent vel occidiſſent. De ipſius tamen exercitu prope decem millia ceciderunt in diuerſis locis, & ex eis electis vſq; ad quinquaginta capti dicuntur. Ipſe vero maximo timore coactus & dedecore, fugit deuictus. Cancellarius eius Gulielmus Cumin, à Dunholmenſi epiſcopo tenebatur, ſed iam à vinculis ſolutus, gratias agit Deo, exoptans ſummopere ne vnquam talem incidat queſtionem. Filius autẽ regis cũ vno tãtum milite ad Carlor pedes venit, patre ad Rokesburh per ſyluas & ſaltus vix euadente. Innumerabilẽ habuit exercitum, tam de Francis, quam de Anglis Scotis & Galwenſibus, & de omnibus inſulis quæ ad ſe & ad ſuũ dominium pertinebant. De ducentis loricatis militibus quos habuit, non niſi. 19. reportauerunt loricas, quia prope omnia quæ habuit quiſque prædam hoſtibus reliquit. Vnde maxima ſpolia de exercitu eius, tam de equis & armis & veſtibus, quam de pluribus rebus direpta pro certo feruntur. Euſtachius filius Iohannis cum eo venit, & eundem cum eo finem inuenit, vixque cum vita ad caſtellum ſuum vulneratus aufugit. Ex parte regis Stephani in hoc certamine extiterunt ſtrenuiſſimi, Comes de Albemara Bernardus de Baliolo, cum quibus & plures alii robuſtiſſimi, quorũ nobis non occurrunt nomina. Rex vero Scotiæ cum reuerſus fuiſſet, vt ſuos confortaret ſeque conſolaretur, caſtellum quod prius obſederat, vnde à comite Mellentino fugatus fuerat, quod Were vel Charram dicitur, & eſt Walteri de Spec, omnibus viribus, & multis ingeniis, & variis molitionibus rurſus obſedit: ſed defendentibus ſe viriliter & obſtinate caſtellanis, nihil omnino proficere potuit. Exilierunt enim iam ſæpius de caſtello, & ingenia eius vel ſucciderunt vel incenderunt, multos perimentes. Vnde id capi iam poſſe deſperans, ſpe ſua fruſtratus, inde diſceſſit. Septimo die menſis Octobris, luna exiſtente 29. in creſpuſculo noctis ſextæ Sabbati, verſus Aquilonales partes viſum eſt firmamentum totum rubicundum. Radii etiam diuerſi coloris viſi ſunt, mixtim apparentes & euaneſcentes. Erant hæc forti ſignificantia maximam quam prælibauimus ſanguinis effuſionem, factam per Northimbriam, & in plurimis aliis locis per Angliam. Peracta Aſſumptione ſanctę Mariæ huiuſmodi fama victoriæ ad regem vſq; peruenit, qui tunc capto Saresbirienſi caſtello circa vrbem Brucgę obſidionẽ in vigilia ſancti Bartholomæi gaudens agebat. Ibi quoq; poſitus, cuidam monacho de quadam cella Ege dicta, Gulielmo nomine, Coneſtabularii eiuſdẽ loci caſtelli germano, Perſorenſis eccleſiæ prælationem conceſſit. Qui ad ſuam exinde veniens ſedem à Wigornenſi præſule Simone. 12. Cal. Decembr. die Dominica, abbas Perſorenſi eccleſiæ

ordinatur Wigorniæ. Rogerus Saresbirienſis epiſcopus, caſtellorũ, murorum, de morum fundator præcipuus, præ dolore & triſtitia infirmatus, & ad finem vitæ perductus, apud epiſcopalem ſedem, ſecundo Nonas Decembr. defungitur, & in eadem eccleſia ſepelitur, infinitam in caſtellis ſuis relinquens pecuniam: quæ non in Dei, ſed regis Stephani tota ceſſit in vſum. Sunt qui dicunt plus. 40. millia marcarum argenti ibi fuiſſe reperta, aurum quoq; multũ nimis cũ varietate ornamẽtorũ, Theſaurizauit, & ignorauit cui congregauit ea. Templum in honore ſanctæ Dei genetricis, magnificis decorauit ornamentis. Anno ab Incarn. domini. 1138. pontificatus autẽ domini papæ Innocentii anno 9. regnante nobiliſſimo rege Stephano Anglorum, Henrici regis magni nepote, anno tertio regni ipſius, celebrata eſt Synodus Lundoniæ, eccleſia ſancti Petri apoſtolorum principis apud Weſtmonaſterium, menſe decembri. 13. die menſis. Vbi poſt multarum diſcuſſionem cauſarum, promulgata ſunt capitula ab omnibus confirmata, numero 16. Præfuit autem Synodo Albericus Oſtienſis epiſcopus, & prædicti domini papæ Innocentii in Angliam & Scotiam Legatus, cum epiſcopis diuerſarum prouinciarum, numero. 17. & abbatibus circiter 30. & innumera cleri & populi multitudine.

1161 2. Peracta dominica ſolennitate, & adueniente ſanctæ genetricis ipſius Mariæ puri- 1139
ficatione, venerabilis Pater Walterus abbas Glaornenſis, anno prælationis ſuæ nono, & ſemis, circa heram diei tertiam emiſit ſpiritum, ſepultuſque eſt à venerabilibus abbatibus Reinaldo Eoueshamnẽſi, & Rogero Theokesbirienſi, ſexto Idus Febr. Quo ſepulto, duo fratres propter electum noſtrum dominum Gislebertum ad Cluniacenſe cœnobium deſtinantur. Cui rex Stephanus, audita fama probitatis eius eximiæ, petente Conſtabulario ſuo Milone, apud Lundoniam conceſſerat prælationem Glaornenſis eccleſiæ.

Theobaldus Dorobernenſis archiepiſcopus, Simon Wigornenſis, Rogerus Couentrenſis, Robertus Exonienſis, Reinaldus abbas Eoueshamnenſis, à papa iuſſi tendunt ad limina Petri. Quo venientes, ab apoſtolica ſede ſuſcipiuntur cum honore: ſuſceptiq; Concilio interfuerunt Romano, multis retroactis ſeculis incomparando. Ibi cauſis ſuis pro libito peroratis, ad propria cum gaudio reuerſi ſunt: ſecum Synodalia deferentes decreta longe lateq; per Angliam iam conſcripta. Reuerſi ſunt & duo fratres in pace, qui propter adducendum dominum abbatem Gislebertum fuerant deſtinati, adductumq; regi Stephano præſentauerunt. A quo ſuſceptus honorifice, ſumpto quoq; libere dominio Glaornenſis eccleſiæ ab eodem rege, die ſolenni Pentecoſtes, quæ tunc tertio Idus Iunii celebrabatur, Wigorniam veniens à venerabili præſule Herefordenſi Roberto cum magnis ordinatur gaudiis, & diuinis laudibus: indeq; ſequenti die cum multorum fauore populorum ordinis vtriuſq; ſua collocatur in ſede cũ lætitia & exultatione, vt talẽ decuit virum in domino.

Octauis Paſchæ quod erat ſecundo Cal. Maii, magnificus rex Anglorum Stephanus, regio cum comitatu Wigorniam veniens, totius cleri & ſuburbani populi feſtiua ſuſcipitur proceſſione. Oratione facta, & ex more benedictione data, ad altare rex annulum regium digito detractum offert: qui die craſtino, communi conſilio regiæ præſentiæ repræſentatur. Admirans itaq; rex Wigornenſis, immo dominici gregis humilem deuotionem, ſuum reeepit annulum, vt erat adiuratus per ſanctæ Dei genetricis Mariæ piiſſimum amorem. Hinc Wigornia rex abcedens, apud Ludelawe caſtrametatus eſt, vbi in expugnatiotiam inſtruit: redienſq; per Wigorniam, mouit expeditionem verſus Lundoniam. Minime parcentes execrandæ militiæ, arroganti ſtrenuitate compellente, quidam militum cõque exercitus militum confluere cœpit. Vere erat miſeria videre, dum quis in aliũ haſtam vibrans lãcea perforaret, & ignorans quod iudicium ſpiritus ſubiret, morti traderet. At rex Anglorum Stephanus, talia molientes minis territat, & Ludelawe per Wigorniam denuo diuertens, in pacis contubernio omnia ſedat, & in pacifica alacritate Oxenefordiam, id eſt boum vadum, petit. Quo dum moraretur, exigente diſſenſionis cauſa Rogerum Saresbirienſem præſulem, & nepotem eius Lincolnienſem antiſtitem, Rogerum quoque ſuum Cancellarium, quaſi regiæ coronæ inſidiatores cepit, & cuſtodiæ mancipauit. Quo cognito, Elienſis præſul Nigellus, timens ſibi & ſuis, manu militari ad Diuiſas fugit, vt ibi protegeretur, quorum cauſa ſcriptis ſuperius eſt latius propalata, quæ tamẽ hoc anno conſtat actitata. Habito poſtmodum Concilio coram primoribus Angliæ, ſtatutum eſt vt omnia per Angliam oppida, caſtella munitiones quæque, in quibus ſecularia ſolent exerceri negotia, regis & Baronum ſuorũ iuri cedant. Eccleſiaſtici vero viri, videlicet epiſcopi, canes inquam diuini, in ſalutẽ & in defenſionem ouiũ ſuarũ latrare nõ ceſſent, ne lupus inuiſibilis, malignus ſcilicet hoſtis, oues dominicas rapiat, & diſpergat, omnino caueant. Menſe

vero

vero Iulio Comes Gloceſtriæ Robertus, Henrici regis Anglorum filius, ſed baſtardus, cũ ſorore ſua ſed ex patre, dudum Romanorum imperatrice, nunc Andegauenſium comitiſſa, cum grandi exercitu Angliam rediit, & apud Porteſmutham applicuit ante feſtum ſancti Petri ad Vincula, Cal. Aug. rege tunc Merlebergam obſidente. Cuius aduentus factus eſt omnibus per Angliam terror, immo dolor immenſus. Quo audito, rex Anglorum Stephanus animo mouebatur, & his qui marinos portus vigilanti cura obſeruare debuerant, indignabatur. Rex eſt pacis, & ô vtinam rex vigoris iuſtitiæ, conterens ſub pedibus inimicos, & æqua lance iudicii decernens omnia, in robore fortitudinis conſeruans & corroborans pacis amicos. Vbi autem nouit Exreginã apud Arundel Eximperatricem cũ grandi comitatu ſuo recepiſſe, grauiter ferens illo mouit exercitum. At illa regiam maieſtatem verita, & timens ne dignitatem quam per Angliam habuerat, perderet, iureiurando iurat neminem inimicorũ ſuorum per ſe Angliam petiiſſe, ſed ſalua dignitate ſua viris auctoritatis (vtpote ſibi quondam familiaribus) hoſpitiũ annuiſſe. Quo rex audito, illa dimiſſa, Eximperatricem ad caſtellum Brieſtowenſe cõducere fratri ſuo Wintonienſi epiſcopo (ſicut cognatã ſuam) cũ honore præcepit, ipſe vero Comitem perſequitur. Nil autem certi audiens de eo, quædam enim diuerticula ad tempus ille petierat, expeditionem mouit quo diſpoſuit. Milo Conſtabularius, regiæ maieſtati redditis fidei ſacramentis, ad dominum ſuum Comitem Gloceſtrenſem cum grandi manu militum ſe contulit: illi ſpondens in fide auxilium contra regem exhibiturum. Iam vero exhinc ex Brieſtowenſi ſcilicet vrbe, quæ mala per totam emerſerint Angliam, nullius poterit exprimere ſcientia vel facundia. Reſiſtentes ſiquidem ſibi, regiæue dignitati parentes, quotquot capi poterant capiuntur, vniuerſi capti vinculis & tormentis mancipantur horrendis, pœnarum diuerſitates ſiue acerbitates exquiruntur, militumq; cateruæ ad hoc opus perditionis exequendum vndecunq; conducuntur: quibus in ſtipendium dantur & venduntur vicorum & villarum cultores atq; habitatores cum rebus ſuis vniuerſis ac ſubſtantiis. Conſedit itaque ibi Domina illa plus duobus menſibus, ſumens ab omnibus hominia, & pro libito ſuo diſponens Anglorum regni iura. Inde diſcedens menſe Octob. 18. Cal. Noueb. Gloceſtrenſem venit ad vrbem, ciuium & circumiacentium hinc inde finium expedens dominium, & ſumens hominium. Hoc vero agere nolentibus, ſed regi potius fidelitatem cuſtodientibus, Deciana ſiue Neroniana inferuntur tormenta cum diuerſis mortibus: fitq; vrbs (retro anteactis ſeculis glorioſa) vlulatibus diriſq; cruciatibus plena ſuiſq; habitatoribus horrenda. His ita ſe miſerabiliter habentibus, rex Walingafordenſe caſtellum ſibi aduerſum obſidebat. Obſidionis vero diuturnæ pertæſus, anticaſtellis extructis inde profectus, caſtrametatus eſt apud Malmesbiriam, vbi in aduerſarios, id eſt, in diſcordiæ operarios eadem operatus eſt. Inter hæc flebile nuntium percutit aures ciuium Wigorniẽſium. Crebra volat fama, Wigorniam ciuitatem ab hoſtibus in proximo deuaſtandam, rebus ſpoliandam, igne comburendam. Talia audientes terrentur ciues Wigornenſes, quid facto opus ſit conſulunt. Quo habito conſilio, ad Dei ſummi patris, & ad beatiſſimæ ſuæ genetricis aſylum miſericordiæ cõfugiunt, & ſub patrocinio confeſſorum ſancti Oſwaldi, & Beati Wlſtani, ciuitatis eiuſdem præſulum, ſe & ſua diuinæ tuitioni committunt. Videret qui afforet, totam ciuium ſupellectilem deferri in baſilicam. O miſeram videre. Ecce domus Dei, quæ intranda erat in holocauſtis, vbi immolandum erat ſacrificium laudis, reddenda vota altiſſimo, videtur in præſentiarum velut ſupellectilis caſa. Ecce totius epiſcopatus principale cœnobium factum eſt ciuium diuerſorium, & quoddam declamatorium. Armariorum & ſaccorum plurimorum præ numero, Dei ſeruis vix locus in tali reperitur diuerſorio. Intus pſallit clerus, foris vagit infantulus, vocibus pſallentium reſonat vox lactentium, moxque matrum lugentium. Miſeria ſuper miſeriam videre. Altare principale ſtat ornamento ſpoliatum, crux depoſita, imago ſanctiſſimæ Dei genetricis Mariæ oculis ſubtracta. Cortinæ cũ palliis, albę cum capis, ſtolæ cum planetis, parietum ſeptis includuntur. In ſanctorũ feſtiuitatibus ad diuinũ celebrandũ officium deſunt decus, honor, omnis ſolita magnificentia. A timore vel præ timore inimicorum hæc diſponuntur omnia ne repente ſuperueniens inimicus, tollat cuncta quæ reperit, & ſic in vanitate ſua prævaleat. In articulo diei incipientis Brumę hoc eſt. 7. Idus Nouemb. feria tertia, dum ad laudem diuinam in eccleſia fuimus, & iam primam horam diei decantauimus, ecce (quod plurimis ante diebus auribus hauſimus) exercitus magnus valde & fortis, ab Auſtro veniẽs è vagina maliciæ progreditur. Vrbs deniq; Glaorna armis militarib. inſtructa, equeſtri & pedeſtri exercitu innumerabili procedit ſuffulta, ciuitatem Wigorniam inuaſura, vaſtatura, igne combuſtura. Nos autem timentes ornamentis Sanctuarii benigniſſimi patroni noſtri Oſwaldi reliquias albis induti, tota ſonante claſſe, cum humili proceſſione foris extu-

extulimus, & ob hostium irruptionem de porta adportam per cœmiterium ad terrorem eorũ deportauimus. Aduersarii conglobati, accelerando munimen quoddam fortissimũ in Australi parte ciuitatis (propter castellũ) situm, primum impugnant. Nostri fortiter resistere, & vtiliter cœperunt agere. Hostes inde repulsi, quoniam olla succensa erant, cuius facies à facie Aquilonis, aquilonalis partis ciuitatis petunt ingressum. Nullo obstante munimine, hostium copiosissima, rabidissima, & tota effrenis intrat multitudo, diuersis in locis ignem ædibus immittit. Proh dolor, comburitur non modica pars ciuitatis per loca, sed maior pars stando paret inusta. Supellectilium diuersarum in ciuitate, & in rutibus boum, ouium, animalium, & equorum fit maxima præda. Plurimi per vicos & plateas capiuntur, & velut in copula canum constringuntur, & miserabiliter abducuntur. Licet habeant, licet non habeant, quantum crudele os eorum censuerit, in redemptionẽ sui iureiurando promittere & reddere compelluntur. Gesta sunt hæc die qua intrauit Bruma, miseris sine dubio dura. Iam prædis captis, quampluribus ædibus arsis: sic debacchata remeant rabidissima castra: in praua cura tali nunquam reditura. Tricessimo die mensis Nouemb. Comes ciuitatis Wigorniam venit, combustionem ciuitatis vt vidit indoluit, ad iniuriam sui id actum fuisse persensit. Vnde vindicare se volens, stipatus manu militum Sudlegiam adiit. Audierat enim Iohannem Haroldi filium, deserto rege ad Glocestrensem Comitem diuertisse. Vbi quid Comes egerit si quæritur, vix memoriæ tradendum: malum pro malo reddidit. In hominibus cum rebus eorum & animalibus prædam egit & abegit, & crastino Wigorniam rediit. Post hæc rex grandi comitante exercitu, de Oxenefordia Wigorniam venit, cuius de infortunio quod audierat, oculis vidit & indoluit. Vbi 3. vel 5. diebus moratus, regii Constabulatus honorem Miloni Glocestrensi suo hosti ablatum, Gulielmo filio Walteri de Bello campo, Wigornensi vicecomiti dedit. Fama volante, regii nunciatur inimicos suos (iuratæ quidem pacis violatores) Herefordiam inuasisse, monasterium principale Sancti Æthelberti regis & martyris, immo sanctę Dei genetricis Mariæ, venit in castellinum munimen, agente Galfrido de Talebot, ingressos fuisse, equosq; suos in ipsa Ecclesia quasi in stabulo collocasse, perq; cœmiterium fossa transducta fidelium corpora crudeliter effodisse. Hinc eiusdem Ecclesiæ pontifex venerabilis turbatur Robertus, turbatur & clerus vniuersus, turbatur quoque rex expeditionem mouens, apud paruam Herefordiam vel apud Leonis monasterium castrametatus est. Vbi quidã ex consulto regi fidelitatem iurauerunt: quidam renuentes, hoc regi intulerunt. Si non iuramento, credat rex saltem si velit fidelibus verbis nostris. Quoniam vero instabant solemnes dies Dominici Aduentus, vtrinque dextris datis ad tempus, rex Wigorniam rediit. Tunc quidam clericus, vir eximiæ religionis, Mauricius nomine, electus à clero & à populo Pangornensi Ecclesiæ, comitantibus illum præsulibus Roberto Herefordensi & Sigefrido Cicestrensi, in castello regi præsentatur, attestantibus illum canonice electum præsulatu fore dignum. Quod & rex concessit. Persuasus à pontificibus vt regi fidelitatem faceret: respondit, hoc se nullatenus posse facere. Vir (inquit) magnæ religionis apud nos est, quem pro spirituali patre teneo, & prædecessoris mei Dauid archidiaconus extitit, qui hoc iuramentum mihi facere inhibuit. Ad hæc illi, quod nos egimus, causa rationis exigit, vt agas. At ille, si vos magnæ auctoritatis viri hoc egistis, nulla mora sit mihi id idem faciendi. Iurat & ille fidelitatem regi. Rogerus Salesbirienſis Episcopus, secundo Nonas Decembris hoc anno, vita decessit: cuius obitus anno superiori latius literis expressus est. De Wigornia rex cum suis egrediens, Oxenefordiam adiit, indeq; cum curia Salesbiriam venit, ibidem dominicam Natiuitatem celebraturus, & more regio coronam dignitatis portaturus. Ad quem canonici venientes, obtulerunt ei duo millia librarũ: quibus ille dedit omnem libertatem de omnibus geldis terrarum suarum, insuper ad vsus illorum 20. marcas, & 40. ad operiendam Ecclesiam. Et si pacem obtinuerit, quod dederant ei, se eis restituturum spopondit.

1162 3. Emensis paucis diebus dominicæ Natiuitatis, rex cum curia Radingum venit, vbi 1140
monet sors humana quanti pendenda sit regum purpura. Ibi consilio suorum duas abbatias, Malmesbirienſem & Abbedesbirienſem, quas dum viueret Rogerus Salesbirienſis Episcopus, honore priuatas & suo iuri tenebat deditas, propriis inuestiuit pastoribus, Malmesbirienſem largiendo eiusdem Ecclesiæ cœnobitę, Iohanni vocabulo, sed eodem anno 14. Calend. Septembris morte prærepto: Abbedesbirienſem vero cuidam monacho de Sancto Floscello, nomine Galfrido. Inde rex vt paci satisfaceret, ad sedandum militare negotium prorsus insanum & inane, ad Eli mouit expeditionem, negotium sane deplorandum, quod ad militiam suam in satisfaciendo vanę gloriæ frequentat militum grandis arrogantia. Siquidem sibi condicunt, condictis assentiunt, armis se bellicis instruunt,

vt victor victi omnia ex deteſtando ſtultitiæ condicto poſſideat. Et vt ita dicam à maiore in maiorem faciens comparationem, Iuda & Ionatha fratre ſuo morantibus in terra Galaad, cum Ioſepho & Azaria forſitan colloquendo muſſitant, faciamus nobis & nos magnum nomen probando vires in alterum. Itaque mucrone & lancea ſe inter ſe vulnerant, minime penſantes quid miſeris occiſorum animabus proueniat. In rebellatione repugnantium tegi, plures vtrinque vulnerantur, capiuntur, cuſtodiæ mancipantur. Epiſcopus Elienſis videns virtutem regis & impetum exercitus eius, loco cedit, fugam iniit, & in partes Glaornenſis pagi diuertens, ad Comitem Robertum ſeceſſit. Nec mirum, iam enim quaſi manus ſibi dextera ceciderat, cum ſuus auunculus Salesbirienſis Epiſcopus Rogerus morti debita ſoluerat. Rex autem Elienſe caſtellum obtinuit, & in eo milites ſuos poſuit. Eboracenſis Archiepiſcopus bonæ memoriæ Turſtanus in ordine 26. ſanctarum eleemoſynarum ſedulus executor, plurimorum monaſteriorum, Hagustaldenſis ſcilicet, & ſanctimonialium in diœceſi ſua, & Fontium, aliorumque circiter octo ſtrenuus fundator ſiue renouator, vir prouectę ætatis, & plenus dierum, depoſito veteri homine induit nouum, dum poſt poſitis cunctis rebus ſecularibus, apud Pontem fractum 12. Calend. Febr. Monachicum ſumpſit habitum, & Non. Febr. in bona ſenectute vita deceſſit, ibidemque humatus requieſcit, anno Epiſcopatus ſui 27. Corpus vero eius poſt annum & menſes 5. ſepulturæ ſuæ, integrum & odoriferum repertum eſt. Milo Exconſtabularius grandi adunato exercitu, ſecundo Calend. Febr. feria quinta, Wincelcumbam inuadit, maxima ex parte villam combuſſit, prædam egit, ſpoliatos rebus (ob exigendam ab eis licet iniuſte Mammonam iniquitatis) ſecum abduxit. Suthlegiam inde diuertit, dumque illam inuadere cupit, regii milites qui in oppido erant reſtitere, & illum fugere compulerunt, cæſis (vt fertur) de militibus eius 200. & 15. captis in cuſtodiam poſitis. Rex & Comes Wigornenſis cum grandi exercitu Wigorniam veniunt, & euolutis paucis diebus, prius comes, poſtea rex, cum maxima expeditione paruam adeunt Herefordiam, hoſtes ſuos hinc inde expugnaturi. Morante itaque rege in illis partibus, Comes memor iniuriarum ciuium ſuorũ, in grandi multitudine armatorum Theokesbiriam inuadit, magnificam domum Glaornenſis Comitis, & omnia quę in circuitu eius erant, quorundam etiam aliorum domos cum rebus ſuis igne combuſſit, vſque ad miliarium vnum diſtantes à Glaorna, rebus tantum Eccleſiæ Theokesbirienſis, victus abbatis & fratrum precibus, pepercit. Non modica præda capta, tam de hominibus & ſupellectili eorum, quam de animalibus, reſpectu mox clementi, qui captiui ducebantur, à vinculis ſolutos ad ſua redire iuſſit, & craſtino Wigorniam rediit, conteſtans omnibus ſe nec in Normannia nec in Anglia tantam combuſtionem vix vnquam peregiſſe. Rex autem rediens Wigorniam, ire perrexit Oxenefordiam. Supradictus Mauritius Bangornenſi, & Vthredus Landauenſi Eccleſiæ præſules à Theobaldo archipræſule Doroberniæ (præſentibus Epiſcopis Herefordenſi & Exceſtrenſi) conſecratur. Rex Wintoniam veniens, conſilio Baronum ſuorum cancellario ſuo Philippo Salesbirienſem præſulatum, & Henrico cuidam monacho, cognato ſuo, Fiſcamnẽſem dedit abbatiam. Sed Philippus à Legato & clero non recipitur, vnde inde aſſumptus Baiocenſi Eccleſiæ poſt aliquantum tempus præficitur. Eclipſis ſolis facta eſt 11. Cal. Aprilis, feria ſecunda, circa horam diei tertiam.

Conſilio Baronum regis Franciæ Philippi, & petitione regis Angliæ Stephani, factum eſt vt illius filius Francorum regis ſororem acciperet in vxorem. Facta eſt deſponſatio illorum menſe Februario, in tranſmarinis partibus, matre regina Anglorum præſente, & quampluribus nobilibus viris ex vtriuſq; regni parte coram poſitis. Miles quidam nomine Robertus, cuiuſdam nobilis viri Huberti erat filius. Hic nec Deum nec homines veritus, ſed totus in ſuis confiſus viribus, Malmesbirienſe caſtellũ cum ſuis doli machinamentis inuaſit, regis militibus qui intus erant quibuſdam in Eccleſiam ſancti præſulis Aldelmi (velut in aſylum) fugientibus. Quos inſecutus, quadam die cum ſuis armis militaribus inſtructis capitulum fratrum intrauit, minis eos territans, ſalua tuitione facultatũ ſuarum, regiæ dignitatis viros cum equis tradi ſibi mandauit. At illi pacem Dei & beati patroni ſui Aldelmi infringere veriti, iuſſis huiuſmodi conſentire renuunt. At demum licet inuiti, quo veſaniæ illius ſatisfaciant, reddunt equos. Diutius illo in caſtello morante, iã vaſtatis omnib. in circuitu rex cũ exercitu ſuperuenit, & fere 8. diebus caſtellũ obſedit. Gulielmus de Ipra, vt fertur, conſanguineus ipſius Roberti ad reddendum caſtellum vtrinque internuntius fuit, idque tandem à rege obtinuit, vt dextris datis & caſtello reddito, regio iuri omnia cedant. Quod & factum eſt. Robertus vero ad Comitem Gloceſtrenſem diuertit, penes illum ad tempus in doli veneno moraturus. Nec mul-

to poſt

to post quia, nullatenus voluit intelligere vt bene ageret, sed vt sanguine sanguinem tangeret, ignorante Comite cum suis ad Diuisas se contulit. Vbi prius vel iam, facta conuentione inter se & suos, si castellum obtineret, nemini vnquam tradendum, dolo malignitatis ex improuiso murum conscendit, regiis militibus qui intus erant signum dedit victoriæ: hinc exteriora castella penetrauit, in plures tyrannidem exercuit. Quarta dehinc die, vi & calliditate malitiosa turrim interiorem possidendam inuadit: & singulis diebus & noctibus, in extollentia cordis vbi omnia deuastat, & mala quæ poterat, agere non cessat. Tandem ad Iohannem illustris militiæ virum, qui tunc in regis fidelitate Merlebergense castellum obseruabat, diuertens: vt suo consilio, immo insilio consentiat & secum teneat, & non solum regi sed etiam Comiti & quibuscunq; poterat in Satan fiat, minando postulat. Si nollet, sciret se ex improuiso capite plectendum. Respondit Iohannes. In virtute Dei quemlibet malo capere, quam ab alio capi dixit. Et mox illum captum in custodiam posuit, vicemque pro vice reddens, omnia tormentorum genera quæ in crudelitate sua prius aliis intulerat, in illum expendi fecit. His omnibus auditis, Comes Glaornensis & Milo Exconstabularius, cum pluribus, ad prædictum Iohannem veniunt: cui ipse Comes quingentas marcas se daturum spopondit, eo pacto vt sibi Robertum ad statutum diem præstaret, ipseque sibi bonos obsides daret. Iohannes placatus pecunia promissa & obsidibus, tradidit illi Robertum eo tenore, vt infra 15. dies sibi redderetur. Hac conuentione facta, Comes reuertitur Glaornam, ducens secum Robertum. Conseritur sermo de reddendo castello Diuisas, qui spontaneo velle sibi tradi postulat. Abnegat Robertus, ne iuramentum quod cum suis iurauerat, in non reddendo scilicet castello, infringeret. At vbi minis fuit territus pro patibuli suspensione, spondet se cessurum petitis, dummodo periculum euadat mortis. Infra statutum diem conuentionis ille malignus Robertus ad præfati Iohannis reducitur præsentiam: Cui nunciat Comes omnia quæ gesta sunt, quomodo minis territus Robertus, promiserat se redditurum castellum. Rogat etiam denuo, quatenus Robertum ad Diuisas secum ire permittat, eo pacto vt si fortassis obtineretur castellum, iuri Iohannis sub eo subigatur. Annuit Iohannes precibus Comitis, qui protinus cum Roberto redit ad Diuisas. Interim idem Iohannes missis literis ad eos, qui extra vel qui infra castellum erant, iureiurando iurauit, nec se nec Comitem aliquid mali facturos Roberto: hoc duntaxat agant, vt iuramentum in non tradendo alicui castellum firmiter teneant. Relicto Exconstabulario Milone & quodam potenti viro Hunfrido & quibusdam aliis apud Diuisas, Comes Glaornam reuertitur, mandans omnibus vt si Robertus renueret sponte reddere castellum, suspenderetur. Renuit Robertus, renuunt & sui, ne viderentur periuri. Quid multis? Vt terror omnibus incuteretur duobus nepotibus Roberti prius suspensis, ipse captus suspenditur. Per omnia benedictus Deus qui tradidit impios. Ante assumptionem sanctæ Mariæ Comes Gloceſtriæ versus Bathoniam mouit exercitum. At rex exploratores multo ante præmiserat, vt hostibus insidias tenderent, & fortissima manu se & sua defenderent. Fit itaq; progressus & congressus. Hinc militum regis, inter quos duo milites erant Iohannes & Rogerus, viri strenui & bellicosi: illinc satellitum Comitis. Capiuntur multi, quamplures vulnerantur & occiduntur. Quorum vnus Galfridus Falebotus, miles quidem strenuus sed dolosus, nunc enim cum rege, nunc cum Comite omnia agens in dolo, morte tenus vulneratur: quo vulnere defunctus 11. Calend. Septembris, Glaornæ sepelitur cum canonicis. Regia vero manus victoria potitur. Ante Natiuitatem sanctæ Mariæ Robertus filius Henrici regis, instinctu Radulphi Paganelli, assumptis secum equitibus Comitis de Warewica cum his quos de Gloceſtria adduxerat, & aliis quamplurimis gregariis militibus, inuasit repente vrbem Snottingaham, & vacuam reperiens bellico apparatu deuastare cœpit, ciuibus vndique fugientibus ad Ecclesias. Captus est vnus ciuium qui locupletior esse dicebatur, & arctius constrictus ductus est ad domum suam, & pecuniam suam prodere coactus. At ille in subterraneum suum prædones nimia sequentes cupiditate induxit, vbi omnis supellex sua videbatur esse. Illis itaque circa direptionem rerum intentis, & ostia & seras frangentibus, ille callide elapsus, cameras & deinde aulæ egressus, ostia omnia post se clausit, & seris firmauit: & impositio igne domos suas & omnem supellectilem suam cum ipsis prædonibus, incendio tradidit. Fecerunt autem amplius quam 30. qui subterraneum intrauerant, illo incendio combustos, & dicunt quidam quod de illo incendio tota vrbs concremata sit. Nam milites omnes, omnisq; exercitus immunes se ab ipso incendio, iuramento asserunt. Combusta est itaq; tota vrbs, & qui extra Ecclesias capi poterant captiui ducti sunt, quidam etiam vsque ad Glaornam. Reliquum vero vulgus, viri scilicet cum mulieribus & paruulis, qui Ecclesias

intrauerant, cum egredi non auderent ne ab hostibus caperentur, sæuiente vbiq; incendio (combustis Ecclesiis) pene omnes perierunt. Crudele spectaculum, & ipsis hostibus nimium miserabile, cum viderent templa Dei igne consumi, quibus etiam paganissimi pepercissent. Itaq; destructa est Snottingaham vrbs nobilissima, cum ex quo Normanmanni Angliam sibi subiugauerant, vsq; ad hoc tempus in summa pace & quiete, populosa multitudine & opulentia rerum omnium referta fuisset. Cuidam monacho literis & scientia nobiliter instructo, Petro nomine, data est ab Henrico Wintonensis Ecclesiæ Episcopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legato, Malmesbirienſis abbatiæ prælatio. Hic apud Cluniacum sumpto habitu religionis, functus est aliquanto tempore prioratu de Caritate. Inde assumptus præficitur monasterio sancti Vrbani Papæ in diœcesi Catalaunensis Ecclesiæ, sed malis crebrescentibus sibiq; imminentibus, locum illum deserere coactus, suadente prædicto Wintonienſi præsule adiit Angliam, prædictamq; hoc anno suscepit Ecclesiam regendam.

1163 4. Stephanus rex Anglorum, post diuturnos labores & obsidiones castellorum, quibus pro pace regni 5. annis & 6. hebdomadibus desudauit, tandem in obsidione Lincolnienſis castelli die Purificationis sanctæ Mariæ, Dominica die Sexagesimæ, à Gloceſtrenſi Comite Roberto, auunculi sui filio, & à Ceſtrenſi Comite Ranulpho, iusto Dei iudicio circumuentus & captus, primo ad Gloceſtrenſem Dominica Quinquagesimæ, deinde ad Briſtowenſem vrbem adductus, & custodiæ mancipatus est. Capti sunt cum eo quamplures fideles ipsius, vinculisq; mancipati. Morabatur interim in vrbe Gloceſtrenſi domina imperatrix, Henrici regis filia: quæ ob illiusmodi euentum vehementer exhilarata, vtpote regnum sibi iuratum sicut sibi videbatur iam adepta. Habito cum suis consilio, quinta feria post acceptos Cineres ex vrbe secedens, comitantibus secum duobus Episcopis, Bernardo Meneuenſi & Nigello Elienſi, & Gisleberto abbate Glaornenſi, cum Baronibus multis, cum militibus ac ministris, Ciriceſtrenſem adiit ciuitatem: ibi primum post tantum gaudium habens hospitium, simul & eiusdem ciuitatis sumens dominium. Inde secedens, cum appropinquaret ad ciuitatem Wintoniæ, occurrunt illi cum gloria & pompa magnifica præsules pene totius Angliæ, Barones multi, principes plurimi, milites innumeri, abbates cum suis diuersi, ex eadem vrbe duo conuentus monachorum, tertius Sanctimonialium, cum processionalibus melodiis & laudibus, clerus vrbis cum ciuibus & populis multis. Traditur itaque eius imperio vrbs nobilissima Wintoniæ, datur eius dominio corona regni Angliæ. Ab ipso Legato maledicuntur qui maledicunt ei, benedicuntur qui benedicunt ei, excommunicantur contradicentes, absoluuntur eius iussioni parentes. A Wintonia egressa cum suis officialibus domina, adit Wiltoniam, vbi ad salutandum eam Cantuarienſis affuit Archipræsul Theobaldus. Affluxit & tam copiosa populorum frequentia, vt præ multitudine introeuntium vix sufficerer aditus portarum. Inde iam peractis festis Paschalibus, ad Radingum infra Rogationes veniens, suscipitur cum honoribus, hinc inde principibus cum populis ad eius imperium conuolantibus. Conuenitur ibi ab eadem de principibus vnus, vocabulo Robertus de Oleio, de reddendo Oxenefordenſi castello. Quo consentiente, venit illa, totiusque ciuitatis & circumiacentis regionis suscepit dominium atque hominium. Proficiscitur inde cum exultatione magna & gaudio, & in monasterio Sancti Albani cum processionali suscipitur honore, & iubilo. Adeunt eam ibi ciues multi ex Lundonia, tractatur ibi sermo multimodus de reddenda ciuitate. His diebus horrendum quid in Wigornenſi contigit diœcesi, quod relatu dignum iudicauimus. Siquidem quarta feria ante octauam Ascensionis dominicæ, circa nonam diei horam, apud Villam quæ Walesburna dicitur, distans ab Hamtonia, Episcopi Wigornenſis villa, miliario vno, ventus turbinis vehemens exortus est, & caligo teterrima pertingens à terra vsque ad cœlum, & concutiens domum presbyteri, cui nomen Leouredus, & officinas eius, omnes solo tenus prostrauit & minutatim confregit, tectum quoque Ecclesiæ abstulit, & vltra Auenam flumen proiecit. Domus etiam rusticorum fere 50. simili modo deiiciens, inutiles reddidit. Grando quoque ad magnitudinẽ oui columbini cecidit, cuius ictibus percussa quædam fœmina occubuit. Hoc viso, qui affuerunt admodum exterriti fuerunt & conturbati. Imperatrix (vt prædiximus) habito tractatu cum Lundonienſibus, comitantibus secum præsulibus multis & principibus, secura properauit ad vrbem, & apud Westmonasterium cum processionali suscipitur honorificentia, ibiq; aliquantis diebus de regni statu dispositura resedit. Et primo quidem, quod decuit, sanctæ Dei Ecclesiæ iuxta bonorum consilium cõsulere procurauit. Dedit itaque Lundonenſis Ecclesiæ præsulatum cuidam Radingenſi monacho, viro venerabili Roberto nomine, præsente & iubente reuerendo Abbate

suo

ſuo Edwardo. Hoc itaq; peracto Dei negotio, interpellauit dominam Anglorum regina, pro domino ſuo rege capto,& cuſtodiæ ac vinculis mancipato. Interpellata quoq; eſt pro eadem cauſa,& à maioribus ſeu primoribus Angliæ,obſidibus multis, caſtellis & diuitiis magnis ſuæ ditioni tradendis, ſi rex abſolutus non regno ſed ſuæ tantũ redderetur libertati. Se enim ei ſuaſuros ſpoponderunt, quatenus regno dimiſſo,Deo ſoli ſiue monachus ſiue peregrinus exinde deſeruiret. At illa non exaudiuit eos, interpellata eſt & ab Epiſcopo Wintonienſi, vt Conſulatus qui fuerat ſui fratris, nepoti ſuo daretur, ſcilicet filio eiuſdẽ regis: ſed nec hunc exaudiuit Domina.Interpellata eſt & à ciuibus,vt leges eis regis Edwardi obſeruare liceret, quia optimæ erant non patris ſui Henrici,quia graues erant. Verum illa non bono vſa conſilio, præ nimia auſteritate non acquieuit eis,vnde & motus magnus factus eſt in vrbe. Et facta coniuratione aduerſus eam, quam cum honore ſuſceperunt, cum dedecore apprehendere ſtatuerunt. At illa à quodam ciuium præmunita,ignominioſam cum ſuis fugam arripuit,omnia ſua ſuorumq; ſupellectili poſt tergum relicta.Quo viſo,præſul Wintoniæ,qui & Legatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ,ad deliberationem fratris ſui mentem appoſuit, atq; ad hoc peragendum Lundonienſium ſibi animos virtutẽq; applicuit. Porro fugiens Domina, per Oxenefordiam venit ad Glauorniam, vbi cum Milone Exconſtabulario conſilio inito ſtatim cum eodem ad Oxenefordenſem reuertitur vrbem, ibi præſtolatura, ſeu recuperatura ſuum diſperſum militarem numerum.Et quia eiuſdem Milonis præcipue fruebatur conſilio,& fouebatur auxilio,vtpote quæ eatenus nec vnius diei,victum nec menſæ ipſius apparatum aliunde, quam ex ipſius munificentia ſiue prouidentia acceperat(ſicut ex ipſius Milonis ore audiuimus) vt eum ſuo arctius vinciret miniſterio, Comitatum ei Herefordenſem tunc ibi poſita pro magnæ remunerationis contulit præmio. Inde iam militum virtute roborata & numero, appropinquante feſtiuitate ſancti Petri,quæ dicitur ad Vincula, ignorante fratre ſuo Comite Briſtowenſi, Wintonienſem venit ad vrbem, ſed eam à ſe iam alienatam inueniens,in caſtello ſuſcepit hoſpitium. Cuius inopinatum aduentum ciuitatis eiuſdem Epiſcopus Henricus miratus, indeq; vehementer turbatus, per aliam egrediens portam,ſeſe tunc & deinceps conſpectibus eius abſentauit. Hinc iam diſcordiis in alterutrum prorumpentibus, ciuitas opulenta & multis retro ante ſeculis glorioſa, & omnibus terris nota atq; famoſa, repentina obſidione parentibus ſecum adinuicem compugnantibus, circumdatur, rebus & hominibus exinanitur, militibus gregariis & conductitiis in hoc ſpirantibus, & furibunde hinc inde conuolantibus. Nec hoc ſolum pontificis iræ potuit ſufficere,quin inſuper ob terrorem ſiue horrorem illis incutiendum,immiſſo igne vrbem totam comburere,furore cogente,decreuit. Quod & fecit. Siquidem ſecundo die menſis Auguſti ignis ciuitati immiſſus, monaſterium ſanctimonialium cum ſuis ædificiis,Eccleſias plus 40. cum maiori ſeu meliori parte ciuitatis, poſtremo cœnobium monachorũ Deo & ſancto Grimbaldo famulantium,cum ſuis ædibus redegit in cineres. Erat in hac Eccleſia ſancti Grimbaldi crux magna, crux ſancta iuſſu regis Canuti dudum fabricata, & ab eodem auro & argento, gemmis & lapidibus pretioſis decentiſſime adornata. Hęc iam ſibi approximante incendio,(quod mirum dictu eſt)quaſi imminens ſibi præſentiens periculum, intuentibus qui aderant fratribus cœpit ſudare, nigreſcere, immo comburentium nigredinem exprimere.Sed & in ipſo concremationis eius momẽto fragor horriſonus tonitrui magni tribus vicibus intonuit quaſi de cœlo. Hoc itaque incendio combuſta ciuitate interius, & ab hoſtibus obſeſſa exterius, dixiſſe fertur Epiſcopus Comiti Northamtonenſi. En Comes ego iuſſi,tu iſta radere ſtude. Quibus dictis, patuerunt inpus tam diutinæ obſeſſionis pertæſus, adueſperaſcente die quæ feſtiuitatem Exaltationis ſanctæ crucis præcedebat,iuſſit per vrbem pacem prædicari, portas ciuitatis aperiri. Iamque domina imperatrix conſcenderat equum,comitante ſeq; conducente fratre ſuo Reginaldo, relictis ob excubias plus ducentis militibus cum Comite Briſtowenſe eiſdem præſidente,cum ecce ſubito præſul,ad arma ſuos conſurgere, & in hoſtes ilico violenter iuſſit inſurgere,quotquot poterant viriliter comprehendere. Comprehenduntur itaque multi,perimuntur hinc & inde plurimi,inter quos quidam miles vocabulo Gulielmus de Curcell cum militibus ſex neci datus,& apud ſanctum Grimbaldum eſt tumulatus. Hæc audiens Domina vehemẽter exterrita atque turbata,ad caſtellum quo tendebat de Ludkereshala,triſtis ac dolens aduenit,ſed ibi locum tutum quieſcendi propter metum Epiſcopi non inuenit. Vnde hortantibus ſuis equo iterum vſu maſculino ſuppoſita,atque ad Diuiſas perducta,cum nec ibi ſecure ſe tutari poſſe ob inſequentes formidaret,iam pene exanimis feretro inuecta, & funibus quaſi cadauer circumligata, equis deferentibus,

sat ignominiosè ad ciuitatem deportatur Glaornensem. Porro frater suus Comes Briestowensis Robertus, per aliam viam egressus, ab insequentibus oppressus est, atq; in loco qui Stolibriege dicitur, à Flammensibus cum Comite Warennensi captus, & reginæ in vrbe residenti præsentatus, Gulielmo de Ipra eius iussu commendatur, & in ciuitate Rofensi custodiæ mancipatur. Comes vero Herefordensis Milo, ab hostibus circumseptus, abiecta sua arma cum supellectili vniuersa, de sola vita lætus ad Glaornam cum dedecore fugiendo peruenit lassus solus & pene nudus. Iohannem etiam fautorem eorum, ad monasterium Warewellense fugientem milites Episcopi persequentes, cum ex inde nullo modo expellere valuissent, in ipsa die festiuitatis Exaltationis sanctæ crucis, immisso igne ipsam Ecclesiam sanctæ Crucis cum sanctimonialium rebus & domibus cremauerunt, indumentis earum & libris cum ornamentis inclementer ablatis, sanguine quoque plurimo coram sancto altari humano horribiliter effuso: prædictũ tamen Iohannem nec capere nec expellere potuerunt. Hoc monasterium regnante glorioso Anglorum rege Eadgaro, Alfrida vxor eius (compuncta priuigni sui nece) ædificauit in honorem sanctæ Crucis. His ita gestis, præsul Henricus, ira quantulumcunque sedata, sed cupiditate admodum dilatata, suggerente priore Noui monasterii nuperrime conflagrati, tulit ex combusta cruce quingentas argenti libras, auri quoq; marcas 30. diademata tria cum totidem scabellis, ex auro Arabico purissimo & lapidibus pretiosissimis vndique operta, opere pulcherrimo & mirifico facta eaq; in suis recondidit thesauris. Seruabantur interea rex & Comes sub custodia: verum regina nimium satagente pro rege, & vicecomitissa valde desudante pro Comite, multis internuntiis & amicis fidelibus hinc inde discurrentibus, amborum deliberationis talis ordinatur conditio, vt rex suo restitutus regno, & Comes sub eo totius Angliæ sublimatus dominio fierent ambo regni & patriæ iusti moderatores & pacis recuperatores, sicut totius dissensionis & turbationis extiterant incentores atque auctores. At Comite id agere renuente absque consensu imperatricis sororis suæ, conuenta de hoc illa omnino contradixit, omnem pacem & concordiam erga regem penitus abnegauit. Vnde factum est, vt ab inuicẽ impacificati discederent, per totum annum deinceps omne regnum cum patria rapinis pauperum, cædibus hominum, violationibus Ecclesiarum crudeliter.

Reliqua desiderantur.

NOMINA PONTIFICVM

Romanorum.

PEtrus.
Clemens.
Anacletus.
Euaristus.
Alexander.
Sixtus.
Thelesphorus.
Higinus.
Pius.
Anicetus.
Sotherus.
Eleutherius.
Victor.
Zepherinus.
Calixtus.
Vrbanus.
Pontianus.
Antheros.
Fabianus.
Cornelius.
Lucius.
Stephanus.
Sixtus.
Dionysius.
Fœlix.
Euticianus.
Caius.
Marcellinus.
Marcellus.
Eusebius.
Melchiades.
Siluester.
Marcus.
Iulius.
Liberius.
Fœlix.
Damasus.
Siricius.
Anastasius.
Innocentius.
Zosimus.
Bonifacius.
Cœlestinus.
Sixtus.
Leo. 1.
Hilarius.
Simplicius.
Fœlix.
Gelasius.
Anastasius.
Simmachus.
Hormisda.
Iohannes.
Fœlix.
Bonifacius.
Iohannes.
Agapitus.
Siluerius.
Vigilius.
Pelagius.
Iohannes.
Benedictus.
Pelagius.
Gregorius.
Sabinianus.
Bonifacius.
Bonifacius.
Deusdedit.
Bonifacius.

Ho-

Honorius.
Seuerinus.
Iohannes.
Theodorus.
Martinus.
Eugenius.
Vitalianus.
Adeodatus.
Conus.
Agatho.
Leo 2.
Benedictus 2.
Iohannes.
Cono.
Sergius.
Iohannes.
Iohannes.
Sisinnius.
Constantinus.
Gregorius.
Gregorius.
Zacharias.
Stephanus.
Paulus.
Stephanus.
Adrianus.
Leo 3.
Stephanus.
Paschalis.
Eugenius.
Valentinus.
Gregorius.
Sergius.
Leo 4.
Benedictus 3.
Nicolaus.
Adrianus.
Iohannes.
Martinus.
Agapitus.
Adrianus.
Basilius.
Stephanus.
Formosus.
Bonifacius.
Stephanus.
Romanus.
Theodorus.
Iohannes.
Benedictus 4.
Leo 5.
Christophorus.
Sergius.
Anastasius.
Lando.
Iohannes.
Leo 6.
Stephanus.
Iohannes.
Leo 7.
Stephanus.
Marinus.
Agapitus.
Iohannes.
Iohannes.
Stephanus.
Stephanus.
Marinus.
Agapitus.
Octauianus.
Leo 8.
Benedictus 5.
Iohannes.
Benedictus 6.
Clemens.
Damasus.
Leo sanctissimus, qui vocatur Brunus.
Victor, q vocatur Gebeard⁹.
Stephanus, qui & Fridericus.
Benedictus, qui postea electus est statim.
Nicolaus, qui & Gerardus.
Alexander, qui & Anselmus.
Gregorius, qui & Hildebrandus.
Victor, qui & Desiderius, Cassinensis abbas.
Vrbanus 2. qui & Odo, annis 11. diebus 7.
Paschalis 2. annis 18.
Gelasius Caitanus.
Calixtus.
Honorius Ostiensis.

NOMINA LXXII. DISCIPVLORVM CHRISTI.

1 Iacobus Iustus.
2 Matthias.
3 Ioseph.
4 Iosephalius.
5 Marcus Euangelista.
6 Barnabas.
7 Lucas Euangelista.
8 Cleophas.
9 Seneca.
10 Simeon.
11 Lucius.
12 Manain.
13 Sostenes.
14 Cephas.
15 Taddeus.
16 Ermen, qui & Pastor.
17 Andronicus.
18 Iohannes.
19 Amplias.
20 Vrbanus.
21 Erodion.
22 Asincritis
23 Nason.
24 Stephanus, 1. martyr.
25 Philippus.
26 Procorus.
27 Nicanor.
28 Simon.
29 Parmena.
30 Aquila.
31 Iudas.
32 Hilas.
33 Siluanus.
34 Simon Cleophæ.
35 Iason.
36 Agabus.
37 Ananias.
38 Ignatius.
39 Simon Quirinensis.
40 Alexander.
41 Rufus.
42 Nathanael.
43 Nicodemus.
44 Cleophas.
45 Simon.
46 Iudas.
47 Iacobus.
48 Simon.
49 Simon Coriarius.
50 Lucas.
51 Barnabas.
52 Iohannes.
53 Barnabas.
54 Stephanus.
55 Chrosius.
56 Hilichus.
57 Gaius.
58 Flegonta.
59 Ermen.
60 Apellen Probabilis.
61 Dionysius Ariopagita.
62 Æpenetus.
63 Iesus, qui dicitur Iustus.
64 Stachin.
65 Ponplius.
66 Aristobulus.
67 Stephanus Corinthiensis.
68 Erodius.
69 Rufus.
70 Olimpius.
71 Titus.
72 Philemon.

Hi sunt qui electi fuerunt ab Apostolis in ordinem, pro ipsis qui recesserant.

NOMINA HEBRAEORVM PONTIFICVM VSque ad Salomonis imperium, secundum Iosephum historiographum.

1 Aaron.
2 Eleazar.
3 Finees.
4 Abiezer.
5 Buzi.
6 Ozi.
Hi de domo fuerant Eleazari.
7 Heli.
8 Finees Ofni.
9 Achias.
10 Abimelech.
11 Abiathar.
Hi de domo Ithamari filii Aaron fuerunt.
Nomina Episcoporum Hierosolymorum vsque Babylonis transmigrationem.
1 Sadoch.
2 Achimaas.
3 Zacharias.
4 Ioram.
5 Axioramus.
6 Phideas.
7 Iudeas.
8 Hilus.
9 Ioatham.
10 Vrias.
11 Nerias.
12 Odeas.
13 Sellum.
14 Helchias.
15 Zaroch.
16 Iosedech. Iosedech captiuus in Babyloniam ductus est.
Hi rursus de domo Eleazari fuerunt.

NOMINA HIEROSOLYMORVM Pontificum post captiuitatem.

1 Iesus vel Iosue, filius Iosedech.
2 Ioachim.
3 Eliasib.
4 Ioachim, qui & Iudas Hic fratrem suum Iesum, quia aduersus illum altercatus est in templo, occidit: vnde templum à Persis violatur, & populus ad seruitutem redigitur.
5 Iaddus. Hoc pontificante, rex Alexander Macedo venit Hierosolymam.
6 Onias, filius eius.
7 Simon. Qui iustus appellabatur propter pietatem, quam in Deum habuisse videbatur.
8 Eleazarus frater eius. Hic Ptolemæo Philadelpho Ægyptiorum regi 70. interpretes misit.
9 Manasses, patruus eorum.
10 Onias, filius Simonis Iusti.
11 Simon, filius Oniæ.
12 Onias.
13 Iesus, qui & Iason.
14 Onias, qui & Menelaus. Iosephus narrat Oniam, Iasonem, & Menelaum, filios summi sacerdotis Simonis extitisse: & Onia defuncto, regem Antiochum Epiphanem Iasoni sacerdotium pro pecunia dedisse, eique ratum id abstulisse, ac iuniori fratri Menelao pro pretio contulisse. Deinde Antiochum Eupatorem eundem Menelaum suasione Lisiæ peremisse, & Alchimum (non existentem de genere sacerdotum) pontificem constituisse, eumq; plaga Dei repentina percussum, ac per multos dies tortum, detestabiliter expirasse, illoque defuncto populum Iudæ Machabæo sacerdotiũ tradidisse. Hieronymus vero dicit: Iasonem fratrem suum Oniã supplantasse, & à rege Antiocho Ephiphane sacerdotiũ per ambitionem obtinuisse, & ad gentilem ritum contribulos suos transtulisse. Sed à pontificatu post triennii tempus, amotum fuisse, per supplantationem Menelai, quem dicit fratrem Simonis templi præpositi fuisse, ipsumque Menelaum dum regi Antiocho Epiphani pecunias quas illi Iason per illum miserat sacerdotiũ in semetipsum retorsisse. Verum qa de pecuniis regi promissis nil agebat, amotũ à sacerdotio fuisse, & suum fratrẽ Lisimachum successisse. Postea Menelaum aurea vasa è templo furata, pro nece Oniæ qui pro furto illum arguerat, Andronico dedisse: ac pro hoc, iussu prędicti regis Andronicum peremptũ fuisse. Deinde refert Menelaum præcepto regis Antiochi Eupatoris suasu Lisiæ necatum fuisse, & regem Demetrium in summum sacerdotium Alchimum constituisse, illumq; cum muros domus sanctæ interioris destruere vellet, paralysi dissolutum, ac cum tormento magno mortuum fuisse.
15 Alchimus qui & Ioachim.
16 Iudas Machabæus.
17 Ionathas.
18 Simon.
19. Iohannes, qui & Hircanus, filius Simonis. Hic tribus rebus à Deo dignus est iudicatus, magistratu populi, principatu sacerdotii, & prædicatione prophetiæ.
20 Aristobulus filius eius, hic magistrum ad regiam dignitatem transferre decreuit, primusq; sibi diadema imposuit.
21 Alexander filius eius.
22 Hircanus filius eius.

23. Ari-

23 Aristobulus frater eius. Hic cum fratre suo Hircano de potestate confligens, principatum obtinuit: sed Pompeius Hircanum rursus in pristinum honorem restituit.
24 Antigonus filius Aristobuli.
25 Ananelus. Hunc genere Iudæum, rex Herodes, filius Antipatri, ex ignobilissimis accitum de Babylonia, pontificem Iudæorum constituit. Post vero temporis exiguum Aristobulum fratrem vxoris suæ Mariamnæ, neporem Hircani, successorem dedit.
26 Aristobulus. Hoc post annum interfecto, rex Herodes rursus Ananelo reddidit sacerdotium.
27 Iesus filius Foabetis.
28 Simon.
29 Matthias.
30 Iosephus.
31 Azarus.
32 Eleazarus.
33 Iesus.
34 Iozarus.
35 Matthias.
36 Annanus. Hoc pontificante, Christus baptizatur à Iohanne.
37 Ismael.
38 Eleazarus.
39 Simon.
40 Iosephus, qui & Caiphas. Hoc pontificante passus est dominus.
41 Ionathas.
42 Eophilus.
43 Pethosimon.
44 Matthias.
45 Elionæus.
46 Gauterius.
47 Ioseph.
48 Ismael.
49 Ioseph.
50 Anamas.
51 Iesus.
52 Iesus.
53 Matthias.
54 Fisanus. Hoc pontificante, Hierusalem à Tito Vespasiani filio, funditus destruitur. Deficientibus pontificibus veteris testamenti, surrexerunt post ascensionem Christi pontifices noui Testamenti. Quorum nomina sunt hæc.
1 Iacobus frater domini.
2 Simeon filius Cleophæ.
3 Iustus.
4 Zachæus.
5 Tobias.
6 Beniamin.
7 Iohannes.
8 Matthias.
9 Philippus.
10 Seneca.
11 Iustus.
12 Leui.
13 Effrem.
14 Ioseph.
15 Iudas. Hi sunt qui ex circumcisione fuerunt. Sequentes vero ex Gentibus extiterunt.
1 Marcus.
2 Passianus.
3 Publius.
4 Maximus.
5 Iulianus.
6 Caianus.
7 Simmachus.
8 Caius.
9 Iulianus.
10 Capito.
11 Maximus.
12 Antonius.
13 Valens.
14 Iulicianus.
15 Narcissus.
16 Aius.
17 Germanio.
18 Gordius.
19 Narcissus iterum.
20 Alexander.
21 Gazabanes.
22 Emenæus
23 Zabda.
24 Ermon.
25 Zacharias.
26 Quiriacus: qui & Iudas. ab hoc, sancta exigente Helena, Crux domini cũ clauis, est inuenta.
27 Maximus.
28 Cirillus.

NOMINA ARCHIEPISCOPORVM *Dorobernensis Ecclesiæ.*

1 Augustinus.
2 Laurentius.
3 Mellitus.
4 Iustus.
5 Honorius.
6 Deusdedit.
7 Theodorus.
8 Brihtwaldus.
9 Tadwinus.
10 Nothelmus.
11 Cuthbertus
12 Breogwinus.
13 Iainbertus.
14 Æthelhardus.
15 Wulfredus.
16 Feologildus.
17 Ceolnothus.
18 Æthelredus.
19 Pleigmundus.
20 Athelmus.
21 Wulfhelmus.
22 Odo.
23 Dunstanus.
24 Æthelgarus.
25 Sigericus.
26 Alfricus.
27 Alpheagus.
28 Liuingus.
29 Æthelnothus.
30 Eadsius.
31 Robertus.
32 Stigandus.
33 Lanfrancus.
34 Anselmus.
35 Radulphus.
36 Gulielmus
37 Theobaldus.

NOMINA EPISCOPORVM *Roffensis Ecclesiæ.*

1 Iustus.
2 Romanus.
3 Paulinus.
4 Ithamarus.
5 Damianus.
6 Putta.

7 Quichel.

7 Quichelmus.
8 Gebmundus.
9 Tobias.
10 Aldulfus.
11 Dunnus.
12 Eardulfus.
13 Diora.
14 Wermundus.
15 Beornmodus.
16 Burhricus.
17 Alstanus.
18 Godwinus.
19 Godwinus.
20 Siwardus.
21 Arnostus.
22 Gundulfus.
23 Radulfus. Hic post Anselmum Doroberniæ archipræsulatum suscepit.
24 Earnulfus.
25 Iohannes.

EASTSAXONIA.

Nomina Episcoporum Lundoniensis Ecclesiæ.

1 Mellitus.
2 Ceadda.
3 Wina.
4 Erconwoldus.
5 Waldherus.
6 Ingualdus.
7 Ecguulfus.
8 Wighedus.
9 Eadbrihtus.
10 Eadgarus.
11 Coenwalchus.
12 Eadbaldus.
13 Heathoberhtus.
14 Osmundus.
15 Æthelnothus.
16 Ceolberhtus.
17 Ceorulfus.
18 Swithulfus.
19 Heahstanus.
20 Wulffius.
21 Æthelwardus.
22 Ealhstanus.
23 Theodredus.
24 Wulstanus.
25 Brihthelmus.
26 Dunstanus.
27 Alfstanus.
28 Wulstanus.
29 Alhunus.
30 Alwius.
31 Alfwardus.
32 Robertus.
33 Gulielmus.
34 Hugo.
35 Mauritius.
36 Ricardus.
37 Gilebertus.
38 Robertus.

EASTANGLIA.

Christianissimo rege Eastanglorum Sigeberto regnante, Fœlix Episcopus genere Burgundus, Eastanglos ad fidem Christi conuertit: & primus illorum præsul existens, in ciuitate Dommocensi sedem Episcopatus accepit.

Nomina Episcoporum Eastanglorum.

1 Fœlix.
2 Thomas.
3 Bertgilsus, qui & Bonifacius.
4 Bisa.

Postea Eastanglia in duas parochias diuiditur.

Nomina Episcoporum Elmamensium.

1 Beadwinus.
2 Northbertus.
3 Heatholacus.
4 Æthelferthus.
5 Lanferthus.
6 Æthelulfus.
7 Hunferhtus.
8 Sibba.
9 Hunferthus.
10 Hunbrihtus.

Nomina Episcoporum Dommocensium.

1 Æcca.
2 Æsculfus.
3 Eardredus.
4 Cuthwinus.
5 Aldbertus.
6 Ecglafus.
7 Headredus.
8 Alfhunus.
9 Hidferthus.
10 Wermundus.
11 Wilredus.

Tempore Ludicani regis Merciorum & Egberti regis Westsaxonum, Hunbrithus & Wilredus Eastanglorum gesserunt præsulatum.

12 Athulfus: Hic regis Eadwii tempore Eastangliæ præsulatum solus rexit. Eodemq; modo illius successores.
13 Alfricus.
14 Theodredus.
15 Theodredus.
16 Æthelstanus.
17 Algarus.
18 Alwinus.
19 Ælfricus.
20 Ælfricus.
21 Stigādus. Sed statim electus est. Pro quo,
22 Grimkitellus pro auro electus. Habuit duas parochias tunc, Australium Saxonum & Orientalium Anglorum. Sed ille postmodum electus est, &
23 Stigandus receptus.
24 Agelmarus, frater Stigandi.
25 Arfastus.
26 Gulielmus.
27 Herbertus.
28 Euerardus.
29 Gulielmus.

SOVTSAXONIA.

Wilfridus Australes Saxones (rege Coenwalcho regnante) ad fidem Christi conuertit, & illis in partibus annis quinq; officium Episcopatus exercuit. Vectæ quoque Insulæ verbi ministros destinauit.

Nomina Episcoporum Australium Saxonum.

1 Wilfridus.
2 Eadbertus. Hic erat abbas monasterii sancti Wilfridi Episcopi, quòd dicitur Selesig. Postea, vt decretum est Synodali decreto, prouinciæ Australium Saxonum, quæ eatenus ad ciuitatis Wentanæ (cui tunc Daniel præerat) parochiam pertinebat, post Wilfridum pontificiali iure præficitur.
3 Eolla.
4 Sigga.
5 Aluberhtus.
6 Osa.
7 Siselherus.
8 Tota.
9 Wihthunus.
10 Æthelulfus.
11 Coenredus.
12 Gutheardus.
13 Alfredus.
14 Eadelmus.
15 Æthelgarus.
16 Ordbrihtus.
17 Ælmarus.
18 Æthelricus.
19 Grimkitellus.
20 Heca.
21 Stigandus. Hic de Seleseia ad Ciceſtriam mutauit sedem.
22 Gulielmus.
23 Radulfus.
24 Sigefridus.

WESTSAXONIA.

Sanctus Birinus primus Occidentalium Saxonum præsul extitit. Is ab Honorio Papa missus, Angliam venit: & Kinegilsum regem cũ sua gente ad fidem conuertens baptizauit, ac solus Westsaxoniam pontificali iure rexit, habens sedem Episcopalem in ciuitate Dorcica.

Nomina præsulum Wentanæ ciuitatis.

1 Birinus.
2 Ægelberhtus.
3 Wina. Tempore Ægelberthi Episcopi Coenwalchius rex Westsaxoniam in duas parochias diuisit. Vnde Ægelberhtus grauiter offensus, dimisso præsulatu, in Galliam rediit, & Wina ambas parochias iure pontificali rexit, sed paulo post ab ipso rege præsulatu pulsus, Lundoniæ ciuitatis Episcopatum accepit.
4 Leutherius. Leutherius Episcopatum Gewissorum solus rexit.
5 Headdus. Sanctus Headdus Gewissorum Episcopatum solus gessit. Quo defuncto, præsulatus illius in duas prouincias rege Westsaxonum Ina regnante, & Brihtwaldo Doroberniæ Archiepiscopo, Wicciorumq; præsule Egwino pontificantibus, est diuisus. Vna data est Danieli, altera Aldelmo eiusdem regis propinquo.
6 Daniel.
7 Hunfrithus.
8 Kinehardus.
9 Æthelhardus.
10 Egbaldus.
11 Dudda.
12 Kineberthus.
13 Alhmundus.
14 Wigtheinus.
15 Herefridus.
16 Eadmundus.
17 Helmstanus.
18 Suithunus.
19 Alhfrithus.
20 Denewlfus.
21 Fritheſtanus.
22 Birnstanus.
23 Alpheagus caluus.
24 Alfsius.
25 Æthelwaldus.
26 Alpheagus martyr.
27 Kenulfus.
28 Athelwoldus.
29 Alfsius.
30 Alfwinus.
31 Stigandus.
32 Walcelinus.
33 Gulielmus.
34 Henricus.

NOMINA PRAESVLVM SVNnungnensis Ecclesiæ.

Rex Anglorum Eadwardus primus & Archipræsul Doroberniæ Pleigmundus, salubri consilio inuento, singulis tribubus Gewissorum singulos constituentes Episcopos, singulis Episcopia constituerunt, & quod dudum duo habuerunt, in 5. diuiserunt. Quibus gestis, Pleigmundus in ciuitate Dorobernia septem Episcopos septem Ecclesiis in vna die consecrauit. Fritheſtanum ad Ecclesiam Wintonienſem. Æthelstanũ ad Ecclesiam Cortuinensem, Werstanum ad Ecclesiam Scireburnensem, Æthelhelmum ad Ecclesiã Fontanensem, Eadulfum ad Ecclesiam Cridiatunensem, Australibus Saxonibus. Bernethum, & Merciis Australibus Coenulfum ad ciuitatem quæ vocatur Dorceſtria,

1 Æthel-

1 Æthelstanus.
2 Odo. Hic vir sanctus post Wulfhelmum Doroberniæ suscepit præsulatum.
3 Osulfus.
4 Alfstanus.
5 Alfgarus.
6 Sigericus.
7 Alfricus.
8 Brihtwoldus. Hi ambo extiterunt archiepiscopi Doroberniæ.
9 Heremannus. Hic præsulatum Scireburnensem ab Eadredo rege acquisiuit, Episcopatui suo copulauit, & Cathedram pontificalem vtrorumq; Episcopatuum Scireburnæ sibi constituit. Sed rege Gulielmo seniore regnãte, Synodali auctoritate ac eiusdem regis munificentia inde ad Saresbiriam sedem suam mutauit.
10 Osmundus.
11 Rogerus.

Nomina præsulum Scireburnensis Ecclesiæ.

Sanctus Aldelmus, Inæ regis Westsaxonum amantissimi propinquus, citharœdus erat optimus, Saxonicus atque latinus erat poeta facundissimus, cantor peritissimus, doctor egregius, sermone nitidus, scripturarum tam liberalium quam Ecclesiasticarum eruditione mirandus. Extitit enim prius docti viri Maidulfi, dein Archipræsulis Theodori, & eius cooperatoris abbatis Adriani discipulus. Hic cum adhuc esset abbas Maidulfi vrbis, scripsit librum egregium aduersus errorem Britonum, cuius lectione multos eorum ad catholicam dominicæ Paschæ celebrationem perduxit. Scripsit & alia nonnulla, vt pote vir vndecunq; doctissimus.

1 Aldelmus.
2 Fortherus.
3 Herewaldus.
4 Æthelmodus.
5 Denefrithus.
6 Wiberthus.
7 Alhstanus.
8 Heahmundus.
9 Æthelheagus.
10 Alfsius.
11 Asserus.
12 Æthelwardus.
13 Werstanus.
14 Æthelbaldus.
15 Sigelmus.
16 Alfredus.
17 Alfsius.
18 Alfwoldus.
19 Æthelricus.
20 Æthelsius.
21 Brihtwinus.
22 Ælmarus.
23 Birhtwinus.
24 Ælfwoldus.

Nomina præsulum Fontanensis Ecclesiæ.

1 Æthelmus.
2 Wulfhelmus, Horum vterque Archiepiscopus extitit Doroberniæ.
3 Alpheagus.
4 Wulfhelmus.
5 Brihthelmus.
6 Kinewardus.
7 Sigarus.
8 Alfwinus.
9 Liuingus.
10 Æthelwinus. Hic prius Eoueshamnensis extitit abbas.
11 Birhtwinus.
12 Birhtwius.
13 Bodeca Saxonicus.
14 Gisa.
15 Iohannes.
16 Godefridus.
17 Robertus.

Nomina præsulum Cridiatunensis Ecclesiæ.

1 Eadulfus.
2 Æthelgarus. Hic Sancto Dunstano successit in Archiepiscopatu.
3 Alfwoldus.
4 Sidemannus.
5 Alfricus.
6 Alfwoldus.
7 Alfwoldus.
8 Eadnothus.
9 Liuingus. Hic, defuncto Brihtwaldo suo auunculo, Cornubiensem præsulatum, rege Eadwardo permittente, Domnaniensi coadunauit episcopatui.
10 Leofricus.
11 Osbernus.
12 Gulielmus.

HECANA.

Nomina præsulum Magesetensium siue Herefordensium.

1 Putta.
2 Tirhtellus.
3 Torhtheras.
4 Wahlstodus.
5 Cutbertus.
6 Potta.
7 Ecca.
8 Ceadda.
9 Aldbertus.
10 Esna.
11 Ceolmundus.
12 Vtellus.
13 Wulfhardus.
14 Beonna.
15 Eadulfus.
16 Cuthwlfus.
17 Mucellus.
18 Deorlafus.
19 Cinemundus.
20 Eadgarus.
21 Tidhelmus.
22 Wulfhelmus.
23 Alfricus.
24 Athulfus.
25 Æthelstanus.
26 Leouegarus.
27 Walterus.
28 Robertus.
29 Gerardus.
30 Reignelmus.
31 Gosfridus.
32 Ricardus.
33 Robertus.

Hwic-

HWICCIA.

DE PONTIFICALI SEDE QVOMODO primitus statuta sit Wigorniæ.

EGREGIO Merciorum regi Wlfario, qui regum totius Merciæ fidem Christi primus suscepit, germanus suus glorioſus rex sanctus Æthelredus in regnum succeſſit. Cui Hwicciorum subregulus Osherus, vir multum laudabilis, Hwicciam, cui dignitate præsidebat regia, proprii antistitis dignitate honorari sublimariq; desiderans regimine, cõsilium dedit vtile, rogauitq; summopere quatenus suum, quod tunc cæteris regnis præminebat Angliæ, pluribus antistitib. decoraret venustius, ac honoraret sublimius, sicut quosdam reges Angliæ nouerat olim feciſſe. Qui cum prius id idem faciendi magno flagraret desiderio, mox eius suasionibus salubribusq; consiliis acquieuit, & Archipræsule Dorberniæ Theodoro ad se accersito, rogauit vt (regno suo plures in parochias diuiso) Episcopos locis constitueret opportunis. Ille autem vtile satis regis votum gratanter approbans, quod rogabatur sine dilatione maturauit explere. Itaq; diœceſim, cui tunc Saxulfus Pontificali regimine præfuit, cum consensu eiusdem regis ac principum illius, in quinq; parochias diuiſit, anno ab incarnatione domini secundum Euangelium 701. iuxta Dionysium (cuius errorem adhuc sancta sequitur Eccleſia) anno 679. Et quia ciuitas Wigorniæ tempore quo regnabant Britones vel Romani in Britannia, & tunc & nunc totius Hwiciæ vel Mageſitaniæ metropolis extitit famoſa, cathedram erexit pontificalem dignitater in ea, parochiarum iam diuiſarum primam constituens Hwicciam. Ad quam de monaſterio Hildæ abbatiſſę vir strenuiſſimus ac doctiſſimus Tatfridus electus eſt antiſtes. Sed priusquam ordinari poſſet, morte præreptus eſt immatura.

2. Secundam autem illam, quæ pertinet ad Episcopatum Licetfeldenſem, cui virum religioſum ac modeſtum Cuthwinum præfecit.

3. Tertiam vero Mediterraneam Angliam, in qua prædictus Episcopus Saxulfus (quia ita sibi placuit) reſedit, pontificali cathedra illa constituta in ciuitate Leogera.

4. Quartam denique Lindiſſim prouinciam, cui præpoſuit virum sanctum Æthelwinum germanum sancti Aldwini, abbatis monaſterii quod Partaneum nuncupatur: ſtatuens ei Episcopalem sedem in ciuitate, quæ vocatur Siddena.

5 Quintam vero constituit Suthangliam, ad quam de præfato monaſterio Hildæ abbatiſſæ, singularis meriti & sanctitatis virum Æthlamum elegit antiſtitem, eiq; præſulatus sedem in loco qui vocatur Dorcaceſtra constituit. Porro pro Tatfritho venerabilis vir Boſelus electus, ab ipſo Theodoro sicut cæteri ordinatus eſt Episcopus, habens Episcopalem sedem in prædicta ciuitate Wigorna, quæ tunc temporis altis muris & mœnibus pulcris decorata, multis vrbibus clarior extitit atq; ſublimior.

Nomina Præſulum VVicciorum.

1 Boſelus.
2 Oſiforus.
3 Egwinus.
4 Wilfridus.
5 Milredus.
6 Weremundus.
7 Tilherus.
8 Eathoredus.
9 Deneberthus.
10 Heaberhtus.
11 Alhwinus.
12 Wereferthus.
13 Wilfertus.
14 Æthelhunus.
15 Kinewoldus.
16 Dunſtanus.
17 Oſwaldus.
18 Aldulfus.
19 Wulſtanus.
20 Leoffius.
21 Brihteagus.
22 Liuingus.
23 Aldredus.
24 Wulſtanus.
25 Samſon.
26 Teoulfus.
27 Simon.
28 Iohannes.

MERCIA.

Nomina Epiſcoporum Licetfeldenſium.

Interfecto rege Pagano Merciorum Penda, cum Oſwius rex Christianus regnũ eius acciperet, & gentem Merciorum finitimarumq; prouinciarum anno dominicæ incarnationis 656. ad fidem Christi conuertit, factus eſt Diuma 1. Episcopus Merciorũ, Mediterraneorum Anglorum, Lindisfarorum, contiguarumq; prouinciarum. Secundus Cellachus: vterq; Scotus. Tertius Trumherus, ſub rege Wulfero primus. Quartus Iarumannus. Quintus Ceadda, cuius pontificalis ſedes extitit in loco, qui dicitur Licetfeld. vbi ſequentium quoq; prouincæ illius Episcoporum ſedes fuit. Sextus Winfridus. Septimus Saxulfus. Hi quinq; Angli extitere.

1 Diuma.
2 Ceollachus.
3 Trumherus.
4 Iarumannus.
5 Ceadda.
6 Winfridus.
7 Saxulfus.
8 Headda.
9 Aldwinus, qui & Wor.
10 Huita.
11 Hemelus.
12 Cuthfridus.
13 Berthunus.
14 Higbertus.
15 Aldulfus
16 Herewinus.
17 Æthelwaldus.
18 Hunberhtus.
19 Cineferthus.
20 Tunbrihtus. Hic geſſit Epiſcopatũ tempore regis Merciorum Burhredi, & regis Weſtſaxonum Alfredi.
21 Ælla, qui & Ælfwinus. Hic præſulatum geſſit tempore Æthelſtani regis totius Angliæ.
22 Alfgarus.
23 Cinſius.
24 Winſius.
25 Ælfegus.
26 Godwinus.
27 Leouegarus.
28 Brihtmarus.
29 Wulſius.
30 Leofwinus.
31 Petrus.
32 Robertus de Limeſia.
33 Robertus Peche.
34 Rogerus de Clintona.
35 Walterus.

MIDANGLIA.

Nomina præſulum Leogerenſium.

1 Cuthwinus.
2 Wilfridus. Poſt Saxulfum, prouincia Merciorum duos Epiſcopos habuit, Headdam & Wilfridum, Haguſtaldenſis Epiſcopus Wilfridus præſulatu pulſus, Leogerenſem Epiſcopatum (Æthelredo rege concedente) ſuſcepit: ſed poſt aliquot annos eiicitur, & Headda rexit ambas parochias. Deinde Aldwinus ſimiliter.
3 Aldwinus.
4 Totta.
5 Eadberhtus.
6 Vnwona.
7 Werenberthus.
8 Rethunus.
9 Aldredus.
10 Ceolredus. Hic pontificatum geſſit tempore regis Merciorum Burhredi, & regis Weſtſaxonum Alfredi.
11 Leofwinus. Hic duas parochias Leogerenſem ſcilicet & Lindisfarorum in vnum coadunatas, tempore regis Anglorum Eadgari rexit.
12 Ælnothus.
13 Æſwius. Huius adminiculo & adminiſtratione S. Oſwaldus Rameſienſe Cœnobiũ, quod ipſe & Dux Eaſtanglorum Æthelwinus à fundamentis conſtruxerant, conſecrauit.
14 Alfhelmus.
15 Eadnothus.
16 Æthericus.
17 Eadnothus.
18 Vlfus. Sed poſtmodum eiectus.
19 Wulfwius.
20 Remigius. Hic ſedem ad Lincolniam tranſtulit.
21 Robertus.
22 Alexander.
23 Roberthus.

LINDISSIS.

Nomina præſulum Lindisfarorum.

Rex Northanhimbrorum Egfridus, fugato in bello rege Merciorum Wulfero, prouinciam Lindiſſim obtinuit, & inde Saxulfum Epiſcopum expulit. In cuius locum anno dominicæ incarnationis 678. primus ad eandem prouinciam ab Archiepiſcopo Theodoro proprius ordinatus eſt Epiſcopus Eathedus regis Ecgfridi Capellanus. Sed quia anno ſequenti Merciorum rex Æthelredus bellica ſorte prouinciam recuperauit, dimiſſo præſulatu in Northimbriã rediit, & poſt à Theodoro Archiepiſcopo, Rhipenſi Eccleſiæ præficitur. Cuius poſt diſceſſum rex Æthelredus, Oſhero Wicciorum rege ſuggerẽte, Theodorum Archiepiſcopum rogauit, vt regno ſuo plures in parochias diuiſo, Epiſcopos locis conſtitueret opportunis. Cuius ille votum gratanter approbauit, & præſulatum Saxulfi in 5. parochias diuiſit, quibus ſextam adiecit.

1 Eathedus.
2 Æthelwinus.
3 Eadgarus.
4 Kinebirhtus.

5 Alo-

5 Alowiochus.
6 Ealdulfus.
7 Ceolulfus.
8 Ealdulphus.
9 Brihtredus.

Iſte Epiſcopatum geſſit tempore regis Merciorum Burhredi, & regis Weſtſaxonum Alfredi.

DEIRA.

NOMINA ARCHIEPISCOPORVM ET Epiſcoporum Northunbranæ gentis.

Nomina Archiepiſcoporum Eboracenſium.

Vir Deo dilectus Paulinus, à Iuſto Archiepiſcopo miſſus, regem Northimbrorum Eadwinum cum tota ſua gente ad fidem Chriſti conuertit, in Eboraco Epiſcopali ſede accepta. At rege interfecto, rebusq; Northimbrorum turbatis, Cantiam nauigio rediit, atque ab Honorio Archiepiſcopo & rege Eadbaldo honorifice ſuſceptus, eorum inuitatione præſulatum Rofenſis Eccleſiæ mortuo Romano ſuſcepit. In qua moriens pallium (quod ab Honorio Papa ſuſceperat) reliquit.

1 Paulinus.
2 Cedda.
3 Boſa.
4 Iohannes.
5 Wilfridus.
6 Egbertus.
7 Coena.
8 Eanbaldus.
9 Eanbaldus.
10 Wulfſius.
11 Wigmundus.
12 Wulfherus.
13 Æthelbaldus.
14 Redewardus.
15 Wulſtanus.
16 Oskitellus.
17 Oſwaldus.
18 Aldulfus.
19 Wulſtanus.
20 Ælfricus.
21 Kinſius.
22 Aldredus.
23 Thomas.
24 Gerardus.
25 Thomas.
26 Thurſtanus.

S. Ceadda tribus annis Eccleſiam Eboracenſem regens, ad monaſterii ſui (quod Laſtingaig dicitur) curam ſeceſſit, Wilfrido Eboracenſis Eccleſiæ nec non & omnium Northanhimbrorum ſed & Pictorum Epiſcopatum adminiſtrante. Quo à rege Egfrido præſulatu pulſo, Boſa Eboracenſem, Eata ad Haguſtaldenſem Eccleſiã à Theodoro Archiepiſcopo in locum eius conſecrati ſunt Epiſcopi. Quorum numero, poſt tres annos abſceſſionis Wilfridi, duos addidit antiſtites, ad Eccleſiam Haguſtaldenſem Tunberto remanente, Eata ad Lindisfarnenſem, & Trunwino ad prouinciam Pictorum. Eathedum vero de Lindiſſi reuerſum Rhipenſi Eccleſiæ præfecit. Tunberto depoſito, Eata ad ſedem Haguſtaldenſem reuertitur: & Cutbertus Lindisfarnenſi Eccleſiæ præficitur. Defuncto Eata, Iohannes pro eo ordinatur. Poſt longum vero exilium, Wilfridus iterum in Epiſcopatum Haguſtaldenſem recipitur. Iohanne vero defuncto, Boſa Eboraci ſubſtituitur.

Nomina Epiſcoporum Rhipenſium.

1 Eadrhedus.
7 Acca.
8 Friothebertus.
9 Alhmundus.
10 Tilbertus.
11 Æthelbertus.
12 Heardredus.
13 Eanbertus.
14 Tidferthus.

Haguſtaldenſium.

1 Wilfridus.
2 Eata.
3 Tunbertus.
4 Eata.
5 Iohannes.
6 Wilfridus.

BERNICIA.

Sanctus Aidanus à Scotis Epiſcopus ordinatus, ac miſſus prouinciis in quibus regnauit rex Oſwaldus, verbum fidei prædicauit: & ab ipſo rege in Inſula Lindisfarnenſi ſedem Epiſcopalem (vt petebat) accepit. Quo de hac vita ſublato, Finanus pro illo gradum Epiſcopatus (à Scotis ordinatus ac miſſus) accepit. Quo defuncto, Colmanus in Epiſcopatum ſucceſſit, & ipſe miſſis à Scotis. Quo Epiſcopatu dimiſſo, ac patriam reuerſo Tuda, tum ſucceſſit, & ipſe miſſus à Scotis. Quo Epiſcopatu dimiſſo, ac patriam reuerſo, Tuda (qui & ipſe Præſul à Scotis ordinatus) pro illo pontificatum ſuſcepit. Quo de hoc mundo ſapto, Epiſcopatus in duas parochias diuiditur. Ceadda ad Eboracenſem, Wilfridus ad Haguſtaldenſem Eccleſiam ordinatur.

Nomina Episcoporum Lindisfernensium.

1 Aidanus.
2 Finanus.
3 Colmannus.
4 Tuda.
5 Eata.
6 Cuthbertus.
7 Eadbertus.
8 Eadferthus.
9 Æthelwoldus.
10 Cinewlfus.
11 Higbaldus.
12 Egbertus.
13 Eardulfus.
14 Cutheardus.
15 Tilredus.
16 Wigredus.
17 Vhtredus.
18 Sexhelmus.
19 Aldredus.
20 Alfsius.
21 Aldhunus.
22 Eadmundus.
23 Edredus.
24 Agelricus.
25 Agelwinus.
26 Walcerus.
27 Gulielmus.
28 Randulphus.

Terra Pictorum gentis.

Nomina Episcoporum Candidæ Casæ.

1 Trumwinus.
2 Pehtelmus.
3 Frithewaldus.
4 Pethwinus.
5 Æthelbertus.
6 Beadwlfus.
7 Heathoredus.

INCIPIT REGALIS PROSAPIA Anglorum, descendens ab Adam.

WODENVS.

Genealogiam ab Adam vsque ad VVodenum quare pagina 254.

Vecta, siue Wehta. Witta. Withgisilus. Hengistus, primus rex Cantuariorum. Oricus cognomine. Æsca rex. Octa rex. Irmericus rex. Æthelbertus rex. Christianus.

Casera. Titmon. Trigilsus. Rothmundus. Hrippus. Wilhelmus. Vffa siue Wffa, primus rex Orientalium Anglorum. Titellus rex. Redwaldus rex. Eorpwaldus Rex.

Eaxneta. Gesecg. Antsecg. Sueppa. Sigesugel. Bedca. Offa. Æscwinus primus rex Orientalium Saxonum. Sledda rex. Sebertus. rex.

Withelgeatus. Waga. Wihtleagus. Weremundus. Offa. Angengeatus. Eomerus. Icelius. Cnebba. Cunewaldus. Creodda siue Crida rex 1. Merciorum. Wibba rex.

Weagdeagus. Siggarus. Suebdegus. Sigeotus. Seabaldus. Sefugelus. Sueartha. Seomelus. Westerwalcna. Wilgelsus. Wusfrea. Iffus, Dux. Ælla, primus rex Deirorum.

Bealdeagus. Brandius. Beornus. Beorno. Wegbrandus. Ingebrãdus. Aluſa. Angengeat. Ingengeat. Æthelbrihtus. Oesa. Eoppa. Ida, 1. rex Berniciorũ.

Winta. Cretta. Quelpgilfus. Ceadbed. Bubba. Wigga. Beda. Eanferthus. *Ab hoc Lindisfarorũ prosapia.* Freodegarius. Friawinus. Gewisius. Esla. Elisius. Cerdicius primus rex Westsaxonũ. Kenricus rex. Ceaulinus rex.

Genealogiam regum Berniciorũ quare aliter, pag. 218.

GENEA-

GENEALOGIA REGVM Cantuariorum.

Angloſaxones (imperatoris Martiani tempore) à Britonibus inuitari, Britanniam tribus nauibus (quaſi pro patria pugnaturi, re autem vera hanc expugnaturi) ſunt aduecti. Quorum duces Hengiſtus & Horſus fuere primi, è quibus Horſus occiditur in bello, Hengiſtus vero adepta victoria, anno dominicæ incarnationis, 455. regnare cœpit, & primus Anglorum extitit rex Cantuariorum.

Sanctus Auguſtinus à beato Gregorio papa miſſus, regem Cantuariorum Æthelbertum anno dominicę incarnationis. 527. regni vero eius. 35. ad fidem Chriſti conuertit, qui non longe à ciuitate Dorobernia ad Orientem, eccleſiam beatorum apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxit, ac diuerſis donis ditauit. Fecit etiam in ciuitate Londonia eccleſiam ſancti Pauli apoſtoli, & in ciuitate Dorubreui eccleſiam beati Andreæ apoſtoli. Quorum virorumque præſulibus (vt archiepiſcopo Doroberniæ) dona multa obtulit, ſic & territoria ac poſſeſſiones in vſum eorum, qui cum illis erant, adiecit. Cuius regina Berta Francorũ regis extitit filia, quorum filia ſancta Æthelburga Eadwini regis Northanhimbrorũ erat regina, quæ monaſterium in loco qui vocatur Limina conſtruxit, & ibi requieſcit. Eiuſdem regis Æthelberti ſoror Rigula, Eſtſaxonum regina, genuit ſanctum Sebertum, eiuſdem prouinciæ regem. Decedens rex Æthelbertus anno regni ſui. 56. cœli regna conſcendit. Cui filius ſuus Æthelbaldus ſucceſſit: qui rebus eccleſiæ (quantum valuit) in omnibus conſulere ac fauere cupiens, diuinis ſe mancipare præceptis ſtuduit. Huius regina Emma, regis Francorum erat filia. Quorum filia, ſancta videlicet Eanſwitha, quæ in loco qui Folceſtan dicitur requieſcit, & regulus Ermenredus extitit filius. Cui ſcilicet Ermenredo regina ſua Oslaua, quatuor filias & duos filios peperit, ſanctam videlicet Ermenbergam, quæ fuit regina Merewaldi regis Weſt Anglorum: ſanctam Ermenburgam ſanctam Æthelditham, ſanctam Ermengitham, ſanctos martyres Wthelredum ac Æthelbertum, quos Thunnor præpoſitus Egberti Cantuariorum regis (vt ipſe iuſſerat) martyrizauit. Deceſſit rex Eadbaldus anno regni ſui vigeſimo quinto & Ercombertum filium ſuum ſucceſſorem reliquit. Hic primus regum Anglorum, in regno Idola deſtrui, & ieiunium. quadraginta dierum iuſſit obſeruari. Huic regina ſua ſancta Sexburga, Annæ regis Orientalium Anglorum filia, monaſterium in Sceapege conſtruxit. Sancta Ercongota, eiuſdem regis Erconberti ac S. Sexburgæ filia, in Galliam miſſa, ſub matertera ſua ſancta Æthelburga abbatiſſa, in Brigenſi monaſterio vſque ad finem vitæ ſuæ Deo ſeruiuit, & ibi requieſcit. Altera filia ſua Ermenilda, Wulferi regis Merciorum erat regina. Deceſſit rex Erconbertus anno regni ſui. 24. Egbrihto filio regni ſedem relinquens. Qui. 9. regni ſui anno menſe Iulio deceſſit, ſuccedente in regnum fratre ſuo Lotherio. Qui vulneratus in pugna Auſtralium Saxonum, quos contra eum Eadricus filius Egberti aggregauerat, anno regni ſui. 12. inter medendum menſe Februario defunctus eſt. Cui ſucceſſit in regnum Edricus, filius fratris ſui Egberti, ac vno anno & dimidio regnauit. Cui frater ſuus Wihtredus in regnum ſuccedens, eccleſiam ſancti Martini in Douera conſtruxit. Deceſſit autem Withredus rex anno regni ſui. 34. filium ſuum Æthelbertum regni hæredem relinquens: qui anno regni ſui. 36. deceſſit. Cui frater ſuus Eadberthus (qui & Pren) ſucceſſit. Quem rex Merciorum Kenulphus (dum Cantiam deuaſtaret) cepit, & ſecum in Merciam duxit. Cui ſucceſſit Cuthedus, & anno regni ſui nono deceſſit. Cui Baldredus ſucceſſit, & anno dominicæ incarnationis iuxta Dionyſium. 823. à rege Weſtſaxonum Egberto expulſus eſt regno. Huc vſq; regnum Cantuariorum per trecentos ſexaginta & octo annos ſtetit: poſtea vero Weſtſaxonicæ ceſſit ditioni.

PRINCIPIVM REGNI REGVM ORIENtalium Anglorum.

REgno poſterius Cantuariorum, & prius regno Occidentalium Saxonum exortum eſt regum Orientalium Anglorum. Cui præfuerunt reges potentes, ſed Redwaldus illis omnibus extitit potentior. Omnes enim Auſtrales Anglorum & Saxonum prouinciæ cum ſuis regibus (ad confinium vſque Humbri fluminis) ei ſubiectæ erant. Qui Æthelfridum regem Deirorum & Berniciorum in bello, quo eius filius Reinherus peremptus eſt, occidit: & Eadwinum Ællæ filium, vt in regnum perueniret, adiuuit. Cui alter filius ſuus Eorpwaldus in regnum ſucceſſit, & Eadwino rege

persuadente fidem Christi cum sua prouincia suscepit. Quem non multo post Rigbertus vir gentilis in bello occidit. Cui frater suus ex parte matris Sigbertus successit. Hic sancto Furseo, ad se de Hybernia venienti, possessiones ac locum construendi monasterium in castro quodam, quod lingua Anglorum Cnobheresburh vocatur, dedit: & post (amore regni cœlestis) relicto regno, & cognato suo Egrico commẽdato, in monasterio quod sibi fecerat, monachus factus est. Et multo post tempore, contra regem Merciorum Pendam, ad confirmandum militem, inuitus in certamen ductus, suæ professionis non immemor, dum nisi virgam tantum in manu habere voluit, occisus est vna cum rege Egrico. Quorum regni successor factus est Anna filius Eni, fratris Redwaldi. Cuius filia, sancta Sexburga, Erconberto regi Cantuariorum in coniugio copulata est. Altera filia sancta Æthelburga in Gallia (in Brigensi monasterio) abbatissa facta est. Tertia sancta Æthelditha prius Northimbrorum regina, & post Eliensis extitit abbatissa. Quarta sancta Withberga eiusdem monasterii sanctimonialis erat fœmina. Quarum pater Anna rex, à Penda rege Merciorum occisus, fratrem suum Æthelherum regni hæredem reliquit. Qui de regina sua sancta Hereswitha, sorore sanctæ Hildæ abbatissæ, duos filios Aldwlfum & Alfwoldum genuit: peremptus est autem in bello ab Oswio cum Penda rege. Cui germanus suus Æthelwoldus successit. Quo defuncto, regnum Aldwulfus suscepit, & annis nonnullis regnauit. Cuius post mortem frater suus Alfwoldus regni regimen suscepit. Regnante autem Merciorum rege Offa, Beorna regnauit in Eastanglia, & post illum Æthelredus, qui de regina sua Leofruna sanctum habuit Æthelbertum. Hic post patrem breui tempore regnum tenuit Orientalium Anglorum, innocenter enim sub pacis fœdere occisus est ab Offa rege Merciorum. Deinde perpauci reges in Eastanglia per. 61. annos regnauerunt potentes. Quoad vltimus eorum sanctus Eadmundus nactus fuit culmen regiminis: quem anno regni sui. 16. rex Paganus Hinguar martyrizauit. Ex quo tempore Anglosaxones in Eastanglia desierunt annis fere. 50. Erat enim ipsa absque rege. 9. annis plene, Paganorum Danorum direptioni atque nimiæ substrata dilacerationi, qui conati sunt ea tempestate totam Angliam suæ ditioni subiicere. Post in illa, simul & in Eastsaxonia ferme tota, Danicus rex Guthrum annis. 12. Eohricus, quem Angli peremerunt in pugna, regnauerunt annis quatuordecim. Deinde à Danacis Comitibus ambæ tam diu premebantur prouinciæ, quousque rex Eadwardus Senior, multos ex illis occidendo, nonnullos partes transmarinas adire cogendo, residuos in deditionem accepit, ac ambo regna regno annexuerit Westsaxonico.

EASTSAXONIA.

VT regnum Orientalium Anglorum post regnum Cantuariorum, sic habuit exordium regnum Orientalium Saxonum. Quorum reges fere semper aliis parebant regibus, frequentius tamen ac diutius regibus Mercensibus. Qui scilicet ante Sebertum, Æthelberti regis Cantuariorum nepotem ex sorore Regula, dæmonis seruiebant cultibus. Ille vero prædicante Mellito, verbum veritatis cum sua gente primus illorum suscepit. Qui regna perennia petens, filios suos Sexredum & Sewardum, qui Pagani perduauerant, regni temporalis reliquit hæredes. Ii paruo post tempore à Westsaxonibus in pugna sunt occisi. Quibus successit Sigebertus cognomẽto Paruus eiusdem Sewardi filius. Quo mortuo, regimen regni suscepit Segebertus Segebaldi filius, Hic (Oswii regis Northimbrorum hortatu) Christo credens, à Finano episcopo est baptizatus in Northimbria: quo regnante, Eastsaxones fidem (quam pridem abiecerant) sancto Cedda episcopo prædicante receperunt. Longo autem post tempore occisus est à suis propinquis, quia Euangelica præcepta seruans, suis inimicis nimium parcere, & factas ab eis iniurias placida solebat mente dimittere. Cui frater suus Suithelmus in regnum successit, & ab ipso Cedda in Eastanglia baptizatus est. Cuius post mortem, Sebba filius Sewardi regis, filii regis S. Seberti, & Sigherus filius regis Sigeberti Parui, regni gubernacula tenuerunt. Post decessum Sigheri Sebba regni gubernacula rexit. Qui anno regni sui. 30. à Waldhero Lundoniẽsi episcopo monachicum suscepit habitum, & breui post tempore defunctus, cœlica regna petiuit. Pro quo filii eius Sighardus & Swefredus regnauerunt. Quorum post mortem, Offa filius Sigheri regis in regem leuatur. Hic iuuenis amantissimæ ætatis & venustatis, totique suæ genti ad tenenda seruandaque regni sceptra exoptatissimus, suasu & hortatu sanctæ Kineswithæ regis Merciorum Pendæ filiæ, quam adamauerat, reliquit patriam & regnum propter Euangelium, & cum rege Merciorum Kenredo & sancto Egwino Wicciorum Episcopo Romam petiit. Vbi attonsus, &

in monachico habitu vitam complens, ad visionem beatorum Apostolorum diu desideratam peruenit. Cui in regnum successit Selredus, sancti Sigeberti regis filius. Quo peremptoanno regno 38. Suithredus regni solium obtinuit, ac aliquantis annis tenuit. Cuius post mortem, reges pauci super Eastsaxones regnauere proprii. Nam eodem anno, quo regnum defecit Cantuariorum, cum ipsis & cum Suthsaxonibus strenuo regi Westsaxonum Egberto sponte se dedebant, & ei suisq; successoribus tam diu parebant, quoad Danicus rex Guthrum super eos potestatem acciperet. Lundonia tamen, cum terris circumiacentibus, Mercensibus regibus quamdiu ipsi regnauerunt, paruit.

MERCIA.

POST initium regni Cantuariorum, principium extitit regni Merciorum. Qui multis annis, cũ suis regibus, cultibus idololatriæ dediti, paulatim regni sui fines dilatauere. Sed Penda, qui regnare cœpit anno dominicæ incarnationis iuxta Dionysium 626. multo latius quam aliquis suorum prædecessorũ dilatauit. Duos etenim reges Northimbrorum sanctum Eadwinum ac sanct. Oswaldum, & tres reges Eastanglorum sanctũ Sigebertum, Egricum & Annam, in bello occidit. Cui regina sua Kineswitha 5. filios Peadam viz. Wulferum, sanctum Æthelredum, sanctum Merewaldum, & sanctum Merchelmum, & duas filias sanctam Kineburgam & sanct Kineswitham peperit. Regnauit autem annis 30. non plene. Quem rex Northimbrorum Oswius cum 30. ducibus in bello peremit, & regnum eius suæ ditioni subegit, filio tamen eis Peadæ, qui à patre suo Mediterraneis Anglis princeps constitutus, in Northimbria à Finano Episcopo est baptizatus, eo quod suus esset cognatus (habuit enim in coniugem filiam suam Alhfledam) regnũ Australium Merciorum dedit. At ille anno regni sui primo peremptus est nefarie. Tribus annis post interfectionem Pendæ regis completis, filium eius Wulferum duces Merciorum leuantes in regem, fines suos fortiter simul & libertatem receperunt. Hic primus regum Merciorum lauacrum regenerationis suscepit, & filiam Erconberti regis Cantuariorum ac reginæ illius sanctæ Sexburgæ, sanctam Ermenildam in coniugem accepit, & ex illa genuit Kenredum & Wereburgam virginem sanctissimam. Germanus vero ipsius, Westan-hecanorum rex, sanctus Merewaldus filiam Ermenredi reguli, fratris eiusdem Erconberti regis, sanctam Ermenbergam, matrimonio sibi copulauit, & ex ea tres filias, sanctam videlicet Milburgam, sanctam Mildritham, sanctam Mildgitham, & vnum filium sanctum Merefinnum genuit. Quo mortuo, regnauit pro eo Merelinus frater illius. Quorum sororem Kineburgam rex Northimbrorum Alfridus duxit vxorem. Quæ connubio carnalis copulæ pro Dei amore relicto, in monasterio quod frastrum vocatur, sanctimonialis efficitur. In quo etiam soror sua Kineswitha sanctimonialium susceepit habitum. Decessit autem Wulferus rex anno regni sui 17. Cui successit germanus suus sanctus Æthelredus, qui regis Northimbrorum Egfridi sororem Ostrithã accepit in coniugem, ex qua filium Ceolredum suscepit. Anno vero regni sui 30. monachus factus, Kentedo fratrueli suo regnum dedit. Qui regni sui anno quinto seculum reliquit, Romam adiit, & ibi in monachico habitu vitam finiuit. Cui in regnum successit Ceolredus, patrui sui Æthelredi filius, qui anno regni sui nono defunctus est. Cui Æthelbaldus filius Alwii, filii scilicet Eouæ, fratris Pendæ regis, successit. Quem anno regni sui 41. Beornredus tyrannus in Seggeswalda occidit, & regnum illus inuasit. Corpus vero regis Rheopedunum delatum, regaliter est tumulatum. Cuius patruelis Eanulfi nepos, Offa, viz. filius Tingferthi, eodem anno regni inuasorem Beornredum in bello peremit, & loco eius regnauit. Cui regina sua Kinedritha duas filias, Eadburgam viz. quam rex Westsaxonum Brihtricus vxorem duxit, & Alfritham quæ virgo permansit, vnumq; filium Egferthum peperit. Decessit anno regni sui 39. cui filius suus Egferthus successit, sed eodem anno decessit. Cui vir magnificus Kenulfus filius Cuthberti, trinepotis Wibbæ regis successit. Huic regina sua Alfritha duas filias Quendritham & Burgenildam, sanctumque Kenelmum genuit. Decedens autẽ anno regni sui 24. Wincelcumbæ sepultus requieseit, & hæredem regni filium suum sanctum Kenelmum reliquit; qui eodẽ anno Quendrithæ sororis suæ insidiis occiditur. Cui patruus suus Ceolulfus successit, sed post biennium regno expellitur, & Beornulfus in regnũ suscipitur. Qui biennio transacto ab Orientalibus Anglis in bello perimitur. Cui Ludecanus suus propinquus successit, sed post biennii tempus, dum suum prædecessorem vlciscivellet, ab eisdem Eastanglis occiditur.

Successit autem Ludecano in regnum Wiglafus. Huic regina sua Kinedritha filium genuit Wigmundum, qui de filia regis Merciorum Ceolulfi Ælfleda, sanctum habuit

Wiſtanum. Decedens rex Wiglafus anno regni ſui 13. Rheopedunæ ſepultus requieuit, cui Beorthwlfus ſucceſſit. Huic Sedritha regina filium peperit Beorthfertum, qui ſanctum Wiſtanum peremit. Huius corpus ad Rheopedun monaſterium (tunc temporis famoſum) delatum, in mauſoleo aui ſui regis Wiglafi eſt tumulatum. Verum illius martyrio cœleſtia non defuere miracula, nam de loco in quo innocenter peremptus eſt, columna lucis vſque ad cœlũ porrecta, omnibus eiuſdem loci incolis per 30. dies conſpicua ſtabat. Deceſſit autem rex Beorthwlfus anno regni ſui 13. cui Burhredus ſuccedens, filiam Æthelulfi regis Weſtſaxonum Æthelſuitham duxit vxorem. Quem Paganus exercitus Danorum, anno regni ſui 22. regno expulit: qui mox Romam adiit, vbi non diu viuens, defunctus eſt, & in ſchola Saxonum, in Eccleſia ſanctæ Mariæ ſepultus requieſcit. Dani Pagani, eodem anno, quo Burhredus expulſus eſt regno, Ceolulfo ipſius Miniſtro regnum Merciorum cuſtodiendum ad tempus commiſere. Verum triennii tempore completo, partem illius inter ſe diuiſere, partem autem illi dedere & eum regnare permiſere, qui vltimus regum Merciorum extitit. Poſt cuius mortem, Weſtſaxonum rex Alfredus, vt exercitum Paganorum Danorum ſuo de regno penitus expelleret, ſtrenuitate ſua Lundoniam cũ circumiacentibus terris recuperauit, & partem regni Merciorum, quam Ceolulfus habuit, acquiſiuit.

Initium regni regum Berniciorum.

Anno Dominicæ incarnationis ſecundum Dionyſium. 547. Ida filius Eoppæ, fortiſſimi ducis, in Bernicia regnare cœpit. Qui ſex ex reginis filios habuit, Addam, Beolricum, Theodoricum, Æthelricum, Oſmearum, Theodorum: ſex vero ex concubinis, Oecam, Alricum, Eccam, Oſwaldum, Sogor, Sogotherum, annisq; 12. regnauit. Cui filius ſuus primogenitus Adda ſucceſſit.

Initium regni regum Deirorum.

Anno Dominicæ incarnationis iuxta Dionyſiũ 559. Ælla filius Iffi ducis ſtrenuiſſimi, in Deira regnare cœpit, & annis fere triginta regnauit. Interim ſuper Bernicios regnauerunt Adda, primogenitus filius Idæ, ſeptẽ annis. Clappa quinq; annis, Theodulphus vno, Freothulfus ſeptem, Theodoricus ſeptem, Æthelricus duobus, viuente Ælla. Quo mortuo filium eius Edwinum tertio anno ſuæ ætatis regno expulit, & ſuper ambas prouincias 5. annis regnauit. Quo defuncto, filius eius Æthelfridus regni gubernacula ſuſcepit. Cui regina ſua Acha regis Ællæ filia, peperit 7. filios, Eanfridum, Oslafum, Oslacũ, ſanctum Oſwaldum regem, Oſwium regem, Offam, Oſwudum, & vnam filiam ſanctam Ebbam abbatiſſam. Frater eius Theodbaldus, occiſus eſt in bello, quo regem Scotorum Aidanum vicit. Occiſus eſt & ipſe in bello anno regni ſui 24 à rege Eaſtanglorum Redwaldo. Cui ſucceſſit ſanctus Edwinus filius Ellæ. Huic exuli de Quenburga, filia Creodæ regis Merciorum, nati ſunt duo filii, Offrithus & Eadfrithus, cuius filius extitit Herericus, qui de Beorſuitha genuit ſanctam Hildam abbatiſſam, conſtructricem monaſterii quod vocatur Streoneshalh, ac ſanctam Hereſwitham Eaſtanglorum reginam. De regina vero ſancta Æthelburga, regis Cantuariorum Æthelberti filia, duo filii ſunt ei nati ſanctus Æthelhunus & ſanctus Wuſcfrea, filiæque 2. ſancta Eanfleda & ſancta Æ-theldritha. Occiſus eſt autem anno regni ſui 17. ætatis vero 48. & cum eo filius ſuus Oſfridus, à Pagano rege Merciorum Penda, & Barbaro rege Walanorum Ceadwala. Cui ſanctus Oſwaldus, ſui prædeceſſoris Æthelfridi ac germanæ ipſius Achæ filius, ſucceſſit. Hic anno regni ſui 9. à prædicto Merciorum rege Penda occiſus eſt, cui frater ſuus Oſwius ſucceſſit. Huius regni anno 2 ſanctus Oſwinus filius Oſrici, filii Alfrici, patrui ſcilicet regis Edwini, ſuper Deiros regnare cœpit, & anno regni 7. occiſus eſt. Cui ſucceſſit Æthelwaldus regis Oſwaldi filius. De regina Eanfleda, regis Edwini filia, rex Oſwius duos filios habuit, Egfridum & Ælfwinum, & tres filias, Oſtritham ſcilicet, quã rex Merciorum ſanctus Æthelredus in coniugium habuit: & Alhfledam quam rex Auſtraliũ Merciorum Peada vxorem duxit, ac Alfledam quam pater poſt occiſionẽ regis Pendę pro victoria Deo obtulit, & trib. annis Mercis cæterisq; Auſtraliũ prouinciarũ populis prę-fuit. Anno vero regni 28. decedens, Egfridũ filium regni hæredẽ reliquit. Qui regni ſui anno 15. à Pictis occiſus eſt. Cui ſucceſſit Ahlfridus frater eius, & anno regni 20. deceſſit, cui filius ſuus Oſredus ſucceſſit, & an. regni 11. occiſus eſt. Cui Kenredus filius Cuthwini, abnepotis regis Idæ, ſucceſſit: & poſt biennium moritur, & Oſricus in regẽ leuatur. Qui anno regni 11. deceſſit, cui ſui prædeceſſoris germanus Ceolulfus ſucceſſit. Is an. regni 9. monachus

nachus efficitur, regni regimen patrueli suo Eadbrihto, Eatæ filio, relinquens. Qui anno regni 19. monachus efficitur, & filius suus Oswlfus rex constituitur, & vno anno regnans, à Northimbrensibus occiditur. Cui Mollus Æthelwoldus successit, sed 7. anno regimen dimisit, & filius Eanwini Alhredus, trinepos regis Idæ, in regnum successit. Quem Northimbrenses anno regni sui 9. regno expulerunt, & Ethelredum (qui & Æthelbertus) Molli regis filium, in regem leuauerunt. Hunc quoque anno regni sui quinto, Northimbrenses abiecerunt, & Alfwoldum regem constituerunt, quem regni sui anno 11. Siganus quidam vir præpotens, iniuste peremit. In cuius loco peremptionis

Cœlitus emissa, lux est clarissima visa.

Successit ei in regnum nepos suus Osredus, Alhredi filius, hunc etiã Northimbrenses (anno transacto) regno expulerunt, & regem Æthelbertum, quem prius extruserunt, in regnum receperunt. Quo à suis interfecto, Osbaldus regnum suscepit, & paucis diebus tenuit: cui Eadulfus successit, & vno anno regnauit. Deinde per annos 76. aliquot imperauerunt reges, quorum vltimi fuerunt Osbrihtus & Ælla, qui anno dominicæ incarnationis iuxta Dionysium 867. in Eboraco cum flore Northimbrorum perempti sunt à Paganis, videlicet Danis, Norreganis, Suanis, Goutis, & quarundam aliarum nationum populis. Quo anno Anglici reges, qui annis 321. regnauere per annos 51. imperare in Northimbria desiere. Depopulationi namq; seruitutiq; eorundem Paganorum (absque rege) annis 8. subiacebant. Nam per id temporis spatium rege Eastangliæ Sanct. Eadmundo perempto, & Merciorum rege Burhredo vltra mare fugato, eorumque regnis suæ ditioni subactis, ab Alfredo Westsaxonum rege ferme detrito, eiusque regno maxima ex parte inuaso, per Angliam & circa illam peruagantes, monasteria cum monachis & sanctimonialibus, Ecclesias cum clericis incendere, ciuitates, vrbes, oppida, villasq; cremare, agros deuastare, strages hominum multas agere minime cessabant: neo mirum. Tam validus enim & tam numerosus nec antea nec post Angliam adiit exercitus, vtpote regibus octo videlicet Bagseg, Haldeno, Inguaro, Hubba, Guthrum, Oskitello, Amundo & Eowilso, ac plusquam 20. Comitibus, & variis armorum generibus constructus. Horum omnium acta pessima, qui nosse voluerit, seriatim pleniusq; reperiet scripta in Chronicarum Chronica: huic vero libello duntaxat vtiliora studuimus inserere. Hoc tamen solum hic notandum, quod gloriosus rex Westsaxonum Æthelstanus, anno dominicæ incarnationis iuxta Dionysium 926. aduentus vero Anglorum in Britanniam anno 477. totius Angliæ monarchiam primus Anglosaxonum obtinuit, & rex Angliæ coronatus, & ab omnibus imperator totius Britanniæ est pronuntiatus.

GENEALOGIA REGVM *VVestsaxonum.*

ANNO Dominicæ incarnationis secundum Dionysium 519. Cerdicius & Kenricus filius eius, secundũ Anglicam Chronicam in Westsaxonia regnare cœperunt, & an. regni 16. Cerdicius decessit, & Kenricus solus regnauit, qui 36. anno regni decessit. Cui filius suus Ceaulinus successit, & 33. annis regnauit. Contra quem Ceolus, filius fratris sui Cuthwlfi, quem ante biennium regem sub se fecerat, immerito rebellauit, regnoq; expellens, loco eius quinq; annis regnauit. Cuius post decessum Ceolulfus, filius Cuthæ, regni regimẽ suscepit, & 14. an. regni decessit. Cui fratris sui Ceoli filius, Kinegilsus successit, & 24. anno regni sui à sanct. Birino, primo Westsaxonum Episcopo, cũ sua gente, primus regum Occidentalium Saxonum, baptismum Christi suscepit, & anno sequenti filius suus rex Quichelmus (ab eodem Episcopo baptizatus) defungitur. Decessit rex Kinegilsus anno regni 31. & filius suus Coenwalchius regimen regni suscepit. Hic apud Orientales Anglos à sancto Fœlice, Eastanglorum Episcopo primo, baptizatus est, & Wintoniæ Ecclesiam (in qua sedes Episcopalis est) constructit, & anno regni 31. decessit. Cuius regina Sexburga vno post illum anno regnauit. Deinde Kenfus duobus annis secundum dicta regis Alfredi, iuxta vero Chronicam Anglicam filius eius Æscwinus fere tribus annis regnauit. Cui successit Kentwinus regis Kinegilsi filius, & 8. anno regni decessit. Cui Ceadwalla filius Kenbrihti, pronepotis regis Ceaulini, successit, qui pro Iesu Christi nomine,

Linquens terrenum modico post tempore regnum,
Paparum sedem Romanam tendit ad vrbem.
Sergius hunc sacra baptismatis abluit vnda.
Hinc q; fide plenus vocitatur nomine Petrus.
Cœlica post scandit, sacris defunctus in Albis.

Cui

Cui succeſſit in regnum Ina, filius ſubreguli Kenredi, abnepotis regis Ceaulini, Glaſtoniamq; conſtruxit.

Et pro rege Deo, regali culmine ſpreto,
Romam rex tendit, quo ſancto fine quieuit.

Cuius germanus erat Ingelſus, ac germanæ ſanct. Cuthburga, & S. Quenburga. Succeſſit Inæ in regnũ Æthelhardus de proſapia Cerdicii regis oriundus, & an. regni 14. obiit. Cui propinquus ſuus Cuthredus ſucceſſit, & anno regni 15. deceſſit. Cui Sigebertus filius Sigerici ſubreguli ſucceſſit, & vno anno regnauit. Quem Kineulfus, de proſapia Cerdicii regis oriundus, regno exterminauit. & loco eius regnauit. Hunc an. regni 30. Clito Kinehardus, filius Sigerici, & frater Sigeberti, occidit. Cui Brihtricus, de proſapia Cerdicii regis oriundus, ſucceſſit: & anno regni 15. deceſſit. Cui Egbertus, filius Alhmundi ſubreguli, pronepotis regis Inæ, ſucceſſit: & anno regni 37. deceſſit. Cui filius ſuus Æthelulfus ſucceſſit. Hic inter cætera bona quæ geſſit opera, omni anno 300. mancuſas denariorum Romam portari præcepit, centum in honorem ſancti Petri, ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius Eccleſiæ in veſpere Paſchæ, & ſimiliter in galli cantu: centum vero in honorem ſancti Pauli eadem de cauſa: centum quoq; mancuſas vniuerſali Papæ Apoſtolico. Decimam inſuper totius regni partem ab omni regali ſeruitio & tributo liberauit, & pro redemptione animæ ſuæ & anteceſſorum ſuorũ & trino & vni Deo immolauit. Quo mortuo, & Wintoniæ ſepulto, filius eius Æthelbaldus regnum ſuſcepit, & tertio regni anno deceſſit. Cui germanus ſuus Æthelbertus ſucceſſit, & 5. annis regnauit. Poſt quem frater eius Æthelredus 8. annis regnauit. Quo regnante reges Northimbrorum Ælla & Osbrihtus, & rex Eaſtanglorum ſanctus Eadmundus, à Danis Paganis occiſi ſunt, & eorum regna ab eiſdem poſſeſſa. Defuncto Æthelredo, germanus ſuus Alfredus ſucceſſit. Hic poetarum Saxonicorum peritiſſimus, in ſeruitio Dei vigilantiſſimus, & in exequendis iudiciis indagator erat diſcretiſſimus. A patre Æthelulfo Romam mittitur, & à Papa Leone quarto in regem vngitur. Cui regina ſua Ealſuitha duos filios, Eadwardum & Æthelwardum & tres filias Æthelfledam Merciorum dominam, Æthelgeouam ſanctimonialem, & Alftritham peperit. Cuius regni anno tertio, Burhredus rex Merciorum, à prædictis Danis regno expellitur. Deceſſit autem rex Alfredus anno regni ſui viceſimo nono, cui filius ſuus Eadwardus ſucceſſit. Cui regina ſua Eadgiua tres filios, Eadwinum, Eadmundum, Eadredum, & ſanctam Eadburgam, ac tres alias peperit filias, quarum vnam in coniugem habuit Otto Romanorum imperator, alteram Carolus rex Occidentalium Francorum, tertiam Sihtricus rex Northimbrorum. Æthelſtanum autem filium primogenitum de Egwina fœmina nobiliſſima habuit. Et ſuper omnes prouincias Angliæ vſque ad flumen Humbri regnauit. Ac prius reges Walanorum: dein Scotorum, Northimbrorum, Stretwadalorum reges, in deditionem accepit. Quo mortuo, filius ſuus Æthelſtanus illi in regnum ſucceſſit. Poſt quem frater ſuus Eadmundus regnauit, & ex regina ſancta Alfgiua duos filios Eadwium & Eadgarum habuit. Quo in palatio miſerabiliter occiſo, germanus ſuus Eadredus regnum ſuſcepit, & anno regni 10. deceſſit. Cui Eadwius germani ſui Eadmundi filius, ſucceſſit: & anno regni quarto deceſſit. Cui germanus ſuus Eadgarus anno ætatis ſuæ 16. ſucceſſit. Hic habuit ex Eneda fœmina generoſiſſima ſanctum Eadwardum, & de ſancta Wulfritha ſanctam Eadgitham, ex regina vero Alfritha, Eadmundum & Æthelredum filios ſuſcepit. Cuius regni anno 4. ſanctus Æthelwoldus in Veteri monaſterio Wintoniæ, & an. 10. ſanctus Oſwaldus Wigorniæ, eius iuſſu (expulſis clericis) monachos conſtituere. Deceſſit autem anno ætatis 32. regni vero 16. Eadwardum filium regni hæredem relinquens. Qui regni ſui anno 3. iuſſu nouereæ ſuæ Alfrithæ occiditur: cui in regnum ſucceſſit frater ſuus Æthelredus. Hic ex Alfgiua Comitis Agilberti filia 3. filios habuit, Eadmundum, Eadwium, & Æthelſtanum, ac Eadgitham filiam. Ex Emma vero Ricardi Comitis Normannorum filia, duos filios ſuſcepit, Alfredum & Eadwardum. Deceſſit autem anno regni 39. Cui filius ſuus Eadmundus ſucceſſit, qui duos filios Eadmundum & Eadwardum ex quadam nobilis proſapiæ fœmina habuit, ſed eodem anno dolo Edrici Streonæ perimitur. Cuius poſt mortem Canutus, Suani regis Danorum filius, qui 7. menſibus ante mortem regis Æthelredi, Angliam magna cum claſſe hoſtiliter adierat, regimen regni ſuſcepit, & prædictos filios regis Eadmundi in exilium miſit. Quorum vnus, ſcilicet Eadmundus, in adoleſcentia mortuus eſt in Hungaria, Eadwardus vero Agatham filiam Germani imperatoris Henrici 3. in matrimonium accepit, ex qua Margaretam reginam Scotorum, & Chriſtianam virginem, & Clitonem Eadgarum ſuſcepit. Anno vero regni ſui 19. rex Canutus, filio ſuo Hardecanuto, quem ei peperit regina Emma, rege conſtituto in Danemarchia, deceſſit. Cui filius

ſuus

suus Haraldus, quem ex Hamtunensi Alfgiua habuit, in Anglia successit, & 5. anno post obitum patris decessit. Cui frater suus Hardecanutus successit, & 3. anno regni decessit. Cui frater suus ex parte matris Eadwardus, regis Æthelredi filius, successit. Anno regni 23. rex Anglorum Eadwardus decessit. Cui ex ipsius concessione Comes Haraldus, filius Godwini Westsaxonum Ducis & Githæ sororis regis Danorum Suani, patris sancti Canuti martyris, successit: qui de regina Aldgitha, Comitis Alfgari filia, habuit filium Haraldum, eodemq; anno à Normanorum Comite Gulielmo peremptus est in bello. Cui & ipse successit in regnum. Hic de regina Matilde tres filios habuit, Robertum, Gulielmum, Henricum, & anno regni 21. in Normania decessit. Cui filius suus Gulielmus successit, & anno regni 13. in prouincia Iutarum, in Noua foresta sagitta percussus, sine filiis occubuit. Cui in regnum frater suus iunior Henricus successit. Hic ex regina sua Matilde filium Gulielmum, & filiam habuit Matildem: quæ prius Romanorum imperatrix, postea facta est Comitissa Andegauensium.

De regno Cantuariorum.

REGES Cantuariorum dominabantur proprie in Cantia, in quo sunt hi Episcopatus, Archiepiscopatus Cantuariæ, & Episcopatus Roffensis.

De regno Westsaxonum.

REGES Westsaxonum dominabantur in Wiltescire & Berkescire, & Dorsetēsi pagis: quibus est vnus Episcopus, cuius est modo sedes Salesburiæ, quondam erat vel Ramesburiæ vel Scireburnæ. Et in Suthsexa, quæ aliquanto tempore habuit proprium regem, eratq; sedes Episcopalis eius pagi antiquitus in Selesia, quæ est insula circūflua ponto, vt Beda narrat: vbi etiam beatus Wilfridus monasterium construxit, nunc habitat Episcopus ad Cicestriā: & in pagis Suthamtunensi & Suthreiensi, quibus est Episcopus vnus qui habet sedem Wintoniæ: & in pago Sumersetensi, qui habebat olim apud Welles Episcopum, qui nunc Bathoniæ est: & in Donnania, quæ Deueneschire dicitur, & in Cornubia quæ nunc Cornugallia dicitur. Erantq; tunc duo Episcopatus, vnus in Cridetuna & alter apud Sanctum Germanum. Nunc vnus, & est sedes eius Exoniæ.

De regno Merciorum.

PORRO reges Merciorum dominabantur in pagis his, Gloceſtrensi, Wigornensi: in his est Episcopus vnus, cuius sedes est Wigorniæ. Et in Cestrensi & in Derbiensi & Staffordensi, in his est Episcopus vnus, & habet partem Warwicensis & Scrobesburiensis pagi: & est sedes eius apud Couentriam, quondam erat Lichesfeld. Et in Herefordensi, habetque Episcopus dimidium pagum Scrobesburiæ, & partem Warewicensis & Gloceſtrensis, possidens sedem in Herefordia. Et in Oxenfordia, Buckingensi, Hertfordensi, Huntendunensi, dimidia Bedefordensi, Northamtunensi, Legeceſtrensi, Lincolnensi, quos regit Episcopus qui modo habet sedem Lincolniæ, quondam habebat apud Dorcaceſtriam. Et in Legeceſtrensi & Snotingensi, quorum Christianitas ad Archiepiscopum Eboracensem spectat: habebaturq; ibi olim proprius Episcopus, cuius sedes fuit apud Legeceſtriam.

De regno Orientalium Anglorum.

REGES Orientalium Anglorum dominabantur in pago Grantebrigensi, & est ibi Episcopus, cuius sedes est apud Heli. Et in Nortfolcia & Suthfolcia, & est ibi Episcopus, cuius sedes est apud Norwicum, quondam erat apud Helmam, vel Theotfordiam.

De regno Orientalium Saxonum.

REGES Orientalium Saxonum dominabantur in Estsaxia, & dimidio Herfordensi pago, habebaturq; & habetur Episcopus Lundoniæ.

De regno Northanhimbrorum.

REGES Northanhimbrorum dominabantur in omni regione, quæ est vltra Humbrum fluuium, vsq; ad Scotiam: erantq; ibi Archiepiscopus Eboracensis, Episcopus Hagustaldensis, & Rhipensis, Lindisfarnensis, de Candida Casa: at Hagustaldensis & Rhipensis defecerunt, Lindisfarnensis vero translatus est in Dunelmum. Hæ erant partitiones regnorum, quamuis reges pro vicissitudine temporum modo hi modo illi terminos prętergrederentur pro fortitudine, vel pro ignauia amitterent.

De Archiepiscopis Cantuariensibus & Eboracensibus.

HABEBAT autē ex antiquo Cantuariensis Archiepisc. hos Episcopos, Lundoniēsem, Wintonienſem, Roffensem, Scireburnēsem, Wigorniēsem, Herefordēsem, Lichesfeldē-

sem, Selesiensem, Legaceastrensem, Helmamensem, Midnaceastrensem, Dommocensem, Additi sunt tempore regis Edwardi Senioris, Cornubiensis, Cridiensis, Wellensis, in Westsaxonia: & in Merciis, Dorceastrensis. Eboracensis autem Archiepiscopus habebat omnes trans Humbrum Episcopos suæ ditioni subiectos: Rhipensem, Hagustaldensem, Lindisfarnensem, illum de Candida Casa, qui nunc Witerne dicitur & omnes Episcopos Scotiæ & Orcadum: sicut Cantuariensis habet Episcopos Hiberniæ & Walanorum. Perierunt iamdudum Episcopatus Rhipensis & Hagustaldensis, & Dommocensis nescio quomodo. Porro autem tempore regis Eadwardi Simplicis, Cornubiensis & Cridiensis vniti sunt, qui Episcopatus translatus est in Exoniam. Sub rege Gulielmo Bastardo pronuntiatum est in Concilio, vt Episcopi transeuntes de villis, constituerent sedes suas in vrbibus diœcesium suarum. Lichefeldēsis ergo migrauit in Ceastriam, quæ olim Ciuitas Legionum dicebatur: Selesiensis in Ciceastriam, Helmamensis in Thedford primo, postea in Norwicum: Scireburnensis in Salesberiam, Dorcaceastrensis in Lincolniam, nam Lindisfarnensis pridem veteri tempore transierat in Dunelmum, & nuper Wellensis in Bathoniam.

De sedibus Episcoporum in concilio.

Cantuariæ Archiepiscopus Consilio præsidens, habeat à dextro latere Archiepiscopum Eboracensem, & iuxta eum Episcopum Wintoniæ, à siniſtro autem Lundoniensem. Quod si contigerit vt Cantuariensis Primas defuerit, Eboracensis Archiepiscopus Concilio præsidens, habeat à dextra parte Lundoniensem Episcopum, à siniſtra Wintoniensem: cæteri secundum tempora ordinationum sedilia sua agnoscant.

Explicit liber de Regali prosapia Anglorum.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM HVIVS OPERIS NOTABILIVM; VBI PRIOR NVMERVS FACTI PAGINAM, ALTER LINEARVM CONSEQVENTIAM DENOTAT.

ARON, frater Moysis primus apud Hebraeos pontifex constituitur 471.1
Aaronis filii 11.30
Abacuc & Michea prophetæ renelantur 76.30
Abbatia, quæ Bellum dicitur, construitur 226.20
Abbatia apud VVinburnam construitur 136.40
Abel quando natus 2.10 quando mortuus 2.20
Abel decimas & primitias Deo offerens, primus omnium martyrii coronam adeptus est 42.7
Abel, significat luctum 462.10
Abel, primus martyr, a fratre Cain occisus 462.10
Abimelech factus rex in Sichem 70 fratres suos interfecit 8.7
Abram natus 4.20
Abraham Nini ætate generatum 466.24
Abraham exiuit de Carran veniens in terram Canaan 466.54
Abraham accipit præceptum de immolando filio Isaac in monte Morin 4.50 & 5.1
Abram Ægyptiis Astrologiam & Arithmeticã tradidit 4.40
Abstinentia S. Guthlaci 135.20
Acatius hæreticus ecclesiæ sanctæ odiosus fulminis ictu periit 94.10
Acca Laurentia, Faustuli pastoris vxor, ob corporis quæstuositatem lupa a vicinis dicta 18.30
Acephalorũ hæresis, sic dicta quod authorem illius nusquam sint reperti 98.53 85.1
Acella ciuitas Campaniæ 45.20
Achaia ab Acheo cond'tur 472.52
Acon Christianorum legionibus circumquaque obsidetur 257.50 cap'tur 258.10
Acon ciuitas munitissima destruitur 414.50 singulare præsidium omnium orthodoxarum nationum. ibid.
Acrostichis de iudicio 27.10,20
Adam Hebraice, ἀνθρωπος Græce, Latine Homo terrenus, terra rubra explicatur 462.10
Adam in agro Damasceno formatur 1.30
Adam in Paradiso rebus omnib. nomina imposuit 2.3
Adam sepultus in Cariatharbe, quæ distat ab Hierusalem 32 milliarib. ad Australem plagam 463.46
Adamannus presbyter, vir literatus floruit 132.10
Adæ peccatum in comedendo pomo 2.2 generatio 1.10
Addæ regi defuncto succedit Glapparex 5 annis 102.50
Adriani clementia in Christianos 57.20
Adrianus papa mittit legatos in Angliam, ad fidẽ Christi renouandam 145.40
Adrianus imperator ad pietatem flexibilis 57.10
Aduenæ & peregrini rapaces veniunt in Angliã 338.4
Ædificatio plurium Burgorum 184.30
Æditha regina obiit 227.50
Ægelbertus Dorcacestrensis consecratur episc. 117.40
Ægyptiorum regnum primum exortum 466.12
Ælfleda Mercorum domina duo castra ædificauit 183.20
Ælfleda diem obiit 184.20
Ælfredi regis natiuitas 157.1
Ælfredus Danicum regem de prælio fugat 178.20
Ælfridus Æthelredi filius, veniens in Angliam, oculorum luce, prodituose priuatur 210.20
Ælfredus Eboracensis archiepisc. accepit pallium 118.20
Ælfredus, iuuenis admiranda probitatis vxorem duxit 161.10
Ælfredus Londoniam regni sui caput, obsidione vallat 173.30
Ælfredus, vt fuerit a sancto Neotho sanctoque Cuthberto confortatus 170.10
Ælfredus rex ab vna ægritudine in aliam subinde grauiorem incidit 167.30
Ælfricus dux Merciorum, Ælferi ducis filius, regno expellitur 195.10
Ælionora regina Angliæ habitum religionis longe desideratum induit 413.3
Æneas Turno deuicto, sponsam ipsius Lauiniam duxit in matrimonium 8.50
Æneas Veneris & Anchisæ filius venit in Italiam 18.1. cum Turno dimicauit ibid.
Æneæ adductus in Italiam 8.40
Ætas mundi prima quot habeat annos secundum Hebræos & 70 Interpretes 2.40
Ætas mundi secunda quot habeat annos 4.30
Ætas mundi secunda, fuit quasi pueritia populi Dei. 466.30
Ætas mundi tertia, quot habeat annos 13.2
Ætas mundi quarta, quot habeat annos 28.2
Ætas mundi sexta quando inchoata 41.20
Æthelbaldus immatura morte obiit 160.4
Aethelbertus rex Cantuar. obiit 110.6
Æthelbertus petit filiam Offæ regis in vxorẽ 146.20
Æthelhardus Cantuar. Archiep. qualiter amissam dignitatem recuperauerit 150.40
Æthelicia, filia ducis Louaniæ desponsata est Henrico regi Angliæ 240.6
Æthelmus rex cum subulco quodam exulat 176.40 duo nobilia fundat monasteria. ib. in exequendis indiciis solertissimus indagator 177.7
Aethelmus Vvellensis antistes ad fidem Cantuariensem transfertur 183.40
Aethelredi regis misera conditio 202.1.2.&c.
Aethelredo defuncto, vxor eius Elfreda regnum aliquandiu strenuissime tenuit 181.30
Aethelredus a regno fugatur 156.40
Aethelredus post multos labores & molestias e vanitatis, vitam cum morte commutauit 203. huic successit in regno filius eius Eadmundus ib.
Aethelredus in Angliam veniens honorifice suscipitur 201.40
Aethelredus Danis pro bono pacis obtinendo tributum 24. millium librarum persoluit 198.20
Aethelredus Monam insulam potenter sibi subiugat 198.10
Aethelstanus rex Anglorum moritur succedente ei fratre eius Eadmundo 187.6
Aethelstanus sororem suam maritauit 185.7
Aethelstanus regnum Scotorum in violati fœderis vltionem deuastat 186.5
Aethelstanus fratrem suum submergi præcipit ib.20
Aethelsuitha Aelfredi regis soror in religionis habitu moritur 177.20

Aethelulfus naturæ debitum solvit 159.30
Aethelulfus filius Egberti fit rex 155.30
Aethelulfus decimam partem regni sui Deo & sanctis eius dedit 158.20
Aethelwaldus Mollo ducē Osuinnum interfecit 142 40.
Aethiopes ab Indo flumine consurgentes iuxta Aegyptum considēt 469.19
Afflictionis Danicæ causa describitur 155.50
Agar & Cethura ancilla Abrā 4.40
Aggæus, Zacharias & Malachias prophetæ floruerunt in Iudæa 28.40
Agricola Pelagii discipulus hæresi Pelagianā Britonum fidem maculat 80.40
Aioth amphidexter moritur 7.50
Aimundi regis sophisma 95.50
Alaricus rex Gothorum interficitur 90.10
Alba Syluius 18
Albani Britonum protomartyris passio, vbi & quando 70.20
Albanus orando fontem de monte produxit 68.20
Albericus comes de Ver occiditur in ciuitate Londonia 243.30
Albinus rex Longobard. ex vxoris suæ patris capite, poculum parat 103.10
Albinus obiit 139.50
Albion insula à gigantibus inhabitata. 10. 50. quam Brutus iis fugatis, à suo nomine Britanniam nominauit 11.4
Alchinus Oniæ frater sceleratissimus, Antiochum instimulat aduersus Iudam Macchabæum 35.30
Alclud, castellum puellarum 13.40
Alcmeon clarus habetur 484.18
Aldelmus episcopus obiit 133.50
Alfredus moritur succedit ei Eadunardus 180.30
Algaro pontifice defuncto, Alnuoldus successit 189. 40.
Alexander Cappadocensis Episcopus 62.3
Alexander papa obiit 253.20
Alexander papa & Ludouicus rex Franc. facti sunt consolatores & adiutores B. Thomæ. 249.20
Alexander imperator à senatu ac militibus creatur. 62.20
Alexander Paris Helenam rapuit 8.20
Alexander magnus hausto veneno moritur 32.50
Alexander magnus, natus 20. 50
Alexander magnus, anno ætatis 20. ab obitu parentis regnum adorsus contra Persas duxit exercitum fortissimum 32.20
Alexander papa martyrio coronatur 56.40
Alexander rex Scotiæ desponsat Margarethā filiam Henrici apud Eboracum 350.50
Alexandri magni victoria gloriosa de superato Dario Persarum rege itemque interfectorum numerus 32.30
Alexandria ædificatur super amnem Thanain ab Alexandro 32.50
Alexandro defuncto regnum diuiditur Ptolomæo & Philippo, qui Arrideus dicitur 33.1.2
Alienora regis Henr. filia nupsit regi Castiliæ Aldefonso 249.50
Altercatio inter Danos & Anglos facta 179.30
Altercatio inter Anglos & Danos 184.5
Amazones templum Ephesi incendunt 477.10
Ambrosius consecratur in Episcopum 75.30
Ambrosius moritur 77.5
Amicitia inter regem Ethelstanum & ducem Normanniæ, arctissima 185.20
Amnis Idle Anglorum sordes cruore, proverbium 110.10
Amœnitas aeris circa natale Domini 377.30
Amphibali prædicatio & S. Albani conversio 67.30
Amphion cythara suauitate lapides mulsit & attraxit 8,30
Anacletus successit Clementi 56.30
Analaphus rex Ecclesiæ S. Baltheri vastator, vitā miserabiliter terminat 187.59
Anastasio papa defuncto successit Nicolaus Albanensis Episcop. 246.20
Anastasius contra Philippicum imperatorem insurgit, eumque oculis priuat 136.20
Anastasius sedet in Cathedra Romana 182.20
Anatholius in scripturis claret 65.10
Anaximander principia docuit infinita 41.50
Anaximenes Philosophus clt in honore 487.11
Angeli animam S. Albani cum laudibus ad cœlum eueliunt 69.30
Angelorum psallentium concentus audiuntur 116. 10.
Anglia primum sic dicta 105.9
Anglia prouinciarum redditur tributaria 271.40.& 50.
Angliæ descriptio 10.20
Angliæ reges pugnarunt contra Britones 140.20
Angliæ status eo tempore quo Beda presbyter vita decederet 139.30
Angli à Normannis expulsi, male & iniuriosè tractantur 227.9
Angli duobus commissis præliis glorioſe triumpharunt 277.20
Angli periculosa corripiuntur infirmitate & pestilentia 230.20
Anglorum sine Saxonum regna octo numerantur 103. 50
Anglorum afflictio duplex. 195.30. Dunstani vita & mors describitur 195.30
Anglorum sine Saxonum aduentus in Britanniam 81.50
Anicetus, clericis comam nutritionem interdixit 56.20
Anna prophetissa, de Christo vaticinatur 41.40
Anselmus nobilis Cantuar: antistes obiit 238.10
Antichristus filius perditionis 26.40
Antichristus occidetur ab Archangelo in monte Oliueti 26.50
Antiochena ciuitas terræ motu corruit 56.50
Antiochia capitur à paganis 228.30
Antiochia ciuitas nobilissima obsidione cingitur 234. ibid.
50. à christianis capitur 35.10
Antiochi miserabilis interitus 34.20
Antiochus illustris, filius Antiochi regis regnauit in Syria 33.10
Antiochus magnus Seleuci filius ab omnibus exactionibus sacerdotes liberat 34.40
Antiochus templi Hierosolymitani sacrarium ingressus, omnia eiusdem ornamenta superbe abstulit sacrificiorum cultus prohibens 8.30
Antheus terræ filius ab Hercule superatus neci datur.
Antipater procurator regni à Pompeio constituitur. 36.10
Antipater per legatos patris Roma grauiter accusatur 44.10
Anthropomorphitarum hæresis in Italia exorta 189 30
Anthropomorphitarum hæresis in Syria & Macedonia nascitur 73.10
Antonius ob Cleopatræ infidelitatem mortem sibi conscisciit 38.50
Antoninus pius pater patriæ appellatur 58.10

Antonii monachi corpus diuina reuelatione inuentum 99.10
Antonius monachus eremita moritur 72.55
Apis Ægyptiorum Deus maximus 5.50
Apis, quem quidam Seropē putāt primum Deus putatur in Ægypto 467.40
Apollo nascitur 7.40. & quis ibid.
Apollo cytharam componit, artemque medicinam inuenit 474.4
Apollonius & Euphrates insignes Philosophi 56.10
Apollonius refutat hæreticos Priscam Montanum & Maximillam 61.10
Apostoli in vniuersum orbem ituri ad prædicandum, Symbolum fidei in vnum contulerunt 49.20
Apostolorum vocatio bina 47.10
Apparitio trium pontificum 191.40
Aqua in vinum vertitur 47.10
Aquila aurea super maximam portam Hierusalem posita deijcitur 43.50
Aquila orator vnus ex 70. interpretibus claret 57.40
Aquitania primatus de Biturienſi ad Burdegalenſem transfertur 453.50
Aratus ex Ismaele 4.50
Arca Noe quot annis ante diluuium fabricata. 2. 50. quando steterit in montibus Armeniæ post cataclysmum 2.50
Archelai somnium 45.10
Archelaus rex, repudiata vxore Mariagne, duxit Glaſiram regis Cappadociæ filiam 44.50
Archiepiscopatus Cantuar: datur Richardo London. Episcopo 238.50
Archiepiscopus per Symoniam promotus 190.30
Arelatense concilium 600. Episcoporum colligitur. 71 20
Aremus Silnius ob impietatē ictu fulminis periit 18.20
Argenteus nummus primo in Hierosolymis figuratur 33.20
Arginorum regni ortus 5.10
Arginorum regnum ad Micenas est translatum regnante ibi Agamemnone 8.20
Argus filius Serapis, a quo Argi dicti 5.50
Ario Methymnæus à Delphine in Tænarim transportabatur 19.40
Aristobulus, post mortem Hircani factus est rex & sacerdos 36.1
Aristobulus pontifex vinctus cum liberis Romam mittitur 36.10
Aristoteles Philosophus floruit 29.50
Armenia gentes Christi fidem suscipiunt 103.4
Armilla aurea in bimis suspensa 177.40
Arriana hæresis efflorescit 71.20
Arriana impietas sæuit 72.40
Artaxerxis Longimanus per 180. dies satrapas ac duces suos epulis magnificis exhilarauit 29.30
Artes liberales propter lucrum pene in mechanicas conuersa 355.50
Artes magicæ & cultus idolorum primū docere cœpta 463.10
Arthuri mortem tacent historia 100.50
Arthurus iuuenis 15. annorum in regem coronatur 97.10 victoria eiusdem de Saxonib. in nemore Calidonis ibid.
Arthurus rex Britonum Lucium Romana vrbis consulem interficit 99.50
Arthurus Ecclesias per totam Britanniam miserè desolatas omnes debito nitori restituit 98.30
Artium liberalium de Græco in latinum translatio 95.40
Aruiragus in honorem Claudii regis condit ciuitatem Kaerglon quæ Gloceſtria hodie nuncupatur 51.30
Aruiragus rex Brit. occiso Guiderio armis ipsius indutus milites ad pugnandum acriter instigat 51. 10
Aruiragus rex Romanis tributum negat 51.50
Aruiragus vita defunctus, Claudiocestriæ sepultura traditur 54.50
Arx Carthaginis Byrsæ cognominata 34.8
Ascanius Æneæ filius, patre decedente suscipit imperium 8.50. Albam super Tyberim condidit ibid.
Asclepiodotus Britanniæ diadema suscipit 66.30
Asia regiones 3.20
Asinum & Bouem Ieseph secum adduxit in Bethlem ad ferendum itineri necessaria 40.50
Assiriorum & Siciniorum regni prima origo 466.13
Assiriorum regnum post Ninum 36. reges habuit duranitque annis 1300. 4.20
Assiriorum regnum translatum ad Medos 16.10
Assiriorum vestitus 4.10
Assiriorum reges raro conspicuntur 4.20
Atlas summus Astrologus 6.40
Atlas, frater Promethei præcipuus Astrologus, ob eruditionem cœlum sustinere dictus 469.10
Attalus rex Asiæ moriturus Romanos regni hæredes constituit 34.20
Asylum à Romulo conditum, cunctis ad id confugientibus immunitatem præbuit 18.40
Auaritia Romanæ vrbis totum pene orbem terrarum maculat 253.20
Audoenus Dagoberti regis referēdarius in Gallia clarus habetur 115.40
Augusti Cæsaris edictum de vniuerso orbe describendo 48.40
Augustinus auxilio regis Æthelberti conuocauit Synodum 106.50
Augustinus Hipponensis Episcopus doctrina & sanctitate fulget 77.40
Augustinus, Bonifacio sedente in cathedra moritur 109.10
Augustinus, Seruus Dei à Gregorio papa mittitur in Brittanniam ad prædicandam fidem Christi: 106 1
Augustus Cæsar Nolæ morbo percussus vitam exhalat 45.20
Augustus plus nominis fauore, quam quinis aliorum imperatorum robore effecit 39.1.2
Augustus secundus Romanorum monarcha, in bellis felix in pace moderatus extitit 38.50
Auium pugna in Anglia 122.40
Aurelianus persecutionem in Christianos machinans, fulmine terretur vt paulo post expiraret 65.8
Aurelius Ambrosius cum Hengisto pugnauit. 90 30
Aurelius commodus apoplexia in vehiculo correptus interiit 59.30
Aurelius Conanus belli ciuilis amator 101.10
Aurelius Saxones ad pugnam prouocans gloriosam victoriam adipiscitur 91.20
Austria dux iusto Dei iudicio percussus obiit excommunicatus 260.10
Authenticum Innocentii quarti Papæ de canonizatione B. Eadmundi Cant: Archiepiscopi 330.40
Auxilium pecuniare exigitur 297.1

B

Babel significat confusum, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ 3.50
Babylonia nona per Cyrum ædificata 28.40
Babylonia à Cyro capitur, & captiuitas Iudæorum relaxatur 28.30
Babylonia cunctis vrbibus fortior & opulentior. 28. 10 illius ambitus stadiorum 486. ib. murorum la-

titudo cubit. quinquaginta: centum habebat portas aereas ibid.
Bacchæ in militia Liberi patris non tam virtute, quam furore famosæ 7.40
Baionia ciuitas vbi sita 355.40
Balaam loquente primus sibi asina de ortu stellæ & saluatoris prophetauit 5.30
Balac Admiralis cepit Iocelinum Comitem Edessarum cum consanguineo eiusdem Galerano 240.10
Baldewinus rex Hierusalem capitur à Balaco, principe Turcarum 240.30
Baldeuuinus comes Flandriæ fit imperator constantinopolitanus 266.5
Baldeuuinus eligitur in Epis. Cantuarien sem 253.50
Baldeuuinus imperator Constantinopolitanus suspenditur per insidias filiæ 284.20
Balduuinus Cantuar. Arch. celebrato consilio apud VVestmonast. iter adornat Hierosolymitanum 257 40
Balduuinus Cæsariensis archiep. infinitam Turcorum multitudinem in ore gladii trucidat 237.4
Balthasar rex, vasa templi Domini in mensa sua fecit exhiberi 28.20
Baptismus cuiusdam hæretici, institutionis verbis indistincte pronunciatis, administratus 95.50
Barones desides Londoniæ commorantur 275.10
Bartholomæus imperat dæmonibus 135.50
Bartholomæus vir religiosus & theologicis probe eruditus in episcop. Exoniensem consecratur 248.10
Basilica B. Laurentii construitur 74.20
Basilica B. Petri obsidetur 141.20
Basilides hæreticus Ecclesiam Christi turbat 57.40
Bassianus imperator bellum contra Parthos mouens, occiditur 62,10
Beda presbyter Anglorum historiam inchoauit 137,10
Bedæ commendatio 138,30
Bedæ mors & sepultura 139,10
Bedfordia castrum capitur, in quo capti suspenduntur 283.30
Belinus cum victoria Romam adiens fratrem suum ciuitatem acriter inuadentem inuenit 31,2
Belinus in patriam reuertitur 31.10
Bella laboriosa Æthelfredi 167,50
Bellerophon à Pegaso, equo alato vehitur 8,30
Bellum Eueshamiæ 390,30
Bellum miserabile & horrendum apud Lennes commissum 387,4
Bellum ciuile apud Persas exortum Artaxerxe & Cyro fratribus de regno ambigentibus 29,40
Bellum apud Hastingum commissum inter Gulielmū & Haraldum 223.20
Bellum fratris contra fratrem 231.50
Bellum primum Christianorum, Hierosolymam tendentium adpontem Phar, Phax, secundum apud Nizeam 234,4
Bellum nauale geritur satis funestum inter Venetos & Barenses propter corpus S. Nicolai 228.20
Bellum non viribus sed virtutibus obtentum 81.30
Bellum pecunia sopitum 124.50
Belus primus rex Assyriorum 3.10
Belus, qui a nonnullis Saturnus creditur, primus præfuit Assyriis 466.14
Benedicti abbatis Anglici descriptio 132.20,30,40
Benedictus iunior in clibanum ardentē a Totila proiectus, altera die exiit illæsus 99.50
Benedictus papa creatur 181.20
Benignitas Eaduuardi, in nouercam & fratrem suum 193.40
Benignitas Augusti in Herodem Iudaicæ gentis regem 39.5
Beornredus Rossensis Episcop. diem extremum clausit. 152.50
Berengarius Turonensis in hæreticam prolapsus prauitatem, Galliam, Italiam & Angliam eadem infecit. 230.50
Bernus venator homicidii conuictus, quomodo punitus 163.7
Bethlehem, quæ & Ephrata, Dauid regi sepulturam præbuit 13.30
Bibliotheca Adriani imperatoris 57.10
Bizantium, alias, Constantinopolis conditur 19.30, 484.58
Bochorus Ægyptiis iura tradidit 481.51
Boetius librum de consolatione Philosophiæ edit. 97.50
Bonifacius Cantuar. Arch. aduentu suo in Angliam paucos latificat 351.20
Bonifacius Moguntinus Episco. cum aliis 53. in Frisia martyrio coronatur 141.40
Bonifacius Cantuar. Archiepiscop. literas sibi & prædecessoribus suis opprobriosas accipit 327.20
Bonifacius Sextus, Romanæ Ecclesiæ præficitur. 111.30
Bosa Episcopo degradato Aeca & Beduuinus ei surrogantur 123.10
Boselus primus VVicciorum Episcopus 134.40
Bladud rex Britonum, filius Kaerbadun calida balnea fecit 15.6
Brancaleo, ciuis Bononiensis, in senatorem Romanum creatur 351.50
Bregouinus archiepis. obiit 142.40
Brennii probitas, & qualiter filiam ducis Allobrogum in vxorem duxerit 30.9
Brennius & Belinus prælium inter se iamiam conserturi, matris interuentu redeunt in gratiam 30.20
Britannia primo fidem Christi suscepit 60.20
Britanni Romanorum postulant. auxilium 78.8
Britanni denicti regem sibi de minori Britannia postulantes acceperunt 79.10
Britones adeo assueti libertati, vt quid seruitus sit penitus ignorarent 37.5
Britones à Bruto dicti 11.4
Britones patriam suam deserentes in VValliam secessernnt 104.10
Britonum regnum quinque regibus subiissum 29.10
Britonum reges, eorumq; in regno successio 29.1,2,3, &c.
Brithricus rex VVestsaxonum constituitur 145.30
Brithricus rex veneno periit 152.20
Brithricus comes perimitur 132.10
Brithuualdus consecratur in Episcopum Cantuariensem 129.10
Brithuualdus Cantuar. archiepisc. diem obiit 138.10
Brutus cognomento viride scutum 13.50
Brutus in exilium ire iussus diuertit ad regem Græcorum 9.1 militia gloria & probitate regib. & principibus amabilis redditur 8.6
Brutus patrem inter venandum ictu sagittæ pro bestia transfodit 8.50
Brutus nauigando mansionem quærit. 10. Dianam consulit ibid.
Brutus 24. regni sui anno obiit relictis tribus filiis ex Inogen genitis 11.50
Burgum Hertfordiæ inter tria flumina ædificatur 182.30
Burthredus rex Romā profectus obiit 168.30
Busiris filius Neptuni hospites suis diis immolabat 7.40

C

CAduualini imago super equo æneo in signum tyrannidis ipsius ponitur 123.30
Caco visus restituitur a S. Augustino 107.9

Cæsar mittit epistolam ad senatum postulans vt Christus Deus habeatur 48.50
Cæsarea ciuitas, Christiane ditioni subiicitur 236.50
Cain natus Adæ anno decimo quinto 2.10. occidit Abel fratrem suum ibid.
Cains septem peccata 462.20
Caius imperator efficitur 49.30. hic quia in castro militari nascitur, calceamenti, id est, Caligula nomen sortitus est ibid.
Caius imperator pro Domino cœli & terræ se adorari præcepit 50.40
Calixtus papa ieiunium per quatuor anni tempora fieri instituit pro aeris serenitate impetranda 62.20
Calmana vxor Cain peperit Enoch 2.20
Cambria à Kambro appellata modo VVallia vocatur 12.3
Cambyses secundus Nabuchodonosor appellatur 28.40
Camillus Romam ingressus, Romulus secundus appellatur, quasi liberator patriæ 20.30
Campaniæ plaga, toto pene orbe terrarum pulcherrima 21.5
Canes, equi cum sanguine ipsorum præfame comesti 445.30. mures item & mus ilegi ibid.
Canna, vicus Apuliæ 33.40
Canonicorum ordo in ecclesia S. Mariæ de Suthverck iuxta Loudon constituitur 237.40
Canonizatio S. Richardi Cicestrensis Episcopi 381.30
Cantabri Gallatii & Lucitani vno pene prælio superati 34.10
Capella B. virginis Mariæ apud VVestmonast. inchoatur 280.1
Capilli S. Oswini in ignem proiecti incendii lesionem non sentiunt 219.40
Capis Syluius Capuam in Campania condidit 18.10
Capitolium, forum Traiani, Pantheō Vespasiani templum, &c. Romæ fabricantur 55.50
Capitolium Romæ fulmine proiectum 60.10
Carmentis Latinas literas reperisse creditur 17.50
Caroli dona quid significent 144.20
Carolus magnus Romæ basilicam Petri ingressus, purpura regali induitur, cum corona aurea capiti eius imposita 151.4
Carolus Francorum regnum suscipit 180.30
Carolus Salernia princeps datis obsidibus è carcere liberatur 413 4
Carolus frater regis Franciæ municipium de Ryons infinita loricatorum manu expugnat 423.50
Carolus rex Francorum Saxones bello fraudulenter 143.30
Carthago à Romanis deleta 344. eius descriptio ib.
Caruinus orator in media confectus obiit 45.7
Cassibellauni stratagema in naues Iulii Cæsaris 37.40
Cassibellaunus sit rex 36.40. Trinouantum cum ducatu Cancia, Androgeo largitur ib.50
Cassibellaunus I. Cæsari tributum renegat 37.2
Cassibellaunus defunctus in Eboraco sepelitur 38.30
Cassibellaunus ob victoriam iteratam diis offert libamina 37.50
Castrum de Bedford captum 274.30
Casus quidam mirabilis, qui Romæ accidit sponso cuidam nouitio 217.10 &c.
Cataphrygum hæresis exorta 59.10
Catilinæ coniuratio 36.20. Ciceronis industria sopita ibid.
Ceaulinus rex VVestsaxonum multa castra capit 103.30
Ceaulinus & Cuthba frater eius pugnant contra Æthelbertum regem Cantiæ 102.50
Cecrops rex Atheniensium 6.30
Cecrops primus regnauit in Achaia quæ nunc Attica dicitur 469.41
Cecrops, primus Ioui bouem mactauit 6.40. optimus sapientiæ doctor ibid.
Census Romæ habitus, vt cognosceretur Roman. copia 22.20
Centaurorum fabula 8.30
Ceolricus rex occidentalium Saxonum 105.40
Cerberus triceps inferorum canis 8.30
Cerberus deuorat Pirythoum 472.47
Cerdicus primus rex occidetalium Saxonum venit in Brittanniam 94.2
Cereipluuiarum effusionibus largissimis & ventorum turbinibus non extincti 285.10
Cerdicus rex obiit 99.30
Certamen singulare inter Eadmundum & Cnutonem 205.20
Ceulfus rex occidentalium saxonum viginti quatuor annis regnat post Ceolricum 109.6
Chalcedonense concilium celebratur industria Beati papæ Leonis 83.10
Chaldæi contra Phœnices dimicant 470.3
Chartæ de libertatibus, foresta sigilloque regio renouatæ 433.40
Cherinthi & Ebionis hæresis damnatur 56. qualis ea ibid.
Cherubin ad hostium paradisi a Deo collocati 2.4
Chorea quadam nefanda per inobedientiam facta 199.40 & 50.
Chrismatis consecratio Episcopis credita 71.50
Chrisostomi opinio de stella Magos in natiuitate Christi aggressa 43.4
Christianorum strages & captiuitas facta in Terra sancta 248.50
Christus Dei & Mariæ filius, nascitur 8. Cal. Ianuar. 41.10
Christus de Maria virgine creditur conceptus fuisse 8. Calend. April. & reuolutis 33. annis eadem die mortuus 40.20
Christus patitur adhuc in sanctis misericordiæ pietate 447.50
Christus quare aduentum suum ad sextam vsq; mundi ætatem distulerit 41.20
Christum non esse passum aiunt Basilidiani 57.40
Cibi in lapides conuersi 109.5
Cidon regnat in Creta 469.38
Cyprus subingatur Richardo 258.20
Circuli quatuor circa solem apparent 237.10
Circumcisio quare data 4.50
Claudianus disputator subtilis in existimatione est 90.30
Claudio propter Gothos deuictos, clypeus aureus & statua equestris aurea à senatu decernitur 64.50
Claudius Albinus interficitur 61.10
Claudius imperator veneno periit 52.10
Claudius Imperator Britanniam inuasit 51.5
Clani, quibus corpus Domini transfossum est 71.40
Clemens papa quartus cathedram occupat 55.50
Clementis, primi episcopi ab Apostolis ordinati corpus Mechis reperitur 232.10
Cleopatra, Ptolomæi Euergetis filia, Antiocho Magno traditur in matrimonium 33.20
Cleopatra, fide maritali postposita alieno amori indulget 38.50
Clericorum & laicorum murmur ac querimonia 336 40
Cletus papa tertius 55.30
Cletus papa martyrio coronatur 55.50
Clodesuida sponsum suum fugienti velamen cœlitus mittitur 110.4
Clodoueus, Francorum rex in consanguineos crudelis 91.10
Clodoueus regnauit in Francia 117.10

Clodoueus regnat in Gallia 78.40
Cnuto multas Anglorum prouincias spoliat 203.20
Cnuto rex Nobiles Angliæ interficit 206.20
Cnuto rediens Roma Malcolmum regem cum duobus aliis regibus superat 209. 20. *filios suos coronat ibid.*
Cnutonis aduentus in Angliam 203.10
Cœlum repente rubens, ac si arderet, apparuit Luna patiente eclipsim 239.10
Cœnobia duo pro transgressionibus expiãdis construũtur 229.50
Cœnobii noui VVentanæ vrbis dedicatio 192.20
Cœnobium beati Benedicti destruitur 106.30
Colonia Archiepiscopus captus, carcerali mancipatur custodiæ 413.50
Colossus Romæ erigitur 55.1
Colloquium generale apud Oxoniam factum de statu regni meliorando 364.30
Colloquium inter reges Franciæ & Angliæ 264.10
Colloquium Henrici regis Angl. & Alexãdri reg. Scot de contrahendo matrimonio 279.50
Columbanus doctor Scottorum & Pictorum obiit 106.30
Comes Moritoniæ cum multis aliis nobilibus carceralis traditur custodiæ 237.20
Comes de Asceila proditor, in equuleo quinquaginta pedũ suspensus, postea crudelissime decollatus 456.30
Cometa per tres menses apparuit, imo quodam die quasi sol resplendens 124.7
Cometa apparet in Angliæ: sanguine pluit; diraque pestis exoritur 100.20
Cometa, more prorsus insolito, apparuit 238.20
Cometa per semissem anni apparens: significatio 185.50
Concilia multa & deliberationes inter Barones habita 279.50
Concilium Charthagine 224. *Episcoporum congregatur* 77.50
Concilium London. celebratum, in quo omnes concubinarii sacerdotes damnãtur a Ioanne de Cremona 240.50
Concilium Turonis celebratur sub papa Alexandro 248.30
Conciliũ celebratur ab Anselmo Archiepisco 236.30
Concilium magnum VVintoniæ celebratum, & quæ in eo gesta 226.40
Concilium celebratur Pisis sub papa Innocẽtio 243.10
Concilium generale de primatu Dorobernensi celebratur 227.10
Concilium magnum celebratum sub papa Vrbano apud Clarum montem 233.40
Concilium Romæ celebratum 150 *patrum damnat hæresim Monothelitarum* 119.10
Concilium Constantinopolitanum 150. *patrũ celebratur* 75.20
Concilium in regione VVestsaxoniæ celebratũ 181.30
Conciliũ Lugdun. sub Papa Gregorio decimo 403.30
Concilium celebratum apud Lambeth 410
Concordiæ templum in vrbe Trinouanto ad legum stabilimentum a Molmutio constructum 29.20
Concordius presbyter gladio percutitur 58.30
Concupiscentia regis Æthelredi 194.50
Confirmatio puerorum a VVlfrido facta 124.40
Conflictus acerrimus inter Anglos & Frãcos 308.30
Confœderatio inter Carolum & Offam regem 144.6
Coniuratio magnatum quorundam in regem Æthelulfum 158.50
Connanus rex vxores ad Britanniam adduxit 76.8
Conrado rege Aleman. cassato, substituitur Guilielmus comes Holandiæ 337.50
Conradus imperat. & Ludouicus rex Franciæ ter Hierosolymitanum ingreditur 224.50
Conradus imperator succedit Lotharío 243.1
Conradus rex multorum irruptiones perpessus, lethali lecto decumbit lamentabiles edens querimonias 358.30
Conradus imperio potitur Romano 183.16
Consanguinitas Mariæ matris Domini cum Elizabeth matre Ioannis Baptistæ 40.30
Consecratio Taduuini Cant. Archiepiscopi 138.20
Constans imperator a suis in balneo nefarie occisus 122 20
Constantini pietas 71.3. *in fide Christiana confirmatio ibid.*
Constantini crudelitas in monachos 140.30
Constantinus papa 133.20
Constantinus multitudinem Barbarorũ vincit 71.30
Constantinus rex Britonum inter venandum interficitur 80.3
Constantii victoria de Alemannis 66.30
Constantius in hæresim labitur 73.30
Consules duo, quare Romæ creati 20.7
Consules primi Roman. Lucius Iunius & Torquatus 20.10
Contentio inter monachos Couentren. & canonicos de Lichfeld super electione episcopi decisa 286.50
Contentio inter scholares & fratres prædicatores Parisius 355.8
Contentio inter comitem VVarenniæ & Henricum de Lacy, Comitem Lincoln. 399.40
Contentio oritur inter Paschalem papam, & Henricum Imperatorem 238.30. & 40
Contractus quidam, Asino cœlestini impositus, recepit sanitatem 422.20
Conuiuio regis Franciæ & Angliæ quinam & quot interfuerint magnates & matronæ nobiles 360.20
Conuiuium magnum Comitis Rickardi apud VVallingfordiam 313.10
Connocatio omnium Nobilium Angliæ ad parliamentum 337.40
Cordeilla Leyr regis iunior filia, Aganippo Francor. regi indotata desponsatur 16. 30. *ad vltimum capta a filiis sororum suarum in carcerem detruditur vbi dolore ingruente semet interfecit* 17.20
Core contra Aarbnem litigans in deserto, cum 250 *igne diuino periit* 11.30
Cornanus, vir magni consilii Brito associatur 10.40
Corinthiorum monarchia destruitur 486.46
Cornubia, a quibus cornu VVallia, cur dicatur 104.30
Cornubia a cornu Britanniæ 11.9
Corona spinea, Christi olim crucifixi capiti imposita, fertur in Franciam 299.4.304.10
Coronatio & victoria Haraldi regis Angliæ 223.40
Coronatio regis Eaduuardi filii Henrici tertii 407.30
Coronatio Gulielmi Rufi 231.20
Coronatio regis Henrici tertii 277.9
Coronatio & Genealogia Ælfredi regis 166.30
Coronationis illicitæ pœna 455.40
Coronatio regis Aethelredi 194.20
Corpus S. Barnabæ Apostoli & Euangelium Matthæi eius stylo conscriptum, reperitur 91.4
Corpus S. pontificis Cuthberti translatũ in Dunelmũ vbi postmodũ Episcopalis sedes constituta est 196.50
Coryletum Britonibus pro castro habetur 38.20
Cosdroa rex Persarum Damascum cepit, Hierusalem destruit: sepulchrum Dominicum violare nequit 111.10
Creta, vnde dicta 466.50
Crucis Dominicæ portio auro & argento non modico exornata ad VVestmonasterium cum solemni processione aduehitur 412.30

Cruces

Crucis signum Cõstantino monstratur, cum inscriptione, In hoc signo vinces 71.30
Crucis dominicæ pars Romæ inuenitur 130.1
Crucis signum apparuit in vestibus hominum 145.50
Crudelitas Caduualini in mulieres & innocentẽ parnulorum ætatem 114.50
Crudelitas Iustiniani inaudita in hostes 133.20
Crudelitas Antiochi, & septem fratres cum matre interfecti 34.50
Crudelitas Carthaginensium in Regulum 22.40
Cruor de fontibus fluit, & de nubibus in specie pluuiæ lac descendit 22.20
Crux sancta in regnum Francorum illata 304.50
Crux sancta in certamine amittitur 255.10
Cumbria donatur regi Scotorum Malcolmo 188.10
Cupiditas, radix omnium malorum 284.30
Custodes contra Danorum irruptiones ab Ælfredo cõstituuntur 179.30
Cuthberti corpus ab insula Lidisfarnẽsi remouetur 168 40
Cyprianus Carthaginensis Episcopus ad martyrum album adscribitur 64.20
Cyphus de cranio i. testa capitis. 103.10
Cyrinus Syriæ præses 40.50
Cyrus dignitatem Medorum ad Persas transtulit 28.30

D

Dædalus cũ filio Icaro pennis sibi aptatis volauit 8.30
Dædalus propter inuestigabilem fugam cum Icaro filio auolasse creditur 474.22
Damasus instituit Psalmorum clausulis adiicere, Gloria Patri &c. 74.30
Damasci ciuitas obsessa, sed frustra 245.7
Danae per imbrem aureum Iouis fruitur concubitu 8.40
Danaus per 50 filias, 50 filios Ægypti fratris interfecit 472.7
Dania siue Danemarchia insula descriptio 179.40
Dani rebellantes domiti & subiecti Eadwardi dominio 182.9
Dani grauiquadam persecutione conteruntur 179.10
Dani insulam onium depradauerunt 155.10
Dani inaudita crudelitate exardentes Angliam totam spoliant 198.30
Dani venerunt in Angliam 155.40
Dani hyemauerunt in Thaneta insula 160.30
Daniel & tres pueri captiui ducti 23.30
Danorum exercitus Estangliam deserens Westsaxoniam inuasit 165.50
Danorum multiplicatio noua 169.10
Dardanus condidit Dardaniam 471.30
Darii exercitus 600000 hominum ab Alexandro in fugam vertitur 32.20
Darius filius Astyagis 3.20
Darius in gratiam victoris Alexandri aureis cathenis vinctus vitam finiuit 32.40
Dathan & Abiron, Nadab, & Abia à terra absorpti 11.30
Dauid frater principis Leolini describitur 411.30
Dauid filius Iesse a Samuele vngitur in regem 12.50. 13.6
Dauid populo numerato iram Dei incurrit 13.20
Dauid psallendo Saulem mitigans ictu lanceæ ab eo petitur 13.10. Ionatha sagittis se exercenti fœdus iurauit ibid.
Darius Antipatis Cyri filiam in matrimonium ducit 18.50
Decimam omnium bonorum Ecclesiasticorum papa vsurpat per triennium in Anglia 434.4
Decius septima vice a Nerone Christi nomen professos tyrannice persequitur 63.40
Decretales Gregorianæ in compendiũ redactæ 295.50
Dedicatio cœnobii S. Eadmundi 209.5
Dedicatio VVestmonasterienſis Ecclesiæ 220.10
Delbora occiso Sisara iudicauit Israel 40 annis 8.3
Demetria metropolis Uscha Kæruſc. à Belino repatriante adificata 31.10
Demetrius a Roma latenter egressus in Syriam venit 35.20
Demetrius ab Alexandro Eupatoris filio interficitur 35.40
Deorum aræ subuertuntur 72.30
Degradatio Ricoberti Remensis Episcopi 137.9
Desolatio multorum cœnobiorum 161.2
Deucalionis diluuium 6.50
Desidedit papa efficitur 109.50
Desidedit succedit Honorio Cantuariensi Archiepiscopo 117.8
Deusdedit Archiepiscopus Cantuariensis obiit 121.50
Deus sex diebus rerum creaturam formauit 1.20
Diabolus visibiliter in salibus apparens transeũtes alloquitur 235.50
Diabolus in specie Moysis in Creta apparet 78.30
Diabolus se pralio prafuisse protestatur 157.10
Diabolo spes redeundi in gratiam cum Deo hæreticæ pranitate promittitur 63.50
Diagoras Physicus agnoscitur 489.26
Dianæ responsio, Bruto eam consulenti data 10.20
Dictator primus Romæ fuit Largus, Magister equitum primus, Spurius Cassius 20.10
Dictatura dignitas maior quam Consulatus 20.10
Dies alienis feruientes a Leonibus diminutis immissis deuorantur 23.1
Diluuium factum sub Deucalione 470.10
Diluuium sequitur pestis qua dicitur Inguinaria, in Italia 105.20
Dinastia Ægyptiorum 481.52
Dionysius discipulorum Christi auditor Corinthiacam Ecclesiam rexit 60.10
Dionysius cyclum decennouenalem inchoat 99.20
Dionysius patitur sub Ferennio Sisinnio procõsule 56.10
Dionysius ex Simela natus, Cadmi filia 472.28
Disceptatio de obseruatione Paschæ inter Anglos & Scotos 121.20
Discordia nimis damnosa, Diaboli opera seminatur inter regem Francor. & Comitem Pictauensem Richard. 256.3
Discordia fratrum de regni diuisione 31.50
Discordia inter regem Æthelredum & Richardum Ducem Normanniæ: quæ, illius causa 196.2. &c.
Discordia inter Ecclesiam Lincolniensem & cœnobiũ S. Albani sopita 248.10.
Discordia ciuilis Britones multo afflixit tẽpore 29.10
Discordia inter regem & Archiepiscopum Cantuar. Richard. pro castro de Tonebridge 289.50
Discordia inter Belinum & Brennium Britonum reges maxima exorta 29.50
Discordia inter Northanimbros excitata 160.40
Discordia inter Iudendum orta 37.50
Discordia inter papam & Regem Franciæ 434.10
Discordia oritur inter Henricum & Robertum ducem Norm. fratres 237.10
Discordiæ inter archiepiscopos Cantuar. & Eborac. occasio 409.40. Monetæ mutatio 409.40
Dissensio inter regem Franciæ & Hispaniæ 408.30
Dissensio inter regem Franciæ & Hispaniæ 408.30
Dissensio inter principes de eligendo rege 193.10
Dissensio inter scholares Oxoniæ 298.30
Dissidium in Britannia oritur ab obitu Liuii, inclyti regis Britannorum 61.20

Diuortium inter Hubertum Cantua. archiep. & Hauisiam Comitis Glouerniæ filiam 263.30
Diuortium inter Ludouicum regem Francor & Alienoram reginam instituitur 245.40
Doctores mittuntur versus occidentem 56.1
Dodo S. Lamberti interfector vermibus absumitur 130.20
Dominus crucifixus 10. Cal. April. 1.30
Domitianus imperator mortuus ignominiose sepelitur 56.10
Domitianus diuum honorem sibi arrogans Christianos crudelissime conuellere conatur 55.40
Donatistarum hæresis nata 71.20
Donatus Epirensis episcopus immanem draconem in os eius expendo enecat 76.40
Donatus artis Grammatica scriptor Romæ illustris habetur 73.10
Donus papa 124.5
Dorobernia hostiliter obsessa capitur 184.10
Dorobernia sit sedes episcopalis 108.5
Douerca castrum Eaduuardo regi redditur 396.50
Draco igneus, terræ motus, & fulgura terrebant Anglos 407.30
Duellum pro vindicanda Gunilde adulterii accusata innocentia suscipitur 211.50
Dunfermelin abbatia opulentissima & munitissima 446.10
Dunfini pseudoprophetæ hæresis 457.10
Dunstanus Romam profectus, pallium suscipit a papa Johanne 191.10
Dunstanus, vir Dei, Alfgiua mulierum nequissimæ instinctu, in exilium mittitur. obitus 190.10

E

Eadbertus primus episcopus Seleseiensis consecratur 134.20
Eadbertus rex Cantuariensis obiit 141.20
Eadgarus rex coronam portauit 192.30 à subregulis suis fidelitatem accepit ibi.
Eadgarus pacificus flos & decus regum gloria & honor Anglorum in cæleste regnum transmigrat 193.10
Eadmundus Archiepiscopus claret miraculis 305.8
Eadmundi corpus integrum, odoriferum & omnibus partibus flexibile inuentum 339.20
Eadmundi encomium 331. per totam
Eadmundus de Terra sancta rediës ab indigenis cum honore recipitur 402.3
Eadmundus ioco in Episcopum promotus 206.40
Eadmundus magnum celebrans conuiuium, a quodam latrone insperato cultelli ictu transfoditur 188.30
Eadmundus nascitur 319.40
Eadmundus priuilegium tam sibi quam ecclesiæ grauissimum, maxima coemit pecunia 302.20
Eadmundus rex ferro inter celanda percussus interiit 205.50
Eadmundi regis victoria 204.10
Eadmundus B. martyri Eadmundo, multas contulit mansiones 188.10
Eadmundus & rex Norwegiæ Analaphus regnum diuidunt 187.40
Eadmundus permultas prouincias Danis ereptas sua subiicit potestati 187.50
Eadmundi natiuitas de Vrenside 194.50
Eadmundi corpus inuentũ absq; corruptione 165.30
Eadmundi regis martyrii causa 162.20
Eadmundus ex prosapia antiquorum saxonum oriundus in regem consecratur 159.20
Eadredi regis mors, & sepultura 189.50
Eadrici proditoris descriptio 198.20
Eadredi regis piissimi coronatio 188.40
Eadredus rex, VVlstanum Episcopum certis de causis in arcta posuit custodia 189.30
Eadsius archiepiscopatum Cantuar. dimisit 212.40
Eaduuardus rex magnificus, regnum Scotiæ adipiscitur 414.40
Eaduuardus in Angliam veniens à fratre suo gratanter suscipitur 211.30
Eaduuardus vxorem ducit Æditham Godduini potentissimi consulis filiam 212.40. classem inanniter congregat ibi.
Eaduuardus magna pompa & apparatu mittitur in Hispaniam ad maritandum 357.30
Eaduuardus reuocauit nepotem suum 216.40
Eaduuardus princeps iter adornat in Terram sanctam 400.10
Eaduuardus Ælfredi primogenitus, regni Angliæ diademate insignitur 180.30
Eaduuardus plures regiones suo subiugat dominio 182.1
Eaduuardus, hostilium aggressionum magnificus triũphator, militari expeditione ingreditur Scotiam 445.20
Eaduuardus à quodam Assasino sub specie nuntii, cultello toxicato sauciatus est 401.30
Eaduuardus in regem eligitur 212.30
Eaduuardi senioris mors, & successio Æthelstani filii eius 184.50
Eaduuardus rex transit in Franciam 412.50
Eaduuini mors & desolatio Northãhumbrorũ 114.40
Eaduuius a suis derelictus, regno expellitur 190.20
Eaduuius libidinosus & tyrannus iusto Dei iudicio defungitur 190.50
Eastanglia depopulata strages hominum magna consecuta 163.5
Ealdulphus pallium suscepit 143.20
Ebba abbatissa admirabile factum 161.30
Ebrancus rex, Membritis filius, condidit Eboracum, seu Kaerbranc. 13.40
Ecclesia Beati Petri Romæ construitur 71.40
Ecclesia martyris Albani funditus euersa & deleta creditur 104.40
Ecclesia Luciani martyris construitur Neapoli 72.10
Ecclesia S. Michaelis terræ motu conquassata corruit 407.50
Ecclesia S. Albani, Anglor. protomartyris magnifice dedicatur 239.20
Ecclesiæ Angliæ omnis taxata & carucata 259.40
Ecclesia in Britannia miserabiliter deuastata, renouãtur per Aurelium 91.40
Eclipsis solis facta 121.50
Eclipsis Lunæ facta 142.40
Eclipsis Lunæ facta post mediam noctem 171.9
Egbertus Eborac. episc. obiit 143.20
Egbertus, quomodo Danos in fugam coegerit 155.20 eiusque obitus ibid.
Egbertus recuperauit pallium ab octo episcopis prætermissum 140.30
Egesippus scriptor Ecclesiasticus clarus habetur 60.50
Egnuinus præsul VVicciorum tertius floret 134.40
Eleazarus, nonagenarius porcinam carnem edere noluit 34.50
Electorales imperii principes quot, qui 195.10
Eleemosyna Magni regis Ælfredi 177.20
Elephas in Angliam missus 36.16
Eleutherii decretum 60.40
Elricus rex in solitudine quadam, cum filio ac fratre suo proditiose interimitur 189.30
Elienſis abbatia mutatur in sedem Episcopalẽ 238.10
Eliduru morbum simulans, omnes Britãniæ principes ad se conuocatos clam decollari fecit 31.50
Ella rex Andredcestriã vrbẽ munitissimã capit 93.40

Emma

Emma Cnutoni regi maritali copulatur vinculo 206. 30

Enoch septimus post Adam placens Deo in Paradysum translatus est 42.10

Enoch vivus raptus in cœlum. 463.50

Encratita vnde & cur sic dicti 60.2

Enos, significat hominem, de quo bene dicitur. 462. 30

Eopa sub habitu monachico medicū sese mentiens Aurelium veneno propinato perimit 94.30

Eorpenvualdus defuncto Redvualdo oriental. Anglorum regi succedit 112.30

Eorpenvualdus hortatu Eadvuini fidem amplectitur Christi.colam 113.50

Epidaurus, qua & Dyrrachium, condita 19.40

Epicurus in atomis rerum principium esse statuit 41. 50

Epiphanes duos genuit filios 33.30

Epirota, Romano iugo subacti 34.20

Episcopatus noui in Gallia constitutio 95.40

Episcopatus de Theodford, transfertur ad Norwicū. 233.10

Episcopatus pecunia adquisitus 122.10

Episcopatus pecunia empti 233.10

Episcopi Hierosolymitani 57.30

Episcoporum plurimorum obitus, vno eodemque anno. 210.40

Epistola Philippi Parmensis de consecuta victoria ad Bonifacium 341.

Epistola Comitum & Baronum Anglia ad Papam, de negotio Scotorum 443.30

Epistola centum sigillis signata pro Anglia protectione Papæ ordinatur 433.50

Epistola vniuersitatis cleri papæ oblata 336.20

Epistola Papæ missa 334.10 *Itemq, Cardinalibus, de pressuris & grauaminibus Anglicanæ Ecclesiæ. ib.*

Epistola Bonifacii ad regem Anglia, quod regnū Scotia pertineat ad Roman. Ecclesiam 435.50

Epistola Pilati ad Claudium Imperatorem 48.30,40

Epistola Caroli magni reg. Francorum missa Offæ regi Merciorum 147.50

Eraclius patriarcha Hierosolymitanus & magister hospitalis veniunt in Angliam 254.20

Erckenvualdo in lectica portato, amnis quidam rapacissimus siccum præbuit transitum 123.20

Erconbertus primus in Anglia destrui iussit idola, ieiunium 40 dierum obseruari 115.50

Erichthonius rex primus in Græcia quadrigas iunxit. 472.5

Error monachorum Cantuar. super electione archiepiscopi 266.10

Esau hispidus venator 5.20

Esdras in Hierusalem rediens celebrauit solemnitatē Scenopegiæ multas opes templo Domini dedicans 28 50

Eua mater omnium viuentium 1.30

Eugenius, defuncto papa Lucio, succedit 244.20

Eugenius Papa 120.50

Euphrates fluuius Babyloniam transcurrebat 28,10

Europa rapta: eiusq; filii 7.30

Europa quas contineat regiones 3.20 *à quibus cœperit primum habitari* ibid.

Europæ filia Phœnicis Iupiter miscetur 472.15

Eusebius in hæresim Arrianam abit: emendatus tamē moritur 73.10

Eusebii & Pontani corpora, in Gallias translata, honorifice tumulantur 160.30

Eustachius de Faucunbridge fit Episcopus London. 280.20

Eustachius, Arrianam hæresim impugnans, exulare cogitur 73.10

Eutychius Constantinop. Episc. male sentit de resurrectione 103.40

Eutychianus papa martyrizatur, qui & 342 martyres propria manu sepelierat 65.10

Excommunicationis iaculum in Fredericum Imperatorem à Romana curia iactum 336.8

Excommunicationis sententia in transgressores libertatis ecclesiæ lata 355.10

Exilium regis Ælfredi apud Ethelingeie, nobilium insulam 169.50

Expeditio in VValenses 382.10

F

FAbianus papatum obtinet 63.10. *Nonum chrisma singulis annis fieri præcepit* ibid.

Fabricius victis Tarentinis triumphauit 22.10

Fadesbyri & VVerhā villæ quādo constructæ 183.50

Falcasius muneribus & promissis corruptus 285.30

Fames tanta inuasit Angliam quantam nullus hominū meminit 198.30

Fames Romanos ad Longobardos confugere cogit 103. 20

Fames Syriam inuasit 51.50

Fautores & consiliatores Ioannis regis Anglia 270.10

Felicitas 5. sub Antonino imperatore decollatur 58.50

Fenestella historiarum scriptor, moritur 45.40

Ferrum securis in Iordanum insertum, supernatat 15 30

Festus Iudæa procurator à Nerone constituitur 52.10

ociit ib.20

Fidelitas iuratur Guilelmo Henrici regis filio 239.9

Fidenates bello Romanos obsederunt 20.20

Fides Christi in Britannia confirmatur 60.30

Fidon Argiuus ponderum & mensurarum inuentor 18.20

Filii Sucani veniunt in Angliam, vt eam expugnarent 226.30

Filii Israel habitarunt in deserto, 430 annis 470.16

Filii & filiæ regis Eaduuardi 180.50

Firmianus, Arnobii discipulus, Rhetoricam conscribit 72.30

Flaminius consul apud Taximanum lacum interficitur 33.40

Foillanus dono Geretrudis virginis fundauit Fossense monasterium 117.20

Foroneus Inachi filius leges & iudicia primus instituit 367.50

Fortherus Schireburnensis episcopus cum regina occidentalium Romam petit 139.50

Franci, semper Anglorum emuli 314.20

Franci à Boemannis graui prælio macerantur 157.10

Francorum primus rex: item, Franci vnde nomē sortiti 74.50

Francorum milites 200 cū ipso Arthuro capti 264.40

Francorum insquissimū propositum per vicecomitem de Metun iam moriturum, detectum 277.30

Francorum rex infinito exercitu contra Flandrēses exiens, rediit inglorius 444.50

Fratres vterini eadem die nati denique vno die pontifices consecrati 99.40

Fratres inter sese bellum gerunt 61.40

Fredericus imperator, cum regibus Francia & Anglia cruce signatur: iter arripturus Hierosolymit. 255.40

Fredericus Alemanniæ imperator obiit 257.40

Fredericus fecit Calabros, Appulos & Siculos filio suo Henrico facere homagium 335.50

Fredericus imp. mediterraneum mare ingreditur, ad persoluendum votum peregrinationis 287.20

Fredericus creatur in imperatorem 246.40

Frithestanus vltroneam paupertatē ingreditur 185.50

Fulco

Fulco prædicator floruit in Francia 261.20
Fundatio Cœnobii de Tamstoke 191.20

G

GAbius & Porsenna duo consules Romani 30.40
Gabriel Angelus mittitur ad Mariam in Nazareth 40.10
Galba in Hispania imperator creatur Nerone ab omnibus hoste pub'ico pronunciato 53.30
Galenus insignis medicus Pergami natus, Roma claret 58.20
Galfridus comes Britanniæ moritur 254.50
Galfridus dux Normanniæ reddit Henrico filio suo Normanniam 245.20
Galfridus filius Henrici regis Anglor. cingulo donatur militari 252.10
Galfridus Lincolniensis Electus, officio Electionis nemine compellente renunciat 253.30
Galfridus post septennale exilium diem suum obiit 271.10
Galienus imp. libidini deditus interimitur 64.40
Gallia ingenti lue in ultionem martyrum infestatur 59.20
Galli indignatione & iactantia nunquam caruerunt 402.40
Gallogracia unde cognominata 30.40
Gallus & Volusianus ciuile bellum moliētes interficiuntur 64.10
Ganimedes à Tantalo (quod falso Ioui adscribitur) ad stuprum rapitur 8.40
Gasto callidissimus proditor callide aufugit 403.20
Gedeon salutatus ab Angelo quatuor reges Oreb, Zeb, Zebe, & Salmana strauit 8.6
Gelu & nix qualia nunquam ante visa 233.2
Gemma vestibus & calciamentis primum inseri cœpta 66.20
Genealogia Saluatoris 12.30
Genealogia ducum Normanniæ 183.10
Generatio Saluatoris in ætate quinta 39.10
Gentilium tēpla edicto Constantini euertuntur 72.20
Gentiles cenum Deos insanissima cultura adorabant 82.50
Gerardus Eborac. Archiep. moritur succedente sibi Thoma 238.7
Gerebertus apostata 197.10 &c.
Germanicus Drusi filius de Germanis triumphat 45 40
Geta a paganis pro Deo colitur 142.20
Gigantes quando nati 463.10
Gilbertus efficitur episcopus Herefordensis 245.20
Gladis Cæsaris nomen 37.30
Gloria in excelsis ad missas canendi prima institutio 95.50
Godwini proditoris mors turpissima 215.30
Goffarius Aquitaniæ rex 10.40.
Gog & Magog spurcissima gentes ab aquilone exurgentes 26.40
Gorgone crinita serpentib. 8. 30. aspicientes se convertebat in lapides ibid.
Gracia delatis alsunde seminibus segetes habere incipit 468.44
Grammatici celebres inuenerunt fabulas 8.20
Graumina ecclesiæ Anglicanæ 336.50
Gregorius doctor libros moralium in Iob composuit 103.40
Gregorius mittit S. Augustino pallium 106.40
Gregorius Neocæsareæ Ponti episcopus, montem precibus à pristina sede monet ad aliam 64.40
Gregorius Nazianzenus, D. Hieronymi præceptor debitum naturæ persolvit 75.10
Gregorius de proprio patrimonio sex in Sicilia fundauit monasteria 102.8
Gregorius omnium primus se scripsit seruum seruorum Dei 108.50
Gregorius ad prædicandū Anglis proficiscitur 103.20
Gregorius Papa, animam Traiani liberauit ab inferni cruciatibus 105.30.108.20
Gregorius Turonensis Episcopus ordinatur 103.8
Grimbaldus presbyter, & cœlestis regni gaudia conscendit 181.20
Guenhumara omnes Corinthiæ insulæ mulieres pulchritudine superans desponsatur Arthuro 98.40
Guerthæ rex Venedociæ 37.10
Guidericus Kimbelini filius primus Romanis tributum reddere recusat 45.50
Guidericus rex mucrone perimitur 51.10
Guido Cardinalis Sabinensis 396.50
Guido de monte forti propter contumaciam & offensas perpetuo anathemate percutitur 402.20
Guiscardus magnanimus Dux Apuliæ vita defungitur 228.20
Gulielmus de Albineto, nobilis miles vita decedit 296 30
Gulielmus primus Londoniæ ab omnibus in magna exultatione rex acclamatur 225.30
Gulielmus inter venandum à VValtero Tirello sagitte traiicitur 235.30
Gulielmus felici rerum successu factus insolentior, in tyrannidis vitium prolabitur 226.40
Gulielmus magnus mareschallus moritur 279.20
Gulielmus vitam cum regno reliquit 230. 40. cui succedit filius eius
Gulielmus consecratus à Lanfranco in regem 239.50
Gulielmus longa spatha fluctibus marina tempestate iactatus grauiter infirmatus decubuit 285.7
Gulielmus maledixit filio suo Roberto propterea quod multoties se ad iram prouocauerat 228.5
Gulielmus prædonum & latronum spoliator sagacissimus 229.40
Gulielmus duo monast. quæ cōstruxerat ānalias 230.10
Gulielmus de Blegis factus episcopus Lincoln. 263.50
Gulielmus multa promittit bona ægrotans, quorum ipsum pœnitet sanitati restitutum 232.20
Gulielmus de Anco oculis priuatur 233.20
Gulielmus Roth. archiep. constituitur summus Angliæ procurator 258.30
Gulielmus comes Holandiæ eligitur in regem Alemanniæ 339.40
Gulielmus de Braosa extorris ab Anglia eiicitur 269 50
Gulielmus Ecclesiæ S. Pauli canonicus in Episc. London. consecratur 263.10
Gulielmus de Longa spatha & multi alii nobiles crucesignantur 338.50
Gulielmus dux Normann. Haraldum arguit de pallo 222.10
Gulielmus Postard. abbas VVestmonaster. obiit cui successit Radulphus de Arundel 263.30
Gulielmus capit homagium à rege Scotorum. 227.20
Anglis adiuntus Normanniam sibi subiugat ibid.
Gulielmus Normannorum dux Arnulphi comitis Flandrensis proditione interficitur 188.8
Gulielmus & Richardus filius regis Henrici ac filia eius neptis in mari submerguntur 239.50
Gunilda mirę pulchritudinis puella desponsatur Henrico imperatori 211.40
Gytro rex paganus Christo nomen profitetur suum. 170.40

H

HÆresis quid sit 354.30
Haimonis portus id est Hamptonia 51.20

Hann-

Hannibal Amilcaris filius, Pœnorum & Affricanorum imperator 33.40. *iurauit se nunquam Romanis fore amicum* ibid.
Hannibal in victoriæ testimonium tres modios aureorum annulorum misit Carthaginem quos manibus interfectorum detraxerat 33.50
Haraldus rex baptizatur 191.50
Haraldus VValliam depopulatur 218.40
Haraldus coronatur in regem 209.50. *sutoris cuiusdam filius creditur, a regina in filium adoptatus* 210.10
Haraldus rex moritur 210.50
Haraldus propter victoriam elatus è rege fit tyrannus 222.3
Hardecnuto rex venit in Flandriam 210.50
Hastingus Angliam hostiliter peruagatus, cismarinas regiones depopulatur. 176.2. *vrbem Limis sibi subiugat* ibid.20
Hebræi vnde dicti 5.40
Hebræorum mira fœcunditas Aegyptiis importuna & odiosa 6.10
Hebræorum seruitus in Aegypto 469.6
Hedda primus ex Anglis in VVintoniapõtif. 116.50
Hedda VVintonensis Episcopus obiit 132.50
Helena Constantini mater crucem dominicam quærens Hierosolyma 3. *reperit* 71.30
Helena mater Constantini artibus liberalibus & instrumentis musicis perfecte erudita 66.50
Helias Thesbites igneo curru in cœlum raptus ascendit, in fine mundi Christum præcessurus 14.50
Helias propheta quo tempore floruit. 14.50. *mortuum mulieris filium suscitauit* ibid.
Heli sacerdote in Iudæa regnante arca Testamenti à Philistæis capitur 11.20
Heli audita strage filiorum de sella cadens retro fractis ceruicibus expirauit 11.40
Heliodorus Hierosolymam mittitur ad destruendum ærarium templi, quem equus terribilis ab incepto deterruit 33.30 (50
Helius pertinax scelere Italiani in palatio occiditur 60.
Helisæus propheta Heliæ discipulus ex tribu Ruben ortus 15.10
Hengistus redit in Britanniam 84.20
Hengistus bello victus capite detruncatur 92.10
Henrico nato horribiles factæ sunt tenebræ in Anglia 242.3
Henricus frater Gulielmi mittitur ad expugnandam Normanniam 233.10
Hericus tertius ducit Alienorã filiã Reymũdi 295.50
Henricus Hũtendunensis chronica suã finiuit 242.20
Henricus rex Teuthonicorum Paschalem papam tenuit in custodia 238.30
Henricus Romanum tenet imperium 184.30
Henricus rex domat VValliam & Malcolmum regẽ Scotorum repellit 247.20
Henricus Mareschallus episcop. Exoniæ 267.20
Henricus Iunior mouet bellum contra patrẽ suum. 250 30. *inuocato B. Thoma auxilio, omnes hostes superat* 251.6
Henricus vnus ex filiis Frederici Imp. in carcere diuturno detentus animam exhalat 308.10
Henricus de Lexintona eligitur in episcopum Lincolniensem 355.20
Henricus iunior coronatur in regem 250.1
Henricus Dux Norman. duxit alienoram quondam reginam, relictam Ludouici 245.50
Henricus de Neuuerk archiep. Ebor. obiit 433.20
Henricus tertius, Dei cultor deuotus à 56. anno suæ coronationis, Deo reddit animam 401.40
Henricus infirmatus cantata pro se missa pristinã valetudinem recuperat 401.20
Henricus & Dux Normanniæ fœdus ineunt 236.10
Henricus apud VValthã ad subuentionem terræ sanctæ itemq; pro expiatione mortis S. Thomæ 42. *millia marcar. auri & argenti assignat* 253.30
Henricus frater Gulielmi Rufi post obitum ipsius consecratur in regem 235.50
Henricus iunior delectabilis indolis, obiit 253.40
Henricus imperator regnũ Apulia & Sicilia sibi subiugat 260.10
Henricus Anglorum rex nimio tristitiæ squalore contabescẽs, natalitiisq; suis maledicẽs moritur 256.20
Henricus coronatus à Clemẽte secundo, Episc. 209.20
Henricus de Sanduuico London. Episcobiit 403.20
Henricus dux Saxoniæ frater Othonis venit in Angliam 269.10
Heraclius in hæresim labitur 113.50
Heraclius filium regio diademate insignit. 111.10. *Cosdroam bello vincit sultus imagine S Mariæ ibid.*
Heraclius Constantinus, Heraclii filius à nouerca sua Martina veneno propinato occiditur 116.20
Hercules Antheum luctando vincit 469.35
Herebertus comes, pugnans contra paganos, a suis derelictus occubuit 156.10
Herefridus VVigorn. Episc. libros Dialogorum S. Gregorii in linguã Saxonicã eleganter transtulit 168.10
Herodes contra omne ius & fas Iudæorum semini sese admiscere tentat combustis omnibus libellis genealogicis 39.20
Herodes iussit pueros occidi, quorũ maxima pars tertio milliario à Bethlem ad Austrum sepulta est 43.4
Herodes regnum & sacerdotiũ Iudæorũ inuasit 39.30
Herodes cum Herodiade æterno dãnatur exilio 50.40
Herodes vxorem & filios interfecit 43.10
Herodiam abstulit Antipas Herodes fratri suo Philippo 43.30
Herodis detestanda crudelitas 44.10. *mors eiusdem miserrima* ibid.30
Hesiodus insignis habetur 481.30
Hester, filia fratris Mardochæi ob forma & virginitatis excellentiam regi Persarum connubio copulatur 20.30
Hieronymus chronica sua finiuit 76.30
Hieronymus de ordine minorum in summum consecratur pontificem 413.50
Hierosolyma reædificatur 57.30
Hierusalem ciuitatum sanctissima à christianis obsidetur. 235.10 *quorum numeriis ibid. describitur*
Hierusalem à Nabuchodonosor rege subuersa 19.40
Hierusalẽ populo ac cultui christiano à Soldano Babyloniæ restituitur 50
Higbaldus Episcopus defunctus 152.50
Higinus papa clerum composuit & gradus in ordinib. distribuit 58.40
Hildebrandus prædixit falsum regẽ moriturũ 228.40
Hildebrandus tanquãm res læsæ maiestatis deponitur 229.30
Hildegardis prophetia 417.10
Homerus Rhetor & poeta clarus habetur 12.20
Homines periuri rapaces, & amantes munera falsitatis 26.10
Homines olim quantitate maiores, quã hodie 43.10
Hominis proprium inuocare nomen Domini 462.30
Honoricus Arrianus rex VVandalorum 134. *Episc. Catholicos in Aphrica mittit in exilium* 91.10
Honorius Lindisfarnensium primus episcopus ordinatur 113.40
Honorius papa obiit, cui succedit Innocent. I. 241.30
Honorius Constantiũ principem militiæ fecit 77.40
Hugo Cartusianus monachus, fit Episcopus Lincolnia 254.50

Hugo comes sororem regis Æthelstani duxit in vxorem 185.20
Hugo de VVelles Lincoln. Episc. moritur. 295.20
Hugo de Lacy in Hybernia bellator nominatissimus. 309.50.
Hugo, qui leonem vicit & interfecit obiit. 264.10.
Hugonis electio confirmata. 301.50.
Hugo Lincoln. Episcop. signis & virtutibus claruit. 263.40.
Humber rex Hunnorum inuadit Scotiam. 12.7.
Humilitas sedauit bellum. 226.30.
Humilitatis exemplum. 109.50.
Huna, vir strenuus & bellicosus Danorum inueteratam insolentiam tandem reprimit. 200.40.
Hycmis asperitas. 101.50
Hymni primum in ecclesiam introducuntur 76.40

I

IAcob secundo anno famis ingreditur Aegyptũ cum filiis suis 468.35
Iacob descendit in Mesopotamiam 468.5
Iacobus frater Domini, cognomento iustus à Iudæis lapidatur 53.1
Ianus primus regnauit in Italia 17.40
Iasonis, Oniæ fratris enormis impietas 34.30
Ictus igneis in aere visi. 140 20
Ida & Dactilus ferrum reperiunt 472.24
Idumæi ab Esau 5.20
Ieiunium integra septimana seruandum 135.30
Iephte ab Israelitis vt spurius electus postea in regem ab iisdem recipitur 8.10 *victis Ammonitis filiam deuouit immolandam* 8.10 *iudicauit Israel* 6. *annis ibidem*
Ieroboam in toto suo regno instituit idololatriam. 14.20
Iesus puer remansit in Ierusalem in medio doctorum. 45.10
Iesus è Galilæa veniens in Iordanem à Iohanne baptizatus est. 46.50
Iesus Christus traditur à discipulo suo, 8. Cal. April, crucifigitur, ascendit in cœlum 3. Nonas Maii. 48.30
Iesus Syrach sapientiæ suæ librum composuit sub Ptolomæo Euergete 33.20
Ignatius bestiis traditur deuorandus 56.40
Ignis de cœlo descendit. 14.50
Ignis per cœlum visus discurrere 103.30
Imago Dei generatiua, non hominum sed Dei manu picta. 111.20
Imagines sanctorum in opprobrium Christianorum canibus equorum distrahendæ alligantur 414.10
Imagines adorandas libro Constantini Synodali continetur 146.10
Imaginum cultus prohibentur 137.10
Imperator propter inobedientiam excommunicatur 228.20
Imperatores purpuram deponunt 69.30
Impressio facies Saluatoris, quæ Veronica dicitur. 49.40
Inarex Romam petit 137.20
Inarex VVestsax regem Eadbertum interficit 137.1
Inachus primus rex Argiuorum 467.29
Infans prædixit, Ambrosium fore Episcopum 75.30
Ingilfus frater regis Inæ moritur 136.40
Iniuste acquisitum, aquissime amittitur 433.10
Innocentius quintus papa obiit 408.20
Innocentii corpus transfertur in Saxoniam 160.1
Innoge Pandrasi filia desponsatur Bruto 9.50
Inobedientiæ exemplum 200.10
Insolentia iuuenis cuiusdam in Brittannia 65.40
Insula 30. *stadiorum spatio extenta repente emicat.* 51.40
Inuectio in Philosophos gentiles Deum creatorem in Elementis creatis quæritantes 41.50
Io Asiæ filiæ mixtus est Iupiter 470.5
Io filia Inachi, pro Deo culta est in Aegypto 5.10. *Aegyptios literis primum informauit* ibid.
Iohannes Alexandrinus Episcopus à peregrino quodam sub habitu mendicantium tentatur 109.30
Iohannes Apostolus à Domitiano in feruentis olei dolium immittitur. 56.10
Iohannes Apostolus in Pathmo exulans Apocalypsin conscribit 55.40
Iohannes de Agnanina mittitur ad lites regias dirimendas 256.10
Iohannes Baptista in deserto prædicat Baptismum pœnitentiæ 46.50
Iohãnes Blondus electus in Archiepiscopum Cantuar. 291.10
Iohannes Beuerlacensis Episcopi descriptio 136.40
Iohannes Chrysostomus in Ecclesia Dei præclarè refulsit 77.20
Iohannes Comes Holandiæ, hausto veneno per familiares sibi clam propinato, occubuit 433.8
Iohannes de Columna Cardinalis Rom. vas omnis superbiæ, fomes contumeliæ 313.50
Iohannes Constantinopolitanus contendit de primatu 106.40
Iohannes de Constantiis, decanus Rothomag. consecratur in Episcopum 260.20
Iohannes rex à regno abiudicatur 270.50
Iohannes Euangelista in Ephesiorum Ecclesia clarus habetur. 55.20
Iohannes Extorris ex hac vita miserrime transmigrauit 276.40
Iohannes de Gatesdene de clerico fit miles 319.50
Iohanna rex, fit regulus & papæ tributarius 272.30
Iohannes filius Simonis, fratris Iudæ Macchab. aduersus Hircanos dimicans, Hircani nomen accepit, 35.50
Iohannes Euangelista natus 43.50
Iohannes papa sedet ad regni gubernacula 102.40
Iohannes Scotus, vir perspicacis ingenii & facundiæ singularis à Carolo Calvo honorificè susceptus 171. 30
Iohannis Baptistæ caput in Aedessam ciuitatem transfertur 142.40
Iohannis Maunsel multiplex promotio 334.50
Iohannis Baptistæ caput duobus reuelatur monachis 84.10
Iohannis Baptistæ ossa à paganis dispergũtur. 73.50
Ioas interfecit Zachariã filium Ioiadæ inter templum & altare 16.6
Iob de genere Hus, secundus rex in Edom 5.20
Iocelinus VVellensis Episcopus, munus consecrationis suscipit 267.20
Ionathas frater Iudæ Macchab. eo defuncto, principatum adipiscitur Iudæorum, atque sacerdotium 35. 40.
Ioseph venditus à fratribus 468.23
Ioseph Mariam dimittere cogitans in somnis monetur ab Angelo, vt eam accipiat 40.40
Ioseph redit de Aegypto 44.40.
Ioseph in Aegypto, obiit 469.1
Ioseph 15. annorum pascit gregem cum fratrib. a quibus vendebatur 5.50
Iosephi cuiusdam industrium stratagema, in obsidione castri Strinelin 445.40
Iosua successor Moysis terram Palæstinorum Indeis distribuit 472.9
Iosue filius misit exploratores in Iericho. 7. 20. *elan-*

gentibus

gentibus sacerdotum buccinis eam destruxit ib.
Irenaeus cum maxima multitudine hominum martyrium pro Christo suscipit 61.10
Irenaeus Lugdun. Episcopus insignis habetur 60.10
Iris signum preteriti diluuii posita 3.2
Isaac filius Abrahae natus 468.31
Isaac immolatur 467.18
Isaac audit oraculum de seruituro Esau Iacobo 5.10 benedixit Iacobo, reprobato Esau ib. pro Rachel & Lia seruitium 14 annorum apud Labanin it ibid.
Isabella uxor comitis Richardi moritur 302.1
Isabella filia comitis Engolismi 263.30
Isabella de Bolbek comitissa Oxoniae 319.40
Isabella petitur, in Imperatricem 295.40
Isai vel Iesse pater Dauid 12.50
Isicion Albani primogenitus 3.30. quatuor gentibus prabuit originem, Latin. Francor. Aleman. & Britan. ibid.
Isidorus commendat regem Dauid 13.20
Ismael duodecim duces genuit 467.7
Israel in Aegypto moritur 6.10
Israel numeratur a Moyse & Aarone fratre ipsius 6.50
Israelita à Iacobo 5.5
Israelita quinta generatione exierunt de Aegypto 12.40
Israelitarum numeratorum summa 603540. 7.4
Israelitarum exitus de Aegypto, duce Moyse 6.20
Iubal ex genere Cain reperit artem Musicam 463.10
Iudas Machabaeus inter feras vitam cum suis agit 35.10
Iudae generatio 6.7. concubitus cum Thamar in bivio ib.
Iudae regnum & reges illius 15.50
Iudae reges, qui post Amasiam regnauerunt 22.50
Iudae proditoris ortus, qualiter adhaserit Pilato & misera morte ipsius 47.20. Patrem suum occidit, matrẽ in vxorem duxit 48.5. Dominum suum & magistrum vendidit ib.
Iudei contra Romanos bellum monerunt 53.6
Iudei cuiusdam maleficii stultum consilium 137.
Iudei omnes ex Anglia cedere iussi, dato termino quem sub poena suspendii non transgredi licebat 414.20
Iudei omnes per Angliam vno die capti & incarcerati, pro vasura regia monetae 409.20. ducenti octoginta suspensi ibid.
Iudei vt discernerentur à Christianis iussi sunt signa ferre in exterioribus indumentis 407.40
Iudei ad grauissimam redemptionem compelluntur 269.20
Iudei disceptantes cum Silvestro papa, confusi reddunturelingues 72.3
Iudei Palestinam depopulantur 58.4
Iudei bella atrocissima gerunt 56.50
Iudei à Roma expelluntur 51.50
Iudei Romanis facti tributarii 36.10
Iudei puerum quendam Christianum furtim captum, crucifigere voluerunt 295.20
Iudei fugantur è Francia 352.2
Iudei à Samaritanorum commercio prorsus abstinent 23.8
Iudaeorum 42400. ad relaxationem Cyri regis Persarum, reuersi sunt Hierosolymam 19.50
Iudaeorum regni finis 23.40
Iudaeorum dispersio 54.40
Iudaeorum regnum in tetrarchias diuiditur 44.30
Iudices, qui iudicauerunt Israel 7.50. eorumque nomina ... ibid.
Iudith historia, facta creditur sub Cambyse filio Cyri regis 28.40
Iugurtha Romanorum bellum contra se mouet 34.10
Iulianus succedit Constantino mortuo 73.40
Julius Caesar pralijs Occidentalibus consummatis Romam contra Pompeium properat 38.30
Julius Caesar venit in Britanniam 36.50
Julius Caesar autorib. Bruto & Cassio in curia Rom. 24. vulneribus confossus interiit 38.50
Julius Caesar naufragium patitur 37.40
Jupiter Europa filiae Phoenicis mixtus 7.40
Justinianus exul imperiali dignitati restituitur 133.10
Justinianus Augustus, ab Anthymo seductus, in apostasiam labitur 101.30
Justinianus imperio privatus, naso insuper linguaque truncatus, in exilium relegatur 130.10
Justus ordinatur Episcopus à Beato Augustino 108.2
Iuuencus presbyter 4. Euangelistas versibus descripsit Hexametris 72.20
Iuuenes liberalibus artibus imbuti, à senibus estimantur fœlices 177.10
Iuuenis sine patre genitus 85.20

K

Kaerperis ciuitas, nunc vocatur Porcestria 70.30
Kimbelinus rex Britanniam 10. annis tenuit, duosque filios genuit 44.10
Kimbelinus rex Britonum moritur 45.50
Kinericus filius Cuthredi regis occidit: Sax. occisus 141.20
Kineulfus rex interficitur 145.10
Kinewalcus bellum gerit contra Britannes 120.50
Kinewvoldus succedit VVilferitho in Episcopatum 185.50
Kinigilso rege Saxonum defuncto succedit Kiniualeus 116.20
Kinredus rex monachum induit 134.10
Kenricus occidental. Saxonum rex defungitur 102.10

L

Laban reuertitur in terram Canaan 468.16
Labienus Tribunus Nennio in belli acie obuias, ab eo interficitur 37.20
Lacedamon condita à Lacedamone Semelei filio 471.21
Lambertus martyrii laude insignitur 130.10
Lamech primam bigamiam instituit 2.20
Lancearum species in aere visa 101.50
Lanfrancus nobilis Antistes ecclesiae Cantuariensis obiit 231.40
Lanfrancus Monachus, vir multimodae eruditionis, librum conscripsit de sacramento altaris 226.50. in Episcop. Cantuar. consecratur 227.2
Lanificii, vini, & olei vsus vnde 6.40
Lateranensis basilica, à rana Neronis ibi latente, dicta 52.50
Latiniacum coenobium fundatur 117.10
Latino Syluio regnante in Latio Danid apud Hebraeos regnauit 18.10
Latino regnante Troia à Graecis capta est 17.50
Latium a Saturni latebris dictum 17.40
Latrones rapuerũt thesaurum cuiusdam militis quadringentarum librarum argenti 453.10
Lenacrum lapideum in similitudinem panonis, factum donatur regi Angliae a regina Francia 361.8
Lauda sedet in Cathedra Romana 184.1
Laurentius primo omnium Augustino successit 195.50

Laurentius Augustino defuncto succedit 109.10
Legati solemnes mittuntur in diuersa mundi climata, ad persequendum hostiliter Fredericum & filium eius Conradum 335.40
Legeceſtrensis ciuitas restauratur 182.6
Leges inter arma ſileant 177.40
Leges patria morte potius, quam turpi seruitute vendicande 444.30
Leges Molmutia à Dunvvallo Molmutio late 29.10
Legis diuine quinta editio reperitur 61.50
Legis diuine sexta editio Nicopoli reperitur 62.20
Legum diuinarum violatio non cedit impune violatoribus 34.30
Leo papa primus 79.50
Leo imperator 130.10
Leo Zaccarus imperium Romanum adipiſcitur 144.30
Leogecia inſula 10.2
Leolinus princeps in cõſictu Martiali capite trũcatur 411.10
Leui tribus à ſorte hereditatis remouetur 5.40
Leonegarius, Eccleſiarum amator, & vere Chriſtiane virtutis exemplar à Criſſino interimitur 216.30
Leyr rex Britonum, qualiter filias tres quas habuit, probauerit 16.20
Lex Chriſtianis prohibet, ne cum paganis cõmunicent 83.20
Libellus famoſus, contra exemptos, & in concilio apparere nolentes 410.6
Liber pater oſtendit vitem hoſpiti ſuo in Gracia 7.30
Liber pater, cur pingatur muliebri habitu 474.1
Libido Baſſiani, filii Seueri 61.50
Lichfeldenſium primi Epiſcopi qui fuerint 120.30
Lindiſſa regio vbi ſita 142.50
Lindiſſa regio à paganis depopulatur 156.20
Lindiſſa regionis prouincia fide Chriſtiana imbuitur, per Paulinum Archiepiſcopum 113.40
Lingua Hebræa omnium antiquiſſima 3.50. *in familia Phaleg reſeruata* ibid.
Lingnarum confuſio in agro Senaar facta 3.50
Litania ſeptiformis à Gregorio inſtituitur 109.30
Litteræ Prælatorum Gracia ad papam, Gregorium magnum 405.10
Liuius Ortenſis hiſtoriographus vitam finit 45.30
Locrinus ictu ſagitta percuſſus interit 12.20
Locuſtarum agmina agros paſſim infeſtant 59.30
Loegria à Locrino primogenito Bruti dicta 12.1.2
Londoniarum ciuitas pene tota combuſta 241.50
Luca Euangeliſta & S. Andreæ Apoſtoli oſſa Conſtantinopolim deferuntur 73.3
Lucianus, eo quod Neronem diſcipulum ſuum flagellauerat ab eodem in balneo vita priuatur 53.10
Lucerna, arte Mathematica inextingibilis facta, reperitur ad corpus Pallantis 210.30
Lucianus inter ſcriptores Eccleſiaſticos ac Philoſophicos claret 63.20
Lucifer Carelatenus à Conſtantino in exilium mittitur 73.20
Lucius Manlius Gallum ad ſingulare certamen prouocatum occidit 20.40
Lucius Cõmodus in domo Veſtali ſtrangulatus interiit 60.50
Lucius Eccleſias Britannie libertatibus donauit 60.40
Lucretia à Tarquinio iuniore per vim ſtuprata, ſemetipſam interfecit 20.4
Lucretius à Nerone interimitur 53.10
Lud filius Heli regis Britonum, Trinouanti muros renouauit, innumerabilibus turribus vrbem cingens 36.30
Ludouicus venit in Angliam, vt adoraret S. Thomam 252.40. *obiit* 253.7
Ludouicus Francia diadema ſuſcipit 186.40
Ludouicus Romanum adipiſcitur imperium 181.20
Ludouicus R. Franc. obiit, cui ſucceſſit filius ipſius Ludouicus 242.50
Ludouicus rex Francorum ad regni gubernacula cubitur 170.50
Ludouicus frater Philippi regis Francorum coronatur 241.40
Luna viſa quaſi extincta 238.20
Luna quinque in cœlo apparent 263.40
Luna duæ ſimul in cœlo viſæ 257.40
Lupanaria vnde dicta 18.30

M

Macedonius hæreticus ſpiritum ſanctum Deum eſſe negat 74.8
Maddan & filii eius 12.30
Magi inſtinctu diuino venerunt Hieruſalem quærentes natum Ieſum 42.20
Magiſter equitum primo factus, qui Dictatori obſequeretur 20.10
Mahumetes à porcis corroſus 112.10
Mahumetes pſeudopropheta obiit & in inferno ſepultus eſt 122.20
Mahumetes Pſeudopropheta, vnde oriundus, & quibus technis ad regnum ſublimatus 111.40
Maia filia Atlantis 6.40
Maiorica inſula capta 295.10
Malcolmus rex Scot. facit homagium regi Guliclmo 232.20. *ſubito interimitur* ibid.40
Mamertus feriis fidei ac precationum lachrymis periculoſum extinguit incendium 84.9
Mammea, Origenem presbyterum audiendi cum gratia ad ſe accerſiuit 62.30
Manaſſes ob ſcelera ſua catenatus & compeditus in Babyloniam ducitur 484.43
Manichæorum hæreſis exoritur 65.20
Manſiones populi Iſrael in deſerto 7.10
Manus Sancti Iacobi ablata, de Radingo 242.40
Marcellus, ab hæreſeos Sabelliana ſuſpicione ſe purgat 73.20
Marcomirus rex Francorum obit 75.20
Marcus Euangeliſta, Petro narrante conſcribit Euangelium 50.50
Marcus Euangeliſta martyrii laude inſignitur 51.40
Marcus primus ex gentibus Hieroſolymorum Epiſcopus 58.10
Marcus Curtius barathro Roma hianti equeſtre ſe immiſit pro ſalute populi 20.40
Marcus ſedet in cathedra Romana 2 annis 72.40
Margaretha regina Anglie peperit filiam, nomine Elionoram 454.10
Margaretha vxor Malcolmi præ nimio dolore contabuit 232.40
Maria, mater Domini ab Angelis in cœlum aſſumitur 51.30
Maria Magdalena migrauit ad Dominum 55.3
Maria comitiſſa Bolonie moritur 239.10
Mariagne Heredi repudiata vxore Doſide matrimonialis vinculo copulatur 39.50
Marinus Papa multas Ælfredo regi reliquias, cum donariis aliis pretioſis mittit 171.30
Marius naturæ debitum ſoluens filium Coillum habuit ſucceſſorem 55.10
Marock rex inuadit Hiſpaniam, magnam inferens Chriſtianis ſtragem 260.10
Martia mulier omnibus virtutibus erudita legem innouauit Martianam 31.30
Martinus papa 117.20

Martinus 4. papa obiit, cui succedit Honorius quartus 412.20
Mathematici & Philosophi Roma pelluntur 55.40
Matildis Henrico defuncto ad patrem suum reuertitur 241.5
Matildis uxor regis Gulielmi consecratur in reginam 226.20
Matildis regina moritur, & in monasterio S. Mariæ quod ipsa construxerat, sepelitur 229.10
Matildis, Henrici regis Angl. filia vix quinquennis nuptui datur Henrico filio imperat. 237.50
Matthæus Euangelio suo conscripto ex Apostolo Euangelista factus est 49.30
Matthias ordinatur Apostolus 49.2
Maugerius VVigornensis episcopus 270.30. *mittitur in exilium* ibid.
Mauricius Hybernia iusticiarius 326.40
Mauritania a Romanis subacta 34.10
Maxentius, Roma Augustus appellatus 69.50
Maximinus Athanasium honorifice suscipit 72.50
Maximinus imperator aduersus Ecclesiarum prælatos desæuit 63.7
Maximus Roma trucidatur 76.20
Medardus Noniomensis Episcopus virtutib. insignis, è vita migrauit 102.1
Medorum reges non computantur in numero regum illustrium vsque ad Cyrum 16.20
Medorum coniuratio aduersus Assyrios 16.10
Melchiades papa 69.50
Memphis in Ægypto ab Ape conditur 468.30
Mempricius tyrannus a multitudine rabiosorum luporum in venatione deuoratur 12.30
Mensium institutio à Numa Pompilio 19.10
Mercatores ab insulanis capti, omnibus bonis spoliantur 192.30
Merciorum regnum initiũ sumpsit, cuius rex primus Ceodda fuit 103.50
Mercurius, Atlantis nepos, multarum inuẽtor artium 6.50
Merlini prophetia initium 85.40
Merlini consilium de sepulchris decorandis nobilium, Aurelio Ambrosio datum 92.30
Messalianorum hæresis nascitur 76.50
Michol irridet Dauid saltantem ante arcam Domini 13.20
Micipsa amicus populi Romani 34.10
Middeltunense & Michelenonse cœnobia construuntur 187.2
Milites, à numero millenario dicti 18.50
Militis pertinacia in agendo pœnitentiam 133.20
Minerua ab Atheniensib. sapientiæ Dea creditur 6.40
Minerua præficitur thermis à Bladud rege Britonum 15.7
Minerua apud Lacum Tritonidem in specie virginali apparuit 467.23
Minores dicti, prædicatores, emergunt 267.40
Minorum fratrum ordo confirmatur 286.30
Minotaurus labyrintho inextricabili includitur 8.30
Mirabile de S. Leone papa 151.10
Miracula de S. Ælfego Episcopo 189.10
Miraculum laudabile 90.40
Miraculum de Midone 185.40
Miraculum de S. Dunstano 188.1
Miraculum de Camisia Sanctæ Mariæ 182.10
Miraculum imaginis Saluatoris a Iudæo furtim surrepta ac telo transfixa 102.20
Miraculũ de oleo imaginis S. Mariæ clarescit 265.30
Miraculum ad natiuitatẽ nascentis S. Guthlaci 135.2
Miraculum de Clodoueo 120.50
Miraculum, absque linguis loquentium 99.10
Miraculum de columna lucida 119.30
Miraculum de Sancto Benedicto 140.40
Monachi constituuntur pro clericis electis in monasterio VVintonia 191.20
Monachi apud Radingum secundum regulam Benedicti viuere incipiunt 240.10
Monachi constituuntur in regali monasterio S. Eadmundi dicto 206.50
Monachi circiter mille ducenti occisi 107.50
Monachi militare nolentes occiduntur 74.40
Monachis in Exonia congregatis Sidemannus vice abbatis præficitur 192.8
Monachus ad regem Haraldum missus tria ei proponebat 223.8
Monachus fit rex 80.10
Monachus quidam inuitus ad bellum tractus 119.5
Monarchia mundi diuiditur 76.40
Monasteria in regno Francor. plurima demolita 191.10
Monasterium celebre in Normãnia corruit 382.30
Moneta alteratio secundum formam 339.30
Moneta falsa per Angliam 'Pollard dicta & Crokard, prohibetur 433.30
Moneta noua facta in Anglia 247.30
Mons Albani, castellum, quod septenni obsidione Carolus M. non poterat expugnare, capitur, a Iohanne 267.10
Mons in Gallia mugitum edit 102.30
Montani hæretici vnde dicti 59.40
Morindus Elani filius ab inaudita feritatis monstro, iuxta maritima deuoratur 31.30
Mors Arrii hæretici turpissima 75.2
Mors Egfridi regis vindicata 133.50
Mors sancti Siluestri & Constantini gloriosa 72.30
Mortalitas in Anglia 122.5
Mortuus a purgatorii pœnis resuscitatur 130.30
Motio magna peregrinantium in terram sanctam 286.40
Moyses in Sina Monte, diuino fruitur aspectu 470.15
Moysis natiuitas, ex patre Amram, & matre Iochabeth 6.20
Moyses suscipit legem à Deo 6.30
Moses credidit & scripsit Trinitatem fecisse cœlum & terram 42.10
Moses plures in descriptione generationis Ada subticuit filios & filias 2.10
Moyses adolescens omnem Ægyptiorum Philosophiam didicit 469.33
Mulier deuota, orando membrum aliquod Ioan: Baptistæ, nempe pollicem impetrat 109.50
Mulier dicitur, quasi mollieris herum 314.30
Mulier sortilega cornicula garritu vehementer perculsa 157.30
Multitudo librorum Origenis 63.30
Mundicia corporis Eaduuardi regis 221.20
Munificentia Kinulfi regis Merciorum 150.50
Musica orta a pastore Iabaal, in columna lateritia scripta posteritati a diluuio commendata 2.30
Musicus Cirthei & Nimphæ filius agnoscitur 470.1

N

Naaman lepra stigmatibus, lauacro Iordanis purgatur 15.20
Nabuchodonosor tria millia virorum captos in Babyloniam ducit 23.20
Nadab filius Ieroboam 14.30
Nanus vincit gygantem 211.50
Necromantia per Brittanniæ regnum dicta a Bladud 15.9
Nehemias muros Hierusalem readificauit cum summa solicitudine 28.50
Nehemias 12 annis ducatũ præbuit populo Israel 32.10

Nennius gratulatur sibi de congressu cum Cæsare 37.10. adeptus gladium eiusdem magnam hostium stragem committit ibid.
Nequitia filiorum Goduuini proditoris 220.3
Nero quintus imperator efficitur, scelerum multorum auctor 52.10
Nero, volens similitudinem Carthaginis ardentiꝰ videre, vrbem Romam iussit incendi 53.20
Nero vxorem suam Agrippinam & sororem patris sui interfecit. 52.30 matrem nefario ausu, scindi iussit vt videret qualiter in vtero eius foueabatur ibid.
Nestorius Constantinopolitanus Episcopus suæ perfidiæ hæresim detexit 78.30
Nicanor princeps Elephantorum mittitur ad comprehendendum Iudam Machabæum 35.30
Nicea ciuitas a Christianis obsidetur 234.40
Nicolaus papa eligitur 218.20
S. Nicolaus Myrrhæ metropolis Episcopus consecratur 69.50
Nicolaitarum hæresis a Nicola aduena Antiocheno orta 49.4
Nicopolis, prius Emaus dicta, ædificatur 62.10
Nimroth gigas construxit turrim & post linguarum confusionem migrauit ad Persas 466.3
Ninus rex Assyriorum potentissimus 4.9
Ninus condidit ciuitatem Assyriorum Ninium, quam Hebræi vocant Niniuen 466.35
Ninus idolorum inuentor 3.10
Ninus, filius Beli primus in omni (exceptis Indis) regnauit Asia 466.16
Nioba primo omnium mulierum mixtus est Iupiter 467.57
Nobiles Angliæ expulsi a propriis prædis ac rapinis in siluis inhiarunt 229.50
Nobiles permulti Danorum apud Oxoniam puniuntur 202.50
Nobilitas Anglorum paulatim magis atque magis elanguescit 229.30
Noe significat consolatorem 463. 50 arcam diuino oraculo admonitus fabricare cœpit 464.4. quando egressus de arca ibid.
Noe per fidem se & filios suos liberauit a diluuii periculo 42.10
Noe quot annis vixerit post diluuium 4.20
Noe inebriatus a Cham filio irridetur 3.3
Noe filii tres 3.7
Noradinus Turcarum princeps potentissimus Hareng castrum in finib. Antiochenis obsedit 249.6
Norenses comitem suum Tostonem ab Anglia fugant 220.10
Normannia ponitur in vadimonium 234.40
Northumbrorum regnum in duo diuiditur 102.10
Northimbrorum regnum initium sumpsit 101.20
Nothelmus Cantuar. Episcopus ordinatur 139.40. cepit pallium a papa ibid.
Nouicienses Ecclesiam suam in Odium Monachorũ combusserunt 401.30
Nudæ dea primũ alta sunt in Lacedæmonia 484.52
Numa Pompilius rex creatur, qui Romanis leges & mores constituit 19.10
Numidia qua occasione a Metello consule expugnata 34.10
Nuncium Hinguaris ad regem Eadmundum 163.40
Nuptiæ coactæ 12.10

O

OBsides Romanorum ante portas ciuitatis impatibulo suspenduntur 31.5
Obsidio Castri de Kenelworth 397.40
Obsidio castri Somertonensis 138.20
Obsidio facta circa Damiatam 279.20
Octa & Eosa, corruptis carceris custodibus, euadunt. 96.10
Odii seminarium inter fratres 263.10
Odoacer rex Gothorum Romam tenuit 91.6
Odo, vnde oriundus, & quando ad pontificatus honorem sublimatus fuerit 184.30
Oedipus soluta quæstione, sphyngem proprio præcipitem perire fecit 8.30
Offa sponte exilium subit exilium propter Christum 134.10
Offa omnibus Angliæ regibus fuit terrori 142.30
Offa rex Orientalium Saxonum Romæ monachus efficitur 133.10
Offa nonum constituit Archiepiscopum 142.4
Offa contra Kentenses pugnans cum triumpho nobili recessit 143.40
Ogius in Attica condidit Eleusinã, quæ Alle autem vocatur 468.6
Oleum copiose emanare cœpit a quadam imagine Beatæ Mariæ 265.10
Olimpias prima ab Ilienſibus constituitur 482.1
Onias Hierosolymis summus pontifex habetur 34.20
Opificium carnis humanæ, non Deo, sed dæmonibus Priscilliano autore tribuitur 77.40
Oratio exhortatoria ad milites in aciem iamiam descensuros 448.40
Orationis efficacia 78.5
Orbis habitabilis tres partes principales, Asia, Africa, Europa 3.20
Orbis diuisus inter filios Noah. 3.7
Ordo monasticus in Anglia renouatur per exemplum Lanfranci 228.10
Ordo Monachorum secundum regulam Benedicti in cœnobiis Angliæ constituitur 227.4
Ordines monachorum multiplicantur in Anglia 348.50
Origenes a vera fide desciscens ad enormẽ labitur hæresin 62.50
Orosius presbyter & historiographus claret 77.50
Ossa sancti Osuuini regis & martyris reperiuntur 218.50
Osculum pacis ad missam instituitur in Ecclesia 77.30
Osredus a regno fugatur 146.10
Osredus rex Northanhumbrorum belli infortunio occisus 136.30
Ostrica regina occiditur 130.10
Otho Galbam in medio foroperimens Romanum sumpsit imperium 53.40
Otho imperator, Eadgitham Æthelstani sororem, matrimonio sibi copulat 186.50
Otho imperator excommunicatur per papam Innocentium 269.30
Otho imperator venit in Angliam 267.40
Otho nepos regis Angliæ a papa Innocentio consecratur in imperatorem Romanum 269.10
Otho, nepos Richardi, in regem Alemanniæ honorifice consecratur 261.40
Osulfus Eadberti filius concredito sibi regno a gente propria interficitur 142.10
Osuinaldi descriptio 117.3
Osuualdus Eborac. archiep. vitam cum morte commutans, Ædulphum habuit successorem 196.20
Osuualdus super duo regna consecratur 115.10
Osuuini passio copiose describitur 118
Osuuinus apparet in somnis Eadmũdo cuidam adituo 219.20

Osuiuinus

Osvvinus rex & martyr translatus ad Tynemutham 238.20
Ouidius poeta eximius in exilio periit 45.30. ab Augusto proscriptus propter vxorem eius de qua habebatur suspectus 45.30

P

PActum Haraldi & Gulielmi ducum 218.10
Pagani Occidentalem plagam ferme totam demoliti sunt 198.4
Pagani Doroberniam depopulantur 157.20
Palaologi imperatoris Graecorum litera ad Gregorium Michalem papam 463.40
Pallantis, filii Euandri corpus, Romae illibatum invenitur 210.30
Pandrasus Troianos bello prosequens à Bruto nil tale metuens capitur 9.20.30.40
Pandulphus consecratur in Episcopum 281.30
Pandulphus & Durandus sine spe pacis reuertuntur in Angliam 269.50
Pantheon templum Deorum gentilium fit templum Omnipotentis Dei & Mariae 109.20
Pantheon Romae, a Domitiano extructum fulmine incenditur 56.50
Pantheon à Domitiano construitur 55.40
Pantheus primus in Indiam ad docendum Euangelium à Demetrio mittitur 61.30
Papa sol, Cantuar. Archiepiscopus Luna ab ordine Minorum nuncupantur 416.50
Papa admonet Henricum de dimittendo Richardo, sed frustra 459.20
Papa mittit pecuniam Lodgravio Thuringiae, ad gerram contra Cunradum filium Friderici sustentandam 327.10
Paphnutius, virtutibus clarus 73.10
Pascha quo die celebrandum 58.50
Paschae celebratio inter Gallos & Hispanos controuersa per miraculum confirmatur 103.10
Pascualis papa vitam Deo reddidit 239. cui succedit Gelasius
Passio Beati Eadmundi regis & Martyris 164.30
Passio Sancti Eadwardi martyris 193.50
Passio S. Aelphegi archiepiscopi & martyris 199.10. 11.12.&c.
Pastoribus, vno milliario à Bethlehem vigilias noctis custodientibus, Christi natiuitas reuelatur 41.30
Patriarcharum 12. nativitas 5.10
S. Patricius Hibernensis 93.1
Paulus venit in Hispaniam 52.20
Paulinus a Iusto ordinatur Episcopus 112.40
Paulinus Episcopus Rossensis moritur 117.10
Paulus Apostolus ad fidem conuertitur, & apud Damascum ab Anania baptizatur 49.20
Pax empta pecunia 198.40
Pax inter reges Ang'orum & Scotorum, scripto solemni confirmatur 269.30
Pax & tranquillitas Britanniae restituitur per Eadwinum 113.40
Pax inter duo regna, Franciae & Angliae publicata 446.20
Pax reformata inter Ecclesiam S. Pauli London. & Ecclesiam VVestmonasterii 281.9
Peada filius Pendae vxoris proditione nefarie occiditur 120.40
Pecunia ad vsus papae extorquetur 302.50
Pegasus, equus velocissimus cuiusdam mulieris, seu, Bellerophontis navis fuit 473.29
Pelagiana haeresis à quodam Pelagio natione Britannico nascitur 77.10
Pelagiani dogma schismaticum iterum in Britannia pullulat 82.20
Pelagii disputatio cum Sancto Germano, de peruerso sui dogmate 80.50
Pelagius papatu fungitur 103.30
Pendar rex Merciorum Kiniuualcum regem Orient. Saxon. bello inuasit regnoque priuauit 117.10
Pendar rex nequissimus, cum Athelberto, bello victus moritur 120.10
Perizomata protoplastis facta 2.3
Perpetua & Felicitas, imperante Seuero, bestiis deuorandae obiiciuntur 61.20
Persarum regnum cessit in potestatem Macedonum 32.50
Persecutio Danica, & inuentio sancti Iuonis, non procul a coenobio Rameseia 198.10
Persecutio Constantini imperatoris 149.30
Persecutio Christianorum quarta vice post Neronem in Asia & per Gallias excitata 59.10
Persecutio Christianorum quinta sub Seuero, Neronis successore 61.8
Persecutio Christianorum post Neronem decima sub Diocletiano & Maximiano 67.2
Persecutio Christianorum vndecima sub Maximino & Seuero 69.40
Persecutio Danorum 151
Persecutione Christianorum decennali cessante, tandem pax restituta est ecclesiae, sub Constantino imperatore 70.10
Perseus & Andromeda in coelum recipiuntur 7.40
Persius poeta meritur 53.10
Pestilentia ingens per omnes pene prouincias Romanas grassatur 63.50
Petrus Apostolus ab Herode Agrippa in carcerem protectus, noctu per Angelum Domini liberatur 51.3
Petrus, nuncupatus sapiens, prophetat 270.50
Petrus Aragonum excommunicationis sententia ligatur 412.10
Petrus & Paulus vno die patiuntur 53.20
Petrus tenuit cathedram Antiochiae 7 annis 49.20
Petrus Apostolus duos presbyteros Linum & Cletum ordinauit 52.30
Petrus primus papa Romanus, Episcopalem cathedrã 25 annis tenuit 50.50
Petrus de Sabaudia castra nobilia resignat 207.2
Petrus Herefordensis Episcopus a Custodia qua tenebatur, absolutur 384.10
Petrus VVinton complet operegrinationis votum redit in Angliam 290.8
Phaetontis funebris ignium incendium 6.50
Pharaonis interitus in maris rubri trãsitu 6.20. huius vestigia adhuc hodie eo in loco seruantur ibid.
Pharnabazus & Tyssiphon potentissimi Persarum praefecti 29.50
Philippicus Romanum inuadens imperium, Cyrum Constantinopol fugauit in exilium 134.50
Philippus, Philippi regis Franciae filius, coronatur in regem Franciae 412.20
Philippus Dux Suauiae excommunicatus 263.20
Philippus imperator filium consortem fecit imperii 63. 30. primus omnium fidem Christianam suscipit 63.30
Philippus rex Francorum obiit cui succedit Ludouicus filius eius 238.6
Philippus amicissimus factus regi Henrico 253.10
Philippus rex Francorum citat Eadwardum regem Angliae ad parliamentum 419.40
Philippus presbyter, auditor Beati Hieronymi, diem obiit 83.10
Philippus Rex Macedonum Cappadociam sibi subiuganit 32.10
Phocas imperator tyrannus in subditos, perimitur iussu Heraclii 109.40

Phocas martyrii gloriam adipiscitur 57.5
Photini nefanda hæresis 74.10
Phrix & Helle vecti ariete volauerunt 8.30
Phrixus & Helle, aere vecti nouercæ insidias effugiũt 172.55
Pilati ortus, & vnde dictus 46.10
Pilatus mittitur in exilium damnatus fratricidii. 46. 20. Iudæa & Hierusalem præficitur ib.40
Pilatus & Herodes quare facti inimici 46.40
Pilatus accusatur a Veronica super tunica inconsuta. 50. 8. à Cæsare relegatus in exilium violentas sibi manus intulit ibid.
Picti mulieres sibi ex Hibernia assumunt 55.10
Pictorum aduentus in Britanniam 55.3
Picus filius Saturni, à Circe incantatrice in auem sui nominis mutatur 17.50
Pietas matris in filium 91.1
Pietas victoris in victum 92.10
Pipinus rex Francorum Neustriam subiugat 129.5
Pirata Portlandiam deuastant 194.50
Plato Philosophus floruit 20.30
Plato laudatur ob tripartitam Philosophiæ diuisionem 41.50
Plinii Oratoris & Historici pietas in Christianos 56. 40
Pluuia sanguinea 29.2
Pluuiarum continuarum maxima inundatio 296. 10
Polycarpus & Pionius B. Ioannis discipuli illustre duxere martyrium 59.10
Pompeius à I. Cæsare per Syriam in Ægyptum fugatur. 38. 40. vbi iussu Ptolomæi in gratiam Cæsaris occiditur
Pompeius consul Roman. Hierosolymam oppugnat 36.10
Porta domus Domini, seu, speciosa ædificata à Ioathan 22.50
Portentum in minoris Britannia confinio natum 218. 30
Portesmuth vnde nomen sortitum 95.40
Possessiones Albano beato ab Offa rege collatæ 149.4
Posthumus dicitur, qui post patris mortem editur 18.10
Prædicatio solennis de assumenda cruce per orbem vniuersum 295.30
Præfecti Alexandri, post mortem ipsius reges facti sunt 33.6
Prælati decimas persoluere laicis vel inuiti tenentur 357.50
Prælium campestre inter Ludouicum regem Franc. & Henric. regem Anglorum 239.40
Prælium inter regem Eadmundum Hinguari commissum 164.10
Præputium Christi circumcisi ab Angelo ad Carolum Magnum dicitur delatum 41.40
Præsagium cuiusdam vatis de exorto Helisæo 15.20
Priscianus Grammaticus Romæ floret 102.30
Priscillianistarum hæresis oritur 77.40
Priuilegium Angliæ aduersus Cardinales 335.6
Probus imperator, Gallias à Barbaris liberat 65.20
Procerum congregatio Londini perquam maxima 384.10
Prodigia dispersionem Iudæorum antegredientia 54. 40
Prodigia, miseram Anglorum gentem terrentia 149. 20
Proditio in conuiuio 198.40
Proditio magna Vortigerni 80.20
Proditor, indignus vt Christiana sepultura gaudeat 215
Proditores puniuntur 456.1
Prometheus fecit homines 468.52
Prosperi Epistolæ aduersus Eutychen 90.30
Prudentia Eadgari regis 192.50
Ptolomæus Soter regnauit in Ægypto 33.30
Ptolomæus Philadelphicus sacr. scripturas ex Hebraica in Græcam linguam, per 70 interpretes transferri curauit 33.20
Puella vltramarina quibusdam nobilibus Anglis maritata 338.40
Puer monstrosus, habens duo capita in castello Iudæ nascitur 77.20
Puer villosus & hispidus planeſt atim vbi baptizabatur, apparuit lenis & pulcherrimus 433.5
Puer exanimis reuiuificatur à VVilfrido 124.40
Pueri bestiis ab Helisæo denoti 15.20
Pugna inter regem Northanumbrorum Eaduinum & Ceadualinum regem Britonum 114.10
Pugna inter regem Northanhumbrorum & Orientalium Anglorum 110.50
Pugna Cuthredi & Aethelbaldi 141.30
Pugna maxima inter Christianos & Turcos commissa 234.40
Pugna Aethelmualdi & Eadmundi inter duo fossata Eadmundi habita 181.10
Pugna dubia inter Inam & Ceolredum 136.30
Pugnare pro patria cuique licitum 9.50
Purgatorii stabilimentum 130.30 & 131
Purificationis Mariæ celebratio à Iustiniano instituta 100.10
Pyrrhi captiui ad Romanis infames habentur eo quod armati capi volnissent 22.4
Pyrrhi dictum de Romanis 21.40
Pyrrhus Tarentum fugatus, & Fab. de Fabritio 22.10
Pyrrhus Epirotarum rex 21.30
Pythagoras, interrogatus, quid profiteretur, Philosophũ se esse, id est, sapientiæ studiosum respondit 42.2

Q

Querimoniæ de oppressionibus Ecclesiarũ in Parliamento Caerleoli 457.30
Querimoniæ ad Papam delatæ pro crebris illius exactionibus 333.20. &c.
Quichelinus instruit sicarium qui bipenni toxicata Eaduuinum interficeret 112.50
Quintilianus Rhetor clarus habetur 55.49
Quiris Sabinorum lingua hastam significat, qualem cum Romulus gestaret, Quirinus est dictus, hinc Romani Quirites nominantur 19.5

R

Raab meretrix, recepit exploratores à Iosue missos in Iericho 12.40
Rabbodi baptizandi impia quæstio 136.30
Radamanthus & Sarpedon reges Ciciorum 472. 27
Radii ignei per totam Angliam visi in aere 185.10
Radulphi nuptiæ multis hominibus fuerunt damno 227.50
Radulphus in Archiepiscop. dignitatem consecratur ab Anselmo 239.10
Ranulphus Comes Cestriæ capitur à Stephano rege Anglorum 244.40
Raptus cuiusdam sanctimonialis 180.40
Ratiocinium de Petro VVinton. Episcopo & Stephano de Seigraue & Roberto Passelevve 292.30
Recapitulatio regnorum & regum Anglia 174.10
Regem interficere dominandi cupiditate, nefas est 9. 50
Regem facere gloriosius quam regem esse dictum Aethelstani R. Angliæ 440.10
Reges Israel 14.30.40
Reges duo cum nonem proceribus occisi 182.20

Reginaldus à sua expellitur regione 270.2
Regna gentilium principalia quatuor 3.10
Regnum Dauid 13.6. *ipsius mors ibid.*
Reguli fides & amor in patriam 22.30
Reliquiæ Beati Timothei Constãtinopolim referuntur 72.50
Reliquiæ omnium Apostolorum 81.6
Remus & Romulus nascuntur 482.17
Remus rastro pastorali interficitur 19.8
Responsio Eadmundi de propter negotia Scotiæ, Bonifacio papæ missa 439.30
Responsio Archiepisc. Cantuariensi ad literas Apostolicas data 439.1
Responsum Brithunaldo datum de regno Anglorum 216.20
Responsum Papæ, Petro de Flote legato Francico, datum 434.20
Resurrectio Christi secundum Euangelicam veritatem, quando facta 465.5
Reuelatio facta Paulino Archiepiscopo per quam Eadwinus fidem Christi suscepit 113.10
Rex Hungariæ fide Christianorum neglecta, ad Mahumets deliria se transfert 413.30
Rhea Syluia mater Remi & Romuli 16.20
Rhea Syluia, geminos infantes enixa vina in terra defossa est 18.20
Rhesus frater Griffini regis perimitur 215.20
Rhetorica docetur ab Ambrosio 66.40
Richardi regis Angliæ, tres filiæ pessimæ 261.20
Richardus Saresburiensis ad tres Ecclesias gubernandas postulatur 285.40
Richardus rex Ang. & Stephanus & Cantuari: episc. vno die exeunt de purgatorio 290.50
Richardus de Grauesende Episcopus Londoniensis 446.30
Richardus Cantuar. Archiepiscopus obiit 253.50
Richardus London. Episcopus natura persolvit debitum 262.10
Richardus rex balistæ spiculo saucia tus, moritur 262.50. *authorem mortis, ex amore Dei in demnem abire permittit. ibid. profitetur se proditorem patris sui* 263.2
Richardus de Beaumund, inter omnes Francos generosus, obiit 309.30
Richardus de Albineto, diem claudit extremum 239.40
Richardus, datis obsidibus è custodia Imperatoris liber dimittitur 259.30
Richardus dux Normannorum obiit 196.50
Richardus patri amaritudine mentis defuncto, succedens coronatur in regem 256.30
Richardus reuersus à terra sancta, capitur & venditur Henrico Imperatori 258.40. *à quo in multis accusatur ib.*
Ripun monasterium, à S. VVilfrido olim constructũ, igne crematur 189.20
Roberti, Gulielmi conquæstoris filii descriptio 232.1
Robertus de Bingham, electus Sarum consecrandi munus suscipit 288.20
Robertus capitur & incarceratur vna cum comite de Mortoil. 237.20
Robertus venit in Angliam vt cum fratre rediret in gratiam, sed frustra 237.10
Robertus Curtun Cardinalis & prædicator excellentissimus 278.40
Robertus de Brus, coronatur in regem 453.50
Robertus pergit Hierusalem 234.30
Robertus Londoniensis Episcop. captus apud Fullẽham 244.7
Robertus primus Dux Normannia moritur, filio suo Gulielmo hærede constituto 186.40
Robertus Curtheuse in carcere nimio dolore contabescens moritur 242.10
Robertus Cantuar. Archiep. accusatur apud papam, quasi perturbator regni Angliæ 454.10
Roboam successit Salomoni, contra quem insurrexit Ieroboam 14.10
Rollo primus Normannorũ dux eiusq; visio 179.50
Rollo primus Dux Normanniæ baptisma Christi suscipit 183.9
Rotunda tabula à Brabantiæ duce instituta 424.10
Roma condita à geminis fratribus Remo & Romulo 17.30
Roma à prætextati Tarquinii regis superbissima dominatione liberata est 28.40
Roma quo tempore condita 18.40
Roma muris cincta ab Aureliano inuincibilis redditur 65.5
Roma domus aurea repentino conflagrauit incendio 56.50
Roma decretum est, sub Pelagio papa, vt nouem præfationes ad missas dicantur 103.40
Romana Ecclesia primum statuitur caput omniũ Ecclesiarum & magistra 109.20
Romana historia 30.30
Romani iurant Henrico imperatori se nunquã absque illius consensu electuros papam 209.20
Romani fœdus cum Sabinis feriunt 18.50
Romani potentes esse incipiunt 20.50
Romani aduersus Samnites bellum cœpere 21.3
Romani numerantur ab Augusto & filio eius Tiberio 45.10
Romani tributarii, fœdifragi: victi à Belino 30.50
Romani desolatam Britanniam relinquunt 78.50
Romanorum res & vires qui vere legit, non vnius gentis sed humani generis facta discit 17.40
Romanus nemo, absque prænomine 19.4
S. Romanus Rothomagensis archiepiscopus sanctitate & virtute insignis habetur 112.30
Romulus dispareus, ad Deos isse credebatur 19.10

S

SAba regina honorifice à Salomone suscipitur 14.10
Sabbathi ac legis diuinæ obseruatio negligitur ex metu Antiochi tyranni 35.3
Sabellius hæresiarcha agnoscitur 62.10
Sabinæ passio sub Adriano imperatore 57.50
Sabrina vnde dicta 12.20
Sabini & Romani vnus populus efficiuntur 19.2
Sabinianus papa per visum à S. Gregorio increpatus propter tenacitatem in pauperes, in caput percutitur 109.10
Sacerdotes quarta ætatis mundi 23.50
Sacerdotes Symoniaci & vxorati anathemate ferinntur 227.40
Sacerdotii translatio 11.30
Saladinus fœdus init cum Imperatore Constantinopolitano 256.20
Saladinus, Damasci Soldanus, dicitur rex regum, & dominus dominantium 254.10
Salem ciuitas ab autore seu conditore nomen sortita 3.40
Salicus rex Francorum, piissimus potens & misericors 25.30
Salomon templum Domino Hierosolymis ædificauit 13.50. *vita eiusdem & mors* 14.4. *sapientissimus omnium, antequam nasceretur, vocatus ibid.*
Salmanassar captiuauit Osee 15.40
Samarita à quo geniti 465.38
Sambucus arbor in Italia, grana & fructus vitis ger-

minando produxit 30
Samosateni hæresis a Madione refutatur 64.50
Sampson iudicauit Israel viginti annis 8.10 segetes hostium ligato igne ad caudas vulpium incendit ibid.
Samuel propheta nascitur ex matre Anna: qui Saulem vnxit in regem 11.40
Sanctimoniales apud Rameseiam colliguntur sub Abbatissa S. Mervvinna 192.5
Sanctitas Osualdi regis & eius obitus 116.30
Sanguis Christi, missus regi Anglorum 339.40
Sanguis de cœlo pluit 145.30
Sanguis Domini, qui fluxit de latere eius, venit in Angliam 184.50
Sanguis in pago Berocensi, manauit de terra continuis diebus quindecim 236.1
Sanguis de pane altaris fracto effluit 103.50
Sanguis in Piceno flumine effluit, cœlum apud Tuscos ardere visum est 22.40
Sanctius episco. Toletanus filius regis Arragoniæ membratim a Saracenis discerptus 408.10
Saphadinus, regni Asiæ vsurpator nequissimus morin' & sepultus in inferno 279.10
Sapientia nec mori potest nec corrumpi 6.40
Sara vxor Abræ 4.30
Saraceni Christianos hostiliter inuadentes, plurima eis intulerunt damna 254.6
Saraceni de Christianis triumphant 326.50
Saraceni quidam in Francia venientes ad fidem Christi conuertuntur 355.30
Saracens dicti, quasi Agareni 467.6
Saracenorum plusquam ducenta quadraginta millia, in vltionem Christiani sanguinis cæsa 432.50
Sardanapales, homo muliere corruptior, inter feminarum contubernia versatur 16.8
Sardanapalus 3.10
Saturnus, filius Jani, regnat in Italia 473.45
Saturnus post morum humaniorum introductionem, nummos æreos primum instituit 17.40
Saul Samuelem mortuum magica arte suscitat per Pythonissam 11.40
Saxa de nubibus ceciderunt 20.50
Saxones Ecclesias Britanniæ deuastant 84.50
Saxones Ecclesias Britanniæ destruunt 96.20
Saxonum Australium regnum ad Orientalium regem Ceaulinum deuoluitur 105.20
Saxonum orientalium regnum, quod Estsaxia dicitur, originem sumpsit 99.5
Saxonum reges armis strenuissimi 104.20
Scoti responsum facetum, de quæstione, quid Scotus a Soto differret 171.40
Scoti rupto pacis vinculo quod ligio suo domino regi Angliæ pepigerant, aliud cum rege Francorum ineunt 425.10
Scotia, ante Albania, ab Albanacto Bruti filio nominata 12.4
Scotiæ rex venit in Angliam 376.40
Scandalum & discordia orta inter archiepiscopũ Cantuar. & electum VVintoniæ 351.20
Scandalum & opprobrium Romanæ Ecclesiæ 284.30
Scaccarium a VVestmonasterio remotum 268.50
Schisma procuratum in odium Beati Thomæ martyris 249.40
Schisma ortum inter Alexandrum & Octauianum 247.40
Schisma inter papam Gregorium & Henricum Imperatorem exortum 228.20
Schola Anglorum a tributo libera redditur 171.20
Scipio Africanus, Scipionum nepos, Hasdrubalem bello superat 33.50
Scipio consul Romanus ab Hannibale, superatur 33 40
Scoti fidem recipiunt 78.40
Scipiones, duo Germani, Rom. consules ab Hannibalis ducibus interficiuntur 33.50
Scotorum Rex vt Eadmardo regi pacificatus fuerit 184.40
Scotti, quasi ex diuersis nationibus Pictis scilicet & Hybernensibus, compacti 55.10
Scripta Numæ Pompilio a Diabolo dictata rustico inuenit 19.20
Sedes Episcopalis a Lindisfarna in Cestriam transfertur 171.10
Seditio Hierosolymis atrocissima exoritur 51.40
Segbertus cognomento Parvus regnat apud orientales 112.30
Seginus dux Allobrogum 30.3
Seleucus tenuit omnia regna Orientis 33.4
Sem generatio 3.40
Semicirculi octo circa solem dorsatim inuicti apparent 409.50
Semiramis Babyloniam caput regni constituit 3.10. 4.10
Semiramis virum mentita, 32 annis regno Assyr. præfuit 4.10
Semiramis vxor Nini, plurima notatu digna præstat 466.39
Senatores propter senectutem, patres ob similitudinem curæ, Romæ a Romulo nominati 18.50
Sententia lata in Fredericum Imperatorem 325.4
Serapis filius Ionis Ægyp. rex obiit 467.32
Serapion, Thmueos Episcopus, confessor fidei præclarus moritur 73.30
Sergius papa creatur 150.40
Sergi Episcopi epistola ad Bedam presbyterum 138.50
Serpens miræ magnitudinis ab Aulo Regulo occiditur 22.30
Servius Plautus, corrupti filii reus semetipsum interimit 46.50
Servius Tullius, primus omnium, censum ordinauit 19.50
Severus in Britannia murum a mari vsque ad mare construit 61.30 in pugna interfectus ibid.
Sexulfus constructor monasterii quod dicitur Medeshamstede 125.10
Sibylla vnde dicta 27.30 decem fuisse traduntur ibid.
Sibylla Priamidis filia nobilis Prophetissa, vera annũciauit 24.1.10
Signa in cœlo visa horrenda 144.30
Signa multa in Sole ac Luna visa 102.40
Sigebertus antecessorum depravat leges 141.50
Sigebertus rex Orientalium Saxonum fidem Christi suscipit 117.20
Sigebertus rex Orient. Anglorum doctissimus suscepto regno scholas aperit 115.40
Silentium Severi presbyteri 78.20
Simeon promissi compos factus, Christum puerũ in ulnas suscepit 41.40
Simon Cleophæ filius, Hierosol. Episcopus crucifigitur 56.40
Simon de monte forti bellator strenuus ictu lapidis obrutus occubuit 279.50
Simon Magus pro Deo a nonnullis Roma habetur 53.10 Simonia p. 122. lib. 8. 190. mihi.
Simon Pontifex maximus Iudæorum 22.20
Simphrosia cum 7 filiis passa est 57.50
Sisinnius papa 133.10
Siuuardus nobilis dux Northanhumbrorum obiit 215.50

Silueſter Epiſcopus obiit 279.9

Silueſter papa multis atque inſignibus virtutibus conſpicuus 70. 40. *fugit perſecutionem Conſtantini ibid.*

Silueſter ſedet in cathedra cui deinde ſuccedit Gregorius 212.50

Silueſter quendam tauro necatum ad vitam reſuſcitat quo facto multos in fide Chriſti corroborat 72.5

Sleddarex Orientalium Saxonum 105.10

Sol ſimilis factus eſt nouæ Lunæ 240.20

Soldanus quidam, innocato B. Mariæ auxilio, infuſione olei, viſum amiſſum recepit 265.20

Somnium Mauritii Imperatoris 108.10

Somnium Gunthranni regis Francorum ſomninm 105.10

Somnium centum ſenatoribus ſimul vna nocte viſum à Sibylla, prophetiſſa explicatur 24.40

Sparta conditur à Sparto filio Corothoſi 468.40

Spes haudquaquam ponenda in ſene canos tingente vt adoleſcens videatur 43.20

Spiritus maligni apparent S. Guthlaco 135.40

Stagnum quoddam fluxit ſanguine 234.40

Statius in Gallia Rhetoricam docuit 52.50

Statua aenea tempore Gereberti in campo Martio poſita, eiuſque inſcriptio 197.40

Stella ſereno cœlo interdiu apparuit 228.10

Stellæ de cœlo cadentes apparuerunt 140.40

Stellæ duæ apparent circa Solem horribiles 138.5

Stephanus Anglor. rex & Henricus Normãni in gratiam mutuam redeunt 246.10

Stephano papæ defuncto, ſuccedit Adrianus 143.40

Stephani conſtitutio de ſacris Leuitarum veſtibus, non niſi in Eccleſia vſurpandis 64.20

Stephanus protomartyr Hieroſolymis lapidatur, Saulo obſeruante veſtimenta lapidantium 49.20

Stephanus ſedit in cathedra Romana 180.10

Stigandus Cantuariẽ. Archiep. tanquam ſchiſmaticus ab Alexandro papa ſuſpenſus 226.10

Stigando Epiſcopale officium interdicebatur 218.30

Strages Danis ab Anglis illata 180.20

Strages Danorum permaxima in finibus Lincolniæ facta 183.40

Suanus rex Danorum Angliam ſibi ſubiugat 201. 30

Suanus tyrannus, incerto quodam mortis genere, vitã terminauit flagitioſam 202.20

Subditi inſurgunt contra magiſtratum 142.10

Superbia Maximi regis Brutonum 75.30

Suſach rex Ægypti ſpoliat Hieroſolymam 15.50

Sunithuni Epiſcopi commendatio 160.10

Syluius Aeneas genuit 20 filios & 30 filias, quæ omnes maritatæ ſunt Troianis nobilioribus 13.40

Silnius furtiua Veneri indulgens ex quadam Lauinia neptem Brutum genuit 8.50

Syluius Poſthumus 18.10

Symmachi hæreſis Chriſtum natum eſſe de ſemine Ioſeph. 62.1

Synodus Arelatenſis 72.50

Synodus generalis habetur Rhemis 241.40

Synodus in Italia 109.30

Synodus vniuerſalis quinta Conſtantinopoli celebratur 101.30

Syria Romanis ſubacta in prouincia formam redigitur 36.10

T

TAles Mileſius defectum Solis & Lunæ prædicere coepit 41.50

Tarpeia virgo, monti Tarpeio, in quo poſtea Capitoliũ conſtructum eſt, nomen dedit 18.50

Tarquinius Priſcus, numerum ſenatorum duplicat 19. 40

Tarquinius Superbus 7. atque vltimus regum Romanorum 19.50

Tartari ex Ducatu Poloniæ plusquam 60. millia perſonarum in captiuitatem abducunt 414.6

Tartari partes orientis Aquilonares miro vaſtant exterminio 300.4

Tartari qui & Molli inteſtina tyrannide pereunt 402 10

Tatianus hæreſiarcha ſuo errore Eccleſiam Chriſti obfuſcat 60.1

Tempeſtates horrendæ & damnoſæ 264.8

Templi Domini ædificatio in Hieruſalem completa anno Darii ſecundo 28.50

Tennantius dux Cornubiæ 37.10

Terra mota & Luna quaſi verſa in ſanguinem 239. 30

Terra motus in Angliæ generalis eum frigore ſatis diuturno 228.10

Tertullianus in Montani dogma delabitur 62.8

Teſtamenta duodecim Patriarcharum de Græco in Latinum tranſlata 310.3

Thamar adulterii accuſata, & iam iam ad patibulum ducta baculi & armillæ arrabone ſeſe liberat 6. 10

Theatrum Pompeii incenditur 46.6

Theobaldus Cantuar. Archiepiſcopus obiit 247.50

Theleſphorus papa ſedit in Cathedra Romana 58.10

Theobaldus in Cantuarienſem Epiſcopatum eligitur 243.1

Theodorus Cancia Archiep. concilium congregat 122. 40

Theodorus cathedræ Romanæ præeſt 115.50

Theodorus ordinatur in Archiepiſcopum Eccleſiæ Cantuar. 122.20

Theodulphus Aurelianus feloniæ apud Ludouicum Caroli filium accuſatus, in carcerem detruditur 156.30

Theoduualdus regnauit vno anno 103.1

Theſeus Helenam rapuit 474.58

Thomas B. martyrizatur 250.10

Thomas de Corebrigge Archiep. Eborac. obiit 453. 40

Thomas excommunicat omnes obſeruatores conſuetudinum & libertatum regiarum 249.10

Thoma Turbeuile epitaphium 425.40

Tormentorum varia ac diuerſa genera à Tarquinio ſuperbo primum inuenta 19.50

Torquati vnde dicti 20.40

Tiberius Cæſar in amentiam verſus moritur 103.50

Tiberius imperator liberalis in pauperes, multos repperit theſauros 103.20

Ticinum vrbs Longobardorum nobiliſſima obſidione vallatur à rege Carolo 143.50

Titus Epiſcopus, acerrimus diſputator contra Manichæos, moritur 75.6

Titus Veſpaſiani filius magna ac diutina obſidione Iudæos perſequitur 53.56

Titus Veſpaſianus ob virtutis excellentiam, amor & delitiæ humani generis dicitur 55. 20. *in Amphitheatri dedicatione, quinque millia ferarum occidit ibid.*

Tractatus maximus habetur inter regem & Barones inter Stanes & VVindſoram 273.50

Treuga inter regem Ælfredum & Danos 168. 50

Trahernius Conſtãtini matris anunculus mittitur in expeditionem cõtra Octauium, Geniſeorum regem 70.30

Traianus imperator apud Seleuciam Iſauriæ vrbem exim-

extinguitur 57.10
Transfiguratio Domini 48.20. facta creditur 8. Idus Augusti ibid.
Transitus regis Angliæ per Franciam 360.2
Translatio Beati Thomæ Cantuari. archiepisc. sub Stephano 279.50
Translatio Episcopatus Dommocensis vsque ad Helmham 165.40
Translatio Eadmundi apud Pontiniacum 339.2
Translatio Vlstani gloriosi Episcopi & confessoris 278.50
Translatio reliquiarum S. Suithuni, in Basilicam B. Petri & Pauli 192.10
Translatio S. Richardi gloriosi confessoris 408.20
Tribuni militares, pro duobus consulibus Romæ facti 20.30
Tributum Danis solutum, vt à prædationibus abstinerent 196.10
Tributum diuisio 14.20
Triptolemus iubente Cerere, alis serpentum vectus, frumenta indigentibus terris circumtulit 8.20
Trinouantum prauato nomine Kaerlunden appellatur 36.40
Triumphus Traiani imperatoris 56.30
Trogi chronica quando terminata 44.40
Troia, quando capta 17.50
Troianona à Bruto condita, corrupto nomine dicitur Trinouantum 11.20. nunc Londinum dicitur.
Troiæ excidium quando factum 8.40
Troilus primus Argiuorum quadrigam iungit 469.36
Tubalcaim artis ferrariæ simul & sculptoriæ inuentor 2.30
Tuda Lindisfarnensis Episcopus ordinatur 121.50
Tullius Hostilius, primus Romanorum purpura vsus est 19.30. fulminis ictu periit ibid.
Tunica Domini inconsutilis inuenitur 105.50
Tunica Domini inconsutilis inuenta est in Francia 247.7
Turnus, nepos Bruti 600. viros solo gladio peremit 10.50. de cuius nomine Turonorum ciuitas appellationem sortita est ibid.
Turnius, quis fuerit 18.2
Turris Babel, à Nimroth gygante famosissimo ædificata 28.20
Turris Babylonia, cuius causa lingua confusa, altitudo 59
Turris Vortigerni: in qua quæ interdiu ædificabantur, noctu iterum corruebant 85.10
Turstani & Richardi Cantua. episcopi dissensio 238.50
Tyrus, metropolis Syriæ Christianis restituitur 240.40
Tyberius Claudius imperator imperauit annis 22. magna conspicuus modestia 45.20
Tyberius Claudius insidiis Caligulæ interimitur 49.30
Tyberis fluuius à Tyberino Carpentis filio nomen accepit 18.10

V

VAleuiniana hæresis Ecclesiam Christi fraudulenter impugnat 58.20
Valentinianus à vera fide deuians sui nominis hæresim progenuit 74.10
Valerianus primus Sanctos veneratur 64.10. Christianos oct. una vice crudeliter persequitur 64.10
Valerius Gracchus, quæstum pietatem putans, vendidit palam sacerdotium 46.4
Valerius historiographus Romanorum res gestas describit 45.40
P. Valerius Leuinus à Pyrrho victus 21.40
Varro consul Rom. cum 50 equitibus ab Hannibale fugatur 33.50
Vasa Domini aurea, à Balthasare rege prophanata, numero erant 5 millia, quadraginta 28.30
Vasti vxor Longimani, qui & Assuerus, superbiæ fastu tumens, ad regem venire detrectat 29.40
Vaticinium Sibyllæ de Christo saluatore 24.50.25.10
Vecta insula bello expugnatur 121.3
Ventus vehemens in Londonia turres concussit & ædificia 232.10
Verus Episcopus Viennensis Apostolorum discipulus claruit 57.4
Vespasianus Romæ ventris profluuio interiit 55.20
Vespasianus gentem Iudaicam miserabili plaga affligit 53.20
Vespasianus ad culmen imperii sublimatus, annis 9 imperat 55.50
Vestis summi Pontificis ab Herode in nullius vsum occlusa seruatur 39.30
Vexillum Gulielmo in omen regni à papa missum 222.20
Vffa regi Anglorum Orient. à quo prouinciæ illius reges Vffingi dicuntur, in regnū successit Titillus 103.30
Victoria proditione obtenta 199.1
Victorinus circulum paschalem scripsit 85.40
Vigilius papa à Iustiniano exilio pellitur 101.10
Vindicta diuina in Herodis tyrannidem 44.4
Vires hominum aduersus Deum, nullæ sunt 35.10
Virtutes Eadmundi tertii 220.50
Visio Caroli imperatoris de Purgatorio 172.30
Visio VVilfridi 129.50
Vitellius turpissima morte obit 53.50
Vitalianus papa 121.20
Vitis inuenta à Dionysio 471.6
Vitri flexibilis ac ductilis artificium 45.40
Vitula aurea, orto Helisæo, in Galgalis mugitum dedit, cuius vox in Hierosolymis personuit 15.10
Vlpianus IC. Alexandri assessor, insignis habetur 62.40
Vlstanus propter miraculorum celebritatem commendatur 253.40
Vlstanus & S. Moduuenna miraculis fulgent 263.50
Vlstanus consecratur episcopus 218.30
Volucres ad prædicationem Francisci ab hominibus spreti, conuolant 286.50
Vortigerno à Magnatibus Britanniæ depositio, filius eiusdem sublimatur ad imperii gubernacula 83.50
Vortigernus rex ad belli pronocatus auxilio Saxonum hostes vicit 82.30
Vortigernus incendio perit 90.10
Vortiperius, Saxonibus infestus, multoties de eis triumphauit 103.30
Vrbano papæ mortuo, successit Gregorius 255.20
Vrbanus papa multos nobiles roborauit ad martyrium 62.30
Vrbanus quartus papa, obiit: cui Clemens quartus successit 396.50
Vrbes tredecim terræ motu collapsæ 45.40
Vsura Iudæis interdicta 407.40
Vther pendragon, frater Aurelii, ipso defuncto Britanniæ diadema suscipit 94.50
Vther pendragon proceres in lectica Saxones vicit 96.30. de fonte bibens venenato, subita morti succubuit 97.8

W

VValebroc, vnde dicatur 66.20

VValenſes regem ſuum Griffinum peimunt 218.50
VVallenſes arma parant 413.10
VVallenſes ab Anglis deuincuntur 158.10
VValenſes homagium & fidelitatem iurarunt Regi Eaduuardo 408.50
VValenſium gloria, ad Anglos trasfertur 411.40
VVallia ſeptentrionalis à Danis igne & ferro infeſtatur 197.1
VVallia capitur ab Anglis 228.30
VValterus de Grai, accepto ſigillo regio factus eſt cancellarius 269.20
VValterus de Conſtantiis Epiſcopali ſedi præficitur 253.50
VValtheophus fortiſſimus decollitur 229.20
VVandregiſilus abbas naſcitur 103.4
VVeſtſaxonia depopulatio per vtronẽ regem Danorum 169.20
VVeſtſaxonum regnum ſine epĉopis & cura paſtorali remanet 180.30
VVibertus Geinblacenſis cœnobi fundator migrat ad Chriſtum 191.20
VVilbertus Scireburnenſis antiſtes obiit 145.6
VVilferthus, Ethelhuno VVtciorum Epiſcopo defuncto ſucceſſit 184.50
VVilfridus Ebor. archiep. ab epiſcopatu pellitur 129. 10: 124.10
VVilfridus accepto pallio in ignitate confirmatur 152.50
VVinfridus Frãcorum archiepiſcopus per martyrium deceſſit 141.40
VViſigothorum rex Ricardus à Arriana hæreſi reuocatur 105.50
VVlſtanus è cuſtodia liberatus epiſcopali reſtituitur dignitati 189.40

X

XErxes Ægyptũ capit 489.24 incẽdit Athenas ib.
Xerxes ab Alexandro imperatore vincitur 62.30
Xerxes Dario patri ſucceſſit in regnum 28.50
Xerxe Perſarum rege concedente Nehemias Iudæam veniens muros vrbemque readificat 20.20
Xerxes Perſarum rex in prælio poſtremus, in fuga primus ſemper fuit. 29. 20. ab Artabano præfecto eius trucidatur ibid. 30
Xerxes, qui & Ebalacus, 7. Aſſyriorum 467.29

Z

ZAcharias martyrii laude inſignitur 56.40
Zacharias non credens Angelo filium ei naſciturum nuncianti, vſq; in diem partus obmutuit 40.10
Zacharias patriarcha ab Hieruſalem expellitur 111.10
Zaineus quartus rex Aſſyriorum 466.50
Zaleucus legumlator, apud Locros celebris habetur 484.56
Zebennus Antiochia epiſcopus clarus habetur 62.40
Zelotypia Guendolenæ 12.20
Zeno Romanum ſuſcipit imperium 90.50
Zenobia apud Humas vincitur 523.25
Zepheus, Thebeus & Amphion in Muſica arte claruerunt 472.33
Zephyrinus papa 61.50
Zẽnis conditur 474.22
Zoues primus rex Ægyptiorum 466.13
Zẽnus quot annis regnauerit 78.10

FINIS.

MATHÆUM
1601